IDC

SACRORUM CONCILIORUM NOVA, ET AMPLISSIMA COLLECTIO,

IN QUA PRÆTER EA, QUÆ

PHIL. LABBEUS, ET GABR. COSSARTIUS,

Et novissime NICOLAUS COLETI *in lucem edidere,*

EA OMNIA INSUPER IN SUIS LOCIS OPTIME DISPOSITA EXHIBENTUR, QUÆ

JOANNES DOMINICUS MANSI

ARCHIEPISCOPUS LUCENSIS EVULGAVIT.

EDITIO NOVISSIMA

AB EODEM OPTIME MERITO PRÆSULE,

POTISSIMUM FAVOREM ETIAM ET OPEM PRÆSTANTE

EM.MO CARDINALI DOMINICO PASSIONEO

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ BIBLIOTHECARIO,

ALIISQUE ITEM ERUDITISSIMIS VIRIS MANUS AUXILIATRICES FERENTIBUS CURATA,

Novorum Conciliorum, novorumque Documentorum Additionibus locupletata,

Ad MS. Codices Vaticanos, Lucenses, aliosque recensita, & perfecta,

ACCEDUNT ETIAM NOTÆ, ET DISSERTATIONES QUAMPLURIMÆ, QUÆ IN CETERIS EDITIONIBUS DESIDERANTUR.

TOMUS VIGESIMUS SEXTUS.

Ab anno MCCCXLIV. usque ad annum MCCCCIX.

VENETIIS MDCCLXXXIV.

APUD ANTONIUM ZATTA.

SUPERIORUM PERMISSU, AC EXCEL. SENATUS PRIVILEGIO.

(Editio iterata ad Editionis principis exemplum ab Huberto Welter. Bibliopola. Via dicta Bernard Palissy 4. Parisiis M.D.CCCCLIII)

SYLLABUS

EORUM, QUÆ TOMO XXVI. CONTINENTUR.

Quæ hoc Indice ☞ notata sunt, huic nostræ Editioni noviter accessere.

ANNO CHRISTI — Pag.

1344 Noviomense Conc. 1
Mandatum Officialis Remensis. 12
Ordinatio Joannis Arch. Remensis. *ibid.*
☞ Magdeburgense Provinc. Conc. 13
1346 Parisiense Conc. 15
☞ Florentinum Diœcesanum Conc. 23
☞ Pragense Conc. ab Ernesto Archiep. habitum. 75
1347 ☞ *Constantinopolitana Pseudo-Synodus.* 105
☞ *Eorumdem Concil. Acta ampliora.* 107
1348 ☞ *Statuta Synodi Provinc. Dublini.* 109
1351 ☞ Dublinense Conc. 119
1347 Toletanum Conc. 123
1350 *Constantinopolitana Pseudo-Synodus.* 127
Constantinop. Pseudo-Synodi Notæ. 207
☞ *Aretina Synodus.* 213
☞ Paduanum Provinciale Conc. 221
1351 Bitterrense Conc. 237
Ejusdem Concilii Canones. 241
Ejusdem Constitutiones Provinc. 247
☞ *Lucanæ Ecclesiæ Constitutiones.* 251
1366 ☞ *Ad eamdem Synodum Additio.* 291
1351 Lambethense Conc. 295
1353 ☞ *Leges Ecclesiasticæ Ægidii.* 297
1352 Hispalense Conc. 307
VITA INNOCENTII PAPÆ VI. *ibid.*
Ejusdem Epistola. 308
Nicosienses Constitutiones. 311
1355 ☞ *Pragensis Synodus Provinc.* 381
Toletanum Conc. 411
1356 ☞ Londinense Conc. 413
1362 Magseldense Conc. 417
Lambethense Conc. 419
VITA URBANI PAPÆ V. 421
Ejusdem Constitutio contra pluralitatem beneficiorum. *ibid.*
1365 Concilia varia. 425
Andegavense Conc. *ibid.*
Aptense Conc. 445
Ejusdem Concilii litteræ. 457
1366) ☞ Agennense Conc. 459
1367) ☞ Eboracense Conc. Additio. *ibid.*
Eboracense Conc. 461
Statutum in hoc Conc. modificatum. 472
1368 Vaurense Conc. 473
Urbani Papæ V. litteræ ad Petrum Narbonensem Archiepiscopum. *ibid.*
Petri Archiepisc. Narbon. epistolæ ad Gaucelinum, & cæteros Episcopos Provinciæ Narbonensis. 474 *& seqq.*
Ejusdem Concilii Constitutiones. 477

ANNO CHRISTI

Indulgentia a Patribus Concilii Vaurensis concessa Christifidelibus. 526
Urbani Papæ V. ad Archiepiscopos tres qui Conc. Vaurensi interfuerunt. 547
Condemnatio quorumdam errorum per Simonem Langham Arch. Cantuar. *ibid.*
1369 ☞ Cracoviense Concil. in Polonia. 551
1370 VITA GREGORII PAPÆ XI. 559
Ejusdem Constitutio, Epistolæ, & Mandatum. 560 *& seqq.*
☞ Magdeburgense Provinc. Conc. 567
1374 Narbonense Conc. 587
Bullæ super Conc. Provinc. celebrando. 591
Ejusdem Conc. Narbon. Canones. 595
Uniejoviense Conc. 607
1375 Lugdunense Conc. Provinc. 609
1376 ☞ VITA URBANI PAPÆ VI. *ibid.*
1378 Ejusdem Epistolæ. 611 *& seqq.*
Glocestriense Conc. 617
Beneventanum Conc. 619
Complutense Nationale Conc. 655
1379 *Conventus Episcoporum apud Oppidum de Illescas in Regno Castellæ.* 657
Toletanum Conc. *ibid.*
Conventus Episcoporum apud Burgos. *ibid.*
1380 ☞ *Medinæ, seu Salmaticensis Conventus.* 659
☞ *Synopsis actorum Conc. Medinæ Campestris:* *ibid.*
☞ *Synopsis Actorum secundæ partis Concilii Medinæ Castrensis.* 667
☞ *Allegationes Electi Faventini.* 670
☞ *Probata coram Rege Castellæ pro parte Collegii, & Domini Clementis contra B. intrusum.* 680
☞ *Declaratio Regis Castellæ pro Clemente VII.* 684
☞ *Epistola Clementis Papæ VII. ad Joannem Regem Castellæ.* 688
☞ *Copia litteræ Domino nostro Papæ Clementi transmissæ super declaratione Hispaniæ.* 689
1381 ☞ Pragense Conc. *ibid.*
1382 Londinense Conc. 695
☞ Londinense Conc. 705
☞ Oxoniense Conc. 717
☞ *Sententia VVillelmi Cancellarii Universitatis Oxon. contra VVicliff residentem in Cathedra.* 718
☞ *Strigoniensis Synodus.* 723

☞ *Frag-*

ANNO CHRISTI

☞ *Fragmentum Præfationis in Acta Concilii Strigoniensis.* 723
☞ *Synopsis Actorum ejusdem Conc. ex Tabulis Zagabriensibus.* *ibid.*
1383 ☞ Cameracense Conc. *ibid.*
1386 Saltzburgense Conc. 725
1387 *Conventus Episcoporum apud Navarram.* 733
Conventus Episcoporum apud Barcinonem. *ibid.*
1388 ☞ Saltzburgense Provinc. Conc. *ibid.*
Palentinum Conc. 735
☞ Panormitanum Conc. 745
☞ *Antonii Mongitoris V. clarissimi Notæ.* 751
1389 Concilium Provinc. apud S. Tiberium. 753
1390 ☞ *Excommunicationes latæ a Nicolao Beruto Episcopo Tarvisino.* 761
VITA BONIFACII PAPÆ VIII. vulgo IX. 763
Ejusdem Epistola. *ibid.*
1391 Londinense Conc. 767
1392 ☞ Ultrajectense Conc. 769
1394 Parisiense Conc. 773
1395 ☞ Ad Parisiense Conc. Additio. 779
1396 ☞ Arbogense Provinc. Conc. 807
Londinense Conc. 809
☞ Londinense Conc. in quo Wicleffi errores damnati. 811
1397 ☞ *Avenionensis Conventus.* 819
1401 ☞ Concilium ad S. Tiberium. 835
1398 *Acta tertii Concilii Regis, & Ecclesiæ Gallicanæ.* 859
Subtractio totalis obedientiæ. 910
☞ Londinense Conc. 913
1399 Cantuariense Conc. 917
1400) Anglicana Conc. *ibid.*
1402)
1404)
1399 ☞ *Londinensis Synodus.* 919
1400 ☞ Concilium in Vaztenense Monasterio in Svecia. 935
1401 ☞ Londinense Conc. 937
1403 ☞ Avenionense Diœcesanum Conc. 957
☞ *Joannis Dominici Mansi Admonitio.* 997
1404 Parisiense Conc. 999
☞ Ad Concilium Parisiense Additio. 1001
1405 VITA INNOCENTII PAPÆ VII. 1011
Pragense Conc. *ibid.*
1406 VITA GREGORII PAPÆ XII. *ibid.*
Ejusdem Epistola ad Petrum de Luna. 1013

ANNO CHRISTI

Epistola prima Benedicti dicti XIII. Pseudopapæ ad Gregorium XII. 1014
Ejusdem secunda ad Paulum Lucensium Dynastam. 1016
☞ Hammeburgense Conc. 1017
1407 ☞ Parisiense Conc. *ibid.*
1408 ☞ Londinense Conc. 1029
Parisiense Conc. *ibid.*
Oxoniense Conc. 1031
☞ Ad Oxoniense Conc. Additio. 1045
Remense Conc. 1047
☞ Ad Remense Conc. Additio. 1049
☞ Ad Remense Conc. Additio altera. 1067
☞ Parisiense Conc. 1079
1409 Aquilejense Conc. 1085
Cab. Cossartii Additio. 1086
Sententia in eodem Conc. lata. 1088
Animadversiones Fr. Joannis Francisci Bernardi Mariæ de Rubeis. 1092
1408) Aragoniæ Conciliab. 1097
1409)
☞ Ad Conc. Aragoniense, seu Perpinianense Additio. 1103
☞ *Epistola Francisci Archiepiscopi Narbonensis ad Cardinales.* 1109
☞ *Epistola Benedicti XIII. ad Petrum Cardinalem S. Susannæ.* 1110
☞ *Copia Cedularum in Concilio Perpinianiani traditarum per D. Papam Benedictum XIII.* 1111
☞ *Ejusdem Benedicti Papæ XIII. ad Cardinales Epistola* 1119
☞ Aquense Conc. 1123
Conventus Francofurtensis. 1131
Pisanum Conc. *ibid.*
Notæ Severini Binii. 1157
Additio ad idem concilium. 1161
1. *Cardinalium Benedicti XIII. seu Petri de Luna litteræ ad episcopos & alios de sua obedientia.* *ibid.*
2. *Cardinalium Gregorii XII. litteræ ad episcopos & alios de sua obedientia.* 1167
3. *Scheda eorumdem cardinalium litteris addita.* 1173
4. *Ad Benedictum XII. litteræ cardinalium suorum.* 1175
5. *Ejusdem responsio.* 1179
6. *Forma servata in concilio.* 1183
7. *Subscriptiones concilii.* 1239

ANNO CHRISTI 1344.

CONCILIUM NOVIOMENSE

ANNO CHRISTI 1344.

A Joanne Remensi archiepiscopo & suffraganeis, anno Domini M. CCC. XLIV. XXVI. Jul. celebratum.

Ex codice synodalium Remensis ecclesiæ.

TITULI CAPITULORUM.

A

1. *De impedientibus jurisdictionem ecclesiasticam.*
2. *De citationibus ecclesiasticis.*
3. *Ut personæ ecclesiasticæ diffidationes non faciant.*
4. *Ut Divinum officium in omnibus ecclesiis fiat secundum usum cathedralis.*
5. *De impedientibus, ne clerici vendant, vel emant, vel eorum terræ colantur.*
6. *De captis clericis, sine pecunia restituendis.*
7. *Ne ab histrionibus idololatriæ fiant.*
8. *Ut clerici impositas a laicis judicibus pœnas non peragant.*
9. *De decimis persolvendis.*
10. *Ut capitula præbeant prælatis instrumenta, & vicissim.*
11. *De honestate clericorum.*
12. *Ne miracula publicentur ordinario inconsulto.*
13. *Ut clericis captis vestes & tonsuræ clericales non auferantur.*
14. *Ut laici se clericos non fingant.*
15. *De excommunicatis fraudem facientibus ut absolvantur.*
16. *De excessibus promotorum curiarum ecclesiasticarum.*
17. *De moderandis impensis quæ a procuratoribus fiunt.*

PRÆFATIO.

Niversis præsentes litteras inspecturis Joannes permissione Divina Remensis archiepiscopus P[s]. Suessionensis, H[s]. Laudunensis, I[s]. Ambianensis, I[s]. Tornacensis, R[s]. Morinensis, R. Silvanectensis, eadem permissione episcopi, Remensis provinciæ suffraganei, personaliter; una cum aliorum suffraganeorum Remensis provinciæ absentium, & cathedralium ecclesiarum, procuratoribus, in concilio Provinciali apud Noviomum pro reformandis moribus in clero, & gravaminibus eidem illatis multipliciter reparandis, celebrato; aliis omnibus qui potuerunt & debuerunt concitari, adhuc evocatis, salutem in Domino.

1. Petrus
2.
3. Joannes
4.
5. Raymundus

B

C

CAPITULA.

I. *De impedientibus jurisdictionem ecclesiasticam.*

CUm ad nostrum jam pluries auditum pervenerit ex querimoniali relatione plurimorum, quod nonnulli tam domini temporales, quam eorum ju-

A

ANNO CHRISTI 1344.

judices & ministri sæculares, plureſque alii pacis turbatores, non ſolum contra jura, ſed & ſedis apoſtolicæ legatorum, conciliorumque provincialium ordinationes & ſtatuta, necnon contra prohibitiones & inhibitiones prædictorum jurium ac ordinationum & ſtatutorum, damnabiliter in ſuarum periculum animarum, Dei timore poſtpoſito, multipliciter delinquentes; pœnas in eiſdem juribus, ordinationibus, & ſtatutis appoſitas ſæpius incurrere, eaſdemque animo indurato diutius ſuſtinere non verentes, quamplures preſſuras, injurias, oppreſſiones, gravamina, transgreſſiones, & offenſas, viris eccleſiaſticis, non ſolum in eorum bonis, ſed etiam in perſonis propriis, necnon turbationes & impedimenta multiplicia & diverſa contra libertatem & juriſdictionem eccleſiaſticam, inferre, ſeu inferri facere, per ſuos ſatellites & miniſtros non formidant: videlicet facientes per eorum villas & caſtra publice proclamari, ne aliquis de ipſorum ſubditis aut burgenſibus, ſub certis pœnis ſe obliget coram judicibus eccleſiaſticis, ſeu deputatis ab eis, vel per litteras ſuarum curiarum, aut citari faciat alterum coram ipſis, necnon inhibendo, aut etiam inhiberi faciendo curatis in eorum terris ſeu dominio temporali conſtitutis, ac etiam notariis, & tabellionibus, & commiſſariis aliis dictarum curiarum, ſub pœnis gravibus tam corporis quam bonorum, ne litteras dictarum curiarum recipiant, ſigillent, ſeu aliter quomodolibet exequantur: quodque prædicti tabelliones & notarii, ſeu alii commiſſarii in terra ſeu dominio aut diſtrictu prædictorum dominorum temporalium, ſeu judicum ſæcularium, ſuas non faciant auditiones, informationes, vel inquæſtas, & ne ſuum officium exerceant in locis ſupradictis: ac plures de dictis tabellionibus & notariis, ac commiſſariis, ſuas auditiones, informationes vel inquæſtas ibidem prout licet facientes, propter hoc incarcerando, ac in carcere mancipando, graveſque injurias & minas tales eiſdem inferendo, quod eos juſto metu ductos recedere oportuit ſæpius, & oportet, prædictis ſuis auditionibus, informationibus & inquæſtis non inceptis, vel ſaltem imperfectis; ac etiam plures de dictis curatis, tabellionibus, notariis, ac commiſſariis, ac litterarum dictarum curiarum portitoribus, interdum carceri mancipando, mutilando, graviter verberando, viliterque tractando, & quod eſt horribilius, aliquos mor-

A ti tradendo, bona ipſorum ſaiſiendo, capiendo, diſſipando, devaſtando, ſeu capientium vel eorum dominorum uſibus applicando, occaſione præmiſſorum: nonnulloſque dictorum curatorum, tabellionum, notariorum, ac commiſſariorum, & portitorum litterarum, ad emendas ratione præmiſſorum eiſdem faciendas compellendo: plures litteras & regeſtra dictarum curiarum a curatis & earum portitoribus violenter extorquendo, dilacerando, ac etiam in locis publicis

B & coram pluribus aſſiſtentibus comburendo; nonnulloſque presbyteros, clericos, & viros eccleſiaſticos, pro delictis & exceſſibus per eos eiſdem impoſitis, coram ſe trahendo & carceri mancipando; & eoſdem in præmiſſis caſibus, ac etiam in contractibus, & aliis factis & actionibus, perſonaliter reſpondere compellendo; & eoſdem clericos ad emendas pecuniarum condemnando, ſeu etiam eiſdem peregrinationes, ſeu alias pœnas injungendo, vel eoſdem de facto banniendo, necnon eos coram ſe pur-

C gari faciendo, bonaque mobilia dictorum clericorum de domibus eorumdem, vel in quibus moram trahunt, ejiciendo, ac etiam eoſdem aliquando de dictis domibus expellendo; necnon prædictos clericos pro exceſſibus vel delictis eiſdem impoſitis, pro quibus fuerunt a ſuis judicibus puniti canonice, ſeu etiam abſoluti, pro libito temerariæ voluntatis capiendo, incarcerando, & de facto compellendo ad emendas ſupradictas; dictoſque clericos extra legem ponendo more ſuo, qui dicendus potius

D eſt abuſus; ut ſic prætextu ſuæ pravæ conſuetudinis, quæ magis dicenda eſt corruptela, talibus ſic extra legem poſitis injuriantes, vel ipſos occidentes, ſeu etiam mutilantes, nullatenus vel modicum puniantur; ac eaſdem emendas ab ipſis violenter tam per captionem & detentionem corporum & bonorum ſuorum, quam per alias vias obliquas & varias extorquendo; plureſque perſonas debita ſua petentes, ſeu jus ſuum alias in prædictis curiis eccle-

E ſiaſticis debite perſequentes, & interdum contra ſuos adverſarios ſententiam excommunicationis rationabiliter impetrantes, per captionem corporum & bonorum eorumdem compellendo, ut deſiſtant a ſuis proceſſibus antedictis; & quod eſt nequius, ut prædictos ſuos adverſarios ad eorum inſtantiam excommunicatos, ut præfertur, abſolvi faciant & procurent, ſuis videlicet dictorum actorum propriis ſumptibus & expenſis.

Quæ

ANNO CHRISTI 1344.

Quæ præmissa omnia & singula, non solum in ecclesiæ injuriam, sed & totius libertatis ac jurisdictionis ecclesiasticæ detrimentum, scandalum, opprobrium, injuriam, vituperium, atque damnum, cedere dignoscuntur. Licet igitur in præmissis casibus vel saltem eorum aliquibus, non solum per jura, sed etiam constitutiones & statuta legatorum sedis apostolicæ, conciliorumque provincialium, a nostris prædecessoribus super his seu eorum aliquibus editorum, de remediis aliquibus aliqualiter sit provisum: quia tamen crescente malitia crescere debet & pœna, dignumque fore reputatur, ut quos Dei timor a malo non revocat, saltem eos coerceat severitas ecclesiasticæ disciplinæ (nam tanto graviora sunt peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam) hinc est, quod nos indemnitatibus ecclesiarum succurrere, malignantiumque perversitates, temerariosque eorum abusus & nefandos sub loris justitiæ, prout possumus, refrænare ac supradictis pressuris, injuriis, oppressionibus, gravaminibus, transgressionibus, & offensis, de salubribus remediis, prout ex debito tenemur officii, providere cupientes: deliberatione super hoc in sacro concilio præsenti habita pleniori, de totius ipsius prædicti concilii providentia unanimi & concordi statuimus, decernimus, & etiam ordinamus, ut quandocumque præmissa gravamina, vel aliquod eorum, per aliquem dominum temporalem, seu judicem sæcularem, aut eorum servientes vel ministros, seu ab ipsis dominis aut judicibus deputatis, perpetrari contigerit seu committi; & hoc judici ordinario loci, vel decano rurali, seu curato parochiali, manifestum fuerit per evidentiam facti, seu de hoc eisdem, vel alteri eorumdem, per juramentum partis, si fuerit fide digna, cum unius testis adminiculo, vel famæ publicæ, vel alias constiterit competenter: quod tunc juxta formam & tenorem constitutionis concilii provincialis, tempore bonæ memoriæ Roberti quondam Remensis archiepiscopi, apud Silvanectum anno Domini millesimo trecentesimo decimo septimo contra bonorum clericorum ecclesiasticorum occupatores celebrati, cessetur a Divinis; & nihilo minus nisi prædicta gravamina seu gravamen, sic commissa vel commissum, infra octo dies dicti rei sive reus revocaverint & annullaverint, seu revocaverit & annullaverit cum effectu, ac etiam emendam condignam fecerint vel fecerit, realiter & de facto, ipsos vel illum, qui illa vel illud perpetraverint seu perpetraverit, & in eisdem dantes sibi consilium, auxilium, vel favorem, auctoritate præsentis concilii decernimus & volumus incurrere sententiam excommunicationis ipso facto; ad cujus sententiæ excommunicationis publicationem, juxta dictam constitutionem concilii Silvanectensis, procedatur, altero mandato nullatenus expectato. Cæterum quia tanta debita remanere non debent impunita: volumus ac etiam ordinamus, dictos reos personaliter fore citandos ad certam diem & horam competentem, quam ordinarius loci, juxta personarum qualitatem & locorum distantiam, duxerit arbitrandam, pro tantis & talibus excessibus, correctionem debitam secundum eorum demerita recepturos, & quod justum fuerit responsuros.

ANNO CHRISTI 1344.

II. *De citationibus ecclesiasticis*

Verum quia propter austeritatem & inordinatam potentiam aliquorum de dominis temporalibus, & judicibus, sæcularibus antedictis, nuncii dictarum curiarum jam ex factis præteritis perterriti, dubitantes verisimiliter de futuris, terras seu districtus eorumdem, pro personis aliquibus, & prætertim pro dictis dominis aut judicibus, seu eorum servientibus vel ministris citandis, intrare non sunt ausi, propter metum proprii corporis seu membrorum: nos volentes contra talem morbum pestiferum, prout est nobis possibile, de salubri remedio providere: statuimus, ac etiam auctoritate dicti concilii ordinamus, prædictas citationes ad personas dictorum reorum, si commode valeant apprehendi, alioquin ad eorum domicilia, seu publice in ecclesia parochiali dicti loci, dum tamen secure & absque periculo possit ibidem accessus haberi, fore faciendas. Alioquin, videlicet ubi nuncii dictarum curiarum tute vel secure ad dictos reos, seu eorum domicilia, sive loca, seu ad ecclesias antedictas, non possent accedere, vel auderent: auctoritate qua supra decernimus, statuentes, dictas citationes, & omnes processus inde secuturos, cum debito temporis intervallo publice fieri in consistorio seu curia ordinarii dicti loci. Et publice in ecclesiis parochialibus civitatis, vel in ecclesiis cathedralibus, fiant citationes supradictæ, vel ad valvas ecclesiarum cathedralium, seu alio loco eminenti & pa-

ANNO CHRISTI 1344.

patenti, scedulæ, seu litteræ citationis publice affigantur: ut sic verisimiliter possint dictæ citationes & processus ad citatorum notitiam pervenire. Volentes, eas & processus inde sequituros in hoc casu tantam efficaciam obtinere, sicut si personæ propriæ dictorum reorum forent personaliter apprehensæ. Statuentes ulterius, ut si dicti rei prædicta gravamina non revocaverint cum effectu, sed per quindecim dies, a tempore cessationis prædictæ sic indictæ contra tales, dictum cessum sustinuerint, absque hoc quod prædicta gravamina sic illata, ut præfertur, fuerint per ipsum inferentem totaliter revocata, ac etiam damnorum restitutio, & emenda propter hoc condigna realiter facta judici & ecclesiæ, ac etiam parti læsæ, quod dictus processus auctoritate prædicti concilii taliter aggravetur, quod in loco sive locis, in quibus sic cessabitur, corpora quorumcumque defunctorum non tradantur, nec etiam corpora talium delinquentium, (etiamsi fuerint absoluti in prædictis locis vel aliis Remensis provinciæ, nisi de licentia, & assensu diœcesani loci, ubi dicta gravamina perpetrata extiterint) ecclesiasticæ sepulturæ. Corpora vero clericorum, qui causam seu occasionem in præmissis non dederint, sine pulsatione campanarum & aliis solemnitatibus, con silentio tumulentur. Nec etiam in prædictis locis, in quibus cessus observabitur, solemnizentur matrimonia, nec mulieres ad purificationem post partum admittantur. Quod si domini temporales, in quorum dominio, terra, seu districtu, dicta gravamina, vel eorum alterum, illata extiterint, vel illatum, ad reparationem dicti gravaminis per eos, seu judices, sive servientes, aut ministros, sic illati, ut præfertur, damnorum restitutionem & emendam competentem propter hoc realiter faciendam, infra quindecim dies a tempore cessationis taliter, ut dicitur, aggravatæ, non fecerint, sed prædictam cessationem per dictos quindecim dies sustinuerint animo indurato: statuimus, & hoc sacro approbante concilio, concorditer ordinamus, quod eorum terra, quam in diœcesi, in qua dictum gravamen extiterit perpetratum, obtinebunt, ecclesiastico supponatur interdicto: donec eos ad prædicti gravaminis reparationem, ac realem damnorum restitutionem, emendamque condignam, judici ordinario dicti loci, ecclesiæ, & parti læsæ legitime constiterit pervenisse. Salva tamen in omnibus constitutione: *Alma mater*. Prædictis sic delinquentibus alias pœnas, tam a jure quam a sedis apostolicæ legatis, & conciliorum provincialium constitutionibus, contra tales appositas, ac etiam promulgatas, nihilo minus incursuris. Et eos, qui prædictas excommunicationis sententias incurrerint, faciant ordinarii per suas civitates & diœceses, excommunicatos publice nunciari.

ANNO CHRISTI 1344.

III. *Ut personæ ecclesiasticæ diffidationes non faciant.*

Insuper ordinamus, quod personæ ecclesiasticæ diffidationes non faciant: prava consuetudine, quam quidam allegant, non obstante. Quod si contrarium fecerint, ipsos incurrere decernimus sententiam excommunicationis ipso facto. Diffidantes etiam supradictas personas ecclesiasticas, ac etiam factas diffidationes persequentes, etiamsi laici fuerint, eamdem sententiam volumus incurrere ipso facto.

IV. *Ut Divinum officium in omnibus ecclesiis fiat secundum usum cathedralis.*

Item hoc sacro approbante concilio volumus, & ordinamus, quod per singulas ecclesias cujuslibet civitatis vel diœcesis, tam collegiatis quam aliis, ordinarius seu usus Divini officii, in modo officiandi, qui in ecclesiis cathedralibus observari consuevit & teneri, inviolabiliter observetur.

V. *De impedientibus ne clerici vendant vel emant, vel eorum terra colantur.*

Item quod aliqui domini temporales, multoties occasione quæsita, inhibent suis justitialibus, & defendunt, ne quicquam vendant clericis & ecclesiasticis personis, nec aliquid emant ab ipsis, & ne aliqui terras eorum colant, seu alias eis communicent, propter quæ de jure sententias excommunicationis incurrunt ipso facto: præcipimus ipsos excommunicatos publice nunciari.

VI. *De captis clericis sine pecunia restituendis.*

Item judices seculares, qui pro detentione clericorum, ab ipsorum ordinariis pro prædictorum restitutione canonice fuerint requisiti: si dictos clericos recepta pecunia, vel alias malitiose,

ANNO CHRISTI 1344.

se, abire permiserint, dictis ordinariis restitutione non facta, excommunicationi subjaceant ipso facto.

VII. *Ne ab histrionibus idololatriæ fiant.*

Item sicut audivimus in multis civitatibus & villis nostræ Remensis provinciæ, joculatores, sive histriones, de novo candelas cereas, tanquam res sacras deferunt, & nituntur processionaliter deportare, populum dictas candelas, tanquam res sacras, adorantem, ad idololatriam inducendo. Quod de cætero fieri prohibemus: injungentes districte locorum ordinariis, quatenus dictos histriones, & eorum fautores, taliter puniant & compellant, ut desistant ab idololatriis supradictis & eisdem similibus, quod cedat cæteris in exemplum.

VIII. *Ut clerici impositas a laicis judicibus pœnas non peragant.*

Item volumus & ordinamus, quod clerici injunctas peregrinationes sive pœnitentias alias a judicibus laicis sponte peragentes, seu qui pecuniarum emendas pro excessibus eisdem impositas sponte persolverint, gravissime puniantur.

IX. *De decimis persolvendis.*

Item Mendicantes, curati, & alii proponentes verbum Dei, populum moneant, exhortentur, informent, & inducant ad decimas persolvendas, intimantes eisdem, quod nisi dictas decimas fideliter persolverint, interdicetur eis ingressus ecclesiæ, & carebunt ecclesiastica sepultura. Et licet dicti Mendicantes, in suis sermonibus de jure hoc facere teneantur: volumus tamen, quod quotiescumque prædicare contigerit, hoc faciant sine fraude: alias non habeant potestatem absolvendi a peccatis in casibus episcopis reservatis, & maxime non habeant potestatem absolvendi dictas decimas retinentes: sed eamdem potestatem singulis diœcesanis specialiter reservamus.

X. *Ut capitula præbeant prælatis instrumenta & vicissim.*

Insuper cum facultas probationum non debeat angustari: decernentes, ordinamus, quod capitula, compositiones, inter prælatos & ipsos, ac etiam privilegia, seu alia instrumenta, cum necessitas exegerit, ipsis prælatis, vel pro causis eorumdem, exhibeant sine fraude. Et e contra prælati capitulis faciant pari forma.

XI. *De honestate clericorum.*

Item auctoritate præsentis concilii statuimus, injungentes omnibus decanis, capitulis, & aliis judicibus ecclesiasticis, in virtute sanctæ obedientiæ, quatenus canonicos & clericos sibi subditos, moneant, ut incedant cum tonsura & habitu congruo & decenti, eosdem per subtractionem distributionum, & alias, ad hoc canonice compellentes.

XII. *Ne miracula prædicentur ordinario inconsulto.*

Item inhibemus omnibus presbyteris, & aliis personis ecclesiasticis, ne miracula quæ de novo dicunt evenire, in locis vel ecclesiis solemnizent in publico, ordinario suo super hoc inconsulto.

XIII. *Ut clericis captis vestes & tonsuræ clericales non auferantur.*

Item quia nonnulli domini temporales & judices eorumdem, necnon servientes, & ministri, cum clericos quandoque de facto pro aliquibus excessibus sibi impositis capiunt & detinent, vestes aut tonsuras clericales auferunt, aut utrumque, crines eorum radendo, aut radi faciendo, vestibus radiatis dictos clericos induendo: ipsos omnes & singulos, cum eorum fautoribus, auxilium, consilium, vel favorem præstantibus in præmissis, volumus sententiam excommunicationis incurrere ipso facto.

XIV. *Ut laici se clericos non fingant.*

Item laici se fingentes clericos fraudulenter, & tonsuram clericalem sua propria auctoritate assumentes, excommunicationis sententiam cum suis participantibus incurrant ipso facto.

XV. *De excommunicatis fraudem facientibus ut absolvantur.*

Item cum, sicut intelleximus, quidam domini temporales, eorum judices, & laicalem justitiam exercentes, constitutioni Silvanectensi fraudem facientes, cum quandoque clericos seu eorum bona mobilia detinent, pro sua temeraria voluntate ante octavam diem illos reddunt seu abire permittunt, dicta

Ann. 1317.

ANNO CHRISTI 1344.

cta bona dissaisiunt sive reddunt, ut sic ecclesiarum curati, absque ordinarii mandato, organa Divinæ laudis resumant, & excommunicationis sententiam dicantur evitavisse, quam post octo dies incurrerent ipso facto, resumptis Divinæ laudis organis: iterum dictos clericos capiunt, seu eorum bona saisiunt, capiunt & arrestant pro causis eisdem, pro quibus ipsos & ipsa primo tenuerant: quod in elusionem dictæ constitutionis faciunt atque fraudem. Statuentes igitur decernimus, quod qui perpetraverint tales fraudes, incurrant excommunicationis sententiam ipso facto.

XVI. *De excessibus promotorum curiarum ecclesiasticarum.*

Cæterum quia quamplurimorum de prædictis dominis temporalibus, & judicibus sæcularibus, gravem querimoniam recepimus, continentem quod nonnulli dictarum curiarum ecclesiasticarum promotores, ac etiam procuratores, ad excessus * eorum homines, subditos, & burgenses, varia & diversa crimina & excessus coloribus fictis exquisitos, eisdem imponentes, non solum in corporibus propriis, & gravi scandalo eorumdem, damnificant & fatigant; sed etiam gravissimis sumptibus & expensis: nobis supplicantes, ut velleimus super his providere de remedio opportuno. Nos vero attendentes, juri non fore consonum, quod inde nascantur injuriæ, unde jura debent provenire: statuimus decernentes, quod de cetero nullus promotorum aut procuratorum, ad excessus aliquem ex officio citari faciat, vel procedat contra eum super aliquo crimine, vel excessu, & præsertim tali ratione, cujus fama ipsius citati posset in posterum denigrari, sive scandalum contra eum suboriri, nisi verisimiliter videatur eisdem, quod justam causam habeant contra tales procedendi: super quo tamen eorum conscientias oneramus. Et de hoc, cum ad dictum officium assumentur, per juramentum astringentur: nec tunc etiam ultra primam citationem procedatur per eosdem, officiali dicti loci inconsulto.

* *f. decis.* citantes.

XVII. *De moderandis impensis quæ a procuratoribus fiunt.*

Item cum procuratorum avaritiæ cæcitas & vorago, pro nonnullis injustis, vilibus & minimis causis, per immoderatam multiplicationem sumptuum & expensarum, multoties facultates exhauriant simplicium & miserabilium personarum, sumptus & expensas lupina crudelitate, diversis fallaciis cumulantes: nos dictorum procuratorum calliditatibus, prout nobis est possibile, obviare cupientes, injungimus ordinariis judicibus, quatenus ipsi provideant diligenter præcavendo, ne dicti procuratores curiarum, ac etiam litterarum portitores, sumptus & expensas immoderatas faciant, prout dictum est; sed ipsi ordinarii taliter provideant more patrum, quod ipsorum subditi malitiosis cupiditatibus talium indebite non graventur. Injungentes etiam auctoritate præsentis concilii, ac districte præcipientes omnibus officialibus, & aliis jurisdictionem ecclesiasticam exercentibus, necnon decanis ruralibus & curatis prædictæ Remensis provinciæ, quatenus nostram præsentem constitutionem diligenter, prout ad eorum quemlibet pertinuerit, exequantur, & observent, & eam per ecclesias & loca suarum jurisdictionum publicari faciant, & a dictis subditis suis inviolabiliter exequi, ac etiam observari.

In quorum omnium & singulorum testimonium & munimen, litteris præsentibus sigilla nostra sunt appensa. Datum apud Noviomum, anno Domini MCCCXLIV. vicesima sexta die mensis Julii, videlicet feria secunda post festum beatæ Mariæ Magdalenæ, continuata de die in diem a feria sexta præcedenti.

MANDATUM OFFICIALIS REMENSIS.

Officialis Remensis, omnibus decanis christianitatis, in civitate & diœcesi Remensi constitutis, ad quos præsens mandatum pervenerit, in Domino salutem. Litteras concilii Provincialis apud Noviomum novissime celebrati recepimus, & vidimus diligenter: quarum tenorem sub sigillo curiæ Remensis annexum cum præsentibus vobis transmittimus: tenore præsentium præcipiendo mandantes vobis, & vestrum cuilibet, quatenus dictas litteras & contenta in eisdem in vestris decanatibus, seu per vestros decanatus publicetis; & per vestros presbyteros decanatuum publicari faciatis contentas in prædictis litteris, juxta earum continentiam observantes, & per presbyteros vobis subditos observari facientes. Præcipimus insuper, quod quilibet dictorum curatorum in suis synodalibus tenorem faciat inscribi prædictum, ut melius hæc sciant & valeant observare. Datum anno Domini MCCCXLV. sabato post festum Nativitatis beatæ Mariæ virginis.

ORDINATIO DOMINI JOANNIS Archiepiscopi Remensis.

De observatione supradicti concilii.

NOs Joannes miseratione divina Remensis archiepiscopus, omnibus decanis Christianita-

ANNO CHRISTI 1344.

nitatum nostrarum & diœcesis Remensis, anno Domini MCCCLXIII. feria quarta post brandones, in capella nostri palatii, coram nobis personaliter comparentibus, & coram singulis injunximus, & tenore præsentium injungimus, ut ipsi & eorum quilibet, sub pœna excommunicationis, & decem librarum latis, nobis applicandarum, & in pios usus convertendarum, antequam a civitate Remensi recedant, habeant penes se, & recipiant tantumdem, seu copiam constitutionis præsentis apud Noviomum, tempore bonæ memoriæ domini Joannis de Vienna, quondam Remensis archiepiscopi factæ; & quod infra festum Pentecostes proxime venturum, omnibus & singulis curatis suorum decanatuum tradant de dicta constitutione copiam, seu tantumdem, sumptibus eorumdem curatorum moderatis, si copiam hujusmodi ab ipsis decanis habere petierint & voluerint. Ipsos curatos monentes auctoritate nostra, & sub pœnis supradictis, ut infra dictum festum penes se recipiant & habeant copiam, seu tantumdem constitutionis prædictæ: & quod omnes articulos in eadem contentos, ad defensionem, tuitionem, & observationem eorumdem jurisdictionis & libertatis ecclesiasticæ facientes singulis diebus, inter Missarum solemnia, clero & populo ibidem congregato, alta voce & intelligibili legant, & exponant in Romano.

Item, cum ipsi decani in suis Kalendis & aliis, cum ipsi curatos suos visitare curaverint, prædictos curatos suos examinet diligenter, quomodo prædictam constitutionem & alia præcepta synodalia intelligunt, & exponere sciunt in Romano; ac ignorantes vel ignaros, tam curatos, quam capellanos in curis deservientes, quos modo prædicto examinari volumus, audiant & instruant, prout melius sciunt & poterunt, ad hujusmodi constitutiones, & statuta intelligenda, & in Romano exponant; injungendo eisdem, quod ipsas constitutiones & statuta synodalia legant & exponant diligenter in Romano, prout scriptum est, ac etiam prout statutis synodalibus super hoc confectis latius continetur, sub pœnis statutis in eisdem.

Item quod dicti decani infra quindecim dies post reversum eorum ad partes suas, sub pœnis supradictis, omnes curatos suos coram se convocent; ac eis sub dictis pœnis præcipiant & injungant, auctoritate prædicta, ut infra alios quindecim dies subsequentes, omnia nomina parochianorum suorum excommunicatorum, cujus auctoritate, qua occasione, ad cujus instantiam, & a quo tempore sunt excommunicati, in scriptis redigant; & hujusmodi scripturam dictis decanis suis sigillis suis sigillatam tradere non omittant. Quodque dicti decani scripturam hujusmodi intra alios octo dies consequentes registro nostræ curiæ Remensis mittere vel adferre procurent; & sic faciant de suis parochianis excommunicatis decani supradicti.

Item, inhibemus eisdem decanis, sub dictis pœnis, ac volumus, quod simili modo suis curatis inhibeant, auctoritate prædicta, ne quæstores quoscumque in suis ecclesiis parochialibus recipiant ad quæstam faciendam, nec breviculos quos quæstores hujusmodi mittunt; nec eisdem obediant, nisi videant hujusmodi breviculos sigillo curiæ Remensis sigillatos, & litteras dicto sigillo sigillatas, ac alias Apostolicas, prætextu quarum possint ad quæstam hujusmodi faciendam recipi & admitti. Nec permittant eosdem quæstores prædicare ultra ea quæ in eorum litteris supradictis viderint contineri. Quinimmo, si quæstores hujusmodi sibi breviculos vel litteras hujusmodi, alias quam Apostolicas dicto sigillo curiæ Remensis minime sigillatas exhibuerint; easdem retineant, & ad curiam nostram Remensem mittere non postponant; dictis quæstoribus tantumdem, seu copiam de eisdem faciendo, si petunt, suis tamen sumptibus & expensis moderatis; ut super hoc per nos ac officiales nostros valeat ordinari quod fuerit rationis. Ab omnibus antedictis curatis & capellanis prædictis, dictis decanis & eorum cuilibet, in præmissis pareri & obediri volumus, ordinamus, & jubemus.

CONCILIUM PROVINCIALE MAGDEBURGENSE

An. Christi MCCCXLIV. feria II. post Dominicam *Jubilate*.

Otto Dei gratia sanctæ Magdeburgensis ecclesiæ archiepiscopus, universo clero ejusdem Civitatis, Diœcesis, & Provinciæ salutem in Domino sempiternam.

P. Harthaim conc. Germ. t. IV. p. 345.

CUm per illum statutum, quod Dominus archiepiscopus Burchardus olim contra eos, qui libertates, bona mobilia vel immobilia, jura vel jurisdictiones ad ecclesiam pertinentes, auferunt vel invadunt, aut susceperint, vel detinuerint, vel alios defensaverint, præstando auxilium, consilium vel favorem cujuscumque sint ordinis, præeminentiæ, conditionis, aut status, non sit adhuc sufficienter provisum: quandoquidem Prælati, canonici & clerus nostræ provinciæ a nonnullis personis perditionis multipliciter adhuc graventur contra ecclesiasticam libertatem, cum novis morbis antidota conveniat præparari, sacri hujus approbatione concilii statuimus, quod hi, qui ecclesias, vel cœmeteria, ædificia seu structuras nec non curias canonicorum ecclesiarum cathedralium seu collegiatarum, ac aliorum clericorum in immunitatibus, quæ propriæ dicuntur Urybeit, sive dotibus ecclesiarum constructas contra ecclesiasticam libertatem, ac castra, vel munitiones ecclesiarum invaserint, impugnaverint, aut violenter occupaverint vel destruxerint, vel talia fieri mandaverint, vel rata habuerint; ipso facto si personæ singulares extiterint, sententiam excommunicationis incurrant, & in omnibus locis, ubi de hoc constiterit per ecclesiarum rectores excommunicati publice nuntientur. Si vero universitas fuerit, ecclesiastico subjaceat interdicto. Specialiter autem in omnibus locis, in quibus personæ singulares prædictæ, vel aliqua persona de universitate prædicta, eorum compli-

plices in maleficio domicilium obtinent, sive de jure vel de facto jurisdictionem exercent, aut, ubi se receperint, & per triduum post eorum recessum, strictissimum servetur interdictum. Adjicimus etiam, quod si personæ præmissæ infra mensem continue deputandum, satisfactione neglecta, non obtinuerint se absolvi, tunc ab omnibus feodis cadant ipso jure, quæ ab ecclesia læsa dinoscuntur obtinere. Hæc omnia suprascripta in committentes sacrilegium in personas ecclesiasticas multo fortius volumus observari.

Præterea hujus sacri approbatione concilii statuimus, & vobis universis ac singulis sub pœna suspensionis jam latæ canonica monitione præmissa præcipimus & mandamus, quatenus omnes tam clerici quam laici in terminis ecclesiarum nostrarum constitutos, cujuscumque dignitatis, nobilitatis, conditionis, aut status existant, publice in vestris ecclesiis moneatis, ne A jurisdictionem ecclesiasticam, nuntios, mandata nostra, seu litteras nostras contemnendo, vel quocumque alio modo impedire præsumant, vel judicum nostrorum mandata deferentes verberando, offendendo seu capiendo. Alioquin contrarium facientes sententiam excommunicationis incurrere volumus ipso facto, & ab omnibus arctius, donec vobis de hoc pœnitentia facta constiterit, vel aliud mandatum nostrum vel judicum nostrorum super hoc receperitis, in vestris ecclesiis publice nuntietis, quousque a sententiis excommunicationis hujusmodi per nos vel judices nostros fuerint legitime absoluti. Adjicimus insuper quod quilibet Episcopus in sua diœcesi prout sibi videbitur expedire, super hoc statutum hujusmodi valeat dispensare. Datum Caluis in concil. provinc. an. D. 1344. feria II. post Dominicam *Jubilate*.

CONCILIUM PARISIENSE

Præside Guillelmo Sermonensi archiepiscopo, Parisiis celebratum (1) MCCCXLVI.

Ex tomo v. Spicilegii Dacheriani.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De immunitate clericorum seu ecclesiasticarum personarum.*
2. *De habitu clericorum.*
3. *Quid circa excommunicatos agendum.*
4. *Contra hæreticos.*
5. *Legata ecclesiæ non aliis usibus applicanda.*
6. *Excusationes absentium a synodo.*
7. *Litteræ citatoriæ.*
8. *Uniones beneficiorum.*
9. *Xenodochia, leprosariæ, & eleemosynariæ.*
10. *Restaurandæ beneficiorum ecclesiæ.*
11. *Redditus prioratuum & aliorum beneficiorum, non sibi reservent prælati.*
12. *De matrimonio, usura, & decimis.*
13. *Indulgentiæ in recitatione salutationis angelicæ.*

PRÆFATIO.

IN nomine Domini, Amen. Universis præsentes litteras inspecturis, Guillelmus miseratione Divina archiepiscopus Senonensis, salutem in eo qui est omnium vera salus. Pastoralis cura sollicitudinis nos invigilare, & intendere, ac vacare subjectorum nostrorum commodis & remediis, ac tranquillitati, quieti, prosperitati, & paci; eorumdemque subditorum periculis & incommodis obviare, animarum ipsorum saluti providere, scandalaque removere, & deformatorum reformationi prospicere sollicitat & compellit. Hoc est quod profecto desideranter exquirimus, & ad id mentis nostræ sedulo destinamus affectum. Eapropter repertis per nos alias, tam visitando nostras diœcesim & provinciam, quam aliter, multis casibus & negotiis, C totas diœcesim & provinciam nostras ac statum ipsarum tangentibus seu concernentibus; auditis etiam & intellectis tunc & alias, necnon in concilio, de quo infra fit mentio, pluribus oppressionibus, malitiis, gravaminibus, & injuriis, quæ quotidie nobis ac nostris subditis inferuntur, in quibus & aliis excessibus justitia laeditur, prorogatur iniquitas, & universi cleri decoloratur honestas, tam per usus litterarum falsarum, & abusus etiam litterarum, quam per vocationes, seu citationes, captiones, & detentiones clericorum, & personarum ecclesiasticarum, ac suorum bonorum mobilium, necnon sæcularium illicitas & indebitas exactiones seu extorsiones, & totius jurisdictionis ecclesiasticæ D perturbationes, ac immunitatis seu libertatis ecclesiasticæ infractiones seu violationes, & per inhonestos gestus, habitus, & mores pravos, ac regimina mala ipsorum clericorum, & ipsarum personarum ecclesiasticarum, ac etiam religiosarum, & circa Divinorum celebrationes, ac per alios multos modos. Quibus licet alias salubriter sit in parte provisum, tam per sacras canonicas, quam provinciales etiam & publicatas in provincialibus conciliis sanctiones: quia tamen nulla sanctio, quantumcumque perpenso digesta consilio, ad humanæ naturæ varietatem & machinationes ejus inopinabiles sufficit; & E præsertim quod [a] vestræ [*] adeo, aliquid certum clarumque statuitur, quin ex causis emergentibus quibus jura & statuta jam facta moderi non possunt, in dubium revocetur; quia etsam ab adolescentia viri proclivis ad malum sensualitas humana declinat, per quod morum subversio in clero & populo frequenter obrepit: necessaria est superioris auctoritas, ut per cultoris providi sarculum extirpet vitia, virtutes inserat, excessus

a *Forte*, quod vix credo. Hic deest aliquid.

(1) Concilium hoc anno 1346. celebratum dicitur infra in actibus, atque id verum esse arbitratus est etiam Dacherius: sed hæc deinde monuit Baluzius. Anno 1346. Guillelmus nondum erat Archiepiscopus. Præterea anno quo synodus illa habita est, Dominica *Lætare* fuit die 10. Martii. Quod anno 1346. comparare non potest, cum eo anno Dominica *Lætare* evenerit 30. Martii. Probabilius ergo est, habitam fuisse hanc synodum anno 1350. quo Dominica *Lætare* fuit die 11. Martii. *La Barre in nov. edit Dacheriana.*

ANNO CHRISTI 1346.

sus corrigat, scandalis seu periculis & incommodis obviet, subditis provideat, moresque reformet.

Hinc est, quod nos Guillelmus prædictus, cupientes adhibere super his, prout ad nos pertinet, remedium opportunum, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto, die Mercurii post Dominicam qua cantatur *Lætare Jerusalem*, videlicet quarta decima die mensis Martii, continuata de die in diem, a die Veneris præcedenti, in nostro sacro provinciali concilio (una cum venerabilibus fratribus suffraganeis nostris, [a] B. Parisiensi, P. Antissiodorensi, I. Meldensi, I. Trecensi, & B. Nivernensi, episcopis; ac vicariis, & procuratoribus venerabilium fratrum suffraganeorum nostrorum Carnotensis & Aurelianensis episcoporum; cæterisque personis ecclesiasticis nostrarum diœcesis & provinciæ, quæ potuerunt commode interesse) ad ordinandum, statuendum, & reformandum ea quæ essent ordinanda, statuenda, & reformanda, celebrato Parisiis congregati: eodem approbante concilio statuimus & ordinamus, sacras constitutiones canonicas, & etiam provinciales circa præmissa editas, & alias in concilio provinciali publicatas, esse inviolabiliter observandas, sub pœnis in eisdem contentis. Et insuper quod contrarium facientes, seu eas non servantes, per suos superiores ordinarios, judices ecclesiasticos, pœna arbitraria puniantur.

a In fine legitur. P. Parisiensi.

Verum, quia ex dictis provincialibus constitutionibus, & aliis jamdudum in provincialibus conciliis publicatis, nullus aut rarus fructus, seu profectus provenit, quia forte ad multorum notitiam non venerunt, seu propter hominum labilem memoriam, vel propter conciliorum raritatem seu etiam paucitatem, aut propter temporis longinquitatem seu diuturnitatem: omnes constitutiones prædictas provinciales, & cæteras in aliis provincialibus conciliis publicatas, eodem approbante concilio innovamus, & volumus eas, quæ etiam per vitium scriptorum erant male scriptæ, & reliquas quæ sequuntur, in hoc legi concilio & etiam publicari. Statuentes, quod in conciliis provincialibus, quæ fient de cætero, legantur ac etiam publicentur: quodque nostri omnes suffraganei, abbates, priores conventuales, & etiam procuratores capitulorum, ipsas omnes recipiant, & habeant citius quam poterunt; ac in suis synodis, curiis, conventibus & capitulis, legi & publicari faciant & procurent. Cæterum, quia quæ generaliter omnino dicuntur, nisi aliqua specialiter exprimantur, neglecta videntur: quasdam de dictis provincialibus constitutionibus, quarum aliquæ fuerunt factæ per bonæ memoriæ domnum prædecessorem & patrem nostrum dominum Guillelmum, quibusdam verbis additis & detractis, hic duximus specialiter sub hac forma exprimendas, & etiam inserendas.

CAPITULA.

I. *De immunitate clericorum, seu ecclesiasticarum personarum.*

Clericis, & personis ecclesiasticis, laicos infestos oppido tradit antiquitas: quod & præsentium experimenta temporum manifeste declarant, dum suis finibus non contenti, nituntur in vetitum, ad illicita fræna relaxant, nec prudenter attendunt, quod sit eis in clericos & personas ecclesiasticas interdicta potestas. Nihilo minus ipsos & ipsas de die in diem capit, seu capi facit justitia sæcularis, & captos seu captas in prisionem seu carcerem detrudit, seu detrudi; detinet, seu detineri; & quod gravius est torquet, seu torqueri; ultimo supplicio tradit, seu etiam tradi facit, in præjudicium jurisdictionis ecclesiasticæ & libertatis ejusdem. Nos igitur talibus iniquis actibus obviare volentes, sacro approbante concilio, statuimus ac etiam ordinamus, ut si contigat clericum seu personam ecclesiasticam in villis, seu castris, aut locis diœcesis & provinciæ Senonensis capi per judicem sæcularem, seu detineri, vel ultimo tradi supplicio, judex requisitus, seu monitus de reddendo eumdem clericum, seu illam personam ..... ipsius, suo judici ecclesiastico non reddiderit, seu restituerit, vel reddere aut restituere noluerit, seu recusaverit, aut plus debito distulerit, in sua malitia perseverans: cessetur a Divinis, celebratioque Divinorum, ac Divinæ laudis, organa .... dictis villis, castris, seu locis, quamdiu detinebitur, nedum in illa ecclesia infra cujus fines detinetur, sed etiam in aliis ecclesiis in dictis villis, castris, seu locis, si plures ecclesiæ sint ibidem, necnon in parochia, in qua hujusmodi clericum, seu personam ..... aut transferri contigerit, & etiam in parochia seu parochiis, in qua seu quibus, capiens seu detinens, aut ultimo supplicio tradens capi, detineri, aut ultimo supplicio tradi faciens vel procurans, morabitur, seu habebit domicilium, aut ..... aliis quibuscumque, quamdiu in ecclesia præsens erit, quousque hujusmodi clerici seu personæ ecclesiasticæ fuerit facta restitutio debita, sufficiens, integra, & perfecta. Quod & ad religiosorum ecclesias & monasteria in dictis villis, castris, seu locis consistentes seu consistentia, & ad alias ecclesias eisdem contiguas extendi volumus: ne, si in quibusdam & non aliis cessaretur, cessationis & suspensionis hujusmodi interdicto valeat vilipendi. Et prædictas cessationes & suspensiones auctoritate præsentis concilii, ab omnibus tam exemptis quam non exemptis, cum de jure ad hoc etiam teneantur, volumus observari. Et nihilo minus præcipimus & mandamus, ut curati, tales capientes, detinentes, transferentes, seu ultimo

ANNO CHRISTI 1346.

mo supplicio tradentes, capi, detineri. A transferri seu tradi ultimo supplicio facientes, seu etiam procurantes, excommunicatos a canone denuncient publice singulis diebus Dominicis & festivis in ecclesiis eorumdem.

II. *De habitu clericorum.*

Præterea cum sit certum, eos qui abjectis vestibus proprio convenientibus ordini, alias assumere & in publico portare, rationabili causa cessante, præsumunt, se indignos reddere prærogativa B illius ordinis professorum: statutum provinciale per dictum dominum Guillelmum factum, prohibens clericis beneficiatis & presbyteris uti publice caligis rubeis, viridibus, scatatis, ... & comam nutrire, barbamve prolixam seu tonsuram inhonestam, aut a parte exteriori almutias de cendeto seu de velveto deferre, imponens pœnam privationis medietatis distributionum, quantum ad beneficiatos, post monitionem canonicam ..... sistentibus, & aliis C arbitrariam, eodem approbante concilio extendimus ad clericos beneficiatos, & religiosos, in ecclesiis seu locis suorum beneficiorum, vel monasteriorum, & ad presbyteros utentes, palam per vias incedendo, vestibus fronsatis, nimium fissis ..... capuciis, aut capellis super capita, vel tassis; & corrigiis inhonestis, seu annulis in manibus aut sotularibus ad boucletas argenteas, sive longis manicis vel cornetis. Item ut uniformitas in almuciis beneficiatorum, de quibus supra, ... provisione concilii duximus D statuendum, quod canonici cathedralium & collegiatarum ecclesiarum utantur almuciis nigris, forratis minutis variis, & alii beneficiati in dictis ecclesiis, etiam nigris, non tamen forratis minutis variis, sed a .... privationis medietatis distributionum, quantum ad canonicos; & quoad alios, pœnam arbitrariam, lapso festo beatæ Mariæ Magdalenæ proximo, imponentes.

III. *Quid circa excommunicatos agendum.*

Item cum per dictum dominum Guillelmum in provinciali concilio statutum fuerit, quod si excommunicatus, & aggravatus auctoritate ordinaria, per annum sic steterit, & monitus ut infra tres menses continuos post dictum annum faciat absolvi, hoc non fecerit, extunc contra ipsum, ut suspectum de hæresi, procedatur. Et in quadam constitutione canonica, publicata, in quodam concilio & alias, caveatur quod si suspectus de hæresi, vocatus ut de fide respondeat, excommunicationem in eum latam, pro eo quod parere subterfugit aut contumaciter se absentat, per annum sustinuerit, velut hæreticus condemnetur.

IV. *Contra hæreticos.*

Et insuper quod ordinarii possint capere seu capi facere hæreticos, seu de B hæresi suspectos: & etiam judices sæculares seu domini temporales ex parte ordinariorum super hoc requisiti, eos capere seu capi facere teneantur secundum legitimas & canonicas sanctiones. Eodem approbante concilio statuimus, quod si dicti judices, seu domini, ex parte ordinariorum super hoc requisiti, eosdem hæreticos seu de hæresi suspectos, infra tempus ab ordinariis præfigendum, capere seu capi facere cum C potuerint, & captos reddere, distulerint, seu recusaverint aut neglexerint, excommunicati sint auctoritate sacri provincialis concilii: absolutione, præmissa satisfactione, ordinariis reservata.

V. *Legata ecclesiæ non aliis usibus applicanda.*

Item cum ea quæ ad certum usum destinata sunt, ad illum debeant non ad alium converti; & in statutis provincialibus contineatur, quod ea quæ D legantur vel debentur ad emendos redditus, illi ad quos pertinet recipiant a debitoribus, & deponant in utilitatem ecclesiarum convertenda nec in usus sacerdotum proprios revertantur: nos eodem approbante concilio statutum hujusmodi declaramus, sic, quod hujusmodi debita vel legata in quadam arca in ecclesia deponantur, cujus arcæ unam clavem habeant decanus Christianitatis, archipresbyter, vel sacerdos, & aliam matricularii seu provisores; quodque ci- E tius quam poterit fieri, in redditibus, vel alias secundum diœcesanorum arbitrium, convertantur.

VI. *Excusationes absentium a synodo.*

Item cum in statutis provincialibus caveatur specialiter & expresse, quod illi qui ad provinciale concilium venire tenentur, si propter impedimentum canonicum remaneant, se excusent per ido-

ANNO CHRISTI 1346.

idoneum nuncium litteratorie destinatum, qui possit facere fidem per juramentum de impedimento canonico, super quo etiam debet habere mandatum, quodque litteræ aliquorum in concilio nullatenus admittantur, nisi scribant cum obedientia debita: nos statutum hujusmodi innovando, ipsum taliter declaramus, quod in procuratoria sic scribatur, *Reverendo in Christo patri ac domino, domino, &c. recommendationem & obedientiam debitam, cum omni reverentia & honore.*

VII. *Litteræ citatoriæ.*

Item cum per litteras citatorias de, *Raganus*, multi quandoque vexentur indebite & injuste: nos sacro approbante concilio statuimus, quod litteræ hujusmodi non transeant, nisi contineatur in eis, quod pars impetrans, vel procurator suus, fidem per juramentum, vel alias, fecerit de contractu, & signetum officialis, seu ejus locum tenentis, cum sigillo curiæ, in eis sit appensum.

VIII. *Uniones beneficiorum.*

Item eodem approbante concilio præcipimus, & etiam ordinamus, quod prioratus, & ecclesiæ parochiales, in quibus non sunt sufficientes redditus, uniantur juxta canonicas sanctiones: quodque per diœcesanos, præsentatis per quascumque personas ecclesiasticas præsentandi ad aliquas ecclesias jus habentes, de proventibus ecclesiarum hujusmodi portiones debitæ assignentur, prout & secundum quod in sacris constitutionibus canonicis super hæc editis continetur.

IX. *Xenodochia, leprosaria, & eleemosynaria.*

Et insuper, quod antiquæ constitutiones & novæ canonicæ, tam in antiquis decretalibus, quam in Clementinis, in titulo de religiosis domibus situatæ, mentionem de xenodochiis, leprosariis, & eleemosynariis facientes, inviolabiliter ac integre observentur.

X. *Restaurandæ beneficiorum ecclesiæ.*

Item sacro approbante concilio inhibemus abbatibus, prioribus, curatis, & beneficiatis aliis, ne permittant monasteria sua vel ecclesias, seu domos, ruere, aut hereditagia inculta remanere; & si non possint in totum reficere vel colere, statuimus, & etiam ordinamus, quod saltem quolibet anno ponant in refectiones & culturas hujusmodi aliquam quotam partem, diœcesani arbitrio limitandam: quæ per deputandos a diœcesano in refectiones & culturas hujusmodi convertatur; nisi ad reparationes vel refectiones prædictas alias teneantur.

XI. *Redditus prioratuum & aliorum beneficiorum non sibi reservent prælati.*

Prohibentes etiam prælatis regularibus ne prioratus, ecclesias, administrationes, aut beneficia ad eorum dispositionem spectantia, quæ non sunt de mensa sua, sed speciales priores, administratores, seu rectores consueverunt habere, applicent mensis suis, vel pensiones veteres augeant, aut novas eis imponant: ipsisque præcipimus, quod facta in contrarium ad statum pristinum reducantur; & nisi moniti per diœcesanos hoc fecerint, per eos arbitrarie puniantur; & nihilo minus attentata secus, in statu debito reponantur.

XII. *De matrimonio, usura, & decimis.*

Item eodem approbante concilio præcipimus, & etiam ordinamus, quod constitutio Clementina in titulo de judiciis posita, qua cavetur, quod in causis matrimonialibus, usurarum & decimarum, ac quibusdam causis aliis ibi expressis, & eas quoquomodo tangentibus, summarie, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu & figura judicii, procedatur, uniformiter ab omnibus observetur: præsertim quando curati, vel viri ecclesiastici habent super hæc litigare: quodque ad rectam & integram præstationem decimarum sine deductione aliqua talibus faciendam, illi qui tenentur ad eas, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam compellantur. Et ut libentius hoc faciant, constitutionem primam sitam in titulo de decimis libro sexto, hic duximus publicandam & etiam inserendam, quæ fratribus prædicatoribus & Minoribus dirigitur per hunc modum. „ Discretioni vestræ mandamus, districtius inhibentes, ne talia, quæ audientes a decimarum vel „ aliarum rerum ecclesiis debitarum solutione retrahant, vel alias animos „ corrumpant audientium, in sermonibus „ vestris, vel alibi de cætero proponere „ præsumatis: quinimmo verbo & opere in-

ANNO CHRISTI 1346.

„ informetis eosdem, ut ad solutionem „ prædictorum propriæ voluntatis animo „ sint intenti. “

XIII. *Indulgentiæ in recitatione salutationis angelicæ.*

Item auctoritate dicti concilii præcipimus, quod observetur inviolabiliter ordinatio facta per sanctæ memoriæ Joannem papam vicesimum secundum, de dicendo ter *Ave Maria* tempore seu hora ignitegii, in qua ordinatione conceditur certa indulgentia dicentibus ter *Ave Maria* dictis tempore & hora. Et cum hoc ipso sacro approbante concilio, omnibus tunc orantibus pro statu prospero ecclesiæ & regni, ac pro pace, dominis Rege & Regina, liberisque ipsorum, ac dicentibus tunc *Pater noster* & *Ave Maria*, concedimus indulgentias quæ sequuntur: videlicet singulis diebus auctoritate nostra triginta dies; & cujuslibet suffraganei, viginti dies in provincia Senonensi.

In quorum omnium & singulorum præmissorum testimonium, sigillum nostrum, una cum dictorum suffraganeorum nostrorum præsentium sigillis hujusmodi litteris duximus apponendum: Datum & actum in domo episcopali Parisiensi, anno & die prædictis . . . . . G. Parisiensis. P. Antissiodorensis. I. Meldensis I. Trecensis. B. Nivernensis.

CONCILIUM FLORENTINUM DIOECESANUM

Circa an. 1346. celebratum ab Angelo.

Incipiunt Constitutiones Synodales Domini Episcopi Florentini.

Ex MS. ad Abbatiæ Florentinæ Ord. S. Ben. nunc primum datur.

FRater Angelus Miseratione Divina Episcopus Florentinus ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum. Cura pastoralis officii facit nos de subditorum nostrorum gubernatione sollicitos, ut de illorum salute, statuque salubri meditatione anxia cogitantes, quæ illis utilia fuerint, & laudabilia statuamus; quæ vero noxia fore conspicimus, vel eorum saluti præjudicium allatura, de nostrorum subditorum medio, quantum cum Deo possumus, amputemus: monendo, obsecrando, arguendo, & increpando juxta traditam nobis a Domino scientiam, & doctrinam. Igitur ad honorem Dei, & gloriosæ Virginis Matris ejus: Beatorum quoque Joannis Baptistæ, Zenobii, Reparatæ, ac Vincentii Patronorum nostrorum, & ad omnimodam reverentiam & honorem Sacrosanctæ Matris ac universalis Romanæ Ecclesiæ, atque ad reverentiam Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Clementis Divina Providentia Papæ Sexti, & ad bonum statum Ecclesiæ Florentinæ, & ad salutem subditorum nostrorum infrascriptas Constitutiones, & Statuta, & ordinamenta cum multa deliberatione digestas de Capituli nostræ Ecclesiæ Florentinæ consilio, & assensu facimus, & ordinamus: & ipsas in dicti Capituli, & Cleri nostræ Civitatis, & Diœcesis Florentinæ ad Synodum specialiter vocatorum pertinentia, solemniter in nomine Domini publicamus: mandantes illas sub pœnis contentis in illis inviolabiliter observari: facientes a Fide nostrum exordium, sine qua nullius operis potest bonum existere fundamentum.

LIBER PRIMUS.

De Summa Trinitate & Fide Catholica.

Quoniam secundum Apostolum in edificio spirituali virtutum Fides Catholica fundamentum existit, ideo necessario duximus in nostris Constitutionibus inchoare ab ipsa, sine qua falsa est Virtus etiam in optimis moribus (ut dicit Beatissimus Augustinus). Ordinamus ut omnes tamquam Divinum præceptum inviolabiliter mente pariter observent, & corpore ea quæ ad Fidei articulos pertinent, & Ecclesiastica Sacramenta, ut præter Divinum Judicium, nostrum etiam non evadant. Si quos autem (quod absit) hujus Constitutionis nostræ invenerimus transegressores, intendimus acerrime procedere contra eos: & ex nunc tales ab Ecclesia Dei præcisos velut hæreticos judicamus: eos quoque excommunicationis mucrone percellimus. Et nihilominus huic salubri constitutioni addicimus quod nullus de ea turbis coadunatis fidelium maxime laicorum, & ignorantium personarum præsumat aliqualiter disputare, sed de ipsa, articulis ejusdem, & Sacramentis Ecclesiæ sentiat, teneat, & doceat, quod tenet, docet, & prædicat Sacrosancta Romana Ecclesia, & sacrorum Canonum instituta censeri. Alioquin contrarium sentientes, præter pœnam jure nostro arbitrio relinquimus puniendos specialiter, & temporaliter, prout nobis videbitur convenire.

De Constitutionibus.

Item ut prolixitas, & infinitas evitetur & animarum Civium Florentinæ Civitatis, & ipsius hominum Diœcesis Clericorum, & laicorum cujuscumque conditionis, & status existant, saluti provideamus, quantum nobis ex alto permittitur, necnon eorumdem subditorum nostrorum conscientias serenemus, præsenti constitutione omni modo, jure, forma, & causa quibus melius de jure possumus & valemus. Constitutiones olim factas, & decreta sive statuta, seu quocumque alio nomine censeantur edita sub quacumque forma & expressione verborum, & in eis contenta per olim bonæ memoriæ dominum Antonium Florentinum Episcopum Prædecessorem nostrum, seu per quoscumque alios Epi-

ANNO CHRISTI 1346.

Episcopos Prædecessores nostros, vel Capitulum A Sede vacante, vel alium, seu per quoscumque subditos nostros cassamus, revocamus, & irritamus, & ipsa vel ipsas, cassa, revocata & irrita, seu cassas, revocatas, & irritas in his scriptis nuntiamus, & pubblicamus, ita quod ad ipsa, vel ipsas nullus de Civitate vel Diœcesi Florentina Clericus, Religiosus, vel Secularis, vel alter mas, vel femina, nec nos ad ipsorum vel ipsarum observantiam ammodo in antea teneant seu teneamur aliqua ratione: immo omnes nostri subditi Clerici, & laici mares, & feminæ, & nos liberi ab eisdem & ipsarum qualibet existamus, & existant in totum: & a pœnis seu pœna in eis vel aliqua ipsarum contentis vel contenta, & ea vel eas deinceps mandamus nullatenus observari. Sed omnes nostros subditos, & Religiosos, & seculares Clericos, nec non mares, & feminas subditos nostros teneri, & obbligari volumus in præsenti volumine contentis, seu aliis per nos faciendis, & ipsis regi, & regulari. Sed si forte aliquod capitulum, conventus, seu Canonici asserant se aliquas particulares Constitutiones, ordinamenta seu statuta & singulares vel singularia, intra se habere approbatas, vel non per Prædecessorem nostrum quemcunque, infra mensem a pubblicatione præsentis Constitutionis nobis vel nostro Vicario ipsas repræsentare teneantur, ut eas approbare vel reprobare possimus, pro ut de jure fuerit faciendum. Aliter ipsas ex nunc revocamus, & cassamus, & eas vel ea cassas, revocatas, & irritas esse censemus.

Item statuimus, & ordinamus, quod in qualibet Collegiata seu Conventuali Ecclesia nobis ordinaria jurisdictione subjecta cujuscumque status, seu conditionis existat, certus, & determinatus esse debeat numerus Canonicorum, Monacorum, Monialium, & omnium in divinis deservientium in eisdem juxta facultates Cui constitutioni addicimus, quod in nulla earumdem aliquis audeat vel præsumat constitutionem facere sine nostra licentia speciali Quod si secus attentatum fuerit in libr. XXV. sp sit condemnatus. Subditus autem a perceptione fructuum beneficii seu prælationis ipsius per quatuor menses continuos sit suspensus.

Item, quia dolus nemini debeat patrocinium impertiri, statuimus, & ordinamus, quod nullus a nobis vel Vicario nostro per subreptionem audeat litteras impetrare: vel beneficii seu prælationis ipsius per quatuor menses continuos sit suspensus.

Item, quia dolus, & fraus nemini debent patrocinium impartiri, statuimus, & ordinamus, quod nullus a nobis vel Vicario nostro per surreptionem audeat litteras impetrare: ut beneficium aliquod non facta mentione de jure quod alius obtineat in eodem. Et si secus actum fuerit ipso jure decernimus irritum, & inane. Impetrantes vero sive impetrantem hujus in libr. XXV. sp. pro vice qualibet condemnamus. Addentes nihilominus, quod executores, & delegati a nobis super prædictis, & aliis, in quibus a nobis vel a nostris vices tenentibus ordinarentur, vel deputarentur, modum executionis & delegationis excedere non attentent. Contrarium facientes, damna & interesse partis læsæ satisfacere compellantur. Et nihilominus prout facti excessus exegerit nostro arbitrio puniantur.

De Electione.

ANNO CHRISTI 1346.

Quoniam per indiscretam electionem frequentem indiget ut forensem jurisdictionem eludant, & debitam pro eorum delictis ultionem evadant, & non ut Deo serviant, sed ut secularia onera faciunt se recipi in Ecclesiarum, Monasteriorum, & Hospitalium Canonicos, Clericos, Præbendatos vel Conversos, & ob quod Clericali honestati detrahitur plurimum & honori, statuimus, ut nullum Capitulum, vel Conventus, seu Rector Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium subjectorum nobis deinceps tales scienter ob causas prædictas eligere vel recipere præsumant in B Canonicos, Clericos, Præbendatos, vel Conversos, aut familiares perpetuos. Quod si secus actum fuerit, sit irritum ipso jure. Eligentes vero in Florentinos X. aureos pro vice qualibet sint condemnati. Electi autem præsidio Ecclesiastico sint privati. Et nihilominus nostro arbitrio puniantur.

Item, quia sub ovina pelle, & pastoris specie in ovile ovium quandoque lupus ingreditur, quod contingit, quando aliquis apostata, vel alia inhabilitate intectus ad dignitatem, vel beneficium curatum assumitur. Statuimus, & ordinamus, ne animæ fidelium, curæ nostræ submissæ propter inhabilitatem pastoris eorum damnabiliter concludantur, quod personæ tales ad di- C gnitatem vel curatum beneficium nullatenus assumantur. Et volentes agrum dominicum nostræ culturæ commissum vepribus expiare, præcipimus, & nihilominus canonica monitione præmissa monemus, quatenus omnes & singuli Prælati & Rectores Ecclesiarum, quibus cura imminet animarum, & omnes alii Clerici in aliqua Ecclesia beneficia quæcumque obtinentes in Civitate, & Diœcesi Florentina, infra duos menses, postquam per nos vel nostrum Vicarium legitime moniti fuerint, de eorum titulis, & omni jure quod in dictis Ecclesiis obtinent, nobis plenam fidem facere teneantur: huic N. constitutioni adjungentes, quod nullus prælatus, vel Rector Ecclesiarum dictarum in Cappella- D num apostatam alicujus Ordinis, maxime Mendicantium, retinere audeat ad confessiones audiendas, & Ecclesiastica Sacramenta præbenda: cum tales apostatæ jure prohibente non possint absolvere, vel ligare. Contra facientes vero, & non facientes nobis infra dictum terminum de eorum titulis & viribus plenam fidem, ipso facto de eorum beneficiis sint privati. Tales vero recipientes apostatas pro vice qualibet in libr. denariis nostræ cameræ applicandis condemnamus. Et nihilominus si qui tales sunt recepti, infra mensem abjici debeant sub pœna consimili per Rectores, qui recipiendo tales taliter delinquerent. Ab hac autem tituli ostensione excipimus Canonicos nostræ Cathedralis E Ecclesiæ in beneficiis quibuscumque.

Ad tollendum execrabilis ambitionis vitium, quod hactenus in Civitate, & Diœcesi Florentina damnabiliter pullulavit: in eo quod quidam iniquitatis filii cupientes se vel alios ad Ecclesiastica beneficia promoveri, cum ipsi, vel illi sint inhabiles ad eadem obtinenda, eligi alios vel promoveri procurant ad illam cum conventione damnabili, ut certam portionem, immo prædam potius recipiant ab hujusmodi institutis & cum Ecclesiastica beneficia debeant sine diminutione conferri: & præfata conventio fieri non possit sine scrupulo symoniacæ

labis,

ANNO CHRISTI 1346.

labis, monemus, & peremptorie, & præsenti constitutione districtius prohibemus, ne alia Ecclesiastica Persona vel secularis tales calliditates, & fraudes per se vel alium seu alios deinceps patrare acceptent. Et quod nullus beneficia hujusmodi sic nequiter per subreptionis astutiam procurata recipere quovis modo præsumat. Contrarium vero facientes dictis Beneficiis sint privati, & ad restitutionem omnium quæ perceperunt ex eis teneantur: & aliter nostro arbitrio puniantur. Præmissis addentes, quod instituti in Ecclesiis, seu positi quovis modo, Procuratores & non domini Ecclesiasticorum bonorum dicantur: & eis bonorum hujusmodi sit alienatio interdicta improbe facta. Quod non advertentes ipsi iniquitatis filii exquisitis fraudibus mentientes, causas invenire nituntur, ut de rebus Ecclesiarum damnabiliter paciscantur. Decernimus, ut nullus de rebus Ecclesiarum immobilibus vel juribus earumdem sine nostra licentia speciali præsumat transigere, vel in fraudem paciscì. Contractus vero in contrarium celebratos juribus vacuamus: & Clericos sic contrahentes nostro arbitrio relinquimus puniendos.

Ecclesiarum omnium felicissima incrementa in paternæ charitatis visceribus amplectentes, requirimus & hortamur in Domino cunctos nostræ Civitatis, & Diœcesis & Capitula earum, quantumcumque Ecclesiarum suarum utilitate pensata comuni præhabito diligenti tractatu, Camerarium de gremio ejusdem Ecclesiæ sibi constituant, prout Deum habentes præ oculis ac commode viderint expedire, ubi olim consuetudo est, quod Camerarius eligatur. In Ecclesia autem, quarum Prælati, vel Prælatæ circa prædictas administrationes minus idonei reputantur ad requisitionem Capituli de Camerario de ejusdem Ecclesiæ gremio constituendo in eis decernimus per nos libere providendum. Intendimus quidem, quod Camerarius sive Cameraria de consilio, & conscientia sui Prælati suum gerat officium: & in eadem Ecclesia continuam residentiam facere teneantur. Quorum Camerariorum officium duret per unum annum & maxime singulis sex mensibus ad requisitionem Prælati, vel plures, si eidem Prælato videbitur expedire, rationem reddere teneantur. Hanc N. nostram constitutionem extendi volumus ad omnes Ecclesias collegiatas & ad Monasteria, sive Monacorum sive Monialium existant.

De Renuntiationibus.

Quia nonnunquam per metum, violentiam, & extorsiones alias multi Prælati, & Rectores Ecclesiarum, & alii Clerici ad sua beneficia renuntiandum compelluntur, & alii indebite in eorum locum substituantur in illis in non modicum præjudicium Ecclesiarum, & periculum maximum Animarum, quibus ex nostri officii debito, quantum cum Deo possumus, remediari volentes, statuimus, & præsenti constitutione mandamus, ut nullus subditus nostræ Civitatis & Diœcesis Florentinæ, cujuscumque dignitatis, seu conditionis existat, prælationem, beneficium, Rectoriam, Canonicam, Præbendam, seu quemcumque locum obtineat in aliqua Ecclesiarum Civitatis, & Diœcesis Florentinæ renuntiare præsumat vel renuntiet alibi quam in manibus nostris vel Deputati a nobis vel in manibus alterius ad quem spectat de jure: de qua renuntiatione infra mensem a die renuntiationis nobis vel nostro Vicario fidem facere teneatur; A notificantes quando vel aliter renuntiatio facta, de jure non tenet. Contrarium vero facientes nostro arbitrio puniantur.

ANNO CHRISTI 1346.

De supplenda negligentia Prælatorum.

Non sine magno scandalo, & damno Prælationum, & Ecclesiarum nobis subjectarum frequenter Capitula a Prælatis in negotiis, & rebus Prælationum & Ecclesiarum hujusmodi inimico seminante Zizania per divisionem procedunt, & quamquam utilia negligunt, & postponunt, quæ non sunt conniventibus oculis sine remedio dimittenda. Et ideo præsentis scripti auctoritate statuimus, quod nullum Capitulum B cujuscumque Prælationis seu Ecclesiarum sine Prælati, sui consensu, & licentia, nisi in casibus a jure permissis, ubi hujusmodi negotia existant comunia, deinceps aliquid agere, seu attentare præsumat. Et quod contra factum fuerit, nullam obtineat firmitatem. Agentes vero contrarium pœna debita prout nobis visum fuerit puniantur.

De temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum.

Cum spiritalia temporalibus digniora debeant per viros sufficientes, & discretos tractari, & ignorantes ab ipsis totaliter prohiberi, ut de insufficientibus fiant sufficientes ad conversandum C in domo Domini; statuimus & ordinamus, quod nullus ad sacrum Ordinem præsentetur per quemquam nisi competentis litteraturæ existat. Nec aliquis Prælatus vel alias subditus noster quicumque cujuscumque ordinis, vel conditionis existat aliquem debilem seu deformem a jure prohibitum, epilepticum vel furiosum, seu insanum, simoniacum vel homicidam, vel non sibi subditum ad Ordines præsentare præsumat. Contrarium vero facientes ab eorum Prælationibus, & officiis ipso facto usque ad nostrum beneplacitum sint suspensi: & taliter ordinati ab executione Ordinum receptorum usque ad dictum beneplacitum modo simili sint suspensi.

D

De Sacra Unctione.

Cum quædam sint spiritalia Pontificali Ordini attributa, statuentes quod Sacramentum Confirmationis in fronte, quod delibutio Chrismatis appellatur, in cujus virtute Sancti Spiritus emanatur infusio, mandamus omnibus Prælatis & Rectoribus Ecclesiarum nobis subjectis, quod hujusmodi Sacramentum conferre non præsumant, nec alia quæ sunt a jure eisdem Pontificibus reservata. Contrarium facientes, præter pœnam juris se ab eorum beneficiis suspensos noverint ad beneplacitum nostrum. Addentes huic nostræ constitutioni, quod parentes ad chrismandum proprios tenere filios non præsumant: E contrarium facientes pro absolutione eorum ad nos per confessores eorum remittantur.

Negligentia vitiorum noverca est in Prælatis, & aliis, quibus animarum cura dimittitur, totaliter detestanda, & idcirco statuimus, & præsenti constitutione mandamus omnibus singulis Prælatis, & aliis Ecclesiarum Rectoribus, quocumque nomine censeantur nobis subjecti quacumque de causa, quibus cura imminet animarum, quod in Sacramentis Ecclesiasticis exhibendis, quæ reverenter suscepta, ipsorum effectus non solum est animæ medicina, sed corporibus tribuant sanitatem specialiter necessita

tis

ANNO CHRISTI 1346.

tis articulo imminente, proviso quod articulus non fingatur, hujusmodi statuta canonica inviolabiliter debeant observare, & se ad prædicta exhibenda, cum exhibenda fuerint, reddant sollicitos & attentos, addentes quod si quisquam Parochianorum prædictorum pro eorum negligentia absque sacramentis hujusmodi, vel aliquo eorumdem de hac luce migrare contigerit, sic negligentem pro vice qualibet in florenos aureos X. nostræ Cameræ persolvendis in his scriptis præsentibus condemnamus.

De Officio Custodis.

Cum ab inferioribus Superioribus debita reverentia debeatur, volumus, & mandamus, quod in sabbato magno Paschali in Civitate, & Plebatu S. Johannis Florentini, nullius attempetur per quemquam campanæ pulsatio, priusquam Ecclesiæ Cathedralis campanas sonantes audierint. Eumdem quoque honorem suis Plebibus Prioratus ac Capellæ eis subjectæ exhibeant. Contrarium vero facientes pro vice qualibet in libris X. nostræ cameræ persolvendis ipso facto condemnati existant. Per præmissa autem non intendimus alicui Ecclesiæ vel Personis in suis juribus vel consuetudinibus derogare. Addentes præmissis, quod nullus Prælatus vel Rector Ecclesiarum in sua Prælatura vel Rectoria Vicarium perpetuum vel temporalem sibi substituat absque nostra licentia speciali. Quod si secus actum fuerit, ipso jure non teneat, & attentans nostro arbitrio puniatur.

Juris ordinem imitantes, ut unicuique sua jurisdictio conservetur, statuimus & præsentis scripti ordinamus tenore, ne quisquam Prælatus seu quævis Ecclesiastica Persona cujuscumque Dignitatis, status aut conditionis existat, directe vel indirecte in Ecclesiis & locis nobis subjectis aliquod quod ad jurisdictionem, Ordinem, & officium nostrum Episcopale pertineat sine nostra speciali licentia scienter statuere, ordinare vel exercere præsumat. Contrarium facientes, seu consentientes a perceptione fructuum beneficii quod obtinet, seu præbendæ in loco ubi deliquerit ipso facto privatus & suspensus existat per annum, & fructus hujusmodi in ejusdem loci ad nostram ordinationem expendantur, & eo ipso quod egerit sit irritum, & inane: per præsentem tamen constitutionem non intendimus derogare jurisdictioni nostris subditis vel alicui ipsorum competenti de jure vel de consuetudine jam præscripta.

De majoritate, & obedientia.

Provisione dispositionis supernæ in jure ordine comprobatur gradus diversos & ordines esse distinctos, ut debitam reverentiam inferiores & minores superioribus & majoribus exhibere & impendere teneantur. Idcirco præsenti constitutione firmamus, quod omnes & singuli Clerici cujuscumque dignitatis seu conditionis existant, qui administrationem alicujus Ecclesiæ vel Ecclesiastici beneficii assumpti sunt, vel assumentur in posterum qui nobis vel alteri pro nobis aut Prædecessoribus nostris obedientiam non fecerunt, ut tenentur, nec solitum juramentum secundum canonica instituta præstiterunt, infra duos menses obedientiam ipsam facere & juramentum præstare hujusmodi teneantur a nobis recepturi informationem super administratione Ecclesiarum, & beneficii memorati. Hi vero qui hanc constitutionem neglexerint adimplere, eo ipso a perceptione fructuum beneficii quod obtinent sint suspensi quousque supradicta curaverint adimplere. Fructus autem prædicti suspensione durante per nos vel alium nomine nostro in utilitatem dicti beneficii convertantur; & sic inobedientes aliter nostro arbitrio puniantur.

Item statuimus, quod nullus Rector Ecclesiarum ad horas Canonicas cum Divina fuerint celebranda præsumat pulsare, nisi prius pulsatione facta in nostra Ecclesia Cathedrali in Diœcesi & Comitatu nostro pulsatione audita in Ecclesia, quæ in majori veneratione teneatur. Si vero adeo plebi sit remota, quod Clerici pulsationem aliarum Ecclesiarum audire non possint, tunc pulsent hora competenti. Et qui contrarium fecerit pro vice qualibet in lib. XX. sp. nostræ cameræ persolvendis condemnatus existat, & in Civitate super prædictis verbo & relationi Sacrestani Ecclesiæ Cathedralis credatur in Diœcesi, sive Comitatu, verbo, & relationi Plebani credatur: per præmissa Religiosis Mendicantibus, & locis exemptis a Sede Apostolica vel auctoritate ipsius volumus in aliquo derogare, nec præjudicium generari. Præmissis addentes, quod omnes Rectores Ecclesiarum, & Prælati earum Civitatis nostræ, & Diœcesis existentes prope Civitatem per tria miliaria, vel infra in Cœna domini ad confectionem Chrismatis, cum in nostra Ecclesia fuerit celebranda, cum cottis venire debeant, & usque ad finem Missæ interesse, & antequam Missa incipiatur. Civitatenses vero simile facere teneantur die sabbati sanctæ Resurrectionis, in Festo B. Johannis Baptistæ, & B. Zenobii, & S. Reparatæ Patronorum nostrorum, quando solemniter celebrantur, juris impedimento cessante, in primis Vesperis & Missa, necnon in secundis Vesperis. Et ne forte per præsentem constitutionem omnes de Ecclesia venire compellant, sufficiat si Prælatus vel sufficientior post Prælatum interfuerit supradictis sub pœna XX. lib. semper pro vice qualibet in quolibet ipsorum non observante prædicta, justo impedimento cessante. Et cuncti omnes teneantur in virtute obedientiæ tam Civitatenses, quam Diœcesanos suos Parochianos ad prædictas Festivitates celebrandas, & coleridas inducere, atque ab omni opere servili Dominicis diebus debeant omnino cessare. Circa autem præmissa consuetudines juri consonas non improbamus.

De Officio Postulantis, & Procuratoris.

Ad removendum fraudes, quæ in causis procurantur, statuimus & districte præcipimus Advocatis, & Procuratoribus, & universis aliis nostræ jurisdictioni subjectis cujuscumque conditionis, & status existant, ut in causis, negotiis, & judiciis justa patrocinia, & consilia præstent, partes non doceant vera negare, vel falsa proponere, maxime contra Ecclesias & pia loca, pupillos etiam, viduas, miserabilesque personas, patrocinia non impendant, sed taliter studeant suum officium exercere, quod pro temporali salario præmium non amittant retributionis æternæ. Et Confessores eorum talium delinquentium eos culpabiles ad nos pro absolutione remittant, cum tales sic graviter delinquentes absolvi non debeant, nisi parti læsæ satisfecerint de interesse. Præmissis quoque addicimus volentes, ubi majora imminent pericula, cautius pro-

ANNO CHRISTI 1346.

providere, quod nullus Clericus, seu Ecclesiastica Persona quæcumque, cujuscumque ordinis, seu conditionis existat nobis subjecta officium procurationis, nonnisi justas causas procurando & patrocinando, assumant. Qui contrarium fecerit in præmissis vel aliquo præmissorum, ipso facto in libris X. sp. nostræ cameræ persolvendis, condemnatus existat; Sacerdotibus vero cunctis qui pro peccato populi penes Altissimum debent orare, ab omni officio procurationis, & advocationis, nisi in casibus a jure permissis vel sine nostra licentia speciali, potestatem interdicimus omni modo. Et si contra hoc salubre statutum prædicti vel aliquis eorum attentaverint in libris XXV. sp. nostræ cameræ persolvendis pro vice qualibet: & quilibet eorum ipso facto condemnati existant, & alias secundum qualitatem delicti nostro puniantur &c.

De alienatione judicii mutandi causa facta.

Lites execrabiles interdictis profanis quanto studio fugere debeant Clerici, nemo sanæ mentis ignorat. Idcirco statuimus, quod hujusmodi lites Clerici nobis subjecti, cujuscumque ordinis seu conditionis existant, aliquatenus, quovis quæsito colore contra Ecclesiam ab Laicis vel ab aliis quibuscumque seu contra bona Ecclesiarum cessas præcipiant actiones, nec etiam quisque Laicus. Alioquin eo ipso jacturam cessæ actionis, & receptæ incurrant, & Clerici hujusmodi pœna pecuniaria, pro ut nobis visum fuerit, puniantur.

De Arbitris.

Cum regiminis nobis commissi nos admoneat, & invitat, ut indemnitati Ecclesiarum, quanta sollicitudine possumus, recurramus, prohibemus igitur, quod nullus Prælatus, Rector, vel Clericus, Capitulum seu Conventus nostræ jurisdictionis, cujuscumque status, Ordinis vel conditionis existant, absque nostro speciali consensu de rebus Ecclesiasticis immobilibus vel thesauris compromissum facere possit. Prælatos contrarium facientes, Capitula, & Conventus XXV. & inferiores X. florenos auri pœna nostræ Cameræ exsolvenda eo ipso constringat, tali contractu carente omni robore firmitatis.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

De Foro competenti.

Nemini sanæ mentis venit in dubium, quod ad Præsidentes pertinet subditos a noxiis quibuscumque prætervare, & ad salutaria quæcumque dirigere juxta posse. Ex his Ecclesiæ Florentinæ Præsidentes effectualiter informati statuimus, quod si quis Clericus vel Laicus personam Ecclesiasticam nobis subjectam voluerit super quacumque re vel negotio convenire, nostrum & non alterius vel superioris nostri judicium, vel examen requirat, si pœnam voluerit effugere, quam per temeritatem si secus egerit infringemus, ex nunc viribus vacuantes in contrarium attentata. Per hoc autem juri vel consuetudini alicujus nec intendimus derogare.

Licet contra statutarios & servantes statuta edita contra Ecclesiasticam libertatem, & Ecclesiasticas Personas, quæ debent eadem immunitate gaudere, a jure sint pœnæ diversæ statutæ, quas per ignorantiam juris taliter delinquentes effugere non possunt: ne tamen sub dissimulatione in eorum præjudicium animarum sic errata valeant pertransire, præsentis scripti tenore statuimus & mandamus omnibus & singulis Prælatis & Clericis Curatis Civitatis, & Diœcesis Florentinæ, quod dictos Statutarios & illa servantes pœnas juris denuntient incurrisse ad hoc populo convocato extra Divinorum celebrationem singulis diebus Nativitatis Domini, Paschæ Resurrectionis, Pentecostes, & Assumptionis Virginis Gloriosæ, quas etiam nos incurrisse & incurrere contra prædicta facientes easdem pœnas declaramus. Prædicti vero Prælati, & Clerici Curati denuntiationibus prædictis saltem semel in anno nobis vel Vicario nostro fidem facere teneantur, sub pena Librarum trium sp. pro quolibet contrafaciente & qualibet vice. Præmissis addentes, quod nullus Clericus, seu Ecclesiastica Persona vel Secularis Clericos & Personas Ecclesiasticas deferentes clericalem habitum & Tonsuram suo Ordini congruentem vel Laicum super causam, quæ specialem expostulat indaginem, trahat vel trahi vel citari faciat vel procuret ad forum vel curiam secularem, nec etiam suos actores directe vel indirecte per se vel alium convenire attentet ad judicium, vel curiam prælibatam, ut per hoc ab incepta in Ecclesiastica Curia cauta resilire compellantur. Alioquin hujusmodi prætumptores, si Laici fuerint, excomunicationis sententiam ipso facto incurrant, si Clerici seu Personæ Ecclesiasticæ in florenis X. aureis nostræ cameræ persolvendis pro qualibet vice & quolibet contrafaciente in his Scriptis sententialiter condemnamus.

Item statuimus, quod quicumque Clericus citari fecerit Laicum ad nostrum judicium, a quo decimam petat, hujus cognitio ad Ecclesiasticum judicium non est dubium pertinere de possessionibus omnibus sitis infra limites suæ Parrochiæ, sive ejus decimationis, vel quocumque alio modo dicat sibi decimas competere de consuetudine vel privilegio speciali, non cogatur offerre: sed juramento exacto per Vicarium ab ipso laico de veritate dicenda procedat sine omni solemnitate & strepitu judiciorum ad compellendum dictum Laicum ad solutionem faciendam hujusmodi decimarum infra spatium decem dierum, & hoc habeat locum tam in præteritis, quam in præsentibus, & futuris, hoc adhibito moderamine, quod si quis alius Clericus se opponat ante præceptum factum ipsi laico, vel saltem pendente termino decem dierum laico assignato ad solutionem faciendam, dicens scilicet Clericus se esse in possessione vel quasi dictam decimam percipiendi, recepto ab ipso juramento, quod malitiose se non opponat, statuatur ei terminus per Vicarium decem dierum & peremptorie, intra quem ostendat se esse in possessione vel quasi dictam decimam percipiendi, & fuisse continue saltem per spatium trium annorum pacifice, & quiete. Demum informata intentione per ipsum recepto super hac recepto ab utraque parte, scilicet petentis, & se opponentis tamquam lite contestata de veritate dicenda admittatur ad probandum de jure suo. Alioquin ad executionem præcepti ipsi Laico facti, vel etiam faciendi, non obstante alicujus oppositione, per dictum Vicarium procedatur, non obstante aliqua constitutione per nos super hoc aliquo tempore edita.

ANNO CHRISTI 1296.

De libelli oblatione.

Finem litibus imponere cupientes, & ut laboribus partium & expensis occurratur, hac præsenti constitutione firmamus, quod in causis quæ inter Clericos & Laicos in nostra Curia ventilantur non excedentibus summam B. C. sp. libellum quisque offerre minime teneatur, sed summarie, sine strepitu & figura judicii per jusjurandum vel alias verisimiles conjecturas possit libere definiri. Si vero inter Clericos tantum usque in quantitatem librarum decem, & ultra vel minus, ut nobis & nostris Officialibus personarum qualitate inspecta videbitur expedire, sine oblatione libelli modo simili terminetur.

De Feriis.

Ut debitus honor, & reverentia Altissimo, & Sanctis suis competens per nostros subditos tribuatur, statuimus, quod diebus feriatis a jure vel consuetudine sicut sunt Patronorum nostrorum Zenobii, & Reparatæ, & aliorum, ab omni causarum strepitu & omni illicito opere abstineri, quibus etiam partibus consentientibus renuntiari non possit. Temporibus autem a jure prohibitis Matrimonium non consumetur, sive Nuptiæ non celebrentur. Contrarium vero facientes, præter pœnas a jure inflictas, pro vice qualibet in libris XX. sp. operi Sanctæ Reparatæ exsolvendis condemnentur.

De Restitutione Spoliatorum.

Cum omnis violentia sit a jure prohibita, eo fortius est prohibenda circa illa quæ Creatoris omnium laudem respiciunt. Et ideirco desiderantes ex incumbendi nobis officio violentiis, & conatibus perversorum quantum possumus obviare, præsenti constitutione duximus statuendum, quod si quisquam nobis subditus Dei timore postposito & officio pietatis abjecto suo beneficio vel Ecclesia propria temeritate aliquem duxerit spoliandum, eo ipso excommunicationis sententia innodatus existat, a qua absolvi non potest nisi restitutione facta plenarie spoliato & eidem de damnis satisfecerit, & expensis.

Item statuimus, quod si quem laicum de quocumque Clerico vel Persona Ecclesiastica coram nobis & nostra Curia super invasionem seu spoliationem alicujus domus seu possessionis non Ecclesiasticæ querelari contigerit, causa ipsa eo ordine, jure, modo & forma & examinari debeat & finiri, quibus fieret inter laicos in seculari Curia Florentina.

De Probationibus.

Veritatem quantum possumus & nobis ex alto conceditur inter nostros subditos illius reverentia quod veritas esse censetur manu tenere & defendere cupientes, & falsitates abjicere & protinus confutare, præsentis scripti tenore statuimus & ordinamus, quod quicumque noster subditus quacumque de causa Clericus, Persona Ecclesiastica vel secularis, cujuscumque ordinis conditionis aut status existat, in causis quæ ventilantur coram nobis & nostra Curia civiliter, vel criminaliter, falsis probationibus quibuscumque seu attestationibus non utatur. Contrarium vero facientes propter infamiam, quam incurrunt in C. Florenis aureis nostræ Cameræ exsolvendis in his scriptis sententialiter condemnamus. Testes vero falsi & Notarii instrumenta falsa conficientes seu scripturam aliam quamcumque, ultra pœnam prædictam in qua ex nunc sententialiter condemnati existant, condemnari & puniri possint prout negotii qualitas exegerit & nobis vel Officialibus nostris videbitur expediri. Mandantes Confessoribus omnium prædictorum, quod eos vel ipsorum aliquem a peccato hujusmodi non absolvant, sed ad nos vel Officiales nostros remittant eosdem. Qui tunc demum absolvantur & non aliter, quando communi, vel parti læsæ, quod vel quam offenderint, de interesse & damno satisfecerint competenter.

De Fide Instrumentorum.

Callidas perversorum astutias compescere intendentes, statuimus & districte prohibemus, ne aliquis nisi nostræ Curiæ juratus existat de actis & actitatis aliquibus in judicio vel extra per nos vel nostrum Vicarium audeat conficere publicum instrumentum, nisi de nostra vel nostri Vicarii processerit voluntate. Adjicientes huic, quod aliquis qui a gravamine vel a sententia putaverit appellandum in absentia judicis seu clanculo, cum ejus præsentiam habere potuerit, non appellet. Mandantes Notariis qui appellationem debent in privata forma redigere, quod copiam appellationis hujusmodi ei, a quo appellatur, relinquant, & ejus responsionem conscribant, si eam tunc facere potuerint antequam a judicio prædicto discedant, ut libertas & veritas in talibus observetur, & petitis in appellatione possit juridice responderi. Et quod sine responsione judicis, a quo appellatur, si eam facere voluerit & fecerit, tunc instrumentum de appellatione interposita non compleant vel restituant appellanti vel alteri pro eo. Contrarium vero facientes, eo ipso Excommunicationis sententia se noverint irretitos, atque instrumentis ipsis fidem decernimus nullatenus adhiberi.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

De Vita, & honestate Clericorum.

Cum regula comunis & justa sit in omnibus observanda, ut per eam quisque informatur, tamquam ducentem ad ordinem, & finem directum, qualiter honestis, & justis inhærere debeat & per illam crescere & in virtutibus ambulare & ab injustis & inhonestis totaliter declinare. Nos ad effectum hujusmodi nostros subditos dirigere & regulare cupientes, præsenti constitutione statuimus & firmamus, quod omnes & singuli Prælati & Rectores Ecclesiarum & alii quicumque Clerici & Personæ Ecclesiasticæ cujuscumque status, dignitatis aut conditionis existentes nostræ Civitatis & Diœcesis Florentinæ, continue habitum clericalem & Tonsuram suo Ordini congruentes, & quod Religiosi habitum suæ Religionis deferant & super aures tondeantur cum tonsura rotunda, ita quod auris tota appareat discooperta. Coronas etiam Religiosi Clerici gestent desuper rasas competentes. Prælati alii & Rectores Ecclesiarum & constituti in sacris per Civitatem cappas, mantellum seu talarem tabarrum cum caputeo ad collum bireto, armitia, sive bernola vel eorum alteras, guarnachias vero clausas etiam portare teneantur,

ANNO CHRISTI 1246

tur, possint etiam crocea uti modo prædicto si A voluerit. Ad Divina autem cum cottis, cappa, vel mantello intersint. Tonsuram autem portent rotundam cum corona desuper competenti, ita quod medietas saltem auris inferior appareat discooperta. Contra facientes in libris sp. III. nostræ Cameræ exsolvendis pro vice qualibet & quolibet eorum condemnamus. Clerici autem in minoribus Ordinibus constituti desuper clausa deferant vestimenta longitudine vel brevitate nimia non notanda, sic tamen quod medietas cruris sit cooperta. Tonsuram vero deferant rotundam cum corona seu clerica decenti & adeo curtam, quod extremitas inferior auris appareat discooperta. Caputea vero vestita deferant vel displicata cum becchettis competentibus inter B humeros pendentes sive distensa. Nullus vero, prædictorum virgatis seu schaccatis viridi seu croceo vel dimidiatis vestibus. Collarecto ultra altitudinem unius pollicis in vestibus utantur. Mercantionibus, tabernis seu negotiationibus secularibus vel enormitatibus eorum ordini a jure prohibitis se non implicent aliqua ratione. Carpitulas perforatas seu gulfiatas vel etiam cordatas non portent. Contra facientes in prædictis vel aliquo prædictorum si constituti in sacris, seculares pro vice qualibet, & quolibet eorum libr. III. sp. nostræ Cameræ exsolvere compellantur; si fuerint Regulares pœna seu pœnitentia arbitrio nostro vel nostri Vicarii imponenda. Si fuerint in minoribus constituti C pœnis, & ordinationibus in sequenti constitutione inflictis.

Quoniam sacrorum Canonum constituta decernunt, ut Clericos a laicis habitus distinguat diversitas, & ipsi Clerici qui in sortem Domini assumuntur suo Ordini congruentem habitum deferant & Tonsuram; idcirco præsentis constitutione monemus pro primo secundo tertio & peremptorio termino & edicto omnes & singulos Clericos & Personas Ecclesiasticas nostræ Civitatis & Diœcesis præsentes & futuros in minoribus constitutos, & dictas personas Ecclesiasticas, quæ secundum eorum ritum vel Ordinem ad recipiendum Ordines non tenentur, quatenus si gaudere volunt privilegio Clericali D habitum & Tonsuram convenientem statui & ordini suo, prout in præcedenti nostra constitutione distinguitur, in dicta Civitate de cetero deferre debeant & portare, & a prohibitis in dicta constitutione & a jure comuni penitus abstinere, & aliter ita honeste incedere, quod ex delatione hujusmodi habitus & Tonsuræ modestia Clericalis vel Regularis ab omnibus videantur, & videntes valeant Clerici reputari. Alioquin quia privilegium meretur amittere, quod permissa sibi abutitur potestate, omnes & singulos Clericos & Personas Ecclesiasticas prædictæ Civitatis & Diœcesis, aut in ipsa undecumque fuerint commorantes, qui habitum, & Tonsuram ut prædicitur portare cessaverint, vel E se implicaverint negotiationibus, enormitatibus, mercantionibus vel tabernis supradictis. Gabellas etiam non emant vel officium gabellarum aliquod quoquo modo directe vel indirecte recipere vel exercere præsumant, nec aliqua alia quæcumque officia cujuscumque Civitatis seu Communis. Et qui sine hujusmodi Tonsura vel habitu turpiter absque manifesta causa, de qua infra octo dies postquam emerserit in nostra Curia fidem facere teneantur. Qui autem inventi fuerunt incedere, seu deliquerunt in prædictis vel aliquo præmissorum, cohercitioni secularis Judicis, de cujus foro ex quo quem gestant habitum se ostendunt penitus relinquentes, statuimus eos per nos & nostram Curiam de cetero non defendi.

Item statuimus, quod quicumque Clericus Regularis vel Secularis seu Persona Ecclesiastica Nobis subjecta quacumque de causa arma portaverit per Civitatem & Diœcesim Florentinam absque licentia speciali vel nostri Vicarii, nisi in itinere constituti seu per loca suspecta contigerit eos ire, pro vice qualibet, si de die fuerit, in libris X. sp. pro quolibet armorum genere offensibilium, defensibilium in B. XL. nostræ Cameræ exsolvendis. Si vero de nocte in Florenis X. aureis modo simili nostræ Cameræ exsolvendis sententialiter condemnamus. Arma perdant & ipsorum pretium in usum pauperum per nos, vel nostrum Vicarium convertatur. Religiosi vero & seculares qui pœna pecuniaria mulctari non possunt, ad tempus per nos vel Vicarium nostrum carceri deputentur, prout justum fuerit visum, & arma perdant, quorum pretium convertatur ut superius est expressum.

Decet Domum Domini cum omni cautela studio, quantum existit possibile, ab omni periculo & scandalo præservare, ac etiam ab omnibus forensibus actibus præcavere, ut in pace & quiete nominis Altissimi & gloriosi ad cujus laudem noscitur dedicata possit horis debitis venerari, & idcirco statuimus & mandamus sub pœna excommunicationis districtius injungentes universis & singulis Prælatis & Rectoribus Ecclesiarum Religiosis, & secularibus aliisque Personis Ecclesiasticis cujuscumque status aut conditionis existant nobis subjectis quacumque de causa, quod Ecclesiarum omnium & Claustrorum ipsarum hostia serratura ferrea cum clavi etiam ferrea immediate post Completorium claudantur in primo sono campanæ Palatii, nec aperiant de nocte nisi necessitatis articulus immineret, vel nisi nocte sancta Nativitatis Domini & aliis temporibus, quibus laici ad Matutinas horas & divina Officia celebrari impedimento cessante de more consueverunt admitti. Præmissis quoque addicimus & prohibemus omnibus & singulis supradictis ne vinum seu quæcumque alia victualia infra scitam Ecclesiarum, seu in domibus ipsarum juxta Ecclesiam vendant, seu vendi per quemquam faciant ad minutum aliqua ratione. Contrarium vero facientes, si Prælati Capitula vel Conventus existant, in libris X. sp. pro vice qualibet. Singuli autem inferiores in soldis C. ejusdem monetæ nostræ Cameræ applicandis condemnamus.

Item statuimus, quod nullus Clericus Religiosus vel secularis nostræ jurisdictioni subjecti ad choreas mulierum vel alios ludos ipsarum vadat nec intersit aliqua ratione. Nullus etiam ipsorum tabernas ingrediatur ad comedendum, vel bibendum, nisi in itinere constitutus. Contrarium vero facientes in præmissis vel aliquo præmissorum pro vice qualibet, quorum quilibet possit esse accusator, in uno floreno aureo nostræ Cameræ exsolvendo condemnatus existat. Cujus condemnationis medietas sit denuntiatoris & nomen ejus in secreto teneatur. Et insuper eis & cuilibet prædictorum interdicimus omnem ludum taxillorum. Idem præcipimus de ludo chartarum in omni loco. Si autem alicubi luserint ad taxillos in quocumque ludo pro vice qualibet in florenis aureis X. nostræ Cameræ exsolvendis condemnati existant; nec in domo, cœmeterio vel Curia seu alibi ludum retineat

ANNO CHRISTI 1246.

tineat sub pœna consimili nostræ Cameræ exsolvenda. Si vero aliquis eorum alicubi ludis interfuerit supradictis, eos in B.C. sp. exsolvendis ut supra sententialiter condemnamus. Quarum condemnationum quarta pars sit denuntiatoris, & ejus nomen in secreto teneatur.

Item statuimus, quod quicumque Clericus, vel aliqua Persona Ecclesiastica quacumque de causa nobis subjecta inventus fuerit de nocte aut in hora suspecta vel loco vel cum personis suspectis, sive etiam aliquando per terram instrumenta musica publice pulsare, vel cum eis cantare præsumpserit, pro qualibet vice in B. XL. sp. nostræ Cameræ exsolvendis condemnatus existat. Si vero ad infirmum vel infirmos evocatus existat, tunc cum lumine & societate decenti incedat, alioquin eadem pœna mulctatus existat. Nunc sit pœna unius floreni cum dimidio.

Habet Sanctorum Patrum regula salutaris, quod Virgines Deo dicandæ Christum eligant sibi sponsum. Decet igitur eas nullis secularium patere conspectibus. Ideoque Clericis, & Religiosis nobis subjectis quacumque de causa districtius inhibemus, ne ad aliquod Monialium Monasterium Civitatis, & Diœcesis Florentinæ sine nostra vel nostri Vicarii aut Visitatoris a nobis dati licentia speciali præsumant accedere ad loquendum, ita qui loquatur eisdem vel alicui earumdem ibidem, nisi fuerint Confessores ad confitendum nunc, vel Prædicatores ad prædicandum solummodo, & Prædicatores in earum Ecclesiis, seu etiam quod causa solemnitatis vel funeris ad ipsa Monasteria fuerint invitati, vel consanguinei in primo vel secundo gradu: quod ipsis consanguineis dumtaxat ad commune locutorium loqui possint. Contrarium vero facientes, si fuerint Clerici seculares, in X. librarum vice qualibet pœna mulctatur a nobis. Si vero Regulares, eo ipso excommunicationem incurrant. Laicis etiam prohibemus sub excommunicationis pœna, ut nullus ad dicta Monasteria ad loquendum cum aliqua Moniali præsumat accedere, vel loquatur ibidem alicui earum sine nostra vel nostri Vicarii licentia speciali, nisi fuerint mercenarii vel operarii opportuni aut consanguinei in primo vel secundo gradu, quod dumtaxat consanguineis ipsis loqui valeant, & tunc in præsentia Abbatissæ vel alterius senioris ad hoc deputatæ ab ea. Intrantes vero mares claustrum Monasteriorum, exceptis mercenariis opportunis & aliis in alia nostra constitutione de Regularibus & transeuntibus ad Religionem contentis sententiam excommunicationis eo ipso incurrant, a qua nequeant absolutionis beneficium promereri, nisi prius libras V. sp. operi Ecclesiæ Florentinæ persolvant. Et Abbatissa teneatur in virtute Obedientiæ denuntiare nobis vel nostro Vicario nomen intrantium contra constitutionem hujusmodi, nostro si in hoc cessaverit arbitrio puniendi. Universi autem familiares nostri tam Clerici, quam laici, qui absque nostra licentia contra fecerint, a familiaritate prædicta sine spe restitutionis noverint se privatos.

Recolendæ memoriæ Domini Fratris Latini dudum Hostiensis & Velletrensis Episcopi, tunc apostolicæ sedis Legati, constitutionem contra Clericos concubinarios editam volentes a Clericis nostræ jurisdictionis inviolabiliter observari, ipsam præsentibus nostris capitulariis duximus inferendam quæ talis est: *Quamvis concubinarios &c.* (a)

ANNO CHRISTI 1246.

Omnem materiam peccandi & causas quantum cum Deo possumus amputare a nostris subditis desiderantes, præsentis constitutione statuimus & ordinamus, quod nullus Clericus seu Ecclesiastica Persona quæcumque Nobis subjecta quacumque de causa aliquas mulieres suspectas cujuscumque conditionis existant seu secum in domo audeant retinere seu continue habitare permittant, nisi forte de illis personis existant, in quibus naturale fœdus nihil fœde permittit criminis suspicari non conversas suspectas faciant vel recipiant. Qui vero mulierem suspectam retinere vel in conversam recipere præsumpserit, in pœna XXV. librarum sp. nostræ Cameræ persolvenda condemnatus existat, & receptio talis conversæ sit irrita & inanis. Huic autem nostræ Constitutioni addicimus pro primo, secundo, & tertio monitionis edicto & termino peremptorio omnes, & singulos supradictos, monentes ne concubinas sive focarias tenere præsumant. Si quis autem concubinam seu focariam de cetero retinere præsumpserit, ipso facto in XXV. florenis aureis nostræ Cameræ persolvendis condemnamus eumdem; quam sententiam in hujusmodi concubinatu persistens per duos menses animo sustinuerit indurato, ad collationem beneficiorum quæ obtinet in Civitate, & Diœcesi Florentina quibus privatis existunt per Constitutionem præcedentem, secundum illam per nos vel nostros Commissarios in hac parte, & per alios ad quos spectat declaramus esse procedendum. Et nihilominus condemnationem prædictam, prout permittitur, solvere teneatur. Si vero sic delinquens Religiosus fuerit, saltem administrative, quod pœna pecuniaria mulctari non potest, in carcerem detrudatur ad nostrum, & Officialium nostrorum arbitrio detinendus.

De Clericis non residentibus.

Nemini venit in dubium Clericis, & Personis Ecclesiasticis beneficia ecclesiastica & ipsorum stipendia conferri & assignari, ut in illis personalem residentiam faciant, & eisdem deserviant in Divinis. Sed quia præsentis temporis malitia nonnullos in tantum seducit, quod non solum in illis non deserviunt, sed bona ipsorum quæcumque per se, quæcumque per alios in illicitos usus convertunt & eisdem cultus divinus minime observatur. Nos vero quia talia conniventibus oculis nullatenus pertransire debemus, remedium apponere cupientes, omnes & singulos Prælatos & Rectores Ecclesiarum Religiosos & Seculares, & quoscumque beneficiatos præsentes, & futuros nostræ Jurisdictioni subjectos, quacumque de causa, cujuscumque conditionis & status existant, curam animarum habentes, pro primo secundo & tertio termino peremptorio & edicto præsentis nostræ constitutionis tenore requirimus, citamus pariter & monemus, quod infra tres menses a publicatione præsentis Constitutionis ad personalem residentiam, & residendum in eo non prælationibus Ecclesiasticis, & beneficiis compareant omni occa-

(a) Lege illam inter eadem Constitutiones supra relatas ad an. 1178.

ANNO CHRISTI

occasione posthabita, & summota, & in eisdem faciant residentiam continuam prout de jure tenentur: vel nobis, seu nostro Vicario fidem faciant quod de nostra, vel alterius qui dandi habuerit potestatem, licentia absentes fuerint a Beneficiis supradictis, in quo casu intendimus per nos, vel nostrum Vicarium providere, ne nullus divinus cultus, & cura debita negligatur. Alioquin omnes, & singulos supradictos non facientes residentiam continuam; vel qui absentes fuerint per duos menses sine nostra licentia speciali & dictis nostris monitionibus, & citationibus non parentes, pœna debita prout nobis videbitur puniemus. Et insuper præmissis duximus adjungendum, volentes quantum possumus juris imitari vestigia, quod omnes Canonici, & alii beneficiati seu Clerici cujuscumque conditionis existant nobis subjecti cathedralis, & omnium aliarum Ecclesiarum collegiatarum, qui divinis officiis, horis, & temporibus consuetis interesse debent, nisi fuerint justo impedimento detenti, omnino interfint. Alioquin quotidianis distributionibus ea vice qua non interfuerint sint ipso facto privati. Ubi autem distributiones non fuerint, si in matutinis, Missa, Vesperis non interfuerint, pro qualibet vice 4. den. prælato solvere teneantur in utilitatem Ecclesiæ convertendos. Quæ distributiones in utilitatem Ecclesiæ expendantur ad nostram ordinationem, vel nostri Vicarii, & aliquo modo ipsi privati petere non possint illas, nec oblata recipere. Quod si secus fuerit attentatum, tam recipientes, quam dantes pro quolibet & vice qualibet in B. X. nostræ Cameræ applicandis condemnamus. Mandantes cuilibet de Ecclesia, in qua præmissis contrarium fuerit attentatum, nobis, vel nostro Vicario infra duos menses post acceptationem hujusmodi sub pœna prædicta debeant nuntiare.

De præbendis, & dignitatibus.

A jure noscitur esse beneficiorum pluralitas in una persona quantumcunque Ecclesiastica reprobata. Et idcirco præsentis constitutione monemus pro 1. 2. 3. termino, & peremptorio omnes, & singulos clericos, & personas Ecclesiasticas nostræ jurisdictioni subjectas, cujuscunque dignitatis, & conditionis existant, plura beneficia Ecclesiastica obtinentes, si talia sint quæ sine dispensatione simul tenere non possint, coram nobis vel nostro Vicario infra duos menses a publicatione præsentis constitutionis numerandos faciant plenam fidem de dispensatione beneficiorum suorum sic obtentorum, cujus vigore illa obtinent. Quod si non fecerint ipsorum beneficiorum privationem a nobis, vel nostro Vicario expectent. Ab hac autem constitutione excipimus canonicos cathedralis Ecclesiæ Florentinæ.

De institutionibus.

Ecclesiarum, & beneficiorum Ecclesiasticorum desiderantes onera removere, statuimus, ut in nulla Ecclesia, seu beneficio, civitate, & Diœcesi florentina nobis subjectis clerici, canonici, vel præbendati ultra quam patiantur prædictorum beneficiorum, & Ecclesiarum facultates assumantur. Et si contrarium fuerit attentatum, illud decernimus ex nunc irritum, & inane, nec aliquis prælatus, seu rector Ecclesiæ secularis, vel regularis de novo in aliqua Ecclesia sibi commissa aliquem clericum apponere audeat sine nostra licentia speciali, cum talia de jure communi ad nos pleno jure dignoscantur. Alioquin quidquid contra præsentem constitutionem fuerit attentatum, decernimus irritum & inane. Quod si forte aliquis de consuetudine, vel de vice ad se spectare talia asseruerit, vel de privilegio speciali, de hoc nobis, vel nostro Vicario infra mensem cum fuerit requisitus fidem plenariam facere teneatur. Alioquin sicut de jure communi ad nos spectant, declaramus ad nos talia pertinere. Præmissis quoque ad cautelam addentes prohibemus, ne aliquis prælatus, vel Rector Ecclesiarum, seu beneficiorum prædictorum in eisdem ad nostram collationem, institutionem, seu provisionem spectantibus canonicum, clericum beneficiatum, seu conversum, vel etiam perpetuum familiarem facere quoquo modo præsumat. Quod si contra præsumptum fuerit, taliter præsumpta omnino viribus vacuamus, & eosdem præsumptores, & eorum quemlibet contrarium facientes pro vice qualibet in XXV. flor. aureis Cameræ nostræ persolvendis condemnamus, præcipientes ipsis prælatis, & rectoribus dictarum Ecclesiarum, & beneficiorum, quod cum fuerint præquisiti nobis, vel nostro Vicario cum juramenti præstatione canonicorum clericorum, beneficiatorum, conversorum, seu perpetuorum familiarium numerum in ipsis, & omnes redditus, & proventus beneficiorum, & Ecclesiarum ipsarum, quas possident, assignare procurent. Alioquin simili modo eos, & eorum singulos in præfatam pœnam condemnamus; præfatam autem constitutionem extendi volumus ad præterita, præsentia, & futura. Quoniam ex mutatione Prælatorum & Rectorum, ac Clericorum Ecclesiarum, & beneficiorum, & piorum locorum nobis subjectorum bona, & res dissipantur, & turpiter in usus impios frequenter expenduntur, talibus abusibus damnosis obviare volentes, & utilitati Ecclesiarum, & beneficiorum prædictorum quantum nobis est possibile providere statuimus, & præsentis scripti tenore firmamus, quod omnes, & singuli prælati, rectores, & clerici Ecclesiarum, & beneficiorum, ac piorum locorum hujusmodi cum ipsos infirmari contigerit infra tres dies post infirmationem hujusmodi in præsentia notarii, & testium, capituli, & conventus ubi fuerit capitulum, & conventus de omnibus rebus mobilibus, & immobilibus, thesauris, & ornamentis Ecclesiæ sufficientibus adhibitis testibus inventarium conficere teneantur, de quo fiant duo publica instrumenta: unum futurum successori, & aliud nobis, vel nostro Vicario assignandum. Et illud idem intelligimus observandum in permutantibus, cedentibus, vel renuntiantibus, vel translatis, seu quocunque modo, vel caussa privatis, volentes quod bona hujusmodi personæ seu personis non suspectis custodienda, sicut in inventario conscripta erunt, assignentur, restituenda postmodum integraliter futuro successori cum instrumento publico sicut in dicto inventario contineri apparebit. Contrarium vero facientes, si per mortem, careant Ecclesiastica sepultura, & si per modos superius expressos, vel alios quoscunque beneficia hujusmodi vel Ecclesias dimittentes, & non observantes prædicta in XXV. flor. aureis nostræ Cameræ persolvendis pro quolibet & vice qualibet ipso facto condemnamus. Et nihilominus omni mora sublata vacationem hujusmodi

ANNO CHRISTI 1246.

ANNO CHRISTI 1246.

di, si tale beneficium, vel Ecclesia ad nostram collationem pertinet, nobis, vel nostro Vicario intimare procurent, qui in Ecclesia sic vacante remanserint, vel custodes bonorum sub pœna nostro arbitrio auferenda.

De rebus Ecclesiasticis alienandis, vel non Magistra efficaci rerum experientia informati didicimus, nonnullos per ingratitudinis vitium ambulare, malum pro bono reddere, nullatenus formidantes, Ecclesiarum, & beneficiorum, quorum fulgent honore, bona distrahunt, dissipant, & quod fortius est verendum, ipsa beneficia, & Ecclesias per fraudes exquisitas, & bona laicis submittere non verentur; idcirco concilium Lugdunense a Gregorio decimo editum exequentes, & prædictis occurrere quantum possumus cupientes, statuimus, præcipimus, & mandamus universis, & singulis prælatis, & rectoribus hospitalariis, & personis Ecclesiasticis quibuscumque nobis subjectis quacunque de causa, ne in casibus eis a jure prohibitis ecclesias, monasteria, hospitalia seu quævis loca sibi commissa, vel bona immobilia, seu jura ipsorum laicis submittant, subjiciant seu supponant quoquo modo. Ac etiam prohibemus, quod jura spiritalia, vel temporalia, thesauros, seu ornamenta Ecclesiarum suarum, monasteriorum, hospitalium, seu aliorum locorum ecclesiasticorum quocunque nomine nuncupentur, vendant, distrahant, pignorent, seu quocumque alienationis titulo alienent sine nostra licentia speciali. Si qui autem hujusmodi constitutionis nostræ in totum, vel inpartem transgressores existent, si prælatus, capitulum, vel conventus fuerit, in XXV. flor. aureis, si rector in X. vel alius quicunque de prædictis pœna se noverit condemnatum nostræ Cameræ persolvenda, & contractus super hoc taliter irritus sit ipso jure. Emptores, & receptores, vel quoscunque alios creditores cujuscunque status, vel conditionis existant, si contra præsentem constitutionem aliquid acceptandum ipso facto sententiam excommunicationis incurrant. Præmissis & cuilibet eorum in virtute Sanctæ obedientiæ præsenti constitutione duximus injungendum, quod in eorum ecclesiis libros aptos ad legendum, & cantandum habeant, & qui non habent, habere procurent infra sex menses a publicatione constitutionis præsentis, & etiam paramenta, & alia ornamenta ad divinum cultum spectantia. Libri autem dissoluti, & incompositi ligentur, reparentur, & corrigantur, maxime missalia, & talia in loco debito conserventur, & cum illa nos vel noster Vicarius videre voluerimus ostendantur sub pœna nostro arbitrio inferenda.

Fraudibus, quæ maxime in mortem prælatorum & rectorum quorumcumque, in præjudicium, & gravamen ecclesiarum, beneficiorum Ecclesiasticorum, piorum locorum tempore mortis ipsorum, cum tunc corporis libertatem, & mentis integritatem non habeant, remediari volentes, per nostram præsentem constitutionem revocamus, cassamus, & irritamus, ac etiam annullamus, & revocatas, cassas, irritas, & annullatas nuntiamus, & decernimus omnes venditiones, pignorationes, livella, infeudationes, donationes, quitantias, & liberationes omnes jurium, & bonorum omnium, quorum administratio prælatis competit in mortem per decem dies ante, seu in vita factas quandocumque concessas, & habitas. Et institutiones Ecclesiarum, sectiones, vel uniones earum, potissime per bonæ memoriæ dominum Antonium Ep. flor. seu alium quemcumque prædecessorem nostrum de Ecclesiasticis rebus mobilibus, & immobilibus, juribus & actionibus quibuscumque in prejudicium nostrum & damnum Episcopatus & Ecclesiæ Florentinę quibuscumque Personis Religiosis, Clericis, vel Laicis contra justitiam celebratas per ipsum vel alium quemcumque prędecessorem nostrum seu alium vel alio nomine eorumdem: & omnia talia bona mobilia, & immobilia Ecclesiæ jura & actiones quorumcumque nomine censeantur in his scriptis pronuntiamus ad dictam Ecclesiam Florentinam & nos libere disponendi, ordinandi, providendi de ipsis secundum justitiam, potestatem devolutam in re cujuscumque, contrario non obstante totaliter, & integre existente, non intendentes per præmissa alicui præjudicari in jure quod haberet in præmissis.

Item districte statuimus & mandamus, ac etiam prohibemus, ne quis Clericus seu Persona Ecclesiastica cujuscumque conditionis & status existat nostrę jurisdictioni subiectus dolose & simulate quocumque modo, ut commissam sibi Ecclesiam defraudet de bonis habitis, contemplatione ipsius Ecclesiæ emat, vel emi faciat in fraudem quascumque possessiones vel bona per se vel alios nomine filiorum, vel aliorum. Si quæ vero possessiones & bona reperta fuerint taliter acquisita, ipsi Ecclesiæ, quæ sic noscitur esse lęsa, & nunc censemus quoad possessionem, & proprietatem libere pertinere & ei adjudicari debere. Et nihilominus eosdem sic in fraudem delinquentes nostro, vel nostri Vicarii arbitrio relinquimus puniendos.

In nomine Domini Amen. Ad cautelam pręsentium, & memoriam futurorum. Succensi velut ignis impietas usque adeo deviat suorum consilium possessorum, quod solem Justitiæ respicere nequeuntes, nec ipsi Deo datori bonorum omnium reverentiam, nec Ecclesiis, & Personis Ecclesiasticis deferunt, a quibus noscuntur gratuita beneficia percepisse. Sane sic prędicat communis relatio & facti evidentia notoria plenius manifestat, nonnulli iniquitatis filii, cum deformis temeritatis audacia res & bona mobilia, & immobilia Episcopatus Florentini in tantum subtraxerunt, rapuerunt ac etiam invaserunt, quod fere certa consideratione ad nihilum sunt redacta. Ne igitur per impietatis audaciam fiant qui nequam sunt nequiores, cum quędam sint culpę, in quibus culpa est relaxare vindictam, maxime circa illos, qui bona & jura Ecclesiastica subripiunt, invadunt, & occupant juxta Apostolum cupientes omnem ulcisci & Ecclesiarum commodis providere; Nos Fr. Angelus Dei & Apostolicę Sedis gratia Episc. Florent. præsenti constitutione monemus omnes & singulos Religiosos Clericos & Personas Ecclesiasticas, necnon Laicos mares & feminas cujuscumque conditionis & status existant nostrę jurisdictioni quacumque de causa subjectos, quos per pręsentem Constitutionem tantum ligari volumus & teneri, qui de bonis mobilibus, & immobilibus & juribus Episcopatus Florentini subtraxerint, detinuerint, detinent, & occultant V. G. ornamenta, paramenta, Cruces, Mitras, Libros, argentum, gemmas, annulos, privilegia, instrumenta, protocolla, pannos lini & lanę, equos, pecuniam, lectos, Segetes, & nonnulla alia bona mobilia & immobilia & res alias, & masseritias, supellectilia, fructus bonorum & possessiones dicti Episcopatus, & quęcumque bona dictæ Ecclesiæ debita, necnon & ocultantes dicta bona & res: & malefactores prædictos, ac prestantes eisdem con-

☞ consilium, auxilium, vel favorem, quatenus infra XXX. dies a publicatione præsentis constitutionis numerandos prædictas res & bona nostro Camerario & Cameræ restituant, reddant & reassignent cum effectu. Si autem prædicta bona & res haberi non possent extimationem ipsorum bonorum mobilium tantum omni fraude & dolo remotis persolvant in termino supradicto, scientes vero dictos malefactores revelent, eis ulterius auxilium non præstando, quem terminum triginta dierum eis pro primo, secundo, & tertio termino & peremptorio præmissa monitione canonica assignamus. Alioquin ex nunc prout ex tunc omnes prædictos & scientes, & non revelantes & quemlibet prædictorum publice in his scriptis sententialiter excommunicationis vinculo innodamus, & eos a cœtu fidelium, & ab omni actu legitimo removemus. Clericos autem & Personas Ecclesiasticas tanquam magis delinquentes qui fuerint vel erunt culpabiles in prædictis vel aliquo prædictorum præter pœnam prædictam, tamquam perjuros ab eorum beneficiis usque ad satisfactionem & mendam integram duximus suspendendos: & qui in futuro a promotione tamquam infames & perjurii crimine irretiti habeantur indigni. Præsentem autem, constitutionem, ne pretextu ignorantiæ quisquam se valeat excusare, volumus per nostros subditos semel ad minus singulis duobus mensibus publicari in eorum Ecclesiis populo convocato.

ANNO CHRISTI 1346.

De emptione, & venditione.

Clamosa insinuatione referente præcipimus, quod nonnulli Clerici Ecclesiasticique Personæ nobis subiectæ multas malitias adinvenire conantur, ut tam communes quam speciales personas per instrumenta fictitia, & simulata, possessiones & bona & terras alias emere, acquirere & illa defendere multis fraudibus & modis præsumunt. Nos autem prædictis fraudibus obviare volentes, statuimus, ne quisquam de prædictis personis docere & talia attentare præsumat. Quod si secus ausi fuerint attentare, eos & ipsorum quemlibet pro vice qualibet in XXV. libris sp. condemnamus, cujus medietas in commune florentinum, quod sic contrahendo lesit vel alteri universitati seu personæ lesæ, & alia medietas nostræ Camerę ex nunc ipso jure applicata existat. Et talis emptio, seu contractus sit irritus ipso jure. Et insuper prædictis & ipsorum cuilibet expresse prohibemus, quod de rebus, fructibus, redditibus & proventibus Ecclesiarum & beneficiorum, quibus præesse noscuntur suo proprio nomine vel etiam alieno, præterquam suæ Ecclesiæ vel etiam beneficii ad utilitatem propriam vel alterius emere possint vel terras nullatenus præsumant. Alioquin possessiones & terræ sic empte ad ipsam Ecclesiam vel beneficium libere revertantur, & præsumptiones hujusmodi prædictis beneficiis vel Ecclesiis, quas laeserunt per nos vel nostrum Vicarium protinus amoveantur. Hanc autem constitutionem extendi volumus ad illos, qui suos fructus non faciunt de jure comuni.

Habet aliquorum mordax & effrenata cupiditas modos effrenatos & usus sacrilegos qui exquisitis fraudibus, & dolosis adinventionibus sub palliamento diversorum contractuum bona nostri Episcopatus & Canonicę Florentinę non sine ipsorum gravi periculo Animarum, & dicti Episcopatus non modico detrimento invadere, occupare ac etiam detinere, quod nonnulli etiam iniquitatis filii de bonis aliarum Ecclesiarum & piorum locorum, Civitatis & Diœcesis Florentinę facere non formidant. Nos volentes animarum subditorum nostrorum providere saluti & indemnitati Episcopatus & Canonicę, & aliarum Ecclesiarum, locorum piorum prædictorum, salubri obviare remedio, statuimus districtius inhibentes universis & singulis Florentinæ Civitatis, & Diœcesis cujuscumque status vel conditionis existant nobis quoquo modo subjectis eos pro peremptorio termino & edicto moventes a fidelibus emphitheotariis, feudatariis, conductoribus seu colonis nostri Episcopatus, & Canonicę, vel aliis quibuscumque de rebus immobilibus seu juribus quæ a nobis vel Episcopatu nostro seu Canonica Florentina qualitercumque tenent, noscuntur, quidquam emant, vel sub pignore recipiant, vel alium quemcumque contractum ineant super eis omnibus, quę nostris & Canonicę fidelibus Vassallis, & aliis supradictis, districte præcipimus, & mandamus, ne ipsi vel eorum aliquis venditionis, permutationis, conductionis, vel quovis alio titulo ea quæ tenent a nobis vel nostro Episcopatu seu Canonica vel alia quacumque Ecclesia in alium transferre præsumant vel & pignori obbligare. Nos N. contractus hujusmodi ex nunc juribus eo ipso carere decernimus, & nihilominus contrahentes excommunicationis vinculo innodamus: alias autem venditiones, infeudationes de novo, pignorationes & alienationes quascumque factas de possessionibus, & bonis immobilibus alicujus Ecclesiæ seu pii loci dictarum Civitatis, & Diœcesis sine superiorum nostrorum, nostra vel Prædecessorum nostrorum licentia & auctoritate legitima, & contractus super illis celebratos cassamus, irritamus, & nullius firmitatis existere declaramus, præcipientes omnibus & singulis Prælatis, & Rectoribus Ecclesiarum & piorum locorum prædictorum, quod ad bona, & possessiones hujusmodi sic distractas recuperandum, & ad jus & proprietatem Ecclesiarum & piorum locorum prædictorum revocandum dent operam & opus cum effectu, quousque eadem bona & possessiones extiterint, ut premittitur, recuperata. Et volumus, quod ipsi & eorum quilibet infra mensem post publicationem præsentis Constitutionis nobis vel nostro Vicario dicta bona, & possessiones sic alienata in scriptis debeant exhibere. Alioquin contrarium facientes in X. libris sp. nostræ Cameræ persolvendis condemnamus pro vice qualibet, & possessione qualibet, & ad prosecutionem negotii nihilominus teneantur. Hanc autem constitutionem, & in ea contenta non tantum ad preterita extendi volumus, sed etiam ad futura.

ANNO CHRISTI 1346.

Item non solum peccata sed omnem speciem peccati compescere cupientes, volumus & imphitheotariis omnibus sub excommunicationis pœna mandamus, quod in vendendo vel emendo veterem ceram legem communem non offendant, declarantes eos legem communem offendere statuendo, seu ordinando de certo pretio & non ultra veterem ceram emendo vel vendendo, & quia oblationes reverenter exhibitę non cum vana gloria fidelium Deum placant, floritos cericulos per quoscumque Civitatis, & Diœcesis Florentinæ sub eadem pœna fieri & offerri de cætero prohibemus. Ceteros autem, quos prædicta occasione receperint, teneantur Ecclesiæ destinare, & non alios. Ad sententiam hujusmodi promulgandam processuri, si ipsos

☞ sos vel eorum aliquem invenerimus delinquentem.

ANNO CHRISTI 1346.

Omnem materiam damni & periculi ab Ecclesiis nobis subjectis & aliis piis locis quantum possumus precidere cupientes, statuimus, quod nullus locare debeat possessionem Ecclesiæ, Monasterii, Hospitalis seu cujuscumque pii loci vel Religiosi ultra quinquennium absque nostra, vel nostri Vicarii licentia speciali sub pœna X. Florenorum aureorum Prælato & Vicerectori auferenda in contrarium facienti, & contractus hujusmodi nullius valoris existat. Potentioribus autem, & magnatibus nullo modo locari liceat sine nostra licentia speciali: alioquin contractus hujusmodi nullius firmitatis existant: & locans cujuscumque conditionis existat modo B simili in X. Florenis auri puniatur.

Universaliter comodis Ecclesiarum nostrarum assidue vigilanti studio & cura nobis commissa Sacrorum docent canonum instituta invigilare profectibus: sed Episcopatus nostri comoda cura nos docet attollere, & a noxiis quantum cum Deo possumus præservare. Ea propter omnes, & singulos contractus locationum ad tempus, emphitheotarios & feudales, seu ad longum tempus, quod longum intendimus, si ultra quinquennium extendantur, hactenus irritos per nostros Predecessores vel eorum officiales seu officiales nostros super bonis & rebus immobilibus Episcopatus Florentini revocamus, annullamus, & nullos & irritos nuntiamus, salvo quod si C qui contractus irriti apparerent in utilitatem dicti Episcopatus, quod ex nostro volumus pendere arbitrio si utiliter facti fuerint, in sua debeat firmitate manere, & addendo præmissis nostris præcipimus officialibus, quibus locandi officium fuit a nobis commissum, ut in locationibus, pensionibus, & renovationibus feudorum, & emphitheoticis bonorum Episcopalium semper inserant & ex pacto conductores adstringant de non relocando vel distrahendo quocumque titulo rem sibi locatam sub pœna dupli rei locatę: & quod si fiat contrarium, contractus non teneat ipso jure. Et nos ipsi cum locaverimus alicui vere intendimus observare.

De solutionibus.

Ecclesias nobis subjectas ultra debitum prægravari volentes, statuimus, & mandamus, ut nullus Prælatus ultra X. libras, sp. inferior ultra B. C. sp. nomine Ecclesiæ & loci sibi commissi debitum contrahere præsumant sine nostra licentia speciali. Quod si contra hoc quisquam fecerit, contractus non valeat. Si Prælatus fuerit in XX. si inferior in X. florenis auri puniatur nostræ Cameræ applicandis & in plus vel minus quantitate delicti inspecta, prout nobis vel nostro Vicario visum fuerit expedire. Præmissis addentes, ne quisquam Prælatus vel Rector nostræ jurisdictioni subjectus de bonis & rebus Ecclesiæ debita solvant vel exonerent aliorum. Alioquin de beneficio suo tantumdem in evidentem utilitatem ecclesiæ convertant sub pœna nostro arbitrio auferenda.

De Testamentis, & aliis ultimis voluntatibus.

Clarum, & manifestum esse censetur, Clericos administratores, & non dominos esse ecclesiasticorum beneficiorum: & ideo testandi de ipsis vel disponendi jure prohibente, non habent liberam facultatem. Quare prohibemus A expresse Prælatis, & Rectoribus, & commissis ecclesiasticisque personis nobis subjectis facere testamentum, codicillum, vel aliam ultimam voluntatem de bonis supradictis sine nostra licentia speciali, decernentes hujusmodi testamenta, codicillos, seu quasvis ultimas voluntates nullius existere firmitatis.

ANNO CHRISTI 1346.

Æquitatem, & instituta Canonica, ac nostros subditos ad salutem dirigere, & finem debitum ordinare per illa quantum possumus intendimus imitari. Et idcirco cum Prælato superiori tanquam capiti uni subditi debeant respondere ne *dispersi*, idest sine capite videantur: & ne corpora sine capite appareant monstruosa, quod prelatus cum debeat eidem, tum per se, tum per alium, ecclesiastica Sacramenta prebere omnino esse dignoscitur, ut arcana eorum conscientiarum sibi per ultimas dispositiones quas faciunt innotescant, veritatis voce dicente: Nolite sanctum dare canibus: proinde præsentis scripti tenore statuimus, & firmamus, quod quilibet noster subditus, quacumque de causa volens condere testamentum, codicillum, vel aliam ultimam voluntatem, hoc in præsentia faciat proprii Sacerdotis, & per ipsum testatorem indistincte relicta pro anima seu ad pias causas post effectacem ordinationem de restitutione usurarum certarum, vel cautionem ipsarum secundum formam decretalium Gregorii X. & de incertis, ac etiam male abiatis, certis per notarium fideliter conscribantur, quæ indistincte relicta pro anima seu ad pias causas, de quibus &c.

Hic post annum revocet executiones testamentorum ad se.

Item statuimus, & ordinamus, & præsenti constitutione firmamus, quod omnes, & singuli fidei commissarii, & hæredes defunctorum, cujuscumque conditionis, & status existant, constituti, & deputati ad perficiendas, & exequendas pias decedentium voluntates, infra annum a tempore mortis cujuslibet testatoris, vota, & dispositiones eorumdem decedentium præsertim ad pias causas, divinum cultum, & alia ad animarum salutem spectantia teneantur, & debeant D impedimento omnino cessante effectui demandare, nisi testatoris voluntas, altioris vel amplioris temporis spatium ad prædicta, vel aliquod prædictorum exequenda duxerit deputandum. In quo casu propter ultimæ voluntatis favorem, dispositionem cujuscumque testantis volumus firmiter observari. Alioquin ex nunc prout ex tunc præsenti constitutione hujusmodi fidei commissariis, & hæredibus taliter negligentibus in testamentorum executionibus per nos remotis eorumdem executiones per nos complendas, & exequendas ad nostram curam & sollicitudinem revocamus. Volumus insuper, & mandamus sub excommunicationis pœna, quam in contrafacientes ferimus in his scriptis, omnibus, & singulis fidei commissariis, & hæredibus deputatis ad executionem ultimarum voluntatum aliquorum defunctorum, quatenus sine diminutione integraliter vota, & relicta testatoris executioni demandent, nec eis liceat pacisci cum eis, qui ex testamento recipere debent. Non negamus, quod post solutionem integre factam ipsis hæredibus, & fidei commissariis dare, & donare possint quid voluerunt recipientes præfati.

De

ANNO CHRISTI 1346.

De Sepulturis.

Ambitionis detestandæ voraginem, de medio cleri tollere cupientes, prohibemus, quod nullus clericus ad alicujus defuncti exequias non invitatus accedat, nisi pulsetur ad clerum. Et quod nihil pro ministrandis Sacramentis ab aliquo exigi debeat; tamen quod datum fuerit recipiatur benigne. Et quod tempore funeris tumulandi, qui Sacerdotes prælati vel beneficiati non fuerint, cum presbyteris se non debeant immiscere, sed ab eis stare separati debeant sub pœna B. X. sp. mulctandi contrarium attentantes, quos operę majoris ecclesiæ Florentinæ ducimus applicandos, & quod nullus in solutione quam recipit in exequiis defunctorum se asserat fore in majori ordine quam fuerit constitutus pœna simili B. C. contrarium faciens puniendus existat invitandus ut supra.

Item statuimus juris & experientiæ informatione coacti ad hoc ut liber sit stilus testandi, quoniam nihil est quod humano generi magis debeatur, quam libertas de bonis propriis disponendi, quod omnes, & singuli allectionibus, seu inductionibus cujuscumque Religiosi, vel sæcularis cujuscumque status, vel conditionis existat, aliquatenus adhæreat, sive credat in eligendo sepulturam vel legata aliqua facienda. Quod si secus actum fuerit, eo ipso decernimus non tenere, & allectio eo ipso sive inductio pro probata habeatur. Quod per famam publicam, & unum testem fuerit comprobatum. Non tamen intendimus per istam nostram constitutionem ligare ecclesiarum rectores, qui hortabuntur, & admonebunt suos parochianos, ne suas, & antiquorum suorum deferant sepulturas.

Item statuimus districtius prohibentes, ne quisquam Prælatus, Capitulum, vel conventus, rector seu collegium, vel ecclesiastica quęcumque persona sæcularis vel religiosa in sua ecclesia alienum parochianum ad confessiones seu pœnitentias injungendas recipere scienter audeant, vel aliqua ei ecclesiastica Sacramenta sine licentia sui Rectoris de quo credatur confitenti, & Sacramenta recipienti conferre. Nec alicujus defuncti corpus de non sua parochia recipiat, vel permittat tacite vel expresse deferri ad suam Ecclesiam tumulandum, exceptis, qui moriuntur, vel qui jacent in hospitalibus, nisi prius evidenter appareat, quod in ipsa Ecclesia, ad quam recipitur expressim, & motu proprio, & non alterius per publicum instrumentum manu notarii confectum, vel saltem per tres, vel duos testes de populo, ubi degit infirmus, elegerit sepeliri. Alioquin de electa sepultura hujusmodi fides nullatenus habeatur. Quod si contigerit non fieri instrumentum de electione hujusmodi, volumus, quod dicti tres testes, vel duo, priusquam de domo corpus trahatur, vel ante mortem ipsius defuncti, de illis qui in civitate, burgis, vel in subburgis moriuntur, in Diœcesi vero coram Plebano vel ejus Vicario, in cujus parochia corpus hujusmodi debitum naturæ persolvit: de electione hujusmodi fiat plena fides; per hoc tamen ecclesiis, in quibus tales defuncti majores ab antiquo consuevere sepeliri, non intendimus aliquod præjudicium generari. Contrarium vero facientes in prædictis, vel aliquo prædictorum, a perceptione fructuum beneficii sui per annum ipso facto suspendimus per præsentes, qui fructus secundum dispositionem nostram, vel nostri Vicarii in utilitatem dicti beneficii convertantur: quousque nostro arbitrio, vel Vicarii nostri satisfecerint de promissis.

De Parochiis, & aliis Parochianis.

Item statuimus, & ordinamus, quod nullus Rector Ecclesiarum alterius parochianum contradicente proprio sacerdote admittat seu recipiat ad divina, vel Ecclesiastica Sacramenta sine nostra vel nostri Vicarii, vel proprii Sacerdotis licentia speciali. Contrarium vero facientes in XX. B. sp. nostræ Cameræ persolvendis vice qualibet condemnamus, de qua licentia, seu admissione stetur admisso, vel recepto cum proprio juramento.

De Decimis, & primitiis.

Item monemus, & universis, & singulis Laicis peremptorie præcipimus, & mandamus, sub excommunicationis pœna districtius injungentes, quod Sacerdoti, cui de Jure debentur infra quindecim dies post requisitionem ipsius decimas parochiales persolvant. Et qui non fecerint a peccato absolvi non possint, nisi prius satisfecerint de decimis supradictis, processuri nihilominus contra tales ad requisitionem dictorum Sacerdotum, prout nobis videbitur expedire.

De Regularibus, & transeuntibus ad Religionem.

Item quamvis certę pœnæ sint statutæ contra Religiosos proprietarios secundum regulam eis datam, tamen quia parum timentur aliquorum protervia exigente, & contemptu. Igitur crescente contumacia crescere debet & pœna, ne propter facilitatem pœnæ sit ulterius perditio plurimorum; statuimus, ut ab illis Ecclesiis, quibus injuria irrogatur, locis quas obtinent in eisdem perpetuo sint privati. Religiosi vero non portantes habitum secundum regulam eis datam, præter pœnam juris, nostro arbitrio puniantur, & Abbates, & Superiores eorum eosdem de hoc, & ad hoc compellere teneantur. Prohibemus etiam Monachis, & Monialibus habere sigillum, nec non litteras alicui dirigere, nisi illas suis superioribus ostendant. Qui etiam superiores sigillis possint uti propter administrationem quam habent. Addentes prædictis sub pœna excommunicationis mandamus omnibus & singulis Abbatibus, abbatissis, monachis, & monialibus universis nostræ jurisdictioni subjectis, quod singuli in singulis lectis in uno dormitorio dormiant intermediis omnibus omnino remotis, habendo lampadem ardentem de nocte continue horis debitis de die; & de nocte, secundum regulam & ordinem eorum, silentium servent, nullaque sæcularis persona ibidem ad dormiendum admittatur. Quod si aliquis, vel aliqua infirmitate gravabitur, confestim ad domum transmittatur ad usum infirmantium deputatam. In una etiam domo vescantur, silentium observando, nisi forte casus necessitatis per dispositionem suorum superiorum aliud iidem superiores duxerint ordinandum. Eisdem quoque omnia necessaria sit communia. Possint etiam habere duas, vel tres sæculares servientes providas, & discretas. Aliis dispositionibus in eisdem monasteriis circa prædicta, & alia nostro pro beneplacito reservatis.

Item singulis Religiosis, prælatis in virtute San-

ANNO CHRISTI 1346.

Sanctæ obedientiæ, districte præcipimus, & mandamus, ut omni sollicitudine studeant, quod regularis institutio juxta sui Ordinis regulam in suis monasteriis strictius observetur. Ita & taliter quod, cum ad eos accesserimus visitandum, plus inveniamus in eis, quod commendatione, quam correctione sit dignum.

Item præsenti constitutione statuimus, & peremptorio termino, & edicto monemus omnes, & singulos nobis subjectos quacumque de causa, qui deinceps privilegio conversionis gaudere voluerint, ut coram nobis, vel nostro Vicario compareant, & de conversione sua infra XXX. dies plenam fidem faciant, renuntiando expresse cuilibet contractui, seu protestationi factis, quibus objici possit conversionem hujusmodi factam esse, de quibus apud registrum Episcopalis nostræ curiæ scriptura publica debeat remanere, & apud locum sæcularem, vel religiosum, in quo conversionem acceperunt, continuam sententiam facere teneantur, deferentes in publicum habitum Ordini, vel regulæ, seu loco assumpto conformem, nec laicales societates inire, vel officia, seu commercia laicalia, sive publicas factiones exercere præsumant, sed a se prorsus vitent. Alioquin quicumque contrarium acceptantes, tanquam inobedientes, & incorrigibiles, ecclesiasticæ protectionis beneficio decernimus ex nunc esse privatos, salvis aliis pœnis contra tales nostro arbitrio reservatis.

Volentes saluti animarum abbatissarum, & monialium nobis commissarum, quantum cum Deo possumus, providere, statuimus strictius inhibentes, quod nulla abbatissa conventus, vel monialis Civitatis, & Diœcesis Florentinæ capellanum proprium sibi eligant in eorum monasteriis, sed illum a nobis petant, vel nostro Vicario, nisi forte hoc eis competeret de consuetudine, vel privilegio speciali, & tunc non eligant nisi quadragesimum ætatis annum attingentem. Et talem electum nobis præsentare teneantur, & sic electus sine nostra licentia speciali & mandato hujusmodi capellaniam non acceptet. Aliter autem facta electio, nisi ut præmittitur, nullius momenti existat, & ea vice eligentes careant eligendi potestate, & aliter prout nobis visum fuerit puniantur.

Juris ambiguum non existere, melius fore ante casibus occurrere, quam remedium quærere post ruinam, & ne de negligentia in providendo saluti subditorum nostrorum argui valeamus, præsentis scripti tenore statuimus, & firmamus, ut omnia monasteria Civitatis, & Diœcesis Florentinæ. Deo dicatarum mulierum, sic murorum clausurę vallentur, quod nec in divinis officiis, nec aliis quibusvis conversationibus sæcularibus personis moniales hujusmodi possint aliquatenus immisceri, sed ab earum consortio, & clericorum omnium, ac religiosorum maneant separatæ, personis dumtaxat exceptis, & casibus in alia nostra constitutione de vita, & honestate clericorum contentis, & aliis per privilegia eis indulta concessis, & etiam in scriptis. Verum si aliqua soror ægrotans ad cratem venire nequiret, liceat tunc abbatissæ introducere confessorem, ac medicum corporali fama præclaros, queis tres, vel duæ de monialibus, quando loquuntur, assistant; sint tamen, quando constetur infirma, remotę, quod videri possint, non tamen audiri; & tamdiu sic assistentes cum infirma permaneant, donec introducti exierint, potatione, comestatione vel per monasterium deambulatione omnino prohibitis ut illicitis.

Si autem pro reaptandis domibus, vel corporibus tumulandis aliquem oportuerit monaster. intrare, nulla monialis ibi compareat ad loquendum otiose, vel illicite, sed seniores deputentur, quæ prædictis assistant in auxiliis opportunis. Nulli igitur abbatissæ vel subditæ aliter liceat, quam ut supra describitur, aliquem virum in monasterio introducere, seu permittere introduci, cujuscumque conditionis, ordinis, seu status existat. Nec etiam liceat abbatissæ, seu alicui moniali extra portam claustri, vel domorum sine nostra, vel vicarii nostri permissione vel licentia speciali exire, & tunc cum habitu quem gestant in claustro, & societate decenti exeant termino ejus præfixo, e vestigio reversuræ cum sociis, seu socia. Alioquin contrarium in exeundo facientes, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant.

De statu Monachorum.

Ad salutem animarum Religiosorum, & decus morum ipsorum claustra, & monasteria eis deputata esse noscuntur, & sicut piscis non potest vivere extra aquam, ita ipsi relinquentes monasteria, & claustra, & cum sæcularibus habitantes se involvendo minus licitis, & honestis, ad utrumque honorem moriuntur. Nos N. pernitiosis abusibus, & periculis eorumdem obviare volentes, præsentis statuimus scripti tenore, quod nullus religiosus nostræ jurisdictioni subjectus cujuscumque ordinis, vel conditionis existat, extra suum monasterium in Civitate, vel Diœcesi Flor. ad habitandum domum emptionis, locationis, vel gratuitæ concessionis, seu quocumque alio titulo per alium, vel per se præsumat acquirere; alioquin, si per quemquam contrarium fuerit attentatum, proprietas, dominium domus, vel loci taliter acquisiti per ipsum religiosum, vel alium pro nomine Mon. cui religiosus professus applicatus existat, ipso facto ad ipsum libere devolvatur, & monasterium, cujus est Monachus, infra mensem a die qua emerit, vel habitaverit per se, vel alium ad se revocare non omittat. Quod si non fecerit, juri cedat Ecclesiæ Flor. vel Operæ. Et aliter religiosus sic delinquens nostro arbitrio, vel nostri Vicarii puniatur. Præmissis quoque addicimus, quod nullus Clericus sæcularis aliquem religiosum in capellanum, familiarem, servitorem, vel mansionariqm recipiat. Contrarium faciens in pœna X. librarum sp. eo ipso condemnatus existat nostræ cameræ persolvenda, cum monachus sine socio sui ordinis morari non debeat; insuper prohibemus omnibus prælatis, religiosis, & monachis nostræ jurisdictioni subjectis, ne extra monasteria eorum absque nostra, vel nostri Vicarii licentia speciali. Alioquin prælatos per mensem ab administratione bonorum monasterii eorumdem suspendimus eo ipso, monachos autem nostræ voluntati, vel vicarii nostri relinquimus puniendos.

De jure patronatus.

Quod ad defensionis subsidium est inventum, ad depressionis non debet dispendium retorqueri. Patronis igitur ecclesiarum ecclesiasticarum, seu quorumcumque piorum locorum, Civitatis, & Diœcesis Flor. nostræ jurisdictioni subjectis sub excommunicationis pœna districtius inhibemus, ne quisquam ab ipsis locis ecclesiasticis, & ecclesiis, ac piis locis ultra quam vis per-

ANNO CHRISTI 1346.

permittat violenter exigant, vel usurpent, nec in clericos, vel conversos Ecclesiarum, vel locorum hujusmodi manus enormiter injicere temere violentas attentet. Si quis autem contra fecerit, eo ipso jus patronatus amittat, præcipientes, ut nullus patronus, vel pro patrono se gerens per se vel alium impediat, vel minas inferat, vel terrorem verbis, vel factis rectoribus, vel prælatis ecclesiarum, vel quorumvis ecclesiasticorum, seu piorum locorum, quominus in suis ecclesiis, vel ecclesiasticis, seu piis locis libere administrare valeant, & in Divinis officiis deservire. Quod si contra fecerit, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, & a jure patronatus sit ipso jure privatus. Si autem contra hujusmodi prælatos, vel rectores quicquam allegare voluerint, ad nos, vel vicarium nostrum recurrant, de illo justitiæ complementum recepturi. Insuper, quia tria hæc dumtaxat patronos faciunt, scilicet dos, ædificium, & fundus, excommunicationis mucrone percellimus omnes, & singulos clericos, qui in ecclesiis, & locis ecclesiasticis, aut piis locis nobis subjectis malitiose fingentes se patronos, earum provisionibus obstaculum interponunt, salvis aliis pœnis prout nobis visum fuerit infligendis in hujusmodi nostra constitutione in superius dictis omnes, & singulos præsumptores.

De celebratione Missarum.

Et si in Sanctis suis gloriosus Deus collaudetur, cum a fidelibus honoratur, multo fortius in beata, & gloriosa Virgine Genitrice sua. Et ideo ad ipsam Virginem devotissime deprecandam, ut intercedat pro pace, & quiete fidelium, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Civitatis, & Diœcesis Florentinæ monemus, & rogamus omnes, & singulos religiosos, & clericos Civitatis, & Diœcesis præfatæ, tam cathedralis Ecclesiæ, quam alios, quod solemniter hora tertiæ, quando Missa sine impedimento poterit celebrari, die qualibet Missa de B. V. solemniter decantetur, & omnibus, qui de jure potuerint interesse, & qui devote eamdem rogaverint pro pace prædicta, vere pœnitentibus, & confessis XX. dierum de indulgentia auctoritate nostra impertimur.

Item statuimus, quod omnes & singuli laici tam mares, quam feminæ nostræ jurisdictioni subjecti, saltem die Dominica, quando Missa sine impedimento potuerit celebrari, & in statu fuerint, quod possint interesse, integram Missam audiant, & ab omni opere servili diebus Dominicis, & festivis solemnibus cessare debeant, & etiam abstinere, ad quod rectores ecclesiarum prædictos laicos mares, & feminas monere, & inducere teneantur. Alioquin si neglexerint prædicta, vel aliquod prædictorum, eis nuntient eosdem negligentes contrahere peccatum mortale.

Item statuimus, & ordinamus, quod omnes clerici regulares, & sæculares nostræ jurisdictioni subjecti in sacris ordinibus constituti, & alii beneficium habentes omnes horas canonicas dicere debeant sicut de jure tenentur. Et Sacerdotes ad Missas celebrandas non accedant, nisi dixerint matutinum, & primam ante, tam de B. V. quam de die. Nec Missas celebrare præsumant, nisi in consecrato altari, vel cum viatico consecrato condecenti, ut calix, & hostia possint commode retineri; pallas & corporalia munda habeant, & alba sine aliquo colore mixto, & super altari, in quo celebraverint, habeant ad minus tres tobaleas, superiorem saltem benedictam, competentes, & mundas sine macula. Hostiam vero consecrandam habeant de munda farina cum aqua consecta sine aliqua mixtura alia, & vinum solum cum aqua ponant super altari consecrando sine liquore alio, & cum lumine ceræ, quando celebrant Missas debeant celebrare, & hora competenti. Ita quod omne scandalum evitetur, & quod ad Missas celebrandas in mortali peccato nullatenus scienter in contemtum accedant. Alioquin qui contra præmissa, vel aliquod præmissorum præsumpserit attentare, vel præmissa omnia non servaverit, in præsenti nostra constitutione contenta, pro vice qualibet B. XX. sp. nostræ cameræ persolvere teneatur. In quibus præsenti constitut. sententialiter condemnamus. Item statuimus, & ordinamus, quod nullus sacerdos a cornibus altaris alterioribus super aliquem masculum, vel feminam cujuscumque conditionis existat, dum Missam celebrat, nisi unum, vel duos clericos sibi servientes admittat, vel stare permittat, ne circa tamen ministerium dedicatus tantum per multitudinem, vel confusionem gentium ad alia distrahi valeat, vel confundi. Ita quod cum tempus fuerit cautelæ studio tantum conficiat sacramentum. Quod si contrarium per aliquem fuerit attentatum, pro vice qualibet in X. B. sp. nostræ cameræ persolvendis condemnatus existat.

Item quod nullus sacerdos cantet seu celebret Missam bis in die, præterquam in Nativitate D. N. J. C. nisi necessitate urgente a jure expressa, & tunc non purificet, quando oportebit ipsum celebrare iterum. Contrarium facientem, & qui eum admiserit, præter pœnam canonicam in C. B. sp. nostræ cameræ applicandis pro vice qualibet condemnamus.

Item volumus, & mandamus, quod ministri qui serviunt in Missa semper, & ubique in Civitate, castris, & Diœcesi Flor. & in collegiatis Ecclesiis, & prioratibus sint cotta induti, dum ministrant in Missa.

Item statuimus, volumus, & mandamus, ne quis peregrinus Sacerdos in aliqua Ecclesiarum nostræ Civitatis, & Diœcesis publice admittatur ad divina Missarum officia celebranda sine litteris, & commendatoriis sui Episcopi, & nostra licentia speciali. Contra facientes nostro arbitrio puniantur.

De Baptismo, & ejus effectu.

Item cum Baptismus sit janua sacramentorum, de ipso statuimus præsentis scripti sanctione, quod in nullo liquore fiat, nisi solum in aqua, & forma debita, & cum verbis ab Ecclesia ordinatis. Et quod nullus prorsus, quam sacerdos præsumat, & in loco ordinato, nisi esset de personis exceptis a jure, aliquem baptizare, nisi casus necessitatis imminerent; prohibentes expresse, quod nullus baptizans prætium, vel munus exigat pro baptismo vel aliquo alio sacramento, nisi quod liberalitas obtulerit offerentis; quod idem sancimus de omnibus rectoribus Ecclesiarum; alioquin contrarium facientes nostro arbitrio relinquimus puniendos.

De custodia Eucharistiæ.

Item statuimus, quod quilibet Sacerdos, & rector nobis subjectus, curatus, hostiam consecra-

ANNO CHRISTI 1546.

cratam pro infirmis sub clavi teneat in pixide munda, & in eminentiori loco Ecclesiæ sita, quod ad ipsam sinistra manus non possit habere palpatum. Chrisma vero, & oleum Sanctum sub clavi modo simili, & in loco per se teneatur: & eandem hostiam semper in capite octo dierum removet, ne aliquid sinistri accidat circa eam, & primam, quæ consecrata fuit in præcedenti octava die, antequam purificet, sumat, & postea purificet; & cum sacerdotem contigerit eam deferre ad infirmum indutus albis vestibus, & cum stola, cereo lumine competenti, & campana in pixide munda cum velis competentibus ornatus deferat ante pectus, & advertat, quod ipsam non exhibeat in mortali constituto, & personam non contritæ, nec fatuo, vel in ætate & sensu legitimis non constituto, nec cuiquam, nisi in infirmitate posito conferre præsumat, qui de suis bonis dispositionem facere potest non condito testamento, vel alia legitima voluntate, ne decedentis, vel decedentium bonis contentio, sive discordia imposterum valeat exoriri. Nec Hostiam consecrare præsumat super altari viatico, & consecrato, nisi tantæ longitudinis, & latitudinis sit, quod calix, & ipsa Hostia super ipso commode possit operari: quod si forte a quoquam in prædictis, vel aliquo prædictorum contrarium fuerit attentatum, in XI. B. sp. pro vice qualibet nostræ cameræ exsolvendis præsentis scripti auctoritate sententialiter condemnamus.

Item præsenti constitutione sancimus, quod nullus Rector ecclesiarum sæcularis, vel regularis, seu quævis alia persona nobis quacumque de causa subjecta hostiam consecratam vel vinum alicui tradat, nisi pro spirituali animæ refectione, nec ad unum alium. Quod si forte aliquis contrarium attentaverit, præter pœnam carceris ad arbitrium nostrum inferendam X. librarum pro vice qualibet nostræ Cameræ persolvere teneatur, in quas præsentibus condemnamus. Et hoc idem locum habeat in his qui chrisma, oleum sanctum, & infirmorum alicui tradere præsumpserint ad usum alium, quam ab ecclesia deputatum.

De Reliquiis & veneratione Sanctorum.

Item statuimus, & ordinamus, quod omnes, & singuli ecclesiarum rectores tam regulares, quam sæculares, nostræ jurisdictioni subjecti moneant & inducant omnes mares & feminas in eorum parochiis constitutas, ut tales se exhibeant, quod corporis Domini Sacramentum sufficienti contritione, confessione, & satisfactione præmissis vel saltem in anno recipiant reverenter. Alioquin una vice infra octavam nativitatis quolibet anno nobis vel nostro vicario studeant nuntiare contrarium facientes: volumus etiam, & mandamus, quod omnes & singuli ecclesiarum rectores tam civitatis quam diœcesis Florentinæ officium ordinarum, ob reverentiam corporis, & sanguinis Christi in decretali edita per bonæ memoriæ dominum Urbanum summum pontificem, & inserta in libro VII. decretalium per sanctissimum patrem dominum Joannem Papam XXII. quæ incipit: Transiturus de mundo ad patrem &c. quam quilibet ecclesiarum Rectores tam sæculares, quam regulares teneantur habere, & eam totaliter debeant observare, ut subditorum animas deo lucrifaciant, & ipsi præmium mereantur retributionis æternæ. Et insuper præsenti constitutione sub excommunicationis pœna prohibemus expresse, ne quævis persona, nostræ jurisdictioni subjecta, cujuscumque status existat, malitiose reliquias sanctorum habere se dicat, quæ non fuerint approbatæ. Alioquin ad dictam sententiam proferendam per nos, vel per nostrum vicarium procedant, & fallarius puniatur.

De immunitate Ecclesiarum.

Quia in plerisque locis nobis subjectis nonnulli, tam mares, quam mulieres nostræ jurisdictioni subpositi rectoribus ecclesiarum in festivitatibus nativitatis, resurrectionis domini, & certis aliis diebus prætextu quarumdam abusionum, quæ verius dicuntur corruptelæ, artocreas, seu tortas, agnellos benedictos, castaneas, panes, vinum, & nonnulla alia secundum temporis qualitatem, non ex devotione, sed quadam indevotione, vel potius ingluvie exigunt, & extorquent, & etiam dictis festivitatibus, & diebus officiales in parochiis constituunt, qui panem & vinum a rectoribus ecclesiarum recipiunt, exigunt, & rapiunt, & consumunt, non solum inter volentes recipere distribuendo, sed etiam panem canibus projiciendo, & vinum quod bibere non possunt, per terram fundendo, & etiam vasa ipsorum frangendo, ex quibus ebrietas insurgit, fiunt rixæ inter eos, de quibus multoties homicidia, & mutilationes membrorum sequuntur. Et his non contenti, aliis diebus ex debito petunt sibi dari, & fieri convivia indebite, velint, & nolint, per rectores prædictos, & cumulantes mala malis, & pejora pessimis in non modicam Dei offensam, & Sanctorum ipsius, & contra canonica instituta pro libito voluntatis, & multoties contra voluntatem rectorum, nec non in eorum animarum periculum & ipsorum Rectorum, & ecclesiarum non modicum detrimentum, in ecclesiis aliquibus, & piis locis tam civitatis quam diœcesis operarios constituunt, seu guardianos economos, vel decimatores, seu sub quocumque alio nomine officiales constituunt, qui bona, oblationes, redditus, & proventus dictorum bonorum, & ecclesiarum recipiunt, quæ recepta expendi in utilitatibus eorumdem debent, & servitoribus qui serviunt in divinis ministrari, dividunt, rapiunt, & in conviviis, in quibus illius judicium plus laudatur, qui plures inebriat potatores, & calices fœcundiores exhaurit, & in eisdem monstruosa faciunt, quæ propter errorem recitatione digna non existunt, expendunt, distrahunt, & consumunt. Et super loca consecrata, & altaria, ubi etiam appropinquare non debent, irreverenter in contemptum Dei, & Sanctorum accumbunt, ministris divinorum exclusis, qui debent divinum officium exercere, ex quibus divinus cultus minuitur, & laudes subtrahuntur creatori, errores pullulant, & infidelitas augmentatur. Unde volentes tantæ pesti, & abusibus in quantum de jure possumus obviare, considerantes quod tanto sunt graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, præsenti constitutione monemus omnes, & singulos tam mares quam mulieres, clericos, & laicos cujuscumque ordinis seu status existant nostræ jurisdictioni subjectos quacumque de causa pro primo, secundo, & tertio peremptorio termino, & edicto eisdem, & eorum cuilibet sub excommunicationis pœna nihilominus injungentes, ne de cetero prætextu dictarum abusionum

☞ seu aliquo quocumque quæsito colore prædicta, vel aliquod prædictorum facere, seu exercere directe, vel indirecte, vel a Rectoribus ecclesiarum extorquere præsumant. Et si aliquis vel aliqui de jure, vel de consuetudine prædicta, vel aliquod prædictorum forte sibi competere dicerent, infra mensem nobis, vel nostro Vicario de his faciant plenam fidem a die publicationis præsentis constitutionis. Alioquin qui contrarium fecerint dictam excommunicationis sententiam incurrant ipso facto, quam ex nunc prout ex tunc in eos, & quemlibet ipsorum damus, & proferimus in his scriptis, a qua nolumus ipsos, vel ipsorum aliquem posse absolvi, nisi primo ipsis ecclesiis, locis, & rectoribus super prædictis integre satisfaciant de injuria, damnis, & quolibet interesse, & operæ beatæ Reparatæ, pro quolibet solverint X. libr. sp. Mandantes insuper omnibus, & singulis ecclesiarum Rectoribus sub pœna excommunicationis & etiam L. Lib. dictæ monetæ, ne prædicta seu aliquod prædictorum prædictis, vel alicui ipsorum de cetero talia uti permittant seu exhibere præsumant. Cassantes & annullantes, sicut de jure nulla sunt, omnes contractus, pacta, & conventiones contra præmissa, vel etiam aliquid præmissorum facta, vel habita, quoquo modo, etiam si fuerint juramento vallata, a quo illicito juramento eos absolvimus, decernentes ad observationem præmissorum, vel alicujus ipsorum paciscentes, contrahentes, & convenientes aliquatenus non teneri. Et insuper notificamus dictis Rectoribus, & eorum singulis, qui super hos annis singulis diligentem inquisitionem fieri faciemus, & quos super prædictis, vel aliquo prædictorum culpabiles invenerimus, ab eis dictam pœnam procurabimus exigere cum effectu; ita ut quos dei timor a malo non revocat, super prædictis saltem pœna coherceat in hac parte.

Item injungimus, quod nullus noster subditus Civitatis, & Diœcesis Florentinæ in ecclesia jaceat, nisi ob rerum custodiam, nec segetes, archibanchas vel scrineos, seu quæcumque alia supellectilia servet ibidem, nisi necessitate urgente, nec domus ecclesiæ seu alterius pii loci cujuscumque certo usui deputatas ad alium usum convertere sine nostra, vel vicarii nostri licentia speciali: ut ecclesiæ, & pia loca propter sui munditiam, & ornatus Dei basilicæ, non domus laicæ videantur, & altaria desuper sint decenti coopertura tecta, & cooperta. Contra facientes vero in B. XL. sp. pro vice qualibet, & re condemnamus nostræ Cameræ applicandis.

Item præsenti nostra constitutione statuimus districtius sub excommunicationis pœna mandantes potestatibus, Capitaneis, prioribus, executoribus, & cæteris officialibus Civitatis, & Diœcesis Florentinæ præsentibus, & qui pro tempore fuerint, quod quotiescumque coram eis vel altero ipsorum actum propositum, sive exceptum fuerit directe, vel indirecte de Usuris, seu quacumque causa, re, seu negotio spiritualem indaginem exposcentibus, quoquo modo illa abique difficultate aliqua ad nostrum examen vel nostri vicarii, seu nostræ curiæ omnino in tertiam diem post inhibitionem per nos, vel Vicarium nostrum factam remittere teneantur, & se de illis nullatenus intromittere. Alioquin dictam excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, a qua nullatenus absolvantur, nisi nostræ curiæ vel injuriam passis de prædictis satisfecerint cum effectu, nihilominus viribus vacuantes quicquid in contrariam attentatum.

In aliquibus locis nostræ jurisdictioni subjectis, quædam abusio (sicut accepimus) inolevit, quod videlicet quidam laici spiritu irreverentiæ, ac indevotionis impulsi campanas ad denuntiationem illorum, qui per nos, vel per nostrum Vicarium excommunicati sunt, & denuntiari mandantes, pulsari prohibent, allegantes quamdam excusationis speciem, quæ erroris potius est dicenda, quod in partibus illis, ubi sit talis pulsatio campanarum, veniunt fulgura, grandines, & alluviones aquarum, & aliæ pestes, quorum superstitiosam imaginationem hujusmodi plerumque clerici, qui tales Laicos potius ab hoc deberent retrahere, damnabiliter imitantur. Nos igitur tales insolentias, & temeritates hujusmodi reprobandas cohibere volentes, ac subditos nostros in obedientia Sanctæ Matris ecclesiæ conservare, mandamus omnibus, & singulis subditis nostris cujuscumque sint præeminentiæ, conditionis, et status, eos monentes pro primo secundo, et tertio monitionis edicto, et peremptorio, ut de cetero non prohibeant nec impediant quoquo modo pulsari campanas, quando erunt aliqui per superiorum nostrorum, aut nostras vel Vicarii nostri litteras nuntiandi, sed permittant illos, quibus hoc committitur, libere campanas pulsare, & tales suspiciones erroneas de cætero non sectentur. Alioquin sententiam excommunicationis, quam in eos in his scriptis ferimus, ipso facto incurrant.

Ne Clerici, vel Monachi secularibus negotiis se immisceant.

Ad hoc ut quisque in ea vocatione maneat, qua vocatus existit, præsenti constitutione præcipimus omnibus Clericis in sacris ordinibus constitutis, et maxime Sacerdotibus, ne officia Notariæ in officiis publicis, vel privatis Civitatum, Castellorum, Burgorum, vel Villarum, de cetero exercere præsumant. Alioquin si secus ab aliquo fuerit attentatum, ipsum pro qualibet vice in X. libr. sp. condemnamus nostræ Cameræ exsolvendis; possint tamen hoc officium exercere pro pace, testamentis, matrimoniis, et locutionibus, et aliis spiritualibus contractibus licitis, et honestis.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

De Sponsalibus, & Matrimoniis.

Præsenti nostra constitutione prohibemus, & reprobamus clandestina matrimonia, & ea vetamus in posterum contrahenda. Mandantes expresse omnibus, & singulis Ecclesiarum rectoribus cuiuscumque dignitatis existant nostræ jurisdictioni subjectis, quod ante consensum, qui matrimonium perficit ad requisitionem contrahere volentium, in eorum ecclesiis publicis proponant, sic contrahere volentium expressis nominibus, & pronominibus. Quod si quis sciat aliquod impedimentum, quod matrimonium impediat, dicat, & exprimat sub excommunicationis pœna. Alioquin a die propositionis hujusmodi in antea ipsum matrimonium contrahetur. Et mandamus etiam omnibus, & singulis, sub excommunicationis pœna clericis regularibus, se-

ANNO CHRISTI 1346.

sæcularibus, Laicis, maribus, & feminis, quod Matrimonia contracta sive contrahenda, quod, Deus avertat, in gradu prohibito, adulteros publicos, & concubinos manifestos, nobis vel nostro Vicario intra octo dierum spatium, postquam sciverint, nuntiare procurent, ut in prædictis nostri officii debitum, sicut congruum fuerit, valeamus salubriter exercere. Alioquin contra talia negligentes procedemus justitia mediante prout nobis videbitur expedire. Et insuper prohibemus, ne aliquis jurisdictioni nostræ subjectus in matrimonio separando aliquod impedimentum falso præsumat objicere. Alioquin contrafacientes in X. libr. sp. convertendis in opera Beatæ Reparatæ eo ipso condemnatus existat, nec per quemquam de peccato contracto ex tali falso objectu absolvatur, nisi prius persolverit in prædicta opera quantitatem prædictam.

De cognatione spirituali.

Non sine ratione, & rationabili causa quibusdam illicitis, quæ quandoque sub specie boni committitur ex debito nostri officii inducimur obviare. Et idcirco statuimus, quod nullus Clericus beneficiatus, vel in sacris existens ordinibus cujuscumque ordinis, status, vel conditionis existat nostræ jurisdictioni subjectus, commatres, vel compatres sibi acquirat, nostra vel nostri Vicarii licentia non obtenta. Contrarium faciens in XL. B. nostræ cameræ persolvendis pro vice qualibet eo ipso condemnatus existat.

De secundis nuptiis.

Inhibere cupientes Sacerdotibus interdicta, & eorum animas lucrifacere Creatori, omnibus & singulis sacerdotibus nostræ jurisdictioni subjectis cujuscumque status existant interdicimus, & prohibemus, ne conjugales, & benedictos, cum iterata vice matrimonialiter copulantur, rebenedicere iterato præsumant, alioquin pœna remanente canonica in X. libris persolvendis in opera beatæ Reparatæ eo ipso condemnatus existat.

INCIPIT LIBER QUINTUS.

De accusationibus, inquisitionibus, & denunciationibus.

Volentes referimus, quod nonnulli nostræ jurisdictioni subjecti trangressores Evangelicæ veritatis contra matrimonium institutum a Deo coram sæculari judice Curiæ Flor. qui directe, vel indirecte cognoscendi de talibus nullam habet potestatem contra illum seu illam, qui matrimonium coram sæculari judice instat probare per testes, copiam probationum angustiare in tanto sacramento attentantes, accusationes porrigere non formidant non sine præjudicio Ecclesiasticæ libertatis: præmissis ergo obviare volentes districtius prohibemus, ne quis de cætero talia attentare præsumat, vel judex sæcularis quicumque postquam per nos, vel nostram Curiam, de talibus mandatis cognoscere, vel providere in eis præsumat aliqua ratione. Alioquin præsumptores, & violatores sic justæ nostræ constitutionis excommunicationis sententia innodamus.

Indignum prorsus, & ambiguum esse censetur, ut clerici ad judicium sæculare discurrant in accusationibus Laicorum. Unde prohibemus, quod nullus clericus vel persona Ecclesiastica de crimine criminaliter quemcumque accusare, vel judicare in curia sæculari præsumant, nisi prius a nobis, vel nostro Vicario licentia petita pariter, & obtenta, & suam vel suarum ecclesiarum injuriam civiliter prosequantur protestatione semper præmissa, quod ad vindictam sanguinis non intendit, prohibentes etiam eisdem cujuscumque status, sive conditionis existant, quod in foro sæculari alicui impetenti non respondeant, sed privilegium debeant allegare; & si contingeret, quod de nostra, vel nostri vicarii licentia in foro sæculari testimonium haberet præbere, in manibus nostri Vicarii, vel clerici, a nobis, vel nostro Vicario deputandi faciat juramentum, dummodo criminaliter non agatur, uti nullo modo in foro sæculari testimonium præbeant aliqualem. Si autem clericus aliquis clericum traxerit ad judicium sæculare, vel alicui patrocinium præstiterit contra Ecclesiam, in qua præbendatus extiterit, pro vice qualibet, & quolibet præmissorum eosdem, & ipsorum quemlibet contrafacientem in X. Flor. aureis nostræ cameræ exsolvendis eo ipso condemnamus.

De Hæreticis.

Ad exterminationem pravitatis Hæreticæ intendentes ex parte Dei Omnipotentis, & nostra universis, & singulis clericis Civitatis, & Diœcesis Flor. cujuscumque status, ordinis, vel conditionis existat districte præcipimus, & mandamus, quatenus cura vigili sint intenti, ne Hæretici aliqui, vel credentes in suis parochiis commorentur. Sed mox cum sciverint ex probabili caussa de fide suspectos, nobis, vel nostro Vicario non differant intimare. Quos Hæreticos licet a jure excommunicati existant, excommunicamus cujuscumque sint speciei, vel secte, & quocumque nomine nuncupentur. Nec non credentes, receptatores, sectatores, & fautores eorum; & quicumque scienter elegerit eos ad aliquod officium pubblicum seu consilium Civitatis, vel cujuscumque comunis; quos capi volumus, & a quocumque detineri posse præcipimus, quousque super hoc fuerimus requisiti. Si quis autem negligens inventus fuerit, vel remissus, vel consilium, auxilium præstiterit, & favorem publice vel occulte, quod non capiatur, vel captus non detineatur Hæreticus, seu quod non puniatur, vel quod fugiat, vel evadat, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, omnique beneficio ecclesiastico seu feudo, ac etiam omni honore, cum in hoc manifeste deprehensus fuerit perpetuo sit privatus.

Cum secundum leges, & canones ac etiam constitutiones, ordinationes, & mandata perpetualia in favorem fidei, & exterminationem hæresum Potestates, Capitanei, Consiliarii, Rectores, vel quivis alii ad regimen civitatis, & loci assumpti in pub. canonibus banno civitatis supponant tamquam pro mallio universos hæreticos quocumque nomine censeantur, & confirmare bannum hujusmodi a suis prædecessoribus postum teneantur, & cupientes ad fidei orthodoxæ, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ fulcimentum, super hoc, in quantum possumus, ad hæreticorum exterminium nostrum impertiri favorem, requirimus, & rogamus Dominos Potestatem, Capitaneum, Priores, & cæteros officiales Florentiæ, qui nunc sunt, & qui pro tempore fuerint, atque volumus, & mandamus, ut intra mensem

ANNO CHRISTI 1346

sem, a sui principii regiminis tempore computandum, bannum hujusmodi faciant publicare, & taliter se circa percellendos hæreticos habeant sollicitos, & attentos, ut dignę laudis præconio a Sancta Romana Ecclesia, & a nobis mereantur attolli, & etiam premio, & honore donari. Addentes, quod si aliquis per præsumptionem hæreticæ pravitatis fuerit excommunicatus a nobis, & per annum in excommunicatione persiliterit, ex nunc velut ex tunc hæreticus condemnetur.

Quia perpetualium, & imperialium statuta clamant patrinorum cuncta ædificia, & eorum receptatores, defensores, atque fautores, & maxime ubi hæretici capti fuerint, vel manus imposuerint, vel consolamentum receperint, sive hæreses docuerint dari protinus in ruinam, & prout propriæ nota infamiæ perpetua ruina testatur, quod nullo tempore reparentur. Volentes ad zelum fidei, & reverentiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac detestationem pestis hæreticæ statutis hujusmodi debitum exhiberi favorem, requirimus, & rogamus Dominos Potestatem, & Capitaneum, & Rectores Civitatis nostræ, cujus Divina gratia pastor existimus, nec non volumus, & mandamus, quatenus prædicta statuta totis viribus absque cujuslibet difficultatis obstaculo effectui studeant mancipare, præsertim quorum domus hujusmodi de prædictis infamarentur excessibus; & super hoc inquisitores, seu inquisitor pravitatis hæreticæ, vel episcopus nos duxerit requirendos. Præmissis addentes Potestati, Capitaneo, Prioribus, & aliis officialibus Civitatis Florentiæ mandamus, prædictas tres constitutiones sub rubrica de hæreticis, & primam de summa Trinitate, & fide catholica, scilicet in constitutionum principio status communis Florentiæ scribi faciant, & parlamento eorum legi, & publicare. Clerici vero curati prædictarum Civitatis, & Diœcesis in Octavis Nativitatis Domini, & Paschæ coadunato populo similiter legant, & publicent. Ita quod nobis fidem faciant cum fuerint requisiti. Alioquin præfatos nostro arbitrio relinquimus puniendos.

De his qui filios occiderunt.

Item præsentis scripti constitutione statuimus, quod nullus masculus, vel femina nostræ jurisdictioni subjecti filium, vel filiam, vel alium puerum sive puellam infra triennium constitutos dormiendo secum in lecto teneat, cum frequenter ex tali retentione infinita proveniant pericula animarum. Alioquin contrarium facientes, præter culpam quam incurrent mortalis peccati, relinquimus puniendum.

De raptoribus.

Rapinis, & prędis bonorum, & jurium nostri Episcopat. nonnulli cęca cupiditate seducti manus improbas, atque sacrilegas extendunt, & hactenus extenderunt in tantum, nisi talibus de opportuno remedio obvietur, est de totali destructione ipsius non modicum prætumendum. Et idcirco, Nos Fr. Angelus Dei, & Apostolicæ sedis gratia eidem Episcopatui præsidentes, & præmissis ex incumbendi nobis officio obviare volentes, monemus, & peremptorio monitionis edicto, tam Ecclesiasticas, quam sæculares personas omnes, & singulos cujuscumque status, seu conditionis existant, & quocumque nomine censeantur, districtius prohibentes eisdem, & cuilibet eorum ne de cetero emptionis, seu quocumque alienationis titulo, vel etiam ad factum, vel firmam ab alio quam a nobis, vel nostras vices gerentibus accipere audeant, seu quovis allo modo capere, invadere vel detinere de terris, possessionibus, rebus, bonis, vel juribus quibuscumque ad Episcopatum quoquo modo spectantibus supradictum; & si jam acceperint, vel detinuerint, nisi infra XC. dies post requisitionem nostro nomine eisdem factam immediate sequentes sic accepta, & detenta nobis, & Episcopatui nostro restituerint, seu libere, & plene dimiserint, seu nobiscum in plena concordia fuerint de eisdem, tam ipsi, quam eorum hæredes ab eisdem in perpetuum descendentes ipso facto omnibus honoribus, ac juribus, quos, vel quæ in Episcopatu prædicto dinoscerentur habere, præter alias pœnas in sacrilegos hujusmodi a jure inflictas, privati prorsus existant, quos ex nunc prædictis honoribus, & ac juribus privamus, & privatos decernimus, & infames, & nihilominus eos ex nunc excommunicationis vinculo innodamus. Monemus insuper modo, quo supra, omnes prælatos, & clericos, singularesque personas Ecclesiasticas nobis subjectas, postquam de mandato nostro eisdem per nos, vel Vicarium nostrum inhibitum fuerit, de non conferendis hujusmodi pestilentibus ecclesiast. Sacramentis, ac ab eorumdem Sacramentorum collatione, & etiam sepulturæ admissione debeant penitus abstinere. Alioquin facientes contrarium incurrant excommunicationis sententiam ipso facto. Monemus insuper omnes, & singulas personas ecclesiasticas, & sæculares cujuscumque status, & conditionis existant pro primo, secundo, & tertio monitionis edicto, & peremptorio, debentes aliquid nobis vel Episcopatui nostro in pecunia, vel rebus, dare vel solvere, ut infra mensem a die præsentis constitutionis computandum illud nobis dare, & solvere cum integritate procurent. Alioquin excommunicationis sententiam a nobis expectent.

Pium esse dinoscitur, ut gloriantibus in malitia per nos taliter obsistatur, quod repressis eorum insultibus vacantes divino cultui in quiete spiritus liberius possint in observantia mandatorum Domini gloriari. Ea propter decernimus, ut nulla ecclesiastica sæcularisque persona ecclesias, seu pia loca quæcumque aut possessiones earum, & jura scienter occupet, vel invadat, seu occupandi, vel invadendi hujusmodi præstet auxilium, consilium, vel favorem. Quod si contra hoc quisquam attentare præsumpserit, excommunicationem incurrat. Post autem excommunicationis denuntiationem, si non restituerit, & fructus perceptos, & qui percipi potuerunt, & hujusmodi occupatis, vel invasis plene non restituant, permittimus sæcularibus potestatibus, ut ad prædicta dimittenda compellant eumdem, & præter pœnam sanguinis rebelles puniant prout protervitas exegerit delinquentis. Porro omnes, & singulos inquilinos, colonos, fictajolos, & laboratores monemus & peremptorie, ne hujusmodi occupatori, vel invasori manifesto de fructibus, redditibus, vel proventibus Ecclesiæ, seu pii loci sic invasi debeant respondere. Alioquin sententiam excommunicationis incurrant, a qua nullatenus absolvantur, donec ecclesiam, seu pium locum hujusmodi, quem læserunt, ex solutione improvida conservent indemnem. Præmissis addentes, ne aliquis scienter publica instrumenta, livellarios perpetuos, seu temporales redditus, vel possessiones, & terras, seu quasli-

ANNO CHRISTI 1346.

libet alia jura ecclesiarum, vel locorum Venerabilium in fraude furari, occupari, supprimere, negare existere, aut fortasse tradere damnabili, & punienda obstinatione in præjudicium dictarum ecclesiarum, vel locorum præsumant, si aliter aliquis hujusmodi documenta subtraxerit, & ea penes se habet vel potest habere, nisi intra LV. dies proximos ecclesiis ipsis restituant. Quicquid autem per absentiam documentorum damni Ecclesiis, vel edictis locis illatum fuerit, de propriis facultatibus reddant. Et nihilominus faciens contra prædicta vel aliquod prædictorum, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, a nobis etiam graviter puniendus.

De Usuris.

Jure non solum positivo, sed etiam divino, & naturali usuras, quæ animas devorant, & facultates exhauriunt, prohibitas esse, dubium non existit, quas prohibitiones quantum possumus exequi cupientes, & subditorum nostrorum providere saluti, præsenti constitutione statuimus pro primo, secundo, & tertio peremptorio termino, & edicto monendo sub excommunicationis pœna districtius injungentes in Potestatem, Capitaneum, Priores, Vexilliferum justitiæ, officialesque cæteros, necnon consiliarios seu alios quocumque nomine censeri possint Civitatis, & Diœcesis Florentinæ, & ad instrumenta auxilium, & consilium verbo, & facto impendentes in Civitatem, castella, villas, collegia, seu universitates sententiam interdicti, quatenus recipere non debeant, nec tenere aliquos alienigenas seu forenses ad loca aliunde venientes, usuras publice exercentes, seu pecuniam fenebrem mutuantes, immo de dictis locis tales infra unius mensis spatium expellant, & ejiciant omnino, nec domos seu loca eis ad pensionem locent, tradant, vendant, vel alio quocumque colore sive titulo in eos transferant aliqua ratione, & jam concessas seu concessa revocent omni occasione remota, & contractus super his habitos, ut de jure sunt nulli, ita nullos pronuntiamus, cujus mensis X. dies pro primo, X. pro secundo, & reliquos X. pro tertio termino, & edicto canonica monitione præmissa, eisdem Potestatibus, & Officialibus prioribus, Vexillifero Justitiæ, officialibusque cæteris, & consiliariis, & aliis in his culpabilibus damus, & assignamus. Alioquin omnes, & singulos contradictores ut culpabiles pœnam decreti Gregorii X. vel *Decretalis* in his scriptis volumus incurrere ipso facto: Civitates, castra, loca, vel universitates pœnam ejusdem *decreti* incurrant ipso facto. Et omnes contractus habitos cum talibus usurariis, & ipsos usurarios, & in fraudem usurarum factos, & extortos decernimus, & pronuntiamus irritos ipso jure, ita quod ex eis agere, & experiri non possint; & præsentem constitutionem locum vendicare volumus in præsentibus, & pendentibus præteritis, & futuris.

Item statuimus, quod nullus Notarius testamento alicujus publici Usurarii tam de Civitate, & Diœcesi Florentina, quam aliunde nostræ jurisdictioni subjecti adesse præsumat, nec suum testamentum, aut ultimam voluntatem quamcumque describere, nisi usurarius hujusmodi de usuris primo plenarie, & effectualiter satisfecerit, seu caverit omnibus illis quibus tenetur secundum tenorem constitutionis olim Domini Gregorii papæ X. nec aliquis Sacerdos Religiosus vel sæcularis cujuscumque status, ordinis, vel conditionis existat nobis subjectus quacumque de causa quemquam usurarium manifestum seu hoc crimen confitentem admittat, vel recipiat ad ecclesiasticam sepulturam, seu ecclesiastica conferat sacramenta, nisi, ut prædicitur, satisfactione præmissa, seu cautione prout in sequentibus constitutionibus declaratur. Contrarium facientes ipso facto sententiam excommunicationis incurrant. Et nihilominus in X. lib. sp. operi Sanctæ Reparatæ vice qualibet condemnati existant, pœnis juris cujuscumque in sua durantibus firmitate. Prohibemus item omnibus, & singulis incolis Civitatis, & Diœcesis Florent. & aliis quibuscumque in eis morantibus clericis, vel laicis cujuscumque status, vel conditionis existant, quod usuras nullo modo, ratione, vel causa in domibus propriis vel alienis exerceant publice vel occulte, vel aliis domos locent vel concedant ad usuras exercendas; alioquin præter pœnam a jure statutam, eo ipso XXV. libr. sp. nostræ cameræ persolvendarum pro vice qualibet pœnam incurrant; & insuper mandamus omnibus nostris subditis religiosis, clericis, vel laicis cujuscumque status, ordinis, vel conditionis existant, quod usurantes quoscumque, seu domos locantes in dictis Civitate, & Diœcesi, in suis parochiis, nobis vel nostro vicario, sub excommunicationis pœna a die notitiæ debeant nuntiare, ut de illis ordinare possimus, prout nobis videbitur expedire.

Quia nonnulli Sacerdotes juris ignari cautionem ab usurariis exigere prætermittunt juxta formam generalis concilii Lugduni, & plerumque ob hoc debita cessat usurarum restitutio, & illicite subtracta, inhibemus omnibus clericis, & religiosis, ne sine licentia nostra vel vicarii nostri cautiones aliquas super usuris, & male ablatis restituendis recipiant ab usurariis manifestis, nisi mora in petendo dictam licentiam, quando in ægritudine fieri contingeret, sit visibiliter periculum illatura. In quo quidem casu districte sub excommunicationis pœna, & etiam alia, quæ nobis videbitur infligenda, eisdem clericis, & religiosis nobis subjectis præcipimus & mandamus, ut cautionem ipsam recipiant juxta tenorem, & formam infra per ordinem annotatam. De qua cautione recepta dicti clerici & religiosi de civitate Florent. intra octo dies, & illi de Diœcesi intra XV. dies immediate computandos a die cautionis receptę in ultima voluntate vel aliter fidem nobis vel nostro vicario saltem oretenus facere teneantur. Exprimendo nomen, cognomen usurarii ac etiam notarii, qui de hoc fecerit publicum Instrumentum. Præsenti etiam constitutione firmamus, ut quotiescumque a manifestis usurariis quisquam notarius cautionem de restituendis usuris, vel male ablatis receperit, vel scripserit, in infirmitate, vel sanitate, nobis, vel nostro Vicario ante obitum talis usurarii exhibeat talem cautionem, si commode potest. Alioquin post obitum ejus infra mensem formam dictæ cautionis ostendat. Volumus quidem videre utrum legitime sit recepta, eamque nostris actitatis registrari. Si quis autem Notarius in ostensione dictæ cautionis de cætero malitiam, vel notabilem negligentiam habuerit, nec infra dictum tempus nobis, vel nostro Vicario ostenderit, in eum Canonica monitione præmissa ex nunc in his Scriptis excommunicationis sententiam promulgamus. Ne autem Notarius aliquam possit de ignorantia ex-

excusationem præsumere, prætendere vel obijcere, præcipimus ecclesiarum Rectoribus per eos receptam, eosdem sollicitent, ut ipsam cautionem nobis, vel nostro Vicario intimare procurent. Cujus cautionis forma vel Tenor talis est. Videlicet:

ANNO CHRISTI 1346.

Forma cautionis præstandæ a quocumque usurario pœnitente.

In Christi nomine. Amen. Anno &c. Petrus Filius Martini de tali loco.... sanus mente, & sensu, licet corpore languens, volens saluti suæ animæ providere, constitutus in præsentia talis confessoris sui, & certa scientia, & non per errorem fuit confessus, & asseruit, & recognovit se esse, & fuisse a tot annis citra publicum, & manifestum usurarium, & quia de usuris incertis extorserat, & habuerat usque in quantitatem C. librarum, & alias per usurariam pravitatem extorserat & habuerat a personis in libris rationum suarum contentis usque in quantitatem librarum Mille sp. de Usuris certis, quarum restitutio non est facta. Quam quidem usurarum incertarum quantitatem promittens per se, suosque hæredes dicto tali confessori suo recipienti, stipulanti vice, & nomine Venerabilis patris nostri domini N. Dei & apostolicæ sedis gratia, Episcopi Florentini, patris pauperum, & dispensatoris bonorum eorum, & vice, & nomine pauperum Jesu Christi & omnium, quorum interest, vel intererit, dare, & solvere ipsi domino Episcopo, vel ejus officiali, quandocumque ipse vel ejus hæredes super hoc fuerint requisiti, distribuendo per ipsum dominum Episcopum hic vel alium pro eo inter pauperes Jesu Christi & dictam summam usurarum certarum, & omnes alias, & singulas quantitates, quas etiam ultra dictam summam Mille librarum per scripturam dictorum librorum, seu aliæ probatę fuerint, & quæ ipsi domino Episcopo vel ejus Vicario idoneæ videbuntur, & reperirentur ad ipsum per usurariam pravitatem, vel alium modum illicitum pervenisse; promisit dicto tali recipienti, & super nomine, quo supra, dare, solvere, satisfacere, & restituere omnibus & singulis de ipsis recipere debentibus, & ad omne ipsius domini Episcopi, & ejus Vicarii beneplacitum & mandatum sine strepitu, & figura Judicii cum scriptura, vel sine scriptura, diebus feriatis, & non feriatis, citatis partibus, & non citatis, jure, ordine servato, & non servato, nulloque prætermisso obstante, de ipsis restitutionibus, & solutionibus faciendis, & etiam de quantitate, & tempore pecuniæ mutuatæ, ubi quantitas temporis, & usurę in dictis libris, vel scripturis aliis publicis vel privatis inde confectis non esset expressa, stare, & parere voluntati, mandato, declarationi, taxationi, & prætumptioni, interpretationi, pronuntiationi dicti domini Episcopi, & sui Vicarii placuerit, & expedire videbitur pro exoneratione animæ dicti talis, dans, & concedens idem Petrus licentiam dicto tali recipiendi, ut dictum est, mittendi nuntium idoneum cum litteris domini Episcopi Florentini, vel sui Vicarii, expensis dicti Petri, & suorum hæredum ad partes, & loca, ubi dictæ usuræ extortæ sunt, ad denuntiandum publice, quod quicumque aliquas usuras dedit, vel aliquid ultra sortem dicto Petro vel alicui pro eo veniant legitime, ad certum terminum assignandum coram dicto domino Episcopo, vel ejus Vicario satisfactionem de ipsis usuris plenariam recepturi. Item absolvit dictus Petrus omnes suos debitores ab omni vinculo usurarum, & ab omnibus sibi debitis ultra sortem, promittens per se, & suos hæredes ab ipsis debitoribus aliquid non petere ultra sortem. Et contra prædicta, vel eorum aliquod nullam juris, vel facti exceptionem opponere, & per partem in prædictis, vel eorum aliquo non appellare, nec aliquid facere, vel operari, propter quod præmissa, vel eorum aliquod tolli valeant quomodolibet, vel infringi, sub pœna & ad pœnam Mille florenorum aureorum in singulis capitulis hujus contractus solemni stipulatione præmissa, & refectione damnorum omnium, & expensarum, ac interesse litis, & extra & pœna soluta vel non prædicta omnia nihilominus firma perdurent: pro quibus omnibus & singulis observandis idem Petrus obligat dicto tali, ut dictum est, se suosque hæredes & bona omnia mobilia, & immobilia, præsentia & futura, que se pro eo, & omnibus eis, quorum interest, constituit precario possidere, dans, & concedens eisdem (ut dictum est) recipere, & suscipere plenam licentiam, & liberam potestatem, si præmissa omnia, & singula non servarentur, vel contra ea, seu eorum aliquid veniretur, dicta bona obligata accipiendi, apprehendendi per se, vel alios auctoritate propria, & apprehensa retinendi, distrahendi, alienandi, vendendi, & in solutionem dandi, prout dicto domino Episcopo vel ejus domino Vicario pro restitutione, & executione prædictorum videbitur expedire, donec prædicta restitutio debito effectui mancipetur, & nunc omnes libros suos prædictos dicto tali, ut supra, receptos, concessit, & dedit, & ipses, & quotcumque alios ipsius Petri libros, ubicumque sint, voluit ad ipsum dominum Episcopum, & ejus curiam pervenire, & penes dictam curiam permanere. Insuper autem dicti petri precibus, & mandato, talis filius talis de tali loco pro prædictis omnibus & singulis observandis extitit fidejussor, & promisit, & convenit stipulatione solemni dicto tali recipere (ut supra dictum est) se facturum, & curaturum omni exceptione juris, & facti, ita & taliter, quod dictus Petrus prædicta omnia & singula præmissa superius faciet, & observabit. Alioquin ipse fidejussor ea faciet, & observabit, sub pœna simili, quæ supra præmissa est, & obligatione suorum bonorum. Renuntians dictus Petrus in prædictis exceptioni non factæ dictæ confessionis, recognitionis, & promissionis, & obligationis. Et dictus fidejussor exceptioni de duobus reis debendis. Et tam idem principalis, quam dictus fidejussor exceptioni non celebrati præsentis contractus, & non solemniter celebrati, omnique juri, & exceptioni generali, & speciali, & legum Canonicarum & antiquarum constitutionum, competenti, & competitur, & per pactum omni appellationum remedio. Quibus principaliter, & fidejussori præcepi per &c.

ANNO CHRISTI 1346

Ut supremæ voluntatis liber sit stilus, monemus omnes & singulos Florentinæ Civitatis, & Diœcesis, & præsentis constitutione firmamus, ut quotiescumque pro usuris, vel male ablatis restituendis, aut eleemosynis faciendis in testamentis, ultimis voluntatibus, aliisque dispositionibus relictum aliquid fuerit, Notarius ille qui de hoc fecerit instrumentum infra mensem hujusmodi testamenti tenorem nobis vel nostro vicario sub pœna excommunicationis ostendat, cum

cum intendamus defuncti vota penitus adimplere, & videre utrum instrumentum celebratum sit secundum ordinem rationis.

ANNO CHRISTI 1246.

Cum tam jure divino, quam naturali cernamus ad unum singula respondere, miramur non modicum quosdam sic de sua præsumptione confidere, quod patrem spiritualem Episcopum super restitutione usurarum, & male ablatorum incertorum ad ipsius dispositionem piis locis, & pauperibus erogandis per manus suas tractandum improvide parvipendunt. Monemus insuper omnes, & singulos laicos Florent. Civitatis & Diœcesis, ut prædictas usuras, & male ablata, undecumque ad eos pervenerint, sine nostra licentia & consensu a XL. B. solid. restituere sive distribuere non præsumant. Nos N. B in omnes & singulos, qui contrafecerint, ex nunc excommunicationis sententiam promulgamus. Quia vero contingit frequenter, quod quidam ad restituendum prædictas usuras, & male ablata incerta, debitores se esse cognoscunt, certam pecuniam, quantitatem, vel indeterminate omnia bona quæ possident quandoque religiosorum, quandoque clericorum secularium, quandoque laicorum potestati supponunt, ut ipsam pecuniam, sive bona pro animabus ipsorum, & eorum a quibus indebite fuerint extorta pauperibus & piis locis distribuant, sicut eis videbitur convenire. Nos prædictos religiosos, clericos seculares, & laicos cujuscumque conditionis existant nostræ jurisdictioni subjectos C quacumque de causa monemus, & præsenti constitutione eis sub excommunicationis pœna mandamus, ut si ad prædictam pecuniam hactenus deputati fuerint, vel deputabuntur in posterum ipsarum pecuniarum quantitatem sint bona ultra dicta summam XL. solidorum, sine nostra expressa licentia, distribuere non præsumant: hanc autem constitutionem, & excommunicationem ad notarios qui de prædictis instrumenta confecerint extendi volumus, ut in prædictam excommunicationis sententiam involvantur, nisi infra mensem a contractus initi tempore numerandum instrumentorum tenorem nobis curaverint exhibere, dummodo malitiam vel notabilem negligentiam habuerint in prædictis. Permittimus tamen in prælatis, & ecclesiarum rectoribus, & curam animarum habentibus, ut de usuris, & male oblatis incertis possint expendere usque in quantitatem Solidorum monetæ C. de qualibet summa, sicut eis videbitur convenire. Dum tamen illa summa fuerit prius nobis vel vicario nostro insinuata per eos & summam XXV. librarum sp. non excesserit.

Cum usurarii manifesti ecclesiasticam, si in hoc peccato decesserint, recipere non debeant sepulturam, volumus, & mandamus, quod nullus in Civitate Floren. recipiat, vel recipi procuret, seu det operam, consilium, vel auxilium, quod aliquis usurarius manifestus recipiatur ad E ecclesiasticam sepulturam; qui secundum formam nostræ constitutionis de usuris restituendis non satisfecerit, nec præstiterit cautionem, & nisi pro nobis, vel nostro Vicario facta fuerit fides plenaria de prædicta satisfactione, vel promissione, ut antea videatur, utrum sit legitime celebrata. Contrarium præsumentes ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

De crimine Falsi.

ANNO CHRISTI 1246.

Omne vitium falsitatis prohibere cupientes, statuimus atque mandamus, quod nullus noster subditus cujuscumque status, vel conditionis existat, instrumentum aliquod publicum falsum faciat, aut fieri consentiat, vel scienter eo uti aliquo modo præsumat, nec falsos testes in quocumque negotio, vel causa, seu probationes falsas quascumque inducat, seu illis utatur, aut aliquas litteras falsas alicujus prælati de aliquibus juribus acquirendis vel defendendis in præjudicium alterius, sive de aliquibus indulgentiis impetrandis, fabricare facere, aut eis scienter uti præsumat. Nos N. contra prædictos falsarios instrumentorum, & litterarum, & eis utentes, & testes seu probationes hujusmodi inducentes, & illis utentes in his scriptis excommunicationis sententiam promulgamus, a qua nullatenus absolvantur, nisi prius præstita sufficienti emenda prædictis seu rebus vel locis expressis, vel aliquo præmissorum damnificatis quoquo modo. Contra hujusmodi sceleratos acrius processuri cum in talibus fuerint deprehensi. Insuper alienas sigillatas litteras aperiri sub pœna excommunicationis prohibemus, aliis, pœnis in constitutione nostra loquenti de præsenti materia in suo robore durantibus.

De Sacrilegiis vel fortilegiis.

Sicut experientia docuit per fortilegia maleficiorum christianæ fidei sinceritas perturbatur frequenter. Nos cupientes talibus obviare, præsenti constitutione duximus statuendum, quod nullus Clericus religiosus, vel secularis cujuscumque status, vel conditionis existat, nec laicus vel mulier nostræ jurisdictioni subjecti, quacumque de causa in Civitate Floren., vel Diœcesi ejusdem, maleficia, veneficia, sive incantationes pro maleficiis, vel fortilegia, seu divinationes a Jure prohibitas, vel brevia pro maleficiis facere attentent, vel fieri procurent; nec credant, nec adhæreant talia facientibus D aliqua ratione; nec medicinas seu potationes quascumque, in quacumque forma seu specie conficere, seu tradere alicui mulieri prægnanti, vel jam conceptum & vivificatum faciat abortum; nec ad hoc doctrinam, consilium, auxilium vel favorem præstare. Contrarium vero facientes eo ipso pœnas excommunicationis incurrant, a qua absolvi non possint, nisi quandoque libr. sp. operæ beatæ Reparatæ primo persolverint. Constitutionis autem prædictorum præsenti constitutione monemus, ut intra mensem a notitia prædictorum nomina & cognomina talium ad notitiam nostram vel nostri Vicarii perducere studeant, sub pœna excommunicationis. Omnes autem tales monemus, ut veniant ad E abjurandum talia maleficia, veneficia, divinationes, & fortilegia, & alia supradicta; alioquin sciant misericordiam proclusam, non autem justitiam sine rigore.

De collusione detegenda.

Præsenti salubri constitutione revocamus, cassamus, & irritamus, & remotas, cassas, & irritas nuntiamus universas collusiones super quibuscumque contractibus, promissionibus, renuntiationibus, & aliis obligationibus super bonis, vel rebus ecclesiasticis in spiritualibus, vel tem-

ANNO CHRISTI 1346.

temporalibus olim factis a quibuscumque personis, collegiis, capitulis, vel Conventibus, prohibentes omnibus, & singulis nostris quacumque de causa, quod collusiones hujusmodi de cætero nullatenus attentent. Quod si contra hoc venerint, si personæ fuerint singulares, excommunicationis, si collegium, capitulum, vel Conventus suspensionis sententias incurrant ipso facto. Et nihilominus a nobis, vel nostro vicario pro modo culpæ graviter puniantur.

De Maledicis.

Cum nemo linguam habere debeat prurientem, statuimus, quod nullus clericus, vel laicus cujuscumque conditionis existat nostræ jurisdictioni subjectus, quacumque de causa contra Deum, vel aliquem Sanctorum suorum, & maxime beatam Virginem linguam in blasphemiam publice relaxare præsumant. Contrarium facientes, & ipsorum quemlibet in XX. libr. sp. operæ Sanctæ Reparatæ condemnamus, prohibentes etiam omnibus Religiosis, & Clericis nobis subjectis quacumque de causa, quod per Evangelia, Corpus, aut Sanguinem, & alia membra Jesu Christi, & beatæ Mariæ Virginis matris ejus jurare præsumant. Contrarium facientes, & ipsorum quemlibet XL. sp. dictæ Monetæ eidem operæ condemnamus, nisi in casibus a jure permissis.

De Clerico percussore.

Quia Clericos non percussores esse oportet, sed illum sequi, qui dorsum præbuit ad flagella, statuimus, quod si quis Clericus, vel ecclesiastica persona nobis subjecta, quacumque de causa irato animo cum aliquo genere armorum absque sanguinis effusione aliquem percusserit, arbitrio nostro, vel nostri Vicarii, considerata conditione offendentis, & offensæ, & qualitate delicti, prout qualitas exegerit, puniatur. Caveant insuper ne corrixationibus se immisceant Laicorum, simili puniendi arbitrio, qui contrarium præsumpserint attentare.

De excessibus Prælatorum, & subditorum.

Quia majora sunt ad Episcopum referenda, præsenti constitutione prohibemus omnibus Prælatis secularibus, & religiosis nobis subjectis quacunque de causa, ne contra aliquem suum subditum delinquentem ad privationem beneficii ecclesiastici quoquo modo procedere attentent, sed super hoc ad nostrum Judicium recurratur; decernentes processus a talibus factos nullius prorsus esse momenti. Et nihilominus contrarium facientes, prout nobis visum fuerit, puniantur, nisi aliud obtinuerint de præscripta consuetudine vel privilegio speciali; huic constitutioni addentes, quod nullus quæstuarius in aliqua Ecclesiarum Civitatis, & Diœcesis Floren. ad prædicandum, & questum quærendum admittatur, nisi cum litteris nostro sigillo munitis. Si quis autem sine litteris prædictis prædicare, vel questum quærere inveniatur, tandium detineatur, quousque nostris auribus intimetur. Qui contrarium fecerit, nostro arbitrio puniatur.

Item Clericorum, quorum nulli est nocere, omnibus autem velle prodesse, juxta sacrorum statuta Canonum, idcirco statuimus, quod nullus clericus nobis subjectus quacumque de causa in fraudem seu detrimentum, & jacturam alicujus laici, vel alterius communitatis seu universitatis possit, aut rem aliquam spectantem ad aliquem laicum, seu de qua debeantur collectæ alicui communitati jure municipali, seu aliquo jure fictitiæ in fraudem collectarum pro aliquo emere, vel titulo donationis, seu quovis alio titulo recipere jus in eis præsumat vel per se. Quod si fecerit, & fraus legitime probata fuerit, emptio non teneat, & tales omnes in B. C. sp. nostræ Cameræ applicandis pro vice qualibet puniantur.

Insuper præsenti constitutione sancimus, quod nullus Clericus religiosus, vel secularis nostræ jurisdictioni subjectus, quacumque de causa publice vel occulte tractet, vel procuret directe invasionem, vel perditionem Civitatis Florentinę, seu diminutionem status pacifici ipsius, vel alterius cujuscumque Civitatis, Castelli, vel loci existentis in obedientia sanctę Matris Ecclesiæ. Alioquin contrarium facientes beneficio, quod obtinent, privamus eo ipso. Et nihilominus in florenis aureis L. nostræ Cameræ persolvendis sententialiter condemnamus: & plus & minus arbitrio nostro, vel nostri Vicarii considerata qualitate delicti, prout nobis visum fuerit, puniantur. Si vero aliquis de prædictis tractatum aliquem fecerit super præmissis, nobis vel nostro Vicario studeat, quam cito poterit, omni fraude remota, ut illi possimus occurrere, fideliter revelare. Alioquin præter pœnas prædictas, eos nostro, & nostri Vicarii arbitrio relinquimus graviter puniendos.

De pœnis.

Ut Ecclesiæ, & habitacula clericorum orationum domus appareant, non autem receptacula malefactorum, statuimus, & mandamus, quatenus nullus prælatus religiosus vel secularis, seu Rector alicujus Ecclesiæ, sive alterius cujuscumque pii loci nostræ jurisdictioni subjecti, quacumque de causa, in domibus ecclesiasticis, vel propriis receptare debeant sua spontanea voluntate bannitos seu rebelles comunis Florentiæ, malandrinos, malefactores publicos, seu exploratores venientes de partibus inimicorum ad Civitatem, vel districtum Florentiæ. Quod si a quoquam fuerit contra præsumptum, in Florenis aureis X. nostræ Cameræ persolvendis ipso facto condemnati existant, & plus, & minus, personæ, & temporis qualitate pensata, per nos, vel nostrum vicarium puniantur.

Ubi majus imminet periculum, ibi fortius est remedium opponendum scriptura testante: Quod inter cætera vitia illud est potissime detestandum, propter quod ira Dei in filios diffidentiæ descendit, & ex cujus contagione omnis regio in qua committitur, diffamatur. Præsenti igitur constitutione monemus, & peremptorię omnes personas cujuscumque status, conditionis, vel pręeminentiæ fuerint, ut ab omni vitio sodomitico prorsus debeant abstinere. Contrarium vero facientes, præter pœnas a jure statutas, publico carceri mancipentur. Confessores autem, ad quos tales delinquentes ad confessionem pervenerint, eos absolvere non debeant sine nostra, vel nostri Vicarii licentia speciali. Et tunc nos vel nostrum Vicarium nominibus talium non expressis consulant de pœnitentia imponenda.

ANNO CHRISTI 1346.

De pœnitentiis.

Cum nonnunquam temporalis infirmitas proveniat ex peccato, statuimus, & ordinamus, quod quicumque masculus, vel femina nostræ jurisdictioni subjectus quacumque de causa aliqua infirmitate corporea contigerit aggravari, primo, & ante omnia fide posita in Domino Jesu Christo, qui potens est sanare languores, spiritualem animæ medicum, qui possit solvere, vel ligare, scilicet proprium Sacerdotem convocet, & sibi sua integraliter & omnia confiteatur peccata, prohibentes sub excommunicationis pœna medicis corporum universis, quod ad infirmum post secundam vicem nullatenus B accedant, nisi prius, ut prædicitur, infirmus de suis omnibus fuerit confessus peccatis, & de hoc fidem habeant a proprio Sacerdote. Quod si quisquam Medicorum contra hoc venire præsumpserit, a peccato, quod ex inobedientia hujusmodi incurrit, absolvi non possit, nisi a nobis, vel Vicario nostro, excepto, quam in mortis articulo. Si infirmus masculus, vel femina sic decesserit confessione, & absolutione, ut præmittitur, non habitis, & etiam non condito testamento, ad quod condendum omnes Rectores Ecclesiarum omnes masculos, & feminas inducant sollicite, & fideliter; & nisi in condendo testamento causa rationabilis eos excuset, si prædicta non servaverint, eos privamus Ecclesiastica sepultura, & Rectores Ecclesiarum nostro relinquimus arbitrio puniendos, nisi ipsos infirmos casu decedere contigerit, & diem claudere extremum, vel aliud, propter quod non possint confiteri, vel testari, & in his juris forma servetur. Præsentem autem constitutionem nostram Rectores Ecclesiarum convocato populo singulis VI. mensibus debeant publicare, ne prætextu ignorantiæ quisquam se vadeat excusare.

Animarum saluti subjectorum nostrorum quantum cum Deo possumus ex incumbenti nobis officio prospicere cupientes, præsenti nostra constitutione statuimus, quod omnes qui audiunt confessiones in Civitate & Diœcesi Florent. nisi necessitas aliud suaserit, in loco patenti, ita quod ab aliis videri possint, sed non audiri, & confitentis contritionem, & dispositionem non confabulando cum confitente, sed ad satisfactionem potius inducendo diligenter advertant; & considerata peccatorum circumstantia, peccati pœnitentiam injungant remittendo ad nos, vel deputando a nobis graviora crimina punienda, quæ nobis, vel nostro Vicario specialiter reservamus, quæ inter cætera sunt ista. Homicidia, Sacrilegia, Valorem XII. B. excedentia. Dispensatio male ablatorum incertorum vel certorum, quando non existant hi, quibus facienda restitutio; pœnitentia matrimoniorum clandestinorum contractorum. Sortilegia de Corpore Christi, sive de Chrismate, vel Oleo sancto, & quæcumque alia sortilegia Incantationes seu divinationes illicitæ quocumque vel de quibuscumque rebus fiant. Falsa testimonia vel falsorum instrumentorum. Peccata contra naturam. Defloratio Virginum. Incestus, qui committitur cum consanguineis vel Religiosis. Vel coeuntes cum brutis. Symonia. Incendia. Injectio manuum in patrem vel matrem. In Clericos vel alios Religiosos. Vota facta, & ipsorum commutationes. Hæreses. Et illa quorum pueri sine baptismate decesserint: Aut per negligen- A tiam, vel eorum parentum intra annos quinque perierunt. Et quilibet excommunicatus majori excommunicatione. Falsarii & periuri. Et qui blasphemant Deum, & Sanctos, & omnium publicorum enormium criminum, omnibus aliis casibus in nostris constitutionibus reservatis in suo robore duraturis. Et quod nullus confitentem audiens mulierem respiciat in vultum confitentem: contrarium facientes nostro, vel nostri Vicarii arbitrio puniantur. Et ut confessores de mortalibus peccatis aliquam possint habere notitiam, & doctrinam, præsenti constitutione quædam de his duximus exprimenda. Hæresis vel error in Fide Christi. Superbia, vanagloria, hypocrisis, odium, inimicitia, invidia, B perjurium, falsum testimonium, detractio, mendacium. In quo damnificatur proximus in pecunia, vel publica infamatio proximi de mortali peccato. Defloratio Virginum, fornicatio, adulterium, incestus, hoc est concubitus feminarum religiosarum, vel consanguinearum. Omnis effusio seminis libidinosa vigilando, & volendo habita, quæ per matrimonium non excusatur. Crapula, ebrietas si assidua sit, frequentatio tabernarum. Ludus prohibitus taxillorum, & alearum, homicidium contra præcepta Dei. Mutilatio membrorum. Violenta manum, & pedum injectio in proximum. Incendium. Furtum. Rapina. Depredatio. Sacrilegium. Usura. Et omnis falsa exactio con- C sistens in numero, pondere, & mensura. Carius vendere præter terminum majorem, vel breviorem. Falsum pondus. Falsa mensura. Falsum judicium. Falsa advocatio. Facere opera servilia in solemnitatibus. Retentio decimarum Symonia. Subtractio in altare, & aliis proventibus ecclesiasticis. Et omnis inobedientia divinorum mandatorum. Et qui solvere contempserit legata, vel judicia facta ab eis, quibus injunctum est. Super quibus omnibus & singulis, Sacerdotes, & Rectores ecclesiarum moneant, & instruant populum, ut debeant confiteri, non tantum semel in anno, sed quotiens instigante humani generis inimico incidunt in peccatis. Quod si non fecerint, sciant D in die Judicii rationem se strictiori examine reddituros. Caveant N. sollicite confessiones audientes, ne verbo, signo, nutu vel alio indicio confessionem audeant indiscrete revelare. Alioquin, præter pœnam Canonicam, quam incurrunt, nostro, vel nostri Vicarii arbitrio puniantur.

De Sententia Excommunicationis.

Magnæ præsumptionis, prout audivimus, existunt aliqui nobis subjecti, qui manus extendere non verentur ad ea quæ solum ad nostrum officium pertinere noscuntur, alios decipientes, & se periculis maximis involventes. Nos igitur E cupientes talibus obviare, inhibemus omnibus & singulis, ne quemquam excommunicatum a jure in casu quo nobis sit absolutio reservata, vel alium a nobis vel nostro Vicario seu per constitutiones nostras excommunicatione ligatum absolvere scienter quoquo modo præsumant, cum absolvendi non habeant facultatem, denuntiantes tales absolutiones scienter obtentas penitus non tenere. Et absolventes pœna Canonica puniantur.

ANNO CHRISTI 1346.

In Christi nomine. Amen.

Nos Frater Angelus, Dei, & Apostolicę Sedis gratia Episcopus Florentinus proinde obviare volentes fraudibus malignorum, quos quotidie ad impediendam maxime jurisdictionem nostram, & laudabiles observantias, & consuetudines Curiæ nostræ, & alias invenire conantur; ad futuram rei memoriam infrascriptas constitutiones, ordinationes, & declarationes fecimus, & edimus; & per quoscumque subditos nostros clericos, & laicos inviolabiliter observari mandamus sub pœnis infrascriptis, non intendentes propterea nostras constitutiones synodales in aliquo revocare, sed eas in sua firmitate manere, nisi quantum præsentibus consuetudinibus obviarent.

Statuimus itaque & ordinamus, quod nulla persona, collegium, vel universitas cujuscumque status, ordinis, vel conditionis existat, de cætero quomodolibet audeat, vel præsumat per se, vel alium directe vel indirecte trahere, aut convenire, vel citare facere aliquem clericum, vel personam Ecclesiasticam, qui, vel quæ gaudeat, aut gaudere possit, & debeat privilegio clericali, seu immunitate Ecclesiastica. Seu etiam Laicum, vel sæcularem quemcumque, super se, vel causa, quæ ad nostrum forum, & judicium pertinet, seu alias in nostra Curia ventiletur, & tanquam præjudiciale impedire habeat processum judicis sęcularis, ad aliquem forum vel judicium sæculare. Contrarium vero quomolibet præsumentes, si personę fuerint singulares excommunicationis; collegia vero, & universitates interdicti sententias ipso facto incurrant. Et nihilominus rem, & causam ipsam, super qua tales Clerici, seu personæ ecclesiasticæ vel sæculares seu laici tracti vel conventi, aut citati fuerint, eo ipso perdiant, & quibus nisi prius injuriam passo satisfecerint competenter, & operi majoris Ecclesię Florent. libras C. sp persolverint.

Item præsenti constitutione excommunicamus, maledicimus, & anathematizamus universos, & singulos rectores, & officiales præsidentes, nec non etiam singulares quoscumque, cujuscumque status, ordinis, vel conditionis existant, & quocumque nomine nuncupentur, qui in aliqua statuta, ordinationes, aut reformationes, seu provisiones editas, vel edendas, quæ quovis modo sint, vel vergant directe, vel indirecte contra Ecclesiasticam jurisdictionem, vel libertatem, seu jurisdictionem, vel officium nostrum, & Curię nostrę, aut per quæ nostra, vel nostræ Curiæ, vel alia ecclesiastica jurisdictio, officium, auctoritas, executio, aut libertas posset quomodolibet impediri, vel retardari, allegare, uti producere, aut secundum ea in aliquo procedere, vel judicare, seu procedatur, vel judicetur petere, vel peti facere, aut eos, qui sic non processerint vel judicaverint, punire vel findicare præsumpserint, aut in his dederunt auxilium, consilium, vel favorem, a qua nullatenus absolvantur, nisi prius injuriam passis satisfecerint, & Cameræ apostolicæ Sedis, quam sedem apostolicam propterea non est dubium eos lędere, Centum florenos aureos persolverint. Ad quam pœnam, & satisfactionem hujusmodi delinquentes decernimus eo ipso perpetuo obligatos. Omniaque juramenta, & pœnas, quæ super observationem talium statutorum, ordinamentorum, reformationum, & provisionum prestari, vel fieri nunc hactenus, vel in posterum contingeret, tanquam temeraria, & iniqua cassamus & irritamus, & decernimus aliquem ad eorum observantiam aliquatenus non teneri. Et quicquid in contrarium factum fuerit, aut fieret, irritum etiam decernimus & inane. Et contrarium facientes, per se vel alium seu fieri facientes ipso facto a jure suo cadant, & eo, si quod haberent, sint & intelligantur esse privati. Et eos ipso jure privamus.

Item attendentes, quod multoties in causis, maxime usurariis, & præjudicialibus, quando in nostra Curia ventilantur per Vicarium, seu officialem nostrum, inhibitiones plerumque fiunt, ne lite hujusmodi pendente aliquid attentetur. Et in contrarium facientes pœna excommunicationis, & amissionis causæ ipso facto apponitur, ne hujusmodi inhibitiones, & monitiones, quæ in quibuscumque causis, & maxime usurariis per nos, aut prædecessores nostros, vel eorum Vicarios seu officiales, vel Curiæ factæ fuerint, & pendeant, vel in posterum fieri contigerint, præsenti constitutione approbamus, ac sancimus, & decernimus inviolabiliter observandas. Contrarium vero præsumentes directe vel indirecte, seu eas, vel earum aliquam quomodolibet violantes, aut eis plenarie non parentes, præter pœnas alias inflictas & infligendas, excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, & causam, qualiscumque, & quantacumque fuerit, & id de quo agitur, amittant. A qua excommunicatione nullatenus absolvantur, nisi prius injuriam passis satisfecerint, & X. florenos aureos nostræ Cameræ persolverint. Et hanc constitutionem extendi volumus, non solum ad futura, sed etiam ad præterita, & adhuc pendentia.

Item considerantes, quam dignum sit, & congruum rationi, ut unusquisque suis terminis sit contentus, nullusque falcem mittat in messem alienam, præsenti constitutione interdicimus, & prohibemus, ut aliquis cujuscunque status, gradus, ordinis, vel conditionis existat, & quacumque, & quantacumque præfulgeat dignitate, in Civitate, & Diœcesi Florent. in quibus nobis jurisdictio ordinaria, & diœcesana noscitur pertinere, aliquam jurisdictionem ecclesiasticam seu officium sibi a jure communi prohibitum, & nobis competens, exercere præsumat, nisi hoc ei competat ex privilegio, seu commissione Sedis Apostolicæ speciali, & aut aliter noster subditus fuerit, cui hoc competat ex consuetudine, privilegio, sive jure. Contrarium vero facientes excommunicationis sententiæ eo ipso se noverint subjacere, & quod egerint, vires nullatenus obtinere.

Item maledicimus, & excommunicamus universos, & singulos cujuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, qui in executionibus testamentorum, & ultimarum voluntatum, seu restitutione usurarum, et male ablatorum certorum, & incertorum defunctorum fraudem, vel dolum scienter adhibuerint, & maxime in faciendo plus vel aliter confiteri quam dederint, aut confitendo vel finiendo plus, vel aliter quam receperint, sine nostra vel nostri Vicarii licentia speciali, decernentes solutiones, executiones, confessiones, & fines tales penitus nullas esse, & quod propterea taliter datum esset pro non dato haberi, sed per nos seu nostrum vicarium, & officiales fore, quibus & prout expedire visum fuerit, extra personam

sic

ANNO CHRISTI 1346.

sic in fraudem confitentis, finientis integraliter persolvendum; ac si inde nulla solutio, vel satisfactio facta foret; & cum pium sit defunctorum omnes exequi ultimas voluntates, huic constitutioni addicimus, & statuimus, executiones quascumque ultimarum omnium voluntatum defunctorum ad nos, & nostram curiam, & officium pertinere, & faciendas esse. Etiam si talis defuncti hæreditas addita non existat. Et in piis defunctorum voluntatibus, etiam si minus solemnis fuerit defunctorum dispositio quovis modo.

Item attendentes antiquam observantiam Curiæ nostræ, quæ habet, quod notarii nostri, & nostræ Curiæ qui judiciorum acta conscribunt, testes post eorum juramenta examinant se ipsos etiam sine nostra, vel nostri Vicarii, aut officialis præsentia, aut alia speciali commissione super hoc eis facta, & eorum depositiones impugnari de cætero valeant a quocumque, statuimus, decernimus, & declaramus, depositiones, & examinationes hujusmodi taliter factas etiam hactenus, & facturas in posterum vires plenarias obtinere, & a nullo posse vel debere aliquatenus impugnari. Et sic de consuetudine antiquata fuisse, & esse hactenus in dicta Curia observatum etiam declaramus.

Item ad refrenandum malitias multorum, qui causas usurarias movent in nostra Curia in fraudem, ut per hoc suos creditores in exactionibus suorum debitorum impediant, & retardent, statuimus, ut quicumque deinceps causam usurariam in nostra Curia moverit, per quam impediatur executio alicujus sententiæ, seu publici instrumenti vel debiti, de quo alias liquerat, in qua seu quo obligatus principaliter vel incidenter existat, causam ipsam prosequi, & terminare, seu finire quantum in eo est debeat justo impedimento cessante, infra duos menses a tempore litis contestatæ seu actus illius, qui loco litis contestatæ habetur. Alioquin a termino in antea non audiatur, & reus absolvatur, nisi nos vel vicarius noster tempus illud viderit & duxerit ex causa prorogandum; quam prorogationem fieri non intendimus nisi justa, & causa rationabilis id exposcat.

Item cupientes quantum possumus providere, quod causæ usurariæ, ac executiones ultimarum voluntatum breviter, & summarie decidantur, & considerantes, quod hæ plurimum clarius, & brevius fieri possunt per libros, & codices defunctorum, statuimus, quod quotiescunque in aliqua causa, seu occasione alicujus restitutionis, vel executionis faciendæ, vel quæ fieret mandaretur alicui per nos, aut nostrum Vicarium, seu officialem, ut hujusmodi libros, & codices in curia, seu judicio exhibere, & ipse in hoc negligens, seu inobediens fuerit, vel remissus, cum per hoc parti adversæ probationes subtrahere, ac restitutiones, & executiones hujusmodi impedire dici possit talis causa, & restitutio, & executio possit, & valeat per nos, & nostrum Vicarium & curiam expediri, & terminari per juramentum decisorium per nos, & nostrum Vicarium, & officialem, cui & prout viderit deferendum, & tale juramentum pro plena probatione habeatur, huic constitutioni addentes, quod in executionibus ultimarum quarumlibet dispositionum, & voluntatum, procedi possit per præsumptiones, & verisimiles conjecturas, & juramentorum delationes, & jure, ordine, ac solemnitatibus non servatis. Nec propterea processus sic habitus valeat impugnari.

Item providere volentes, ne laici in nostra Curia litigantes habeant materiam conquerendi, præsenti constitutione sancimus, quod in causis, quæ inter laicos in nostra Curia ventilentur, illæ probationes sufficiant, & legitimæ reputentur, quæ alias legitimæ essent in seculari Curia inter eos, dummodo ecclesiasticæ libertati, & juri canonico, nostris constitutionibus non repugnent. Non intendentes propterea aliis nostris, & maxime supra scriptis constitutionibus in aliquo derogare, nisi si, & prout nobis, seu nostro Vicario visum fuerit expedire.

Item animarum saluti providere volentes, statuimus, ut si quis prælatus, vel capitulum, seu rector parochialis ecclesiæ aliquem laicum in nostra Curia citari fecerit, a quo decimam petat prædialem, stetur juramento petentis, super quantitate petita, dummodo valorem librarum quinque non excedat, & prædium seu rem de qua seu cum fructibus decima petitur, constet esse infra parochiam ecclesiæ, pro qua petitur decima prædicta.

Item laudabilem, & antiquam consuetudinem Episcopalis curiæ Florent. observare volentes, statuimus, ut si quis conventus fuerit in Curia nostra pro aliquo debito, de quo constet, per sententiam, aut instrumentum publicum, in quo præceptum quarantigie more florentino sit appositum, possit, & debeat procedi super executione talis sententiæ seu instrumenti summarie, & sine strepitu, & figura judicii, incipiendo etiam a præcepto, & executione & sine libelli oblatione, litis contestatione, probatione definitivæ sententiæ, aut alia juris solemnitate servanda. Volumus tamen alias alicujus conventi defensiones legitimas aliquatenus non excludi.

Item providere volentes, ne crimina remaneant impunita, statuimus, ut si quis, contra quem super aliquo crimine, maleficio, vel delicto per nos vel nostrum vicarium procederetur, ad citationem, & monitionem legitime de eo factam, non comparuerit, vel se reddiderit contumacem, ne de sua contumacia glorietur, possit de tali contumacia puniri spiritualiter & temporaliter, & multari prout nobis, vel nostro vicario videbitur expedire.

CON-

ANNO CHRISTI 1346.

CONCILIUM PRAGENSE

AB ERNESTO ARCHIEPISCOPO I.

Anno circiter 1346. habitum.

An. 1346. Ex Lunig. Cont. III. pag. 231.

IN nomine S. & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen, Ernestus Dei & apostolicæ Sedis gratia S. Pragensis ecclesiæ archiepiscopus, universis prælatis, capitulis, conventibus, plebanis, ecclesiarum rectoribus, & clero & clericis, ac cæteris Christi fidelibus, tam religiosis, quam sæcularibus, per Pragensem civitatem, & diœcesim & provinciam constitutis, in omnium Salvatore salutem, & præsentium observantiam, frequenti lectionis studio salutarem. Rex magnificus, qui facit mirabilia magna solus suæ munificentiæ sinum aperiens, nuper nostram Pragensem ecclesiam, per sanctissimum in Christo Patrem & dominum nostrum, dominum Clementem papam VI., ad preces & solertem instantiam serenissimi principis & Domini nostri, domini Caroli, tunc Marchionis Moraviæ, nunc vero Romanorum & Boemiæ regis in Metropolitanam erexit, & archiepiscopalis dignitatis titulo insignivit. Nosque super solium pastoralis præeminentiæ ipsius Pragensis ecclesiæ, licet immeritos, sua tamen ac ipsius sedis apostolicæ dignatione locavit. Idcirco ea injuncti nobis officii debito in hujus novitatis primordio subditorum utilitati providere volentes, summam alioquorum canonum & constitutionum provincialium ecclesiæ Moguntinæ, quæ olim in nostra provincia tenebantur, ac etiam statutorum synodalium per nos & nostros prædecessores editorum, quas constitutiones pro morum correctione & decisione, causarum & casuum frequentius occurrentium magis utilis, & transgressoribus periculosiores judicavimus, & unanimi consilio & assensu suffraganeorum, capitulorum, conventuum, omniumque prælatorum, personatus dignitates, vel officia ecclesiastica regentium, cæterorumque subditorum nostrorum, quocumque nomine censeantur, plano & brevi stylo, ut facilius commendari possent memoriæ, in unum libellum duximus redigendas, quem & nullum alium pro constitutionibus provincialibus reputari volumus, & haberi. Omnes alias constitutiones provinciales ecclesiæ Moguntinæ, quod totam nostram provinciam, & omnia statuta synodalia a prædecessoribus nostris, vel a nobis usque in præsens edita, quo ad nostram diœcesim præsentibus non insertas, & inserta irritantes, immo irritas & irrita nunciantes, & omni carere decernimus roboris firmitate. Ut autem constitutiones ipsæ ad singulorum perveniant notitiam clariorem venerabilibus fratribus episcopis nostris in virtute S. obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus ipsas mox sibi scribi faciant & procurent, ac singulis annis, cum suas synodos celebrant, clero suo eorumdem studium, observantiam studiosius recommendent. Cathedralium vero & collegiatarum ecclesiarum capitula habeant earumdem constitutionum duo paria, unum sub sigillo nostro, quod in sacristia servent, aliud quod in ecclesia sua in loco patenti affixum, catenula a die publicationis eorumdem infra trium mensium spatium reponi faciant. Archidiaconi autem, decani rurales, & parochialium ecclesiarum rectores singuli, unum libellum ipsarum constitutionum pro se comparent: nam lapsis tribus mensibus nemo per ignorantiam earumdem poterit se tueri.

De summa Trinitate & fide catholica.

Firmiter præcipimus, ut universi prælati plebani, & rectores ecclesiarum nostræ provinciæ de S. & individua Trinitate, Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, & in articulis fidei, maxime divinitatem & humanitatem Domini nostri Jesu Christi concernentibus, nil aliud credant, teneant ac doceant, nisi quod S. Romana credit, tenet & docet ecclesia. Laici implicite, clerici vero explicite & distrincte. Et ne quis Clericorum per crassam ignorantiam Articulorum fidei se possit aliqualiter palliare, de ipsis articulis fidei, & de quibusdam aliis ad salutem fidelium summe necessariis libellum quemdam, qui de tribus punctis essentialibus religionis Christianæ intitulatur, in fine harum nostrarum constitutionum decrevimus annectendum. Quem libellum insertum cum præsentibus nostris constitutionibus mandamus per omnia haberi, & contenta in eo studiosius intelligere & efficaciter observare.

De constitutionibus.

Statuimus, quod constitutiones seu statuta provincialia, quælibet personarum superius expressarum, ad provinciale concilium secum afferat, & lectionem earumdem audiat, ac easdem in eodem perlegat. Hoc ipsum circa synodalia episcoporum statuta, per subditos ipsorum in synodis episcoporum episcopalibus observare mandamus

De rescriptis.

Fraudibus impetrantium rescripta apostolica, in quibus actor rei potentiam se perhorrescere falso proponens, ad hunc finem tantum, judices extra communem ipsorum diœcesim impetrat, ut reus fatigatus laboribus & expensis, cum eo pro suo libito concordare cogatur, obviare volentes, statuimus, quod diœcesanus ipsorum, vel ejus officialis, ad instantiam rei, si hoc notorium fuerit, quod non est tantæ potentiæ, quam actor, merito perhorrescere debeat, teneatur conditionem actoris & rei scribere judici taliter impetrato, & ipsum petere, ut super hoc rei probationes recipiat potius, quam credat actoris simplici juramento. Nam licet jus permittat hujusmodi perhorrescentiam probari posse juramento, quæ probatio inter cæteras est fragilior; non tamen prohibetur, quin reus volens contrarium probare pro-

propter testes, quorum probatio est fortior juramento, sit merito admittendus. Adjicientes, quod nullus ad requisitionem cujuscunque ignoti judicis se delegatum vel subdelegatum sedis apostolicæ asserentis aliquam citationem seu publicationem processuum quorumcumque audeat facere, nisi prius sibi de jurisdictione ipsius per ostensionem bullæ apostolicæ, vel transumpti auctoritate Ordinarii per manum publicam facta fuerit plena fides. Ut autem de citationibus factis & processibus exequutis constare possit, injungimus decanis & parochialium ecclesiarum plebanis, ut quilibet ipsorum sigillum proprium infra mensem, a præsentium publicatione numerandum, habere teneatur sub pœna unius fertonis grossorum Pragensium fabricæ cathedralis ecclesiæ persolvendum.

ANNO CHRISTI 1346.

De diutina consuetudine.

Olim ecclesia Moguntina diuturne servatam consuetudinem introduxit, quam demum perpetuis servandam temporibus statuti provincialis serie declaravit, ut archiepiscopus Moguntinus vel ipsius officialis causas appellationum, vel alias ad Moguntinam sedem legitime devolutas subditis suorum suffraganeorum in toto, vel in parte possit committere, & eos ad suscipiendas hujusmodi causas compellere. Nos considerantes prædictas consuetudines, & statuta pro subditorum litigantium commodo introductas, & ante erectionem nostræ Pragensis ecclesiæ in Pragensium & Olomucensium diœcesibus observatas, eas in provincia nostra inviolabiliter servandas & tenendas de cætero hoc sancto approbante consilio definimus.

De electione

Cum in ecclesiis prælatorum seu canonicorum electio, vel præbendarum, vel beneficiorum collatio, vel bonorum alienatio seu obligatio, aut alia ardua negotia ecclesiæ imminent facienda, ad talia absentes canonici sunt vocandi; alioquin ipsis instantibus per superiorem cassabitur, quod in eorum absentia per præsentes fuerit attentatum, nisi consuetudo habeat eos ad talia non vocari, vel abientes sint extra provinciam constituti. Excommunicamus omnes seculares & regulares canonicos ac monachos, qui in electionibus, aut aliis suarum ecclesiarum, aut monasteriorum negotiis prosequendis conspirationes, conjurationes, seu alias colligationes quascunque fecerint; eis districtius injungentes, ut ipsi utilitatem & protectum ecclesiarum & monasteriorum suorum, solum Deum habentes præ oculis, recta conscientia & mente libera satagant procurare.

De renunciatione.

Sunt nonnulli, qui se ad beneficia ecclesiastica minus pinguia procurant institui, ut ratione tituli recipiantur ad ordines, & demum facti presbyteri temeritate propria dimittunt beneficia, & more conductorum servorum singulis annis pro quotidiano victu de una ecclesia ad aliam se transferunt, facientes quæ non licet loqui in cleri opprobrium & scandalum laicorum. Nos attendentes, quod nullus sine superioris sui licentia beneficium ecclesiasticum dimittere vel recipere potest, temeritatem hujusmodi volentes compescere, statuimus, quod tales per diœcesanos suos suspendantur ab executione ordinum susceptorum. Et nihilominus in exaggeratione facti subdantur pœnitentiæ carcerali. Verum cum beneficium suum aliquis ad manus sui superioris renunciare voluerit, superior ipse de renunciationis causa an sit rationabilis, & justa, & per consequens admittenda; an vero simoniaca, vel in fraudem expectantium, aut ordinum, ut prædicitur, receptorum, seu per vim & metum extorta, & sic non admittenda, inquisitionem faciat diligentem.

ANNO CHRISTI 1346.

De ætate & qualitate ad sacros ordines & curata beneficia promovendorum.

Cum clericorum ordinatio, vel beneficiorum provisio imminuerit facienda, prælati ex sui officii debito diligenter inquirant, an promovendus ad sacros ordines vel curatum beneficium sit gravis in moribus, ætatis legitimæ, & scientiæ competentis, & utrum si de toro legitimo generatus, si in sæculo remanet, quoad sacros ordines, vel curatum beneficium obtinendum, solus papa poterit dispensare. Et ipse promovendus, vel aliquis suorum progenitorum usque ad quartum gradum, per paternam lineam ascendendo, occiderit vel mutilaverit aliquem clericum, in sacris ordinibus constitutum, & pro clerico se gerentem; & utrum habeat perpetuum beneficium ecclesiasticum, vel sufficiens patrimonium volens ad sacros ordines promoveri. Et si est de alia diœcesi, utrum habeat commendatitias seu dimissorias superioris sui litteras. Quem autem criminosum vel defectuosum invenerint in præmissis, vel aliquo præmissorum, hunc omnino repellant. Præcipimus insuper, quod episcopi excommunicationis sententiam proferant in illos, qui furtive ad receptionem ordinum accesserint, priusquam ordinationem inchoent clericorum.

De Clericis peregrinis.

Nullus in ecclesia sua ignotum seu peregrinum de alia diœcesi venientem, ad celebrationem divinorum in publico præsumat admittere, licet formatas suas, & litteras seu ordinationes exhibeat, nisi etiam ostendat litteras diœcesani episcopi, vel ejus vicarii, in cujus diœcesi habeat licentiam celebrandi. Contrarium faciens, in uno fertone grossorum Pragensium pro admissione qualibet, per loci archidiaconum puniatur, pro utilitate fabricæ cathedralis ecclesiæ convertendo.

De officio archidiaconi

Permittimus, ut archidiaconi juxta antiqua statuta ecclesiæ Moguntinæ, per consuetudinem approbatam, personaliter in suis sedibus residentes, si juris habeat peritiam, seu assessores peritos, causas matrimoniales, & usurarum audire, & definire valeant, causis aliis diœcesanis episcopis & ipsorum officialium examini reservatis. Judicata per eos, præterquam in causis supra dictis, sint irrita ipso jure. Et nihilominus per loci diœcesanum a suis officiis suspendantur. Nec absque suorum episcoporum speciali licentia, ex causa quacunque a Clero suo-

☞ suorum archidiaconatuum possint petere subsidium moderatum.

ANNO CHRISTI 1346.

De vicariis.

Multorum querelis, & propria experientia nos docente, didicimus, quod nunnulli prælati seu canonici cathedralium & collegiatarum ecclesiarum secularium & regularium, quorum dignitatibus, præbendis seu monasteriis parochiales ecclesiæ incorporatæ sunt vel annexæ, perpetuis vicariis eorumdem assignant sic tenuem portionem, quod de ea vicarii nequeunt sustentari. Nos in his dispositionem juris communis observari volentes, omnibus, ad quos talium vicariorum institutio seu investitura pertinet, præsentis statuti serie districte præcipimus, quod de cætero nullatenus ad vicarias ipsas præsentatos admittant, nisi prius ipsis pro sustentatione sua & hospitalitate servanda, ac pro aliis oneribus incumbentibus sufferendis congrua portio deputetur. Insuper rectoribus parochialium ecclesiarum simili districtione mandamus, ut quando ipsis, studiorum vel ex alia justa causa per episcopum datur licentia se ad tempus a suis ecclesiis absentandi, non quærant vicarios, qui eis solvant magnam pensionem, quam verisimiliter de fructibus beneficii ultra sustentationem comportare non possint; sed potius illos, quos plebibus suis prodesse crediderint, verbo pariter & exemplo adjuvet. Hujusmodi autem vicarios, rectores ecclesiarum episcopo loci præsentare teneantur, ut ab eo, præmisso examine, pro illo tempore curam animarum recipiant, quam rectores ipsi auctoritate propria eis nequeunt delegare.

De officio delegatorum.

Quorumdam delegatorum sive subdelegatorum, in tantum progreditur periculosa temeritas, quod licet a sede apostolica simplices in forma commissionis recipiant, nihilominus tamen earumdem auctoritate nonnunquam etiam pro pecuniario debito, terras, civitates, Oppida, Villas, Loca, Territoria, vel districtus ecclesiastico subjiciunt interdicto. Et ut male factum deterius valeant effectui mancipare, in suum subsidium potentiam invocant brachii secularis, cum auctoritate talium judicum, vel pro tali causa interdicta posita, ipso jure sint nulla; omnibus metropolitico jure nobis subjectis, ne interdicta hujusmodi aliquatenus teneant, districtius inhibemus, nec sæculare brachium, quoad hoc, ipsis præstet aliquod subsidium vel juvamen.

De officio Ordinariorum.

Ne inferiores prælati suorum superiorum jurisdictionem eludant, episcopis, archidiaconis, diaconis, & aliis prælatis, seu eorum officialibus, in virtute S. obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ districtius inhibemus, ne subditis suis, seu eis qui litigant aut litigaverunt coram eis inhibitionem faciant, aut aliquod impedimentum præstent, directe vel indirecte, quominus appellatione, vel alias suas cautas ad superiorum examen deducere valeant aut perferre. Cum propter occupationes multiplices, aut invalitudines corporales seu occasiones alias, episcopi per se ipsos non sufficiant ministrare populo verbum Dei, ac ipsius confessiones audire, maxime propter amplas diœceses & diffusas, assumant sibi viros idoneos ad S. prædicationis officium salubriter exequendum, potentes in opere & sermone, qui plebes sibi commissas, vice ipsorum, cum per se iidem nequiverint, sollicite visitantes, eos verbo ædificent pariter & exemplo, ac cæteris, quæ ad salutem pertinent animarum. Habeant etiam saltem tres primarios seculares vel religiosos industrios & peritos, quorum duo apud ecclesiam Cathedralem sint assidui, tertius episcopalem curiam sequatur continuo, quibus plenam suam auctoritatem tribuant in audiendis confessionibus, & absolutionibus impendendis, & eis, cum indiguerint, congrua necessitati subministrent, ne pro necessariorum defectu cogantur desistere ab incepto. Celebrent autem episcopi missarum solemnia in suis ecclesiis cathedralibus, præsertim in festivitatibus Domini & Virginis gloriosæ, clero & populo indulgentias solitas concedentes. Et quia plures non re, sed solo nomine, tam clerici, quam monachi, magis metu pœnæ, quam verbo vitæ a suis cohibentur excessibus, statuimus, quod episcopi suos habeant carceres duplicatos, minores & magis rigidos, in quibus secundum exigentiam criminum, tales delinquentes ad tempus, vel in perpetuum ad agendam pœnitentiam recludant. Præsenti prohibemus edicto, ne episcopi aut abbates, seu quivis alii seculares vel regulares, aut ecclesiasticæ vel laicæ quæcunque personæ vacantibus dignitatibus, personatibus, prioratibus, vel ecclesiis quibuscumque sibi subjectis, seu ad collationem, præsentationem, ordinationem, institutionem vel custodiam pertinentibus, eorumdem bona, morientibus eorum rectoribus, vel ministris in ipsis inventa, sive vacationis ipsorum tempore obvenientia, quæ in utilitatem eorumdem expendi vel futuris debent successoribus fideliter reservari, occupare, aut in usus suos convertere quoquo modo præsumant: alioquin episcopi ab ingressu ecclesiæ; cæteri vero clerici ab officio & beneficio tandiu eo ipso noverint se suspensos, quousque restitutionem fecerint de prædictis. Laici vero patroni, pro illa vacatione præsentandi potestate, & nisi moniti occupata plene restituant, infra mensem jure patronatus ipsius ecclesiæ perpetuo sint privati.

De majoritate & obedientia.

Cum inferior suo Superiori regulariter ad exhibendam reverentiam & obedientiam teneatur, quorum exhibitio nonnisi per obsequium humilitatis extrinsecus præstitum aliorum notitiæ innotescit; quapropter canonici cathedralium & collegiatarum ecclesiarum prælatis, & inferiores prælati superioribus, ac universaliter omnes clerici majoribus suis, in assurgendo, inclinando, & aliis prærogativis, quibus consueverunt homines revereri, honorem debitum deferant reverenter, ut etiam laici a clero sumentes humilitatis exemplum, eidem exhibeant reverentiam ampliorem. Quia frequenter rectores parochiarum non audent contra nobiles & potentes mandata superiorum exequi, propter eorum tyrannidem belluinam, statuimus, quod nullus presbyter assumat capellaniam cujuscumque nobilis vel potentis, seu ipsorum capellas tanquam capellanus officiet, nisi prius episcopo diœcesano, super eo, quod ad ipsius synodos ve-

ANNO CHRISTI 1346.

ANNO CHRISTI 1346.

veniat, & mandata superiorum sibi injuncta, A ad sui domini & ipsius Castri familiæ notitiam perferat, obedientiam faciat manualem. Item, cum aliquis nobilis justitiarius, seu laicus quicunque captivaverit aliquem clericum, pro clerico se gerentem, seu deprædatus fuerit alicujus ecclesiæ bona; capellani castrorum hujusmodi & plebani locorum, in quibus clericus detinetur captivus, aut præda servatur, quam primum hoc sciverint, etiam non expectato super hoc alio superioris mandato, a celebratione abstineant divinorum, sub pœna excommunicationis; quam facientes contrarium incidere volumus ipso facto. Omnes clerici seculares & religiosi, metropolitico & diœcesano nobis jure subjecti, pro serenissimo domino no- B stro *Carolo* Romanorum & Boemiæ rege, & gloriosa conthorali sua domina regina, ac eis qui pro tempore fuerint Boemiæ regibus & reginis, in missis & quotidianis orationibus suis, fundant devotas preces ad Dominum, ut in præsenti vias ipsorum dirigat per suorum semitas mandatorum, pro statu pacifico subditorum, & in futuro eis præmium tribuat beatorum.

De postulando.

Repellantur ab advocationis seu postulationis officio in presbyteratus ordine, vel in dignitate prælationis ecclesiasticæ constituti, nisi pro C prias & ecclesiæ suæ, aut cum necessitas imminet, conjunctarum, vel miserabilium personarum causas, non temporalis lucri causa, sed divinæ retributionis intuitu prosequantur. Religiosi vero solum in causis suorum Monasteriorum, & tunc, cum super hoc a suis superioribus mandatum ostendunt, ad hujusmodi postulationis vel procurationis officium admittantur.

De his, quæ vi, metusve causa fiunt.

Ex multorum inobedientia tam secularium clericorum, quam religiosorum, crudelibus hominibus displicere nolentium, contemnitur nervus ecclesiasticæ disciplinæ, quibus cum a suis Superiori injungitur, ut contra rebelles processus publicent, vanum metum talium prætendentes, eosdem processus publicare recusant, & ex hoc illi, pro quibus hujusmodi sunt latæ sententiæ, beneficio executionis eorumdem debito defraudantur. Ut igitur huic pesti salubris obviet medicina, sacrorum Canonum sequentes vestigia definimus: Quod metus amissionis rerum temporalium omnium vel saltem majoris partis, aut invasionis personæ verisimiliter propter publicationem hujusmodi processuum imminens, qui probari possit, si inquirat superior, propter testes idoneos subditum ab executione mandati Superioris sui excusat. Si quis vero ad communicandum excommunicatis, vel celebrandum coram eis, seu in loco supposito ecclesiastico interdicto, sive ad quodcumque simile faciendum se coactum asserat, quod jure vel mandato Superioris fieri prohibetur, qualiscunque sit metus, quem prætendit, etiam si poterit cadere in constantem virum, eum a transgressionis pœna non valeat quomodolibet excusare. Qui autem absolutionem a sententiis excommunicationis, vel suspensionis, aut relaxationem interdicti per vim, seu per metum extorquent, ipso facto sunt excommunicationis vinculo innodati.

De alienatione mutandi judicii causa facta.

Cum concessiones actionum multis intervenientibus causis invalidæ reputentur, ad tollendam super hoc omnem materiam dubitandi, hoc sacro approbante Concilio, illam tantum cessionem, quæ fit in præsentia, & auctoritate proprii episcopi, vel ejus officialis, seu alterius ordinarii judicis, præmissa summaria cognitione, an fiat ex causa legitima, validam reputamus.

De judiciis.

Hoc sacro approbante Concilio statuimus, B quod hi, qui propter pericula verisimiliter imminentia, propter Nuntios personaliter adiri non possunt, ut citentur in ipsorum parochiali ecclesia per edictum in publico. Et sic ibidem etiam citator de periculo dubitaret, tunc in Ambone cathedralis ecclesiæ, continuis tribus diebus Dominicis, citatio talium publice proponatur, contra quos taliter evocatos procedi poterit, si fuerint contumaces, ac si eos apprehendisset citatio personalis. Reus autem, qui per se, vel per alium, seu alios, Nuntium Judicis spoliat, verberat vel captivat, excommunicationis sententiam incidat ipso facto.

De foro competenti.

Quia tam ecclesiasticus quam secularis ordo confunditur, cum unicuique sua jurisdictio non servatur, hinc est, quod spiritualia & secularia judicia esse convenit impermixta. Quare omnibus ecclesiasticis judicibus districtius inhibemus, ne laicos ad instantiam quorumcunque clericorum vel laicorum, pro causis secularibus, seu mere civilibus, ad suum consistorium citari faciant, aut de cognitione causarum hujusmodi se aliquatenus intromittant, nisi forte miserabilium personarum, vel in defectum judicis secularis. Nec e contra judices seculares, clericos, pro quibuscumque causis criminalibus, D vel civilibus, nec etiam laicos super rebus, vel possessionibus ecclesiarum, quocunque titulo eas possideant, aut suum judicium faciant evocari, vel eas audeant judicare. Alioquin tam ecclesiasticus, quam secularis judex metas suæ potestatis excedens, excommunicationis sententia innodetur. Et actor clericus, qui reum indebite coram non suo judice fatigavit, in expensis condemnetur, & super eadem causa de cetero nullatenus audiatur.

De fide instrumentorum.

Cum ex eo, quod plerique rudes & ignari per se prothocolla facere nescientes, & alii se E notarios publicos mentientes, conficere instrumenta præsumunt, ex quibus plurima incommoda & pericula oriuntur, quibus nos obviare volentes prohibemus, ne pro Notario publico quisquam se gerat, vel quævis instrumenta conficiat, antequam de creatione sua, loci Dioecesano, vel ejus officiali, fecerit plenam fidem. Contrarium faciens, excommunicationis sententiam incidat, & instrumenta per eum confecta sint irrita ipso facto.

ANNO CHRISTI 1346.

De Appellationibus.

Juris beneficio Appellans, nonnunquam abutitur, qui revocatione per appellationis Judicem attemptatorum post sententiam obtenta contentus, de justitia forsitan principalis causæ dubitans appellationem suam prosequi prætermittit. Ut igitur parti appellanti & honori Judicis, a quo appellavit, provideatur de remedio opportuno, præsenti constitutione statuimus, quod si appellans ipse, justo impedimento cessante, suam appellationem non prosequatur, ex tunc Judex ipse, a quo appellavit, eum in pristinas reducat sententias, quousque judicatis pareat, vel appellationem suam debite prosequatur.

De vita & honestate Clericorum.

Dolenter referimus, quod multorum est adeo reprehensibilis vita clericorum, ut ipsi per exempli perniciem mores non instruant, sed destruant potius Laicorum. Quapropter universi clerici mores & vitam reforment in melius, & ea, quæ ad ipsorum statum & honestatem pertinent cum magna cautela custodiant, nec solum a malo, sed etiam ab omni specie mali se prudenter studeant cohibere, continenter & caste vivant, a crapula & ebrietate abstineant, quæ sunt libidinis incentiva. Et etiam, quando convivia præparant, quæ rara sint, clerici sex cibariorum seu ferculorum numerum non excedant. Tabernas non visitent & arma non portent, nisi propter necessitatem & viarum pericula in itinere constituti. Officia vel commercia secularia, & præsertim carnificum seu macellariorum, aut tabernariorum prorsus evitent. Nam clerici, si hujusmodi carnificum aut tabernariorum officium publice & personaliter exerceant, & cum hoc deferunt habitum clericalem, & per diœcesanum tertio moniti, ab hujusmodi officiis non destiterint, vel desistent, vel postea reassumunt, in rebus propriis clericorum immunitate non gaudeant. Si vero, cum hoc abjiciunt habitum clericalem, etiam quoad personam, perdunt privilegium clericale: decet etiam, ut clerici coronam seu clericalem tonsuram, patentibus auribus, cum habitu deferant clericali. Et quicunque clericus publice virgata vel partita veste utitur, nisi rationabilis causa subesset, si Beneficiatus extiterit, per sex menses a perceptione fructuum Beneficiorum, quæ obtinet, sit ipso facto suspensus. Si vero beneficiatus non fuerit, in sacris tamen ordinibus infra sacerdotium constitutus, per idem tempus redditur eo ipso inhabilis ad Beneficium ecclesiasticum obtinendum. Et idem est de aliis clericis, qui nec beneficiati sunt, nec sacram vestem talem, simul & tonsuram, publice deferunt clericalem. Dignitatem vero, vel personatum seu beneficium aliquod obtinens, cui cura imminet animarum, nec non cæteri in sacerdotio constituti ac Religiosi quilibet, quos oportet per decentiam habitus extrinseci morum intrinsecam honestatem ostendere, si præterquam ex causa rationabili publice vestem ferant hujusmodi, sunt eo ipso beneficiati a perceptione fructuum beneficiorum, quæ obtinent, suspensi per annum. Cæteri vero sacerdotes & religiosi quilibet, per idem tempus annuale redduntur inhabiles ad quæcunque beneficia ecclesiastica obtinenda. Clerici insuper maxime beneficiati, caligis scacatis rubeis ac viridibus uti non debent, nec Joculatores se faciant. Et si per annum, vel post trinam monitionem, artem illam ignominiosam exerceant, eo ipso privati sunt omni privilegio clericali. Alearum & Taxillorum ludos fugiant, chorearum, torneamentorum & hastiludiorum & aliis publicis spectaculis non intersint. Clausuram monasteriorum Monialium, absque causa rationabili & manifesta, & sine superioris licentia ingredi non præsumant. Clericos, qui vagi communiter nuncupantur, in domibus suis non recolligant, nec eis aliquod munus parvum vel magnum tribuant. Ecclesiam cathedralem vel collegiatam, in qua quis beneficiatus existit, infra divinum officium sine religione non intrent. Presbyteri parochialium ecclesiarum Campanatores litteratos, seu clericos, non laicos uxoratos habeant, qui cum eis cantare vel legere non ignorent. Et cum divinum officium celebrant, vel fidelibus ecclesiastica sacramenta ministrant, uterque presbyter & campanarius, superpelliciis desuper sint induti. Insuper nullus presbyterorum sine Ministro missam audeat celebrare.

De cohabitatione clericorum & mulierum.

Quamvis fornicationis crimen inter cetera crimina sit detestabilius clericis, utpote, quia inter ceteras virtutes principaliter carnis continentiam profitentur; multi tamen clerici suæ salutis & professionis immemores, non solum tentationibus victis, desideria carnis perficiunt, sed etiam tentationem præveniunt, dum ne frustra tententur, in domibus propriis, vel vicinis, paratas ad malum, fornicarias nutriunt mulieres. Ne igitur crimen ipsum videamur per tolerantiam approbare, omnes clericos, qui de cetero in domibus suis suspectas mulieres, vel etiam extra domum in sua procuratione publice detinent concubinas, si sunt beneficiati, beneficiis suis privandos, si vero non habeant beneficia, ab executione ordinum, per suos superiores fore decernimus perpetuo suspendendos. Quos demum eorum malitia exigente, ipsi superiores carcerum pœnis afficiant, vel de suis diœcesibus ejiciant vel expellant, si nec sic curaverunt vitam suam emendare: archidiaconos autem locorum, qui clericos sui archidiaconatus, plebani qui vicinos, sive socios hac labe respersos scienter tolerant, tanquam pro concubinatu proprio volumus condemnari. Licet autem clericus pro fornicationis crimine, vel alio mortali quolibet, quo ad seipsum sit suspensus, non tamen debet ab aliis in divinis officiis evitari, nisi crimen ipsum sit notorium per sententiam seu confessionem factam in jure, aut evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit. Notorium concubinarium dicimus per canones etiam ab officio, ne dum quo ad se, verum etiam quo ad alios suspensum; qua suspensione durante, si divinis se ingerit sicut prius, irregularitatis notam incurrit, a qua nisi per summum Pontificem poterit liberari.

De clericis non residentibus in beneficiis.

Si parochialis ecclesiæ rector, vel alius clericus a beneficio, quod obtinet, sine sui superioris licentia, se præsumpserit absentare, eodem beneficio per superiorem suum est privandus, quacumque contraria consuetudine non ob-

obstante. Cum de jure communi quodlibet beneficium requirat residentiam personalem.

ANNO CHRISTI 1146.

De præbendis & dignitatibus.

Eum qui beneficium, cui cura animarum imminet, vi occupat, seu se scienter injuste intrudit in eo, decernimus ipso jure privatum beneficio, quod cum cura simili primitus obtinebat. Non enim decet, ut stultus melioris quam peritus conditionis existat, vel quod invasor eo qui juste ingreditur privilegio gaudeat potiori. Insuper ut violenti, qui auctoritate, vel verius temeritate propria occupare dignitates, personatus aut alia quæcunque beneficia ecclesiastica non verentur, etsi non virtutis amore, pœnæ saltem formidine a suæ temeritatis audacia refrenentur, eo ipso jus si quod in dignitatibus, personatibus & beneficiis occupatis taliter, vel ad ea, ipsis forsitan competebat, amittant.

De institutionibus.

Statuimus, quod persona ecclesiastica quæcunque regularis vel secularis in dignitate, personatu, officio, seu ecclesiastico beneficio quocunque, non instituatur, vel ad illud confirmetur, nisi ante omnia de obedientia & reverentia suis Superioribus impendenda, de statutis Provincialibus & Synodalibus, in quantum eum tangunt, observandis, ac de cura & onere beneficii, in quo instituendus est, pro posse suo explendis, corporale præstiterit juramentum; institutionem contra præmissa factam nullius firmitatis fore decernentes. Clericus, qui auctoritate patroni clerici vel laici sine institutione episcopi, vel ejus, ad quem institutio ejusdem beneficii de jure pertinet, vel consuetudine approbata in beneficio ecclesiastico in spiritualibus & temporalibus administrare præsumit, eo ipso, ad illud se reddit indignum. Patronus vero, qui talem in hujusmodi beneficio pertinaciter fovere præsumpserit, perpetuo præsentandi potestate privetur. Religiosi similiter etiam exempti in ecclesiis, quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, & per religiosos consueverunt gubernari, instituendos presbyteros episcopis repræsentent, ut ipsis de plebis cura respondeant, religiosis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Nec institutos per episcopos etiam religiosos sine auctoritate ipsorum episcoporum religiosi poterint removere, nisi eis hoc competat ex privilegio speciali. In hujusmodi quoque institutionum & aliorum arduorum negotiorum litteris exinde confectis archiepiscopalis vel episcopalis majoris sigilli appositionem sine minoris impressione decernimus non valere.

De concessione præbenda non vacantis.

Ne contra statuta Canonum desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus præbenda se crediderit successurum, districtius inhibemus, ne capitulum cathedralis vel collegiatæ ecclesiæ, aliquem, non vacante præbenda in canonicum recipiat & in fratrem, nisi evidens utilitas ecclesiæ id exposcat, quam suo episcopo exponere teneatur, & hinc unam personam tantum recipiendi habeant facultatem. Quibus omissis receptio unius vel plurium eo ipso sit nulla. Et in pœnam capituli episcopus totidem in eadem ecclesia canonicatus & præbendas conferat, dum vacabunt.

ANNO CHRISTI 1146.

De rebus ecclesiæ alienandis, vel non.

Indemnitatibus ecclesiarum providere volentes, statuimus, ut in cathedralibus & collegiatis ecclesiis, prælaturarum, præbendarum & cæterorum officiorum & ministeriorum ac bonorum ecclesiæ communium omnium redditiuum & proventuum, in quibus villis ex nomine & in quibuscumque rebus consistent, & quid ad cujuslibet dignitatem, officium, præbendam seu dispensationem pertineat, sub sigillis majoris prælati, & ipsius capituli, habeatur in Sacristia ecclesiæ clara & fidelis conscriptio, ut saltem novus prælatus, canonicus, vel minister per hujusmodi scripturam, de suis juribus & proventibus informatus, recuperare valeat per suum prædecessorem deperdita, vel neglecta. Similiter Libri, ornatus, calices & cætera clenodia & ornamenta ecclesiæ registrentur, & saltem de anno in annum revideantur per seniores de capitulo, ut appareat, si qua per imprudentiam Ministrorum sunt distracta, vel eorum diligentiam acquisita.

Administratores bonorum ecclesiarum vacantium, vel alia ex causa legitima Superioris officio deputati, si quam possessionem ipsius ecclesiæ, vel rem mobilem pretiosam sine consensu majoris & senioris partis capituli, donationis, venditionis, permutationis vel emphiteusis titulo alienent aut obligent, invalidus sit contractus. Quod si abbates, præpositi, priores, seu alii quivis monasteriorum seu religiosorum locorum rectores, aliqua de rebus suorum monasteriorum citra formam canonum, ut prædicitur, alienare præsumpserint, contractus est nullus. Et alienantes per suos superiores administrationum officiis perpetuo spolientur. Nec aliquis creditorum audiatur repetens a successore mutuum, quod fecit, etiam super litterarum vel pignorum cautione; nisi prius probet, quod in evidentem utilitatem ecclesiarum seu Monasteriorum hujusmodi sit conversum.

De emtione & venditione.

Si quis emerit animalia, vel alias res prædatas, cum in prædonis jus succedat ad restitutionem eorumdem, per censuram ecclesiasticam compellatur. Emtor vero vel venditor, qui alterum decipit in legitimo pondere vel mensura, aut qui scienter ignoranti rem vendiderit vitiosam, poenitere non potest, donec satisfaciat taliter damnum passo.

De pignoribus.

Sacrorum canonum vestigiis inhærentes declaramus. Quod si quis alteri castrum, villam, seu possessionem quamlibet titulo pignoris obligat, ratione cujus ad eumdem ecclesiæ inibi situatæ jus pertinet patronatus, etsi hoc non exprimat, nihilominus apud obligantem jus remaneat præsentandi, ex eo, quia fructus rei pignoratæ minuunt debitum principale, fructus vero juris patronatus cum sit spiritualis, nequit cum rebus temporalibus compensari.

ANNO CHRISTI 1346.

De testamentis & ultimis voluntatibus.

Cum in officiis charitatis primo loco illis naturaliter obligemur, a quibus beneficium nos cognoscimus recepisse, proinde statuerunt & definierunt sancti Patres, quod clericus de bonis per ecclesiam & intuitu ecclesiæ acquisitis, non potest condere testamentum, sed bona hujusmodi, sive clericus ipse testatus, sive intestatus decedat, per eum relicta ecclesiæ a qua percepit beneficium, vel successoris usibus applicentur: salvo quod pauperibus & religiosis locis, & illis, qui sibi viventi servierunt, sive consanguinei sint, sive alii, juxta servitiorum merita, potest donationem facere moderatam. De his vero, quæ personæ suæ industria vel intuitu, aut ex successione parentum acquisivit, disponere poterit in vita pariter & in morte. Præterea, statuta locorum, quæ habent, quod nullus ultra certam summam ecclesiis vel clericis donare seu legare audeat in ultima voluntate, irrita judicamus, cum iniquitatem contineant & testandi perimant libertatem. Conditores vero hujusmodi statutorum, ac eisdem utentes coerceantur canonica disciplina. Invigilent insuper ordinarii circa executores testamentorum & ultimarum voluntatum & contra illos, qui eas impediunt quovismodo, ut ipsæ voluntates extremæ, infra tempus testatoris arbitrio limitatum effectui mancipentur. Vel si testator executionis terminum non præfixit, ut ipsa executio ultra unius anni spatium nullatenus prorogetur. Executores etiam ultimarum voluntatum de bonis defuncti se nullatenus intromittant, donec de eisdem inventarium fecerint, sub fide dignarum testimonio personarum.

De sepulturis.

Illi, qui propria temeritatis audacia defunctorum corpora in cœmeteriis, interdicti tempore in casibus non concessis a Jure, vel excommunicatos publice aut nominatim interdictos, vel usurarios manifestos, scienter sepelire præsumant, excommunicationis sententiæ subjaceant ipso facto, a qua nullatenus absolvi poterunt, nisi prius ad arbitrium dioecesani episcopi, eis quibus per præmissa fuerit injuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem. Quicunque religiosi & seculares clerici aliquem ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducunt, ut sepulturam apud eorum ecclesias eligant, vel jam electam ulterius non immutent, excommunicationis sententiam incidunt ipso facto, a qua ab alio, quam a sede apostolica, præterquam in mortis articulo, nullatenus absolvantur. Nec valet talis electio. Et is, qui sic elegerit, nec apud sic electam ecclesiam sepeliri, nec alibi poterit eligere sepulturam, ne contra votum, juramentum vel promissum hujusmodi a se factum, materiam habeat veniendi, sed contradictione quacunque cessante, sepeliatur omnino apud illam ecclesiam, apud quam sepeliendus de jure fuisset: si alias sepultura non electa forsitan decessisset. Si vero iidem religiosi, vel clerici prædictum in sua ecclesia vel cœmeterio præsumpserint sepelire, ad restitutionem tam sepulti corporis, si petatur, quam etiam omnium quæ occasione sepulturæ illius pervenerint, quomodolibet ad eosdem infra decennium integraliter faciendum obligantur, quæ nisi fecerint, Ecclesia ipsa apud quam sepultus fuerit, nec non ipsius cœmeterium, ex tunc eo ipso sunt & tamdiu manebunt ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum. Plebanus ecclesiæ, vel ipsius vices gerens, si præter licentiam sui episcopi, vel ipsius in spiritualibus vicarii, defunctum intra parochialem ecclesiam præsumpserit sepelire, in pœnam unius Sexagenæ Grossorum Pragensium ad fabricam cathedralis ecclesiæ applicandorum incidat ipso facto. Et nihilominus per episcopum subjiciatur pœnitentiæ graviori, nisi is, qui est sepultus, fuisset presbyter vel patronus ecclesiæ, aut alius ipsius ecclesiæ notabilis benefactor.

De parochiis.

Dominicis & aliis festivis diebus, presbyteri parochiarum, antequam missam celebrent, plebem interrogent, si alterius parochianus sit in ecclesia, qui proprio contempto plebano ibi missam velit audire. Quem si invenerit, de ecclesia ejiciant sine mora. Nullus presbyter parochianum alterius, sine proprii sacerdotis licentia, nisi mortis periculo constitutum ad confessionem recipiat, cum eum absolvere nequeat, vel ligare, neque ei ministret quodcunque aliud ecclesiasticum sacramentum.

De statu Monachorum.

Præcipimus, ut abbates, præpositi, priores monachorum & canonicorum regularium, nec non abatissæ, magistræ & prioritissæ monialium, tam in se iptis, quam in subditis, prout ad cujuscunque spectat officium, vitam, & conversationem exhibeant, ac habitum deferant regularem, se ipsos ac suos subditos ab his præcipue, qui ipsorum professioni obviant, & ordinis honestati non congruunt, puta circa exquisitum ornatum vel notabilem excessum in vestibus, cibis, & potibus, equitaturis, & lectisterniis ac similibus superfluitatibus, seu taxillorum, alearum, & schachorum ludis, ac chorearum lasciviis, totaliter cohibentes, juxta dispositionem suæ regulæ, & sacrorum canonum instituta, sollicite providentes, quod nullus monachus vel canonicus regularis, seu monialis, nisi ratione administrationis seu officii, possessiones, redditus, vel aliud quidquam proprii habeat, quinimmo illud, quod cuilibet singulari personæ, ex suo labore vel artificio aut parentum seu amicorum largitione obvenit, superiorum manibus offeratur, ut per ipsius providentiam circumspectam, emolumentis hujusmodi communitatis, vel singularium personarum necessitas sublevetur, apostatasque suos inquirant & repetant, ac ipsos carcerum pœnis afficiant, & voluntarie revertentes, paterne suscipiant, salva semper pœnitentia regulari.

De Cappellis Monachorum.

Religiosi in ecclesiis, ad ipsos etiam pleno jure spectantibus, rectores sui ordinis locare non audeant, quæ alias sunt solitæ per seculares clericos gubernari. Nec episcopus potest ecclesias parochiales vel certos redditus earumdem sine consensu sui Capituli, religiosorum usibus applicare.

De

ANNO CHRISTI 1346.

De jure Patronatus.

Volentes viam præcludere, ne quis per subreptionis astutiam præsciatur ecclesiis, & ne ex institutionibus repentinis inter patronos, si qui sunt, lites oriantur, ex litibus fortiores, præsenti decreto statuimus, quod cum aliquis ad curatum beneficium per quempiam clericum vel laicum fuerit præsentatus, ordinarius loci, seu is, ad quem institutio spectat, per decanum loci, vel viciniorem plebanum in ecclesia, ad quam fit præsentatio, præsente plebe ad hoc specialiter convocata, publice faciat proclamari. Quod si quis est, qui velit docere de jure suo, quod ad ipsum solum vel cum alio, seu aliis, jus pertineat præsentandi, aut præsentato aliquid objicere, quod eum reddat inhabilem, ne possit ad id beneficium promoveri, veniat infra certum & peremptorium terminum ad ipsius institutionis præsentiam, hoc facturus. Adjiciendo in proclamatione hujusmodi, quod si infra talem terminum nullus compareat, præsentationi vel præsentato se opponens, ex tunc ad institutionem præsentati proceditur, juxta formam juris. Institutio vero facta non præmissa proclamatione hujusmodi sit irrita eo ipso.

De patronis & clericis, qui mediante pacto ecclesias præsentant & recipiunt: quod est simoniacum.

Detestanda quorumdam patronorum seu advocatorum cupiditas, in tantum metas suæ potestatis excedit, quod cum aliqua ecclesiastica beneficia vacare contingit, quorum ad ipsos jus pertinet patronatus, nullam idoneitatem præsentandarum personarum, sive ecclesiarum, seu plebium utilitatem attendentes, sed imitatores Ghiesi, quærunt clericos Simonis successores, quos recepta prius ab eis certa summa pecuniæ sive cautione, de ipsa in posterum persolvenda, aut promissione de remittendis sibi, vel non repetendis ab eo decimis vel aliis ecclesiæ juribus, aut quod si eis quandocunque displicentiam fecerint, ecclesias ipsas dimittere & litteras præsentationis & institutionis suæ ipsorum manibus tradere teneantur; aut similibus pactionibus præmissis, demum eos instituendos repræsentant. Ne igitur hujusmodi execrabile mercationis genus, jus sibi vendicet de cætero contra canonicas sanctiones, hoc sacro approbante concilio definimus, quod patronus, clericus, vel laicus, qui ex conventione vel pacto, aut quolibet præmissorum vel simili deprehensus fuerit aliquem præsentasse, eo ipso, pro illa vacatione jus præsentationis amittat, & pro tunc beneficium hujusmodi per eum ad quem ipsius institutio pertinet, conferatur. Præsentatus vero taliter non solum eodem beneficio sit privatus, sed ipso facto reddatur inhabilis ad sacros ordines & ad alia quævis ecclesiastica beneficia obtinenda.

De consecratione ecclesiæ, vel Altaris.

Si ecclesiam pollui humani sanguinis aut seminis effusione contingat, ipsius ecclesiæ cœmeterium si contiguum sit eidem, censetur esse pollutum, & antequam reconciliatur per episcopum, in ea non debent divina celebrari, vel aliquis sepeliri.

De celebratione Missarum.

In eadem ecclesia, & eodem tempore, duas missas sub nota celebrari districtius inhibemus: Adjicientes, quod nullus pro vivis, mortuorum officium audeat facere. Septimum, tricesimum vel annuale. Omnibus Sacerdot. in virtute S. obedientiæ, & sub excomm. pœna, districtius inhibemus, ne die, qua primam missam celebrant, seu octo diebus immediate sequentibus, per se, vel alium, invitatum solemnem audeant præparare. Salvo, quod tunc certos clericos seculares & religiosos, paucos tamen & sine solemnitate qualibet procurare poterunt. Sic tamen, quod joculatores & histriones nullatenus admittantur. Missarum etiam novarum officia, quas S. Romana & universalis non recepit seu instituit ecclesia, penitus reprobamus. Historias novas, hymnos, sequentias, nisi in concilio provinciali, aut in episcoporum synodis approbentur, in ecclesiis legi aut decantari districtius prohibemus. Quod enim SS. PP. decreto non est sancitum, superstitiosis non est adinventionibus præsumendum. Si cui per nos, aut suffraganeorum nostrorum aliquem conceditur, quod in altari viatico portatili divina coram ipso possint officia celebrari, non in loco ventoso, seu alias periculoso vel inhonesto, hoc fieri debere intelligimus. Unde si quis presbyterorum, occasione concessionis hujusmodi contra præmissa divina celebrare præsumpserit, eo ipso per unum mensem a missæ officio, præsentis statuti vigore noverit se suspensum.

De Baptismo.

Quia sacramentum Baptismi, omnium aliorum est janua, quo carens non est capax cujuscunque alterius sacramenti, presbyteri cum exacta diligentia studeant providere, ne in collatione ipsius, tam in prolatione formæ verborum debita, quam immersione in aqua, circa quæ tota virtus Baptismi versatur, aliqua negligentia committatur. Forma autem verborum, de qua nihil potest omitti, nec ei debet aliquid interponi, est ista:

Ego te baptizo, In nomine ✠ Patris, & ✠ Filii, & ✠ Spiritus Sancti. Immersio vero hac trina, sic, quod primam faciat statim, cum incipit formam verborum proferre, ultimam autem finiendo formam. Hanc autem formam frequenter plebani doceant plebes suas. Nam propter necessitatem istius sacramenti, sine quo nullus potest salvari, etiam laicus quicunque, vir, vel mulier, pater, vel mater, puerum vel adultum baptizare poterunt in suo vulgari, proferentes formam verborum in mortis articulo constitutum. Et cum in tali necessitate per hujusmodi personas quis fuerit baptizatus, presbyter a baptizato & personis circumstantibus diligenter inquirat, si forma debita sit servata, quam si servatam invenerit, circa baptismum unctiones tantum supplere debitas non obmittat. Si vero circa formam erratum fuerit, tunc ipsum denuo baptizet. Quod si verisimiliter dubitatur, an quis rite vel non rite fuerit baptizatus, tunc baptizetur sub hac forma. Si baptizatus es, non te rebaptizo, in nomine ✠ Patris, & ✠ Filii & ✠ Spiritus Sancti.

ANNO CHRISTI 1246.

De custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum sacramentorum, vasorum, & vestimentorum sacrorum.

Statuimus, ut in ecclesiis Chrisma, & Eucharistia, Oleum Sacrum, Aqua Baptismi, sub fideli custodia, sive seris conserventur, ne possit ad alia temeraria manus extendi, pro nefandis aliquibus exercendis. Si vero is, ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur. Et si per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviori subjaceat ultioni. Relinqui nolumus incorrectum, quod quidam clerici ecclesias sic exponunt supellectilibus propriis & etiam alienis, ut potius domus laicæ quam Dei basilicæ videantur, non considerantes, quod dominus in evangelio non sinebat, ut vas transferretur per Templum. Sunt & alii, qui non solum ecclesias dimittant incultas, verum etiam vasa ministerii & vestimenta ministrorum ac pallas Altaris, nec non & ipsa corporalia tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus sunt horrori. Quia vero zelus nos comedit domus Dei, firmiter prohibemus, ne hujusmodi supellectilia in ecclesiis admittantur, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes ad eas oportet haberi refugium. Sic tamen, ut necessitate cessante, res in loca pristina reportentur. Præcipimus quoque ut in oratorio vasa, corporalia & vestimenta prædicta munda & nitida conserventur. Nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis.

De festivitatibus celebrandis.

Ut circa celebrationem festivitatum sit ecclesiarum nostræ provinciæ concordia singularum, statuimus, ut in subscriptis diebus tantum clerici & laici debeant a servilibus operibus abstinere. Primo in festivitatibus Christi, videlicet: Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ & Resurrectionis ipsius, cum duobus diebus immediate sequentibus, ascensionis ipsius & Pentecostes cum duobus immediate sequentibus, Corporis Christi. In festivitatibus S. Crucis, Inventionis scilicet, & Exaltationis, & omnibus diebus Dominicis. In quatuor festivitatibus Beatæ Virginis Mariæ, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Assumptionis. Item in die Angelorum, quod dicitur festum S. Michaelis. In festo nativitatis S. Joannis Baptistæ. Item in diebus Apostolorum, videlicet Mathiæ, Philippi & Jacobi, Petri & Pauli, Jacobi majoris, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, Andreæ, Thomæ & Joannis evangelistæ, transitus tantum. Item, in diebus beatorum Martyrum, Stephani, Laurentii, Viti, Venceslai passionis tantum, Adalberti, & quinque fratrum, scilicet, Benedicti cum fratribus. Item, confessorum Martini, Nicolai, & Procopii. Item, Mariæ Magdalenæ, & Margarethæ, Ludmillæ passionis tantum & Catharinæ. Item in festo Omnium Sanctorum. Item episcopus festivitates patronorum suæ ecclesiæ, in sua diœcesi, potest facere celebrari. Et quælibet parochialis ecclesia festum patroni sui, in cujus est honore principaliter dedicata, & anniversarium dedicationis diem in sua parochia faciant celebrari. Item, in diebus beatorum Marci & Lucæ Evangelistarum, & quatuor doctorum ecclesiæ, Gregorii, Ambrosii, Augustini, & Hieronymi, quorum festivitates felicis memoriæ Bonifacius papa mandavit in universis ecclesiis, sub officio duplici solemniter venerari. Et populus in sua parochiali ecclesia divino officio peraudito, ac sua opera licite se convertit.

De observatione jejuniorum.

Quidam novitatum avidi sectatores, jejunia per ecclesiam indicta violant, propter quædam alia jejunia, quæ faciunt diversis fictionibus hominum adinventa. Cum autem omnes novitates sint suspectæ, & propter hoc fugiendæ, maxime autem illæ, quæ SS. Patrum obviant institutis, districtius inhibemus, ne aliquis quodcunque jejunium ecclesiæ propter aliud votivum audeat solvere, sed universi fideles utriusque sexus, præsertim a viginti annis super omnia jejunia, quæ per ecclesiam indicuntur, vel consuetudine patriæ approbantur, cum summa diligentia studeant observare, nisi forte aliquis debilitate vel infirmitate gravatus, refectione cibariorum egeat, & tunc de licentia superioris, si commode adiri poterit. Nec sufficit licentia simplicis sacerdotis, nisi jejunanti periculum immineret.

De ecclesiis ædificandis.

Ecclesiam seu basilicam denuo nullus ædificet, nec antiquam transferat, nisi per episcopum vel ejus commissarium, in locum structuræ ponatur lapis primarius benedictus, alias ædificium diruatur, ædificans temerarius clericus vel laicus canonice puniatur. Nec episcopi socii diœcesanorum seu vicarii qui communiter suffraganei appellantur, hujusmodi primarium lapidem ponant, maxime in locis, in quibus ecclesiæ alias non fuerunt, nec ædificatas consecrent, sine diœcesani licentia speciali, qui ex officio suo providere tenetur, nec ecclesia erigatur sine dote congrua, luminaribus & ornamentis, & absque alterius ecclesiæ notabili detrimento. Cum autem hujusmodi episcopo per diœcesanum committitur, ut in diœcesi sua ecclesiarum construendarum primarios lapides ponat, seu constructas consecret, in tali generali mandato non comprehenduntur collegiatæ ecclesiæ, nisi de speciali diœcesani commissione; nec potest ipsius subditos solvere, vel ligare. Insuper singulæ parochiales ecclesiæ duorum altarium, vel maxime trium numero sint contentæ, nisi essent collegiatæ, in quibus Altaria, arbitrio diœcesani, multiplicari poterunt, secundum exigentiam multitudinis ministrorum.

Quicumque ecclesiastica beneficia obtinent, omnino adjuvent ad tecta reficienda vel ecclesias emendandas, collectores eleemosynarum pro fabricis ecclesiarum, quos quidem vitricos appellant, deputati sint omnium exceptione de plebe majores, & iidem eleemosynas fidelium inconsultis ecclesiarum rectoribus non expendant.

De immunitate ecclesiarum, & ecclesiasticarum Personarum.

Licet laicis in ecclesiis, in ecclesias ecclesiasticasve personas, ac eorum bona, omnis auctoritas sit ablata, tam jure canonico quam civi-

☞ civili, nonnulli tamen laici nitentes in vetitum, immunitates eorum diversis conatibus infringere moliuntur. Nos super his volentes eorum ausum reprimere, auctoritate hujus sacri concilii, sub obtestatione divini judicii, & maledictionis æternæ districtius inhibemus, ne de cætero ad hujusmodi temerarias manus præsumant extendere, quod videlicet aliquem confugientem ad ecclesiam, quantumcumque maleficium commiserit grave, judex laicus seu quivis alius quantumcumque secularem dignitatem obtinens seu potestatem exercens, de ecclesia violenter præsumant extrahere, immunitatem ecclesiæ taliter violando. Sed potius ad instantiam rectoris ecclesiæ, ad quam fugit, eidem vitam & membra illæsa conservent, & ipsum pecuniaria vel alia disciplina puniant mitiori, nisi malefactor ad ecclesiam fugiens, publicus latro fuerit, vel nocturnus prædator agrorum, aut si in ipsa ecclesia vel ejus cœmeterio homicidium, vel membri truncationem sub spe immunitatis perpetraverit. Tales enim quolibet immunitatis privilegio sunt indigni. Nullus sub excommunicationis pœna in ecclesia vel de ecclesia munitionem seu fortalitium præsumat erigere vel facere, aut ipsius cœmeterium pro ejus firmitate fossatis quibuslibet vallare. Nullus laicorum clericum quemcumque deferentem coronam, & habitum clericalem sine demandatione ecclesiastici Judicis captivare præsumat. Quod si fecerit, excommunicationis sententiam incidit ipso facto, a qua eum solus papa absolvere potest. Et nihilominus in ejus opprobrium clerus civitatis, villæ, oppidi vel castri seu parochiæ, in quibus clericus captus est, seu detinetur captivus, eo ipso, alio non expectato mandato, cessationem faciat a divinis, donec per diœcesani providentiam, ad cujus notitiam id perferant, sine mora, vel aliter liberetur. Nec aliquis consanguineorum, seu amicorum clerici taliter captivati, pro ipsius liberatione sub excommunicationis pœna aliquid audeat solvere, vel de solvendo ponere cautionem. Verum si clericus vagabundus, in furto, vel alio maleficio deprehendatur & habeatur de fuga suspectus, tunc ex hac nostra generali licentia, quam præsentibus impartimur, secularis potestas sub testimonio tamen clericorum, si commode haberi poterit, vel alio fide digno poterit malefactorem hujusmodi captivare, ac eum quam primum ecclesiastico judici præsentare, juxta traditiones sacrorum canonum puniendum. Qui autem ausu sacrilego prælatum, canonicum, aut quemcumque clericum pro clero se gerentem occiderit seu mutilaverit, præter alias diversas pœnas juris omnibus feudalibus, si quæ ab ecclesia tenuit, sit eo ipso privatus, & ad ecclesiam a qua ea tenuit, libere revertantur. Jus patronatus, si quod in una, vel in pluribus ecclesiis habuit, ipso facto perdat, & ad diœcesanum episcopum devolvatur, filii ejus & nepotes usque ad quartum gradum, per masculinam lineam descendentes ad ordines seu quodcumque ecclesiasticum beneficium nullatenus admittantur. Illi autem, qui omnem malitiam superantes archiepiscopum fuerint hostiliter insecuti, vel eorum aliquem percusserint, ceperint vel occiderint, seu ipsis malefactoribus ad hoc præstiterint consilium, auxilium, vel favorem, ipsorum filii & nepotes descendentes, ut una cum supra ipsis ad hoc quomodolibet cooperantibus, ipso facto pœnas incidunt a jure statutas. Eos qui temporale dominium obtinentes suis subditis aliquando interdicunt, ne prælatis aut clericis seu personis ecclesiasticis quicquid vendant aut emant aliquid ab eisdem, neque ipsis bladum molant, coquant panem, aliqua obsequia exhibeant vel exhibere præsumant, cum talia in derogationem libertatis ecclesiasticæ vergant, eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus subjacere.

ANNO CHRISTI 1346.

Insuper præsenti constitutione jubemus, ut locum diœcesani contra eos, qui ab ecclesiis vel ecclesiasticis personis, pro eorum rebus propriis, quas non negotiandi causa deferunt, aut deferri faciunt, vel transmittunt, gabellam seu theloneum suo vel alieno nomine exigunt vel extorquent in suarum animarum periculum, & eorum, a quibus talia exigunt, præjudicium & gravamen, excommunicationis & interdicti sententias a jure prolatas, postquam de hoc ipsis constiterit, omnino publicent, & a suis subditis tamdiu faciant publicari, donec illi sic ablata restituant, & de transgressione hujusmodi satisfaciant competenter. Ad hæc quicumque servari faciunt statuta edita vel consuetudines introductas, contra ecclesiæ libertatem, statutarii & scriptores statutorum ipsorum, nec non potestates, consules, rectores, & consiliarii locorum, ubi hujusmodi statuta, & consuetudines editæ fuerint, vel servatæ, nec non & illi, qui secundum ea præsumpserint judicare, vel in publicam formam scribere judicata, in excommunicationis sententiam incidunt ipso facto.

ANNO CHRISTI 1346.

De sponsalibus, & matrimoniis.

Si inter virum, & mulierem legitimus consensus interveniat de præsenti, ita quod unus alterum mutuo consensu, verbis consuetis expresse recipiat utroque dicente: Ego accipio te in meam, & ego te in meum, vel alia verba consensum exprimentia de præsenti, non liceat alteri ad alia vota transire. Quod si fecerint secundum matrimonium, immo verius adulterium de facto contractum, etiam si sit carnalis copula subsecuta, separari debet, & primum in sua firmitate manere. Verum si inter ipsos accessit tantum promissio de futuro matrimonio contrahendo, utroque dicente: Ego te recipiam in meam, & ego te in meum, sive verba similia, & alter eorum, antequam carnaliter se cognoscat, aliam seu alium per verba sibi desponsaverit, de præsenti dato, quod prima promissio de futuro per interpositionem fuerit juramenti firmata, ei tamen præjudicat, de præsenti desponsatio post secuta. Illi vero, qui primam promissionem per secundum contractum irritum fecit, est de violatione fidei pœnitentia injungenda. Carnalis vero copula si sequatur, promissionem de futuro, eo ipso matrimonium efficit, sic quod in nullo præjudicat quicumque contractus matrimonialis postmodum subsecutus. Constitutionem quoque generalis concilii, tum inhibitionem contrahentium periculis providentem censemus districtius observandam, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, diebus dominicis vel aliis festivis in ecclesiis, per presbyteros coram plebe publice proponatur, trium dierum ad minus, termino præfinito, ut infra illum qui voluerit, & valuerit legitimum impedimentum opponat. Sed & ipsi presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat, & si nec per oppositionem alicujus, nec per investigationem propriam infra eumdem terminum inter volentes contrahere aliquod impedimentum invenerint, presbyteri ipsi factis in-

interrogationibus consuetis eos non differant copulare. Si vero ex oppositione cujuscumque vel alias contra copulam contrahendam apparuit probabilis conjectura, per presbyteros interdicatur contractus publice & expresse, donec quid fieri debeat super eo, per episcopum vel ejus officialem, ad quorum hæc notitiam perferant, sint edocti. Si quis autem edicto hujusmodi pretermisso clandestina vel interdicta conjugia inire præsumpserit in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum subsidium habitura: cum ipsi parentes taliter contrahendi, affectatores ignorantiæ videantur. Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, præter eccl. interdictum, etiam in conspectu ecclesiæ contrahere præsumpserint. Sane, si parochialis sacerdos hujusmodi clandestinas conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet regularis, qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ qualitas postulaverit. Sed & iis, qui taliter copulare præsumpserint, etiam nullo alio impedimento obstante, condigna pœnitentia per episcopum injungatur. Si quis vero ad impediendam legitimam copulam, malitiose impedimentum objecerit, canonicam non effugiet ultionem. Nullus autem elapso dicto denuntiationis termino, matrimonium audiatur accusans, seu contra illud testificans, nisi denuntiationem hujusmodi probabiliter ignoraverit, vel nisi juret, quod post terminum denuntiationis illud didicerit, quod opponit, & quod ad hoc ex malitia non procedat. Cum autem presbyter contrahentes matrimonium legitime copulavit, eis benedictionem sacramentalem impendat, si neuter contrahentium alias fuerat in matrimonio constitutus. Nam si benediceret secundas nuptias, per episcopum cum litteris testimonialibus ab officio beneficioque suspensus ad sedem apostolicam est mittendus. Laici sub excommunicationis pœna nubentes non audeant copulare, nec aliqua statuta condere, quæ libertatem contrahentium matrimonium impediant quovis modo. Cognitionem vero causarum matrimonialium plebani & decani rurales sibi penitus noverint interdictam.

De cognatione spirituali.

Spiritualis cognatio sive compaternitas in viginti casibus matrimonium contrahendum impedit & dirimit post contractum scilicet, inter levantem & levatum, levatum & filios levantis, levatum & conjugem levantis prius cognitam. Parentes levati & conjugem levantis prius cognitam, levantem & parentes levati. Item inter baptizatum & baptizantem, baptizatum & filios baptizantis. Baptizatum & conjugem baptizantis prius cognitam. Parentes baptizati, & conjugem baptizantis, prius cognitam. Baptizantem & parentes baptizati. Item, inter confirmatum & levantem, confirmatum & filios levantis, confirmatum, & conjugem levantis prius cognitam. Levantem & parentes confirmati. Item, inter confirmatum & confirmantem, confirmatum & filios confirmantis, & conjugem confirmantis prius cognitam. Parentes confirmati & conjugem confirmantis prius cognitam, confirmantem & parentes confirmati. Ne igitur occasione spiritualis cognationis in matrimonio difficultates emergant, districte præcipimus, ut ad prædicta Baptismi & Confirmationis sacramenta, per quæ tantum compaternitates hujusmodi contrahuntur, solum unus vir vel mulier cum compatre levante de cætero admittatur, non obstante in contrarium prava consuetudine, cum sit contra sacrorum canonum instituta.

ANNO CHRISTI 1246.

De Consanguinitate & Affinitate.

Qui divino timore postposito in animarum suarum periculum scienter in quarto vel infra consanguinitatis vel affinitatis gradu, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur, necnon religiosi & moniales, ac clerici sacris Ordinibus constituti matrimonia contrahentes, præter alias pœnas juris, excommunicationis sententiam incidunt ipso facto.

De eo, qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.

Habens uxorem legitimam, si adulteræ suæ hoc scienti promittit fidem de ea ducenda post mortem uxoris, vel cum ea de facto contrahit, carnali copula præcedente vel sequente, non potest cum ipsa, legitima mortua, in matrimonio remanere. Si vero secunda ducta contractum cum alia ignorabat, tunc secunda instante cum ea compellitur remanere. Compulsione autem hujusmodi durante, si vir cum tertia contrahit, tenet contractus, est tamen sibi propter hoc pœnitentia imponenda. Similiter si ipse vel adultera sua, mortem uxoris legitimæ effectualiter procuravit, non potest adulteram aliquateuus ducere in uxorem. Idem si uterque etiam sine adulterio in mortem legitime esset machinatus cum effectu.

De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur.

In tantum peccatis exigentibus corda quorumdam presbyterorum simoniaca pravitas depravat, qui nec Baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, aut Extremæ unctionis sacramenta, nec benedictionem nubentium, aut exequias seu sepulturam mortuorum, sive alia quæcumque spiritualia suis volunt subditis ministrare, nisi pro hujusmodi seu administratione ipsorum eis solvatur vel promittatur pretium, pro suæ turpitudinis excusatione, immo verius accusatione, diuturnam consuetudinem prætendentes. Ne igitur tam perniciosam venalitatem pravitatis simoniacæ per impunitatem vendentium videamur nostris temporibus approbare, hujus sacri approbatione concilii duximus statuendum, quod singula prædicta sacramenta & res sacræ non obstante quacumque consuetudine in contrarium, quæ censenda est potius corruptela, per presbyteros, sine exactione cujuscumque temporalis emolumenti libere conferantur. Et quicumque de cætero præmissorum, vel alicujus ex prædictis venditor fuerit deprehensus, si est rector ecclesiæ perpetuo ipsa privatur, si vero vicarius, seu socius rectoris fuerit, ad episcopales carceres, ut ibi perpetuam agat pœnitentiam, detrudatur. Verumtamen, si laici nollent rationabiles, & approbatas ecclesiarum consuetudines observare, tunc non per ipsos presbyteros, cum in propria causa judices esse nequeant, sed per episcopum vel ejus officialem summarie, & de plano de hoc veritate cognita ad ea-

ANNO CHRISTI 1346.

☞ earumde m observationem per censuram ecclesiasticam compellantur. Præterea archidiaconi locorum seu decani rurales, si pro sacris liquoribus vel chrismate & oleo per se vel alios aliquid præsumpserint extorquere, suis beneficiis perpetuo spolientur

De Judæis.

Et si Judæos, quos perpetua culpa perpetuæ servituti subjecit, pietas christiana receptat, & sustineat cohabitationem illorum, ingrati tamen esse non debent, ut reddant christianis pro gratia contumeliam, & de familiaritate contemptum, & illam retributionem impendant, quorum juxta vulgare proverbium: Mus in pera, Serpens in gremio, & ignis in sinu, suis consueverunt hospitibus exhibere. Accepimus autem, quod Judæi Christianas puerorum suorum nutrices, quod non tantum dicere, sed etiam nephandum est cogitare, cum illas recipere Corpus & Sanguinem Jesu Christi contingit, per triduum antequam eos lactent lac effundere faciunt in latrinam. Alia insuper contra fidem catholicam detestabilia & inaudita committunt, propter quæ fidelibus est verendum, ne divinam indignationem incurrant, cum eos perpetrare sustinent, quæ fidei nostræ confusionem inducunt. Inhibemus ergo districte, ne de cætero nutrices seu obstetrices, vel servientes habeant Christianos, ne ipsos ex familiaritate nimia, ad suæ infidelitatis errorem pertrahant, & ne filii liberæ, filiis famulentur ancillæ, sed tanquam servi a Domino reprobati, in cujus mortem nequiter conjurarunt, se saltem per effectum operis recognoscant, servos illorum, quos Christi mors liberos, & illos servos effecit. Si vero hac prohibitione nostra, immo verius apostolica contempta, nutrices obstetrices, & aliam familiam, non dimiserint Christianam, episcopi locorum sub excommunicationis pœna, inhibeant districte omnibus Christianis, ne cum Judæis commercium aliquod audeant exercere. Quia similitudo exterioris habitus, quem Judæi cum Christianis indistinctum deferunt, plerumque tantum periculum inducit, quod per errorem Christiani Judæorum, et Judæi Christianorum mulieribus commiscentur. Ne igitur tam damnatæ commixtionis excessus, per velamen erroris hujusmodi quandoque simulati, ulterius excusari possit, statuimus, ut masculi Judæorum in capitibus suis pilea lata, ut antiquitus consueverant, et non caputia, deferant. Mulieres vero sub peplo, sive alio velamine, capitis ornarium, sive levaturam eminentem supra frontem ponant, sic, quod omni tempore per hujusmodi signa, a Christianis discernantur. Quæ signa, si Judæi intra duorum mensium spatium, a publicatione præsentium non assumpserint, ut est dictum, ex tunc eis, per excommunicationis sententiam christianorum communio subtrahatur, et in pœnam temporalis domini loci, qui ipsos ad hoc non compellet, clerus sæcularis et religiosus civitatis, Oppidi seu villæ, in quibus Judæi taliter indistincte morantur eo ipso generalem cessationem faciant a divinis, donec per Judæos statuto præsenti fuerit obeditum.

In die Parasceven dominicæ Passionis Judæi in publicum non prodeant, et per totam illam diem ostia et fenestras suas clausas teneant, ne in christianorum conspectum, qui tunc sacratissimæ passionis memoriam exhibentes, lamentationis signa prætendunt, per suas derisiones & blasphemias in contumeliam prosiliant creatoris. Nulli eorum publico præficiantur officio. Si quis autem hæc commiserit, excommunicationis sententia innodetur: Judæo vero officiali, tamdiu Christianorum communio in commerciis & aliis denegetur, donec in usum pauperum christianorum, secundum providentiam diœcesani episcopi convertatur: quidque fuerit a christianis adeptus, occasione officii sic suscepti, & officium cum pudore dimittat, quod irreverenter assumpsit. Synagogas novas construere nullatenus admittantur, sed antiquas, si corruerunt, vel ruinam minantur, reædificare poterunt: non autem, ut eas exaltent, aut ampliores, aut præcisiores faciant, quam antea fuisse noscuntur, qui utique pro magno debeant habere, quod in veteribus synagogis, & suis observantiis tolerantur. Ad baptismum non cogantur inviti, nec in personis vel rebus suis, sine judicio puniantur. Nec in suis festivitatibus perturbentur, nec eorum cœmeteria per exhumationem corporum, vel alias violentur.

De hæreticis

Hæretici quarumcunque sectarum, & credentes ipsorum erroribus, nec non receptatores, defensores & fautores eorum excommunicati sunt, quo universi fideles christi, maxime parochiales presbyteri, diœcesano loci, vel inquisitori hæreticæ pravitatis denuntiare tenentur, ut pro suis demeritis ultionem recipiant, & ne fidelium corda, eorum doctrinis pestiferis corrumpantur.

Contra christianos.

Qui ad ritum transierunt vel redierunt Judæorum, etiam si hujusmodi redeuntes, dum erant infantes, aut mortis metu, non tamen absolute seu præcise coacti baptizati fuerint, & tanquam contra hæreticos, si fuerint de hoc confessi, aut per Christianos seu Judæos convicti, & sicut contra fautores, receptatores & defensores talium, procedendum.

De raptoribus.

Mandamus universis plebanis & aliis clericis, cujuscunque sunt status, in virtute S. obedientiæ, & sub pœna privationis beneficii, ne aliquem raptorem, proscriptum, bannitum, profugum vel incendiarium, aut eorum rapinas in domibus suis recolligant, vel conservent; aut ipsis etiam extra domos suas, expensas seu alimenta ministrent, sive ipsorum litteras vel legationes ad quascunque personas perferant, a quibus plerumque hujusmodi pestiferum genus hominum, per comminationes de occidendis personis, vel earum bonis cremandis, pecunias extorquere conantur.

De usuris & usurariis.

Usurariorum pravitatem, qui plerumque mercatorum famam inquinant, dum sub mercationis velamine diversis adinventis fraudibus, plus secum contrahentes damnificant, quam illi qui nullo quæsito colore, directe mutuant ad usuras, detegere cupientes, & ne etiam juris igno-

ANNO CHRISTI 1346.

rantiam simulatam circa hoc possint prætendere, & sic suos errores de cætero frivolis rationibus excusare. Declaramus & dicimus, quod cum usura tantum committatur in mutuo, mutuum autem in iis rebus consistat, quæ determinantur numero, pondere, vel mensura, non solum is, qui expresse rem hujusmodi eo pacto, vel principaliter ea spe mutuat, vel aliquod emolumentum temporale ultra sortem recipiat, quantumcunque sit parvum, sive sit fructus, seu proventus rei pignoratæ, in sortem non computat, usurarius est censendus; sed & ille, qui mercem quamcunque venditionis tempore, communi æstimatione minus valet, & quam tunc venditurus erat, carius vendit, solutionem pretii differens, ea vice, & qui statim solvit pretium cujuscunque rei emptæ, pro minori, quam tunc valeat, lucri causa, ejusdem rei traditione dilata, ad terminum, in quo constat, ipsam rem plus valere, Usurarii sunt censendi, & qui tales esse probari possunt ad notitiam diœcesanorum, vel eorum officialium perferantur, ut per eos ad restitutionem usurarum ipsi, vel eorum hæredes districtione canonica compellantur. Confessores autem in foro animæ, tales ad restitutionem inducant efficaciter, si suarum animarum damnationem cupiunt evitare. Sane, si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuras, non esse peccatum, ille, velut hæreticus condemnetur. Præcipimus autem plebanis locorum, ac illis, qui habent officium prædicandi, quod saltem semel singulis mensibus statutum præsens, fidelibus exponant vulgariter, ac eos salutaribus inducant monitis, ut abstineant a criminibus & fraudibus usurarum. Et innotescant omnibus, ac eis in remedium peccatorum suorum injungant, ut ipsi in nostro, seu suffraganeorum nostrorum consistoriis, usuras, aliquo de prædictis modis solutas, repetant, vel, si nondum solverint, sed solvere promiserint, a promisso se, & suos fidejussores absolvi petant.

De Falsariis.

Plerumque parochialium ecclesiarum rectores, & alii simplices clerici, decipiuntur per falsarios litterarum, dum juris ignari, falsitatem eorumdem, quæ non solum in sigillis, & eorum applicatione, verum etiam in rasuris chartarum, & alias multipliciter perpetrantur, deprehendere nescientes, falsas pro veris receptant.

Volentes igitur inconvenientiis & periculis, quæ ex hujusmodi incauta credulitate sequuntur, occurrere, statuimus, ne de cætero aliquis plebanorum, vel quæcumque alia ecclesiastica persona, litteras, quæ dicuntur a sede apostolica, vel ejus pœnitentiariis, seu a quocumque alio, de ignotis partibus, super indulgentiis, petitionibus eleemosynarum, vel dispensationibus, seu quibuscunque aliis negotiis impetrare, in favorem vel præjudicium cujuscunque audeat approbare, nec ipsas, in sua ecclesia permittat aliquatenus publicare, nisi prius per diœcesani loci, vel ejus officialis patentes litteras fuerint approbatæ. Quod si portitores hujusmodi litterarum, contradicente plebano, eas publicare, vel earum prætextu eleemosynas seu alios quoscunque actus præsumpserint exercere: ipse plebanus, eos cum rebus suis auctoritatem habet arrestandi, cum adjutorio, si opus foret, brachii secularis, sic, quod ipsos una cum rebus et litteris diœcesano vel archidiacono loci, quam cito commode poterit, studeat præsentare.

De sortilegiis.

Parochiales presbyteri plebes suas frequenter informent, ut sciant sortilegas artes, et incantationes, sub prolatione quorumque verborum, vel scriptura characterum, quibuslibet infirmitatibus hominum seu animalium, nihil posse conferre remedii, vel sterilitati agrorum vel arborum, seu potestati tonitruorum vel grandinum providere, et eis sub excommunicationis pœna præcipiant, quod a sortilegiis et superstitionibus quibuscunque abstineant, nec sortilegos consulant, vel ad domos suas recipiant: sed quod ipsi plebano tales denuntient, ut turpiter dehonestati, ejiciantur de plebibus, ne per eos simplicium conscientiæ polluantur.

De excommunicato, interdicto, vel suspenso celebrante.

Is, qui celebrat majore excommunicatione ligatus, aut cui est ingressus ecclesiæ interdictus, si in ea se divinis ingerat celebrando, vel concelebrando in suo agens officio sicut prius, et ille qui scienter celebrat in loco supposito interdicto, irregularitatem incurrant, a qua nequeunt per alium, quam per Romanum pontificem liberari. Talis etiam, cui est ingressus ecclesiæ interdictus, si interdicto hujusmodi durante decedit, non debet, sicut nec excommunicatus excommunicatione majori, in ecclesia vel cœmeterio ecclesiastico sepeliri. Illi vero, qui scienter celebrat præsente excommunicato excommunicatione majori, est ingressus ecclesiæ interdictus. Et si hoc interdicto durante celebrat, irregularis efficitur, ab ea tantum per summum Pontificem liberandus. Qui autem sic irregularis in contemptum clavium divina præsumpserit profanare, beneficiis suis privetur perpetuo, et nihilominus subjiciatur pœnitentiæ carcerali.

De injuriis & damno dato.

Si culpa tua alicui factum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus auxilium præbuisti, aut hæc imperitia tua, seu negligentia evenerunt, de jure super iis satisfacere te oportet. Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam. Quod si animalia tua alicui nocuerunt, tum ad satisfactionem teneris, nisi eadem animalia dando passis damnum, velis liberare teipsum, quod tamen ad liberationem tuam non proficeret, si fera animalia, vel quæ naturaliter consueverunt nocere, dato, quod domesticata fuissent, et quam debueras, non curasti diligentiam adhibere. Sane, licet ille, qui occasionem damni dat, damnum videtur dedisse; secus tamen est in illo dicendum, qui ne damnum accideret, de contingentibus nil obmisit. Et si injuriam passus secundum christianitatis legem injurianti rancorem ex corde, gratis, pro Deo dimittere teneatur, satisfactionem tamen pro eadem, coram competenti judice, potest petere dimissione rancoris hujusmodi non obstante.

ANNO CHRISTI 1346.

De pœnitentiis & remissionibus.

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam pro viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam causam rationabilem, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum, alioquin & vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur & moriens Christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam ex ignorantiæ cœcitate, velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ipse illum non possit solvere, vel ligare. Sacerdos autem sit discretus & cautus, ut more periti medici, superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris confitentis non alterius circumstantias, & peccati per circumlocutiones cautas, maxime circa inusitata peccata, quibus prudenter intelligat, quale ei debeat præbere consilium, & remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum. Nam si peccator dicat, se non posse, vel nolle in futurum ab aliquibus peccatis mortalibus abstinere, dato quod de præteritis pœnitentiam sit paratus suscipere, tamen, quia contritionem veram non habet, quæ requiritur, quod & præterita plangat, & in futuro ab eisdem & similibus abstinere proponat, absolvi non debet, sed ejus confessione recepta, crebris & salubribus monitis ad abstinendi propositum aliquali sibi imposita pœnitentia inducatur. Caveat autem Sacerdos omnino, ne verbo aut signo, aut alio quovis modo seriose, vel jocose prodat aliquatenus peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat. Quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumserit revelare, non solum a sacerdotali officio decernimus deponendum, verum etiam ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum.

Presbyteri circa principium quadragesimæ, in suis prædicationibus, suas plebes sollicitent, ut confessiones suorum peccatorum ad finem ipsius quadragesimæ non differant, sed eas statim faciant, cum jejunium, seu alia quæcunque bona opera ad salutem non prosint in peccatis mortalibus constitutis; & induti superpelliciis in ecclesia confessiones audiant, pœnitentibus, qui confitentur se furtis, rapinis, usuris vel aliis fraudibus facultates aliorum abstulisse, ante omnia male ablatorum restitutionem injungant, in toto vel in parte, prout eorumdem se facultates extendunt, cum non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Non confitentibus sibi præcise comparationes missarum injungant, sed mandent certum quod erogandum pauperibus presbyteris, vel aliis, prout rationabilius devotioni videbitur congruere confitentis. Casus reservatos auctoritati summi pontificis, vel episcopis, de jure ad eosdem remittant, nisi habens casus hujusmodi, sit in mortis articulo constitutus, A quo cessante periculo, super criminibus papæ vel episcoporum auctoritati reservatis, pro recipienda pœnitentia ipsorum, vel pœnitentiariorum eorumdem, se conspectui repræsentent. Cum autem vocatur presbyter ad curandum infirmum, prius quam deferat ad eum corpus Christi ipsius, si non imminet mortis periculum, familiariter confessionem recipiat, ne per multorum præsentiam & tumultum, qui ob devotionem & indulgentias comitantur ipsum presbyterum sacramentum eucharistiæ deferentem, impediatur devotio confitentis.

ANNO CHRISTI 1346.

Ab infirmis in periculo mortis positis, pura est inquirenda confessio peccatorum, non tamen illis imponenda est quantitas pœnitentiæ, B sed innotescenda, & cum amicorum orationibus & eleemosynarum studiis, pondus pœnitentiæ sublevandum, quod si forte migraverint, ne obligati, a communione & consortio veniæ sunt alieni. A quo periculo si divinitus erepti convaluerint, pœnitentiæ modum a sacerdote sibi impositum diligenter observent. Et ideo secundum auctoritatem canonicam, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus ecclesiasticis, sacra unctione olei inuncti, secundum statuta sacrorum patrum, communione viatici reficiantur. Aliis vero, pro qualitate peccati & præsidentium arbitrio, tempora pœnitentiæ sunt decernenda. Licet fratribus prædicatoribus & minoribus sit C a jure permissum, ut ex eis personæ sufficientes idoneæ, vitæ probatæ, discretæ, modestæ atque peritæ, per eorum certos superiores electæ & præsentatæ dyœcesanis locorum, in eorum civitatibus & diœcesibus, de ipsorum humiliter petenda licentia, gratia & beneplacito confessiones sibi confiteri volentium, audire, & imponere pœnitentias salutares, & absolutionis beneficium impendere possint. Quia tamen sumus certo certius informati, quod iidem religiosi contempta ejusdem juris forma, indifferenter omnes, dummodo sint presbyteri, etiam non præsentati episcopo confessiones audiant singulorum, in apertam damnationem suarum, & sibi confidentium periculum animarum. Ne per errorem hujusmodi animæ subdi- D torum nostrorum periclitentur, de cætero, hoc sacro provocante ac approbante consilio, omnibus rectoribus parochialibus nostrarum diœcesis & provinciæ firmiter inhibemus, ne parochianos suos permittant dictis fratribus confiteri, nisi illis duntaxat, qui per patentes litteras diœcesani episcopi, pro ipsis confessionibus audiendis, nominatim fuerint deputati. Quas quidem litteras de cancellaria nostra & suffraganeorum nostrorum, gratis, & sine solutione pecuniæ aliqua ipsi fratres habent recipere, & eas rectores ecclesiarum ad requisitionem fratrum ipsorum, sub excommunicationis pœna teneantur in suis ecclesiis publicare. Verumtamen si episcopus fratribus ipsis, ut præmittitur, electis & præsentatis sine causa recusaverit E audiendi confessiones licentiam exhibere, ex tunc fratres ipsi, ex speciali concessione apostolica id faciendi, habent liberam facultatem. In nullo tamen casu, circa absolutionem, majorem auctoritatem habent, quam parochiales presbyteri, nisi episcopus vel superior, qui potest, ipsis uberiorem gratiam specialiter duxerit concedendam. Nec etiam possunt dicti fratres, seu quivis alii religiosi, clericis, vel laicis, sine speciali licentia parochialis presbyteri, ministrare alia sacramenta; & qui contrarium

ANNO CHRISTI 1246.

rium faciunt, excommunicationis sententiam incidunt ipso facto.

In Ecclesiis quoque parochialibus, dicti fratres prædicare non possunt, nisi de ipsorum rectorum beneplacito & assensu. Cum autem fratres ipsi, diebus festivis, in suis domibus, in mane, prædicationes faciunt, non eas in tantum protrahant, quod plebs ad prædicationem & summam missam suæ parochiæ, quibus tunc interesse tenentur, negligat horam debitam veniendi. Nec parochianos in suis sermonibus detineant, nisi forte domorum suarum festivitates indicent, nec gyrando per ecclesias & eorum ambitus, populum aqua benedicta aspergant, aut cereorum, cinerum, vel frondium palmarum benedictionibus occupent, cum talia in parochialibus ecclesiis de jure & antiqua consuetudine peragantur. Non impediant etiam dicti fratres per suas prædicationes & processiones solemnes, quas observat ecclesia generalis, quin immo, fratres ipsi se in his debent parochialibus ecclesiis conformare.

Plerique episcopi, per indiscretam & superfluam indulgentiarum concessionem, claves ecclesiæ contemptibiles reddunt, & pœnitentialem satisfactionem enervant, non advertentes, quomodo romanus pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, in hoc tantum moderamen consueverit observare, qui in cappella sua personaliter celebrans vel prædicans, interessentibus contritis & confessis, ad maximum VII. annos Indulgentiæ, & carenas totidem largitur. Ne igitur per temeritatem hujusmodi simplicitati fidelium de cætero illudatur, decernimus, ut secundum dispositionem juris communis, cum dedicatur basilica, non extendantur indulgentiæ ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus episcopis dedicetur. In anniversario vero dedicationis tempore, quadraginta dies, injunctis pœnitentiis, indulta remissio non excedet. Et similiter quando ex aliis rationabilibus causis, per litteras suas Episcopus hujusmodi remissiones suis subditis voluerit indulgere, quadraginta dierum, & non amplius, numero sit contentus. Nec remittentium indulgentias subditi participant alieni, nisi hoc, ut ipsi, uti possent, eis proprii judices specialiter duxerint indulgendum. Huic autem statuto necessario duximus annectendum, quod nullus clericus secularis vel religiosus, exemptus vel non exemptus, in ecclesia sua, seu monasterio, indulgentias, præterquam diœcesani loci, audeant publicare, vel nisi per diœcesani patentes litteras fuerint approbatæ. Nam frequenter in diversis ecclesiis sive locis, multorum annorum & carenarum indulgentiæ, sub nominibus summorum pontificum, & etiam episcoporum ignotorum conceduntur, quapropter nimium excessum de falsitate vehementer sunt suspectæ. Et propter hoc hujusmodi indulgentiarum litteræ, per Dyœcesanum examinari & approbari debent, cujus interest, ne ipsius subditi ex spe, quam hujusmodi mendosas & falsas indulgentias obtinent, ab agendis condignis pœnitentiis retrahantur. Prohibemus insuper ne publice pœnitentes alias quam in die Cœnæ Domini reconcilientur ecclesiæ, & eis relaxentur carenæ, & nisi idem a suis plebanis testimoniales portent litteras, quod vere sunt pœnitentes, & quod jam pœnitentiam, vel ejus partem aliquam peregerunt. Si episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere confessorem, ille quem is elegerit in casibus, cui eidem episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitus potestatem, nisi hoc in concessione specialiter exprimatur, cum in generali concessione illa non veniant, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus. Nulla quoque potest consuetudine introduci, quod aliquis præter sui superioris licentiam, confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare.

ANNO CHRISTI 1246.

De sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti.

Sacro approbante consilio prohibemus, ne quisquam prælatus vel judex, de jure vel consuetudine excommunicandi potestatem habens, in aliquem procedendo, tamquam judex excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissa, & præsentibus personis idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio, promulgare præsumat. Excommunicationem autem in scriptis proferat, & causam excommunicationis expresse scribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum etiam hujusmodi scripturæ excommunicans teneatur excommunicato tradere infra mensem, si fuerit requisitus, super qua requisitione, volumus fieri publicum instrumentum, vel litteras testimoniales confici, sigillo autenthico consignatas. Si quis autem Judicum hujus constitutionis temerarius extiterit violator, etiamsi alias fuerit justa excommunicationis sententia, per mensem unum ab ingressu ecclesiæ & divinis noverit se suspensum. Et hæc eodem, in suspensionis & interdicti sententiis, volumus observari. Plebani vero seu parochiarum rectores excommunicandi auctoritatem sibi noverint penitus interdictam. Quod si propria temeritate quempiam excommunicare præsumpserint, superioris arbitrio proinde puniantur. Cum autem in prolatione sententiarum hujusmodi magna maturitas requiratur, episcopi & alii judices ecclesiastici, sententias ipsas, per se ipsos, in rebelles proferant, & demum publicationem seu denuntiationem earumdem plebanis locorum committant. Qui commissione super hoc seu mandato recepto, induti sacerdotali veste ad altare, seu in ambone ecclesiæ stantes, exposita populo excommunicationis causa, accensis candelis, projectis ad terram, excommunicatum denuntiabunt publice, & præcipient, ut ab ipsius communione abstineant universi. Denuntiare etiam debet episcopus eum, quem excommunicavit, vicinis episcopis, qui ad ipsius requisitionem, talem in suis diœcesibus excommunicatum denuntiabunt, & ipsum tanquam excommunicatum vitabunt, & a suis subditis facient arctius evitari.

Qui absolutionis beneficium parvipendunt.

Nonnulli majori excommunicatione ligati, & publice denuntiati, absolutionis beneficium parvipendunt, ex eo, quia clerici seculares & religiosi, & maxime exempti, eis non solum in communibus actibus, & extra divinum officium, verum etiam in divinorum celebratione communicare præsumunt. Et si quandoque clerici ipsi, de communione seu participatione hujus arguuntur, respondent nonnunquam mendaciter, quod talis excommunicatio ad eorum notitiam non pervenit. Quia vero excommunicatos excommunicatione majori, tam

ANNO CHRISTI 1346.

tam exempti, quam non exempti vitare tenentur, & si eis communicant, excommunicationem incurrunt minorem, ne sit necessarium, quod singulorum auribus singulariter inculcetur, ex quo sententia ipsa publice promulgatur, definiendo statuimus, quod, quando excommunicationis sententia in ecclesia cathedrali, synodo, parochia propria, vel alio loco debito, & patenti, solemniter fuerit promulgata seu publicata, ipsi excommunicato participans, se, quin hujusmodi canonice puniatur, per ignorantiam nullatenus valeat excusare, nisi doceat, quod tempore promulgationis ipsius sententiæ fuerit extra diœcesim, vel alibi, in tanta distantia constitutus, sic, quod ad eum talis excommunicatio non pervenit, nec potuerit verisimiliter pervenire. Insuper ille, qui, dum esset sanus corpore, absolutionis beneficium, a sententia excommunicationis, qua innodatus existit, petere negligit seu contemnit, in ægritudinis lecto, absolutionem petens, non antea absolvatur, donec ponat idoneam cautionem, quod, sive convalescat, sive moriatur, secundum possibilitatem suam per se, vel per alium, plenarie satisfaciat de commisso, ratione cujus fuit excommunicationis vinculo innodatus. Qui vero excommunicatus moritur, ipsius cadaveri christianorum communio denegetur.

ANNO CHRISTI 1346.

De verborum significatione.

Intelligentia verborum, ex causis dicendi, assumenda est: quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus. Verba, ex communi usu, sunt intelligenda.

De regulis juris.

Dubia, in meliorem partem sunt interpretanda.

Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.

Necessitas licitum facit, quod in lege licitum non habetur.

Res sacræ a quoquam injuste violari non debent.

Non juste facit, qui ex timore servili aliquid facit.

Defleat peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus.

Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & pastor nescit.

CONSTANTINOPOLITANA PSEUDO-SYNODUS

In qua Joannes Caleca Patriarcha de gradu dejicitur, quoniam Barlaami dogmata tueretur, & Gregorius Palamas recte sentire declaratur.

ANna Imperatrice, & Joanne Palæologo filio suo quindecimi præsidentibus, & quamplurimis episcopis præsentibus coacta est in Palatio regio 7. die Februarii anno 1347. hæc synodus; in cujus sessione prima Joannes Patriarcha, eo quod Barlaami dogmata complexus esset, junctis suffragiis exauctoratur: sessione secunda, sententia contra Patriarcham prius edita repetitur & confirmatur, & tomus synodicus conficitur, in quo Acindynus, eiusque sequaces damnantur: Palamas e contra ejusque socii recte sentire declarantur: Joannes Patriarcha throno deturbatur, & Isidorus annuente etiam Cantacuzeno Imp. in ejus locum sufficitur. Hujus Pseudo-synodi historia legitur apud Cantacuzenum hist. l. 3. c. 98. 99. & lib. 4. c. 3. Tomus synodicus habetur MS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi Cod. Jurid. 7. n. 12. ejusque subscriptiones exhibet Lambecius in Bibliotheca Cæsar. tom. 6. p. 28. in hunc modum.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Κυζίκου, Τυπίτιος καὶ Ἐξαρχος πάσης Ἑλλησπόντου, Ἀθανάσιος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Φιλαδελφείας καὶ Τυπίτιος, Μακάριος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης πάσης Ἀλανίας, καὶ Σωτηρουπόλεως, καὶ Τυπίτιος, Λαυρέντιος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Διδυμοτείχου καὶ Τυπίτιος, Θεολέπτος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Μαθύμνης, καὶ Τυπίτιος, Μαλαχίας.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Ἀπείρου, Χαριτίου καὶ τῆς τοῦ Ἰσαὰκ τῶν Ἐυχαΐτων.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Μαδύτου, καὶ Τυπίτιος, Ἰσαάκ.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης (1) Ῥοδίου, καὶ Τυπίτιος, Θεόδουλος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Βάρνης, καὶ Τυπίτιος, Μεθόδιος.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Σηλυβρίας, καὶ Τυπίτιος, Ἡσαΐας.

Ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Πομπειουπόλεως, Γρηγόριος, καὶ Τυπίτιος.

Athanasius humilis Metropolita Cyzici, Hypertimus, & Exarchus totius Hellespontii.

Macarius humilis Metropolita Philadelphiæ, & Hypertimus.

Laurentius humilis Metropolita totius Alaniæ & Sotiropolis, & Hypertimus.

Theoleptus humilis Metropolita Didymotichi, & Hypertimus.

Malachias humilis Metropolita Methymnæ, & Hypertimus.

Apero humilis Metropolita Charitum, & locum tenens Euchaitarum.

Isaac humilis Metropolita Madytorum, & Hypertimus.

Theodulus humilis Metropolita Rhodii, & Hypertimus.

Methodius humilis Metropolita Barnæ, & Hypertimus.

Hesajas humilis Metropolita Selibriæ, & Hypertimus.

Gregorius humilis Metropolita Pompejopolios, & Hypertimus.

EO-

(1) Ita est scriptum nempe Ῥοδίου non Ῥόδου ut apud Ortelium in Thesauro Geograph.

ANNO CHRISTI 1347.

EORUMDEM CONCILIORUM ACTA AMPLIORA.

Ex Suppl. Manfi tom. III. pag. 611.

QUamquam Venetus Labbei editor, vir doctus mihique amicus, Constantinopolitanam hanc synodum non ignoravit; cum tamen in ejus historia mancus sit & erraverit in multis, ideo concilio huic non tantum additamento succurrendum; sed & ex integro refingendum est. Tertia hæc est synodus CPtana, cui indicendæ causam præbuit Johannes Caleca CPtanus Patriarcha, qui Palamæ olim sectator in Barlaami & Acindyni partes inclinare videbatur. Dies illi dicta ad concilium, cui Anna Imperatrix & filius ejus Johannes Imperator præsidebant. Peracta sub illis sessio prima, & cusum de Joannis abrogatione decretum; tum & tomus alter (alter inquam a priori, quem secunda synodus scripserat) contra Acindynum & complices editus, *ac triginta episcoporum subscriptionibus confirmatus, quibus postea per subscriptionem consensit quoque sanctissimus Hierosolymorum patriarcha*. Ait David monachus in relatione de dissidio Barlaami & Palamæ, quam in MS. cod. Bibliothecæ Augustanæ legisse se Gretserus in Adnotat. ad Cantacuzenum lib. 2. cap. 40. affirmat, & ex ea verba illa decerpsit, quæ pariter verba recurrunt in actis synodi CPtanæ a Combefisio vulgatis & synodo anni 1350. assignatis, legendis in edit. Venet. Lab. tom. XV. pag. 620. Hæc mihi fusius aliquanto dicenda fuerunt, ut demonstrarem subscriptiones illas, quas veluti subjectas tomo in hac synodo cuso dedit Venetus Labbei editor, accepitque a Lambecii Commentar. lib. VI. pag. 30. non ad hanc quidem synodum, sed ad præcedentem alteram anni 1341. pertinere convincerem. Exhibet enim nomina Patrum tantummodo decem; cum triginta tomo hujus tertiæ synodi subscripta legenda essent. Ex quo illud ulterius consequitur, tomum illum Bibliothecæ Cæsareæ, cui adjunctæ erant subscriptiones a Lambecio vulgatæ, ad synodum illam secundam anni 1341. spectasse; nec sane de Nessel in Commentar. Biblioth. Vindebon. par. II. decretum illud alteri assignat.

Dum ita concilium propemodum absolvendum expectaretur, accidit ut Joannes Cantacuzenus Imperatori Joanni collega a populo datus urbem CPolim, ex qua ad id usque prohibitus fuerat, obtinuerit. Eo confugit Joannes Patriarcha auxilium implorans; agenteque Imperatore instauratur concilium, cujus innovati acta hic recitare verbis Joannis Cantacuzeni in historia, a se scripta lib. 4. cap. 3. maluerim. Postquam igitur narrasset historicus Joannis patriarchæ jam damnati ad imperatorem recursum, ita loquentem Imperatorem illum inducit.

Quod autem ad prava dogmata attinet, quorum te episcopi coarguunt, ego quoque te calculo meo condemno, si convincare. Sin absolvere, nihil impediet, quin thronum tuum recipias. Quoniam vero te ab episcopis exauctorari contigit, ego te in sedem restituere non possum. Tamen ad me provoces licet, meque arbitrio ad objecta respondeas. Patriarcha imperatoris erga se mansuetudinem, benevolentiamque cernens, propemodum somniare se putabat, propter rerum eventum inopinatum videlicet. Inusitatum enim mortis genus, & omnia summa ludibria, supremasque contumelias sibi patiendas suspicabatur, dum perpenderet, quam multa belli tempore in eum nefarie deliquisset. Deinde jam meliore spe subnixus, & e timore quo tenebatur recreatus, imperatorem de lenitate, injuriarumque oblivione prædicabat oppido, agebatque gratias impense, quod sui misertus, ignovisset. Patebat autem tempus ad deliberandum, quid episcopis respondendum esset, si causam suam tueri vellet: quod ei imperator concessit. Tertia post die ad eum regressus, perblandis, ac festivis sermonibus eum exhilarans, etiam de judicio percunctabatur, vellet ne causam suam agitari. Patriarcha rursum affatim imperatorem laudare, & judicium sibi optatum affirmare, etenim crimina se diluturum. Imperator ejus petitionem episcopis statim significat, suaque sententia, ut justam confirmat: id quoque episcopis quoque perplacere videbatur: affirmantibus, nec sibi probari, patriarcham throno depelli, nisi perversam doctrinam, & ab orthodoxa religione valde discrepantem sectari ostenderetur, præfigebantque diem, quo omnes in palatium coacti, in ejus dogmata inquirerent. Qui ubi illuxit, episcopi, & monachorum præcipui, aulicorumque procerum lectissimi conveniunt. Vocatur Patriarcha; differt, & se venturum negat. Iterum ac tertium pro more vocatus, judicium semper detrectat. Episcopi decretam exauctorationem, juxta patrum de his rebus sanctiones ratam faciendam constituunt. Non permittens imperator, ipse patriarcham adit; quærit num ad causam dicendam velit occurrere. Quo aperte etiam illo præside, judicium repudiante, episcopi consensu abdicationem ejus in litteras redigunt, & de dogmatis tomum edunt, in quo confitentur omnes: Acindynum ejusque cœtum (quibuscum & patriarchæ Joanni, eadem sentienti, consuetudo fuerit, quocirca & sede sua dejectus sit) prave, atque impie de religione sentire. Palamam autem cum sui similibus divinorum & Theologorum placitis consentanea & sapere, & profiteri. Tali modo Joannes patriarcha throno ejectus est, etiam antequam Byzantium intraret Imperator. Nec vero quiescebat, sed cum ecclesiasticis quibusdam, & episcopis, ac privatis conspirans, iterum turbas commovebat, & jactare perseverabat, sibi in judicio factam injuriam: vociferans contra episcopos, qui ei patriarchatum abrogaverant. Quamobrem omnes, exceptis tribus ejus assecliis, ad imperatorem adeuntes petunt, ut Byzantio pellatur, ita a seditione & tumultu ecclesiam conquieturam. Imperatori ob seditionem componendam similiter visum est faciendum. Ergo Didymotichum illum misit.

Hanc synodi sententiam de exauctoratione Joannis decreto suo Cantacuzenus Imperator confirmavit, idque extare in cod. MS. Bibliothecæ Vindobonensis testatur de Nessel in Comm. Bibl. Vindobon. par. II. pag. 20. signari vero illud testatur mense martio Indict. XV.

XV. anno mundano 6855. Christi scilicet 1347. A lamitica anni 1350. rectius an. 1351. a Combesisio vulgata & in collect. Veneto Labbean. to. XV. inserta. Portio etiam quædam tomi synodici in Concilio isto scripti recitatur inter acta synodi Pa-

ANNO CHRISTI 1348.

ANNO CHRISTI 1348.

STATUTA SYNODI PROVINCIALIS DUBLINII

Coactæ tempore Alexandri de Bicknor (Bricknor) archiepiscopi Dublinensis.

Ex reg. episcopi Osforiensis in Bibl. illustris ducis Chandos. collat. cum MS. penes rever. episcop. Clogheren.

Wilk. conc. II. pag. 746. Mansi Bibl. pag. 510.

UNiversis almæ matris ecclesiæ filiis per diœc. & prov. Dublin. constitutis, Alexand. permissione divina Dublin archiepiscopus, Hiberniæ primas, ejusque suffraganei ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum. Spiritus sancti gratia, ope nostra, & consilio transgressores canonum corrigere, quædam etiam alia salubriter edita, non tamen satis moribus utentium approbata recensita stabilire, & contra novellas quorumdam tergiversationes, quas in furno sulphureo non cessat abyssus piceus exhalare, novis quidem remediis occurrere intendimus, ut valemus. Et licet sanctorum patrum prædecessorum nostrorum decreta per ora ipsorum dudum promulgata, regulas justitiæ & æquitatis dogmata completiora quasi lata flumina prodierint, & tanquam rivuli de fluminis latitudine pro diversorum temporum necessitate sint producti, humani tamen juris conditionem in futurum curare cogit necessitas manifesta.

A sanctis olim patribus noscitur institutum, quod metropolitani singulis annis cum suis suffraganeis provincialia non omittant concilia celebrare; in quibus de corrigendis excessibus, & moribus reformandis, præsertim in clero, diligentem cum Dei timore habeant tractatum, canonicas regulas, & maxime, quæ statutæ sunt in hujusmodi concilio generali, relegendo, eas faciant observari, debitam pœnam transgressoribus infligendo, ut quicquid legi divinæ corruptis moribus contraire cognoverint, gladio spirituali & doctrina salutis exterminent, ecclesiasticæ sarculo disciplinæ velut providi cultores vitia extirpent, virtutes inserant, mores reforment, ut appetitus noxius honestatis debitæ limites non excedat, deinde christiana professio liberius magis ac magis salubribus proficiat incrementis.

I.

De Decimis solvendis.

Nos Alexander, archiepiscopus supradictus, in nomine sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, notorium fore providimus auctoritate præsentis concilii, de fratrum & suffraganeorum, ac cleri nostræ diœc. & provinciæ consensu & assensu ordinamus & statuimus, quod cum nonnulli inobedientiæ filii, ecclesiæ reverentia prorsus abjecta, propriis commodis inhiantes, ad Deum, a quo bona cuncta procedunt, debitum respectum non habentes, qui decimas in signum universalis dominii sibi reservavit, & reddi præcepit, & pro suo cultu eas clericis ac ministris ecclesiæ assignavit & concessit, excogitata fraude maligna aliqua malitiose domini prædiorum & alii impediunt, impedirive faciunt seu procurant viros ecclesiasticos, ad quos spectat perceptio decimarum, eorumve procuratores vel ministros, quominus hujusmodi decimas percipere & colligere possint, unire, et abducere libere, integre, et quiete, ac eisdem gaudere sine quocumque impedimento, vel sine alicujus pecuniæ vel alterius rei exactione vel donatione. Alii vero in viros ecclesiasticos ea occasione, quod jura sua ecclesiastica in foro ecclesiastico prosequantur, aut fuerint prosecuti, ut tenentur, judicant, seu judicari et attachiari procurant, et clericos in strata publica, ac in domicilliis incedentes et existentes capiunt ministri et detinent, ac incarcerant, donec finem vel redemptionem fecerint, bona hujusmodi captorum sibi appropriant, et in usus suos convertunt, aut eis alia gravamina inferri faciunt, vel procurant in casibus omni jure reprobatis, vel saltem non permissis; unde maximas jacturas, et pericula inevitabilia incurrunt; universos et singulos hujusmodi instigatores, impeditores, captores, et alios supradictos, per quorum nefandas machinationes ecclesiis, vel earum rectoribus, vicariis, aut eorum ministris, seu quibuscunque viris ecclesiasticis seu eorum ministris quicquam damni infertur, aut, ut subtrahatur honoris, permittitur, præsentis declaratione concilii pronunciamus vinculo excommunicationis esse innodatos, ac loca et terræ hujusmodi capientium, in quibus hujusmodi clerici capti et incarcerati detinentur, sint et remaneant interdicta, et sic publice interdicta fore denuncientur per ordinarios locorum, donec ipsis abeundi libera pateat facultas, et pristinæ libertati cum bonis et damnorum satisfactione plene fuerint restituti; ipsique capientes et detinentes, et hujusmodi terrarum inhabitatores, hujusmodi durante interdicto, omni careant ecclesiastica sepultura, et aliis sacris ecclesiæ, baptismo parvulorum, & pœnitentia morientium duntaxat exceptis.

II.

De immunitate ecclesiæ.

Cum ad immunitatem ecclesiæ confugientibus aliqui propter arctam custodiam, quæ apponitur circa ipsos, vix in alimentis valeant subveniri, et aliqui confugientes hujusmodi ab ecclesiis, vel cœmeteriis, vel via publica post abjurationem terræ violenter extrahantur, ac sic extracti, in præjudicium immunitatis ecclesiasticæ, crudeliter occidantur; ordinamus, quod omnes, qui talibus confugientibus, quos ecclesia tueri tenetur, alimenta impediunt ministrari, et illos, qui hujusmodi confugas ab ecclesia, vel cœmeterio, vel alio quocumque loco

ANNO CHRISTI 1348.

loco ecclesiastico immunitatem habente, cum tunc sub protectione ecclesiæ consistant, vel a via publica post abjurationem terræ, ut est dictum, extrahere, vel extractos occidere præsumpserint, majoris excommunicationis sententiam incurrant ipso facto.

III.

De locis clericorum contra voluntatem eorum non ingrediendis.

Item ordinamus et statuimus, quod omnes, qui de domibus, manerijs, grangiis, et aliis locis bona ad archiepiscopos, episcopos, et alios viros quoscunque ecclesiasticos spectantia, vel ad personas ecclesiasticas, seu ad ipsas ecclesias pertinentia, quicquam præter voluntatem dominorum, vel ipsorum, qui sint hujusmodi rerum custodes deputati, subtrahere, abstrahere, consumere, vel intrare præsumpserint, abstrahi, vel consumi, aut contrectari consensum fecerint; seu hujusmodi consumptionem, abstractionem, aut contrectationem suo nomine, vel a familiaribus factam, ratam habuerint, sacri approbatione hujus concilii provincialis pronunciamus et declaramus ecclesiasticæ immunitatis existere violatores, et sententiam majoris excommunicationis contra hujusmodi violatores in constitutionibus nostris, & prædecessorum nostrorum, & auctoritate præsentis concilii latam, incurrant ipso facto; rege, regina, & eorum liberis duntaxat exceptis.

IV.

Ne religiosi inducant aliquos ad eligendum apud eos sepulturam, vel sacramenta laicis ministrandi.

Item, licet explorati juris sit, quod viris religiosis, cujuscunque status, vel conditionis existant, sub certis pœnis & censuris, in sacris canonibus contentis, sit inhibitum, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu ad promittendum inducant, ut apud eorum ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non mutent, aut laicis sacramentum unctionis extremæ vel eucharistiæ ministrare, matrimoniave solemnizare, non habita super his rectoris, vel vicarii, aut parochialis presbyteri licentia speciali, aut qui ex causis prohibitis a canone, præterquam in casibus a jure permissis, aut per privilegia sedis apostolicæ concessis, eosdem a sententiis per statuta provincialia & synodalia promulgatis, seu, ut verbis eorum utamur, a pœna & a culpa absolvere quemquam præsumpserint, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto, per sedem apost. duntaxat absolvendi. Nonnulli tamen sub quodam devotionis velamine & sanctitatis suæ ausibus temerariis contra præmissa facere, inducere, & procurare, abjecto juris tramite non verentur; auctoritate sacri præsentis concilii statuimus & ordinamus, quod quilibet diœcesanus singulis annis coram populo in lingua materna, ac de hujusmodi delinquentibus solertem faciat inquisitionem; & si quos in præmissis canonum invenerit transgressores, ipsos censuras in jure statutas incurrisse pronunciare non differat; & ipsos sic involutos in singulis ecclesiis supradictis nominatim, & nihilominus omnes sic delinquentes in genere per parochiales presbyteros quater in anno publice faciat denunciari.

ANNO CHRISTI 1348.

V.

De peccatis, in quibus pœnitentiarius absolvere non potest.

Item sacri præsentis auctoritate concilii inhibemus, ne quis de nostris pœnitentiariis, & omnibus aliis, conspiratores, perjuros, falsos assisores, qui prece vel pretio, affectione vel odio, aut promissionibus corrupti, contra justitiam in alterius præjudicium, damnum, seu exhæredationem scienter falsum dixerint, seu hoc procuraverint, ac clericorum indictatores, & procurantes præter licentiam loci diœcesani, sine speciali licentia eisdem litteratorie & nominatim concessa, præterquam in mortis articulo, absolvant; quod si convalescant, eis injungant, ut veniant ad diœcesanum loci pœnitentiam salutarem super hoc recipiendi.

VI.

Ut nullus inferior episcopo absolvat ab homicidio.

Item absolutiones ab homicidio voluntario, tam publico quam occulto, solis episcopis extra mortis articulum reservamus; per quod homicidiorum audaciam refrenare intendimus, & non majori reverentiæ in aliquo derogare.

VII.

Ut nullus consignet procuratorium ad alicujus petitionem, nisi constet petentem vocari nomine, quo se dicet nominatum.

Item ex horrenda quorumdam malitia perpendimus accidisse, quod aliquo possessore ecclesiastici beneficii in remotis agente, aliquis dolosus ipsius adversarius beneficium, domum ejus, vel rem aliam, contra inhibitionem domini & sacrarum sanctionum, avaritiæ cæcitate concupiscens, spiritu sathanico se in lucis angelum transfigurans, fingit mendaciter prædictum absentem vocari coram judice, & se ipsius procuratorem existere, & vocari nomine absentis, ad causam ejus in judicio defendendam, prætendens auctoritate falsum procuratorium; alicui decano rurali, vel alii superiori forsitan supplicans in hæc verba: Quia sigillum meum præsentibus est incognitum, peto ut sigillum auctoritatis vestræ huic procuratorio meo apponatis; & sic data mercede iniquitatis obtinet, quod requirit. Deinde vero obtento falso procuratorio, cum altero se ipsius fingente adversarium fraudulenter & mendaciter litem ingreditur; & hac fraude procedens, possessionem beneficii nanciscitur per sententiam, vero domino, cujus status sic periclitatur de facto, hoc penitus ignorante. Volentes igitur tam detestandis fraudibus, in quantum est possibile, obviare, statuimus, ut nullus decanus, archidiaconus, vel ejus officialis, vel officialis episcopi sigillum officii sui alicui procuratorio apponere præsumat, nisi hoc petatur ab eo publice, in judicio vel extra judicium, nisi hic, qui procuratorem constituit, quem constat verum esse dominum, præsens personaliter sub laudabili testimonio hoc requirat, ut fraus quelibet

ANNO CHRISTI 1348.

libet excludatur. Si quis vero decanus, archidiaconus, vel eorum officialis, seu officialis episcopi ex certa malitia contrarium fecerit, per triennium ipso facto a beneficio sit suspensus; quicunque advocatus seu procurator hujusmodi facinus fieri procuraverit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, & ab officio postulandi, ut inhabilis per quadriennium sit suspensus. Nihilominus alii aliter puniendi secundum loci diœcesani arbitrium.

VIII.

Ut non fiant inquisitiones de beneficiis, nisi in capitulis, possessore ad id vocato.

Item ad elidendum fallacias iniquorum, sagaci est studio laborandum cuilibet justitiæ amatori, ne, si torpescat rectorum industria, simplicitas advertantium supplantetur, & succumbat veritas falsitati. Sane ex relatione multorum recepimus, quod quidam in absentis beneficium oculos cupiditatis jacientes, novos fingentes rumores, asserunt mortuum esse beneficii possessorem, & procurant se per patronos ejusdem ad illud præsentari, & clandestinas inquisitiones fieri de eodem; sicque nonnunquam possessionem ejusdem subdole nanciscuntur, justis & veris ipsorum beneficiorum possessoribus penitus ignorantibus; ex quibus inclyta mala provenire didicimus, ex ipsis vero veri rectores eorumdem gravia dispendia patiuntur; statuimus & perpetuo ordinamus, ut nullus, cui ex debito officii sui hujusmodi inquisitionem competit facere, inquisitionem faciat, ut capiat super vacatione cujusvis beneficii, nisi publice in pleno loci capitulo, eo, qui possessioni ecclesiæ incumbit, vocato legitime, sub tanti temporis spatio, quo possit sibi de prudentum virorum consilio prospicere, & defensioni status sui sufficienti remedio providere. Super vacatione vero beneficii, quod de jure & de facto vacare prætenditur, in pleno loci capitulo, per rectores, & vicarios ejusdem loci, cappellanos, & alios viros fide digniores patriæ, si rectores & vicarii absfuerint, per quos rei veritas melius poterit indagari, vocatis vocandis, facta proclamatione publica in beneficio vacante, de die & loco hujusmodi inquisitiones faciendæ per totam nostram provinciam amodo fiant inquisitiones; quicquid autem contra præsentis concilii ordinationem fuerit attentatum, decernimus non tenere, & clandestinam inquisitionem, ut præmittitur, capientes ad arbitrium diœcesani fore puniend. & ipsum ambitiosum præmissa procurantem, ab ipso beneficio, licet ambitiose adepto, perpetuo fore excludendum.

IX.

Ne clerici beneficiati, vel in sacris constituti, laicorum ballivi vel seneschalli existant.

Item cæterum præsenti sacro concilio statuimus, ne clerici beneficiati, aut in sacris ordinibus constituti, seneschalli laicorum, aut ballivi, sine licentia diœcesani, seu quovis modo existant, nec jurisdictiones exerceant sæculares; quod si contra hoc attentare præsumpserint, per loci diœcesanum acriter puniantur & mulctentur.

X.

Ut decani rurales causas matrimoniales tractare non præsumant.

Item, quoniam in causis matrimonialibus magna est discussio necessaria, unde eas a simplicibus est grande periculum pertractari; statuimus, ut decani rurales nullas causas matrimoniales de cætero audire præsumant, nec earum examinatio nisi viris discretis committatur, quibus assidentibus, si commode fieri potest, debito fine terminentur.

XI.

De oblationibus factis in cappellis matrici ecclesiæ restituendis.

Item sacro præsenti concilio statuimus, & districte præcipimus, quod cappellani ministrantes in cappellis, quæ salvo jure matricis suæ parochialis ecclesiæ qualitercunque sunt concessæ, oblationes universas, & cætera omnia, quæ ipsis non recipientibus ad parochialem ecclesiam pervenire deberent, rectoribus parochialis ecclesiæ, vel vicariis, si hoc sibi ex assignatione portionis suæ debeatur, integraliter restituant; quod si hoc facere contempserint, donec realiter satisfecerint, a celebratione divinorum sint suspensi.

Item religionis sinceritas ab omni secularis implicationis malitia est eo sollicitius servanda, quo devotionis sanctæ simplicitas facilius retardatur, cum in curis sinceræ mentis oculus distractus ab unitatis studio sit præpeditus; præsentis auctoritate concilii statuimus, ut nullus religiosus admittatur executor alicujus testamenti, nisi tuus superior caveat sufficienter pro religioso hujusmodi, quod ultimam defuncti, cujus fuerit executor, fideliter exequatur voluntatem, & reddat integræ suæ administrationis rationem, & de damnis, si quæ per ipsum evenerint, loci ordinario absque difficultate respondeat, nec aliter de executione vel distributione se intromittat, sub pœna anathematis inhibemus. Sane qui sufficienter cavere nequeunt, sciant se tam ab executione, quam administratione, sive distributione bonorum hujusmodi præsentis definitione concilii perpetuo alienos.

XII.

De testamentis.

Item cum in concilio (a) Casselen. per archiepiscopos, episcopos, & alios de consensu illustris regis Angliæ, & domini Hiberniæ (b) legatorum, ducum, comitum, baronum, procerum, clerique & populi Hiberniæ fuisset & sit ordinatum, concessum, & statutum, quod universi fideles in infirmitate positi, confessore suo & vicinis assistentibus, cum debita solemnitate testamentum condant, & bona sua mobilia, dummodo uxores & liberos habeant, ære alieno & servientium mercede exceptis, in tres partes dividantur; unam liberis, & alteram uxori legitimæ, ac tertiam propriis exequiis relinquentes; & si forte legitimam prolem non habuerint, inter ipsum & uxorem suam bona ipsa in duo media dividantur; & si legitima uxor

(a) Ann. MCLXXII. apud Cambrens. Clogher.

(b) MS Clogher. pro legatorum ducum legit domini papæ.

ANNO CHRISTI 1348.

uxor decesserit, inter ipsum & liberos bipartiri debeant; nonnulli tamen non sine temeritatis audacia hujusmodi ordinationem, concessionem, & statutum infringere moliuntur; præsentis auctoritate concilii statuimus, ne quis alicujus solutæ vel conjugatæ mulieris, seu cujusvis alterius impediat seu perturbet, impediri vel perturbari faciat vel procuret cujusvis testamenti liberam factionem; quod si fecerit, sciat se majoris excommunicationis sententiam incurrisse ipso facto, a qua per loci diœcesanum tantummodo absolvatur.

XIII.

Sententia generalis.

Item auctoritate præsentis concilii excommunicamus omnes illos, & singulos, qui pacem regis & regni Angliæ, & domini Hiberniæ perturbare, aut libertates ecclesiasticas infringere, seu possessiones ecclesiasticas ausu temerario invadere, aut ad bona ecclesiastica manus injuriosas extendere præsumpserint, in præjudicium ecclesiasticæ libertatis; necnon omnes illos & singulos, qui per prædicationes & suasiones publicas vel occultas ad pugnandum & guerram movendum in regem eumdem, vel populum suum sibi subjectum, in dicta terra Hiberniæ, palam vel occulte inducunt, & (a) hortantur, non timentes animas decipere talium, eos quibusvis in hac parte sinistris suggestionibus adquiescunt, & a perpetratis, ac etiam perpetrandis hujusmodi prosecutionem guerrarum, homicidiis, incendiis, sacrilegiis, & rapinis absolvere propria temeritate præsumunt, cujuscumque status, gradus, conditionis, & ordinationis, aut dignitatis existant; & illos, qui in ecclesiastica beneficia per laicalem potestatem se intrudunt, & ea per laicalem potestatem injuste detinent occupata.

(a) legit nihilominus pro hortantur.

XIV.

De vita & honestate clericorum.

Item statuimus & ordinamus, quod omnes clerici, qui gaudere voluerint privilegio clericali, tonsuram decentem, & coronam competentem in capite deferant, maxime coram suis ordinariis, in ecclesiis & congregationibus clericorum, nec erubescant ipsius portare signa, qui pro eis spineam non dedignabatur portare coronam, factus pro nobis obediens usque ad mortem, (b) ut ejus resurrectionis & gloriæ possemus esse participes æternæ. Si quis vero clericorum contra hoc attentare præsumpserit, per ordinarium loci graviter puniatur.

(b) Clogh. ita: ut iis resurrectionis tri. haeres esse participes.

XV

De impedientibus jurisdictionem ecclesiasticam.

Item sacro præsenti concilio ordinamus & statuimus, quod si quis archiepiscopum, episcopum, archidiaconum, suosve officiales, commissarios, vel eorum ministros pro eo quod eum pro suis culpis, criminibus, vel excessibus in his, quæ ad forum ecclesiasticum pertinent, suspenderit, excommunicaverit, seu ejus terram ecclesiastico (mediante justitia) supposuerit interdicto, ad examen vetitum traxerit, seu in foro laicali ea de causa judicaverit vel vo-

A xaverit, ipso facto majoris excommunicationis sententia sit innodatus.

ANNO CHRISTI 1348.

XVI.

De eodem.

Item statuimus sub pœna excommunicationis majoris, quod nullus virum ecclesiasticum ad publicum officium, quod non sine ordinis sui, vel status, aut juris offensa, vel sine nota irregularitatis exercere potest, per captionem bonorum, vel alia amerciamenta assumere compellat; quam contravenientes incurrere volumus ipso facto.

B

XVII.

De sepulturis, & aliis contentis in statuto.

Item statuimus, & ordinamus, quod nullum officium spirituale alicui tradatur ad firmam, nec quod sepultura, vel aliquod sacramentum ecclesiæ pro aliquo debito cuiquam denegetur. Et si quis contra hæc attentare præsumpserit, ad arbitrium diœcesani sui graviter puniatur.

XVIII.

De immunitate ecclesiæ.

C

Item statuimus, & ordinamus, quod laici judicia secularia, vel attachiamenta in ecclesiis, vel cœmeteriis, vel solo ecclesiæ nullatenus exerceant; & si contra hoc fecerint vel attachiaverint, ipso facto sint excommunicati.

XIX.

Ne cappellani admittantur sine chartis ordinum.

Item statuimus, & ordinamus, quod nullus cappellanus alienigena seu indigena incognitus ad celebranda divina infra nostram provinciam, nisi prius de suis ordinibus litteratorie constiterit, seu per testes fide dignos fidem fecerit, quovismodo recipiatur. Nec aliquis laicus alienigena de partibus remotis ad nostram accedens provinciam, nisi prius, quod solutus fuerit, in forma juris constiterit, ad solemnizandum matrimonium infra nostram provinciam quovismodo admittatur. Et si quis contra hoc fecerit, graviter puniatur.

D

XX.

De infamantibus.

E

Item omnes illi, qui odio vel lucri causa alium penes aliquos alios, apud quos prius non fuerat diffamatus, falso & malitiose diffamant super criminibus, pro quibus mors, vel exilium, aut membrorum mutilatio, vel exheredatio, seu majoris partis bonorum suorum spoliatio sequi deberet, & judicialiter committeretur, majoris excommunicationis sententia ipso facto sint innodati.

XXI.

ANNO CHRISTI 1348.

XXI.

De electione decanorum.

Item ordinamus, & præsentis concilii auctoritate statuimus, quod illi, qui decanos rurales eligunt, pro hujusmodi decanis ruralibus, si in officio malewersati fuerint, seu de perquisitis & synodalibus loci diœc. minime satisfecerint, pro illis respondeant & satisfaciant competenter, & si per ministrum fuerit (*a*) initiatus, quod ipse respondeat pro assumpto.

(*a*) MS. Clogher. *mutatus*.

XXII.

De quæstoribus.

Item, quia eleemosynarum quæstores nonnullas abusiones in suis prædicationibus proponunt, ut decipiant simplices tantum, & nonnulla alia bona subtili vel fallaci potius ingenio extorqueant, nonnulla etiam mala in deceptionem animarum multiplicem perpetrentur; statuimus, & ordinamus, quod nullus amodo quæstor sine litteris archiepiscopi vel diœc. admittatur quovis modo; & ut salubrius animarum provideatur saluti, statuimus, quod verba decretalis epistolæ infrascripta inserantur, quia, ut ait apostolus, "Omnes statuemur ante tribunal Christi, recepturi ut in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum," oportet nos messionis diem extremæ misericordiæ operibus prævenire, ac (*b*) æternarum virtutum semen seminare in terris, quod reddendo domino multiplicato fructu recolligere debeamus in cœlis; firmam spem fiduciamque tenentes, quum qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam; & ad aliud proponendum, nisi fuerit licitum & canonicum, nullo modo admittatur. Sacerdotes vero, qui alio modo, quam supradicto, quæstores ad prædicandum voluntarie & scienter admittunt, per annum a celebratione divinorum ipso facto sint suspensi; & ipsi quæstores si contra præmissa aliquid attentaverint, ipso facto sint excommunicati. Et si per quadraginta dies perseveraverint, ad significationem episcoporum capiantur, & incarcerentur, quousque de talibus aliud fuerit per loci diœcesanum dispositum. Quascunque litteras hujusmodi quæstoribus hactenus concessas revocamus, præmissarum sententiarum relaxatione sine absolutione loci diœcesani reservata. Et cappellani pecuniam ea occasione receptam ecclesiis cathedralibus restituant triplicatam.

(*b*) MS. Clogher. Ita: *æternorum inmitis seminare*

ANNO CHRISTI 1348.

XXIII.

De festis S. Patricii & patronorum.

In medio pectoris nostri beati Patricii, Hiberniæ apostoli, & patroni, memoriam revolvimus, qui, divina disponente clementia, populum Hibernicanum ad fidem convertebat, nonnullas etiam monasteria & ecclesias suis construxit temporibus, & multimodis coruscavit miraculis, cujus doctrina, vita, & sanctitate Hibernicana fulget ecclesia, aliisque multis insignis decoratur & privilegiis; ipse nos fovet, ipsiusque meritis & intercessionibus assiduis in dies (*c*) juvamur & refocillamur; & digne ad sui honoris gloriam & laudem quilibet catholicus oculos sui cordis & mentis convertere astringitur. Idcirco dignum prorsus arbitramur, ut fidelis populus prona voluntate tam excelsi, tam gloriosi patroni nostri memoriam cordicitus rememoret, ad divinam misericordiam pro peccatis impetrandam; sacri præsentis approbatione concilii ordinamus & statuimus, quod qualibet hebdomada extra quadragesimam solemnis fiat commemoratio sanctissimi patricii, patroni nostri, per totam provinciam Dublin. in aliqua feria vacante, cum regimine chori; & quod dies exitus sui ab hoc ergastulo sanctissimus sub duplici festo perpetuis temporibus celebretur. Volumus insuper, & sacri hujusmodi approbatione concilii statuimus & ordinamus, quod aliarum ecclesiarum cathedralium nostræ provinciæ in suis diœcesibus dies exitus patronorum earumdem, viz. sanctæ Brigidæ in Daren. sancti Canici in Ossor. S. Laseriani in Lechlinen. & S. Edani confessoris in Fernen. diœc. sub duplici festo, & per totam provinciam Dublin. cum regimine chori solemniter celebrentur; ac etiam quod subditi cujuslibet ecclesiæ cathedr. nostræ prov. diebus, quibus officium patroni ecclesiarum cathedr. earumdem sub duplici festo celebratur, ab operibus ruralibus prorsus abstineant, & debita meditatione ad divini nominis honorem, gloriam, & exaltationem, suarumque animarum salutem pro expiatione peccatorum suorum ad eorum ecclesias conveniant parochiales devote, & divinis interfint officiis hujusmodi diebus celebrandis.

(*c*) Desunt in MS. Clogher.

Item statuimus & ordinamus, quod dies exitus S. Laurentii, quondam archiepiscopi Dublin. sub duplici officio, & festive; & festa undecim mille virginum, & translationis S. Patricii quodlibet sub novem lectionibus (*d*) sancte in ecclesiis per totam provinciam nostram celebretur.

(*d*) Deest in MS. Clogher.

Item ordinamus, quod, ubi est servitium proprium dictorum patronorum, copia per diœc. ad quamlibet ecclesiam cathedralem mittatur, ut diœcesani possint facere de illis distributionem inter illas ecclesias, prout decet

ANNO CHRISTI 1351.

DUBLINENSE CONCILIUM

Anno 1351. habitum.

Hinc incipiunt constitutiones domini Joannis de sancto Paulo archiepiscopi Dublin. in concilio provinciali in ecclesia S. Trinitatis Lublin. A. C. 1351. editæ.

Ex MS. penes rev. episc. Clogherens. affert Wilk. tom. III. p. 18.

QUoniam Sanctorum patrum decreta pro moribus reformandis & excessibus corrigendis quantumcunque hactenus salubriter ordinata, effectum, pro quo ordinantur, tamen plenum sortiri non possint, eo præsertim, quod humana natura ad malum faciliter inclinans, contra juris remedia ob animarum salutem feliciter instituta per suas nodosas & inextricabiles machinationes novas adinventiones quotidie nititur producere.

Nos Johann. permissione D. Dublin. archiepiscopus, una cum suffraganeis nostris in concilio nostro provinciali in ecclesia nostra sanctæ Trinitatis Dublin. die mercurii proximo post festum sancti Patricii anno domini 1351. celebrato, ad laudem Dei, ac gloriosæ virginis & Dei genitricis Mariæ omniumque sanctorum, & sanctæ matris ecclesiæ venustatem pro moribus subditorum solidandis, & vitiis extirpandis constitutiones infra scriptas breves & utiles pro tempore jam instanti, cum consensu & assensu suffraganeorum nostrorum prædictorum, ac nostrorum & eorumdem suffraganeorum capitulorum, nec non aliorum omnium, quorum consensus requiritur in hac parte, duximus promulgandas; decernentes eas a quibuscunque subditis nostrarum civitatis, diœcesis & provinciæ fore futuris temporibus firmiter observandas; Stella mundi Mariæ mater nostri Salvatoris radiis splendidissimis suæ magnificæ pietatis totam machinam illuminans orbis terrarum, ab omnibus christianæ fidei cultoribus inter omnes sanctos Dei est præcipue veneranda; & si in ecclesia militanti non poterit venerari, ut est digna, congruit tamen, ut ipsam devotis laudum præconiis, quibus possumus, laudemus in terris, quæ filium suum interpellat pro nobis jugiter in cælis.

De festo conceptionis beatæ Mariæ.

Statuimus igitur, hoc sacro approbante concilio, quod festum conceptionis ipsius gloriosæ virginis Mariæ per totam nostram provinciam perpetuis temporibus duplici festo solemniter celebretur; subditis ejusdem provinciæ firmiter injungentes, quod in eodem festo in ecclesiis suis parochialibus conveniant, & divinis interfint officiis, & præcipue in missa, & pro suorum remissione peccatorum. Deum, & dictam gloriosam virginem sinceris mentibus studeant exorare, ab omni onere servili, rurali & manuali prorsus abstinendo, sicut in festo nativitatis ejusdem virginis a Christi fide observatur; & servitium de conceptione fiat eodem modo, quo in nativitate; hoc mutato, quod ubi dicitur "nativitatis" in festo nativitatis dicatur, "conceptio" in festo conceptionis.

De festo S. Annæ Matris B. Mariæ, & aliorum sanctorum.

In ecclesiasticis siquidem legitur historiis, sicut sanctorum patrum instituta testantur, gloriosum Deum voluisse honorem, reverentiam & obsequia parentibus fœcunditatis exhiberi a sobole procreata, ut per hæc & alia sibi invicem exhibita stirpis in propagines honoris prærogativa clarius elucescat: quum igitur veneranda memoria beatæ Annæ, quæ sanctissimam Mariam Dei genitricem, & Salvatoris nostri matrem suis gestabat visceribus, in utero sanctificata divinaque opitulante gratia ipsam genuit & feliciter produxit in lucem; nos igitur Joannes archiepiscopus supradictus ipsam beatam Annam, cujus memoriam ob vitæ ejus sanctitatem & puritatem, suis gloriosis meritis exigentibus, digne duxit sancta mater ecclesia excolendam, a subditis nostrarum diœcesis & provinciæ Dublinii devotius venerari sinceris mentibus cupientes, præsentis concilii auctoritate statuimus & ordinamus; quod festum sanctæ Annæ memoratæ in feria proxima post festum sancti Jacobi apostoli, nec non & translationibus S. Thomæ martyris, qui post multas & varias persecutiones, quas sustinuit pro defensione ecclesiasticæ libertatis, martyrii gladio feliciter occubuit, ac festum beatæ Catharinæ virginis, & martyris gloriosæ in singulis ecclesiis nostrarum diœces. & provinciæ prædictarum sub duplici festo singulis annis diebus suis solemniter celebrentur; & quod subditi prædicti in honorem ipsorum sanctorum Deum devote in ecclesiis suis parochialibus contemplantes, ab hujusmodi servili, rurali & manuali operibus se in festis abstineant antedictis, ut divinis officiis vacent devotius & intendant; singulis curatis ecclesiarum prædictarum sub pœna majoris excommunicationis districte præcipientes, quod proprium servitium de dictis sanctis in singulis suis eccl. scriptum, & eisdem eccl. appropriatum, ubi propria historia de eisdem sanctis in ecclesiis non habetur, habeant infra sex menses a tempore publicationis præsentium continue numerandos, & quod servitium beatæ Annæ sic in festo beatæ Mariæ Magdalenæ cantetur, mutatis mutandis, interim celebretur; qui quidem curati singularium diœcesium, qui historias hujusmodi jam non habent, eas in ecclesiis cathedral. dictarum diœcesium inveniant transcribendas.

Contra violatores sequestri ecclesiastici.

Quorumdam subditorum nostræ Dublinii provinciæ malitia taliter inolevit, quod præcepta licita & discreta, sacrorum canonum ac suorum ordinariorum contemnere non verentur, ecclesiastica reverentia minime formidata, dum ipsorum ordinariorum sequestra ex causis justis & veris in bonis ecclesiasticis, & aliis licite inter-

ANNO CHRISTI 1351.

terposita in contemptum clavium ecclesiæ præsumant? nequiter violare. Ut igitur dicti præsumptores a suis malitiis arceantur, præsentis deliberatione concilii statuimus, quod violatores sequestrorum per nos vel suffraganeos nostros, aut nostra seu ipsorum suffraganeorum auctoritate interpositorum, dicta nostra provincia post & contra publicationem eorumdem sequestrorum palam facta locis; in quibus bona si sequestrata consistunt, majoris excommunicationis sententiam incurrant ipso facto.

De clandestina desponsatione.

Licet clandestina matrimonia sint per sanctos canones interdicta, verumtamen nonnulli subditi nostræ Dublinii provinciæ ad vetita faciliter inclinantes, matrimonia clandestina contrahere consueverunt, bannis in facie ecclesiæ juxta ipsos sacros canones non præmissis, & multoties in gradibus consanguinitatis vel affinitatis prohibitis in jure, uno contrahentium vel utroq; in lecto ægritudinis tunc jacente, vel adhibita ibidem tertia solemnitate per cappellanos stultos, & indoctos, taliter contrahentes temporibus suis fiant ad invicem copulati, ac si bannis legitimis præcedentibus hujusmodi matrimonia fuissent in facie ecclesiæ legitime celebrata, sicq; liberi illegitimi, adulterini & incestuosi procreantur, & animarum pericula damnabilia oriuntur. Nos igitur huic abusioni pestiferæ occurrere cupientes, hoc sacro approbante concilio, inhibemus, ne subditi nostræ provinciæ matrimonia clandestina solemnizare sub modo prædicto, aut solemnizari facere in lectis vel alibi extra ecclesiam quovis modo, seu in ecclesiis, nisi bannis publice trinis edictis per tres dies festivos inter missarum solemnia, juxta formam canonum prædictorum, præcedentibus præsumant, sub pœna majoris excommunicationis, quam tam contra taliter contrahentes, quam presbyteros hujusmodi matrimonia solemnizantes incurrere volumus ipso facto. Quia sæpe contingit matrimonia rite & legitime contracta per falsas & fictas causas, testesq; corruptos & subornatos, damnabiliter divortiari in gravissimum periculum animarum, præsentis auctoritate concilii excommunicamus omnes illos, qui scienter falsum perhibent testimonium, vel perhibere procurant, & qui tales testes scienter producunt in causa matrimoniali illicita, & maxime ubi agitur contra matrimonium, nec non judices, qui scienter illicite conjungendos copulant, aut separant licite conjunctos.

De immunitate ecclesiæ.

Item in statuto bonæ memoriæ domini Alexandri nostri prædecessoris immediate in concilio provinciali edito novimus ordinatum, quod impedientes fugientibus ad ecclesiam alimenta ministrari, & qui ipsos fugientes ab ecclesiis vel e cœmeteriis earum, aut aliis locis immunitatem ecclesiasticam obtinentibus extrahere, vel extractos occidere præsumpserint, sententiam majoris excommunicationis incurrant; huic statuto salubri auctoritate præsentis concilii adjiciendo statuimus, quod nullus in prædictis locis immunitatem ecclesiasticam sic habentibus, etiam laicus in laicum manus injicere temere violentas; aut res alienas in locis prædictis causa custodiæ pro salvatione eorumdem depositas asportare vel tacere asportari præsumat, unde libertas ecclesiæ aliqualiter violetur, vel talia præsumentibus auxilium, consilium, consensum, vel favorem præbeat publice vel occulte; alioquin contravenientes vinculo excommunicationis consimili innodamus, cæteris pœnis contra in statuto dicti prædecessoris nostri, & sacris canonibus promulgatis, in suo robore duraturis.

De jejunio passionis.

Dominus noster Jesus Christus descendens a parte luminum ad terram miseriæ tenebrosam de beatissima gloriosa virgine Maria incarnari, & in mundo Deus, & homo inter homines voluit conversari, die viz. sanctificato parasceves, horis viz. matutinalibus a Judæis captus, prima coram Pontio Pilato judice ductus, tertia illusus, corona spinæ coronatus, sexta cruci ab ipsis Judæis perfidis conclavatus, nona in cruce pendens mortuus, vespertina de ipsa cruce depositus, & completoria extitit traditus sepulturæ, sicq. circa ejus flagellationes, passionem, & ipsius sanctissimi corporis mysterium erat tota expedita dies ipsa: dignum est ergo, quod dies illa christicolis per ipsius Domini nostri acerbissimam mortem ab infernalibus suppliciis ad gaudia æterna redemptis festivius veneretur, eo die ad laudem & gloriam ejus nominis jejuniis, orationibus & obsequiis placabilibus insistatur. Et licet ipsa dies sic sanctificata, qua per universum mundum ab obsequiis regularibus reservetur ut debeat reservari; quidam tamen de præmissis in istis partibus mores opera ruralia & secularia eodem die non metuant exercere.

Nos igitur hoc sacro concilio approbante ex abundanti statuimus & decernimus, ipsa sanctificata die, ut præmittitur, ab hujusmodi ruralibus & secularibus operibus fore in nostris diœcesi & provincia de cætero penitus abstinendum, ita quod prætermissis hujusmodi secularibus occupationibus liberius Deo obsequiis vacare valeat populus christianus.

De adorando nomine Jesu.

Cumq; dicatur per apostolum, ut in nomine Domini Jesu Christi omne genuflectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, quum pium & fructuosum esse censemus, quod Christi fideles cum ipsum sanctum nomen ipsorum auribus insonuerit, Deo inclinent devotius cor & caput, consentiente eodem concilio, monemus & hortamur in Domino subditos nostræ provinciæ Dublin. quod omnibus & singulis ecclesiis per nostram diœcesim & provinc. divina officia quotiescunq. celebrantes & audientes, tam clerici cujuscunq; status, quam laici, tam in choro, quam alibi in ecclesia, audito eo sanctissimo nomine Jesu, mentem, caput, & corpus devotissime inclinent, & humillime Deo flectant, & ut eo ferventius & perseverantius in isto sacro proposito perseverent, qui sunt mercedem spiritualem a domino accepturi, singulis subditis diœcesis & provinciæ prædictvere de peccatis suis & confessis & contritis, in dictis choris & ecclesiis cum ipsum sanctissimum & dulcissimum nomen Jesu inter missarum & aliorum divinorum officiorum solemnia audierint, humiliter sic inclinantibus, decem dies indulgentiæ, viz. qualibet die dominica, & aliis

ANNO CHRISTI 1351.

aliis festis per circulum anni duplicibus de omnipotentis Dei misericordia confidentes misericorditer elargimur.

De veneratione faciendâ cum recitatur "gloria Patri"

Insuper universis & singulis viris ecclesiasticis tam religiosis non exemptis, quam aliis, tam in ecclesiis cathedralibus, quam parochialibus, & aliis locis, ubi divina officia licite celebrantur, eadem celebrantibus officia & eisdem interessentibus firmiter injungentes, quod ipsi ad honorem & exaltationem nominis sanctissimæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quotiescunq. dicitur "gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto," ad eadem verba Deo humiliter se inclinent, unde viventes a Deo in terra gratiam, & morientes cæli gloriam merito reportabunt.

Quod censuræ ecclesiasticæ debent in parochialibus ecclesiis publicari.

Cum censuræ ecclesiasticæ eo magis timentur, quo solemnius divulgantur, ad pœnam delinquentium & terrorem decernimus & ordinamus, quod excommunicationum sententiæ tam in nostris, quam in prædecessoris nostri constitutionibus superius promulgatæ, ter per annum viz. prima dominica in adventu Domini, dominica in Septuagesima, & dominica proxima ante festum beati Petri ad vincula inter missarum solemnia, cum major aderit populi multitudo, candelis accensis, campanis pulsatis, in singulis ecclesiis parochialibus nostrarum diœcesis, & provinciæ per locorum presbyteros, albis indutis, solemniter publicentur, & in lingua materna maxime ad laicorum intelligentiam exponantur.

Ut autem dictarum constitutionum recens in futurum habeatur memoria, mandamus coepiscopis & suffraganeis nostris universis, quod ipsas in suis diœcesibus per se & alios faciat solemniter publicari, & firmiter observari, ac in suis synodis episcopalibus singulis annis publice recitari, ut per eos perversorum refrænetur audacia, libertatesq; & jura ecclesiastica conserventur illæsa ad utilitatem communem, laudem & gloriam nominis Jesu Christi, qui pacem & tranquillitatem ecclesiæ & terræ Hybernicanæ foveat & confirmet. Amen.

Copia vera extracta ex libro rubro antiquissimo diœcesis Ossoriensis registro seu recordo.

Per Rich. Connell. notar. Publ. (Registrum (Ossorien. (principal.

CONCILIUM (I) TOLETANUM

ANNO CHRISTI 1347. (1) Complutense appellat Card. de Aguirre tom. 3. Concilip.

Auctoritate Ægidii archiepiscopi Toletani celebratum anno Domini MCCCXLVII. tempore Clementis papæ VI.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De vita & honestate clericorum.*
2. *De immunitate ecclesiarum.*
3. *De pœnitentiis & remissionibus*
4. *De simonia.*

CAPITULA

Ægidius miseratione Divina archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas & regni Castellæ cancellarius, ad perpetuam rei memoriam.

I. *De vita & honestate clericorum.*

AD reformandam in prælatis honestatem, ne adversus eos qui uni Domino famulantur, ex aliqua dissimilitudine præbeatur occasio obloquendi: attendentes quod recolendæ memoriæ dominus frater Guillermus episcopus Sabinensis, in his partibus tunc apostolicæ sedis legatus, in constitutione quæ incipit, [a] *Quamvis honestas morum*, inter cætera provide statuit, quod episcopi & superiores prælati, cum eos equitare contigerit, cappellos suæ dignitati deferant congruentes: nos cupientes suffraganeos nostros similitudine decenti & debita, ut in ecclesia unum ovile & etiam unus pastor valeat apparere, in qua flores honoris & honestatis fructus in ubertate succrescant, sacro approbante concilio statuimus, [b] cum nos episcopi suffraganei nostri cum cappellos detulerimus rotundos & in superiori parte laneos, nullatenus sericos, cum nigra & non alterius coloris fodratura portemus. Qui vero secus facere præsumpserit, tamquam inobediens & inhoneste incedens, mille marabetinorum usualis monetæ summam eo ipso solvere teneatur, quorum tertia pars fabricæ ecclesiæ suæ, alia pars denunciatori, reliqua vero pars redemptioni captivorum irremissibiliter applicetur.

(a) in Concil. Palentino anni 1322. can. 6.

(b) Forte, ut nos. H.

Locus corruptus.

II. *De immunitate ecclesiarum.*

Cæterum quorumdam habet fida relatio, quod nonnullæ ecclesiasticæ personæ, ad observandam cessationem Divinorum officiorum, juxta constitutionem præfati domini legati, quæ incipit, *Quia celestis*, nimis promptæ, si aliquis excessus contra ipsam constitutio-

Ibid. can. 17.

ANNO CHRISTI 1347.

tionem perpetratus dicatur, cessant & A cessare faciunt illico a Divinis: nos salubri meditatione considerantes, quod hujusmodi cessationis tempore Divina organa suspenduntur, & ecclesiastica sacramenta, non ut solent, ministrantur, fidelium deperit devotio, & multiplicantur pericula animarum: eodem approbante concilio statuimus, quod si quis personas ecclesiasticas lædere, aut capere, aut aliqua alia in prædicta constitutione contenta attentare præsumpserit, ad cessationem & alias pœnas in B dicta constitutione contentas, nisi prius citato malefactore, si inveniri & tute citari possit, alias in cathedrali vel parochiali ecclesia malefactoris, ecclesiastica citatrice publicata, ejus defensionibus, si quas legitimas habuerit, auditis, si idem malefactor diffiteatur se in dictam constitutionem incidisse, aut comparere noluerit, & summaria cognitione præmissa culpabilis fuerit inventus, nullatenus procedatur, nisi adeo sit excessus notorius, quod nulla possit tergiversatione celari.

Rursus in provinciali institutione per bonæ memoriæ dominum Eximium archiepiscopum Toletanum prædecessorem nostrum, quæ incipit, *Divinis exemplis*, inter alia cautum esse novimus, quod raptores, invasores, vastatores & depræ- datores bonorum ecclesiarum, vel clericorum, aut vassallorum ecclesiæ, qui bona prædicta ex proposito nocendi cum armis occupaverint vel rapuerint, seu invaserint violenter, aut ceperint vassallos ecclesiæ, excommunicationem incurrant. Quia vero statutum ipsum propter malitiam temporis tunc instantis rationabiliter editum, nonnullis nimis rigorosum videtur: nos hujusmodi rigorem quoad præmissos casus mansuetudine temperantes, eodem approbante concilio statuimus, quod si præmissa vel aliquid præmissorum quisquam commiserit, requisitus per judicem ecclesiasticum, si inveniri & requiri possit; alias requisitione in cathedrali vel parochiali ecclesia ipsius malefactoris publicata, infra quindecim dies a tempore prædictæ requisitionis inantea numerandos, captum a captione liberare, & de illatis damnis emendam competentem facere contempserit, eo casu & non aliter excommunicationis sententiæ se noverit subjacere, ut sic ejus insolentia reprimatur, aliis in dicta constitutione contentis, in suo robore duraturis.

Vide supra Conc. Compluten. anni 1335. ubi fragmentum attulimus ejus Constitutionis.

III. De pœnitentiis & remissionibus.

Sane de quæstoribus eleemosynarum, quorum quidam mentiendo alios seducunt, & eleemosynas fallaci ingenio extorquent, statuimus hoc edicto, quod episcopi suffraganei nostri, vel sede vacante vicarii per capitulum deputati, nullum quæstorem de extra episcopatum suum, nisi litteras apostolicas aut nostras exhibuerit, quomodolibet admittant: mandantes, quod cum quæstores B pro fabrica suarum cathedralium ecclesiarum, vel pro aliis piis operibus suorum episcopatuum receperunt, constitutionem felicis recordationis domini Clementis papæ V. quæ incipit, *Abusionibus*, in concilio Viennensi contra quæstores hujusmodi editam, in omnibus faciant inviolabiliter observari. Contrarium vero facientes duorum millium marabetinorum usualis monetæ pœnam incurrant: quorum tertiam partem fabricæ ecclesiæ cathedralis, aliam denuntiatori, reliquam vero partem redemptioni captivorum applicamus.

IV. De simonia.

Verum quia plerumque in exactione emolumenti sigilli, nonnulli metas rationis excedunt, & tam pro licentia quoad studia litterarum, seu qua animarum cura ad tempus committitur, quam pro littera dimissoria, qua cuique se ad alias partes transferendi licentia conceditur, quantitates indebitæ D extorquentur: nos earum insatiabilem voraginem compescere cupientes, statuimus eodem concilio approbante, ut pro qualibet prædictarum litterarum possint sex [a] marabetini & duo denarii pro cancellaria, & unus marabetinus pro regesto, & non amplius recipi ullo modo. Qui vero contrarium fecerit, mille marabetinorum pœnam incurrat, dividendam & ampliandam, ut superius est præmissum.

(a) al. morabetini.

E Datum apud Alcalam Toletanæ diœcesis, die vicesima quarta mensis Aprilis, qua die dictum concilium extitit terminatum, sub anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, sub sigilli nostri impressione in testimonium præmissorum, præsentibus venerabilibus in Christo fratribus nostris Blasio Dei gratia Palentinensi, & Garsia Conchensi, & Joanne Giennensi, episcopis suffraganeis nostris, & capituli Toletani & aliorum suffraganeorum nostrorum & capitulorum ipsorum procuratoribus, qui præmissis omnibus & singulis suum præstiterunt consilium pariter & assensum.

PSEU-

PSEUDO-SYNODUS (1) CONSTANTINOPOLITANA

Pro adstruendo errore Gregorii Palamæ, damnandisque Barlaamo & Acindyno.

A

ΤΟΜΟΣ ΕΚΤΕΘΕΙΣ

παρὰ τῆς θείας καὶ ἱερᾶς συνόδου τῆς συγκροτηθείσης κατὰ τῶν φρονούντων τὰ Βαρλαάμου καὶ Ακινδύνου, ἐπὶ τῶν βασιλείας τῶν εὐσεβῶν καὶ ὀρθοδόξων βασιλέων ἡμῶν, Καντακουζηνοῦ καὶ Παλαιολόγου.

TOMUS EDITUS

a divina & sacra synodo, adversus assectatores Barlaami & Acindyni, regnantibus piis & orthodoxis Imperatoribus nostris, Cantacuzeno & Palæologo, congregata

Ὅτι τὴν κατὰ ἐκκλησίας τὸ κοινὸν πόλεμον μανίαν ἀγνοεῖν οὐδένα νομίζομεν· ὅτι τῶν παρὰ τοῦ σωτῆρος ῥοπῶν, δι' ὧν μείων ἐπιρρυείσαν αὐτῇ τῶν δεινῶν, ὑπερβαλῶν ἀνεφανέθη μόνον, ἀλλὰ καὶ λαμπρὰ διαδείκνυται· ἀπόδειξις δὲ τοῦ μὲν ἐκείνου μανίας, αἷμα Θεοῦ, καὶ πάθος ἐκείνου καὶ σταυρός· οἱ δὲ παρὰ τοῦ Θεοῦ συμμαχίας, οἱ τὴν ἐκκλησίαν διώκοντες, μαρτύριον ἀκριβές· οἱ μὲν εἰς διαγελασθέντες μετεσχεδιάσθησαν· οἱ δὲ τροπαιοῦν τοῖς τοῦ Θεοῦ δυνάμεσι, ὑπ' οὐδὲν ἀνεστάθησαν, ἀλλὰ δι' ὧν κατέπεσον, ἀνακηρυχθέντες. ὥστε τοῦτο, καὶ τὸν κοινὸν πόλεμον οὐκ ἐν ὀλίγῳ ὑπεμεῖν· ἀλλ' ὥσπερ ἑαυτὸν κατηγορῶν, ὡς μὴ προσηκόντως βεβλασμένον, οὐκ ἔθνει μικρῷ ὥσπερ πάλαι τοῖς Ἰουδαίοις, τὸν κατὰ τῆς ἐκκλησίας πόλεμον ἐγχειρεῖν· οἰκουμένῃ ὅλῃ πικρῶς κατ' αὐτῆς ἐπαλίζει. στρατηγοὶ δὲ αὐτῷ οἱ περὶ Διοκλητιανὸν καὶ Μαξιμῖνον καὶ Δέκιον, καὶ οὗτοι κατ' ἐκείνους, οἱ τοσοῦτον αἰσχρῶς ἀπώλοντο, ὁπόσον καὶ πολεμεῖν ἐγνώκασαν. τοῦ μὲν γὰρ οἴχεται τὸ μνημόσυνον μετ' ἤχου· τῆς δὲ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας ὁ φθόγγος ἐξῆλθεν εἰς πᾶσαν τὴν γῆν. μαρτύριον δὲ τῆς δυνάμεως αὐτῆς ἀφῆδεσαν, οἱ τοῦ μαρτύρων νεκροί, δαίμονας πάντας ἐλαύνοντες. ὅπως ἡ τοῦ Θεοῦ δυνάμις ὑπερφυής, καὶ διὰ τῶν συμφορῶν ἀναδείκνυται.

Ἀλλ' ὁ πονηρὸς οὐδὲ παθὼν ἔγνω, καὶ ταῦτα νήπιος ὤν, ἀλλ' ἑτέραν τραπόμενος, προσεφάλλει τῇ Ἐκκλησίᾳ· τοῦ μὲν γὰρ φανερῶς πολεμεῖν καὶ λίαν ἀπέγνω, πρὸς φανεραν αἰσχύνην ἀνδρῶς ἔχων· τὸν δὲ περὶ Σαβέλλιον καὶ Ἄρειον καὶ τοὺς εἰς ἐκείνους τελοῦντας ὑποδὺς, πολυθεΐαν δῆθεν ἐκ τοῦ μὴ τὸν ποιησάσθαι βουλόμενος, πείθει τοὺς ἀνοήτους προφάσει τῆς εἰς τὸν ἑνὰ τιμῆς, ἵνα μὴ τὸν ἀληθῆ νομίζειν Θεόν· ἀλλὰ καὶ τοῦτον αὐτοῖς καθ' αὑτοῦ βεβλασμένος ὤφθη. τὸ πολέμου τοῦ λάφυρον τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, τὸ τῆς Τριάδος ὁμότιμον.

Πολλοὺς δὲ καὶ ἄλλους κύκλους ὁ πονηρὸς οὗτος κατὰ τῆς ἐκκλησίας περιβαλλόμενος, καὶ ποῦ μὲν ὑποχωρῶν, ποῦ δὲ προσβάλλων· ποτὲ μὲν δόγμασι μηδὲν ὑγιὲς ἔχουσι, ποτὲ δὲ ἡδονοῖς, αἷς ἐκεῖνος εὐωδεῖ χαίρων, ὧν τέλος ὁ ἀπὸ Θεοῦ χωρισμός, ἔχατον τὸν Βαρλαὰμ ὑποδύς, ἐπεστρα-

B

C

D

E

NEmini latere arbitramur quantus sit communis hostis adversus Ecclesiam furor: aut quantum in Salvatore præsidii: vi cujus incurrentibus licet in eam innumeris calamitatibus, non solum telis superior fit, sed & splendescit magis. Et illius quidem furorem demonstrat Dei sanguis, & crux, & passio sponte suscepta: auxilium autem a Deo suppetere, luculenti testes ipsi sunt, qui Ecclesiam sunt persecuti. Nam horum alii in evangelii præcones sunt mutati; alii virtutis Dei trophæum pronunciati sunt, non quatenus erecti sunt, sed quatenus ceciderunt. Sic se res habebant, nec fieri poterat, ut communis hostis quiesceret: sed quasi sui pœniteat, consilisque haud convenienter suscepti, non pusillæ genti, quemadmodum olim Judæis, belli ecclesiæ inferendi curam committit: sed orbem universum adversus eamdem acerbius commovet. Duces in eo bello fuerunt Diocletianus & Maximianus & Decius, & si quis horum similis fuit. Horum tam turpis exitus fuit, quam turpe fuit ab illis Ecclesiam impugnari. Ipsorum enim periit memoria cum sonitu: at Ecclesiæ Dei exivit sonus in omnem terram. Testimonio autem locupletissimo virtutis ejus, ipsa sunt Martyrum mortua corpora, quæ dæmonum omne genus abigunt. Sic Dei virtus supra naturam esse per ipsas calamitates ostenditur

Hic tertius tomus est contra Barlaami & Acindyni sequaces, cujus meminit Cantacuzenus, libro 4. cap. 13.

Psalm. 9. 7.
Psalm 18 5.

At improbus neque hæc perpetiens novit, idque ob stultitiam. Itaque ad alias se convertens artes, Ecclesiam aggreditur. Nam aperto Marte pugnandi spe abjecta, nec publicum dedecus ferens, Sabellium & Arium & qui similia profitentur induit: & quasi plurium deorum cultum e medio tollere consilium ineat, imprudentibus suadet, ut prætextu unius colendi Numinis, verum Deum quam minimi faciant. Sed hoc ipsum consilium in ipsius caput manifeste recidit. Ex eo enim certamine spolium illud Ecclesia Dei retulit, ut par Trinitati honos habeatur.

Multis autem aliis modis nequissimus ille Ecclesiam Dei circumcinens, nunc referens pedem, nunc irruens, aliquando doctrinis, in quibus nihil sani sit, interdum voluptatibus, quibus potissimum delectatur, quarum finis sejunctio a Deo est; postremo mentem Barlaami subiens, arma sumit adversus veritatem. Fuit ille mo-

1 Hujus acta prolixe, verisque describuntur a Nicephoro Gregora, qui in ea contra Palamam disputavit, lib. 18. cap. 1. & lib. 19. 20. & 21.

ANNO CHRISTI 1339.

monachus, e Calabria prodiens, omnibus gentilium artibus & doctrinis instructissimus; quibus se totum divinciens, adversus veritatem & eos qui sancte ei adhærent, progreditur. Hos igitur quasi geminæ deitatis cultores accusat; qui non solum tripliciter subsistentem et omnibus incommunicabilem essentiam Dei increatam esse dicerent; sed etiam sempiternam ac deificam, et quæ dignis impertitur gratiam Spiritus; congregata super his capitibus divina synodo, convictus damnatusque est, ex sancta
Anno 1341. Christi catholica et Apostolica Ecclesia, ex scriptis Patrum de rebus divinis; veram doctrinam tum sanctissimo metropolita Thessalonicæ Palama, tum etiam monachis, asserentibus ac propugnantibus. At etiam paulo post imbutus eadem pessima opinione Acindynus, nihilo sapientior redditus ex damnatione magistri, nec melior effectus, iisdem rursus super iisdem capitibus intendere litem aggressus est. Et magistrum quidem subdole negavit, dirissima ei quæque imprecatus, confirmans se non eadem ac Barlaamum sentire vel dicere; ut inde ei copia dicendi fieret. Quibuscum autem sermones miscebat, in Barlaamum, quem occultaverat, patefaciebat, eamdemque atque ille pravam opinionem tenebat, proloquebatur, scriptis consignabat. Eam ob rem synodo altera congregata, cui præsedit qui nunc est fortis & sanctus Imperator noster Joannes Cantacuzenus,
Anno 1341. convictus est eamdem ac Barlaamus sentire ac proferre, & criminator esse monachorum. Idcirco eadem sibi ac Barlaamus condemnationem accersivit; & Tomus prodiit synodicus adversus blasphemias ipsius Barlaamiticas; quo præcisus ille est ab omni Christianorum cœtu, ut in synodico ipso Tomo narratur: tum aliis de causis plurimis, tum quod Lumen Dominicæ Transformationis, visum beatis discipulis & Apostolis, qui montem simul adscenderant, creatum conatus est ostendere & circumscriptum esse, neque quidquam habere amplius, quam lumina quæ in sensus incurrunt. Neque iste solus Tomo synodico condemnatus est Barlaamus; sed iisdem pœnis obnoxium se ipse constituit, quisquis ei se adjungens, monachis & Ecclesiæ Dei bellum indixerit. Sic enim totidem verbis sanxit: *Sed & si quis alius eorum quidpiam, quæ Barlaamus blasphemo ore ac sensu pravo contra monachos, seu verius contra Ecclesiam ipsam effutiit & conscripsit, deprehendatur iterum Monachis objicere, aut eos omnium de iisdem impetere; iste eis eidem condemnationi a nostra mediocritate subjectus, ejectus & ipse, ac præcisus a sancta Christi catholica & Apostolica Ecclesia, & ab omni orthodoxo Christianorum cœtu.*

Ephes. 2. 2. ex Græco.

Vidit autem is, qui operatur in filiis diffidentiæ, sicut scriptum est, nequissimus & malorum artifex draco, quod cum adversus pietatem strenuosque ejus defensores impetum fecit, eorum opera usus est, qui nulla essent dignitate conspicui: nec potuit propterea rem ex sententia gerere: Joannis subiit animum, qui
Joannes cognominatus est Vicecomes.

tunc fuit Patriarcha, idemque procul dubio vas ipsius pravi sensus capacissimum. Is Acindyni concors sententiæ, cum multa contra pietatem ac pietatis studiosos, seu multo verius contra

ANNO CHRISTI 1340.

A τῶν τῇ ἀληθείᾳ. ὅπερ δὴ μοναχὸς ὢν, καὶ τῆς Καλαβρίας ὁρμώμενος, καὶ τῇ τῶν Ἑλλήνων παιδείᾳ πολὺς γεγονὼς, καὶ ὅλον ἑκείνῃ ἑαυτὸν ἐξαρτήσας, κατὰ τῆς ἀληθείας χωρεῖ, καὶ τοὺς ἱερῶς ἀντεχομένους αὐτῆς. καὶ δι' θεῖαν τούτων κατηγορήσας, ὃ μόνον τὴν περιουσίαν καὶ πᾶσιν ἀμέθεκτον οὐσίαν τοῦ Θεοῦ ἄκτιστον εἶναι λεγόντων, ἀλλὰ καὶ τινὰ ἀΐδιον καὶ θεοποιὸν καὶ τοῖς ἀξίοις μεταδιδόμενον χάριν τὸ πνεῦμα· συνόδου θείας ἐπὶ τούτοις συγκροτηθείσης, ἐξηλέγχθη καὶ ἀπεκηρύχθη, παρὰ τῆς τοῦ Χριστοῦ ἁγίας καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, διὰ τῶν ἁγίων πατέρων θεολογικῶς συγγραφέντων, τοῦ τῆς ἀληθείας
B λόγου προϊστάμενον, τοῦτο τοῦ ἱεροπρέπου μητροπολίτου Θεσσαλονίκης τοῦ Παλαμᾶ, καὶ τῶν μοναχῶν. μετὰ μικρὸν δὲ, τὸν ἐκείνου πονηρᾶς δέξης γενόμενος Ἀκίνδυνος, μηδαμῶς τῇ τοῦ διδασκάλου κατεδίκῃ σωφρονισθεὶς, μὴ δὲ βελτίων γενόμενος, τὰ αὐτὰ πάλιν ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς κατηγορεῖν ἐπεχείρησεν· ἔξαρνος μὲν σοῦ δόλῳ τοῦ διδασκάλου γενόμενος, καὶ τὸ δοκοῦντα ἐκπράττων ἐκείνῳ, καὶ μηδέποτε τὰ αὐτὰ φρονεῖν τῷ Βαρλαὰμ ἢ λέγειν ἰσχυριζόμενος, ἵν' εὐπρόσδεκτον αὐτῷ λέγειν ἔξῃ· οἷς δὲ ἔλεγε, τὸν κρυπτόμενον ὑποδεικνὺς Βαρλαὰμ, καὶ τὰ αὐτοῦ ἐκείνῳ ποιούμενον δόξαν, καὶ φρονῶν καὶ λέγων καὶ συγγραφόμενος. ταύτῃ τοι
C καὶ σοῦ συγκροτηθείσης δόλτίρας, ἧς ἐποιεῖτο καὶ ὁ νῦν κρατιστὸς καὶ ἅγιος ἡμῶν αὐτοκράτωρ, ὁ κύριος Ἰωάννης Καντακουζηνὸς, ἐξηλέγχθη τὰ αὐτὰ τῷ Βαρλαὰμ καὶ φρονῶν καὶ λέγων, καὶ τῷ μοναχῶν κατηγορῶν· δι' ἃ καὶ τὸν τῷ Βαρλαὰμ ἐπεσπάσατο καταδίκῃ, Τόμῳ σωφρόνιτος συνοδικῷ κατὰ τὸν τοῦ Βαρλαὰμ ἐκείνου βλασφημιῶν, δι' οὗ πάντος χριστιανικοῦ πληρώματος ἀποκέκοπται, ὡς αὐτὸς ὅπερ ὁ συνοδικὸς Τόμος διέξεισι· πολλῶν τε ἄλλων ἕνεκεν, καὶ ὅτι τὸ φῶς τῆς τοῦ κυρίου μεταμορφώσεως, τοῖς σὺν αὐτῷ μακαρίοις μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις ὀφθὲν, κτίσιν ἐπεχείρει δεικνύναι καὶ περιγραπτὸν, καὶ τῶν αἰσθητῶν φώτων πλέον ἔχον οὐδέν. οὐ μὴν ὅπερ δὲ μόνον ὁ Βαρλαὰμ τῷ συνοδικῷ ἀποκεκήρυκται Τόμῳ, ἀλλὰ τοῖς αὐτοῖς ἐπιτιμίαις ἔνοχον ἑαυτὸν καθίστησι, καὶ εἴτις ἐκείνῳ ἑπόμενος τοῖς μοναχοῖς καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ Θεοῦ πολεμεῖ. φησὶ γὰρ ἐπὶ λίξεως· ἀλλὰ καὶ εἴ τις ἕτερος τι τῷ ὑπὸ τοῦ Βαρλαὰμ βλασφήμως καὶ κακοδόξως κατὰ τῶν μοναχῶν, μᾶλλον κατὰ τῆς ἐκκλησίας αὐτῆς λαλησάντων ἢ συγγραφέντων, φανεὶς πάλιν τῶν μοναχῶν κατηγορῶν, τὸν ὅλως ἐν τοῖς τοιούτοις καθαπτόμενος, τῇ αὐτῇ καταδίκῃ, παρὰ τῆς ἡμῶν μετριότητος καθυποβαλλόμενος, ἀποκήρυκτος ἔσται καὶ αὐτὸς, καὶ ἀποτετμημένος τῆς ἁγίας
E τοῦ Χριστοῦ καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, καὶ τοῦ ὀρθοδόξου τοῦ χριστιανῶν πληρώματος.

Ἀλλ' εἶδεν ὁ ἐνεργῶν ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, κατὰ τὸ γεγραμμένον, πονηρὸς καὶ ἀρχέκακος δράκων, ὅτι κατὰ τῆς εὐσεβείας καὶ τοῦ ἀσφαλῶς ἀντεχομένων αὐτῆς προσβαλὼν, ἀνδράσι χρησάμενος, οὐκ ἐν ἀξιώμασιν ἐξετυζομένοις, ἤνυσε ἠδυνήθη διὰ τούτου τοῦ κατὰ γνώμην τυχεῖν, ὑποδύεται τὸν εἰς πατριάρχας τότε τελοῦντα Ἰωάννην, σκεῦος ἄντικρυς τῆς ἐκείνου κακονοίας χωρητικόν. ὃς ὁμοφρονήσας τῷ Ἀκινδύνῳ, καὶ πολλὰ

ANNO CHRISTI 1350.

λὰ κατὰ τῆς δυσεβείας καὶ τῆς ἀντιποιουμένων αὐτῆς· μᾶλλον δὲ καὶ αὐτὸς αὐτῇ καὶ γράψας καὶ πράξας καὶ συλλαβόμενος· ὅτος γὰρ ἐν τῷ κατεδίκῃ ἐγγράφως ἐπιτιμῶν τῷ ἀπεκηρύκτῳ Βαρλαὰμ ἐκείνῳ, ἅμα καὶ τῷ ἐμφύλιον μάχῃ ὡς ἴρμαιον ἀρπάσας, δῶρα καὶ ὅτος τῆς ἑαυτῷ σπουδῆς καὶ τῆς πονηρῶν βουλευμάτων ἀξίας τὰς ἀμοιβάς. ἐξελιγχθεὶς γὰρ, καθαιρεῖται. καὶ ἀποκηρυχθέντος καὶ τοῦτο συνοδικῇ διαγνώσει, Τόμος ἱερὸς ἐκτίθεται τῇ συνόδῳ, ἅμα μὴν ἀποδεικνὺς ἐκεῖνον τῆς Ἀκινδυνῖν κακοδοξίας ἐχόμενον, ἅμα δὲ καὶ τῷ κατὰ τὸν ὀρθοδόξως αὐτῷ συνῳδῷ λόγῳ μανίαν· ὁ δὲ δὴ Τόμος ὑπογραφῆς ἀρχιερέων τεμάχοντα τὸ βέβαιον ἔχων, οἷς συνέπεται δὲ ὑπογραφῆς ὕστερον καὶ ὁ ἁγιωτάτος πατριάρχης Ἱεροσολύμων, ὃ ἢ Ἀκίνδυνον ἐδὲ ἢ πατριαρχήσαντα ἐκβάλλει μόνον ἢ καθολικῆς ἐκκλησίας καὶ τοῦ τῆς Χριστιανῶν πλεως ἐκκόπτει πληρώματος· ἀλλὰ καὶ εἴτις, φησὶν, ἕτερος ἢ ἁπάντων τὰ αὐτὰ ποτε φωραθῇ, ἢ φρονῶν ἢ λέγων ἢ συγγραφόμενος κατὰ τοῦ ἱερομονάχου κυροῦ Γρηγορίου Παλαμᾶ, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ μοναχῶν· μᾶλλον δὲ κατὰ τῶν ἱερῶν θεολόγων, καὶ τῆς ἐκκλησίας αὐτῆς, τὰ αὐτὰ καὶ καθ' αὐτὸ ψηφιζόμεθα, καὶ τῇ αὐτῇ κατοδίκῃ καθυποβάλλομεν, εἴτε τῶν ἱερωμένων τις εἴη, εἴτε τῶν λαϊκῶν. αὐτὸν δὲ τοῦτον τὸν πολλάκις ῥηθέντα τιμιώτατον ἱερομόναχον κυρὸν Γρηγόριον τὸν Παλαμᾶν καὶ τοὺς αὐτῷ συνῳδοῦντας μοναχοὺς, μηδὲν ἀπᾴδον ἢ θείων λογίων γράφοντάς τε καὶ φρονοῦντας, μετ' ἐξετάσεως καταλαβόντες ἀκριβῶς· μᾶλλον δὲ τῶν θείων λογίων καὶ τῆς κοινῆς ἡμῶν εὐσεβείας καὶ παραδόσεως πᾶσι τρόπος, ὡς προσῆκεν, ὑπερμαχοῦντας, οὐκ ἀνωτέρους μόνον πανταπασιν ἢ καθ' αὐτῶν, μᾶλλον δὲ κατὰ τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, ἐρεκτικοῦς, ὡς καὶ ὁ πρώτου συνοδικὸς Τόμος ἔχομεν· ἀλλὰ καὶ ἀσφαλεστάτους τῆς ἐκκλησίας προμάχους τε καὶ προαγωνιστὰς καὶ βοηθοὺς ταύτης ἀποφαινόμεθα. οὕτω γὰρ καὶ ἐπὶ τοῖς συνόδοις ἐκείναις προβὰς Τόμος διέξεισι, καθάπερ ὂν ἔχει τὸ ἀσφαλὲς καὶ βέβαιον.

Αλλ' ὁ τοῖς ἡμετέροις κακοῖς ἐπιχαίρων ἀεὶ, οὐδ' ὅτως ἡσυχίαν ἄγειν ἐγνώκει. οὐδὲ γὰρ ὀργάνων ἀπορῶν, ἐπεῖνα ταῦτα ζηλῶν· ἀλλ' ἔχων ἔτι τινὰς παρὰ τὸν Βαρλαὰμ καὶ Ἀκίνδυνον ἐκείνους φοιτήσαντας, καὶ τὸ ἐκείνων ἐχάτως νοσοῦντας, δι' ἐκείνων ὑφ' ἑαυτὸν * ποιεῖται, τὸν τε χρηματίσαντα Ἐφέσιον καὶ τὸν Γάννον, Γρηγοράν τε καὶ Δεξάν· οἱ καὶ σύστημα ποιησάμενοι, καὶ ἄλλους προσεπιτιθεμένους ἀνθρωπίσκους, οὐδὲν ὑγιὲς διανοηθέντας οὐδέποτε, θόρυβον ἐγείρουσι κατὰ τῆς ἐκκλησίας Θεοῦ, ὁ πολὺν ποιούμενοι ἀποπλανῶν τοὺς πολλοὺς, ἢ τῆς ἐκκλησίας ἀποτίμνειν ἐλεεινῶς, δόξαν ἑαυτοῖς ἐκ τούτων ποιεῖν οἰόμενοι. ἐδέησε γοῦν διὰ τοῦτο σύνοδον συγκροτηθῆναι μεγάλην, τοῦ γαληνοτάτου βασιλέως ἡμῶν ἔλεον λαβόντος ἢ ἀπολλυμένων ψυχῶν. διὸ καὶ μετεπεμφθέντες παρὰ τῆς ἐκ Θεοῦ κραταιᾶς καὶ ἁγίας βασιλείας αὐτοῦ, καὶ τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου κυροῦ Καλλίστου, οἱ ἱεροῦ τοῦ ἀρχιερεῖς καὶ ὑπέρτιμοι, ὅ, τε Ἡρακλείας, ὁ Θεσσαλονίκης, ὁ Κυζίκου, ὁ Φιλαδελφείας, ὁ

(a) Forte, σπεύδοντα.

(b) Τοῦ πρώτου τίτλου ἐστὶ μητροπολιτικοῦ ἀποδοτέον.

A se ipse scriberet, ageret, deliberaret: (ipse est enim qui damnationis sententiam scriptis mandavit contra excommunicatum istum Barlaamum:) cumque contribulis sui partes in hoc certamine veluti lucrum insperatum illico arripuisset; invenit etiam ipse sui laboris pessimorumque consiliorum dignam mercedem. Convictus enim, e gradu dejectus est. Atque isto pariter pulso, per synodale judicium, editus est a synodo Tomus sacer, qui ipsum & pravo teneri Acindyni errore ostenderet, & absque ratione adversus orthodoxos insanire. Tomus ille autem triginta episcoporum subscriptionibus roboratus; quibus consensit subscribens novissime sanctissimus Patriarcha Hierosolymorum; non Acindynum solum, aut illum qui Patriarchatum gesserat, ejicit ex catholica Ecclesia, & ab omni prorsus præscindit Christianorum cœtu: *Sed & si quis*, inquit, *alius ex omnibus eadem deprehendatur sapere, vel dicere, vel scripto mandare, contra Hieromonachum dominum Gregorium Palamam, & Monachos qui cum ipso sunt; seu verius contra sacros Theologos ipsamque Ecclesiam; eadem adversum ipsum statuimus, eidemque eum condemnationi subjicimus, sive sit ille sacris ordinibus initiatus, sive e laicis. Hunc ipsum autem sæpe memoratum reverendissimum Hieromonachum dominum Gregorium Palamam, & ipsi consentientes Monachos, quia nihil a divinis litteris discrepans scribere vel sentire, facto diligenti examine comperimus; immo vero propugnatores esse, uti par est, divinarum scripturarum omni modo ac ratione, quemadmodum & communis nostræ pietatis & traditionis, non solum superiores esse omni modo conjectis in eos, vel potius in Ecclesiam Dei nugis, congruenter edito nuper Tomo synodali, censemus: verum etiam intrepidos Ecclesiæ propugnatores, defensores, & auxiliatores ejusdem esse pronunciamus.* Sic enimvero differit ille, qui ab illis synodis prodiit Tomus, uti certa & indubitata fide constat.

Verum qui nostris semper lætatur malis, ne sic quidem novit quiescere. Neque enim quasi deficerent, quorum opera rem præstabat, circuibat quærens sed cum adhuc præter Barlaamum & Acindynum, quosdam haberet, quibus ipsis præceptoribus uterentur, eodemque morbo pessime laborarent; per eos sibi subdit, quem tunc nuncupabant Ephesum, & Gannum, & Gregoram, & Dexum. Hi de compacto, adjunctisque sibi aliis homuncionibus, qui nihil unquam sani sapuissent, tumultum citent adversus ecclesiam Dei; in id incumbentes unum, ut multos deciperent, & ab ecclesia miserabiliter præscinderent, gloriam se comparature exinde haud mediocrem arbitrati. Oportuit igitur propterea synodum congregari frequentissimam, serenissimo Imperatore nostro miserante animas quæ perirent. Idcirco accersiti per potentissimum ipsius divina ope sanctumque Imperium, & per sanctissimum atque œcumenicum Patriarcham dominum Callistum, sacratissimi episcopi & supra cæteros honorati, Heracleæ, Thessalonicæ, Cyzici, Philadelphiæ, Calchedonis, Melenici, Amasiæ, Ponto-Heracleæ, Pegarum, Berrhœæ, Trapezuntis, Trajanopolis, Selybriæ, Eupro, Ama-

ANNO CHRISTI 1350.

Amastridis, Æni, Sugdaiæ, Bryseos, Madytorum, Bizyæ, Garelle, Mediæ, Tenedi, Callisopolis, Exantidii; & qui suam miserunt sententiam, Hadrianopoleos, Christopoleos, & Didymotichi: præsentibus etiam religiosissimis episcopis, Panii, Chariopolis, Pamphyli, Adyra, Campaniæ, Sinai, Eleutheropoleos: præsidente serenissimo ac potentissimo sanctoque nostro Imperatore ac rege domino Joanne Cantacuzeno, in triclinio Alexiaco nuncupato sacrarum Blachernarum: simul adsidente cum sancto Imperatore sanctissimo & œcumenico Patriarcha domino Callisto: et desideratissimo ipsius sacrosanctæ majestatis fratre germano domino Michaele Asane; itemque desideratissimo ipsius sacrosanctæ majestatis fratre germano felicissimoque Sebastocratore domino Manuele Asane: sed & desideratissimo ipsius sacrosanctæ majestatis consobrino Panhypersebasto domino Andronico Asane: juxta adsidentibus Senatui, cum episcopis, ecclesiasticisque præsidibus, & congregatis præfectis monasteriorum & archimandritis qui in hac beata civitate dogunt: prætereaque Monachis sacerdotio præditis, & sacerdotibus simplicibusque monachis non paucis, absente nemine ex magistratibus Ecclesiæ: circumstante plebis multitudine, quanta fuit cupida hæc audiendi. Vocati sunt & isti perturbatores, qui scindunt Ecclesiam, rogatique, cur sub Imperatore pie vitam agente, talia auderent adversus pietatem. Hi vero in causam adsignarunt additionem quamdam in ordinatione factam eorum qui in episcopatum promoventur. Thessalonicensem etiam insimularunt, dicentes in eo se scandalizari, quod nonnulla scripserit ad confutandum Barlaamum & Acindynum. Thessalonicensis autem, Vos igitur, inquit, in eadem atque illi sententia estis? Hi vero Acindynum imitati, quemadmodum ille pernegabat sibi ducem erroris Barlaamum exstitisse, sic isti hos ambos abnegarunt. Thessalonicensis autem subjiciens; Atqui plerique ex iis, inquit, quibus propositum fuit nobis contradicere, iidem Barlaami & Acindyni pravis opinionibus aperte suffragante, hactenus obstinati in ea voluntate perstiterunt, quibus & vos ipsos conjunctos esse omnino manifestum est; quippe cum illos veluti propositum vobis exemplum ad imitandum inspicitis, quantum ad dogmata propugnanda attinet.

Hic divina synodus. Quod ad illam, inquit, additionem attinet, quam dicitis a vobis improbari, quæ nec jure merito appellanda additio est, ut quæ explicatio sextæ œcumenicæ synodi sit: aliud ipsa nihil, nisi Barlaami & Acindyni exterminatio est: quam qui vituperant, hos Barlaamo & Acindyno suffragari, qui sunt vel minimum perspicaces intelligunt. At illi rursum negare, eorum se assectatores esse. Verum ut proferre cœperunt, in quibus scandalizarentur, conceptis verbis ea objiciebant, quæ Barlaamus & Acindynus adversus Thessalonicensem & Monachos prius pertractarant. Cum vero ex his indiciis compertissimum esset eodem ipsos morbo teneri, nec sanari posse: visum

ANNO CHRISTI 1350.

Χαλκηδόνος, ὁ Μελενίκου, ὁ Ἀμασείας, ὁ Πολυπρακλείας, ὁ Πηγῶν, ὁ Βερροίας, ὁ Τραπεζοῦντος, ὁ Τραϊανουπόλεως, ὁ Σηλυβρίας, ὁ Εὐρου, ὁ Ἀμαστρίδος, ὁ Αἴνου, ὁ Σουγδαίας, ὁ Βρυσεως, ὁ Μαδύτου, ὁ Βιζύης, ὁ Γαρέλλης, ὁ Μηδείας, ὁ Τενέδου, ὁ Καλλιουπόλεως, ὁ Ἐξαντιδίου, ὄντων καὶ διὰ γνωμῶν τοῦ Ἀδριανουπόλεως, τοῦ Χριστουπόλεως, τοῦ Διδυμοτείχου· παρόντων καὶ θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων· τοῦ Πανίου, τοῦ Χαριουπόλεως, τοῦ Παμφύλου, τοῦ Ἀδύρα, τοῦ Καμπανίας, τοῦ Σινάου, τοῦ Ἐλευθεροπόλεως, προκαθεζόντος τοῦ γαλήνιοτάτου καὶ κρατίστου καὶ ἁγίου ἡμῶν αὐτοκράτορος καὶ βασιλέως κυροῦ Ἰωάννου Καντακουζηνοῦ, ἐν τῷ τρικλίνῳ τῷ ὄντι τοῦ ἔτι λεγομένου Ἀλεξιακοῦ τῶν ἱερῶν Βλαχερνῶν. συνεδριάζοντος τῇ ἁγίᾳ βασιλείᾳ αὐτοῦ καὶ τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου κυροῦ Καλλίστου· καὶ ἔτι τοῦ φιλτατοθέου αὐταδέλφου τῆς ἁγίας βασιλείας αὐτοῦ τοῦ πανευτυχεστάτου Σεβαστοκράτορος κυροῦ Μανουὴλ τοῦ Ἀσάνη. ἀλλὰ δὴ καὶ τοῦ πανευφροσυνοτάτου ἀνεψιοῦ τῆς ἁγίας βασιλείας αὐτοῦ πανυπερτεστάτου κυροῦ Ἀνδρονίκου τοῦ Ἀσάνη. παρακαθημένων τῆς Συγκλήτου σὺν τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ ἐκκλησιαστικοῖς ἄρχουσι καὶ συνειλεγμένων τῶν τε ἡγουμένων καὶ ἀρχιμανδριτῶν τῶν ἐν τῇ εὐδαίμονι ταύτῃ πόλει. ἔτι τε ἱερομονάχων καὶ ἱερέων καὶ μοναχῶν οὐκ ὀλίγων, οὐκ ἀπόντων καὶ τινων τῶν τῆς ἐκκλησίας ἀρχόντων· πεντηκοντάτου δὲ καὶ λαοῦ, ὅσον ἐν τούτοις φιλήκοον, προσεκλήθησαν καὶ οἱ θορυβοῦντες, καὶ τὴν ἐκκλησίαν κατατέμνοντες ὄντες, καὶ ἠρωτήθησαν· Τίνος ἕνεκεν βασιλέως ζῶντος, παρ' αὐτῷ τὰ τοιαῦτα κατὰ τῆς εὐσεβείας τολμᾶτε. οἱ δὲ ἠτιάσαντο προσθήκην τινὰ ὡς τῇ χειροτονίᾳ τῶν χειροτονουμένων γεγενημένην. ἐν αἰτίαις δὲ ἐποιοῦντο καὶ τὸν Θεσσαλονίκης, ἐπειδὴ σκανδαλίζεσθαι ἔλεγον κατ' αὐτοῦ, ἔν τισι τῶν πρὸς Βαρλαὰμ καὶ Ἀκίνδυνον ἀντιρρητικῶν αὐτοῦ συγγεγραμμένων. ὁ δὲ Θεσσαλονίκης· λοιπὸν ὑμεῖς αὐτοί, εἶπε, τὰ ἐκείνων φρονεῖτε; οἱ δὲ κατὰ μίμησιν Ἀκινδύνου, ὡς ἐκεῖνος ἔξαρνος ἐγίνετο τοῦ καθηγησαμένου αὐτῷ τῆς πλάνης Βαρλαὰμ, ὅτως ὄντι τούτων ἀμφοτέρων. ὁ δὲ Θεσσαλονίκης ἀνυποφόρων· καὶ μήν, φησιν, οἱ πλείους τῶν ἀντιλέγειν προτεθεμένων ἡμῖν, φανερῶς τῆς Βαρλαὰμ καὶ Ἀκινδύνου κακοδοξίας προῖστάμενοι, μέχρι καὶ εἰς δεῦρο ἀμετακίνητοι διετέλεσαν, οἷς καὶ οἱ λοιποὶ συντεταγμένοι φανεροὶ πάντως ἐστέ, πρὸς ἐκείνους ὥσπερ παράδειγμα, ἐνεκάγε δογμάτων ἀκριβῶς ἀφορῶντες.

Ἐπὶ τούτοις ἡ θεία σύνοδος, πρὸς μὲν φατὶ δυσχεραίνειν, φησὶ, προσθήκην, ἥτις οὐδὲ προσθήκη ἂν καλοῖτο δικαίως, ὡς ἀνάπτυξις οὖσα τῆς οἰκουμενικῆς ἕκτης συνόδου, οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν ἢ ἀποκήρυξις Βαρλαὰμ τε καὶ Ἀκινδύνου. οἱ δὲ μεμφόμενοι, δῆλοι πάντως τοῖς κρίνουσιν συνετοῖς εἰσιν, τῶν τοῦ Βαρλαὰμ καὶ Ἀκινδύνου ἀντιφασκόντων· οἱ δὲ καὶ πάλιν ἠρνοῦντο μὴ τοῖς ἐκείνων τυγχάνειν. ὡς δὲ καὶ λέγειν ἤρξαντο, ἐν οἷς ἐσκανδαλίζοντο, λέξεσιν αὐτοῖς ἠτιῶντο, ἅπερ καὶ Βαρλαὰμ καὶ Ἀκίνδυνος πρότερον κατά τε τοῦ Θεσσαλονίκης καὶ τῶν μοναχῶν διεξῆλθον. τῶν δὲ καὶ ἀπὸ τούτων δῆλον γεμφθεμένων, τὰ ἐκείνων

ANNO CHRISTI 1350.

ἀγιάτης νοσοῦντα, ἔδοξε τῷ θειοτάτῳ καὶ ἁγίῳ βασιλεῖ, συνιερηκότι καὶ τοῦ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου καὶ πάσης τῆς ἱερᾶς συνόδου, ὡς ἂν τῆς περὶ τῶν προκειμένων δογμάτων ζητήσεως ἀπ' ἀρχῆς εἰς τέλος βασανισθείσης, τὰ ἀληθῆ ἐν τούτοις διαγνωσθῇ. τοῦτο δὴ καὶ τοῦ Θεσσαλονίκης ἐπαινέσαντος, ἐκεῖνοι παντελῶς ἀπηρνοῦντο, ἀλλὰ καὶ ἀπαιτούμενοι φανερὰν τὴν οἰκείαν περὶ τῶν προκειμένων ἐκθέσθαι δόξαν, ἐδαμῶς ἤθελον, πρόφασιν σκανδάλου τὰ προειρημένα ποιούμενοι. λόγων δὲ κινηθέντων πολλῶν κατὰ τὴν πρώτην ταύτην συνέλευσιν, τὰ μὲν τῆς ἐνστάσεως ταύτης διελύθη· κεκύρωται δὲ ἐγγράφως, ὡς ἂν ἐν τῇ δευτέρᾳ συνελεύσει ἄρξονται μὲν ἔτι δὴ, οἱ πρὸς τὴν ἐκκλησίαν διαφερόμενοι, ὅθεν βούλονται· εἶτα μετ' αὐτοὺς ὁ Θεσσαλονίκης ἀρξάμενος, ὅθεν ἂν βούληται, εἶτα πάντα τὰ κατὰ γνώμην αὐτοῦ.

Συγκροτηθείσης δὲ καὶ δευτέρας συνελεύσεως, ἀπαντῶσι κἀκεῖνοι, καὶ ἀρξάμενοι εἶπον κατὰ τοῦ Θεσσαλονίκης, ὅσα ἐβούλοντο. ἀρξάμενος δὲ καὶ τοῦ Θεσσαλονίκης πρὸς ἕκαστον τοῖς παρ' ἐκείνων προβεβλημένοις ἀπαντᾶν, τούς τε λόγους συνέχεον καὶ πρὸς φυγὴν ὥρμησαν. καὶ πολλὰ βιασθέντες, οὐκ ἠνέσχοντο παραμένειν. δόντες δὲ ὑποχέσεις εἰς ἑτέραν συνέλευσιν ἐνδημῆσαι, πάλιν φεύγουσι μηδενὸς διώκοντος, πρὸ τοῦ νενομισμένου καιροῦ.

Ὁ δὲ Θεσσαλονίκης προτρεπεὶς παρά τε τοῦ ἐκ Θεοῦ βασιλέως ἡμῶν καὶ τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, ὡμίλησε παῤῥησίᾳ πλατύτερον πᾶσι, περὶ τῶν προκειμένων εἰς ζήτησιν τῇ ἐκκλησίᾳ δογμάτων· καὶ πάντες ἐπήνεσαν καὶ συνήνεσαν. ἐπεὶ δὲ ἐν τοῦτο προσέθηκε, λέγων, ὡς ἕτερόν ἐστιν ἡ ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας ἀντιλογία, καὶ ἕτερον ἡ τῆς πίστεως ὁμολογία. καὶ ἐπὶ μὲν τῆς ἀντιλογίας οὐκ ἀνάγκη περὶ τὰς λέξεις ἀκριβολογεῖσθαι τῆς ἀντιλέγοντος, ὡς καὶ ὁ μέγας φησὶ Βασίλειος· ἐπεὶ δὲ τῆς ὁμολογίας, ἀπερίβεια διὰ πάντων τηρεῖται καὶ ζητεῖται· καὶ διὰ τοῦτο τοῖς ἐμαυτοῦ πρὸς Βαρμαὰμ καὶ Ἀκίνδυνον ἀντιῤῥητικοῖς λόγοις συνέτιξα, καὶ νῦν παρὰ τῆς ἁγίων ἐδεξάμην ὁμολογίαν τῆς πίστεως· ἵνα οἱ ἐντυγχάνοντες τοῖς ἡμετέροις, ἐκ τῆς ὁμολογίας μανθάνοιεν τῆς ἀντιλογίας σκοπόν· ἐζήτησεν ὁ κράτιστος καὶ ἅγιος ἡμῶν αὐτοκράτωρ καὶ βασιλεὺς τὴν τοιαύτην ὁμολογίαν. καὶ προκομισθείσης, ἀναγνωσθῆναι ταύτην ἐκέλευσε. ὃ γεγονότος, ἕκαστος ἠρωτήθη, ὡς ἔχει γνώμης περὶ ταύτης εἰπεῖν. καὶ οὐδεὶς μὲν ὃς οὐκ ἐγνωμίων ἐμνήσθη περὶ ἐκείνης ἀποφαινόμενος, ἅμα τόν τε Θεσσαλονίκης θαυμάζων, καὶ ἐγκώμια ἑαυτοῦ τοῖς τῆς ὁμολογίας ἐκείνης συνεπελθεῖν δόγμασι, καὶ μετ' ἐκείνης ἐμφανισθῆναι τῷ κειτῷ ζῶντων καὶ νεκρῶν, κατὰ τὴν τῆς κοινῆς ἀπολογίας ἡμέραν, καὶ ἡ μὲν δευτέρα συνέλευσις ἐν τούτοις ἐπλείτησε.

Συγκροτεῖται δὲ καὶ ἡ μετ' αὐτήν. ἀπαντήσαντες δὲ κἀκεῖνοι, τὴν οἰκείαν ὁμολογίαν ἀναγνωσθῆναι ζητοῦσιν. ὃ γεγενημένου, ἐν τῷ τέλει καὶ τοῦ προκειμένου μέν. περὶ δὲ Βαρλαὰμ καὶ Ἀκινδύνου οὕτω περὶ ἐκείνων ἔχομεν γνώμης, ὡς καὶ ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία περὶ τούτων φρονεῖ. πολλῶν δὲ μετοξὺ λόγων κινηθέντων, ἤρξαντο οἱ διαφερόμενοι

A est divinissimo & sacrosancto Imperatori, de consensu sanctissimi & œcumenici Patriarchæ, totiusque sanctæ synodi, ut de propositis dogmatibus instituta quæstione & a capite ad calcem diligenter examinata, quid in illis veri esset, demum patefieret. Et cum ipse Thessalonicensis consilium valde probaret, illi omnino detrectabant. Sed & rogati ut suam ipsi dilucide de propositis rebus sententiam aperirent, numquam id voluerunt, causati scandalo esse ea quæ dicta pridem fuissent. Multis deinde jactatis sermonibus hac prima sessione, soluta ea contentio est: scripto autem decreto sanctum est, ut in sessione secunda illi quidem, qui ab ecclesia dissidebant, unde vellent, dicendi B initium facerent: post illos deinde Thessalonicensis inciperet, unde ei lubeat, verba facere pro sua sententia.

Coacta igitur secunda sessione, etiam illi prodeunt, primique dixerunt adversum Thessalonicensem, quæcumque voluerunt. Cum vero cœpisset Thessalonicensis per singula respondere iis, quæ illi objecissent, confundebant sermones, & fugam capessebant; nec quantucumque adhibita vi sustinuerunt ibi manere. Data autem fide, futurum ut proxima sessione præsto adessent, rursum dant se fugæ nemine persequente, ante constitutum tempus. C

At Thessalonicensis, jussus a nostro Dei gratia Imperatore, & a sancta Dei Ecclesia, disseruit omnibus confidenter & prolixe de dogmatibus, de quibus in Ecclesia controversia agebatur. Laudaverunt dicentem, & assensi sunt ei universi. Quod autem & istud addidit aliud esse eam, quæ pro pietate refutatio suscipitur, aliud fidei professionem esse; neque in confutatione quidem necesse esse, ut s qui contradicit, voces suas singulas exquisite perpendat, ut ait magnus Basilius: At in confessione fidei exactam discussionem in omnibus servari & exigi: ac propterea, inquit, in his D voluminibus quæ conscripsi ad confutandos Barlaamum & Acindynum, conjunxi eam quam a sanctis accepi confessionem fidei: ut quorum in manus hæc scripta nostra inciderint, ex confessione perspiciant quis sit refutationis scopus; quæsivit potentissimus ac sacrosanctus Imperator noster & Rex hanc confessionem, allatamque legi præcepit. Quo peracto, rogatus est unusquisque, quid de ea sentiret expromere. Nemo inventus est, qui de ea ferens sententiam non eam summis efferret laudibus: nemo qui Thessalonicensem non simul miraretur, optaretque sibi cum illis dogmatibus e vita decedere, & cum ea apparere coram judice vivorum & mortuorum, quo die publice reddenda E ratio est. Ita finem accepit sessio secunda.

Convocatur sessio tertia. Adsunt illi etiam, suamque legi postulant confessionem fidei. Quod cum fieret, erat illud in fine appositum; *De Barlaamo autem & Acindyno sic sentimus, quemadmodum de his sentit sancta Dei Ecclesia*. Cum multi inter ea sermones sererentur, cœperunt qui dicebant Thessalonicensem criminari. Hæc autem summa criminationis fuit. Scripsisse eum persæpe in quibusdam suis commentatio-

nibus,

ANNO CHRISTI 1350.

nibus, duas & eo plures esse deitates, easque superiores & inferiores. Cumque hoc sæpius iterarent, ac circumstrepentes easdem subinde voces objicerent; piissimus Imperator super his fieri palam nobis jussit, Utrum in his quæ dixistis, inquit, verba ipsa culpatis, an res per verba significatas, an simul utraque? Nam si quidem de rebus disceptatio est, quorsum cum umbra rei pugnas, in voce hærens? Examinandæ sunt ipsæ res nudæ, & a Theologis quid in eis veri sit inquirendum. Sin autem de rebus ipsis consentitis, cur vocem incusatis? Neque enim huc de vocibus disceptaturi convenimus: *neque de nominibus*, ut ait Theologus, altercabimur: cum in verbis constet periculum esse nullum, mens si sana sit.

Ad hæc Thessalonicensis, De vocibus, inquit, parum mihi curæ est: *Neque enim apud nos in verbis, sed in rebus veritas pietasque consistit*, ut Gregorius Theologus loquitur. De dogmatibus ac rebus ipsis ineundum mihi certamen est. Si quis de rebus assentiatur, de vocibus non contendo. Ad id autem quod adversarii criminantur, hoc dico: Equidem duas aut plures ac diversas in sancta Trinitate deitates, ita ut alia quidem sit Patris, alia vero Filii, & alia Spiritus sancti, neque sensi, neque sentio, neque umquam gratia Christi adjuvante sentiam: sed & sic sentientes, anathemate damno. Sed neque aliud quidpiam dico deitatem esse, præter tripliciter subsistentem deitatem: Neque essentiam divinam vel angelicam, neque hypostasim, ut magnus Dionysius docet; sed operationes divinas & processiones quasdam naturaliter Deo & ab æterno inexsistentes, deitatis vocabulo nuncupavi, arbitratus me sanctis Patribus consentanea dicere. At neque hæc ipsa proferrem, nisi me in hanc necessitatem adversarius conjecisset, ut & criminationem depellerem, & adversus ipsum decertarem, qui solam increatam deitatem dicit essentiam Dei esse; omnem vero virtutem & operationem divinam ab essentia distinctam, in ordinem rerum creatarum dejicit. Deinde vero hoc ipsum dixi, non multas exinde colligens deitates, ut isti mentiuntur: nam id certe liquet tum ex aliis meis lucubrationibus, tum ex confessione fidei. In omnibus enim sic illud a me profertur, ut ab adversariis quidem prolatum, a me vero haud certe susceptum. Unicam enim novi deitatem, eamdemque tripliciter subsistentem, omnipotentem, & operatricem. Neque tunc quidem de vocibus cogitabam, sed omnis disceptatio de rebus fuit. Neque nunc de nominibus & syllabis litigo: sed dummodo res prædicentur ut pie decet, Christi gratia adjuvante paratus sum quidquid sacrosancta synodus de vocibus statuet, prosequi & amplecti. Tum piissimus ac serenissimus Imperator, & sacrosancta synodus comprobato in omnibus Thessalonicensis animo erga res divinas semper religioso maxime vero laudata mansuetudine ac facilitate; deitates quidem duas aut plures, aut omnino numerum deitatum neque dici neque cogitari oportere certo definierunt, neque enim id esse expresse sic proditum a Theologis. Di-

A τῆς κατὰ τὸ Θεσσαλονίκης κατηγορίας. ἡ δὲ λῦ-
πιάδε. ὡς ἄρα σέ τισι τῶν ἐκεῖσε συγγραμμάτων
γράφει πολλάκις δύο καὶ πολλὰς θεότητας, καὶ
ταύτας ὑπερκειμένας καὶ ὑφειμένας. καὶ τοῦτον τὸν
λόγον πολλάκις εἰπόντων καὶ πειμκροτησαμένων, καὶ
ταύτας δὴ τὰς φωνὰς καταπιστωμένων, ὁ σεβάσ-
τατος βασιλεὺς ἐπὶ τούτοις ἠξιώθαι ἡμῖν φανερὸν
ἐκέλευσε· πότερον τῶν λαληθέντων ἐν αἰτίαις
ποιεῖσθε τὰς λέξεις αὐτάς, ἢ τὰ διὰ τῶν λέξεων δη-
λούμενα πράγματα, ἢ καὶ ἀμφότερα; εἰ μὲν δὴ ὁ
πόλεμος πρὸς τὰ πράγματα, τί τῇ σκιᾷ τοῦ
πράγματος πολεμεῖς, τῇ λέξει παρακαθήμενος;
ἐξεπιστέρον γὰρ δὴ αὐτὰ γυμνὰ τὰ πράγματα, καὶ
B παρὰ τῶν θεολόγων τὸ σὸν τούτοις ἀλήθειαν ζητητέον. εἰ δὲ τοῖς πράγμασι σύμφωνοι διατελοῦν-
τες, τί λέξεσι μέμφεσθε; ἀλλ' ἡμεῖς γε ὁ λέξεων
ἕνεκεν σὺν τούτοις συνεληλύθαμεν· οὐδὲ γὰρ περὶ τῶν
ὀνομάτων, κατὰ τὸν θεολόγον, ζυγομαχήσομεν·
κίνδυνον οὐδένα εἰδότες περὶ τὰς λέξεις, ἕως
ἂν ὁ νοῦς ὑγιαίνειν δοκῇ.

Ἐπὶ τούτοις ὁ Θεσσαλονίκης· λέξεων ἐμοὶ
λόγος ὀλίγος, ἔφη· οὐ γὰρ σὺν ῥήμασιν ἡμῖν,
ἀλλ' σὺν πράγμασιν ἡ ἀληθεία τε καὶ εὐσέβεια,
κατὰ τὸν θεολόγον Γρηγόριον. περὶ δὲ δογμά-
των καὶ πραγμάτων τὸν ἀγῶνα ποιοῦμαι. κἂν τοῖς ἐπὶ
τῶν πραγμάτων ὁμοφωνῶ, πρὸς τὰς λέξεις οὐ διαφέ-
C ρομαι. πρὸς δὲ τὴν παρὰ τῶν λεγόντων κατηγορίαν,
ἐκεῖνο λέγω· δύο μὲν ἐγὼ θεότητας ἢ πολλὰς
καὶ διαφόρους ἐπὶ τῆς ἁγίας Τριάδος, ὡς ἄλλην
μὲν εἶναι τοῦ πατρός, ἄλλην δὲ τοῦ υἱοῦ, ἄλλην
δὲ τοῦ παναγίου πνεύματος, οὔτε ἐφρόνησα, οὔτε φρονῶ,
οὔτε μὴν φρονήσω τῇ χάριτι τοῦ Χριστοῦ· ἀλλὰ
καὶ τοὺς οὕτω φρονοῦντας, καθυποβάλλω τῷ ἀνα-
θέματι. ἀλλ' οὐδὲ ἄλλό τί φημι θεότητα, ἐκτὸς τῆς τριυποστάτου θεότητος· οὔτε οὐσίαν
θείαν ἢ ἀγγελικήν, οὔτε ὑπόστασιν, κατὰ τὸν
μέγαν Διονύσιον· ἀλλ' ἐνεργείας θείας καὶ
πρόοδους τινὰς φύσει προσούσας καὶ ἐξ αἰδίου τῷ
Θεῷ, τῷ τῆς θεότητος ὀνόματι προσηγόρευ-
σα, τοῖς ἁγίοις οἰόμενος σύμφωνα λέγειν.
D ἀλλ' οὐδὲ τοῦτο, εἴπον ἂν μὴ πρὸς ἀνάγκην
ἦλθον, παρὰ τοῦ ἀντιλέγοντος, καὶ κατὰ ἀντι-
παράστασιν καὶ πρὸς ἐκεῖνον ἀγωνιζόμενος, μόνην
ἄκτισον λέγοντα θεότητα, τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ·
πᾶσαν δὲ δύναμιν καὶ ἐνέργειαν θείαν, τὴν οὐσίας
διαφέρουσαν, εἰς κτίσμα καταστῶσα. ἄλλως
τε καὶ τοῦτ' εἶπον, οὐ πολλὰς συνάγων ἐντεῦ-
θεν θεότητας, ὡς αὐτοί καταψεύδονται· καὶ
δῆλον ἐκ τῶν ἐμῶν συγγραμμάτων, τῶν τε ἄλλων
καὶ τῆς ὁμολογίας. ἐν πᾶσι γὰρ οὕτω τοῦτο προά-
γεται παρ' ἐμοῦ, ὡς ὑπὸ τῶν ἀντιλεγόντων μὲν
λεγόμενον, ὑπ' ἐμοῦ δὲ μὴ εἰρημένον· μίαν
E γὰρ οἶδα θεότητα, τὴν αὐτὴν τριυπόστατον,
καὶ παντοδύναμον, καὶ ἐνεργῆ. πλὴν οὔτε τότε
περὶ τῶν λέξεων ὁ σκοπὸς ἐμοί, ἀλλ' ἅπας ὁ ἀγὼν περὶ τῶν πραγμάτων. οὔτε νῦν περὶ ὀνομάτων
καὶ συλλαβῶν διαφέρομαι· ἀλλὰ τῶν πραγμάτων
εὐσεβῶς ἀνακηρυχθέντων, Χριστοῦ χάριτι ἕτοιμος
εἰμὶ πᾶν ὅσον ἂν ἡ θεία σύνοδος περὶ τῶν λέ-
ξεων διαγνῷ, ἐρεῖται καὶ ἀποδέξασθαι. ἐφ' οἷς δ',
τε εὐσεβέστατος καὶ γαληνότατος βασιλεὺς, καὶ
ἡ θεία σύνοδος τῶν Θεσσαλονίκης ἀποδεξάμενοι, διὰ πάντων, τῆς εὐσεβοῦς διανοίας, καὶ περὶ
τὰ

ANNO CHRISTI 1350.

τὴν θεῖα κεχρημένῳ διατάλει, καὶ μάλιστα τῆς Γνωμοσύνης αὐτὸν ἐπαινέσαντες, θεότητας μὲν δύο ἢ πολλὰς, ἢ ὅλως ἀριθμὸν θεοτήτων, μήτε λέγεσθαι μήτε μιᾶ νοεῖσθαι, ἀσφαλῶς διωρίσαντο· μηδὲ γὰρ εἰρῆσθαι τοῦτο παρὰ τῆς θεολόγων ῥητῶς· διαφορὰν μέντοι οὐσίας θείας καὶ θείας ἐνεργείας, ἢ καὶ θείων ἐνεργειῶν, καὶ μάλα καὶ νοεῖσθαι καὶ λέγεσθαι προετρέψαντο· διαρρήδην τοῦ τοιούτου δόγματος παρὰ τῆς ἐκκλησίας κεκηρυγμένου, ὡς καὶ κάτω δειχθήσεται. ὁ δὲ Θεσσαλονίκης, προθύμως καὶ λίαν ἀσμένως τοῦτο κατεδέξατο· καὶ ἡ μὲν τρίτη συνέλευσις ἐν τούτοις ἐπλήρωσεν.

A stinctionem porro essentiæ divinæ & divinæ operationis, sive etiam divinarum operationum, valde cohortati sunt ut omnes intelligerent ac proferrent: cum tale dogma ab Ecclesia luculenter & aperte prædicetur, quemadmodum inferius demonstrabitur. Thessalonicensis autem istud alacriter lubenterque suscepit. Sic tertia sessio finem accepit.

Γενομένης δὲ καὶ τετάρτης, ἤρξαντο πάλιν οἱ διαφερόμενοι λέξεις τινὰς αἰτιᾶσθαι, ἐμφερομένας ἐν τοῖς τοῦ Θεσσαλονίκης συγγράμμασι, τῆς πραγμάτων ἀφίμενοι· τοῦ δὲ θειοτάτου βασιλέως καὶ τῆς συνόδου τῆς τῆς πραγμάτων ἐξετάσεως γενομένων, καὶ παρὰ τῆς τῆς ἐκκλησίας θεολόγων τὰς ἀποδείξεις τῆς προβεβλημένων ζητούντων, προκομίζεται ὁ κατὰ τοῦ Βαρλαὰμ ἐκτεθεὶς συνοδικὸς Τόμος. ὃς ἀναγνωσθεὶς κελεύσει θείᾳ τοῦ Γαλιλαιοτάτου βασιλέως ἡμῶν κοινωνὸς διὰ πάντων τῆς τοῦ Βαρλαὰμ κακοδοξίας τὰς διαφερομένας ἀπέδειξε. οἱ γὰρ ἰδιόχρονοι μὴ διὰ τέλους ἀντιλέγειν τοῖς ἐκεῖ γεγραμμένοις, περί τε ἄλλων, καὶ μάλιστα περὶ τοῦ θειοτάτου φωτὸς τῆς τοῦ κυρίου μετεμορφώσεως. ἀμείλικτοι ἀλλ' ἐρωτωμένων, τοῦ τε Θεσσαλονίκης, καὶ τῆς διαφερομένου τῇ ἐκκλησίᾳ, ὅπως ἔχουσι δόξης περὶ τοῦ θειοτάτου φωτός· ὁ μὲν δὴ ὧν εἶπε καὶ ὧν ἀνέγνω εἰς ἐπήκοον πάντων ἐκ τῶν ἑαυτοῦ συγγραμμάτων, διὰ πάντων ἀνεφαίνετο, ἀσφαλῶς τῆς τῆς θεολόγων διανοίας ἐξηρτημένος· οἱ δὲ, δι' ὧν τε εἶπον καὶ ὧν ἐάλωσαν συγγραφόμενοι, ἐξελέγχθησαν δεχομένοις εἰς κτίσμα καὶ ἄκτισα τιθὶ μίαν θεότητα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, τῷ, τιθὶ μὲν οὐσίαν τοῦ θεοῦ ἄκτισον λέγειν θεότητα, ἐστερημένῳ παύσης δυνάμεως καὶ ἐνεργείας θείας· πᾶσαν δὲ δύναμιν καὶ ἐνέργειαν θεοῦ, καὶ ἁπλῶς τὸ τοῦτο πανοδύναμον ἀθετοῦντές τε καὶ ἀρνούμενοι· καὶ εἰς κτίσματα καταισχύνοντες τὸν θεὸν, καὶ δύο λέγοντες αὐτὸν θεότητας, ἄκτιστόν τε καὶ κτιστὸν, ὑπερκειμένῳ τε καὶ ὑφειμένῳ ὄντως· ἐπεὶ καὶ τὸ ἐν τῷ Θαβωρίῳ λάμψαν τῆς θεότητος φῶς, ποτὲ μὲν οὐσίαν ἔλεγον εἶναι θεοῦ, ποτὲ δὲ φάσμα καὶ παρακέτισμα καὶ ἔνδυμα καὶ κτίσμα· ὡς εἶναι κατ' αὐτὸς τὸ αὐτὸ κτίσμα καὶ οὐσίαν θεοῦ. προεκομίσθησαν δὲ παρὰ τοῦ Θεσσαλονίκης καὶ γράμματα ἐκείνου οἰκεῖα χειρὶ, ἐν οἷς κατηγόρων αὐτοῦ, ἄκτιστον εἶναι λέγοντος τὸ θειότατον ἐκεῖνο φῶς καὶ ἔλαμψιν, ἀλλ' οὐ οὐσίαν θεοῦ. ἀλλὰ καὶ δι' ὧν κατηγόρων τοῦ Θεσσαλονίκης, ὡς πολλὰς λέγοντος θεότητας, ἐπειδήπερ πάσας τὰς θείας καὶ κοινὰς τῆς τριῶν ὑποστάσεων δυνάμεις τε καὶ ἐνεργείας ἀκτίστους εἶναι διατείνεται· φανεροὶ γεγόνασι, ὡς ὁ πρὸς τὰς λέξεις αὐτοῖς ὁ πόλεμος, ἀλλ' ὅτι διαφορὰν θείας οὐσίας καὶ θείας ἐνεργείας, ὅτι μὲν ἄκτιστον εἶναι τιθὶ θείαν καὶ πανοδύναμον ἐνέργειαν νομίζουσι. ἐφ' οἷς προτεθέντων τῆς θεολόγων τῆς ἐκκλησίας, ἀνεγνώσθη ἀπὸ μὲν

B Facta sessione quarta, cœperunt rursus qui contradicebant, voces quasdam, rebus neglectis, in Thessalonicensis lucubrationibus carpere. At cum divinissimus Imperator & synodus rerum ipsarum examini studerent, flagitarentque demonstrari ex Theologis ecclesiasticis ea quæ objicerentur, exhibitus est Tomus synodicus adversus Barlaamum editus. Qui ubi lectus est divino jussu serenissimi nostri Imperatoris, dissidentes ostendit in omnibus socios esse pravæ Barlaami sententiæ. Neque enim sustinuerunt non usque in finem contradicere his quæ ibi conscripta sunt, tum de aliis capitibus, tum vero in primis de divinissimo lumine Dominicæ Transformationis. Quin etiam

C cum rogarentur, cum Thessalonicensis, tum qui ab Ecclesia dissidebant, quid de illo divinissimo lumine sentirent; ille quidem, tum ex iis quæ dixit, tum ex iis quæ cunctis auscultanti ex suis elucubrationibus legit, in omnibus visus est cum Theologorum sententia esse conjunctissimus. Illi e contrario tum in his quæ dixerunt, tum in his quæ deprehensi sunt conscribere, convicti sunt bipartiri in creata & increata unicam deitatem Patris & Filii & Spiritus sancti; dum essentiam Dei quidem increatam dicerent deitatem, omni carentem virtute & operatione divina; omnem vero virtutem & operationem Dei, & omnino ejus omnipotentiam rejicerent ac negarent; Deumque in

D rerum creatarum ordinem pertraherent, duas dicentes ipsum deitates, increatam utique & creatam, excellentiorem & reipsa deteriorem; quandoquidem & quod effulsit in Thabor deitatis lumen, interdum quidem essentiam Dei nuncupant, interdum vero apparitionem & velamen & speciem & rem creatam: ita ut secundum illos idem res creata & essentia Dei sit. Exhibuit autem Thessalonicensis scripta ipsorum propria manu exarata, in quibus eum culpabant, quod increatum esse affirmaret illud divinissimum lumen & illustrationem, nec tamen esse Dei essentiam; ea quoque, in quibus Thessalonicensem arguebant, quasi multas induceret deitates; quandoquidem divinas omnes &

E tribus subsistentiis communes virtutes atque operationes increatas esse contenderet. Sic manifeste deprehensi sunt non de vocibus tantum certare; sed nullum inter divinam essentiam & divinam operationem discrimen admittere, neque increatam esse divinam & omnipotentem operationem profiteri. Quapropter prolatis Ecclesiæ Theologis, lecta sunt ex magno Basilio, tum alia multa, tum quæ sequuntur.

ANNO CHRISTI 1330.

Si enim nihil prorsus in Deo secundum rationem Eunomius considerat, ne humanis titulis & appellationibus Deum cohonestare videatur; tuncta perinde essentiam fatebitur, quæ Deo tribuuntur. Quomodo ergo non ridiculum sit, vim creativam essentiam esse profiteri; vim providendi, rursus essentiam, vim præsciendi similiter; & ut semel dicam, omnem operationem essentiam ponere?

Ex Theologo Damasceno, ubi de duabus operationibus disserit, quæ sunt in Domino nostro JESU Christo, dicit: *Sciendum est, aliud esse operationem, aliud operativum, atque aliud esse operatum, aliud operans. Siquidem operatio est effectivus & essentialis natura motus. Operativum, natura ipsa, ex qua procedit operatio. Operatum, operationis effectus est. Operans, qui operatione utitur, hoc est; ipsamet hypostasis.*

Divus Maximus, in capitulo quod inscripsit, *Ex disputatione in secretario. Prorsus necesse est*, inquit, *in Christo voluntates prædicari & operationes, & valde necesse, Nihil enim eorum quæ sunt, absque naturali operatione subsistit. Nam sancti Patres aperte dicunt, neque esse, neque agnosci, absque essentiali sua operatione qualemcumque naturam.*

Quoniam vero suis illi dictis, non modo adversus singulos sanctorum pugnabant, verum etiam jam ipsam sanctam & œcumenicam synodum funditus evertere ac rescindere moliebantur; quæ nihil aliud spectavit, quam ut duas naturales voluntates, & duas naturales operationes in Domino ac Deo nostro JESU Christo omnino adstrueret; atque idcirco necesse fuit Acta exhiberi prælegique illius synodi, atque ex illorum fide prædicari pietatem: in medium prolata ea sunt. At illi continuo, ubi ea proposita fuere, exclamarunt, Ne Acta synodi, sed definitionem solum perlege. Ambigente autem sancta synodo, quid sibi vellet ea vox, & quamobrem respuerent nec susciperent Acta ipsa; illi ab ea affectata malevolentia perversaque sententia ne minimum quidem abscedere, nullo modo admittentes ut Acta legerentur. Interim divino jussu serenissimi nostri Imperatoris lecta sententia est excerpta ex Synodico, quod in ambone legi mos est Dominica Orthodoxiæ: quæ sententia ad verbum sic habet:

Sive Dominica 1. Quadragesimæ.

His qui rejiciunt dicta sanctorum Patrum, quæ ad confirmanda recta dogmata Ecclesiæ Dei protulerunt; Athanasii, Cyrilli, Ambrosii, Amphilochii, deiloqui Leonis Sanctissimi archiepiscopi senioris Romæ, & ceterorum; adhuc autem & Acta conciliorum œcumenicorum, quarti, inquam, & sexti non amplectuntur, anathema sit. Tum lecta etiam sententia ex Actis est, quæ sic habet totidem verbis: *Quis enim, quamvis sit tardus ingenio, non intelligat, quod omnibus patet; fieri non posse, & præter naturæ conditionem esse, ut aliqua natura sit, quæ naturæ non habeat operationem? Id enimvero neque ab hæreticis dici comprobatum est; qui tamen omnes humanas calliditates & pravas quæstiones adversus rectam fidem, & alias atque alias adinvenere artes suæ improbitati accommodatas. Quomodo igitur quod neque a sanctis Patribus dictum est aliquando, &*

A τῦ μεγάλυ Βασιλείυ πολλάκις ἄλλα καὶ δὴ καὶ τάδε.

Εἰ γὰρ ὑδὲν ὅλως ἐπὶ Θεῦ κατ' ἐπίνοιαν ὁ Εὐνόμιος θεωρεῖ, ἵνα μὴ δόξῃ ἀνθρωπίναις τὸν Θεὸν σεμνύνειν προσηγορίαις, πάντα ὁμοίως ὑσίαν ὁμολογήσει τὰ ἐπιλεγόμενα τῷ Θεῷ. πῶς ὖν ὐ καταγέλαστον, τὸ δημιουργικὸν ὑσίαν εἶναι λέγειν. τὸ προνοητικὸν πάλιν ὑσίαν, τὸ προγνωστικὸν ὡσαύτως, καὶ ἁπαξαπλῶς πᾶσαν ἐνέργειαν ὑσίαν τίθεσθαι;

Ἀπὸ δὲ τῦ Θεολόγυ Δαμασκηνῦ, ἐν οἷς περὶ τῶν δύο ἐνεργειῶν τῶν ἐν τῷ κυρίῳ ἡμῶν Ἰησῦ Χριστῷ διδάσκει, λέγων· ἴστον ὡς ἄλλο B ἐστὶν ἐνέργεια καὶ ἄλλο ἐνεργητικόν, καὶ ἄλλο ἐνέργημα, καὶ ἄλλο ἐνεργῶν· ἐνέργεια μὲν ὖν ἐστὶν, ἡ δραστικὴ ὑσιώδης τῆς φύσεως κίνησις· ἐνεργητικὸν δὲ, ἡ φύσις, ὀξ ἧς ἡ ἐνέργεια προέεισι· ἐνέργημα δὲ, τὸ τῆς ἐνεργείας ἀποτέλεσμα· ἐνεργῶν δὲ ὁ χεχρημένος τῇ ἐνεργείᾳ ἤτοι ἡ ὑπόστασις.

Ο δὲ θεῖος Μάξιμος, ἐν τῷ κεφαλαίῳ τῷ ἐπιγραφομένῳ, ἐκ τῆς ἐπὶ σεκρέτῳ διαλέξεως. παντῶς φησὶν ἀνάγκη ἐπὶ Χριστῦ θελήσεις λέγεσθαι καὶ ἐνεργείας, καὶ πᾶσα ἀνάγκη· ὑδὲν γὰρ τῶν ὄντων χωρὶς ἐνεργείας φυσικῆς ὑφέστηκεν. οἱ γὰρ ἅγιοι πατέρες φανερῶς λέγουσι, μήτε εἶναι μήτε γινώσκεσθαι χωρὶς τῆς C ὑσιώδους αὐτῆς ἐνεργείας τινὶ οἱανδήποτε φύσιν.

Ἐπεὶ δὲ οἷς ἔλεγον, μὴ μόνον τοῖς ἁγίοις διεπίλυν καθ' ἕνα μαχόμενοι. ἀλλ' ἤδη καὶ αὐτῦ τῦ ἁγίαν καὶ οἰκουμενικῦ ἔκτῳ συνόδον ἀνατρέπειν καὶ καταλύειν ἐπεχείρουν· ἢ δὴ ὐκ ἄλλο ἰδιῶ σκοπὸς, περὶ δὲ τῶν φυσικῶν θελημάτων καὶ τῶν δύο φυσικῶν ἐνεργειῶν τῦ ἐν τῷ κυρίῳ τῷ Θεῷ ἡμῶν Ἰησῦ Χριστῷ πᾶσα ἡ ἀρνήσις γέγονεν· καὶ ἰδῦ ἀνάγκη διὰ ταῦτα προκομιζεσθαι τῆς τοιαύτης συνόδυ πρακτικὰ, καὶ ἀναγινωσκεσθαι, καὶ ἀπὸ τούτων τὸ ἀσεβὲς ἀνακηρυχθῆναι, τὰ μὲν προεπέθησαν ἐπὶ τῦ μέσυ, οἱ δ' ἀθεοὶ ἅμα τῷ προτεθῆναι, ἀνέκραξαν· μὴ τὰ πρακτικὰ τῆς συνόδυ, ἀλλὰ τὸν ὅρον μόνον ἀναγνῶθι. τῆς δὲ θείας συνόδυ διαπορουμένης ὅ, τί ποτε βούλεται ἡ τοιαύτη φωνὴ, καὶ ἀνθ' ὅτυ περ ἀποδοκιμάζουσι, καὶ ὐ δέχονται τὰ πρακτικὰ ἐκείνα, καὶ ὅπω τῆς αὐτῆς πεμέργυ κακονοίας καὶ διεγραμμένης γνώμης, ὐδ' ὁπωσῦν ἀφίσαντο, τῶ πρακτικῶν μηδόλως προσιέμενοι τινὶ, τάπεις κελεύσει θείᾳ τῦ γαλήνιου τῦ βασιλέως ἡμῶν, ἀνεγνώσθη ῥῆσις ἀπὸ τῦ συνήθους ἐπὶ ἄμβωνος ἀναγινωσκομένυ τῇ κυριακῇ τῆς ὀρθοδοξίας συνοδικῶ, ἥ τις καὶ ἐπὶ λέξεως ἔχει ὅτως. τοῖς ἀποβαλλομένοις τὰς τῶν ἁγίων πατέρων φωνὰς τὰς ἐπὶ συστάσει τῶν ὀρθῶν D δογμάτων τῆς τῦ Θεῦ ἐκκλησίας ἐκφωνηθείσας, Αθανασίυ, Κυρίλλυ, Αμβροσίυ, Αμφιλοχίυ, τῦ θεηγόρυ Λέοντος, τῦ ἁγιωτάτυ ἀρχιεπισκόπυ τῆς πρεσβυτέρας Ρώμης, καὶ τῶν λοιπῶν, ἔτι τε καὶ τῦ τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων πρακτικὰ, τῆς τετάρτης φημὶ, καὶ τῆς ἕκτης μὴ κατασπαζομένοις, ἀνάθεμα. ἔτι τούτοις ἀνεγνώσθη καὶ ῥῆσις τῶ πρακτικῶν ἔχυσα ἐπὶ λέξεως ὅτως· τίς γὰρ, εἰ καὶ βραδὺς εἴη πρὸς τὸ νοῆσαι, ὐ θεωρήσει, ὅπερ πᾶσι φαίνεται, ὅτι ἀδύνατον καὶ παρὰ τινὶ τύχειν τῆς φύσεως ἐστὶν δύνασθαι εἶναι φύσιν,

ANNO CHRISTI 1350.

σιν, καὶ ἐνέργειαν μὴ ἔχειν φύσεως· ὅπερ οὐδὲ ἀπὸ τῶν αἱρετικῶν ποτε ἐδοκιμάσθη λέγεσθαι, οἵτινες πάσας τὰς ἀνθρωπίνας πανουργίας καὶ σχολιὰς ζητήσεις κατὰ τὴν ὀρθότητος τῆς πίστεως, καὶ συναθροισμὸς τῶν φαυλόδοξιν αὐτῶν προσφόρους ἐξεύρον. πῶς οὖν ὅπερ οὔτε ἀπὸ τῶν ἁγίων πατέρων ἐρρέθη ποτέ, οὔτε ἀπὸ τῶν βεβήλων αἱρετικῶν τετόλμηται εὑρεθῆναι, ἐπὶ τοῦ παρόντος δυνήσεται προτεταθῆναι· ἵνα τῶν δύο φύσεων τοῦ Χριστοῦ, τῆς θείας δηλονότι καὶ τῆς ἀνθρωπίνης, ὧν τινων αἱ ἰδιότητες ἀκέραιοι εἶναι γνωρίζονται ἐν Χριστῷ, μίαν ἔχωσιν ἐνέργειαν; τίς ποτε ὀρθῶς φρονῶν δυνήσεται ἀποδεῖξαι; ὁπότων ἐὰν μία ἐστὶν, εἴπωσιν ἢ οὐδὲν λεχθήσεται, θεία ἢ ἀνθρωπίνη, ἄκτιστος ἢ κτιστή; ἡ αὐτὴ ἢ τίς καὶ τοῦ πατρός ἐστιν, ἢ ἑτέρα παρὰ τὸν πατέρα; εἰ τοίνυν μία ἐστὶν ἡ αὐτὴ, μία καὶ τῆς θεότητος καὶ τῆς ἀνθρωπότητος τοῦ Χριστοῦ, κοινὴ ἐστιν, ὅπερ ἀλλόκοτον ἐστὶ λέγεσθαι. οὐκοῦν ἐπεὶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ὁ αὐτὸς Θεὸς καὶ ἄνθρωπός ἐστι τὰ ἀνθρώπινα ἐνεργήσας ἐπὶ τῆς γῆς, ὁμοίως αὐτῷ καὶ ὁ πατὴρ ἐνήργησε φυσικῶς· ἐκεῖνα ἃ ὁ πατὴρ ποιεῖ, ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ. ἐπεὶ, ὅπερ ἡ ἀλήθεια περιέχει, ὁ ὅσῳ ἀνθρώπινα ἵνα ἐνήργησε ὁ Χριστὸς, πρὸς μόνον τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὡς υἱοῦ ἐπαναφέρεται· ἅτινα οὐκ ἔστι τὰ αὐτὰ θεία καὶ τοῦ πατρός. κατ' ἄλλο γὰρ δηλονότι καὶ ἄλλο ἐνήργησε ὁ Χριστὸς, ἵνα μετὰ τῆς θεότητος ἃ ποιεῖ ὁ πατὴρ, ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιῇ· καὶ μετὰ τῆς ἀνθρωπότητος, ἃ εἰσὶ τοῦ ἀνθρώπου ἴδια, ὁ αὐτὸς ὅτος εἷς ὢν ἔχει φυσικὰς ἐνεργείας, τῆς θείας δηλονότι καὶ τῆς ἀνθρωπίνης· τῆς ἀκτίστου καὶ τῆς κτιστῆς ὡς ἀληθινὸς καὶ τέλειος Θεὸς, καὶ ἀληθινὸς καὶ τέλειος ἄνθρωπος, καὶ εἷς ὁ αὐτὸς μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, κύριος Ἰησοῦς Χριστός.

Καὶ πάλιν ἀπὸ τῶν αὐτῶν πρακτικῶν προεκομίσθη ἑτέρα ῥῆσις, ἔχουσα οὕτω λέγειν· ὅτι τῆς ἑκατέρας φύσεως ἑκατέραν ἴσμεν ἐνέργειαν, τῆς ἀσυγχύτου λέγω καὶ φυσικῆς καὶ κατάλληλον· ἀδιαιρέτως προϊοῦσαν ἐξ ἑκατέρας οὐσίας καὶ φύσεως, κατὰ τὴν ἐμπεφυκυῖαν αὐτῇ φυσικὴν καὶ ἀσύγχυτον ποιότητα, καὶ τὴν ἀμέριστον ὁμοῦ καὶ ἀσύγχυτον θατέρας οὐσίας συνεπαγομένην ἐνέργειαν. τοῦτο γὰρ καὶ τῆς ἐνεργούσης ἐστὶ Χριστοῦ ποιεῖ τὸ διάφορον, ὥσπερ δὴ καὶ τὸ εἶναι τὰς φύσεις, τῶν φύσεων.

Ἀλλὰ καὶ ὁ παρ' αὐτῷ ζητούμενος ὅρος ἀναγνωσθεὶς εἴχε οὕτω λέγειν ὅτι· ἡ παροῦσα καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος, πιστῶς δεξαμένη ὑπὸ τίμιας χειρὸς ἀσπαζομένη τὴν τοῦ γεγηθότος καὶ μακαριωτάτου πάπα τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης Ἀγάθωνος γνωμένην ἀναφορὰν πρὸς τὸν εὐσεβέστατον ἡμῶν βασιλέα· καὶ μετὰ ταῦτα· ἐπομένη τοῖς ἁγίαις καὶ οἰκουμενικαῖς πόλεσι σωτήριοις, καὶ τοῖς ἁγίοις καὶ ἐκλεκτοῖς πατράσι, καὶ συμφώνως δεχόμενα, ὁμολογεῖ, τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν ἀληθινὸν Θεὸν ἡμῶν, τὸν ἕνα τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου καὶ ζωαρχικῆς Τριάδος τέλειον κατὰ θεότητα καὶ τέλειον αὐτὸν κατὰ ἀνθρωπότητα, κατὰ πάντα ὅμοιον ἡμῖν, χωρὶς ἁμαρτίας· πρὸ αἰώνων μὲν ἐκ πατρὸς γεννηθέντα, κατὰ τὴν θεότητα· ἐπ' ἐσχάτων δὲ τῶν ἡμερῶν, τὸν αὐτὸν δι' ἡμᾶς καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, ἐκ παρθένου

A quod neque ipsi profani haeretici ausi sunt excogitare, poterit hoc tempore petulanter proferri: ut duarum in Christo naturarum, divinae videlicet & humanae, quarum proprietates integrae agnoscuntur in Christo, unicam habeant operationem? Quis aliquando vecte sapiens id poterit demonstrare? Quandoquidem si unica est, dicant, num temporalis illa dicenda sit, an aeterna; divina, an humana; creata, an increata; eadem quae & in Patre est, an diversa a Patre. Si igitur una vel eadem est divinitatis & humanitatis Christi, communis utrique est; id quod est dictu absurdum. Igitur quoniam Dei Filius, Deus idem & homo est, dum humana operabatur in terra, eadem atque ille naturaliter operabatur Pater: siquidem quae Pater facit, haec & Filius similiter facit. Certe, ut veritas habet, in quantum humana quidam operatus est Christus, id ad solam personam ipsius refertur, qua Filius est: quae non eadem sunt quae & Patris. Nam secundum aliud nimirum & aliud operatus est Christus, ut secundum deitatem, quae facit Pater, eadem & Filius similiter faciat; & secundum humanitatem, quae sunt hominis propria idem ipse operatur ut homo, quoniam verus ipse est Deus & homo. Unde & vere creditur idem ipse, quamvis sit unus, habere naturales operationes, divinam videlicet & humanam, increatam & creatam, ut verus & perfectus Deus, & verus ac perfectus homo, unus & idem Mediator Dei & hominum Dominus JESUS Christus.

B

C

Iterum ex iisdem Actis producta est alia sententia, quae ad verbum sic habet: Utriusque naturae utramque novimus operationem, essentialem dico & naturalem & congruentem; indivise procedentem ex utraque essentia & natura, secundum insitam ei naturalem & essentialem qualitatem, quaque indivisam simul & inconfusam utriusque essentia operationem pariter inferat. Hoc enim & operationum in Christo discrimen facit; quemadmodum sane & naturarum, eo quod natura sunt.

D

Sed & quam postulabant definitionem, ea lecta est ad verbum sic: Praesens & oecumenica synodus fideliter suscipiens & apertis manibus, tum sanctissimi ac beatissimi Papae senioris Romae Agathonis factam suggestionem ad piissimum nostrum Imperatorem. Et post aliqua: Secuta sanctas & oecumenicas quinque synodos, & sanctos eximiosque Patres, & iisdem consentiens confitetur, Dominum nostrum JESUM Christum, verum Deum nostrum, unum e sancta & consubstantiali ac vivifica Trinitate, perfectum in divinitate, & eumdem perfectum in humanitate, per omnia nobis similem, absque peccato; ante saecula quidem ex Patre natum, secundum divinitatem: in novissimis diebus eumdem propter nos & propter nostram salutem, ex Spiritu sancto & Maria virgine proprie ac vere Deipara, secundum humanitatem; unum eumdemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis, confuse, immutabi-

E

F

G

ANNO CHRISTI 1350.

ANNO CHRISTI 1350.

tabiliter, inseparabiliter, indivise manifestatum: nullo modo naturarum discrimine sublato propter unionem: quin immo servata proprietate utriusque naturæ, & in unum coeunte personam, unamque hypostasim: non in duas personas partitum sive divisum: sed unum eumdemque Filium unigenitum, Deum Verbum, Dominum JESUM *Christum, quemadmodum olim Prophetæ de ipso, & ipse nos docuit* JESUS *Christus, & sanctorum Patrum nostrorum symbolum erudivit. Et duas naturales volitiones sive voluntates in ipso, & duas naturales operationes inseparabiliter, immutabiliter, indivise, inconfuse, juxta sanctorum doctrinam similiter prædicamus. Et duas quidem naturales voluntates, non contrarias, absit, quemadmodum impii dixere hæretici: sed humanam ipsius voluntatem obsequentem, non repugnantem aut reluctantem, sed potius subjectam divinæ ipsius atque omnipotenti voluntati.*

Hæc ubi lecta sunt, similes furdis fuere hæreseos coryphæi, unum atque omnino indiscretum clamantes atque contendentes esse divinam increatamque essentiam, & divinam increatamque ejus operationem: proferentes & dicta quædam; quorum alterum fuit divini & Confessoris Maximi; alterum, sancti Confessoris Theodori Grapti, pervertentes ea praveque interpretantes juxta suam impietatem. Quomodo enim divinus Maximus bellum Dei operationi illaturus esset, qui pro duabus in Christo operationibus, divina videlicet & humana, tantis fatigatus est cursibus, cuique lingua illa deiloqua adempta est, & manus præcisa: qui denique perpetuo damnatus exsilio, fortiter in martyrio mortem excepit? Illis autem adhuc contradicentibus, & cum Thessalonicensi opponentes, quod deitatem diceret divinam operationem, lectæ sunt sententiæ sanctorum. Et Basilii Magni quidem, in epistola ad Eustathium medicum. *Nescio quomodo ad naturam significandam deitatis appellationem pertrahunt, qui nihil intentatum relinquunt, quasi non audierint ex scriptura, Naturam non fieri per ordinationem. Moses enimvero ordinatus est Ægyptiorum Deus; divino ad ipsum oraculo respondente:* Dedi te Deum Pharaoni. *Itaque potestatis alicujus sive inspectricis sive operatricis significationem appellatio ea infert. Divina autem natura quantalibet excogitentur nomina, qualis est in se, manet inexplicabilis, ut nostra quidem fert sententia.*

Epist. 80.

Exod. 7. 1.

Nyssenus porro in oratione de deitate Filii & Spiritus, sic ait: *Ajunt Pneumatomachi, natura esse significativam vocem deitatis. Nos autem dicimus: Nomen significativum natura divina vel non habet, vel nobis non habet. Sed si quid etiam sive humana consuetudine dicitur, sive in divinis scripturis, quidpiam eorum est quæ circa illam designantur. Ipsa vero natura divina ineffabilis manet, ita ut nec ulla possit voce exprimi, &*

A τες ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, τῆς κυρίως καὶ κατὰ ἀλήθειαν θεοτόκου κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα· ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Χριστὸν, υἱὸν, κύριον, μονογενῆ, ἐν δύο φύσεσιν, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀχωρίστως, ἀδιαιρέτως γνωριζόμενον, οὐδαμῶς τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν· σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν συνδρεχούσης. οὐκ εἰς δύο πρόσωπα μεριζόμενον ἢ διαιρούμενον, ἀλλ' ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν υἱὸν μονογενῆ, Θεὸν Λόγον, κύριον Ἰησοῦν Χριστόν, καθάπερ ἄνωθεν οἱ προφῆται περὶ αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς ἡμᾶς Ἰησοῦς Χριστὸς ἐξεπαίδευσε, καὶ τῆς ἁγίων B πατέρων ἡμῶν ἐξεπαίδευσε σύμβολον. καὶ δύο φυσικὰς θελήσεις ἤτοι θελήματα σὺν αὐτῷ, καὶ δύο φυσικὰς ἐνεργείας, ἀδιαιρέτως, ἀτρέπτως, ἀμερίστως, ἀσυγχύτως, κατὰ τὴν τῶν ἁγίων διδασκαλίαν, ὡσαύτως κηρύττομεν. καὶ δύο μὲν φυσικὰ θελήματα, οὐχ ὑπεναντία, μὴ γένοιτο, καθὼς οἱ ἀσεβεῖς ἔφησαν αἱρετικοὶ, ἀλλ' ἑπόμενον τὸ ἀνθρώπινον αὐτοῦ θέλημα, καὶ μὴ ἀντιπίπτον, ἢ ἀντιπαλαῖον· μᾶλλον μὲν ὂν καὶ ὑποτασσόμενον τῷ θείῳ αὐτοῦ καὶ παντοδυνάτῳ θελήματι.

Τούτων δὲ ἀναγνωσθέντων, κωφοῖς ἐοίκεσαν οἱ τῆς αἱρέσεως προϊστάμενοι, σὺν καὶ πάντα ἀ- C διάφορον βοῶντες καὶ διατεινόμενοι τὴν θείαν τε καὶ ἄκτιστον οὐσίαν, καὶ τὴν θείαν καὶ ἄκτιστον ταύτης ἐνέργειαν, προφέροντες καὶ ῥήματα, ὧν τὸ μὲν τοῦ θεοῦ καὶ ὁμολογητοῦ Μαξίμου· τὸ δὲ, τοῦ σὺν ἁγίοις ὁμολογητοῦ Θεοδώρου τοῦ Γραπτοῦ, διαστρέφοντες καὶ παρερμηνεύοντες τὴν πρὸς τὴν οἰκείαν δυσσέβειαν. πῶς γὰρ ἂν ὁ θεῖος Μάξιμος, τὴν θεοῦ ἐνέργειαν πολεμεῖν ἐμέλλεν, ὅς γε ὑπὲρ τῆς σὺν Χριστῷ δύο ἐνεργειῶν, τῆς τε θείας δηλαδὴ καὶ τῆς ἀνθρωπίνης, δρόμους μὲν ἠλάθη τοσούτους, γλῶτταν δὲ τῆς θεοφθόγγου ἐκείνου ἀφῄρηται, χεῖρα δὲ ἐκκέκοπται· καὶ τέλος ἀειφυγίαν καταδικασθεὶς, μαρτυρικὸν γενναίως ἠσπάσατο θάνατον; τῆς δὲ καὶ ἔτι ἀντιλεγόντων, καὶ προφερόντων τῇ Θεσσαλονίκης θεότητι λέγοντι τὴν θείαν ἐνέργειαν, ἀνεγνώσθησαν ῥήσεις τῆς ἁγίου, τοῦ μὲν μεγάλου Βασιλείου, ἐν οἷς πρὸς Εὐστάθιον τὸν ἰατρὸν γράφει, οὐκ οἶδα θ- πως ἐπὶ τὴν τῆς φύσεως ὀνομασίαν, τὴν προσηγορίαν τῆς θεότητος φέρουσιν, οἱ πάντα κατεσκαλαίζοντες, ὥσπερ οὐκ ἀκηκοότες παρὰ τῆς γραφῆς, ὅτι χειροτονητὴ φύσις οὐ γίνεται. Μωσῆς δὲ τῶν Αἰγυπτίων ἐχειροτονήθη θεός· ὅτου πρὸς αὐτὸν εἰπόντος τοῦ χρηματίζοντος ὅτι θεὸν σε δέδωκα τῷ Φαραώ. οὐκοῦν ἐξουσίας τινὸς εἴτε ἐποπτικῆς εἴτε ἐνεργητικῆς ἔνδειξιν ἡ προσηγορία φέρει. ἡ E δὲ θεία φύσις, σὺν πᾶσι τοῖς ἐπινοουμένοις ὀνόμασι, καθό ἐστι, μένει ἀσήμαντος, ὡς ὁ ἡμέτερος λόγος.

Τοῦ δὲ Νύσσης, σὺν τῷ περὶ θεότητος υἱοῦ καὶ πνεύματος, λέγοντος, φασὶν οἱ πνευματομάχοι, φύσεως εἶναι σημαντικὴν τὴν θεότητα. ἡμεῖς δὲ φαμὲν, ὅτι ὄνομα σημαντικὸν ἢ θεία φύσις ἢ οὐκ ἔχει, ἢ ἡμῖν οὐκ ἔχει. ἀλλ' εἴτε καὶ λέγεται, εἴτε παρὰ τῆς ἀνθρωπίνης συνηθείας, εἴτε παρὰ τῆς θείας γραφῆς περὶ αὐτὴν ἀποσημαινόμενόν ἐστί τι. αὐτὴ δὲ ἡ θεία φύσις, ἄφραστος καὶ ἀνεκφώνη-

ANNO CHRISTI 1350.

φωνητ[illegible] μένει, ὑπερβαίνουσα πᾶσαν τὴν δι' αὐτῆς ἀνοητῶν σημασίαν. λαβεῖν ὡσαν δὲ τῆς αὐτῆς ἀνοητῶν σημασίας τὸ ὄφιν κατήγορον, ὃς δείκνυσιν ὅτι τὸ τῆς θεότητος ὄνομα, τῆς ὁρατικῆς ἐνεργείας τὴν σημασίαν ἔχει. συμβαλλόμενος γὰρ ἅψασθαι τῆς ἀπηγορευμένου, τοῦτο ἐπαγγέλλεται, ὅτι ἀνοιγήσονται ὑμῶν οἱ ὀφθαλμοί, καὶ ἔσεσθε ὡς θεοί. ἐρᾷς ὅτι τὴν θεατικὴν ἐνέργειαν προσμαρτυρεῖ τῇ φωνῇ τῆς θεότητος; ἣ γὰρ ἔστι θεᾶσθαί τι μὴ τῆς ὀφθαλμῶν ἀνοιχθέντων. οὐκοῦν οὐχὶ φύσιν, ἀλλὰ τὴν θεατικὴν δύναμιν, ἡ τῆς θεότητος προσηγορία σημαίνει. καὶ πάλιν ὁ αὐτὸς πρὸς Ἀβλάβιον γράφων· Θεός, φησίν, ἐνεργοῦντα δηλοῖ· θεότης δέ, ἐνέργειαν. οὐδὲν δὲ τῶν ἐνεργειῶν, ἀλλὰ μᾶλλον ἐνεργεῖν ἕκαστον αὐτῆς.

Οὕτω δὲ διὰ πάντων τούτων ἐξελεγμένοι, προσεκλήθησαν παρὰ τῆς ἐκκλησίας εἰς μετάνοιαν, πολλὰ πρότερον τοῦ γαλληνοτάτου βασιλέως ἡμῶν, μὴ ἀποκηδῆσαι τοῦ καλοῦ τῆς μετανοίας φαρμάκου, λόγοις πολὺ τὸ ἐπαγωγὸν καὶ χαρίεν ἔχουσι παρακεκλικότος αὐτοῦς. οἱ δὲ οὐ κατεδέξαντο, ἄντικρυς λέγοντες, τὰς ὁδὸς σου εἰδέναι οὐ βουλόμεθα. σύμμετον γὰρ οἷς κακῶς ἔγνωσαν ἐξ ἀρχῆς. διὰ τοῦτο κελεύει θεία τοῦ κρατίστου βασιλέως ἡμῶν καὶ τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου, ἀνεγιωσθῆ τόμος ἐπὶ καθαιρέσει μὲν πρὸς τῶν ἀπὸ κλήρου τινος, τοῦ Ἐφέσου, τοῦ Γάνου, καὶ ἄλλων, ὡς τοῦ Βαρλαάμ καὶ Ἀκινδυνοῦ νοσησάντων· μήπω δὲ εἰς ἔργον ἀπεβάς, διὰ τὴν ἐπιστροφὴν αὐτῶν καὶ μετάνοιαν ἀναμένειν, καὶ πᾶσι τρόποις καὶ μηχαναῖς ἀνακαλεῖσθαι πάντας ὅλῃ προθυμίᾳ τε καὶ σπουδῇ. καὶ ἀναγνωσθέντος. ἤρξατο ὁ τιμιώτατος μέγας χαρτοφύλαξ καὶ ὑπατος τῶν φιλοσόφων, κατὰ τὸ ἐκκλησιαστικὸν ἔθος, ἐρωτᾶν ἕκαστον ὅτερ ἔχει περὶ τῶν μετὰ μέρος λαληθέντων τε καὶ ἐξεταζομένων δογματικῶν κεφαλαίων. καὶ πάντες ἑνὶ στόματι ὡς ἐξ ἑνὸς πνεύματος κινούμενοι πιστεύοντες, μετὰ τοῦ λεγομένου καὶ θεοπρεπῆ διάκρισιν καὶ διαφορὰν τῆς θείας οὐσίας καὶ ἐνεργείας φανερῶς ὡμολόγησαν, τοῖς θεολόγοις ἑπόμενοι. ἀκλινὲς τε τὴν θείαν ἐνέργειαν, τὸ δὴ καὶ τὴν οὐσίαν ἔστεξαν. καὶ θεότητα καὶ τὴν θείαν ἐνέργειαν, ὀνομάζεσθαι παρὰ τῶν αὐτῶν θεολόγων ἀκούσαντες, ἀσμένως ἐδέξαντο.

Ἐπὶ τούτοις ἐρωτηθεὶς ὁ ἁγιώτατος καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης καὶ αὐτὸς τὴν οἰκείαν γνώμην ἐξεφήνατο, λόγον τε διεξελθὼν πρότερον περὶ ἀνωτέρας θείας οὐσίας καὶ θείας ἐνεργείας, καὶ τοὺς παρὰ τῶν ἁγίων λεγομένους τῆς διαφορᾶς τρόπους, πάντα καλῶς καὶ κατὰ μέρος διαχεινήσας, ἔτι τε καὶ τὴν ἡνωμένην καὶ ἀχώριστον ταύτης πρὸς τὴν θείαν οὐσίαν ἀποδείξας, ἐν οἷς καὶ ἄκτιστον ἐνέργειαν, καὶ θεότητα παρὰ τῶν ἁγίων εἰρῆσθαι ἀπεφήνατο, τοῦ πρὸς τοὺς διαφερομένους ἑπόμενος παραινέσεως ὅλου ἐγένετο, παρακαλῶν, νουθετῶν, ἐλέγχων· πᾶσι τρόποις πρὸς μετάνοιαν αὐτοὺς ἐκκαλούμενος, καὶ τοῦ πρὸς τοὺς ἁγίους καὶ τὴν ἱερὰν σύνοδον συμφωνίαν, μετ' ἔτι πλείστης προθυμίας καὶ σπουδῆς θεοφιλῶς παρεκκαλούμενος· ὡς δὲ καὶ οὕτω τούτους ἐώρα ἀνιάτως ἔχοντας, τοῦ τε προτέρων βλασφημιῶν ἐχομένους καθάπαξ, καὶ τὴν μετάνοιαν παντάπασιν ἀποσειομένους, ζῆλον ἀναλαβὼν ἄξιον μὲν ἑαυτοῦ καὶ τῆς ἐκπαιδοῦς ἀρετῆς, ἄξιον δὲ τοῦ

A *omnem longe superet vocum significationem. Accipiant autem sui ipsorum insipientis intellectus accusatorem serpentem; siquidem ostendit, nomen deitatis significationem habere facultatis videndi. Cum enim is suaderet vetita attingere, hoc pollicitus est,* Aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii. *Vides facultatem aspiciendi attestari eum esse vocabulo deitatis parem? Neque enim usuvenit, ut quidpiam quis nisi oculis apertis aspiciat. Non igitur naturam, sed aspiciendi facultatem deitatis appellatio menti exhibet.* Idem rursus ad Ablavium scribens; *Deus*, inquit, *operantem significat; deitas vero, operationem, nullum autem e tribus operatio est; sed potius operans unum quodque eorum est.* Gen. 1. 5.

B

Cum hi essent igitur per hæc omnia sic convicti, ab Ecclesia invitati sunt ad pœnitentiam, postquam prius serenissimus Imperator noster, ne præclarum pœnitentiæ remedium abjicerent, lenibus verbis eosdem cohortatus esset, & appositis ad persuadendum. At illi non admiserunt, palam dicentes, *Vias tuas scire nolumus.* In his enim persistiterunt, quæ ab initio male didicerant. Idcirco divino jussu potentissimi Imperatoris nostri, atque sanctissimi & œcumenici Patriarchæ, lectus est tomus, qui prodierat ante aliquod tempus ad depositionem Ephesii, Gannii, & aliorum, utpote qui Barlaami & Acindyni morbo laborarent; necdum tamen decretum ad rem ipsam perductum fuerat, ob exspectatam eorum conversionem & pœnitentiam, & ut omnibus modis atque artibus summo desiderio studioque ad eam revocarent. Eo perlecto cœpit venerabilis magnus Chartophylax, idemque supremus philosophorum, ecclesiastico more unumquemque interrogare, quid sentiret de dogmaticis capitibus, quæ fuerant singulatim prolata & examinata. Omnes uno ore tamquam uno afflati spiritu, cum unione Deo decentem discretionem ac differentiam divinæ essentiæ & operationis manifeste confessi sunt, Theologos secuti: increatam vero divinam operationem, utique & essentiam, professi: deitatem vero ipsam hanc divinam operationem nuncupati ab iisdem Theologis accipientes, lubenter assenserunt. Job 21. 14 ex Græco.

C

D

Rogatus interim sanctissimus & œcumenicus patriarcha, ut etiam ipse sententiam suam proferret, disseruit prius de differentia divinæ essentiæ & divinæ operationis. Cumque a sanctis enarratos distinctionis modos enucleate & singulatim explicuisset; atque unitionem & inseparabilitatem illius a divina essentia demonstrasset; inter quæ & increatam operationem atque deitatem appellatam esse a sanctis docuit: totus deinde fuit in cohortando eos qui diffidebant, excitans, increpans, arguens, modis omnibus ad pœnitentiam eosdem invitans, & ut cum sanctis & cum sacrosancta synodo consentirent, summo desiderio studioque ex Dei amore obsecrans. Ut autem illos etiam sic vidit esse insanabiles, & in prioribus blasphemiis obfirmatos, respuere omnino pœnitentiam, zelum assumens dignum seipso, ac virtute qua præditus a puero fuit; dignum throno cui insidebat, Ephesi Gannique episcopos pontificalibus insignibus & omni sacerdotio exuit, ei quoque

E

ANNO CHRISTI 1350.

que sententiæ suffragante sacrosancta synodo. Alii vero eorum sodales, & qui fuerunt sectæ principes, & qui sunt illos male secuti, condemnationem secum habentes dimittuntur; quibusdam veniam precantibus, & per pœnitentiam consecutis. Sic illa sectio finem accepit.

Diebus exinde paucis intermissis, sic jubente serenissimo & sacrosancto Imperatore nostro, ac pœnitentiæ januam his qui diffidebant ea ratione sapienter aperiente; cum illi adhuc insanabiles essent, æquum visum est synodum alteram rursum congregari; ut instituto examine manifestior fieret de rebus propositis veritas fidei, ex iis quæ de Deo sancti prodiderunt. Ea igitur coacta, cum interesse heterodoxi noluissent, sed id omnino recusassent; jussit piissimus Imperator, multis dogmaticis capitibus ad inquirendum propositis: Primum quidem, An sit in Deo quæ Deum deceat distinctio essentiæ & operationis. Deinde distinctione comprobata, utrum operatio hæc ipsa creata sit, an increata. Tertium, si quidem increata ostendatur esse divina hæc operatio, quomodo quis effugiat, ne Deus propterea compositus existimetur, quod heterodoxi objectare audent ecclesiæ Dei. Quartum, An vox deitatis non de essentia solum, sed etiam de divina operatione a Theologis prædicetur. Nam ex eo duplicis deitatis fœdum errorem adscribunt Ecclesiæ Dei, qui bellum ei indicunt. Quintum, Utrum Theologi aliqua ratione superiorem essentiam operatione esse pronuncient; quoniam & illud adversarii in reprehensionem vertunt. Denique, cum Deus participatur, utrum secundum essentiam participatio sit, an secundum operationem. Cum tot propositæ modo nobis quæstiones sint, non oportet de omnibus simul institui disputationem. Sic enim fieret, ut quæsiti nulla foret exacta comprehensio, neque qualem animo proposuimus: sed unamquamque singulatim assumentes, venerandos Theologos proferemus, qui sunt ab omni errore liberi.

Ac primum, si placet, de primo dicamus: An Deo conveniens discretio sit essentiæ & operationis; (quod est a diffidentibus pernegatum, qui multa alia absurda, iptamque ex eo deorum multitudinem colligere se arbitrantur;) an vero idem sit & indiscretum.

Hæc ubi jussit potentissimus Imperator, dictis animum intendens sacrosancta synodus, Haud aliam, inquiunt, viam novimus, divinissime Imperator, quæ ex facili ducat ad veritatem, præter eam, quam modo nobis ipse præmonstrasti. Et Theologis quid de his sentirent perlectis, ita ut omnes exaudirent, ostensum est, eos qui cum unitione discretionem: divinæ essentiæ & operationis non adstruerent, impios esse, & multis aliis absurdis se ipsos implicare. Nam secundum magnum Dionysium, *Quod nullam virtutem aut operationem habet, neque est, neque est aliquid, neque ejus omnino affirmatio aut negatio est.* Quod autem habet, ab eo quod habet secundum quid omnino differt. Si igi-

De divinis nominibus.

A θρόνῳ, τὴν μὲν Ἔρεσιν καὶ τὴν Ἀνομοιανὴν τῶν ἀρχιερατικῶν συμβόλων καὶ πάσης ἱερωσύνης ἀποκυμβοῦσι, τοῦτο καὶ τῆς ἱερᾶς συμψηφισαμένης συνόδου, οἱ δὲ σὺν αὐτοῖς ἕτεροι, οἵ τε τῆς αἱρέσεως ἀποσείσαμενοι, καὶ οἱ τούτοις κακῶς ἑπόμενοι, τῇ καταδίκῃ μετ' ἑαυτῶν ἔχοντες, ἀποτίμωνται, τινῶν συγγνώμην αἰτησάντων, καὶ διὰ μετανοίας τυχόντων· καὶ ἡ μὲν συμπλοκὴ αὕτη οὕτω τέλος ἐπλάβετο.

Ἡμέραι δ' ὀλίγαι παρεμβάσαι ὀλίγαι, ὅτε τοῦ γαληνοτάτου καὶ ἀγίου βασιλέως ἡμῶν κελεύσαντος, καὶ μετανοίας εἰσέλθοι θύραν τοῖς διαφερομένοις σεφῶς ἐπανοίγοντος· τοῦ δὲ καὶ ἔτι ἀνάτους ἐχόντων, ἔδοξε δίκαιον, σύνοδον ἑτέραν πάλιν συγκροτηθῆναι, ὥστε δι' ἐξετάσεως, φανερωτέραν γενέσθαι περὶ τῶν προβεβλημένων τῆς εὐσεβείας ἀλήθειαν, ἐκ τῶν τοῖς ἁγίοις θεολογημένων. καὶ δὴ γενομένης, τῶν ἑτεροδόξων τὸν ἀπαντῆσαι μὴ βεβουλημένων, ἀλλ' ἀπειπόντων τοῦτο καθάπαξ, ὁ εὐσεβέστατος ἐκέλευσε βασιλεὺς, πολλῶν δογματικῶν κεφαλαίων προβεβλημένων εἰς ζήτησιν· πρῶτον μὲν εἰ ἔστιν ἐπὶ Θεοῦ θεοπρεπὴς διάκρισις οὐσίας καὶ ἐνεργείας· ἔπειτα διακρίσεως ἀναφανείσης, πότερον ἡ ἐνέργεια αὕτη κτιστή ἐστιν, ἢ ἄκτιστος· τρίτον δὲ, εἰ μὲν ἄκτιστος ἀποδεχθείη ἡ θεοπρεπὴς αὕτη ἐνέργεια, πῶς ἂν τις ἐκφύγοι τὸ μὴ παρὰ τοῦτο σύνθετον τὸν Θεὸν εἶναι νομίζειν, ὅπερ οἱ ἑτεροδοξοῦντες προφέρειν τολμῶσι τῇ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ. τέταρτον δὲ, εἰ μὲν ἡ φωνὴ τῆς θεότητος οὐκ ἐπὶ τῆς οὐσίας μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς θείας ἐνεργείας παρὰ τῶν θεολόγων ὕμνηται. καὶ ἐκ τούτου γὰρ τοῖς τῆς διθείας ἀμορφίαν, τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ κατηχοῦσιν οἱ τούτοις πολέμιοι. πέμπτον δὲ, εἴπερ οἱ θεολόγοι κατά τε τὴν οὐσίαν τῆς ἐνεργείας ὑπερκεῖσθαι φασὶν, ἐπί καὶ τοῦτο τοῖς ἐναντιουμένοις ὑπὸ μέμψιν πίπτει. καὶ λοιπὸν ἔτι, Θεοῦ μετεχομένου, πότερον κατὰ τὴν οὐσίαν μετοχὴ, ἢ κατὰ τὴν ἐνέργειαν. τοσούτων προκειμένων ἡμῖν ζητημάτων ἀρτίως, οὐ χρὴ περὶ πάντων ὁμοῦ ποιεῖσθαι τοὺς λόγους. χρήσιμον γὰρ ἂν οὕτως, ἡ τοῦ ζητουμένου καταληψις οὐδαμῶς ἀκριβὴς, οὐδὲ κατὰ τὴν ἡμετέραν προθεσιν· ἀλλὰ περὶ ἑκάστου ἰδίᾳ διαλαβόντες, ὃ δὴ τοῖς ἀπλανέσι χρώμεθα τοῖς σεπτοῖς θεολόγοις.

Καὶ πρῶτον εἰ δοκεῖ περὶ τοῦ πρώτου λέγωμεν, ἆρ' ἐστὶ θεοπρεπὴς διάκρισις ἐπὶ Θεοῦ οὐσίας καὶ ἐνεργείας· ὅπερ τοῖς διαφερομένοις ἀπείρηται, πολλά τε ἄλλα ἄτοπα καὶ πολυθεΐαν ἐκ τούτου συνάγειν οἰομένοις· ἢ ταυτὸν πάντῃ καὶ ἀδιάφορον.

Ταῦτα τοῦ κρατίστου βασιλέως κελεύσαντος, τῇ θείᾳ συνόδῳ τοῖς λεγομένοις προσχοῦσα, οὐκ ἄλλην εἶπον ἴσμεν ὁδὸν, θειότατε βασιλεῦ, ῥᾳδίως πρὸς ἀλήθειαν φέρουσαν, ἢ ταύτην τῇ ἀρτίως ἡμῖν ὑπέδειξας· καὶ τοὺς θεολόγους ὡς ἔχουσι περὶ τούτων γνώμης εἰς ἐπήκοον πάντων ἀναγνωσθέντων, ἀπεδείχθη, ὅτι οἱ μετὰ τοῦ ἡνωμένου καὶ τὸ διακεκριμένον τῆς θείας οὐσίας καὶ ἐνεργείας ἀρνούμενοι, ἄθεοί τε εἰσὶν καὶ πολλοῖς ἑτέροις ἀτόποις ἑαυτοὺς περιβάλλουσι. κατὰ γὰρ τὸν μέγαν Διονύσιον, τὸ μηδεμίαν δυνάμιν ἢ ἐνέργειαν ἔχον, οὔτε ἔστιν, οὔτε τί ἐστιν· οὔτε ἔστι παντελῶς αὐτοῦ θέσις ἢ ἀφαίρεσις. τὸ δὲ ἔχον, οὐ ἔχει κατὰ τι-

ANNO CHRISTI 1350.

(a) [illegible]

ANNO CHRISTI 1350.

τιδιαφέρει παντῶς. εἰ οὖν οὐκ ἔστι διαφορὰ τῆς Θείας οὐσίας καὶ ἐνεργείας, οὐκ ἔσται ἔχειν τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ ἐνεργειαν· τὸ δὲ μὴ ἔχον ἐνεργειαν, ἀνενέργητόν ἐστι. τὸ δὲ ἀνενέργητον, καὶ ἀνύπαρκτον.

Τοῦ δὲ θεοφόρου Δαμασκηνοῦ γράφοντος· ἔργον μὲν θείας φύσεως ἡ προαιώνιος γέννησις· ἔργον δὲ θείας θελήσεως, ἡ κτίσις. καὶ τοῦ ἁγίου Κυρίλλου· τὸ μὲν ποιεῖν, ἐνεργείας ἐστί· φύσεως δὲ τὸ γεννᾶν· φύσις δὲ καὶ ἐνέργεια οὐ ταυτόν. οἱ ἀδιάφορον εἶναι λέγοντες τὴν θείαν οὐσίαν καὶ τὴν θείαν ἐνέργειαν, ἐπειδὴ κατ' ἐκεῖνον τῆς φύσεως ἐστὶ τὸ γεννᾶν, ἔσι δὲ κατ' αὐτοὺς ἀδιάφορος τῆς φύσεως ἐνέργεια· ἔσαι κατ' αὐτοὺς ἡ τῆς ἐνεργείας τὸ γεννᾶν. ἡ οὕτω τὰ γενήματα, ἔσονται γενήματα ἀΐδια, ὡς ἐκ τῆς θείας φύσεως, ὄντα. ἐπεὶ δὲ πάλιν τῆς ἐνεργείας ἐστὶ τὸ ποιεῖν, ἡ δὲ φύσις ἀδιάφορος τῇ ἐνεργείᾳ, καθ' αὐτὸς τῆς φύσεως ἔσαι τὸ ποιεῖν. καὶ ὅτω καθ' αὐτὸς τὰ ἐκ τῆς φύσεως ἔσονται ποιήματα.

Καὶ πάλιν τὸ αὐτὸ γράφοντος ἐν τῷ δεκατέτῳ πρὸς Ἑρμείαν διαλόγων, πρὸς δὲ τούτοις ἅπασι πεπεῖσθαι φαμὲν ὄξ ἐνεργείας θεοῦ, πῦρ τε τὸ καυσαῖον, καὶ μὴν καὶ τὸ ὕδωρ διαψυχὲν εἶδος· οἱ ταυτὸν καὶ ἀδιάφορον οὐσίαν καὶ ἐνέργειαν εἶναι λέγοντες, ἐκ τῆς τοῦ θεοῦ οὐσίας τό, τε πῦρ καὶ τὸ ὕδωρ λέγειν ἀναγκασθήσονται· καὶ ὅτω τῆς ἐλληνικῆς πλάνης χείρων ἡ γυμνὴ κακοδοξία κακίσηται· εἴπερ ἐκεῖνοι τὴν λογικὴν μόνην ψυχὴν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ θεοῦ εἶναι ἐνόμισαν· ὅτοι δέ γε καὶ τὰ ὑλικὰ δὴ ταῦτα καὶ αἰσθητὰ σώματα.

Ἀλλὰ καὶ τοῦ κυρίου θεοῦ ἡμῶν ἐν τῷ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίῳ, ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἓν ἐσμεν εἴρηκεν, ὁ θεῖος Χρυσόστομος ἐν ὁμιλίᾳ ἑξηκοστῇ τῆς εἰς τὸ τοιοῦτον εὐαγγέλιον ἑρμηνείας τοῦτο διασαφῶν τὸ ῥητὸν κατὰ τὴν δύναμιν ὑπῆρξε φησὶν εἰρῆσθαι αὐτό. ἐν γὰρ περὶ ταύτης λέγει ὁ λόγος ἅπας αὐτῷ. εἰ δὲ ἡ δύναμις ἡ αὐτή, δῆλος ὅτι καὶ ἡ οὐσία. καὶ μετὰ βραχέα· εἰδὲ γὰρ ἔστιν ἄλλην δὲ ἄλλης, οὔτε οὐσίαν, οὔτε δύναμιν μαθεῖν. καὶ πάλιν ἐν τῷ αὐτῷ εὐαγγελίῳ, τοῦ ἀποστόλου Φιλίππου εἰπόντος· κύριε, δεῖξον ἡμῖν τὸν πατέρα, καὶ ἀρκεῖ ἡμῖν· ὁ θεῖος Χρυσόστομος ἐν τῇ αὐτῇ ὁμιλίᾳ, ἰδωμεν, φησὶν, τί ὁ Φίλιππος ζητεῖ ἰδεῖν. ἆρα τὴν σοφίαν τοῦ πατρός, ἆρα τὴν ἀγαθότητα; οὐχί. ἀλλ' αὐτὸ ὅ, τί ποτέ ἐστιν ὁ θεός, αὐτῷ τῷ οὐσίᾳ. καὶ πάλιν ὁ αὐτὸς τὸ ἀποστολικὸν ῥητὸν ἐξηγούμενος, τοῦ ἀποστόλου Ρωμαίους ἐπιστολῆς, τὸ λέγον· τὸ γὰρ φρόνημα τῆς σαρκὸς, θάνατος· τὸ δὲ φρόνημα τοῦ πνεύματος, ζωὴ καὶ εἰρήνη. φρόνημα, εἶπε, σαρκὸς, ἡ κακίαν φησί· καὶ φρόνημα πνεύματος, ἡ χάριν τὴν διδομένην, καὶ τὴν ἐνέργειαν τὴν τῆς προαιρέσεως πιστωμένην τῇ χρήσει, ἐδαμῶς περὶ ὑποστάσεως ἐνταῦθα καὶ οὐσίας διαλεγόμενος. καὶ σαφῶς ὁ αὐτὸς Χρυσόστομος, ἐν τῷ λόγῳ ἐν ᾧ ἐξηγεῖται τὸ, θεὶς τὴν χεῖρά σου ἐπὶ τὸν μηρόν μου, καὶ ὄμοσον· τοῦδε κατὰ λέξιν φησίν· λυχνία μὲν ἀληθὴς ἡ σὰρξ ἡ δεσποτική, ἡ τοῦ ἁγίου πνεύματος τὰς ἐκλάμψεις ἐστιπλασίονι χάριτι δεξάσα, ἐξελάμπε-

A tur non est distinctio divinæ essentiæ & operationis, non habet Dei essentia operationem. Quod autem non habet operationem, expers operandi est. Quod est autem expers operandi, id neque exsistens est.

Damasceno autem deifero scribente, *Opus quidem est divinæ naturæ ea generatio quæ sæcula antecedit: opus autem est divinæ voluntatis, creatio.* Et sancto Cyrillo: *Facere quidem, operationis est: naturæ vero, gignere. Natura autem & operatio non sunt idem:* Qui distingui negant divinam essentiam & divinam operationem; cum secundum illum naturæ sit gignere; & secundum istos indiscreta sit ab essentia opera-
B tio, erit secundum illos & operationis proprium gignere: & sic erunt quæ facta sunt, ab æterno genita, quippe quæ sint ex divina natura. Quoniam vero rursum operationis est facere, natura vero ab operatione non discernitur, secundum ipsos proprium erit naturæ facere: & sic secundum eosdem ex natura erunt quæ sunt facta.

Ac rursum, cum scribat idem in secundo dialogo ad Hermiam; *Ad hæc omnia ex operatione Dei facta esse dicimus, & ignem combustivum, & aquam quæ refrigerare novit:* qui dicunt quid unum & indiscretum esse essentiam & operationem, ex essentia Dei & ignem & aquam esse cogentur confiteri. Sic porro nunc
C exsistet prava opinio pejor errore gentilium: siquidem illi rationalem animam dumtaxat ex essentia Dei esse arbitrati sunt: hi vero etiam materialia ipsa & sensibilia corpora

Sed a Domino ac Deo nostro dicente in Evangelio Joannis, *Ego & Pater unum sumus,* Joan. 14. 8.
divinus Chrysostomus in homilia LX. in illud ipsum Evangelium, explanans effatum illud, *Secundum virtutem ibi dictum illud esse* a Christo refert; *quoniam de ea omnis ei sermo erat. Quod si virtus est eadem, eadem manifeste essentia est.*
D Et post pauca: *Neque enim potest alia per aliam, sive essentia, sive virtus agnosci.* Et rursus in eodem Evangelio, Apostolo Philippo dicente, *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis:* Joan. 14. 8.
divinus idem Chrysostomus in ea ipsa homilia dicit: *Videamus,* inquit, *quid Philippus quærat videre: numquid sapientiam Patris? numquid bonitatem? Minime vero: sed ipsum quid tandem sit Deus, ipsam essentiam.* Iterumque idem, Apostoli dictum exponens, ex epistola ad Romanos, ubi ait. *Prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vita & pax. Prudentiam,* Rom. 8. 6. Homil. 13.
inquit, *carnis, malitiam vocat; & prudentiam spiritus gratiam quæ datur; & operationem temperatam bono proposito; nusquam his de hypostasi aut de essentia differens.* Rursus idem Chrysosto-
E mus, in eo sermone, in quo exponit illud; *Pone manum tuam super femur meum, & jura;* hæc Homil. 4. Genes. 24. 2.
ad verbum dicit: *Candelabrum verum fuit caro Dominica, quæ sancti Spiritus illustrationes septemplici gratia exhibuit.* Egredietur enim, *inquit Isaias,* virga de radice Jesse, & flos ex ipsa ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini. Isai. 11. 1.
Qualis? Qui multiplex operationibus est; & natura ingens. Requiescet spiritus Dei, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, spiritus timoris Dei. Septem gratias sancti Spiritus, quæ requiescunt in corpore Dominico; has figuravit in typo candelabri

septem

ANNO CHRISTI 1350.

septem lucernarum. Rursum divinus idem Chrysostomus, in sermone de Spiritu sancto: *Non omnia*, inquit, *dona quisquam accipit, ne quis gratiam existimet esse naturam*.

Sed & sancto martyre ac philosopho Justino scribente; *Cum Deus essentiam habeat ut sit, voluntatem ut faciat*: quisquis aufert essentiæ & voluntatis distinctionem, is exsistentiam Dei aufert & vim faciendi: annon manifeste qui distinctionem respuunt, ipsi & Deum negare, & fatum asserere convincuntur? Nam secundum divinum Joannem Damascenum, *Operatio est & ipsa volitio*, quemadmodum in XXXVI. dogmaticorum capitum de operatione perspicue aperit. Cum enim prius tum de aliis rebus, tum de volitione humana ac divina dixisset, statim subjungit, in ipso principio capitis subsequentis, hæc totidem verbis: Notse oportet, omnes antea commemoratas virtutes, tum cognoscitivas, tum vitales, & naturales & artificiales, operationes nuncupari. Est enim operatio, naturalis cujusque essentiæ vis & motio, qua solum caret quod non exsistit.

His igitur tam clare & explicate expositis, & distinctione valde dilucida, neque enim aliter poterat, commonstrata: *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, juxta divinum Paulum, sed in his quæ docuit Spiritus sanctus, scriptis scilicet quæ divino spiritu afflati de rebus divinis Patres condiderunt; oportuit, inquit divina synodus, eos qui quoquo modo conati essent super hoc contradicere, nunc certe, sin minus antea, contentionis morbum ex animis suis religiose depellere; & communibus nostris duobus ac magistris pietatis, alacriter maxime velle morem gerere, qui tantum non omni tuba clariores emisere voces de distinctione divinæ essentiæ & divinæ operationis: neque amplius omnino conari illis repugnare, aut tentare ulterius curiose inquirere, quæ sit operatio, & qualis distinctio, & quemadmodum ipsa fiat.

Neque enim illi, ut videtur, Chrysostomum Patrem audierunt, ubi Joannis Evangelium exponit. Nam docet ille esse ineffabilem, nec posse comprehendi cogitatione, sed supra omnes naturæ leges; divinam operationem esse. *Nam si hujus spiritus*, inquit, *cujus sensum accipis auditu & tactu, nec viam expuere nosti; quomodo operationem, quæ est a divino spirito curiose inquiris, qui ne venti quidem nosti, quamvis vocem audis? Illud autem*, Ubi vult spirat, *ad documentum dictum est potentiæ Paracleti. Nam si illud nemo cohibet, sed ubi vult fertur; multo*

Hom. 23. in Joan.

Joan. 3. 8.

ANNO CHRISTI 1350.

A τοι γὰρ φησιν Ἡσαΐας, ῥάβδος ἐκ τῆς ῥίζης Ἰεσσαὶ καὶ ἄνθος ἐξ αὐτῆς ἀναβήσεται, καὶ ἐπαναπαύσεται ἐπ' αὐτὸν πνεῦμα Θεοῦ. ποῖον; τὸ πολυμερὲς ταῖς ἐνεργείαις, καὶ πολὺ τῇ φύσει. ἐπαναπαύσεται πνεῦμα Θεοῦ, πνεῦμα σοφίας καὶ συνέσεως, πνεῦμα βουλῆς καὶ ἰσχύος, πνεῦμα γνώσεως καὶ εὐσεβείας· πνεῦμα φόβου Θεοῦ. οὗτος ἑπτὰ χαρίσεις τοῦ ἁγίου πνεύματος, τοὺς ἐπαναπαυσαμένους τῷ σώματι τῷ δεσποτικῷ, ἐκείνους σχηματίζει καὶ τύπῳ ἐπιτελύχνῳ. καὶ πάλιν ὁ αὐτὸς θεῖος Χρυσόστομος, ἐν τῷ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος λόγῳ, ὃ πάντα, φησί, τὰ χαρίσματα λαμβάνει τις, ἵνα μή τις τὴν χάριν φύσιν εἶναι νομίσῃ.

B Ἀλλὰ καὶ τοῦ ἁγίου μάρτυρος καὶ φιλοσόφου Ἰουστίνου γράφοντος, ὡς ἄρα τὸ Θεὸν ἔχοντος οὐσίαν μὲν πρὸς ὕπαρξιν, βούλησιν δὲ πρὸς ποίησιν, ὁ ἀπορρίπτων οὐσίας τε καὶ βουλῆς τὴν διαφορὰν, καὶ τὴν ὕπαρξιν ἀπορρίπτει τοῦ Θεοῦ καὶ τὴν ποίησιν· ὁ φανερῶς οἱ τῶν διαφορὰν ἀθετοῦντες, ὅτι καὶ τὸν Θεὸν ἀρνούμενοι, καὶ τὸ αὐτόματον δοξάζοντες δείκνυνται; κατὰ γὰρ τὸν ἐν Δαμάσκῳ θεῖον Ἰωάννην, ἐνέργεια ἐστὶ καὶ βούλησις, ὡς ἐν τῷ περὶ ἐνεργείας τεμαχοσῷ ἕκτῳ τῶν δογματικῶν κεφαλαίων διασαφεῖ. εἰπὼν γὰρ πρότερον περί τε ἄλλων, καὶ δὴ καὶ βουλήσεως ἀνθρωπίνης τε καὶ θείας, ἐπάγει εὐθὺς, ἐν τῇ ἀρχῇ τοῦ ἑφεξῆς κεφαλαίου, ἐπὶ λέξεως ἔπος· χρὴ γινώσκειν, ὡς πᾶσαι αἱ δυνάμεις αἱ προειρημέναι, αἵ τε γνωστικαὶ, αἵ τε ζωτικαὶ, καὶ φυσικαὶ, καὶ τεχνικαὶ, ἐνέργειαι λέγονται. ἐνέργεια γάρ ἐστιν, ἡ φυσικὴ ἑκάστης οὐσίας δύναμίς τε καὶ κίνησις, ἧς μόνον ἐστέρηται τὸ μὴ ὄν.

Τούτων τοίνυν οὕτω σαφῶς διδαχθέντων, καὶ τῆς διαφορᾶς μάλα σαφῶς, καὶ ὡς οὐκ ἄλλως ἐνοῦ, ἀποδεδειγμένης, οὐκ ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις κατὰ τὸν θεσπέσιον Παῦλον, ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου, τοῖς D τῶν πατέρων δήπου θεολογίαις, ἔδει τοὺς ἐν ὁπωσοῦν, ἔφη ἡ θεία σύνοδος περὶ τούτου διαφέρεσθαι πειραθέντας, νῦν γοῦν, εἰ καὶ μὴ πρότερον, τοῦ τῆς φιλονεικίας νόσον, τὰς ἑαυτῶν διανοίας εὐσεβῶς ἐξελήλακέναι, καὶ τοῖς κοινοῖς ἡμῶν καθηγεμόσι καὶ διδασκάλοις τὰς εὐσεβείας, μάλα προθύμως ἐθελῆσαι πειθαρχεῖν, σάλπιγγος ἅπερ σημαίνει διαφορᾶς θείας οὐσίας καὶ θείας ἐνεργείας μόνον οὐχὶ λαμπροτέρας φωνὰς ἀφιεῖσι· καὶ μηδέν τι πλέον μηδόλως ἐπιχειρεῖν αὐτοῖς ἀντιβαίνειν, καὶ πειρᾶσθαι πολυπραγμονεῖν περαιτέρω, τίς ἡ ἐνέργεια, καὶ ποπτὴ ἡ διαφορὰ, καὶ πῶς ἂν γένοιτο αὐτή.

E Οὐ γὰρ, ὡς ἔοικε, τοῦ Χρυσοστόμου πατρὸς ἀκηκόασιν, ἐν οἷς τὸ κατὰ Ἰωάννην θεῖον εὐαγγέλιον ἐξηγεῖται, διδάσκοντος, ἀνερμήνευτον καὶ ἀπερινόητον καὶ ὑπὲρ τὰς τῆς φύσεως νόμους τὴν θείαν ἐνέργειαν εἶναι. εἰ γὰρ τούτου, φησὶ, τοῦ πνεύματος, οὗ τίνα αἴσθησιν δέχῃ τῇ ἀκοῇ καὶ τῇ ἁφῇ ἑρμηνεύσαι οὐκ οἶδας, οὐδὲ ὁδὸν, πῶς τοῦ ἀπὸ τοῦ θείου πνεύματος ἐνέργειαν περιεργάζῃ, τὴν τοῦ ἀνέμου οὐκ ἐπισταμένος, καὶ τοι φωνὴν ἀκούων; τὸ δὲ, ὅπου θέλει πνεῖ, πρὸς παράστασιν τὴν τοῦ παρακλήτου

ANNO CHRISTI 1350.

κτήτα εἴρηται ἐξουσίας· εἰ γὰρ τοῦτο οὐδεὶς κα-
τέχει, ἀλλ' ὅσον θέλει φέρεται· πολλῷ μᾶλλον
τῷ τῦ πνεύματος ἐνέργειαν, ἣ φύσεως δυ-
νήσονται νόμοι κατισχεῖν, οὐχ ὅρια σωματικῆς
ἡνώσεως, οὐκ ἄλλο τῶν τοιούτων οὐδέν. οὐδέ γε
τῦ μεγάλου Βασιλείου Εὐνομίῳ ἀντιλέγοντος,
ὡς ἄρα εἰ μεμελοιμῶν ἅπαντα τῇ καταλήψει με-
τρεῖν, καὶ τὸ τοῖς λογισμοῖς ἀπερείληπτον, μηδὲ
εἶναι τὸ παρ' ἡμῶν ὑπολαμβάνειν, οἰχήσεται
μὲν ὁ τῆς πίστεως, οἰχήσεται δὲ ὁ τῆς ἐλπίδος
μισθός. πῶς δ' ἂν ἔτι τῶν μακαρισμῶν
ἄξιοι, τὰ ἐπὶ τῇ πίστει τὴν ἀόρατον ἐπιχειρούντες,
οἱ μόνοις τοῖς κατὰ λογισμὸν ἐναργέσι πει-
θόμενοι; πόθεν ἐμαρτυρήθησαν τὸ ἔθνη, καὶ
ἐσκοτίσθη ἀσυνέτος αὐτῶν καρδία; οὐκ ἐπει-
δὴ τοῖς τῷ λογισμῷ φαινομένοις ἀκολουθοῦντες,
τῷ κηρύγματι τῦ πνεύματος ἀπειθοῦσι; τίνας
δὲ Ἡσαΐας ἀπολωλότας ὁρᾶται; οὐ καὶ εἰ σο-
φοὶ παρ' ἑαυτοῖς καὶ ἐνώπιον αὐτῷ ἐπιστήμονες;
οὐ τοῦτοι;

Ταῦτα ἐρῶ αὐτοὺς τῶν ἁγίων θεολογου-
μένων ἀκοῦειν, καὶ γ' ἀθόλως ἀσμένως ὑπακοῦειν, ὡς
ἡδεῖά τι τοῖς προσεχεῖν, καὶ ἀβασανίστως
τοῖς τῶν διαφορῶν σημαινούσαις θείαις φωναῖς
αὐτῷ ὑποπεπτωκέναι, ἀστεῖα σιωπῇ πύ-
κνην εἰργοντάς τε καὶ δεχομένους· τὸ δ' ὅ-
πως, ἢ μηδαμῶ, ἢ μὴ ἐπ' ἀναιρέσει τῶν διαφο-
ρῶν προσιθέντας, εἴπερ ἄρα τοῖς καὶ ἐπω-
σοῦν εἰς ἀσεβεῖς τελεῖν δοκοῦσιν, ἑαυτοὺς συγ-
κατιλέγειν ἠξίουν. ἐπεὶ δὲ εἰς τοσοῦτον ὕβρεως
καὶ ἀναιδείας, μᾶλλον δὲ παραπληξίας ἀφίκοντο,
ὡς καὶ κατ' αὐτῷ μανῆναι τῷ τε ἁγίων καὶ
οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ πάντων ὡς εἰπεῖν τῷ
ἱερῶν θεολόγων, καὶ τολμᾶν εἰς ἀθύνας ἤδη καὶ
τοῦτο ἄγειν· καὶ τὸν ζῆλον φέρ, τὰ Ἑλληνικῶν
ἔτι καὶ σωφρόνων αὐτοῖς δογμάτων ἀπόζειν·
τοὺς δ' ἀμαθίας γραφεῖσθαι πλείστης, ὅλιν καὶ
πιῦπα συνόδου ὄντας· εἰκῆ δ' ὑπ' ἀνάγκης εἰς
τοιαῦτα θεολογίαν ἐξῆχθαι· καὶ τοι μαρτυρεῖν
θάνατον προθύμως ὑπὲρ αὐτῆς ἑλομένους, ἄλλως
δ' ἐγκωμιάζοντας οὐκ ἀληθεύοντας τοῦπα γρά-
ψαι. πῶς ἂν τις ἐν μέρει λέγειν τοῖς αὐτῷ
ἀνάχοιτο βλασφημίας; φέρε καὶ ἡμεῖς, διὰ
τὸ μὴ καταδέχεσθαι τὰ φιλοχείσων τὰ ἀκολοῦ,
ὡς τοῦ τις ἔφη τὰ παρ' αὐτοῖς ἀθετουμένων πα-
τέρων, ὅ, τι ποτε περὶ θεῖα δόγματος ἐρρη-
ται τοῖς ἁγίοις, μὴ σφόδρα ἀληθείας καὶ θεο-
λογικῆς ἀκριβείας ἐξηρτημένον, τῷ παρ' αὐτῷ
κατεσκευασμένῳ Θεῷ θαρρήσαντες, περὶ τῆς ἑνώ-
σεως ἔστω θείας οὐσίας καὶ ἐνεργείας βραχέα
ἅττα πειραθῶμεν διεξιέναι· οὐκ οἰκοθεν λο-
γισμοὺς ἐφελκύσειν ἐπιχειροῦντες, εἰς σωφρο-
νεῖαν τινὰ τὰ ὑπ' αὐτῷ ἀσεβῶς πάλαι τε θεο-
λογηθέντων· ἀλλ' ὅν περ ἀπαντῶν τηρεῖν ἐσπου-
δάκαμεν νόμον, τὸ τὰ ἐκκλησίας διὰ τὰ τῆς
διδασκάλων πιστεῦσαι, καὶ μηδαμῶ παρ' ἑαυτῶν
προσιθέναι ἢ ἀφαιρεῖν τῷ τούτοις δογματιθέν-
των· τούτῳ δὲ κεχρημένοι κάνταῦθα, τὰ θείων
ἐνέργειαν ἐκ τῆς θείας οὐσίας εἶναι διαρρήδην
τὰ ἁγίων βοώντων ἀκηκοότες· οὐχ ὡς τὸ πάν
ἐκ τῦ Θεῦ, καὶ τοῦτον εἶναι νομίζομεν, καθά-
περ τοῖς διαφερομένοις σὺν πολλοῖς ἑτέροις ἀ-
θέοις καὶ τοῦτο δοκεῖ. τὸ μὲν γὰρ ἐκ τῦ Θεῦ,

A magis operationem Spiritus non naturæ poterunt leges cohibere, non finem corporeæ nativitatis, non aliud quidquam hujusmodi. Sed neque magnum Basilium audierunt, ubi Eunomium refellit, de Deo dicens: *Quod si debemus omnia comprehensione metiri, & quod rationibus assequi non potuerimus, id omnino non esse arbitremur, periit fidei, periit spei merces. Quomodo autem digni beatitudinum erimus, quæ sunt repositæ iis, qui invisibilia credunt, si illa duntaxat credimus quæ sunt evidentia ratiocinationibus mentis? Unde gentes evanuerunt, & obscuratum est insipiens cor eorum? nonne quod ea sequentes quæ sunt rationi manifesta, prædicationi spiritus fidem non habent? Quos porro pereuntes luget Isaias? Nonne eos qui sunt*

B *apud semetipsos sapientes, & in oculis suis periti? Nonne eos qui ejusmodi sunt?*

Hæc istos oportuit audire ex sanctis, qui de rebus divinis egerunt, & statim libenter iis morem gerere, suavissime iisdem adhærere, & absque examine divinis vocibus, quæ distinctionem significant, semetipsos submittere, religioso silentio amplectentes eam ac suscipientes; nec Quomodo aut omnino, aut ad abolendam

C distinctionem usquam addentes, siquidem vellent inter eos connumerari, qui quomodocumque videntur inter pios censeri. Quandoquidem vero eo improbitatis & impudentiæ, seu stuporis potius processerunt, ut & adversus ipsas insaniant sanctas & œcumenicas synodos, omnesque, ut ita dicam, sacros Theologos; jamque & ipsos reos peragere audeant; alios quidem dicere, heu! Græcanica eisque cognata dogmata redolere; alios summæ imperitiæ acculare, idque quamvis synodum totam efficiant; quosdam etiam ex necessitate ad hanc de Deo opinionem pertractos, quamvis martyrii mortem alacriter pro ipsa obierint; alios encomiastice, non autem vere hæc scripsisse. Quo pacto quis

D velit eorum singulatim referre blasphemias? Age nunc, quoniam dici non ferant aures hominum Christi amantium, ut alicubi quidam Patrum ait, ex eorum numero, quos isti aspernantur, aliquando quidpiam de divino dogmate prolatum a sanctis esse, non cum veritate & Theologiæ accurata discussione connexum: nos Deo confisi, quem illi prædicaverunt, de modo unionis & differentiæ divinæ essentiæ & operationis pauca quædam tentemus enarrare: non proprio ingenio conati adinvenire ratiocinationes, ad defensionem aliquam eorum quæ olim ipsi pie de Deo prodiderunt; sed ut quam legem ubique servare studuimus, ut iis quæ sunt Ecclesiæ per Ecclesiæ magistros fidem adstruamus, neque usquam ex nobis vel adjiciamus

E aliquid, vel detrahamus his quæ illi dogmata tradiderunt; ea hic quoque lege utentes, divinam operationem ex divina essentia esse manifeste sanctos clamantes audiamus. Non quod ut omnia ex Deo, sic ipsam esse existimemus; quemadmodum his, qui a nobis dissident, præter alia multa absurda, etiam istud videtur. Nam ex Deo esse, etiam de rebus creatis dictum est: ex essentia autem Dei esse, de nulla dictum est rerum creatarum; immo vero maxime a sanctis omnino prohibitum est dici.

Ma-

ANNO CHRISTI 1350.

Magnu enim Basilius, *Quod efficitur*, inquit, *ex facientis essentia non est*. Et divinus Damascenus; *Creatura, etiamsi postea facta est, at non ex essentia Dei*. Et iterum: *Creatura & factura, eo quod extrinsecum & non ex substantia creantis & facientis sit quod creatur & fit, prorsus dissimile est*. Verum neque ut extra divinam essentiam ipsam operationem ex divina essentia arbitramur esse; quemadmodum & hac in parte alicubi delirare, non tam impie, quam impetite adversariis contigit: ne vero quisquam sic a mente discedat: sed cum substantialem ac naturalem ipsam esse, cum sit Dei motio, a Theologis didicerimus; velut ex fonte perenni divinæ essentiæ dicimus procedere eam & scaturire, nec absque ea ullo modo posse cognosci: sed indivisam ab ipsa semper permanere, ab æterno divinæ essentiæ coexsistere, ei inseparabiliter unitam esse, neque sæculo neque aliquo temporis vel loci intervallo posse a divina essentia dirimi: sed sine tempore & ante sæcula ex ipsa prodire, & eidem sic inhærere, ut divelli non possit. Nam magnus Athanasius, *Cum autem*, inquit, *omnia efficiantur a Deo per Christum in sancto Spiritu, inseparabilem animadverto operationem Patris & Filii & Spiritus sancti*. Sanctus quoque ac divinus Anastasius, cujus meminit sancta œcumenica synodus, quæ & Magnum ipsum nuncupavit, in secunda sua oratione de Incircumscripto: *Videamus*, inquit, *quanam dicere de Deo audeant hæretici, Operatione*, inquiunt, *in omnibus est Deus, essentia vero nequaquam: operationem scilicet appellantes prodeuntem ex operatione effectum. At dixerim ego a Dei natura separari non posse operationem ejus*. Et post nonnulla: *Ubi operatio apparet, ibi cum ea cognoscitur & essentia, ex qua procedit. Utrumque enim incircumscriptum est, atque idcirco omnino sunt invicem inseparabilia. Prædicat enim operatio latentem essentiam: intelligitur autem simul adesse cum operatione, neque esse posse sine ipsa*. Ac rursum: *Circa universum est operatio: ab ea autem inseparabilis essentia est*.

At vero quemadmodum unionem divinam & sempiternam, non solum ob inseparabilitatem, sed tum ob alia multa, tum ob communem rationem increati & incircumscripti, secundum Theologiam sanctorum prædicamus; ita & distinctionem secundum eosdem rursum Deo convenientem & ipsam novimus celebrare: non in omnimodam separationem aut divisionem hinc ea pertrahentes: neque aliquam intimam distinctionem hanc esse & naturalem diremptionem cogitantes, aut ea separantes invicem intervallis; absit: sed qualem suscipere causas naturales & effectus a sanctis didicimus, sola cogitatione, ut Deum decet, distinguentes ea quæ sunt naturaliter unita & indivisa. Nam magnus Athanasius, in quinta sua oratione contra Aria-

A χάτι τῆς κτισμάτων εἴρηται· τὸ δὲ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ, ἐπ' ἀδιόνος εἴνηται ποτε τῆς ποιημάτων. μάλιστα μὲν οὖν καὶ ἀπείρηται παντελῶς τοῦτό γε τοῖς ἁγίοις.

Ο, τε γὰρ μέγας Βασίλειος, τὸ ποιούμενον, φησὶν οὐκ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ ποιοῦντος ἐστί. καὶ ὁ θεῖος Δαμασκηνὸς ἡ κτίσις, εἰ καὶ μετὰ ταῦτα γέγονεν, ἀλλ' οὐκ ἐκ τῆς τοῦ Θεοῦ οὐσίας. καὶ πάλιν· κτίσις δὲ καὶ ποίησις, τῷ ἔξωθεν, καὶ οὐκ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ κτίζοντος καὶ ποιοῦντος γενέσθαι, τὸ κτιζόμενον καὶ ποιούμενον, ἀνόμοιον παντελῶς. ἡ μὴν ἀλλ' οὐδ' ὡς ἔξωθεν θείας οὐσίας κινήσεις ἐκ τῆς θείας οὐσίας ὑπειληφαμεν εἶναι, ὥσπερ καὶ B τοῦτο ληρεῖν τισιν ἀτεβῶς ὅσον ἁμαρτάνει, τοῖς δ' ἐναντίας ἐπῆλθεν· μήποτε τις οὐ τῷ φρενῶν ἐκστῇ, ἀλλ' οὐσιώδη καὶ φυσικὴν τινὰ λέγω τοῦ Θεοῦ κίνησιν οὖσαν κατὰ τοὺς θεολόγους εἰδότες ὡς ἐκ πηγῆς ἀεννάου τῆς θείας οὐσίας προέρχεσθαί τε καὶ πηγάζειν, καὶ πάντως χωρὶς οὐδέποτε θεωρεῖσθαι· ἀλλ' ἀδιαίρετον αὐτῆς ἀεὶ διαμένειν, ἐξ ἀϊδίου τε τῇ θείᾳ συνυπάρχειν οὐσίᾳ, καὶ ἀχωρίστως συνῆνῶθαι εἶναι, μήτ' αἰῶνι μήτε χρονικῷ ἢ τοπικῷ τινι διαστήματι τῆς θείας οὐσίας διαιρεῖσθαί ποτε δυναμένῳ· ἀλλ' ἀχρόνως καὶ προαιωνίως ἐξ αὐτῆς τε προιοῦσαν, καὶ ἀδιασπάστως αὐτῇ συνοῦσαν. ὁ γὰρ C μέγας Αθανάσιος, ὅτιν δέ, φησί, τὰ παντα ἐνεργεῖται ὑπὸ τοῦ Θεοῦ διὰ Χριστοῦ ἐν ἁγίῳ πνεύματι, ἀχώριστον ὁρῶ ἐνέργειαν τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. καὶ ὁ ἐν ἁγίοις θεῖος Ἀνάστασιος, ὃν καὶ ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος μεμνημένη, μέγαν τοῦτον προσείρηκεν, ἐν τῷ περὶ ἀπεγράπτου αὐτοῦ δευτέρῳ λόγῳ, ἔδωμεν, φησίν, οἷα λέγειν περὶ Θεοῦ ἀνέχονται οἱ αἱρετικοί· τῇ ἐνεργείᾳ, φησίν, ἐν πᾶσιν ἐστὶν ὁ Θεός, τῇ οὐσίᾳ δὲ οὐδαμῶς· ἐνέργειαν λέγοντες τὸ προϊὸν ἐκ τῆς ἐνεργείας ἀποτέλεσμα. φαίμι δ' ἂν ἔγωγε, τῆς τοῦ D Θεοῦ φύσεως ἀχώριστον εἶναι τὴν ἐνέργειαν αὐτοῦ. καὶ μετά τινα· ὅθεν ἂν ἡ ἐνέργεια φανῇ, συνθεωρεῖται τούτῳ καὶ ἡ οὐσία, ἐξ οὗ προέρχεται. ἑκάτερον γὰρ ἀπερίγραπτον, καὶ διὰ τοῦτο παντελῶς ἀλλήλων ἐστὶν ἀχώριστα. κηρύττει μὲν γὰρ ἡ ἐνέργεια τὴν λανθάνουσαν οὐσίαν· θεωρεῖται δὲ συμπαροῦσα τῇ ἐνεργείᾳ, χωρὶς αὐτῆς εἶναι μὴ δυναμένη. καὶ αὖθις, περὶ τὸ πᾶν ἐστὶν ἡ ἐνέργεια, ταύτης δὲ ἀχώριστος ἡ οὐσία κατέστηκε.

Ἀλλὰ μὴν ὥσπερ τὴν ἕνωσιν θείαν καὶ ἀΐδιον, οὐ μόνῳ τῷ ἀχωρίστῳ, ἀλλ' ἄλλοις τε πολλοῖς, καὶ δὴ καὶ τῇ κοινότητι τοῦ ἀκτίστου καὶ E ἀπεριγράπτου κατὰ τὴν τῶν ἁγίων θεολογίαν κηρύττομεν, οὕτω καὶ τὴν διαφορὰν κατ' αὐτοὺς πάλιν θεοπρεπῆ, καὶ ταύτην δοξάζειν ἐγνώκαμεν, οὐκ εἰς παντελῆ διασπασμὸν ἐντάττοντες αὐτὴν καὶ διαίρεσιν καταστήσαντες· οὐδέ τινα ἔμφυλον τὴν διαφορὰν ταύτην καὶ φυσικὴν ἀλλοβίωσιν ἐννοοῦντες, ἢ διαστήμασι χωρίζοντες ἀλλήλων ταύτας, ἄπαγε· ἀλλ' οἵαν ἐπιδέχεσθαι τὰ κατὰ φύσιν εἴληφα καὶ αἰτιατὰ μεμνήμεθα παρὰ τῶν ἁγίων, μόνῳ τῷ λογισμῷ θεοπρεπῶς διακρίνοντες τὰ φύσει συνῆνῶμένα καὶ ἀδιαίρετα. Αθα-

ANNO CHRISTI 1350.

νάσιος

ANNO CHRISTI 1350.

νασι· γὰρ ὁ μέγας, ἐν τῷ κατὰ Ἀρειανῶν πέμπτῳ λόγῳ αὐτῷ, ἄλλο φησὶν εἶναι τὸ ἐκ τινος καὶ ἄλλο τὸ ἐξ οὗ ἐστι. κατὰ τοῦτο ἄρα δύο. εἰ δὲ μὴ δύο εἴη, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ λέγοιτο, ἔσται τὸ αὐτὸ αἴτιον, καὶ αἰ τικτὸν, γεννῶν καὶ γεννώμενον, ὅπερ ἄτοπον ἐπὶ Σαβελλίου δέδεικται. ἐκεῖν Ϛ τὴν ἐνέργειαν ἐκ τῆς οὐσίας εἶναι, κἀκεῖθεν διενεγκεῖν ἀλλήλων, ἐναργῶς ἀνεφήνε, κατὰ τὸ ἐξ οὗ καὶ ἐκ τινος, τὸ αἴτιον δηλαδὴ καὶ τὸ αἰτιατὸν, ὡς ὁ πολὺς ἐν τοῖς θεία διδάσκει θεολογῶν. καὶ μετά τινα· ἴσως δὲ φησι, παράδειγμα ἀνθρώπινον· τὸ πῦρ, καὶ τὸ ἐξ αὐτοῦ ἀπαύγασμα· δύο μὲν τῷ εἶναι καὶ ὁρᾶσθαι· ἓν δὲ, τῷ ἐξ αὐτοῦ καὶ ἀδιαίρετον εἶναι τὸ ἀπαύγασμα αὐτοῦ. ὥσπερ τοίνυν ἐπὶ τοῦ πυρὸς καὶ τοῦ ἐξ αὐτοῦ φωτὸς τοῦ μὲν φύσεως καὶ αἰτίου ὄντος, τοῦ δὲ φυσικοῦ καὶ αἰτιατοῦ· τὸ, τε εὖ διὰ τὸ ἀχώριστον, καὶ τὸ διάφορον αὖθις διὰ τὸ αἴτιον καὶ αἰτιατὸν εἴρηκεν· οὕτω κἀπὶ τῆς θείας φύσεως καὶ τῆς ἐξ αὐτῆς ἐνεργείας, τὸ εὖ καὶ τὸ διάφορον ἡμῖν ἐκλεπτέον· τὸ μὲν, κατὰ τὸ ἡνωμένον καὶ ἀδιαίρετον· τὸ δὲ, κατὰ τὸ αἴτιον, καὶ τὸ ἐξ αὐτοῦ δὴ τοῦ αἰτίου. οὔτε γὰρ τὸ ἓν τῇ διαφορᾷ ἀπελαύνει, ὅτι μὴ ὅλως ἡ διαφορὰ τὸ ἓν ἀναιρεῖ· ἀλλ' ἑκάτερον κατὰ τοὺς ἁγίους εὐσεβῶς θεωρούμενον, οὐδ' ὅτιοῦν παρὰ θατέρου ὑποσῆναι διωνήσεται.

Αλλὰ καὶ ὁ Νύσσης Γρηγόριος τῷ ἐν τοῖς αἰτίοις τούτοις καὶ αἰτιατοῖς διαφορὰν καὶ μάλα εἰδὼς ἀληθείας ἐξεχομένῳ, καὶ μηδ' ὁπωσοῦν τῷ κατὰ τῷ φύσιν διαφόρῳ λυμαινομένῳ, Αβλαβίῳ γράφων, τὸ ἀπαράλλακτον, ἔφη, τῆς φύσεως ὁμολογοῦντες, καὶ τῷ κατὰ τὸ αἴτιον καὶ αἰτιατὸν διαφορὰν οὐκ ἀρνούμεθα, ἐν ᾧ μόνῳ διακρίνεσθαι τὸ ἕτερον ἐκ τοῦ ἑτέρου καταλαμβανόμεθα, ἐν τῷ τὸ μὲν αἴτιον πιστεύειν εἶναι, τὸ δ' ἐκ τοῦ αἰτίου. ὁ δέ γε ἀδελφὸς αὐτοῦ καὶ μέγας ὄντως Βασίλειος, τοσαύτην φαίνεται ἀπαξαπλῶς τοῖς αἰτίοις τούτοις καὶ αἰτιατοῖς τῷ διαφορὰν παρεχῶν, ὡς καὶ τάξιν ἐκ φυσικῆς ἀκολουθίας ἐπ' αὐτῆς δογματίζειν, καὶ τὸ πρότερον καὶ τὸ δεύτερον ἐπί τε αἰτίου καὶ αἰτιατοῦ λέγειν, οὐτωσὶ διαρρήδην, ὡς καὶ τῷ ἀπέπων καὶ παραλόγων εἶναι νομίζειν, τὸ μὴ ὁμολογεῖν, ἀλλ' ἀρνεῖσθαι ταῦτα πειρᾶσθαι. καὶ ἡ μὴ συνιδεῖν τῷ διαφορὰν τὸν Εὐνόμιον ταύτῳ ἔφη, ἢ καὶ ἀπεκρύψαθαι ταύτῳ ἐκόντα, γράφων, ἐκεῖνο δὲ ἢ οὐ συνῆδεν ὁ Εὐνόμιος, ἢ ἑκὼν ἀπεκρύψατο· ὅτι ἔστι τι τάξεως εἶδος, οὐκ ἐκ τῆς παρ' ἡμῖν θεωρίας συνιστάμενον, ἀλλ' αὐτῇ τῇ κατὰ φύσιν ἀκολουθίᾳ συμβαίνον, ὡς τῷ πυραὶ πρὸς τὸ φῶς ἐστι τὸ ἐξ αὐτοῦ. ἐν τούτοις γὰρ πρότερον τὸ αἴτιον λέγομεν· δεύτερον δὲ, τὸ ἀπ' αὐτοῦ. οὐ διαστήματι χωρίζοντες ἀλλήλων ταῦτα, ἀλλὰ τῷ λογισμῷ τοῦ αἰτιατοῦ προεπινοοῦντες τὸ αἴτιον. πῶς ἂν ἄλογον ἀρνεῖσθαι τῷ τάξιν, ἐφ' ὧν ἐστι πρῶτον καὶ δεύτερον, οὐ κατὰ τὴν ἡμετέραν θέσιν, ἀλλ' ἐκ τῆς κατὰ φύσιν αὐτοῖς ὑπαρχούσης ἀκολουθίας;

Παρεστι τοίνυν ἅπασιν ἀκριβῶς συνιδεῖν ἐκ τούτων, τοῖς καὶ ὁπωσοῦν λογίζεσθαι δυναμένοις, ὅπως τὸν ἴσον ζῆλον ἀληθείας ὁμοῦ καὶ δι-

A nos, *aliud* dicit *esse id quod ex aliquo est, aliud illud ex quo est. Sic sunt igitur duo. Si vero non duo fuerint, sed de eodem istud dicatur, erit idem causa & causatum, gignens & genitum; quod esse absurdum in Sabellio ostensum est.* Igitur & operationem ex essentia esse, & duo esse, & hinc inter se distingui, liquido demonstravit, secundum quod aliud est ex quo, aliud quod ex aliquo, causa videlicet & causatum, ut ille in divinis rebus exercitatissimus de Deo docet. Et post nonnulla: *Esto*, inquit, *exemplum humanis accommodatum ingeniis: Ignis, & qui exsistit ex ipsa splendor, duo quidem sunt & conspiciuntur esse: & unum tamen, eo quod ex ipso inseparabilis est ipsius splendor.* Quemadmodum igitur in igne & in

B luce ejus, cum sit ille natura & causa, ista naturalis & causata; hæc esse unum propter inseparabilitatem, & differre rursum propter rationem causæ & causati dixit: sic & in divina natura & quæ ex ipsa est, operatione, unum & distinctum nobis accipiendum est: illud quidem, propter unionem & inseparabilitatem: istud, propter causam & quod ex ipsa causa. Neque enim quod unum est distinctionem expellit, neque omnino distinctio unum evertit: sed utrumque si secundum sanctos pie intelligitur, sine altero non poterit ulla ratione subsistere.

C Sed & Gregorius Nyssenus, cum inter has causas & causata distinctionem apprime nosset veritati consentaneam esse, nec vel minimum naturali distinctioni officere; cum ad Ablavium scriberet, *Naturam*, inquit, *immutabilem confitentes, neque distinctionem causæ & causati negamus: quatenus dumtaxat differre alterum ab altero concepimus, eoquod illud quidem causam esse credimus, istud autem ex causa.* Ejus vero frater & magnus idem revera Basilius, tantum videtur omnino causis istis & causatis distinctionem tribuere, ut & ordinem ex naturali consecutione in ea constituat; & prius ac posterius de

D causa & causato dicat; adeo aperte, ut inter absurda & rationi contraria esse existimet, non ea confiteri, sed vel audere negare: atque Eunomium dicit vel hanc distinctionem non intelligere, aut illam dedita opera occultasse; ita scribens: *Illud vero aut non intellexit Eunomius, aut de industria celavit, esse quoddam ordinis genus, non ex nostra intelligentia confictum, sed ipsa naturali consecutione contingens, quemadmodum ad ignem se habet lux quæ ex ipso est: in his enim prius vocamus, quod causa est: posterius, quod ex ipsa est: non intervallis sejungentes ista invicem; sed ratiocinatione prius causato causam cogitantes. Quomodo igitur consentaneum rationi sit ordinem negare, ubi prius & posterius*

E *est, non quia sic rem esse ponimus, sed ex naturali quæ rebus inest consecutione?*

In promptu igitur omnibus est certo ex his perspicere, qui quidem vel minimum ratiocinari valent, quemadmodum par sancto cura veritatis

ANNO CHRISTI 1350.

tatis fuerit ac pietatis. Nam hoc quidem verbo, *Non ex nostra cogitatione intelligentia, sed ipsa naturali consecutione contingens*; ex inevitabili plurimaque & naturali necessitate, & perspicua veritate ostendit esse distinctionem in illo ordine, causatorum scilicet & causarum: nec posse eam aliter se habere, sed in illis semper ipsam necessario intelligi. Quod vero non intervallo, sed ratiocinatione separari ista subjecit, & distinctionem prioris ac posterioris sola mente intelligi; videtur utique unionis rationem pie communiisse, nullum ei ex tali distinctione afferens damnum; sed ipsam quidem unionem inconfusam esse theologice docens, & distinctionem prorsus tradens indivisam.

Rursum igitur cum Eunomius talem distinctionem destruere conaretur magnus hic: *Quomodo*, inquit, *nullam distinctionem relinquis, neque eam quæ causis inest ad ea quæ ex ipsis sunt?* Sic nullam distinctionem esse arbitrari inter causas & causata, fœtus est evidens Arii Eunomiique insaniæ. Illi enim consubstantiale tollere modis omnibus conati, cum audirent in Evangelio dixisse Dominum, Patrem quam se majorem esse; inde continuo & naturarum distinctionem inducere impie ausi sunt: & cum eam quæ interest inter causam & causatum, scirent nullam omnino naturalem diremptionem aut divisionem inferre; sed & sic naturæ unionem indissolutam semper servare, omnino negaverunt. Adversus quos tres illi, pro Trinitate fortiter dimicantes, eo quod hæc illorum impietas esset, & magnum augustumque Trinitatis mysterium everteret, illud e nostra quam longissime possunt, Ecclesia abigunt.

Igitur jure optimo, qui hanc distinctionem nunc respuunt, deprehenduntur illorum pravæ opinionis esse participes: qui vero hanc diligere se & amplecti alacriter confitentur, ii sanctorum istorum pietatis ac Theologiæ, magis vero Christi partis perpetuo sunt: quippe qui unite secundum illos divina discernant, & discrete eadem uniant. Unum porro primumque & proprie quispiam dixerit istum esse divinæ essentiæ & operationis distinguendæ modum.

Differunt autem invicem, & eo quod divina quidem operatio participatur ac dividitur indivise, & appellatur, & cognoscitur aliquo modo, quamquam obscure, ex suis effectibus: essentia vero, imparticipabilis & indivisa & innominabilis est utpote quæ nomen omne scilicet, & omnem imi cogitationem superat.

Postea quæsivimus demonstrari ex sanctis, Utrum sit increata, inseparabilis quidem, distincta tamen a natura divina, hæc operatio; id quod contradicentes Ecclesiæ minime admittebant. Et demonstratum est istud etiam a sanctis fuisse manifeste prædicatum: quorum caput sancta & œcumenica sancta synodus; quemadmodum superius ex ipsius sententiis singulatim propositis valde potenter demonstratum est.

A εὐσεβείας ἐμέλησε τῷ ἁγίῳ. τῷ μὲν γὰρ, οὐκ ἐκ τῆς παρ' ἡμῶν θεωρίας συνίσταθαι φάναι, ἀλλ' αὐτῇ τῇ κατὰ φύσιν ἀκολουθίᾳ συμβαίνειν, ἐξ ἀφύκτου καὶ πολλῆς καὶ φυσικῆς ἀνάγκης καὶ λαμπρᾶς ἀληθείας ἐδείξε ὑσαν, τὴν δὲ τῇ τάξει ταύτῃ διαφορὰν τῶν αἰτιατῶν τε καὶ τῶν αἰτίων· καὶ ἄλλως ἔχειν μηδέποτε ἐγχωρῆσαν, ἀλλ' ἀεὶ τούτοις ἀναγκαίως αὐτὴν ὁρωμένην. τῷ δὲ μὴ διαστήματι, ἀλλὰ τῷ λογισμῷ χωρίζειν ταῦτα ἐπενεγκεῖν, καὶ τὴν ἐν τῷ προτέρῳ καὶ δευτέρῳ διαφορὰν μόνῳ τῷ νῷ θεωρεῖν, φαίνεται δήπου τὸ τῆς ἑνώσεως χρῆμα ἀσυγχύτως κατησφαλισμένον, B καὶ μηδεμίαν εἰς αὐτὴν ἐκ τῆς διακρίσεως βλάβην εἰσάγων· ἀλλ' αὐτήν τε τὴν ἕνωσιν ἀσύγχυτον εἶναι θεολογῶν, καὶ τὴν διαφορὰν ἀδιαίρετον πάντῃ διδάσκων.

Πάλιν τοίνυν Εὐνομίου τὴν τοιαύτην διαφορὰν ἀνελεῖν πειρωμένου, ὁ μέγας οὗτος, πῶς, φησὶν, οὐδεμίαν διαφορὰν καταλείπεις, οὐδὲ τὴν ἐν τοῖς αἰτίοις πρὸς τὰ ἐξ αὐτῶν ὑπαρχουσαν; οὕτω τὸ μηδεμίαν διαφορὰν εἶναι τῶν αἰτίων καὶ αἰτιατῶν εἶναι δοξάζειν, τῆς Ἀρείου καὶ Εὐνομίου μανίας προδήλος ἐστὶ τοῦτο. ἐκεῖνοι γὰρ τὸ ὁμοούσιον ἀναιρεῖν πᾶσι τρόποις ἐσπουδακότες, ἀκηκοότες ἐν εὐαγγελίοις τοῦ κυρίου τὸν πατέρα μείζονα ἑαυτοῦ εἰρηκότος, ἐντεῦθεν εὐθὺς, τὴν μὲν κατὰ φύσιν διαφορὰν δυσεβῶς παρεισάγειν ἐτόλμων· τὴν δὲ κατὰ τὸ αἴτιον καὶ αἰτιατὸν, ὡς μηδεμίαν μηδαμῶς φυσικὴν ἀλλοτριώσιν ἢ διαίρεσιν δυναμένην εἰσάγειν εἰδότες, ἀλλὰ καὶ οὕτω τὴν τῆς φύσεως ἕνωσιν ἀδιάλυτον ἀεὶ σωτηρήσαν, ἀπηρνοῦντο καθάπαξ· πρὸς οὓς οἱ τρεῖς οὗτοι, τὴν ὑπὲρ τὴν Τριάδος ἀνελόμενοι γυναικῶν ἀγῶνα, ὡς ἐκείνων τὴν δυσέβειαν τοιοῦτον ὄσαν, καὶ τὸ μέγα καὶ ὑπερφυὲς τῆς Τριάδος μυστήριον ἀναιρῶσαν, τὴν ὑμετέρας αὐτὸ ἐκκλησίας ἀπελαύνουσιν ὡς δυνατὸν πορρωτάτω.

Τοιγαροῦν εἰκότως οἱ μὲν τὴν διαφορὰν ταύτην ἀθετοῦντες νῦν, τῆς ἐκείνων κακοδοξίας ἀλίσκονται μετοχικότες· οἱ δὲ σέβειν τε καὶ ἀσπάζεσθαι προθύμως ὁμολογοῦντες, τῆς τῶν ἁγίων τῶν εὐσεβείας τε καὶ θεολογίας, μᾶλλον δὲ τοῦ Χριστοῦ μερίδος διατελοῦσιν ὄντες· λῶν μένως καθ' αὐτὰς τὰ θεῖα διακρίνοντες, καὶ διακεκριμένως ταῦτα ἑνοῦντες. ἓν μὲν δὴ καὶ πρῶτον καὶ κυρίως ἄν τις φαίη τῆς τε θείας οὐσίας καὶ ἐνεργείας διακρίσεως εἶδος.

Διαλυόμεθα δὲ ἀλλήλων, καὶ τῷ τὴν μὲν θείαν ἐνέργειαν μετέχεσθαι καὶ μερίζεσθαι ἀμερίστως, καὶ ὀνομάζεσθαι καὶ νοεῖσθαι καὶ πως, εἰ καὶ ἀμυδρῶς, ἐκ τῶν αὐτῆς ἀποτελεσμάτων· E τὴν γε μὴν οὐσίαν, ἀμέθεκτον καὶ ἀμέριστον καὶ ἀνώνυμον εἶναι, ὡς ὑπερώνυμον δηλονοτι καὶ ὑπερνόητον παντελῶς.

Μετὰ τοῦτο ἐζητήσαμεν, ἀποδεικνυθῆναι παρὰ τῶν ἁγίων, εἰ ἔστιν ἄκτιστος ἡ ἀχώριστος μὲν, διαφέρουσα δὲ τῆς θείας φύσεως αὕτη ἐνέργεια, ὅπερ οἱ ἀντιλέγοντες τῇ ἐκκλησίᾳ ἤκιστα ἐδέχοντο· καὶ ἀπεδείχθη καὶ τοῦτο ὑπὸ τῶν ἁγίων ἐναργῶς κηρυττόμενον· ὧν κεφάλαιον ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ ἕκτη σύνοδος καθὼς ἀνωτέρω διὰ τῶν κατὰ μέρος προτεθεν-

L

ANNO CHRISTI 1350.

ANNO CHRISTI 1350.

τῶν αὐτῆς ῥητῶν, μάλιστα ἱκανῶς ἀποδέδεικται. A

Συμπεδείδη δὲ καὶ τοῦτο, ὅτι οἱ μὴ δεχόμενοι ἄκτιστον τὴν ἀχώριστον μὲν φυσικὴν τῆς θείας οὐσίας ἐνέργειαν, διαφέρουσαν δὲ αὐτῆς, ὥσπερ εἰρηται, κτίσμα τε ποιοῦσι καὶ αὐτὴν τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ. κατὰ γὰρ τὸν ἅγιον Μάξιμον, ἀπὸ τῆς ἐνεργείας ἡ ἑκάστου φύσις χαρακτηρίζεται τὸν μὲν ἄκτιστον ἐνεργείας ἄκτητον δεικνυσα φύσιν· κτιστὴν δὲ τῆς κτιστῆς. ἔτι τε κατὰ τὸν Δαμασκηνὸν θεῖον Ἰωάννην φάσκοντας, ἡ κτιστὴ ἐνέργεια, κτιστὴν δηλώσει καὶ φύσιν· ἡ δὲ ἄκτιστος, ἄκτιστον χαρακτηρίζει οὐσίαν. οἱ οὖν λέγοντες κτιστὴν τὴν θείαν ἐνέργειαν, ἀφ' ἧς ἡ θεία φύσις χαρακτηρίζεται, κτιστὴν ἐξ ἀνάγκης φανεροῦσι καὶ τὴν θείαν φύσιν.

Simul & istud ostensum est, eos qui non suscipiunt increatam & inseparabilem quidem & naturalem divinæ essentiæ operationem, ab ea tamen distinctam, ut dictum est, creatam efficere etiam ipsam Dei essentiam. Nam secundum sanctum Maximum, *Ab operatione uniuscujusque natura designatur; increata operatione*, inquit, *increatam denotante naturam, creatam vero creata*. Adhuc & secundum divinum Joannem Damascenum, dicentem: *Creata operatio creatam manifestabit & naturam: increata, increatam designat essentiam*. Qui igitur dicunt creatam divinam operationem, qua divina natura designatur, creatam necessario constituunt & divinam B naturam.

Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Μονοθελῆται εἰσί τινες ἐνίοτε ἐκείνων χείρους καὶ ἀποπάτορες· καὶ ἀποκαινίζειν δοξάζουσι εἶναι κτίσματα. ἐπεὶ γὰρ δύο φύσεις ὁμολογοῦμεν ἐπὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν μὲν ἄκτιστον, τὴν δὲ κτιστήν. οἱ μὴ λέγοντες ἔχειν τὴν θείαν φύσιν καὶ θέλημα καὶ ἐνέργειαν ἄκτιστον, τὸ θέλημα τε καὶ μίαν ἐνέργειαν δοξάζουσι Χριστοῦ, ὅπερ ἡ ἕκτη συνοδος ἀπεκήρυξε καὶ ἀνεθεμάτισε. κἀνθάδε Μονοθελῆται καὶ αὐτοὶ ἀναδεικνυνται· χείρους δὲ ἐκείνων πολλῷ, κἀκεῖνοι μὲν τὸ θέλημα καὶ μίαν ἐνέργειαν ἔλεγον ἐπὶ Χριστοῦ ἀλλὰ ἄκτιστον, τὴν κτιστὴν δηλονοτι ἀναιροῦντες· οὗτοι δὲ τὸ θέλημα καὶ μίαν ἐνέργειαν, ἀλλὰ κτιστὴν, τὴν φανερῶς μὴ δεχόμενοι.

Quin etiam Monotheletæ sunt, illis, qui aliquando fuerunt, pejores & absurdiores: quippe qui æterna existiment esse quæ sunt creata. Quandoquidem enim duas naturas confitemur in Domino nostro JESU Christo, increatam alteram, alteram vero creatam: qui negant divinam naturam habere volitionem operationemque increatam, unam volitionem unamque operationem prædicant in Christo: id quod sexta synodus damnavit & anathematizavit. Atque inde Monothidetæ & ipsi demonstrantur, illis C vero multo pejores; quod illi quidem unam voluntatem, unamque operationem dixere in Christo, sed increatam, creatam videlicet destruentes: hi vero unam voluntatem & unam operationem, sed creatam, aperte increatam non admittentes.

Ἀλλὰ καὶ τοῦ μεγάλου Βασιλείου ἐν τοῖς πρὸς Ἀμφιλόχιον γράφοντος, τὰ μὲν ὀνόματα τοῦ πνεύματος τοιαῦτα ὑπερφυῆ καὶ μεγάλα, θαυμαστὴν ἔχοντά τινα εἰς δόξαν ὑπερβολήν· αἱ δὲ ἐνέργειαι, τίνες; ἄρρητοι μὲν διὰ τὸ μέγεθος, ἀνεξαρίθμητοι δὲ διὰ τὸ πλῆθος· πῶς γὰρ νοήσομεν τὰ τῶν αἰώνων ἐπέκεινα; τίνες ἦσαν αὐτοῦ πρὸ τῆς νοητῆς κτίσεως αἱ ἐνέργειαι; οἱ λέγοντες κτιστὰς τὰς θείας ἐνεργείας, φανερῶς δοξάζουσιν εἶναι κτίσματα τῶν αἰώνων. ἐδείχθη δὲ καὶ τοῦτο, ὅτι ἄκτιστοι αἱ κοιναὶ καὶ φυσικαὶ τῆς τρισυποστάτου φύσεως θεῖαι ἐνέργειαι· οὐ διὰ δύο ἢ τριῶν μαρτυριῶν, ἀλλὰ διὰ πάσης τῆς θεοπνεύστου γραφῆς.

Sed & cum magnus Basilius in his quæ scribit ad Amphilochium dicat: *Nomina quidem Spiritus talia sunt, magnifica & magna, quæ tamen justam gloriæ mensuram non excedunt: operationes vero, quæ? ineffabiles quidem ob magnitudinem, innumeræ ob multitudinem. Quomodo enim cognoscemus ea quæ sunt ultra sæcula? Quæ fuere illius ante creaturam intellectivam operationes?* Qui creatas dicunt operationes divinas, D manifeste existimant esse creata ea, quæ sunt ultra sæcula. Demonstratum est autem & illud, increatas esse communes & naturales tripliciter subsistentis naturæ divinas operationes; non duobus vel tribus testimoniis, sed per omnem divinitus inspiratam scripturam.

Μετὰ τοῦτο ἐζητήσαμεν παρὰ τῶν ἁγίων, εἰ μηδεμίαν ἔχοι τις ἂν ἐπινοεῖν συνθεσιν ἐπὶ Θεοῦ διὰ τὴν τῆς θείας οὐσίας καὶ ἐνεργείας διαφοράν. καὶ τοῦτο γὰρ οἱ ἀντιλέγοντες ἰσχυρίζονται. ἀπεδείχθη οὖν παρὰ τῶν ἁγίων ἀπάντων κηρυττόμενον, ὡς οὐκ ἔστι σύνθεσιν τινὰ τοῦτο νομίζειν ἐπὶ Θεοῦ. ὁ γὰρ θεῖος Μάξιμος ἐν οἷς πρὸς Πύρρον διαλέγεται, φανερῶς τοῦτο δείκνυσιν μήτινα σύνθεσιν ἐκ τῆς ἐνεργείας γίνεσθαι. ὁρᾶς, λέγων τῷ Πύρρῳ, ὅτι ἐκ τοῦ πλανᾶσθαι, ἐκ τοῦ παντὴ ἀγνοῆσαι, ὅτι αἱ συνθέσεις τῆς ὑποστάσεως ὄντων, καὶ οὐ τῶν ἐν ἑτέρῳ θεωρουμένων εἰσίν· καὶ τοῦτο κοινὸν φρόνημα πάντων, καὶ τῶν ἔξω φιλοσόφων, καὶ τῆς ἐκκλησίας θεοσόφων μυσταγωγῶν. ἐν δὲ τῶν θελημάτων σύνθεσιν λέγετε, καὶ τῶν ἄλλων φυσικῶν σύνθεσιν λέγειν ἐκδιαθήσεσθε.

Posteà indagavimus ex libris sanctorum, An nullam quis possit excogitare compositionem in Deo, ob essentiæ divinæ distinctionem. Nam hoc quoque adversarii asseverant. Ostensum est igitur, ab omnibus sanctis fuisse prædicatum, non esse aliquam propterea compositionem existimandam in Deo. Nam divinus Maximus in dialogo cum Pyrrho, valde manifeste ostendit E nullam compositionem ex operatione oriri. *Vides*, inquit Pyrrhum alloquens, *inde vestrum errorem exsistere, quod omnino nescitis, compositiones earum esse rerum quæ subsistunt, non earum quæ in altero considerantur? Et hic communis sensus est omnium, tum externorum Philosophorum, tum magistrorum ecclesiæ in rebus divinis peritorum. Si vero voluntatum compositionem dicitis, aliorum quoque naturalium compositionem cogemini confiteri.*

Ἀλλὰ καὶ ὁ Νύσσης Γρηγόριος ἐν ἕκτῳ κε-

Sed & Gregorius Nyssenus in sexto capite supple-

ANNO CHRISTI 1350.

plementi in Hexaemeron, sic verbis totidem differit: *Si igitur in homine, quamvis diversa sint quæ præparata sunt a natura organa ad sensum; quæ tamen per omnia mens operatur ac movetur, & modo hoc, modo illo ad propositum utens, una eademque est, diversitate operationum haudquaquam simul immutans naturam; quomodo quis in Deo, ob varias virtutes multipartitam ipsius essentiam esse suspicabitur?*

Verum & istud quoque probatum est, Eos qui cum adversariis non suscipiunt distinctionem divinæ operationis, ac prorsus omnium quæ circa naturam & essentiam naturaliter considerantur, magis compositum facere Deum; Basilio magno manifeste dicente: *Si quidem ad essentiam referentes omnia divina nomina ei tribuamus, non solum compositum, sed etiam ex partibus dissimilibus constantem Deum exhibebimus, quoniam aliud & aliud unoquoque nomine significatur.* Et magno Gregorio Theologo scribente: *Aut & immortale & increatum & immutabile, essentia Dei erunt. Quod si ita est, multæ essentiæ Dei, & non una erit: vel compositus erit Deus ex istis. Neque enim sine compositione hæc erunt, si quidem essentiæ sunt.* Adhuc autem & divino Cyrillo: *Neque enim ingenitum essentia est, aut incorruptibile, aut immortale, aut invisibile. Nam si unumquodque horum essentiam significat, ex tot essentiis compositus est Deus, quod illis naturaliter inesse attributa videntur. Multæ enim sunt, quæ illi soli inesse constat, nulli autem omnium alteri.* Et divino Chrysostomo: *Spiritus gratiam scriptura interdum ignem, interdum vero aquam appellat; ostendens non esse hæc essentiæ nomina, sed operationis. Neque enim ex diversis essentiis Spiritus constituitur, cum sit invisibilis & simplex.* Et Nysseno adversus Eunomium dicente: *Quis duplicis naturæ Deum esse dicit, præter te, qui omnem nominis notionem cum Patris essentia permisces, & nihil extrinsecus esse dicis, sed unumquodque divinorum nominum ipsimet Dei essentiæ inseris?*

Postea quæsitum est, Num divina & increata operatio, deitas a sanctis appelletur: neque enim hoc illi, qui nunc contradicunt, receserunt. Et visum est etiam istud a Theologis prædicari. Statim enim magnus Basilius in libris adversus Eunomium, *Ipsumque*, inquit, *deitatis nomen, sive inspiciendi sive providendi vim significat, proprie habet ob res humanas.* Ac rursum idem in epistola ad Eustathium medicum: *Igitur*, inquit, *identitas operationis in Patre & Filio & Spiritu sancto, ostendit manifeste naturam nulla omnino ex parte dissimilem. Quamobrem tametsi naturam significat nomen deitatis, proprie etiam Spiritui sancto hanc appellationem convenire essentiæ communitas adstruit. Sed nescio quomodo ad naturæ demonstrationem referunt appellationem deitatis, qui omnia moliuntur.* Et post aliqua: *Ergo potestatis alicujus sive inspiciendi sive operandi demonstrationem infert ea appellatio. Divina autem natura quantalibet excogitentur nomina, qualis in se est inexplicabilis permanet, ut nostra quidem sententia fert: Cum beneficum autem & judicem,*

A φαλείῳ ἢ εἰς τὴν Ἑξαήμερον ἀναπληρώσεως, ὅπῃ πρὸς λέξιν δείξειεν. οἱ τούνυν ὁ τῷ ἀνθρώπῳ, κἂν διάφορα τυγχάνῃ τὰ πρὸς αἴσθησιν κατεσκευασμένα παρὰ τῆς φύσεως ὄργανα, διὰ πάντων ὁ νοῦς ἐνεργῶν καὶ κινούμενος, καὶ κατὰλλήλως ἑκάστῳ πρὸς τὸ προκείμενον, χρώμενος ὡς ἐστὶ ὁ αὐτός, ταῖς διαφοραῖς τῶν ἐνεργειῶν οὐ συνεξαλλάττων τὴν φύσιν· πῶς ἂν τις ἐπὶ Θεοῦ, διὰ τῶν ποικίλων δυνάμεων, πολυμερὲς τὴν αὐτοῦ οὐσίας καθυποστήσειε;

Ἀλλὰ καὶ τοῦτο συναποδείχθη, ὅτι οἱ κατὰ τοὺς ἀντιλέγοντος μὴ δεχόμενοι τὴν διαφορὰν τῆς θείας ἐνεργείας, καὶ ἁπλῶς πάντων τὴν περὶ B τὴν φύσιν καὶ οὐσίαν φυσικῶς θεωρουμένων, ἐκείνου συνθέτου μᾶλλον ποιοῦσι τὸν Θεόν, τὸν μεγάλου Βασιλείου φανερῶς λέγοντος· εἴπερ εἰς τὴν οὐσίαν φέροντες πάντα τὰ θεῖα ὀνόματα καταθήσομεν, οὐ μόνον σύνθετον, ἀλλὰ καὶ ἐξ ἀνομοιομερῶν συγκείμενον τὸν Θεὸν ἀποδείξομεν, διὰ τὸ καὶ ἄλλο καὶ ἄλλο ὑφ' ἑκάστου τῶν ὀνομάτων σημαίνεσθαι. καὶ τὸν μεγάλου Γρηγορίου τὸν θεολόγου γράφοντος· τὸ καὶ τὸ ἀθάνατον καὶ τὸ * ἄκτιστον καὶ τὸ ἀναλλοίωτον οὐσία Θεοῦ. ἀλλ' εἰ τοῦτο, πολλαὶ οὐσίαι Θεοῦ, καὶ οὐ μία· ἢ σύνθετον τὸν Θεὸν ἐκ τούτων. οὐ γὰρ ἀσύνθετος τούτῳ, εἴπερ οὐσία. ἔτι καὶ τοῦ θείου Κυρίλλου· C οὐ γὰρ οὐσία τὸ ἀγένητον, οὐδὲ τὸ ἄφθαρτον, οὐδὲ τὸ ἀθάνατον, οὐδὲ τὸ ἀόρατον. εἰ γὰρ ἕκαστον τούτων οὐσίαν σημαίνει, ἐκ τοσούτων σύγκειται ὁ Θεός, ὅσαπερ ἂν αὐτῷ φυσικῶς προσόντα φαίνηται. πολλὰ γάρ ἐστιν, ἃ μόνον μὲν αὐτῷ προσείεν, ἑτέρῳ δὲ τῷ οὐδενὶ τῶν ἁπάντων. καὶ τοῦ θείου Χρυσοστόμου· τὸ πνεῦμα τοῦ χάριν ἡ γραφὴ, ποτὲ μὲν πῦρ, ποτὲ δὲ ὕδωρ καλεῖ, δεικνῦσα ὅτι οὐκ οὐσίας τοῦτο ὄνομα, ἀλλ' ἐνεργείας· οὐ γὰρ ἐκ διαφόρων συνέστηκεν οὐσιῶν τὸ πνεῦμα. ἀόρατόν τε καὶ μονοειδὲς ὄν. καὶ τοῦ Νύσσης πρὸς Εὐνόμιον λέγοντος· τίς ὁ διφυᾶ τὸν Θεὸν εἶναι λέγων, D πλὴν σὺ τῆς πάσαν ὀνόματος ἔννοιαν, τῇ τοῦ πατρὸς οὐσίᾳ συμφυόντος, καὶ μηδὲν ἔξωθεν προσεῖναι λέγοντος, ἀλλ' ἕκαστον τὸν περὶ τῶν θείων ὀνομάτων τῇ τοῦ Θεοῦ οὐσίᾳ ἐγκεντρίζοντος;

Μετὰ τοῦτο ἐζητήθη, ὅτι ἡ θεία καὶ ἄκτιστος ἐνέργεια, θεότης παρὰ τῶν ἁγίων προσαγορεύεται, οὐδὲ γὰρ τοῦτο οἱ νῦν ἀντιλέγοντες παρεδέχοντο. καὶ ἀνεφάνη καὶ τοῦτο παρὰ τῶν θεολόγων κηρυττόμενον. αὐτίκα γὰρ ὁ μέγας Βασίλειος ἐν τοῖς κατ' Εὐνομίου, καὶ αὐτός φησι, τὸ τῆς θεότητος ὄνομα, εἴτε τὴν ἐποπτικὴν εἴτε τὴν προνοητικὴν ἐξουσίαν δηλοῖ, οἰκεῖον E ἔχει πρὸς τὸ ἀνθρώπινον. καὶ πάλιν αὐτός ἐν τῇ πρὸς Εὐσταθίου τὸν ἰατρὸν ἐπιστολῇ· ἀκόλουθον φησιν, ἡ τῆς ἐνεργείας ταυτότης ἐπὶ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος, δείκνυσι σαφῶς τὸ τῆς φύσεως ἀπαράλλακτον. ὥστε κἂν φύσιν σημαίνῃ τὸ τῆς θεότητος ὄνομα, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι τὴν προσηγορίαν προσαρμόζεσθαι ταύτην ἡ τῆς οὐσίας κοινότης συμβιβάζει. ἀλλ' οὐκ οἶδα ὅπως ἐπὶ τὴν τῆς φύσεως ἔνδειξιν τὴν προσηγορίαν τῆς θεότητος φέρουσιν, οἱ πάντα κατεσκευάζοντες. καὶ μετὰ ὀλίγα· οὐκ ἐξουσίας

ANNO CHRISTI 1350.

a) Forte, ἀκτίστου.

ANNO CHRISTI 1350.

τινὸς εἴτε ἐνεργητικῆς εἴτε συνεργητικῆς ἐνδείξει ἡ προσηγορία φέρει. ἡ δὲ θεία φύσις, ὡς πᾶσι τοῖς ἐπιστημόνως ὀνόμασι καθορᾶται μόνα ἀκριβῶς, ὡς ὁ ἡμέτερος λόγος. διεγείραν γὰρ τὴν κρίσιν, ἀγαθόν τε καὶ δίκαιον, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα μαθόντες, συνεργειῶν διαφορὰς ἐδιδάχθημεν. τοῦ δὲ συνεργοῦντος τὸν φύσιν, οὐδὲν μᾶλλον διὰ τῆς συνεργείας κατανοήσομεν, ἐπιγνῶναι δυνάμεθα. ὅταν γὰρ ἀποδιδῶσι λόγον ἐκείνου ἡ ὀνόματος, καὶ αὐτῆς τῆς φύσεως περὶ ἑνὸς τινὸς ὀνόματος, ἢ τὸν αὐτὸν ἀμφοτέρων ἀποδώσει λόγον. ὧν δὲ ὁ λόγος ἕτερος, τούτων καὶ ἡ φύσις διάφορος. κἂν ἄλλο μὲν ἐστὶν οὐσία, ἧς ἔτι λόγος μαρτυρῆς ἐξαριθῇ· ἑτέρα δὲ τοῦ περὶ αὐτὸ ὀνόματος ἡ σημασία, ἐξ ἐνεργείας ὀνομαζομένου. ὡς πάλιν αὐτὸς μίας Βασιλείας ἐν τῇ αὐτῇ ἐπιστολῇ· εἴτε ἐνεργείας ὀνομα ἡ θεότης, ὡς μίαν ἐνέργειαν παρέχος καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος, ὅτω μίαν φαμὲν εἶναι καὶ τὴν θεότητα· εἴτε καὶ κατὰ τὰς τῶν πολλῶν δόξας, φύσεως ἐνδεικτικόν ἐστι τὸ τῆς θεότητος ὄνομα, διὰ τὸ μηδεμίαν διαίρεσιν ἐν τῇ φύσει παραλλαγὴν, οὐκ ἀπεικότως μιᾶς θεότητος τὴν ἁγίαν Τριάδα ὁμολογοῦμεν.

Καὶ ὁ ἅγιος Ἀνάστασιος φησιν· ἡ Θεὸς προσηγορία, σαφῶς ὡς ἐνεργητικὴ τυγχάνει· οὐ γὰρ αὐτὴν τὴν τοῦ Θεοῦ οὐσίαν παρίστησιν· ἀδύνατον γὰρ τοῦτο γνῶναι· ἀλλὰ τὴν θεωρητικὴν αὐτοῦ ἐνέργειαν ἡμῖν παρίστησι καὶ δηλοῖ τὸ Θεός. καὶ πάλιν ὁ αὐτός· τὸ Θεὸς ὄνομα, οὐ τὴν οὐσίαν τὴν θεότητος σημαίνει· ἀκατάληπτος γὰρ αὕτη καὶ ἀνώνυμός ἐστιν· ἀλλ' ἐκ τῆς θεωρητικῆς αὐτοῦ ἐνεργείας, θεὸς εἴρηται, ὡς φησὶν ὁ ἅγιος Διονύσιος, ἢ ἐκ τοῦ θέειν, ἤγουν διατρέχειν· ἢ ἐκ τοῦ αἴθειν, ὅ ἐστι φλογίζειν. ὁ δὲ αὐτός· μέγας Διονύσιος· εἰ τὴν ὑπερούσιον φησὶ κρυφιότητα, Θεὸν ἢ οὐσίαν, ἢ φῶς, ἢ λόγον ὀνομάσαιμεν, οὐδὲν ἕτερον νοοῦμεν, ἢ τὰς εἰς ἡμᾶς ἐξ αὐτῆς προαγομένας δυνάμεις ἐκθεωτικὰς ἢ οὐσιοποιοὺς, ἢ ζωογόνους, ἢ σοφοδώρους. αὐτὴ δὲ κατὰ τὴν πασῶν τῶν νοερῶν ἀπόλυσιν ἐπιβάλλομεν, μηδεμίαν ὁρῶντες θέωσιν ἢ ζωὴν, ἢ οὐσίαν, ἢ τὴν ἐμφερῆς ἐστι τῇ πάντων ἐξῃρημένῃ κατὰ πᾶσαν ὑπεροχὴν αἰτίᾳ.

Καὶ πάλιν ὁ αὐτὸς φησί· θεότης ἐστὶν, ἡ πάντα θεωμένη πρόνοια. ὅτι δὲ ἡ πρόνοια ἐνέργεια ἐστὶν, καὶ ἀπ' ἄλλων μὲν τοῦτο γνώσεμον, μάλιστα δὲ καὶ ἀφ' ὧν ὁ μέγας Ἀθανάσιος γράφει, λέγων· οὐ κατὰ ἄλλην προνοεῖν, ὁ πατὴρ καὶ ὁ υἱὸς ἐργάζεται, ἀλλὰ κατὰ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν οὐσιώδη τῆς θεότητος ἐνέργειαν. ἀλλὰ καὶ ὁ μέγας Διονύσιος πάλιν ἐν τῇ πρὸς Γαΐον δευτέρᾳ ἐπιστολῇ θεότητα φυσὶν εἶναι τὸ χρῆμα τοῦ θεοποιοῦ, καὶ τὸ ἀμίμητον μίμημα τοῦ ὑπερθεοῦ καὶ ὑπεραγάθου, καθ' ὃ θεούμεθα καὶ ἀγαθυνόμεθα.

Ἐπὶ τούτοις, ἐφεδῆπερ τὴν τοιαύτην δωρεὰν τοῦ πνεύματος καὶ ἐνέργειαν, δηλαδὴ τὴν θέωσιν, καθ' ἣν οἱ ἅγιοι θεοῦνται, θεότητα παρὰ τῶν ἁγίων προσαγορευομένην, οἱ τῷ Θεσσαλονίκης ἀντιλέγοντες λέγουσιν εἶναι θεότητα κτισὴν, καταστοχαζόντες τοῦτο ἐκ τοῦ ὑποστάτου αὐτῆς εἶ-

A *bonum & justum, & quæcumque alia hujusmodi didicimus, operationum diversitates edocti sumus: operantis vero naturam nihilo magis per operationum cognitionem possumus explorata habere. Quando enim quispiam reddiderit rationem cujusque nominis, & ipsius naturæ, cujus sunt ea nomina, non eamdem utrorumque reddet rationem. Quorum enim alia ratio est, horum est & natura diversa. Igitur aliud essentia est, cujus mediam index inventus est sermo. Alia vero nominum quæ circa eam sunt significatio est, ex operatione aliqua vel dignitate repetita.* Rursumque idem magnus Basilius: *Sive operationis nomen est Deitas, sicut unam operationem Patris & Filii & Spiritus sancti, sic unam dicimus esse & deitatem.*

B *Sive etiam, ut multi existimant, naturam designat nomen deitatis, eo quod nulla invenitur in natura diversitas, haud abs re unius deitatis esse sanctam Trinitatem definimus.*

Sanctus quoque Anastasius ait: *Nomen, Deus, manifeste operationis nomen est: neque enim ipsam*

C *Dei essentiam menti exhibet: impossibile siquidem est ipsam nosse: sed vox illa, Deus inspectricem ipsius operationem nobis exhibet ac manifestat.* Idemque rursum: *Nomen, Deus non essentiam deitatis significat: incomprehensibilis enim ipsa & innominabilis est: sed ex inspectrice ipsius operatione Deus dicitur, ut ait sanctus Dionysius: aut ex verbo, θεῖν, quod est currere; aut ex verbo αἴθειν, quod est comburere.* Ipse autem magnus Dionysius: *Si supersubstantialem,* inquit, *latebram, Deum, aut vitam, aut essentiam, aut lumen appellaverimus, nihil aliud intelliginus, quam in nos ex ipsa prodeuntes virtutes deificas, aut substantiæ effectrices, aut vitæ productrices, aut sapientiæ largitrices: ipsi vero tribuimus se-*

D *cundum omnium intelligentium operationum dissolutionem: quippe qui nullam intueamur deificationem aut vitam aut essentiam, quæ similis sit causæ secundum omne genus excellentiæ præ cunctis eximiæ.*

Ac rursum idem ait: *Deitas est, quæ omnia inspicit, providentia.* Quod vero providentia operatio sit, tum ex aliis cognitu facile est, maxime vero ex iis quæ magnus Athanasius scribit, dicens: *Non secundum aliam & aliam providentiam Pater & Filius operatur, sed secundum unam & eamdem substantialem deitatis operationem.* Sed & magnus Dionysius iterum in se-

E *cunda ad Gaium epistola, deitatem ait esse rem deifici doni, & inimitabilem imitationem super-Dei & super-boni, secundum quam deificamur ac boni efficimur.*

Ad hæc, quandoquidem tale donum Spiritus & operationem, scilicet deificationem, secundum quam sancti deificantur, deitatem a sanctis appellatam, qui Thessalonicensi contradicunt, dicunt esse deitatem creatam; constituentes ex eo quod stabilire ipsam dictus sit a magno Dionysio Deus: & imitationem nuncu-

pet

ANNO CHRISTI 1350.

pet eam, & habitum eorum qui participant; impie loqui eos declaravit sancta synodus. Tamen hoc etiam indagato a divina synodo: Utrum dixerit aliquis sanctorum increatam esse deificationem; & utrum habitus, & imitatio, & quod stabilitur etiam de increatis dicatur: prolatæ sunt sententiæ sanctorum, quæ non semper de creatis ista dici ostenderent. Nam magnus Basilius in Antirrheticis ait: *Qui genuit glebas roris, non similiter glebas ac Filium facit subsistere*. Et primo libro Hexaemeri: *Ut ostenderetur*, inquit, *mundum esse quoddam ex arte factum opus, propositum omnibus ad contemplandum, ut per ipsum factoris sapientiam agnoscamus, non alia quapiam voce usus est sapientissimus Moses de eo: sed dixit*, In principio fecit: *non operatus est; non stabilivit; sed* fecit: *qua ratione multi eorum qui somniarunt coexistere Deo mundum ab æterno, non esse factum ab ipso concesserunt*. Simul autem ex eo demonstratum est, quod operari, sive Græcum verbum forma activorum efferatur, sive forma deponentium verborum, ἐνεργεῖν sive ἐνεργεῖσθαι non solum de rebus creatis, sed & de sempiternis & increatis posse dici: quandoquidem & gratiam operantem, ἐνεργουμένου audientes adversarii, creatam illico esse arbitrantur. Magnus enim in Theologia Gregorius; *Esto*, inquit *etiam operationis, si ita videtur; ne sic quidem nos capietis: sed ipsam divina quod operatum fuerit, erit consubstantiale*.

Genes. 1. 9.

Colos. 1. 29.

Sed & divinus Gregorius Nyssenus, *Non tres deos nominare possumus*, inquit, *qui divinam & inspectricem operationem conjuncte & indivise inter se circa nos & omnem creaturam operantur*.

Ad imitationem autem quod attinet, dixit Thessalonicensis, magnum Dionysium imitationi non-imitabile adjecisse: quamobrem deificum donum nihilo magis imitatio quam non-imitatio est. Dicit & Gregorius Theologus, imitationem Patris Filium esse, scribens in secunda oratione de Filio: *Imago Patris, utpote consubstantialis; & quod istud inde est, non autem ex ipso Pater. Hæc enim imaginis natura est, ut imitatio sit primigenii exemplaris, & cujus esse dicitur*. Quamobrem imitatio non impedit, quominus increata deificatio sit. Refertur autem Dei providentia ad ea, quibus providet: & præscientia ejus ad ea quæ præsciuntur: & prædefinitiones quæ ab æterno in Deo sunt, ad ea quæ prædefiniuntur. At nulli horum impedimento relatio est, quin sit increatum. Quamobrem neque deificum donum Spiritus, ipsa utique deificatio, quiddam creatum est, eo quod refertur ad ea quæ deificantur. Quod enim increata ea sit, manifeste & compendiose convincet etiam divinus Maximus; scribens; *Divina gratia, quamquam fructum affert his qui sunt gratiæ participes, at non comprehensionem. Manet enim etiam participata ab iis qui fruuntur incomprehensibilis, eo quod naturaliter, velut ingenita, habet infinitionem*. Et iterum: *Hoc est Dei Evangelium, legatio Dei ad homines, tum Filio incarnato, tum mercedem donante eo his qui in se credunt, ingenitam deificationem*.

ANNO CHRISTI 1350.

ῥῶσθαι παρὰ τὸ μεγάλου Διονυσίου τὸ Θεόν, καὶ μίμημα καλέσαι τοιοῦτον, καὶ τοῖς μετεχόντων χάριν, δυσσεβῶς μὲν αὐτὸς λέγειν ἀσεφάνατο τὴν ἱερὰ συνοδος, ὅμως ζητηθέντος καὶ παρὰ τῆς θείας συνόδου, ἅπερ εἴπε τις τῶν ἁγίων ἄκτιστον εἶναι τοῦ θείωσιν, καὶ ἅπερ ἡ χάρις καὶ τὸ ὑπέστη καὶ ἐπὶ τῶν ἀκτίστων λέγεται· προσκομίσθησαν ῥήσεις τῶν ἁγίων, οὐκ ἐπὶ κτισῶν δηλῶσαι λέγεσθαι ταῦτα. ὁ γὰρ μέγας Βασίλειος ἐν τοῖς ἀντιρρητικοῖς φησιν, ὁ γεωνοὺς βώλους δρόσου, οὐχ ὁμοίως τοὺς τε βώλους, καὶ τὸν υἱὸν ὑπεστήσατο. κατὰ τοῦ κόσμου δὲ τῆς Ἑξαημέρου, ἵνα δειχθῇ φησὶν ὅτι ὁ κόσμος τεχνικόν ἐστι κατασκεύασμα, προκείμενον πᾶσιν εἰς θεωρίαν, ὥστε δι' αὐτοῦ τὴν τοῦ ποιήσαντος σοφίαν ἐπιγινώσκεσθαι, οὐκ ἄλλῃ τινὶ φωνῇ ἐχρήσατο ὁ σοφὸς Μωϋσῆς περὶ αὐτοῦ· ἀλλ' εἶπεν, ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν. οὐχὶ ἐνήργησεν, οὐδὲ ὑπέστησεν, ἀλλ' ἐποίησεν. καθότι πολλοὶ τῶν φαντασθέντων συνυπάρχειν ἐξ ἀϊδίου τῷ Θεῷ τὸν κόσμον, οὐχὶ γεγενῆσθαι παρ' αὐτοῦ συνεχώρησαν. συναποδείχθη δὲ ἀπὸ τούτου, ὅτι καὶ τὸ ἐνεργεῖν, καὶ τὸ ἐνεργεῖσθαι, οὐ μόνον ἐπὶ κτισῶν, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ ἀϊδίων ἀκτίστων δίκαιον λέγεσθαι· ἐπεὶ καὶ τῶν χάριν ἐνεργουμένων ἀκούοντες οἱ διαφερόμενοι, κτιστὴν εὐθὺς εἶναι νομίζουσιν. ὁ γὰρ μέγας ἐν θεολογίᾳ Γρηγόριος, ἔστω, φησὶ καὶ ἐνεργείας, εἰ τοῦτο δοκεῖ, οὐδὲ οὕτως ἡμᾶς αἱρήσετε· αὐτὸ δὲ τοῦτο ἐνηργηκὸς ἂν εἴη τὸ ὁμοούσιον.

Καὶ ὁ Νύσσης δὲ θεῖος Γρηγόριος, οὐ τρεῖς θεοὺς ὀνομάζεν, φησὶ, δυνάμεθα, τὸν τῶν θείαν καὶ ἐποπτικὴν ἐνέργειαν, συνημμένως καὶ ἀδιακρίτως ἀλλήλων ἐφ' ἡμῶν τε καὶ πάσης τῆς κτίσεως ἐνεργοῦντας.

Περὶ δὲ τοῦ μιμήματος εἶπεν ὁ Θεσσαλονίκης, ὡς ὁ μέγας Διονύσιος, τῷ μιμήματι τὸ ἀμίμητον προσέθηκεν. ὥστε τὸ θεοποιὸν δῶρον οὐ μᾶλλον μίμησις, ἢ ἀμιμησία. φησὶ καὶ ὁ θεολόγος Γρηγόριος, μίμημα εἶναι καὶ παρὸς τοῦ υἱόν, γράφων ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ υἱοῦ· εἰκὼν τοῦ πατρὸς ὡς ὁμοούσιος, καὶ ὅτι τοῦτο ἐκεῖθεν, ἀλλ' οὐκ ἐκ τούτου πατήρ. αὕτη γὰρ εἰκόνος φύσις, μίμημα εἶναι τοῦ ἀρχετύπου, καὶ οὗ λέγεται. ὥστε τὸ μίμημα, οὐκ ἐμποδίζει πρὸς τὸ ἄκτιστον εἶναι τοῦ θείωσιν. χάρις δὲ ἐστι καὶ ἡ τοῦ Θεοῦ πρόνοια πρὸς τὰ προνοούμενα· καὶ ἡ πρόγνωσις αὐτοῦ πρὸς τὰ προγινωσκόμενα· καὶ οἱ ἐξ ἀϊδίου ἐν τῷ Θεῷ προορισμοὶ, πρὸς τὰ προορίζόμενα. ἀλλ' ἐκείνῳ τούτων οὐκ ἐμπόδιον ἐστὶ τὸ χάριν εἶναι πρὸς τὸ ἄκτιστον εἶναι. ὥστε οὐδὲ ἡ θεοποιὸς δωρεὰ τοῦ πνεύματος, αὐτὴ ἡ θείωσις, ἔστι κτιστὴ, διότι χάρις ἐστὶ πρὸς τὰ θειούμενα. ὅτι γὰρ ἄκτιστος ἐστὶ, σαφῶς καὶ σωτήριος παρεστήσει καὶ ὁ θεῖος Μάξιμος, γράφων· εἰ καὶ ἀπόλαυσιν δίδωσι τοῖς κατὰ χάριν μετέχουσι, ἀλλ' οὐ κατάληψιν. μένει γὰρ καὶ τῇ μεθέξει τῶν ἀπολαυόντων αὐτῆς ἀκατάληπτος, ὅτι κατὰ φύσιν ὡς ἀγένητος ἔχει τὴν ἀπειρίαν. καὶ πάλιν· τοῦτο ἐστὶ τὸ τοῦ Θεοῦ εὐαγγέλιον, πρεσβεία Θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους, καὶ υἱοῦ σαρκωθέντος καὶ μισθὸν δωρουμένου τοῖς πιστεύουσιν αὐτῷ, τὴν ἀγένητον θείωσιν.

Μετὰ

ANNO CHRISTI 1350.

Μετὰ δὲ τὸ φανῆναι καὶ τὴν θείαν ἐνέργειαν θεότητα ὀνομαζομένην, ἐζητήσαμεν ἀποδεχθῆναι παρὰ τῶν θεολόγων, εἰ ἡ θείας ἐνεργείας ταύτης, ἣ τῆς οὐσιώδους περὶ αὐτὴν θεωρουμένων, ὑπέρκειται κατ' οὐσίαν ὁ θεός· καὶ ἀνεφάνη καὶ τοῦτο παρὰ πάντων κηρυττόμενον. συναποδείχθη δὲ καὶ τοῦτο, ὅτι οἱ μὴ τοῦτο παραδεχόμενοι, πολύθεοι εἰσὶ, πολλὰς λέγοντες ἀρχὰς, ὡς μὴ ἀναφέροντες εἰς τὸ αἴτιον καὶ μίαν ἀρχὴν τὰ περὶ τὸν θεὸν οὐσιωδῶς θεωρούμενα. ὁ γὰρ μέγας Βασίλειος ἐν τοῖς ἀντιρρητικοῖς φησιν· ἔστι τι τάξεως εἶδος, οὐκ ἐκ τῆς παρ' ἡμῶν θέσεως συνιστάμενον, ἀλλ' αὐτῇ τῇ κατὰ φύσιν ἀκολουθίᾳ συμβαῖνον· ὡς τῷ πυρὶ πρὸς τὸ φῶς ἐστι τὸ ἐξ αὐτοῦ. ἐν τοῖς τοιούτοις γὰρ πρότερον τὸ αἴτιον λέγομεν, δεύτερον δὲ τὸ ἀπ' αὐτοῦ· οὐ διαστήματι χωρίζοντες ἀλλήλων τοῦτο, ἀλλὰ τῷ λογισμῷ τὸ αἰτιατὸν προεπινοοῦντες τὸ αἴτιον. πῶς οὖν ἄλογον ἀρνεῖσθαι τινὶ τάξιν, ἐφ' ὧν ἐστι πρῶτον καὶ δεύτερον, οὐ κατὰ τινὰ ἡμετέραν θέσιν, ἀλλ' ἐκ τῆς κατὰ φύσιν αὐτοῖς ἐνυπαρχούσης ἀκολουθίας;

Ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς πρὸς Ἀμφιλόχιον γράφει· αἱ δὲ ἐνέργειαι τοῦ πνεύματος, τίνες; ἄῤῥητοι μὲν διὰ τὸ μέγεθος. ἀνεξαριθμήτοι δὲ, διὰ τὸ πλῆθος. πῶς γὰρ νοησόμεν τοῦ τῆς αἰώνων ἐπέκεινα; τίνες ἦσαν αὐτοῦ πρὸς τῆς νοητῆς κτίσεως αἱ ἐνέργειαι; πόσαι δὲ αἱ ἀπ' αὐτοῦ περὶ τινὰ κτίσιν χάριτες; τίς δὲ ἡ πρὸς τοὺς αἰῶνας τοὺς ἐπερχομένους δύναμις; οὐ μὴν γὰρ ἐν προοῦ καὶ συμπαρῶν τῷ υἱῷ καὶ τῷ πατρὶ πρὸ τῆς αἰώνων. ὥστε κἂν τι νοήσεις τῆς αἰώνων ἐπέκεινα, καὶ τοῦτο ἐστι πνεύματος κατωτέρω· τῶν προαιωνίων ἐνεργείας πνεύματος κατωτέρω τοῦ πνεύματος ἀποφαινόμενος εἶναι.

Ἐν δὲ τῷ περὶ θεότητος υἱοῦ καὶ πνεύματος λόγῳ ὁ Νύσσης θεῖος Γρηγόριος φησίν· ἡ μὲν θεία φύσις ἀφατός τε καὶ ἀνεκφώνητος μένει, ὑπερβαίνουσα πᾶσαν τῶν διὰ φωνῆς σημασίαν. οὐκ ἔν οὐχὶ φύσιν, ἀλλὰ τὴν θεατικὴν δύναμιν τοῦ πνεύματος, ἡ τὴν θεότητος προσηγορία περιέγραψεν. ὁ δὲ μέγας Ἀθανάσιος ἐν τῷ κατὰ Ἀρειανῶν δευτέρῳ λόγῳ, τοὺς αἱρετικοὺς λεγόντων, τῆς θελήσεως εἶναι τὸν υἱὸν, ἀλλ' οὐ τῆς φύσεως τοῦ πατρός· εἰ τὸ βούλεσθαι φησὶ περὶ τῶν μὴ ὄντων διδόασι τῷ θεῷ, διατί τὸ ὑπερκείμενον τῆς βουλήσεως οὐκ ἐπιγινώσκουσι τοῦ θεοῦ; κἂν τοῦ τοῦτο κατὰ τὴν αὐτῶν· τὸ μὴ ἀντικείμενον τῆς βουλήσεως, ἐωράκασιν οἱ αἱρετικοί· τὸ δὲ μεῖζον καὶ ὑπερκείμενον, οὐ τεθεωρήκασιν. ὥσπερ γὰρ ἀντίκειται τῇ βουλήσει τὸ παρὰ γνώμην, ὅπως ὑπέρκειται καὶ προηγεῖται τοῦ βούλεσθαι, τὸ κατὰ φύσιν. καὶ κατὰ Μακεδονίου γράφων ὁ αὐτὸς, γινώσκε, φησὶν, ὅτι τὸ θεὸς εἶναι, δεύτερον ἐστὶ τῆς φύσεως· καὶ γὰρ ἡμεῖς ἐὰν μιμηταὶ γενώμεθα τοῦ θεοῦ κατὰ τὸν Παῦλον, θεοὶ γινόμεθα, τὴν δὲ αὐτῆς φύσεως γενέσθαι, οὐ δυναμεθα. ὁ δὲ θεῖος Μάξιμος, πάντων, φησὶ, τῶν ὄντων, καὶ μετεχόντων καὶ μεθεκτῶν ἀπείρως ὁ θεὸς ὑπερεξῆρται.

Ἀλλὰ καὶ ὁ θεῖος Διονύσιος, ἐν τῷ περὶ θείων ὀνομάτων δωδεκάτῳ, φησὶν, καθόσον ὑπερέχει τῆς οὐκ ὄντων τὸ ὄντα ἄγια καὶ κρείττω

A Postquam vero patuit aperte etiam divinam operationem deitatem nuncupari, quæsivimus demonstrari ex Theologis, Utrum divinæ huic operationi, & his quæ essentialiter circa eam considerantur, superemineat secundum essentiam Deus: Et patuit etiam illud ab omnibus sanctis fuisse prædicatum. Simul autem demonstratum & istud est, Qui istud non admitterent, eos plurium deorum assertores esse; quippe qui multa inducant principia; quandoquidem non referunt ad unam causam & ad unum principium, quæcumque circa Deum essentialiter considerantur. Magnus certe Basilius in Antirrheticis ait: *Est quoddam ordinis genus, non ex nostra affirmatione constans, sed ipsa naturali con-*
B *secutione contingens; quemadmodum ad ignem se habet lux quæ ex ipso est: in talibus enim prius vocamus quod causa est; posterius, quod ex ipsa est. Non intervallis sejungentes ista invicem; sed ratiocinatione prius causato causam cogitantes. Quomodo igitur rationi consentaneum sit ordinem negare, ubi prius & posterius est, non quia sic rem esse ponimus, sed ex naturali quæ rebus inest consecutione?*

Sed & in his quæ scribit ad Amphilochium, dicit: *Operationes autem Spiritus, quæ? Ineffabiles quidem ob magnitudinem, innumeræ ob multitudinem. Quomodo enim cognoscemus ea, quæ sunt*
C *ultra sæcula? Quæ fuere illius ante creaturam intellectivam operationes? Quam multæ ab ipso erga creaturam gratiæ? Quæ porro erga superventura sæcula virtus? Erat etenim & prius erat & simul erat in Filio & Patre ante sæcula. Quamobrem quantumlibet aliquid ultra sæcula cogites, istud quoque Spiritu inferius est*: operationes Spiritus quæ sæcula præcesserunt, inferiores Spiritu censens esse.

In oratione autem de deitate Filii & Spiritus, divinus Gregorius Nyssenus ait: *Divinquidem natura ineffabilis & inenarrabilis permanet, omnem superans, quæ voce exprimitur, significa-*
D *tionem*. Non igitur naturam, sed vim inspectricem Spiritus, deitatis appellatio exhibet. Magnus vero Athanasius, in oratione secunda contra Arianos, cum hæretici dicerent, voluntatis esse Filium, at non naturæ Patris. *Si velle*, inquit *circa ea quæ non existunt, Deo concedunt, cur quod superius est voluntate non agnoscunt in Deo?* Et in tertia oratione contra eoldem: *Quod quidem est oppositum voluntati, vi-derunt hæretici: quod vero majus & superius est, non animadverterunt. Quemadmodum enim oppo-nitur voluntati quod præter sententiam est; ita su-perius est & præcedit voluntatem, quod naturale est*. Idem adversus Macedonium scribens; *Scito*, inquit, *Deum esse, posterius quiddam quam*
E *naturam esse. Nam & nos, si imitatores Dei simus, secundum Paulum, dii efficimur; ejusdem autem naturæ fieri, non possumus*. Divinus vero Maximus; *Omnia*, inquit, *quæ sunt, tum quæ participant, tum quæ participantur, infinite Deus antecellit*.

Sed & divinus Dionysius, capite duodecimo Cap. 12. §. 3.
de divinis nominibus, ait: *Quantum antecellunt iis quæ non sunt, quæ sunt sancta aut divina aut prin-*

ANNO CHRISTI 1350.

principalia aut regia, & iis quæ participant ipsa per se participationes; tantum supereminet omnibus quæ sunt, qui est super omnia quæ sunt, & omnibus quæ participant, ipsisque participationibus, is qui causa est imparticipabilis. Et in secunda ad Gaium epistola; *Quomodo*, inquit, *is qui est ultra omnia, & super suprema deitatis rationem est, & super rationem suprema bonitatis? Si deitatem & bonitatem cogites, ipsam rem esse bonum & deum efficientis doni, per quod dii bonique efficimur. Nam si istud principium est quo dii efficimur & boni; ultra ea est quæ deificantur & bona fiunt, is qui omnis principii supremum principium est, & sic appellatæ deitatis & bonitatis, & suprema deitatis, supremaque bonitatis.* Et idem iterum: *Nunc transeundum est ad eam quæ vere exsistit, illius qui vere est essentialem appellationem Theologica consideratione. Tantum autem commonebimus, orationis hujus propositum esse, non superessentialem essentiam, quæ ille super essentias est, enarrare: ineffabile enim istud est & ignotum & prorsus inenarrabile, & ipsam superans unionem; sed essentiarum effectorum ad omnia quæ sunt supremi essentiarum principii progressum prædicare.* Divinus autem Maximus in scholiis: *Progressum hic dicit, divinam operationem, quæ omnem essentiam produxit.*

De divin. nomin. cap. 5. §. 1.

Et divinus Chrysostomus, in oratione prima de Incomprehensibili, ait: *Prophetæ non solum quid secundum essentiam Deus sit nescire videntur; sed etiam de ipsamet sapientia, quanta sit, dubitant. Quamquam non est essentia a sapientia, sed sapientia ab essentia est. Cum autem neque hanc possint comprehendere plane & explicate; quantæ dementiæ fuerit, essentiam ipsam arbitrari propriis posse subjicere ratiocinationibus?* Et in Evangelium Joannis, iterum idem ait: *Non in mensura dat Deus spiritum. Nos enim omnes in mensura operationem Spiritus accepimus. Spiritum enim ibi operationem dicit. Ipsa enim est quæ dispartitur. Ille autem immensam habet & integram omnem operationem. Si autem operatio ipsius immensa est, multo magis essentia.*

Joan. 3. 34.

Deinceps quæsitum a nobis est, quandoquidem qui Ecclesiam vexant, hi essentiam Dei participare omnia contendunt, quippe cum indistinctæ sint divina essentia & divina operatio; neque aliud Deus sit secundum ipsos, quam sola essentia. Nos vero ex sacris edocti sumus scripturis, & essentiam habere Deum; & virtutem, & operationem ab essentia divina distinctam; vel potius & virtutes & operationes. Sic enim non solum tripliciter subsistens; sed etiam omnipotens erit. Quæsitum est igitur, quid sit quod participent omnia; an divinam essentiam, an Dei divinam operationem. Divina synodus dixit: Inseparabilem quidem scimus esse divinam essentiam a divina naturali operatione. Neque enim umquam operatio fuerit sine sua essentia. Tamen quod attinet ad ea quæ ab initio Deus condidit, quis ignorat, nisi cum adversariis desipiat, omne opificium operationem opificis, sed non essentiam participare? Neque enim domus illius qui ædificat, domum, aut navis illius qui navim fabricatur, essentiam participat, sed artem & operationem,

A ἡ Καθολικὰ, καὶ αὐτῶν μετεχόντων αἱ αὐτομετοχαὶ· κατὰ τοσοῦτον ὑπερέβρυται πάντων, ὁ ὑπὲρ πάντα τὰ ὄντα· καὶ πάντων τῆς μετεχόντων καὶ τῶν μετοχῶν, ὁ ἀμέθεκτος αἴτιος. καὶ τῇ δευτέρᾳ δὲ πρὸς Γάϊον ἐπιστολῇ, πῶς, φησὶν, ὁ πάντων ἐπέκεινα, καὶ ὑπὲρ θεαρχίαν ἐστὶ καὶ ὑπὲρ ἀγαθαρχίαν. εἰ θεότητα καὶ ἀγαθότητα νοήσαις, αὐτὸ τὸ χρῆμα τοῦ ἀγαθοποιοῦ καὶ θεοποιοῦ δῶρα, καθ' ὃ θεούμεθα καὶ ἀγαθυνόμεθα· καὶ γὰρ εἰ τοῦτο ἀρχὴ γίνεται τοῦ θεοῦσθαι καὶ ἀγαθύνεσθαι, τοῖς θεοῦμένοις καὶ ἀγαθυνομένοις, ὁ πάσης ἀρχῆς ὑπεραρχικὸς, καὶ τῆς ὅπω λεγομένης θεότητος καὶ ἀγαθότητος, ὡς θεαρχίας καὶ ἀγαθαρχίας, ἐστὶν ἐπέκεινα. καὶ πάλιν ὁ αὐτός· μετιτέον νῦν ἐπὶ τὴν ὄντως οὖσαν, τοῦ ὄντος θεολογικὴν οὐσιωνυμίαν. τοσοῦτον δὲ ὑπομνήσομεν, ὅτι τῷ λόγῳ σκοπὸς, οὐ τὴν ὑπερούσιον οὐσίαν, ἢ ὑπερούσιος, ἐκφαίνειν· ἄῤῥητον γὰρ τοῦτο καὶ ἄγνωστον καὶ παντελῶς ἀνέκφραστον, καὶ αὐτὴν ὑπεραῖρον τὴν ἕνωσιν· ἀλλὰ τῶν οὐσιοποιῶν εἰς τὰ ὄντα πάντα τῆς θεαρχικῆς οὐσιαρχίας πρόοδον ὑμνῆσαι. ὁ δὲ θεῖος Μάξιμος ἐν τοῖς σχολίοις, πρόοδον φησὶν ἐνταῦθα, τὴν ἐνέργειαν, ἣ τις πᾶσαν οὐσίαν παρήγαγε.

Καὶ ὁ θεῖος Χρυσόστομος ἐν τῷ περὶ ἀκαταλήπτου πρώτῳ λόγῳ, φησὶν, οἱ προφῆται, οὐ μόνον τί τὴν οὐσίαν ἔστιν ὁ Θεὸς ἀγνοοῦντες φαίνονται, ἀλλὰ καὶ περὶ τῆς σοφίας αὐτῆς, πόση τις ἐστὶν ἀποροῦσιν. καὶ τοιγὰρ οὐχ ἡ οὐσία ἀπὸ τῆς σοφίας, ἀλλ' ἡ σοφία ἀπὸ τῆς οὐσίας. ὅταν δὲ μὴ δὲ ταύτῃ διοίσωσι καταλαβεῖν μετ' ἀκριβείας, πόσης ἂν εἴη μανίας, τὸ τῇ οὐσίᾳ αὐτῇ νομίζειν δυνάσθαι τοῖς οἰκείοις ὑποβάλλειν λογισμοῖς; καὶ ἐν τῷ κατὰ Ἰωάννην διαγγελίῳ πάλιν ὁ αὐτός φησιν· οὐκ ἐκ μέτρου δίδωσιν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα. ἡμεῖς γὰρ πάντες μέτρῳ τῇ ἐνέργειαν τοῦ πνεύματος ἐλάβομεν. πνεῦμα γὰρ ἐνταῦθα, τὴν ἐνέργειαν λέγει· αὕτη γάρ ἐστιν ἡ μεριζομένη, τοῦτο δὲ ἀμέτρητον ἔχει καὶ ὁλόκληρον πᾶσαν τὴν ἐνέργειαν. εἰ δὲ ἡ ἐνέργεια αὐτοῦ ἀμέτρητος, πολλῷ μᾶλλον οὐ οὐσία.

Μετὰ τοῦτο ἐζητήθη παρ' ἡμῶν, ἐπειδήπερ οἱ τὴν ἐκκλησίαν ἐλαύνοντες, ὅτι τὴν οὐσίας τοῦ Θεοῦ μετέχειν ἅπαντα φασὶν, ὡς ἀδιαφόρου οὔσης τε θείας οὐσίας καὶ θείας ἐνεργείας, καὶ μηδὲν ἕτερον ὄντος τοῦ Θεοῦ κατ' αὐτοὺς, πλὴν οὐσίας μόνης· ἡμεῖς δὲ παρὰ τῆς ἁγίου ἐδιδάχθημεν γραφῶν, καὶ οὐσίαν ἔχειν τὸν Θεὸν καὶ ἐνέργειαν, τὴν θείας οὐσίας διακρίσαν· μᾶλλον δὲ καὶ δυνάμεις καὶ ἐνεργείας· οὕτω γὰρ οὐ μόνον ἐξισυπόστατος, ἀλλὰ καὶ παντοδυναμος ἔσται. ἐζητήθη οὖν τίνος μετέχουσι τὰ πάντα, τὴν θείας οὐσίας, ἢ τῆς τοῦ Θεοῦ θείας ἐνεργείας; ἡ θεία συνόδος, ἀχώριστον μὲν ἔφασκε, φῆ, τὴν οὐσίαν καὶ τὴν θείαν φυσικὴν ἐνέργειαν. οὐ γάρ ποτε ἐνέργεια εἴη ἂν τῆς ἑαυτῆς οὐσίας χωρὶς· περὶ μέντοι ὧν ἀρχῆς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ δεδημιουργημένων ἔφη, τίς οὐκ οἶδεν, εἰ μὴ κατὰ τοὺς ἀντιλέγοντας παραπαίοι, ὅτι πᾶν δημιούργημα τῆς ἐνεργείας τοῦ δημιουργήσαντος, ἀλλ' οὐχὶ τῆς οὐσίας μεταλαγχάνει; οὐ γὰρ ἡ οἰκία τῆς τοῦ οἰκο-

ANNO CHRISTI 1350.

ANNO CHRISTI 1350.

οἰκοδόμῃ, οὐδὲ νεῶς τῆς τοῦ παντηγοῦ μετείληχεν οὐσίας, ἀλλὰ τῆς τάξεως καὶ τῆς ἐνεργείας, κατὰ τὸν Νύσσης Θεολόγον. ὅτι δὲ καὶ οἱ ἅγιοι, τῷ πρὸς Θεὸν ἑνώσει θεοποιούμενοι, οὐ τῆς θείας οὐσίας, ἀλλὰ τῆς αὐτοῦ θείας ἐνεργείας μετέχουσι. ὁ δὲ μέγας ἐν Θεολογίᾳ Γρηγόριος παρίστησι, γράφων περὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὅτι Χριστὸς λέγεται διὰ τὴν θεότητα· χρίσις γὰρ αὐτῇ τῆς ἀνθρωπότητος· οὐκ ἐνεργείᾳ, κατὰ τοὺς ἄλλους Χριστὸς ἁγιάζουσα, παρουσίᾳ δὲ ὅλου τοῦ χρίοντος. καὶ ὁ μέγας Βασίλειος· πάντα μὲν φησι, πληροῦν ἐστι τῇ δυνάμει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· μόνοις δὲ ἐστι μεθεκτὸν τοῖς ἀξίοις, οὐκ ἐνὶ μέτρῳ μετεχόμενον, ἀλλὰ κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως διαιροῦν τὴν ἐνέργειαν. καὶ ἀλλαχοῦ πάλιν· ὥσπερ αἱ τῆς προσώπου ἐμφάσεις, οὐκ ἐν πάσαις ταῖς ὕλαις γίνονται, ἀλλ' ἐν ταῖς λειότητά τινα καὶ διαφάνειαν κεκτημέναις ὥστε οὐκ ἐν πάσαις ταῖς ψυχαῖς ἡ τοῦ πνεύματος ἐνέργεια, ἀλλ' ἐν ταῖς οὐδὲν σκολιὸν ἐχούσαις, οὐδὲ τραχυαλιώδεις. ὁ δὲ ἅγιος Μάξιμος· πάντα, φησίν, ὅσα ὁ Θεὸς, καὶ ὁ διὰ τῆς χάριτος πεθεωμένος ἔσται· χωρὶς τῆς κατ' οὐσίαν ταυτότητος· ὁ δὲ μέγας Διονύσιος· κυκλικῶς, φησίν, οἱ θεῖοι κινοῦνται νόες, ἐνιδρυμένοι ταῖς ἀνάρχοις καὶ ἀτελευτήτοις ἐλλάμψεσι τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ. πληθυντικῶς μὲν οὖν αὐτὰς προσειρηκὼν, ἔδειξε οὐκ οὐσίαν οὖσας τοῦ Θεοῦ· οὐδέ ποτε γὰρ ἐκείνη πληθυντικῶς ἐκφέρεται· ἐλλάμψεις δὲ αὐτὰς καλέσας, καὶ ἀνάρχους καὶ ἀτελεύτητους προσειπὼν, θείας καὶ ἀκτίστους ἐνεργείας ταύτας ἔδειξεν. ὁ δὲ κύριος ἡμῶν καὶ Θεὸς ἐν τῷ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίῳ, ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ, φησὶν, καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος. τοῦτο δὲ εἶπε περὶ τοῦ πνεύματος, οὗ ἔμελλον λαμβάνειν οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν. οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον, ὅτι Ἰησοῦς οὐδέπω ἐδεδόξαστο. ὅπερ ὁ θεῖος Χρυσόστομος ἐξηγούμενος, ποταμοὶ φησὶν ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν, τὸ δαψιλὲς καὶ ἄφθονον τῆς χάριτος αἰνιττόμενος· ὅπερ ἀλλαχοῦ φησὶν, πηγὴ ὕδατος ζῶντος ἀλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον· τοῦτο, πολλοὺς ἔχει χάριν· ἀλλαχοῦ μὲν ζωὴν αἰώνιον λέγει, ἐνταῦθα δὲ, ὕδωρ ζῶν δὲ λέγει, τὸ ἐνεργοῦν ἀεί. ἡ γὰρ τοῦ πνεύματος χάρις, ἐπειδὰν εἰς διάνοιαν ἔλθῃ καὶ ἱδρυθῇ πάσης πηγῆς μᾶλλον ἀναβλύει, καὶ οὐ διαλιμπάνει, οὐδὲ κενοῦται, οὐδὲ ἵσταται. ὁμοῦ δὲ καὶ τὸ ἀνελλιπὲς τῆς χορηγίας δηλοῖ καὶ τὸ ἄφατον τῆς ἐνεργείας, πηγὴν καὶ ποταμὸν ἐκάλεσε· οὐχ ἕνα ποταμὸν, ἀλλὰ ἀφθόνους· καὶ ἐκεῖ δὲ τὴν πλημμύραν διὰ τοῦ ἀλλεσθαι παρίστησε. καὶ μετά τινα ὁ αὐτός· οὐκ ἔτι προφήτης παρ' αὐτοῖς ἦν, οὐδὲ ἐπύστευσε αὐτῇ τὰ ἅγιαι χάρις· ἐπεὶ οὖν ἀνέσαλται μὲν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἔμελλε δὲ λοιπὸν ἐκχεῖσθαι δαψιλῶς, ταύτης δὲ τῆς διανομῆς ἀρχὴ μετὰ τὴν σωρὸν ἐγένετο· οὐ μόνον δαψιλείας, ἀλλὰ καὶ μειζόνων χαρισμάτων· καὶ γὰρ θαυμαστοτέρα ἦν ἡ δωρεά, ὡς ὅταν λέγῃ· οὐκ οἴδατε ποίου πνεύματος ἐστέ; καὶ πάλιν· οὐ γὰρ ἐλάβετε πνεῦμα υἱοθεσίας. καὶ γὰρ καὶ οἱ παλαιοὶ πνεῦμα μὲν εἶχον, ἀλ-

A ut auctor est Nyssenus Theologus. Quod autem etiam sancti, per unionem cum Deo deificati, non divinæ essentiæ, sed ipsius divinæ operationis participes fiunt, magnus in Theologia Gregorius ostendit, scribens de Domino nostro JESU Christo: *Christus dicitur propter deitatem: unctio enim ipsa humanitatis est: non operatione, ut alios christos, sanctificans, sed præsentia totius ungentis*. Et magnus Basilius; *Omnia quidem*, inquit, *implet virtute Spiritus sanctus; solis tamen illis participabilis est qui digni sunt; nec uno modo participatur; sed secundum proportionem fidei dividit operationem*. Et alibi iterum: *Quemadmodum enim vultuum imagines sive species non in quibuslibet corporibus exhibentur, sed*

B *in his duntaxat, quæ lævitatem quamdam ac perspicuitatem habent; sic non in omnibus animis Spiritus operatio est, sed in his quæ nihil obliquum habent, nihil tortuosum*. Sanctus vero Maximus; *Omnia*, inquit, *quæcumque Deus est, hæc & ille erit, qui per gratiam fuerit deificatus; sed non eadem essentia*. Magnus autem Dionysius; *Circularitor*, inquit, *divinæ moventur mentes, dum uniuntur principio, & fine carentibus Pulcri Bonique illustrationibus*. Has ille plurali numero efferens, ostendit non esse eas essentiam Dei: neque enim illa numero plurali effertur. Dum autem illustrationes illas appellat, & principio ac fine carentes vocat, divinas illas esse & increatas operationes ostendit. Dominus autem

C nostrer ac Deus, in sancto Joannis evangelio, *Qui credit in me*, inquit, *sicut dicit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus sanctus, quia* JESUS *nondum erat glorificatus*. Quod divinus Chrysostomus enarrans, *Flumina*, inquit, *de ventre ejus fluent; affluentiam abundantiamque gratiæ subindicans: quod alibi dicit:* Fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam: *hoc est; multam habebit gratiam. Alibi sane quidem vitam æternam vocat, hic vero aquam vivam: vivam autem dicit, semper operantem. Nam Spiritus gratia ubi in mentem venerit, ibique consederit, omni fonte uberius erumpit, nec desinit, nec*

D *exhaurietur, nec retinetur. Simul vero etiam ut non deficientem suppeditationem ostenderet, & ineffabilem operationem, fontem & flumen nuncupavit: nec flumen unum, sed ineffabilia: affluentiam autem expressit verbo saliendi*. Idem post nonnulla: *Non jam Propheta apud eos erat, neque gratia eorum Sancta tutabatur. Quoniam igitur recesserat Spiritus sanctus, debebatque deinceps effundi copiose; atque hujus distributionis initium post crucem factum est, nec solum liberalitatis, sed & majorum charismatum: nam multo mirabilius donum fuit; ut cum ait:* Nescitis cujus Spiritus estis. *Et iterum:* Non enim accepistis spiritum servitutis, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum. *Enimvero & veteres Spiritum habuerunt, sed aliis non dabant. Apostoli autem, innumeros repleverunt. Quoniam vero hanc erant accepturi gratiam, necdum illa fuerat data; idcirco ait:* Nondum erat Spiritus sanctus, *hoc est, datus*, quia JESUS nondum erat glorificatus, *gloriam Christi crucem appellans, Quoniam enim inimici eramus & peccatores, & privati dono Dei, & Deo exosi; gratia autem reconciliationis demonstratio est; donum vero non inimicis neque invisis, sed amicis datur, & placitis gratisque; oportuit prius offerri pro nobis hostiam, & inimicitiam in carne dissolvi, & fieri Dei amicos, & tunc donum accipere. Nam si in promis-*

ANNO CHRISTI 1350.

De divin. nominib. c. 4. §. 8.

Joan. 7. 38.

Joan. 14. 4.

Luc. 9. 55.

E

sione

ANNO CHRISTI 1350.

sum Abraha facta hoc contigit, multo magis sub gratia.

Rursus idem in tricesima sexta homilia ejusdem lucubrationis: *Sic etiam in nobis*, inquit, *non simpliciter aqua operatur, sed quando Spiritus gratiam acceperit, tunc omnia diluit peccata.* Et post pauca: *Sed etiamsi universus orbis accedat, gratia non consumitur, neque operatio exhauritur, sed similiter manet, & talis, qualis & antea fuit. Et quemadmodum solares radii singulis diebus lucent, nec consumuntur; neque ex multa erogatione minor eisdem lux efficitur; sic, eoque multo magis, Spiritus operatio nullo modo imminuitur ab iis qui ea fruuntur.* Et idem iterum in quinta homilia ejusdem commentationis; ubi illud exponit, *Omnia per ipsum facta sunt*, ait: *Cum de rerum creatione dississet Joannes, subjungit etiam de providentia sermonem, dicens:* In ipso vita erat. *Etenim ut nemo dissideret, quomodo tot ac tanta per ipsum facta sint, subjunxit:* In ipso vita erat. *Quemadmodum igitur in fonte abyssos gignente, quantumcumque detraxeris, nihil tamen fontem minuisti; sic etiam in operatione Unigeniti, quantacumque crediderit producta per ipsum & facta, nihilo minor facta est.* Et rursum; *Evangelio dicente, De plenitudine ejus nos omnes accepimus; ad hoc enim tandem reducenda oratio est: Non participatum*, inquit, *donum habet; sed ipse fons & ipsa radix est bonorum; ipsa vita & ipsa lux & ipsa veritas: non in seipso continens bonorum divitias, sed in alios omnes redundans, & postquam redundavit, plenus permanens, nec ulla re imminutus ob erogationem in alios: sed semper scaturiens, & cum omnibus hac impertierit, in eadem perfectione manet. Quod ego autem fero, participatum est: ab alio enim illud accepi, exiguum quiddam ex universo, & veluti gutta exigua ad abyssum immensam & pelagus infinitum: vel potius, neque istud exemplum exhibere potest quod conamur eloqui. Guttam enim si pedago ademeris, eo ipso pelagus minus facis, quamquam imminutio non apparet. In illo autem fonte, idem dici non potest: sed quantumcumque quis hauserit, manet nulla ex parte diminutus. Idcirco valde necesse est ad aliud exemplum confugere; nam istud imbecille, nec potest id quod quærimus exhibere: alio igitur est opus, quod certius quam prius deducat nos ad intelligentiam rei nobis modo propositæ. Ponamus enim esse fontem ignis, postea ex illo fonte innumeras accendi lucernas, & bis terque totidem, & sapius. Nonne in eadem plenitudine manet ignis, etiam postquam impertierit tam multis operationem suam? Neminem non istud manifestum est. Si vero in corporibus quæ dividuntur, quæ detractione minuuntur, tale ali-*

Homil. 4.

ANNO CHRISTI 1350.

λους δὲ ὑ φερέτω· εἰ δὲ ἀπόσολοι, μυρι-
ὰδας ἐσόπλησαν. ἐπεὶ δὲ τοῦτον ἤμελλον λαμ-
βάνειν τὴν χάριν, ὕπω δὲ ἐν δοθεῖσα, διὰ
τοῦτο φησίν· ὕπω ἐν πνεῦμα ἅγιον· τοῦτο δο-
θὲν, ἐπεὶ Ἰησοῦς ὑδὲ πω ἐδοξάσθη· δόξαν κυ-
ρία τὸν σωρὸν καλῶν. ἐπειδὴ γὰρ ἐχθροὶ ἦ-
μεν καὶ ἡμαρτηκότες, καὶ ὑστερούμενοι τῆς δωρεᾶς
τοῦ Θεοῦ, καὶ θεοσυλεῖς· ἡ δὲ χάρις καταλλα-
γῆς ἐν ἀποδείξις· δῶρον δὲ ὑ τοῖς ἐχθροῖς,
ὑδὲ τοῖς μισουμένοις, ἀλλὰ τοῖς φίλοις δίδο-
ται, καὶ τοῖς εὐαρεστήσασιν, ἔδει πρότερον προ-
σεισελθεῖν τὴν ὑπὲρ ἡμῶν θυσίαν, καὶ τὴν
ἐχθραν ἐν τῇ σαρκὶ καταλυθῆναι, καὶ γε-
νέσθαι τοῦ Θεοῦ φίλους, καὶ τότε λαβεῖν τιμὴν δω-
ρεάν. εἰ γὰρ ἐπὶ τῆς ἐπαγγελίας τοῦτο γέγο-
νε τῆς πρὸς Ἀβραάμ, πολλῷ μᾶλλον ἐπὶ τῆς
χάριτος.

Καὶ πάλιν ὁ αὐτὸς ἐν τεσσαρακοστῇ ἕκτῃ ὁμι-
λίᾳ τῆς αὐτῆς πραγματείας. οὐ ἐφ' ἡμῶν φη-
σὶν ὑχ ἁπλῶς τὸ ὕδωρ ἐργάζεται, ἀλλ' ὅταν
τιμὴ τοῦ πνεύματος χάριν δέξηται. τότε ἅπαν-
τα λύει τὰ ἁμαρτήματα. καὶ μὴ βραχέα· ἀλλὰ
κἂν ἡ οἰκουμένη πᾶσα ἔλθῃ, ἡ χάρις ὑ κατα-
παυαλίσκεται. ὑδὲ ἡ ἐνέργεια δαπανᾶται, ἀλλ'
ὁμοίως μένει, καὶ τοιαύτη οἵα καὶ πρὸ τοῦ. καὶ
καθάπερ αἱ ἡλιακαὶ ἀκτῖνες καθ' ἑκάστην φωτί-
ζουσι τὴν ἡμέραν, καὶ ὑ δαπανᾶται, ὑδὲ ἀπὸ
τῆς πολλῆς χορηγίας ἔλαττον αὐταῖς γίνεται
τὸ φῶς· ὕπω, καὶ πολλῷ μᾶλλον, ἡ τοῦ πνεύματος
ἐνέργεια ὑδὲν ἐλαττοῦται παρὰ τῶν ἀπολαυόντων
αὐτῆς. καὶ πάλιν ὁ αὐτὸς ἐν πέμπτῃ ὁμιλίᾳ τῆς
αὐτῆς πραγματείας, τὸ πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο
ἐξηγούμενος, φησίν· εἰπὼν περὶ τῆς δημιουργίας
ὁ Ἰωάννης, ἐπάγει καὶ τὸν περὶ τῆς προνοίας λό-
γον, ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, λέγων. καὶ γὰρ ἵνα μη-
δεὶς ἀπιστήσῃ πῶς τὰ τοσαῦτα δι' αὐτοῦ γέγονε,
ἐπήγαγε, ὅτι ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. καθάπερ οὖν
ἐπὶ τῆς πηγῆς τῆς τεκτούσης ἀβίαστος, ὅσον ἂν
ἀφέλῃς, ὑδὲν ἠλάττωσας τὴν πηγήν· ὕπω καὶ
ἐπὶ τῆς ἐνεργείας τοῦ μονογενοῦς, ὅσα ἂν πιστεύ-
σῃς παρῆχθαι δι' αὐτῆς καὶ πεποιῆσθαι, ὑδὲν
ἐλάττων γέγονε. καὶ πάλιν· τοῦ εὐαγγελίου εἰ-
ρηκότος, ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἡμεῖς πάν-
τες ἐλάβομεν, ἐπὶ γὰρ τοῦτο τέως ἀκτέον τὸν
λόγον· ὑ μεθεκτέα, φησὶν, ἔχει τιμὴν δωρεάν,
ἀλλ' αὐτοπηγὴ καὶ αὐτορίζα ἐστὶ τῶν καλῶν·
αὐτοζωὴ καὶ αὐτοφῶς καὶ αὐτοαλήθεια· ὑκ ἐν ἑ-
αυτῷ συνέχων τῶν ἀγαθῶν τὸν πλοῦτον, ἀλλὰ
καὶ εἰς τοὺς ἄλλους ἅπαντας ὑπερβλύζων αὐτὸν·
καὶ μὴ τὸ ὑπερβλύσαι, μένων πλήρης, καὶ ὑδε-
νὶ ἐλαττούμενος ἐκ τῆς εἰς ἑτέρους χορηγίας,
ἀλλ' ἀεὶ πηγάζων, καὶ πᾶσι τύπον μεταδιδοὺς
τῶν καλῶν, ἐπὶ τῆς αὐτῆς μένει τελειότητος.
ὃ δὲ ἐγὼ φέρω, μεθεκτόν ἐστι· παρ' ἑτέρου γὰρ
ἔλαβον αὐτὸ, καὶ μικρόν τι τοῦ παντὸς, καὶ οἱο-
νεὶ σταγὼν ἀτελὴς πρὸς ἄβυσσον ἄφατον καὶ
πέλαγος ἄπειρον. μᾶλλον δὲ, ὑδὲ τοῦτο τὸ
παράδειγμα παρασῆσαι δυνήσεται ἂν ὅπερ ἐπι-
χειρούμεθα εἰπεῖν. σταγόνα μὲν γὰρ ἀπὸ τοῦ πελά-
γους ἂν ἐξέλῃς, αὐτῷ τούτῳ τὸ πέλαγος ἐλάττωσας. εἰ καὶ ἀφανὴς ἡ ἐλάττωσις. ἐπὶ δὲ
τῆς πηγῆς ἐκείνης, ὑκ ἔστι τοῦτο εἰπεῖν· ἀλλ'
ὅσον ἂν τις ἀρύσηται, μένει μηδὲν ἐλαττόμε-

ANNO CHRISTI 1350

γος. διὸ χρὴ μάλιστα, ἐφ' ἑτέρων ὑπόδειγμα ἐλθόντα, ἀδενὶς μὴ καὶ αὐτὸ, καὶ ὑ δυνάμενον ὅπερ ζητοῦμεν παρασῆσαι· μᾶλλον δὲ τοῦ προτέρου χειραγωγοῦν ἡμᾶς πρὸς τὴν ἔννοιαν τὴν προκειμένην ἡμῖν πάλιν. ὑποθέμεθα γὰρ εἶναι πυρὸς πηγὴν, εἶτα ἀπὸ τῆς πηγῆς ἐκείνης μυρίους ἀνάπτεσθαι λύχνους, καὶ τρὶς, καὶ πολλάκις. ἆρα οὐκ ἐν τῇ αὐτῇ μένει πληρότητος τὸ πῦρ, καὶ μὴ τὸ μεταδίδοναι τοσάκις τῆς ἐνεργείας αὐτοῦ; παντί που δῆλον ἐστὶ. εἰ δὲ ἐπὶ τῶν σωμάτων, τῶν μερικῶν, τῶν ἐλαττουμένων ὑπὸ τῆς ἀφαιρέσεως, ἄρά τι τοιοῦτον, ὃ καὶ μὴ τὸ παραχεῖν ἑτέροις τὰ παρ' ἑαυτοῦ οὐδὲν παραλάπτεται, πολλῷ μᾶλλον ἐπὶ τῆς ἀσωμάτου καὶ ἀκηράτου δυνάμεως ἐκείνης τοῦτο συμβήσεται. εἰ γὰρ ἔνθα οὐσία ἐστὶ τὸ μεταλαμβανόμενον καὶ σῶμα, καὶ μερίζεται καὶ οὐ μερίζεται, πολλῷ μᾶλλον ὅταν περὶ ἐνεργείας ὁ λόγος ᾖ, καὶ ἐνεργείας τῆς ἐκ τῆς ἀσωμάτου οὐσίας, οὐδὲν εἰκὸς τοιοῦτον παθεῖν. διὰ τοῦτο καὶ ὁ Ἰωάννης ἔλεγεν, ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ πάντες ἐλάβομεν. ἡμεῖς πάντες ἐλάβομεν. ἡμεῖς οἱ δώδεκα, οἱ τριακόσιοι, οἱ πεντακόσιοι, οἱ τεχίλιοι, οἱ πεντακισχίλιοι, αἱ πολλαὶ τῶν Ἰουδαίων μυριάδες, ἅπαν τὸ πλήρωμα τῶν πιστῶν, καὶ τότε, καὶ νῦν, καὶ αὖθις ἐσομένων, ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἐλάβομεν. Τί δὲ ἐλάβομεν; χάριν ἀντὶ χάριτος, φησίν.

A quid invenitur, quod nequaquam largitus est aliis quæ sua sunt, nihil damni patitur; multo magis in corporea & incorrupta virtute illa id continget. Si enim ubi essentia est quod participatur, & corpus, & dividitur, & non secatur; multo magis quando de operatione sermo fuerit, & ea quidem quæ fit ex essentia experte corporis, nihil tale consentaneum est accidere? Propterea etiam Joannes dicebat, De plenitudine ejus omnes accepimus. Nos omnes accepimus. Nos duodecim, trecenti, quingenti, ter mille, quinquies mille, multæ Judæorum myriades, universa plenitudo fidelium, & qui tunc fuerunt, & qui nunc sunt, & qui in posterum erunt: de plenitudine ejus accepimus. Quid autem accepimus? Gratiam pro gratia, inquit.

B

Καὶ ὁ μέγας Βασίλειος τὸν πεντεκαιοκτωκοστὸν ἐγδοον ψαλμὸν ἐξηγούμενος, φησίν· τὸν μὲν ἄνθρωπον ὁ θεὸς ἐποίησε ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πυρὸς φλόγα· ἀλλ' ὅμως ἡ γε τοῦ νοεῖν καὶ συνιέναι τῶν ἑαυτῶν κτίστην καὶ δημιουργὸν δυνάμις, καὶ ἐν ἀνθρώποις ὑπάρχει. ἐνεφύσησε γὰρ εἰς τὸ πρόσωπον, τουτέστι, μοῖραν τινὰ τῆς ἰδίας χάριτος ἐναπέθετο τῷ ἀνθρώπῳ, ἵνα τῷ ὁμοίῳ ἐπιγνώσκῃ τὸ ὅμοιον. καὶ πάλιν ὁ αὐτὸς ἐν τοῖς πρὸς Ἀμφιλόχιον περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· ἀνακηρύττων, φησὶ τὸν ἄνθρωπον ὁ κύριος, καὶ λοῦ ἀπώλεσε χάριν ἐκ τοῦ ἐμφυσήματος αὐτοῦ, τοῦτον πάλιν ἀποδιδοὺς, ἐμφυσήσας εἰς τὸ πρόσωπον τῶν μαθητῶν, τί φησιν; λάβετε πνεῦμα ἅγιον. καὶ ὁ θεῖος Δαμασκηνὸς ἐν τῷ περὶ προγνώσεως καὶ προορισμοῦ τῶν θεολογικῶν αὐτοῦ κεφαλαίων· τοῦτον, φησὶ τὸν ἄνθρωπον ὁ δημιουργὸς ἄρρενα κατεσκεύασε, μεταδοὺς ἑαυτοῦ θείας χάριτος, καὶ ἐν κοινωνίᾳ ἑαυτοῦ διὰ ταύτης αὐτὸν ποιησάμενος. καὶ πάλιν ὁ μέγας Βασίλειος ἐν τοῖς πρὸς Ἀμφιλόχιον· τίς, φησιν, οὕτως ἀνήκοος τῶν ἡτοιμασμένων ἀγαθῶν παρὰ θεῷ τοῖς ἀξίοις, ὡς ἀγνοεῖν ὅτι τῶν δικαίων ὁ στέφανος, ἡ τοῦ πνεύματός ἐστι χάρις διαυγεστέρα τότε καὶ πλουσιωτέρα παρεχομένη;

C

Magnus etiam Basilius quadragesimum octavum Psalmum enarrans, ait: *Hominem quidem Deus fecit ex terra, & ministros suos flammam ignis; sed tamen vis cogitandi & cognoscendi creatorem suum & opificem, etiam hominibus inest. Insufflavit enim in faciem, hoc est, partem aliquam suæ gratiæ deposuit in homine, ut simili agnoscat simile.* Et idem iterum in scriptis ad Amphilochium de Spiritu sancto: *Renovans*, inquit, *hominem Dominus, & quam amisit gratiam ex insufflatione ejus, hanc rursum restituens, insufflavit in faciem discipulorum, quid dicit? Accipite Spiritum sanctum.* Et divinus Damascenus, in capite de præscientia & prædestinatione, inter Theologica ipsius capita; *Hunc*, inquit, *hominem creator masculum constituit, impartiens ei divinam suam gratiam, & sua eum per ipsam donans consortio.* Iterumque magnus Basilius in scriptis ad Amphilochium: *Quis*, inquit, *adeo ignorat quæ præparata sint bona a Deo dignis, ut nesciat justorum coronam esse Spiritus gratiam copiosiorem tunc, & perfectiorem futuram?*

D

Ἀλλὰ καὶ ὁ ἅγιος Κύριλλος ἐν τῷ τρίτῳ τῶν πρὸς Ἑρμείαν, ἐρωτῶντος αὐτὸν τοῦτο δὴ Ἑρμείου, περὶ τῆς ἐν ἡμῖν θείας ἐνοικήσεως καὶ μετοχῆς, καὶ λέγοντος· πάλιν ὡς ἥδιστα ἂν σου διακυβεύσαιμι τοῦ, ὅπως ἂν ἐν ἡμῖν ἦτε τοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ πλήρωσις νοεῖτό τε καὶ πράττοιτο, μία τις οὖσα καὶ οὐ διάφορος. ἀπεκρινάμενος οὖν δὴ ὁ ἅγιος Κύριλλος· καὶ μάλα, φησὶν, οὐδ' ἀμφιβόλως εἴγε δὴ τοῦτο χαλεπὸν ἢ

E

Sed & sanctus Cyrillus in libro tertio ad Hermiam, suscitante ab eo ipsomet Hermia, de divina in nobis inhabitatione & participatione; ac dicente: *Verum ex te libentissime quæsierim, quomodo in nobis Patris & Filii plenitudo intelligatur & fiat, cum una sit & indiscreta.* Respondens sanctus Cyrillus: *Certe*, inquit, *nihil in eo vel minimum difficile captu vel comprehensu. Quomodo enim aliter, quam per sanctum Spiritum, divinis nos donis replentem per seip-*

ANNO CHRISTI 1350.

seipsum, & ineffabilis natura consortes efficientem? Et rursum idem in Thesauris: *At si quidem est factura, juxta hæreticorum insaniam, Spiritus sanctus; quomodo totam habet Dei operationem? Neque enim quisquam tantum, opinor, excidet a sana mente, ut audeat vel dicere, divinam essentiam, per quædam instrumenta, quæ foras ad esse proferat, ministerium præbere ad operationem, quæ ex ipsa naturaliter irrumpit ad quosdam, qui sunt ad accipiendum idonei.*

Lib. 11. in fine.

Et magnus Athanasius in epistola ad Serapionem: *Omnia*, inquit, *quæ Patris sunt, Filii sunt. Idcirco etiam quæ a Filio in Spiritu dantur, dona sunt Patris, & Spiritus, qui in nobis est. Et Verbum quod hunc dedit, in nobis est, & in Verbo Pater est. Et sic est illud:* Veniemus ego & Pater, & mansionem apud eum faciemus, *quemadmodum dictum est. Ubi enim lux, ibi & splendor est: & ubi splendor, ibi & illius operatio, & splendida gratia. Idque rursum Paulus docens, scripsit ad Corinthios iterum in secunda epistola, dicens:* Gratia Domini nostri JESU Christi, & caritas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis, *Nam quæ datur gratia & largitio, in Trinitate tribuitur, a Patre per Filium in Spiritu sancto. Quemadmodum enim ex Patre est quæ per Filium datur gratia, sic neque fieri potest communicatio largitionis in nobis, nisi in Spiritu sancto. Hujus enim facti participes, habemus Patris caritatem, & Filii gratiam, & ipsius Spiritus communicationem. Una igitur ex his Trinitatis operatio esse ostenditur.*

Joan. 14. 23.

2. Cor. 13. 13.

Sed & sanctus Anastasius in sua oratione de Spiritu sancto; *Consentientia sunt*, inquit, *& quæ sunt a divino Paulo de Spiritu dicta. Nam eos qui crediderunt, templa Dei appellavit, inhabitantem adeptos gratiam Spiritus.* Nescitis *enim* quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? *Et iterum:* Nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti in vobis, quem habetis a Deo? *Hæc vero manifeste docent, divinæ naturæ esse sanctissimum Spiritum. Si enim templum Dei nuncupantur ii qui crediderunt, eo quod gratiam Dei susceperunt; ex Deo utique Spiritus sanctus est. Nam quia hujus gratiam inhabitantem habent, Dei templum appellati sunt.*

1. Cor. 6. 19. *ex Græco.*

Et divinus Chrisostomus in quarta Enarratione in Acta, ubi illud explicat, *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis: Recte*, inquit, *dixit* dispertitæ: *ex una enim erant radice: ut discas operationem esse a Paracleto missam.* Et rursum idem in eodem loco: *Et repleti sunt*, inquit, *omnes. Non tenuiter acceperunt Spiritus gratiam, sed repleti sunt.*

Quin etiam Massalianis dicentibus, in par-

A Δυσίφικτον. πῶς γὰρ ἂν ἑτέρως, ἢ διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος, θείων ἡμᾶς χαρισμάτων ἀναπίμπλαντος δι' ἑαυτοῦ, καὶ τῆς ἀῤῥήτου φύσεως κοινωνοὺς ἀποφαινόμενος; καὶ πάλιν ὁ αὐλὸς ἐν τοῖς θησαυροῖς· ἀλλ' εἴπερ ἐστὶ ὄντως ποίημα, κατὰ τὴν τοῦ ἐπροδόξων μανίαν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, πῶς ὅλην ἔχει τοῦ Θεοῦ τὴν ἐνέργειαν; ὁ γὰρ δήτις τοσοῦτον, οἶμαι, τοῦ φρονεῖν ὀρθῶς ἐκβήσεται, ὡς τολμῆσαι καὶ μόνον εἰπεῖν, τὴν θείαν οὐσίαν, δι' ὀργάνων τινῶν, ἔξωθεν εἰς τὸ εἶναι παρενεχθέντων, διακονεῖσθαι πρὸς ἐνέργειαν, τὴν ἐξ αὐτῆς διαβαίνουσαν φυσικῶς πρός τινας ἐπιτηδείως πρὸς τὸ λαβεῖν.

B Καὶ ὁ μέγας Ἀθανάσιος ἐν τῇ πρὸς Σαραπίωνα ἐπιστολῇ· πάντα, φησὶ, τὰ τοῦ πατρὸς, τοῦ υἱοῦ ἐστι. διὸ καὶ τὰ παρὰ τοῦ υἱοῦ ἐν πνεύματι διδόμενα, τοῦ πατρός ἐστι χαρίσματα, καὶ τοῦ πνεύματος ὄντος ἐν ἡμῖν· ὁ δὲ Λόγος ὁ τοῦτο διδοὺς, ἐστὶν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐν τῷ λόγῳ ἐστὶν ὁ πατήρ· καὶ οὕτως ἐστὶ τὸ, ἐλεύσομεθα πρὸς αὐτὸν καὶ ὁ πατὴρ, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν· καθάπερ εἴρηται. ἔνθα γὰρ τὸ φῶς, ἐκεῖ ἀπαύγασμα· καὶ ἔνθα τὸ ἀπαύγασμα, ἐκεῖ καὶ ἡ τούτου ἐνέργεια, καὶ αὐγοειδὴς χάρις. καὶ τοῦτο πάλιν ὁ Παῦλος διδάσκων, ἔγραφε αὖθις Κορινθίοις, ἐν τῇ δευτέρᾳ ἐπιστολῇ λέγων· ἡ χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ, καὶ ἡ κοινωνία τοῦ ἁγίου πνεύματος εἴη μετὰ πάντων ὑμῶν. ἡ γὰρ διδομένη χάρις καὶ δωρεὰ ἐν Τριάδι δίδοται, παρὰ πατρὸς δι' υἱοῦ ἐν πνεύματι ἁγίῳ. ὥσπερ γὰρ ἐκ πατρός ἐστι διὰ υἱοῦ ἡ διδομένη χάρις, οὕτως οὐκ ἂν γένοιτο κοινωνία τῆς δόσεως ἐν ἡμῖν, εἰ μὴ τὸ πνεύματι τῷ ἁγίῳ. τούτου γὰρ μετέχοντες, ἔχομεν τοῦ πατρὸς τὴν ἀγάπην, καὶ τοῦ υἱοῦ τὴν χάριν, καὶ αὐτοῦ τοῦ πνεύματος τὴν κοινωνίαν. μία ἄρα ἐκ τούτων ἡ τῆς Τριάδος ἐνέργεια δείκνυται.

C Ἀλλὰ καὶ ὁ ἅγιος Ἀναστάσιος τὸ τῷ περὶ τοῦ πνεύματος λόγῳ αὐτοῦ, συνῳδά, φησὶ, καὶ τὰ παρὰ τοῦ θεσπεσίου Παύλου περὶ τοῦ πνεύματος εἰρημένα. τοὺς γὰρ πεπιστευκότας, ναοὺς Θεοῦ προσηγόρευσεν, οἰκεῖον ἐχηκότας τὴν χάριν τοῦ πνεύματος· οὐκ οἴδατε γὰρ ὅτι ναὸς Θεοῦ ἐστε, καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν; καὶ πάλιν· οὐκ οἴδατε ὅτι τὰ σώματα ὑμῶν ναὸς τοῦ τὸ ὑμῖν ἅγιον πνεύματός ἐστιν, ὃ ἔχετε ἀπὸ Θεοῦ; ταῦτα δὲ ἄντικρυς διδάσκει τῆς θείας φύσεως εἶναι τὸ πανάγιον πνεῦμα. εἰ γὰρ ναὸς Θεοῦ χρηματίζουσιν οἱ πιστεύσαντες, ἐπειδὴ τοῦ πνεύματος τὴν χάριν ἐδέξαντο, ἐκ τοῦ Θεοῦ ἄρα τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. τὴν γὰρ τούτου χάριν ἐνοίκον ἐχηκότες, Θεοῦ ναοὶ ὠνομάσθησαν.

D Καὶ ὁ θεῖος Χρυσόστομος τὸ τῶν δ'. τῆς εἰς τὰς πράξεις ἐξηγητικῶν, τὸ, καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς ἐκπτύσαν, καλῶς, φησὶν, εἶπε διαμεριζόμενοι· ἐκ μιᾶς γὰρ ἦσαν ῥίζης· ἵνα μάθῃς ὅτι ἐνέργεια ἐστὶν ἀπὸ τοῦ παρακλήτου πεμφθεῖσα. καὶ πάλιν ὁ αὐτὸς ἐν τῷ αὐτῷ· καὶ ἐπλήσθησαν, φησὶν, ἅπαντες· οὐκ ἁπλῶς ἔλαβον τὸ πνεύματος τὴν χάριν, ἀλλ' ἐπλήσθησαν.

Ἀλλὰ καὶ τοῖς Μασσαλιανῶν λεγόντων, ὡς

ANNO CHRISTI 1350.

τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ οὐ μετοχῇ καθίστασι οἱ παρ' ἐκείνοις κεκαθαρμένοι, καὶ προφερόντων τὸ εὐαγγελικὸν ἐκεῖνο τὸ, ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν· καὶ τοῦτο φορὰ τὴν ἑαυτῶν δυσσεβειαν λίαν ἀνοήτως διαστρεφόντων· ἡ καθ' αὐτὸν δὴ τὸν Μασσαλιανῶν συστᾶσα σύνοδος, τὴν ἐκείνων πονηρὰν δόξαν ἀποφαινόμενα, γίνεταί τις, φησὶν, ἐπιδημία τοῦ παρακλήτου, καὶ ἐνοικεῖ τοῖς ἀξίοις ὁ Θεός, ἀλλ' οὐχ ὡς ἔχει φύσεως ἡ θεότης.

Μετὰ τοῦτο ἐζητήθη δεχθῆναι παρὰ τῶν ἁγίων ὅτι τι ἄκτιστόν ἐστι τὸ φῶς τῆς τοῦ κυρίου μεταμορφώσεως, καὶ ὅτι οὐκ ἔστι τοῦτο ἡ οὐσία τοῦ Θεοῦ. καὶ πάντες χειδὸν εἶπον, ὅτι ἀποδεικθὲν τοῦτο κατὰ τὴν τετάρτην συνέλευσιν, οὐ μὴ παρόντες οἱ ἀντιλέγοντες τῇ ἐκκλησίᾳ, νῦν μὲν κτιστὸν εἶναι τοῦτο τὸ φάντασμα καὶ εἴδωλον φανερῶς βλασφημοῦντες ἔλεγον· νῦν δὲ, καὶ τοῦτο ἀσεβῶς ἔλεγον, ἄκτιστον καὶ οὐσίαν εἶναι Θεοῦ. προϊκθὴ γὰρ ἐν ἐκείνῃ τῇ συνελεύσει, ὁ τῆς θεολογίας ἐπώνυμος ἱεραρχος, γράφων· ὑδεὶς ἐστὶν ὑπόστημα οὐσίας ἐκείνου, κατὰ τὸ γεγραμμένον, καὶ Θεοῦ φύσιν οὐδεὶς ἐξηγήσατο. καὶ ὁ θεῖος Μάξιμος γράφων ἐν ἑβδόμῳ κεφαλαίῳ τῆς τρίτης τῶν θεολογικῶν ἑκατοντάδος· ὁ τοῖς ἐστι μὴ κατ' οὐσίαν ὑπάρχων μεθεκτὸς, κατ' ἄλλον δὲ τρόπον μετέχεσθαι τοῖς δυναμένοις βουλόμενος, τοῦ κατ' οὐσίαν κρυφίου παντελῶς ἐκλείπεται. καὶ ὁ θεῖος Χρυσορρήμων εἰς τὴν αὐτὴν ἑορτὴν γράφων. ἐν τῷ ὄρει, φησὶ, μεταμορφωθεὶς ὁ σωτὴρ μικρῶς πως, ὡς δεσπότης ἔδειξε τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς τῆς ἀθανάτου θείας αὐτοῦ βασιλείας τὴν δόξαν. ἀλλ' ὅσοι ἐρῶσιν οἱ ἀπόλωνον καὶ σκληρότητι περιφέροντες γλῶσσαν. ναὶ· οὐ ἀθάνατος ἡ θεία αὐτοῦ δόξα, πῶς ὑπέδειξεν αὐτὴν τοῖς ἀποστόλοις; εἰ γὰρ ὁρατὴ, οὐκ ἀθάνατος. εἰ δὲ ἀθάνατος, οὐχ ὁρατή. διὸ ἄκου σιωπῶντος· σιωπῶν ὁ δεσπότης Χριστὸς τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς ἐπέδειξε τὴν ἀθάνατον αὐτοῦ βασιλείας τὴν δόξαν, καὶ οὐκ ἐπέδειξε· ἵνα τὸν μὲν πληροφορῶν, τὸν δὲ φειδόμενος· πληροφορῶν μὲν γὰρ ἔδειξε αὐτοῖς τῆς ἀθανάτου βασιλείας τὴν θείαν δόξαν· οὐχ ὅσον τις ἴδοι, ἀλλ' ὅσον ἠδύνατο βλέπειν οἱ σωματικοὶ ὀφθαλμοὶ κεκρατεῖν· φειδόμενος δὲ καὶ οὐχὶ φθόνῳ οὐκ ἔδειξε αὐτοῖς τῆς ἀθανάτου βασιλείας τὴν πᾶσαν θείαν αὐτοῦ δόξαν, ἵνα μὴ σωθῇ ὁρᾶσιν καὶ τὴν ζωὴν ἀπολέσωσιν. ἀλλὰ καὶ πάντες οἱ ἅγιοι, ἐλλαμψιν αὐτὸ λέγοντες καὶ λαμπρότητα καὶ χάριν, καὶ δόξαν καὶ θεότητα παραδεχθεῖσαν μικρῷ τερπνοτέραν καὶ ὄψεως, καὶ φῶς ἀπρόσιτον, καὶ φυσικὴν ἀκτῖνα τοῦ υἱοῦ· ἄναρχον βολίδα θεότητος, ἀστραπὴν θεότητος, καὶ τὰ τοιαῦτα.

Προϊκθὴ δὲ ἐν ἐκείνῃ τῇ συνελεύσει καὶ ὁ ἐπὶ τόποις συνοδικὸς πρῶτος τόμος, ὃς τοῦτο φιλοσεβῶς καὶ βεβαίως ἀπέδειξεν, ἄκτιστον καὶ οὐκ οὐσίαν, διὰ πολλῶν τῶν ἐκ τῆς θείας γραφῆς μαρτυριῶν, καὶ τῶν τοῦ τετμακαρίου καὶ ἀοιδίμου Βασιλέως ἡμῶν ἐκείνου κυρίου Ἀνδρονίκου τοῦ Παλαιολόγου συμφώνως τοῖς ἁγίοις

A ticipatione divinæ essentiæ constituunt eos, qui apud ipsos essent purgati; proferentibusque illud Evangelicum, *Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: & hoc juxta suam impietatem valde absurde detorquentibus; quæ contra eosdem Massalianos conflata est synodus, eorum scelestam opinionem confutans, *Fit quidem*, inquit, *adventus Paracleti, & inhabitat Deus in his qui digni sunt, sed non ut se habet natura deitatis*.

ANNO CHRISTI 1350. Joan. 14. 23.

Postea quæsitum est, ut ostenderetur ex scriptis sanctorum, increatum quiddam esse lumen Dominicæ Transformationis, nec tamen illud B essentiam Dei esse. Et omnes fere dixerunt, demonstratum illud sessione quarta; in qua cum præsentes adessent qui Ecclesiæ contradicunt, nunc quidem creatum illud esse, & visionem, & velamen & imaginem, aperte blasphemantes dixerunt: nunc vero æque impie protulerunt, illud increatum & ipsammet essentiam Dei esse. Productus est enim in illa sessione Gregorius, cui a Theologia cognomen est; quique sic scribit: *Nemo est in substantia & essentia Domini, sicut scriptum est; nemo Dei naturam aut vidit aut enarravit*. Et divinus Maximus scribens in septimo capite tertiæ centuriæ rerum Theologicarum: *Qui iis quæ sunt imparticipabilis est secundum essentiam, alio modo* C *participari volens ab his qui possunt, non exit prorsus ab absconditio essentia sua*. Et divinus Chrysostomus in eamdem festivitatem scribens; *In monte*, inquit, *transformatus Salvator modico tempore tanquam Dominus, exhibuit discipulis suis invisibilis divinæ suæ majestatis gloriam. Sed statim dicent qui effrenatam & venaticam linguam circumferunt: Immo vero, si invisibilis est ipsius gloria, quomodo ostendit eam Apostolis? Nam aspectabilis, non est invisibilis: si autem invisibilis, non est aspectabilis. Itaque audi & intelligo. Illic Dominus Christus suis discipulis ostendit invisibilis suæ majestatis gloriam, & non ostendit. Hoc est, tenuiter aperuit deitatem, & non plene: alterum quidem ut eos confirmaret,* D *alterum ut eisdem parceret. Confirmans quidem ostendit illis invisibilis majestatis divinam gloriam, non quanta quanta est, sed quantum poterant intueri, qui corporeos oculos circumferrent. Parcens autem, nec invidens, non ostendit illis invisibilis majestatis omnem divinam suam gloriam; ne videntes vitam amitterent*. Sed & omnes sancti lumen illud illustrationem vocant, & splendorem, & gratiam, & deificationem, & deitatem ostensam paulo solidiorem quam oculis possit conspici, & lumen inaccessibile, & naturalem Filii radium; principio carentem facem deitatis, deitatis coruscationem, & similia.

Jerem. 23. 18. ex Græco.

Inter dubia opera, apud Savil. tomo 7. pag. 339.

Productus autem est in illa sessione de his synodicus primus Tomus, qui pie firmiterque demonstravit, esse lumen illud increatum, nec tamen Dei essentiam, multis ex divina scriptura testimoniis, & verbis religiosisque sanctionibus ter beatissimi ac celebratissimi Imperatoris nostri illius domini Andronici Palæologi quæ sanctorum dictis consentiunt. Huic sacro ac divino

ANNO CHRISTI 1351.

no Tomo videntes adversari & contradicere eos, qui etiam sacratissimo Thessalonicensi adversantur, eos abjicimus: ut qui nunc quidem creatum lumen Dominicæ Transformationis, nunc vero valde stulte essentiam Dei illud esse statuant: nec confiteantur habere essentiam Dei & virtutem increatam & operationem; sed omnes communes virtutes & operationes Patris & Filii & Spiritus sancti in ordinem rerum creatarum insipienter detrahunt; & multorum deorum cultores arbitrantur eos, qui increatum fatentur Deum, non secundum essentiam dumtaxat, verum etiam secundum hypostases, & secundum communes trium hypostaseon divinas virtutes & operationes.

Post hæc omnia Acindyni liber in medium productus, lectus est: in quo & alias quidem pravas opiniones novas ac veteres visus est adstruere; affirmabat autem se nullam constituere operationem increatam communem deitati tripliciter subsistenti, nisi solum Filium & Spiritum sanctum. At divina synodus, sancte ac religiose agnoscens, Marcelli, Photini, & Sophronii, veterum hæreticorum, impietatem illam esse, illico divinum Chrysostomum contra hanc pravam opinionem proferunt, quasi quemdam e cælo ipsum demittentes turbinem ignem, qui tanquam virgulta arida Acyndini deliria concremaret. Nam is exponens epistolam ad Philippenses; *Marcellus*, inquit, *& Photinus, & Sophronius, Verbum operationem esse dicunt: operationem autem istam inhabitasse in eo, qui ex semine David, non essentiam subsistentem. Arius Filium quidem constituit, sed verbo tenus: creaturam autem esse ait, & Patre longe minorem. Alii vero negant ipsum habere animam. Vidisti currus stantes? Considera igitur ipsorum etiam casus: quomodo simul omnes defigens vulnerat, & una plaga omnes repente quodammodo prostornat.* Hoc enim sentite in vobis, *inquit*, quod & in Christo JESU; qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æque ac Deum. *Hinc & Paulus Samosatenus cecidit, & Marcellus & Sabellius.* Cum *enim*, *inquit*, in forma Dei esset. *Quomodo igitur, scelesta, dicis; A Maria cœpit, & prius non erat? Quomodo tu dicis, Operatio fuit? Nam Dei forma, inquit, formam servi accipit. Forma servi an operatio servi est, an non potius natura servi? Omnino scilicet natura servi est. Igitur & forma Dei, Dei natura est; non utique operatio.*

Philip. 2. 5. ex Græco.

Sed & Nyssenus divinus Gregorius, in oratione ad Ablavium; *Deus*, inquit, *operantem significat: deitas vero, operationem: nullum autem e tribus operatio est; sed potius operans unumquodque eorum est.*

Ex his itaque divina synodus; Ostensum est, inquit, eum qui dicit, solum Filium & Spiritum sanctum increatas operationes esse, ut qui non communem operationem existimet naturalem trium hypostaseon, quam Acindynus res-

ἡμάτων, καὶ θεοσεβῶν θεσπισμάτων. πρὸς ὃν ἱερὸν καὶ θεῖον τόμον ἀντικειμένους ἰδόντες τοὺς καὶ ἀντιλέγοντας τοῖς καὶ τῷ ἱερωτάτῳ Θεσσαλονίκης ἀντικειμένους, ἀπεβαλλόμεθα τούτους· ὡς νῦν μὲν κτίσιν τὸ φῶς τῆς τοῦ κυρίου μεταμορφώσεως, νῦν δὲ λίαν ἀνοήτως, οὐσίαν εἶναι τοῦτο τιθεμένους τοῦ Θεοῦ· καὶ ὡς μὴ ἐνεργοῦντας ἔχειν τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ καὶ δύναμιν ἄκτιστον καὶ ἐνέργειαν, ἀλλὰ φάσκας τοὺς κοινὰς δυνάμεις τε καὶ ἐνεργείας τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἀφρόνως εἰς κτίσμα καταβιβάζοντας, καὶ πολυθέους νομίζοντας, τοὺς ἄκτιστον ὁμολογοῦντας τὸν Θεὸν, μὴ κατ' οὐσίαν μόνον, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὰς ὑποστάσεις, καὶ κατὰ τὰς κοινὰς τῶν τριῶν ὑποστάσεων θείας δυνάμεις τε καὶ ἐνεργείας.

Ἐπὶ τούτοις ἅπασι τὸ τοῦ Ἀκινδύνου βιβλίον εἰς μέσον προενεχθὲν ἀνεγνώσθη· ἐν ᾧ καὶ ἄλλας μὲν κακοδοξίας παλαιάς τε καὶ νέας δογματίζων ἐφαίνετο· διεχωρίζετο δὲ, καὶ μηδεμίαν προσβάλλων ἐνέργειαν ἄκτιστον κοινὴν τῇ τεσσαροστάτῳ θεότητος, εἰ μὴ τὸν υἱὸν μόνον καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ἀλλ' ἡ θεία σύνοδος, καλῶς τε καὶ θεοφιλῶς ἐπιγνοῦσα, Μαρκέλλου καὶ Φωτεινοῦ καὶ Σωφρονίου τῶν παλαιῶν αἱρετικῶν τὴν δυσσέβειαν ταύτην οὖσαν, ὡσεὶ τὸν θεῖον Χρυσόστομον κατὰ τῆς κακοδοξίας ταύτης ἀντεξάγουσι, καθάπερ τινὰ οὐρανόθεν αὐτὸν ἀφιέντες πρηστῆρα, τὰ φρυγανώδη τοῦ Ἀκινδύνου ληρήματα κατακαύσοντα· ὃς δὴ καὶ τὴν πρὸς Φιλιππησίους ἐπιστολὴν ἐξηλώμενος, Μάρκελλος, φησὶ, καὶ Φωτεινὸς, καὶ Σωφρόνιος, τὸν λόγον σὐ ἐνέργειαν εἶναι φασὶν· τὴν δὲ ἐνέργειαν ταύτην σὐκ εἶχεν τῷ ἐκ σπέρματος Δαβὶδ, οὐχ οὐσίαν σὐνιστάσαν. Ἄρειος, υἱὸν μὲν ὁμολογεῖ, ῥήματι δὲ μόνῳ· κτίσμα δὲ εἶναι φησὶ καὶ τοῦ πατρὸς ἐλάττονα πολύ. ἕτεροι δὲ οὐ φασιν ἔχειν αὐτὸν ψυχήν. εἶδες τὰ ἅρματα ἑστῶτα; θεώρει τούτων αὐτῷ καὶ πτώματα, πῶς ὁμοῦ πάντας καταπρόσω βάλλει, καὶ μιᾷ πληγῇ πάντας ἀθρόον πως οὖν καταβάλλει. τοῦτο γὰρ φρονεῖτε καὶ ὑμῖν, φησὶν, ὁ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ· ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. ἐντεῦθεν καὶ Παῦλος ὁ Σαμοσατεὺς ἔπεσε, καὶ Μάρκελλος καὶ Σαβέλλιος. ἐν μορφῇ γὰρ φησι, Θεοῦ ὑπάρχων. πῶς οὖν λέγεις, ἀπὸ Μαρίας, ὦ μιαρὲ, ἤρξατο, καὶ πρὸ τούτου οὐκ ἦν; πῶς δὲ σὺ λέγεις, ἐνέργεια ἦν; μορφὴ γὰρ Θεοῦ, φησιν, μορφὴν δούλου ἔλαβεν. ἡ μορφὴ τοῦ δούλου ἐνέργεια δούλου ἐστὶν, ἡ φύσις δούλου; πάντως δήπου φύσις δούλου. οὐκοῦν καὶ ἡ μορφὴ τοῦ Θεοῦ, Θεοῦ φύσις· οὐκ ἄρα ἐνέργεια.

Ἀλλὰ καὶ ὁ Νύσσης θεῖος Γρηγόριος ἐν τῷ πρὸς Ἀβλάβιον λόγῳ, Θεὸς φησιν, ἐνεργοῦντα δηλοῖ· θεότης δὲ, ἐνέργειαν. οὐδὲν δὲ τῶν τριῶν ἐνέργεια· ἀλλὰ μᾶλλον ἐνεργοῦν ἕκαστον αὐτῷ.

Ἐκ δὴ τούτων ἡ θεία σύνοδος, ἀποδέδεικται, φησὶν, ὡς ὁ λέγων μόνον τὸν υἱὸν καὶ τὸ ἅγιον ἄκτιστος ἐνεργείας εἶναι τοῦ Θεοῦ, ὡς μὴ κοινὴν ἐνέργειαν δεχόμενος φυσικὴν τῶν τριῶν ὑποστάσεων, ἣν ὁ Ἀκίδυνος ἀθετεῖ, τὴν Μαρ-

ANNO CHRISTI 1351.

κέλ-

ANNO CHRISTI 1350.

κέλλου καὶ Φωτεινοῦ καὶ Σωφρονίου αἵρεσιν πάλιν ἀνα-
τεθηκυῖαν καὶ καταργηθεῖσαν, εἰς τὴν ἐκκλη-
σίαν τολμᾷ παρεισάγειν Θεοῦ. εἰ δὲ καὶ λέγεται τῆς
ἁγίας δυνάμεις ἢ ἐνέργεια εἶναι τοῦ υἱοῦ ἢ τὸ πνεῦ-
μα τὸ ἅγιον, ἀλλὰ τοῦ πατρός· καὶ ἑκάτερον ὡς
ὑπόστασις τελεία, καὶ ἐνέργειαν καὶ δυνάμιν ἔχον·
καὶ ἔστι τοῦτο κοινὸν ὄνομα, κατὰ τὸν θεῖον Διο-
νύσιον, τῆς ὁλοτελοῦς καὶ ὑπερπλήρους θεότη-
τος· καθ' ὃ σημαινόμενον καὶ ὁ πατὴρ δύναμις
καλεῖται. ἡμῖν δὲ οὐ περὶ ταύτης τῆς ἐ-
νεργείας καὶ δυνάμεως, ἀλλὰ περὶ τῆς κοινῆς τῆς
τεσσαρεσκαιδεκάτου θεότητος, ἥτις οὐχ ὑφέστασις ἐστί,
ἀλλὰ φύσει καὶ ὑπερφυῶς προσεστιν ἑκάστῃ τῶν
B θεαρχικῶν ὑποστάσεων, κατὰ τὴν τῶν θεολόγων
παράδοσιν. ἕνα γὰρ θεὸν ἐν τρισὶν ὑποστάσεσιν,
κατὰ τὸν μέγαν Ἀθανάσιον θεολογοῦμεν· μίαν
ἔχοντα τὴν οὐσίαν καὶ τὴν δύναμιν καὶ τὴν ἐνέρ-
γειαν, καὶ ὅσα ἄλλα περὶ τὴν οὐσίαν θεολο-
γούμενα καὶ ὑμνούμενα. καὶ ἵνα τύπον δῶμεν
τῷ λόγῳ, καὶ ἄθροισμα ἢ πλήρωμα τὰ κατὰ
θεολογίαν ἔχομεν, καθεξῆς ἀκούσωμεν, ὅτι
τὸ ἄκτιστον, τὸ ἀσώματον, τὸ ἄχρονον, τὸ ἀνάρ-
χον, τὸ ἀΐδιον, τὸ ἀσάλευτον, τὸ ἄπειρον,
τὸ ἀσχημάτιστον, τὸ θεὸν θεῶν λέγεσθαι αὐ-
τὸν, τὸ κύριον κυρίων, τὸ βασιλεῖα βασιλεύον-
C τα, τὸ παντοκράτορα, τὸ ποιητὴν, τὸ δημιουρ-
γὸν, τὸ φῶς, τὸ ἅγιον, τὸ ζωὴ, τὸ ἀγαθὸν,
τὸ ἰσχυρὸν, τὸ παντοδύναμον, καὶ ὅσα ἄλλα
κατὰ τὴν ὑπεροχὴν καὶ αἰτιολογίαν, οὐχ ἕκαστον
οὐσία λέγεται, ἀλλὰ περὶ τὴν οὐσίαν· ἃ καὶ ἄ-
θροισμα καὶ πλήρωμα θεότητος λέγεται κατὰ
τὴν γραφὴν, καθ' ἑκάστην τῶν ἁγίων τεσσαρε-
σκαιδεκάτης θεωρήμα καὶ θεολογήμα.
πάντα γὰρ ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ ἐμά ἐστι, καὶ δε-
δόξασμαι ἐν αὐτοῖς. ἄλλως τε δύναμις καλεῖ-
ται ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς, ἢ καὶ τὸ πνεῦμα ἅγιον,
καὶ δι' ἄλλας μὲν αἰτίας, ἃς οἱ θεολόγοι πα-
ρέδοσαν· μάλιστα δὲ, ὡς ὅλης τῆς πατρικῆς δυ-
νάμεως ἐναποκειμένης τῷ υἱῷ, ὡς ὁ μέγας
D βασιλεὺς ῥητῶς τοῦτο γράφει Εὐνομίῳ πα-
λαιῶν. πῶς οὖν δίκαιον ἀναιρεῖν τὴν φυσικὴν καὶ
κοινὴν τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης θεότητος δύναμιν, δι' ἣν
καὶ ὁ υἱὸς καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον δύναμις τοῦ
πατρὸς παρὰ τῶν θεολόγων ὑμνεῖται;

Ἐπὶ τούτοις ὁρισμῷ τοῦ κρατίστου καὶ ἁγίου ἡμῶν αὐτοκράτορος καὶ βασιλέως, ἠρωτᾶτο παρὰ τοῦ μεγάλου χαρτοφύλακος καὶ ὑπάτου τῶν φιλοσόφων, τῶν ἀρχιερέων ἕκαστος καὶ τῶν συγκλητικῶν καὶ ἐκκλησιαστικῶν ἀρχόντων, τίνα γνώμην ἔχει περὶ τῶν λαληθέντων, τῶν πάντων καὶ ἐπὶ θείας καὶ ἱερᾶς σινόδου· καὶ καθ' ἕνα πάντες ἀναμφιβόλως ἔχειν περὶ τούτων ἀπεφήναντο· καὶ πολλὰ χάριν εἰδέναι τῷ ἱερωτάτῳ μητροπολίτῃ
E Θεσσαλονίκης ἔλεγον, ὡς συμφώνως τοῖς ἁγίοις πᾶσιν εἰπόντι καὶ συγγραψαμένῳ. καὶ εἰς σωτηρίαν τῆς κατ' εὐσέβειαν ἀληθείας ἐπὶ τοσοῦτον σπουδάσαντι, καὶ τοσαυτοῖς ὕβρεσι τε καὶ συκοφαντίαις καὶ ἐπηρείαις ἄλλαις ὑπενεγκόντι ὑπὲρ τοῦ ἐξελέγξαι Βαρλαὰμ ἐκεῖνον, καὶ τὸν Ἀκίνδυνον, καὶ τοὺς μετὰ ταῦτα μέχρι νῦν ἀναφανέντας συμφώνους αὐτοῖς, καὶ τὴν παρὰ τῶν πατέρων πρὸς Θεὸν πίστεως καὶ εὐσεβείας τὴν τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίαν μετοικίσαι σπουδάζοντας. μετὰ δὲ πάν-

puit; Marcelli & Photiani & Sophronii hæresim jam olim demortuam & abolitam, in Ecclesiam Dei audere subinducere. Quamvis autem e sanctis aliqui Filium & Spiritum sanctum virtutem vel operationem dixerunt, sed Patris; & sic uterque ut perfecta hypostasis, & operationem habet & virtutem: & est hoc commune nomen, secundum divinum Dionysium, integræ & superplenæ deitatis: secundum quam significationem etiam Pater Virtus nuncupatur. At nobis non de hac operatione ac virtute, sed de communi tripliciter subsistentis deitatis, quæ non est hypostasis, sed naturaliter & supra naturam inest unicuique divinarum hypostaseon, secundum traditionem Theologorum. Unum enim Deum in tribus hypostasibus, secundum magnum Athanasium, cum de Deo loquimur, prædicamus; unam habentem essentiam, & virtutem, & operationem, & quæcumque alia circa essentiam considerantur, ac de Deo cum laude prædicantur. Atque ut summatim dicamus, & collectionem sive plenitudinem habeamus eorum, quæ de Deo dicuntur, deinceps audiamus: Quod increatum, incorporeum, ante omne tempus, expertem principii, sempiternum, interminatum, infinitum, ignotum, formam non recipientem, ineffabilem, imperveſtigabilem, Deum deorum dicimus ipsum, Dominum dominorum, Regem regnantium, omnipotentem, factorem, conditorem, lumen, sanctum, vitam, bonum, fortem, omnipotentem, & quæcumque alia excellentiam significantia vel causalitatem; non unumquodque essentiam dicimus esse, sed circa essentiam: quæ & collectio & complementum deitatis esse dicuntur secundum scripturam, & in unaquaque trium sanctarum hypostaseon ex æquo considerantur, ac de ea prædicantur. *Omnia enim quæ habet Pater, mea sunt; & clarificatus sum in eis.* Alioqui Virtus Patris Filius appellatur, aut etiam Spiritus sanctus, tum ob alias causas, quas Theologi prodiderunt; tum vero maxime, quod tota virtus Paterna Filio inest, ut magnus Basilius ad verbum scribit, certans adversus Eunomium. Quomodo igitur æquum bonumque fuerit, perimere naturalem & communem tripliciter subsistentis deitatis virtutem, per quam Filius & Spiritus sanctus Virtus Patris esse a Theologis celebrantur?

Joan. 17. 10.

Post hæc jussu potentissimi sanctique nostri Imperatoris ac Regis, rogatus a magno Chartophylace & principe Philosophorum, quilibet ex episcopis & Senatoribus, & Ecclesiasticis præsulibus, qua quisque in sententia esset, de his omnibus quæ dicta & examinata nunc fuerant in divina & sacrosancta synodo. Et omnes singulatim nihil ambigere se de his responderunt; plurimamque gratiam se habere sacratissimo metropolitæ Thessalonicensi dixerunt, quod concordissime cum sanctis omnibus & locutus sit, & scripserit; & ad patrocinium veritatis, quæ fidem spectat, tantum diligentiæ attulerit; & tot contumelias atque calumnias, aliasque injurias pertulerit, ut refelleret Barlaamum istum & Acindynum, & eos qui postea usque nunc exstiterunt consentientes ipsis, quique a tradita nobis a Patribus in Deum fide ac pietate Christi Ecclesiam deducere moliebantur. Post omnes postremo pronunciavit etiam vere magnanimus & rerum divinarum scientia instructissimus, serenissimus, fortissimus, & san-

ANNO CHRISTI 1350.

& sanctus noster Imperator ac Rex, omnibus ex sua sede assurgentibus, tum senatoribus, tum sacratissimis episcopis, ut mos est in talibus, dominus Joannes Cantacuzenus, ita definiens: Magnum improbitas malum est, etiam in terrenis istis humilibusque rebus; cum & gentem totam valeat destruere ac demoliri: quando et quæ ipsi contraria est *justitia*, sicut scriptum est, *elevat gentem*. Quod si autem in rebus infimis improbitas tantum est malum, quanto magis quando in divinam majestatem loquuntur, qui prave sentiunt? cum et ipsa quæ in Deo est veritas injuria afficitur ab his qui spernunt eam; qui vero eam diligunt ac prædicant, quique ulterius pro virili eam defendunt, injuriis vexantur & calumniis et ignominia, ab his qui perversa sententia seducere turbas conantur. Ego sane tantam intueor cum sanctis consensionem, in his quæ dicta sunt a sacratissimo metropolita Thessalonicensi, & in scriptis ejus, quæ modo lecta fuerunt ad defensionem pietatis; & tantum diligentiæ sanctos attulisse in suis lucubrationibus pro divinis dogmatibus proxime propositis, ut nemo eorum qui velint cum probitate & æquitate vivere, ampliorem ea velit desiderare. Pro his autem quæ sunt a beatis Christi discipulis & Apostolis, et a sanctis atque œcumenicis synodis, sanctisque Patribus, de Deo tradita, tanta mihi alacritas est, per Christi gratiam quæ in me est, ut paratus sim, siquidem mihi vel una fuerit hemina sanguinis, hanc effundere prompte pro illis. Gratiam autem habeo etiam ei, qui est super omnia Deus Dominus et dominator noster JESUS Christus, qui magnam misericordiam fecit nobiscum: cum placuit ei manifestari ac stabiliri hodie fidei veritatem, nec passus est aliquid ex ea convelli, aut concuti ab his, qui multis conatibus & dolis et machinationibus eam pervertere ac prosternere ab annis quatuordecim moliuntur. Hæc sane quidem divinissimus Imperator.

Postquam autem profectum est hujus sacrum ac venerandum edictum ad sanctum Montem; ut qui ibi intelligendi vi ac virtute excellerent, convenirent ad synodum convocatam in hanc felicem Magnam Urbem; nec illi possent proficisci, tum ob itineris longitudinem, tum ob molestum anni tempus; idcirco duos ex Monachis sacerdotibus virtute & dicendi vi eximie ornatos, cum relatione ad potentissimum sanctumque nostrum Imperatorem ac regem, qua indicarent se suam sententiam scripto ad synodum misisse. Surrexerunt igitur qui missi fuerant Hieromonachi, & dederunt synodo tractatus, velut communes toti Monti Sancto, quos ibi conscripserat, cum adhuc ibi cum ipsis degeret, sacratissimus metropolita Heracleæ, dominus Philotheus. Protulerunt autem inde missam scripto omnium sententiam: quæ audientibus cunctis perlecta, consentire & ad-

Mont. Athos.

Qui postea Patriarcha CP.

ANNO CHRISTI 1350.

τας ὕστερον ἀπεφήνατο καὶ ὁ μεγαλοφυέστατος ὄντως καὶ τὰ θεῖα σοφός, γαλιλωότατος, κρατιστος καὶ ἄγιος ἡμῶν αὐτοκράτωρ καὶ βασιλεὺς, πάντων τῶν καθέδρας ἐξανασάντων τῶν τε λαμπροτάτων συγκλητικῶν καὶ τῶν ἱεροτάτων ἀρχιερέων, ὥσπερ δὴ νόμος ἐστὶ τοῖς τοιούτοις, κύριος Ἰωάννης ὁ Καντακουζηνὸς, διορισάμενος· ὅτι μέγα ἡ ἀδικία κακὸν, καὶ ἐπὶ τῶν γηΐνων τούτων καὶ χαμερπῶν, ὡς καὶ ἔστιν ὅλον ἀχρειῶσαι καὶ καταστρέψαι δυνάμενον· ἐπεὶ καὶ τὸ ἐναντίον τούτης ἡ δικαιοσύνη, κατὰ τὸ γεγραμμένον, ὑψοῖ ἔστιν. εἰ δὲ ἐπὶ τῶν κάτω ἡ ἀδικία τοσοῦτον μέγα κακὸν, πόσῳ μᾶλλον, ὅταν εἰς τὸ θεῖον ὕψος λαλεῖται, παρὰ τῶν κακῶς φρονούντων; καὶ αὐτὴ ἡ ἐν τῷ Θεῷ ἀλήθεια ἀδικεῖται παρὰ τῶν ἀθετούντων αὐτήν· καὶ οἱ τούτων σέβοντες καὶ ἀνακηρύττοντες, ὅτι δὲ καὶ συνηγορεῦντες πρὸς δυνάμιν, ἐπηρεάζονται καὶ συκοφαντοῦνται καὶ διαβάλλονται, παρὰ τῶν σὸ διεστρόφω γνώμη πλανᾶν τὰς ὄχλους ἐπιχειρούντων. ἐγὼ γοῦν τοσαύτην ὁρῶ τὴν πρὸς ἁγίους συμφωνίαν, τῶν παρὰ τοῦ ἱεροτάτου μητροπολίτου Θεσσαλονίκης λελεγμένων, καὶ νῦν ἀναγνωσθέντων αὐτοῦ συγγραμμάτων εἰς σωτηρίαν τῆς εὐσεβείας· καὶ τοσαύτην ποιησαμένους τοὺς ἁγίους σπουδὴν ἐν τοῖς οἰκείοις συγγράμμασιν ὑπὲρ τῶν προκειμένων ἀρτίων θείων δογμάτων, ὡς μηδένα τῶν μετ' εὐγνωμοσύνης ζῆν ἐθελόντων, πλείω τούτης ἐθελῆσαι ζητῆσαι. ὑπὲρ δὲ ὧν τοῖς τε μακαρίοις τοῦ Χριστοῦ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις καὶ τοῖς ἁγίοις καὶ οἰκουμενικαῖς συνόδοις, καὶ τοῖς ἁγίοις πατράσι τεθεολόγηται, τοσοῦτον τὸ ἐν ἐμοὶ πρόθυμον, διὰ τῆς ἐν ἐμοὶ τοῦ Χριστοῦ χάριτος, ὡς ἕτοιμος εἶναι εἴπερ μοί ἐστι μία κοτύλη πρόσῃν αἵματος, τούτων ἐκχέαι προθύμως ὑπὲρ αὐτῶν. χάριν δὲ ἔχω καὶ τῷ ἐπὶ πάντων Θεῷ τῷ δεσπότῃ καὶ κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ, ὅτι μέγα ἔλεος ἐποίησε μεθ' ἡμῶν, εὐδοκήσας φανερωθῆναι καὶ γνωρισθῆναι σήμερον τὴν τῆς εὐσεβείας ἀλήθειαν, καὶ οὐκ ἐνδοῦς παρατραπῆναί τι τούτης, καὶ σαλευθῆναι παρὰ τῶν πολλοῖς ἐπιχειρήμασι καὶ δόλοις καὶ μηχανήμασιν ἐπιχειρούντων τούτῳ ἐπὶ τεσσαρασκαιδέκα ἐνιαυτοὺς ἤδη διαστρέψαι καὶ καταισχῦναι. ταῦτα μὴν οὖν καὶ ὁ θειότατος βασιλεὺς.

Ἐπεὶ δὲ ἀπελύθη τὸ τοῦ θεῖον καὶ σεπτὸν πρόσταγμα καὶ πρὸς τὸ ἅγιον ὄρος, ὡς ἂν οἱ ἐν τούτῳ σωφρονεῖν καὶ ἀρετῇ διαφέροντες ἐπιδημήσωσιν εἰς τὴν κατὰ τὴν εὐδαίμονα ταύτην μεγαλόπολιν συγκεκροτημένην σύνοδον· ἐκεῖνοι δὲ διά τε τὸ τῆς ὁδοῦ μῆκος, καὶ τὴν τοῦ καιροῦ δυσχέρειαν ἐπιδημῆσαι οὐκ ἴσχυσαν, δύο τῶν ἱερωμένων μοναχῶν ἀρετῇ τε καὶ λόγῳ σεμνυνομένους πέμψουσι, καὶ ἀναφορὰν πρὸς τὴν κρατιστὸν καὶ ἅγιον ἡμῶν αὐτοκράτορα καὶ βασιλέα παραδηλοῦσαν, ὅτι καὶ ἔγραφον τὴν οἰκείαν γνώμην τῇ συνόδῳ ἀπεστείλαν. ἀνέστησαν οὖν οἱ πεμφθέντες ἱερομόναχοι, καὶ ἀπέδοσαν τῇ συνόδῳ λόγους, ὡς κοινοὺς τοῦ ἁγίου ὄρους παντός, ὃς καὶ συνεγράψατο ἐκεῖ ἔτι παραμένων μετ' αὐτῶν ὁ ἱερώτατος μητροπολίτης Ἡρακλείας κύριος Φιλόθεος. προεκόμισαν δὲ τὴν ἐκεῖθεν πεμφθεῖ

φθεῖσαν ἐγγραφον ἀπάντων γνώμαν· ἥ τις καὶ ἀναγνωσθεῖσα εἰς ἐπήκοον πάντων, συμφωνοῦσα τε καὶ συνεπιμαρτυροῦσα δοτίλοι τῷ ἱερωτάτῳ μητροπολίτῃ Θεσσαλονίκης, διὰ πάντων ἐκατὸ τλὶ τῆς εὐσεβείας ἀλήθειαν. τοῦτο δὲ καὶ τὸ ἅγιον ὄρος ἅπαν.

Ἡμεῖς δὲ πᾶσα ἡ ἐξαθροισθεῖσα ἐν τῷ Τρικλίνῳ τῷ ὕπος ἐπιλεγομένῳ Αλεξιακῷ τῶν ἱερῶν Βλαχέρνων, θεία καὶ ἱερὰ σύνοδος χάριτι Χριστοῦ, καὶ κατὰ τῆς εὐσεβείας ὑπερμαχοῦντες, καὶ ἀκριβῶς καὶ προσήκουσαν τλὶ περὶ τῶν προκειμένων σκέψεν καὶ ἐξέτασιν ποιησάμενοι, καὶ τοὺς πρώτους ἐπὶ τοῖοις συνοδικοὺς τόμους ὡς εὐσεβεστάτους ἐπικυρώντες, μᾶλλον δὲ καὶ τούτοις ἑπόμενοι, ἡ μὲν Βαρλαὰμ ἐκεῖνον καὶ τὸν Ακίνδυνον, ὡς εἰς αὐτὰ τὰ κέρατα τῆς εὐσεβείας ἐμπαροινήσαντας, ἐμπαθῶς μεταμεληθέντας, ἔτι περιόντας τοῦ βίου, τῷ ἀπὸ Χριστοῦ ἀναθέματι δικαίως καθυποβάλλομεν. τοὺς δὲ κατὰ ἀναφανέντας καὶ συνοδικῶς ἐξελεγχθέντας ἐκείνοις ὁμόφρονας, καὶ ἁπλῶς ὅσοι τῆς συμμορείας αὐτῆς, ἀποκηρύκτους τε καὶ ἀποβλήτους ἔχομεν τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίας, εἰ μὴ μεταμεληθεῖεν, καὶ τῷ ἀπὸ Χριστοῦ ἀναθέματι καθυποβάλλομεν. καὶ τοὺς κοινωνοῦντας τούτοις οὐ γνώσει ἀκοινωνήτους ἔχομεν· καὶ πάσης ἱερατικῆς λειτουργίας, τοὺς ἔχοντας ἀποχυμνοῦμεν. τοὺς δ' ὑπὸ τούτων συναρπαγέντας, καὶ μὴ τῆς ἐξάρχων τῆς αἱρέσεως ὄντας, ἀμεταμελήτους μὲν μένοντας, τοῖς ὁμοίοις καθυποβάλλομεν, μεταμεληθέντας δὲ γνησίως καὶ ἀναθεματίζοντας τινὰ τοιαύτην καθοδοξίαν καὶ τοὺς εἰς τέλος ἐμμένοντας ταύτῃ, μὴ μόνον εἰς κοινωνίαν τλὶ κατ' εὐσέβειαν, ἀλλὰ καὶ εἰς ἱερωσύνην ἀσμενέστατα προσιέμεθα, μηδαμῶς τούτοις ὑποζιβάζοντες, κατὰ τὴν ἐπὶ τοῖς τοιούτοις διάγνωσιν καὶ ἀπόφασιν τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς ἑβδόμης συνόδου, διοριζομένης· ὅτι τοὺς μὲν πρωτέρχους καὶ προϊσταμένους καὶ τῆς ἀσεβείας ἐκδίκητοι, οὐδὲ μεταμελομένους ὅλως εἰς ἱερωσύνην παραδεχόμεθα· τοὺς δὲ ζιαθέντας, ἢ συναρπαγέντας τε καὶ παρασυρέντας, μεταμελομένους ἀληθῶς καὶ γνησίως, εἰς ἱερωσύνην κατὰ τὸν οἰκεῖον ἕκαστον βαθμὸν προσδεχόμεθα. ἀλλὰ καὶ εἴτις ἕτερος τῶν ἁπάντων, τὰ αὐτά ποτε φωραθεὶς ἢ φρονῶν, ἢ λέγων ἢ συγγραφόμενον κατὰ τοῦ ἱερωτάτου Θεσσαλονίκης· μᾶλλον δὲ κατὰ τῶν ἱερῶν θεολόγων καὶ τῆς ἐκκλησίας αὐτῆς, τὰ αὐτὰ κατ' αὐτοῦ ψηφιζόμεθα, καὶ τῇ αὐτῇ καταδίκῃ καθυποβαλλομεν, εἴτε τῶν ἱερωμένων εἴη τις εἴτε τῶν λαϊκῶν. αὐτὸ μέντοι τὸ πολλάκις ῥηθέντα ἱερώτατον μητροπολίτην, μηδὲν ἀπᾶδον τῶν θείων λογίων γράφοντά τε καὶ φρονοῦντα μετ' ἐξετάσεως καταλαβόντες, μᾶλλον δὲ τῶν θείων λογίων καὶ τῆς κοινῆς ἡμῶν εὐσεβείας ὡς προσῆκον ὑπερμαχοῦντα, οὐκ ἀνώτερον πάντῃ τῆς κατ' αὐτοῦ, μᾶλλον δὲ κατὰ τῆς τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίας ἐρεσχελιῶν, ὡς καὶ οἱ πρωτοι συνοδικοὶ τόμοι προβάντες, ἔχομεν· ἀλλὰ καὶ ἀσφαλέστατον τῆς εὐσεβείας πρόμαχον καὶ προστάτιν καὶ ζοηθὸν ταύτης ἀποφαινόμεθα. οὕτω γὰρ καὶ οἱ ἐπὶ ταῖς συνόδοις ἐκείναις προσάντες τόμοι ἔχουσι, καθάπερ οὖν ἔχουσι, τὸ ἀσφαλές τε καὶ βέβαιον.

A stipulari visa est sacratissimo Metropolitæ Thessalonicensi in omnibus, secundum fidei veritatem. Atque hæc quidem et totus Mons Sanctus.

Nos autem omnis congregata in Triclinio sic nuncupato Alexiaco sacrarum Blachernarum, divina et sacra synodus Christi gratia, etiamnunc pro pietate certantes, et accurata convenienteque de rebus propositis deliberatione et examinatione facta; et priores super his synodicos Tomos velut pietati maxime consentaneos confirmantes, vel potius iisdem inhærentes, Barlaamum quidem et Acindynum, B ut qui in præcipua ista fidei capita insultarint, nec ullo modo resipuerint, quamdiu fuere superstites, anathemati a Christo juste subjicimus. Eos vero qui nunc deprehensi sunt, et synodice convicti eadem atque illi sentire, et quotquot penitus sunt ex eorum factione, condemnatos et projectos statuimus a catholica et Apostolica Christi ecclesia, nisi pœnitentiam egerint, et anathemati a Christo subjicimus. Eos item qui communicant ipsis in doctrina, excommunicatos habemus, et omni eos sacerdotali functione, si quam habent, exuimus. Qui sunt autem ab illis abrepti et abstracti, neque sunt ex principibus hæreseos, si quidem impœnitentes maneant, similibus pœnis subjicimus. C Eos autem qui pœnitentia ducti sincere anathematizaverint ejusmodi pravam opinionem, et eos qui in ea permanserint; non solum in communionem pietatis, sed et in sacerdotium lubentissime suscipimus, nihil omnino eisdem detrahentes; juxta sententiam ac judicium de talibus sanctæ & œcumenicæ septimæ synodi, quæ definit: *Eos quidem qui principes & antistites impietatisque assertores fuerunt, ne quidem si pœnitentia ducantur, omnino in sacerdotium recipimus: Qui autem vi abducti, abrepti, abstractique sunt, si vero ac sincere resipiscant, in sacerdotium pro suo singulos gradu suscipimus*. Sed & si quis alius ex omnibus eadem aliquando deprehensus fuerit aut sentire, aut dicere, aut D scribere contra sacratissimum Thessalonicensem; vel potius contra sacros Theologos ipsamque Ecclesiam; eadem contra ipsum decernimus, eidemque condemnationi eum subjicimus; sive fuerit is ex ordine sacro, sive e laicis. Ipsum præterea sæpedictum sacrosanctum metropolitam, quem nihil scripsisse aut sensisse deprehendimus post exactam discussionem, quod discrepet a divinis scripturis; immo vero pro ipsis divinis litteris & communi nostra fide, ut par est, decertasse; non modo omnibus, quæ adversus ipsum, vel potius contra ipsam Christi Ecclesiam, conjectæ sunt, nugis, quemadmodum qui pridem prodierunt Tomi synodici, superiorem habemus; verum E etiam certissimum fidei defensorem & propugnatorem, atque ipsius auxiliatorem esse pronunciamus. Sic enim & qui in illis synodi tomi prodierunt, habituri sunt, quemadmodum jam nunc habent, certitudinem ac robur.

ANNO CHRISTI 1350.

His ita peractis, non sine Spiritus sancti auxilio, & gratia, reliquum erat adhuc, quod enitebantur omnem occasionem auferre volentibus criminari; ut quæ in sacratissimi Thessalonicensis lucubrationibus adversarii Ecclesiæ carpebant, ne ea quidem ipsa transcurrerentur indiscussa: quamvis in iis quæ tunc examinata fuerant in sacra synodo, hæc etiam omnia fuerint comprehensa. Hæc itaque cum invenisset potentissimus & sanctus Imperator noster ac Rex, descripta singulatim ipsorum manu, & nobis ea dedisset; nos unumquodque eorum in sacratissimi Thessalonicensis libro legimus & expendimus, convenientes in Magnam Ecclesiam & simul diem totum agentes, nec semel, sed iterum, ac tertio, ac sæpius. Et Thessalonicæ quidem sacratissimum metropolitam etiam in his consentientem reperimus sacris Theologis, per Christi gratiam defensorem veritatis, quæ ad fidem pertinet; hos autem, etiam ex his quæ scripto depravare & calumniari conati fuerant, in multas magnasque hæreses incidisse. Nam & his, quæ a Theologis totidem verbis dicta fuerant, manifeste & constanter contradicebant, et deificationem corporis a Domino assumpti creatam ausi sunt profiteri; & essentiam Dei, eo quod sancti dixerunt ipsam esse inaccessam & imparticipabilem, corruptricem esse arbitrari eos, qui de ipsa sic sentiant, (oh audaciam prorsus impiam!) affirmarunt: idque cum Deus Mosi dixerit; *Nemo videbit faciem meam, & vivet*. Verum etiam qui requieverunt, juxta prophetiam, super florem ex radice Jesse, scilicet Dominum nostrum JESUM Christum, septem spiritus, hoc est, septem operationes, juxta divinos Theologos, divini spiritus; quas sacer quidem Zacharias septem oculos Christi prædicavit, respicientes in universam terram; divus vero Maximus naturaliter inesse Filio Dei Theologice pronunciavit; isti cum rebus creatis collocarunt. Et his plura, quæ nihilo minus ad impietatem ducant, nec numerare facile est. Quamobrem et ob ista damnatio illis, nisi utique pœnitentia ducantur, confirmata est. Et quæ synodice nobis nuper cum Regia ex Dei gratia Majestate examinata fuerunt & constituta, & cum divinis Patribus universis, & prius celebratis super hoc negotio sacris divinibusque synodis, et synodicis earumdem Tomis: item legitima in omnibus & canonica hæc sententia, scripta subscriptaque nuper, immobilis in omne sæculum observabitur, omnipotenti virtute et gratia omnipotentis et magni Dei ac Salvatoris nostri; pro qua, et per quam præsenti certamine perfuncti sumus.

Habuit subscriptiones exemplar, rubris quidem litteris, utriusque divinissimi Imperatoris, sic:

ANNO CHRISTI 1350.

Τούτων δὲ ὅπως ἐκζάντων, οὐκ ἄνευ δὴ τῆς τοῦ ἁγιωτάτου πνεύματος συνεργείας καὶ χάριτος, λοιπὸν ἦν ἔτι προθυμούμενος πᾶσαν αἰτίαν τοῖς βουλομένοις αἰτιᾶσθαι περιαιρεῖν, μὴ δὲ ἅπερ οἱ τοῖς τοῦ ἱεροτάτου Θεσσαλονίκης συγγράμμασιν ἐν αἰτίαις ἐποιοῦντο οἱ τῆς ἐκκλησίας πολέμιοι, μὴ δὲ ταῦτα παραδραμεῖν ἀβασάνιστα· εἰ καὶ ἀπὸ τοῦ ἐξετασθέντων ἐν τῇ θείᾳ συνόδῳ τάδε, καὶ ταῦτα πάντα περιληφθῆναι. Ἐρόντος οὖν τούτου τοῦ κρατίστου καὶ ἁγίου ἡμῶν αὐτοκράτορος καὶ βασιλέως καταγεγραμμένα κατὰ μέρος παρὰ τοῦ ἐκείνου χειρὸς καὶ πρὸς ἡμᾶς ταῦτα δόντος, ἡμεῖς ἕκαστον τούτων ἐν τῷ ἱεροτάτου Θεσσαλονίκης βιβλίῳ ἀνέγνωμέν τε καὶ ἐξητάσαμεν, συνελθόντες κατὰ τὴν μεγάλην ἐκκλησίαν καὶ συνδιημερεύσαντες, οὐχ ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ δὶς καὶ τρὶς καὶ πολλάκις· καὶ τὸν μὲν Θεσσαλονίκης ἱερώτατον μητροπολίτην, καὶ ἐν τούτοις σύμφωνον τοῖς ἱεροῖς θεολόγοις εὕρομεν, καὶ συνήγορον Χριστοῦ χάριτι τῆς κατ' εὐσέβειαν ἀληθείας· αὐτοὺς δὲ καὶ ἀφ' ὧν ἐγγράφως διαστρέφειν καὶ κατηγορεῖν ἐπεχείρησαν, πολλαῖς καὶ μεγάλαις αἱρέσεσι περιπίπτοντας. τοῖς τε γὰρ παρὰ τῶν θεολόγων ῥητοῖς εἰρημένοις φανερῶς ἀντιλέγοντες διετέλουν, καὶ τινὰ θέσιν τοῦ δεσποτικοῦ προσλήματος κτιστὴν ἐτόλμησαν ἀνειπεῖν. καὶ τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ, διὰ τὸ παρὰ τῶν ἁγίων εἰρῆσθαι τοιοῦτον ἀπροσπέλαστον καὶ ἀμέθεκτον, φθαρτικὴν εἶναι νομίζειν τοὺς οὕτω περὶ ταύτης φρονοῦντας, ὦ τόλμης δυσεβοῦς, ἀπεφήναντο. καὶ ταῦτα τοῦ Θεοῦ πρὸς Μωσῆν εἰρηκότος· οὐδεὶς ὄψεται τὸ πρόσωπόν μου, καὶ ζήσεται. ἀλλὰ καὶ τὸ ἐπαναπεπαυμένα κατὰ τὴν προφητείαν ἐπὶ τὸ ἄνθος τὸ ἐκ τῆς ῥίζης Ἰεσσαί, δηλονότι τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, ἑπτὰ πνεύματα, τουτέστι τὰς ἐνεργείας κατὰ τοὺς ἱεροὺς θεολόγους, τοῦ θείου πνεύματος, ἃς, ὁ μὲν ἱερὸς Ζαχαρίας ἑπτὰ ὀφθαλμοὺς τοῦ Χριστοῦ ἀνύμνησεν ἐπιβλέποντας ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, ὁ δὲ θεῖος Μάξιμος φυσικῶς ταῦτα προσεῖναι τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ ἐθεολόγησεν, μετὰ τῶν κτισμάτων ἔταξαν· καὶ τὰ πλείω τούτων καὶ μηδὲν ὕττον εἰς ἀσέβειαν φέροντα, οὐδὲ ἀριθμεῖν ῥάδιον. διὸ καὶ ἀπὸ τούτων ἡ καταδίκη τούτοις, εἰ μὴ ἄρα μετεμεληθεῖεν, ἐπεκυρώθη. καὶ τὰ συνοδικῶς ἡμῖν ἀρτίως, μετὰ τὸ ἐκ Θεοῦ βασιλείας ἐξετασθέντα καὶ διαγνωσθέντα, καὶ θείοις πατράσι πᾶσι, καὶ ταῖς προγεγενημέναις τούτῳ χάριν ἱεραῖς καὶ θείαις συνόδοις, καὶ τοῖς ἐπ' αὐταῖς συνοδικοῖς τόμοις· καὶ ἡ ἔνθεσμος διὰ πάντων καὶ κανονικὴ αὕτη ψῆφος, γραφεῖσα καὶ ὑπογραφεῖσα ἀρτίως, ἀκίνητος εἰς αἰῶνα τὸ σύμπαντα διατηρηθήσεται, τῇ πάντα δυναμένῃ ἐνεργείᾳ καὶ χάριτι τοῦ παντοδυνάμου καὶ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν· ὑπὲρ οὗ καὶ δι' οὗ ὁ παρὼν ἡμῖν ἀγὼν ἤνυται.

Εἶχον ὑπογραφὰς τὸ πρωτότυπον, διὰ μὲν ἐρυθρῶν γραμμάτων, τῶν θειοτάτων βασιλέων ἀμφοτέρων, τό,

ANNO CHRISTI 1350.

ΙΩΑΝΝΗΣ ΕΝ ΧΡΙΣΤΩ ΤΩΘΕΩ ΠΙΣΤΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ϗ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΩΝ ΡΩΜΑΙΩΝ Ο ΚΑΝΤΑΚΟΥΖΗΝΟΣ.

ΙΩΑΝΝΗΣ ΕΝ ΧΡΙΣΤΩ ΤΩ ΘΕΩ ΠΙΣΤΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΡΩΜΑΙΩΝ Ο ΠΑΛΑΙΟΛΟΓΟΣ.

Διὰ δὲ τ σεβασμίνης ϗ πατριαρχικῆς χειρός τ', Κάλλιστος ἐλέῳ Θεῦ ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως νέας Ρώμης ϗ οἰκουμενικὸς πατριάρχης.

Ο τιμιωτάτος μητροπολίτης Ηρακλείας πρόεδρος τ ὑπερτίμων ϗ Εξάρχος πάσης Θρᾴκης ϗ Μακεδονίας, Φιλόθεος.

Ο τιμιωτάτος μητροπολίτης Θεσσαλονίκης, ὑπέρτιμος καὶ Εξαρχος πάσης Θεσσαλίας, Γρηγόριος.

Ο τιμιωτάτος μητροπολίτης Κυζίκου, καὶ Εξαρχος πάσης Ελλησπόντου, Αρσένιος.

Ο μητροπολίτης Φιλαδελφείας, ὑπέρτιμος καὶ Εξαρχος πάσης Λυδίας ϗ καθολικὸς κριτὴς τῆς Ρωμαίων, Μακάριος.

Ο τιμιωτάτος μητροπολίτης Χαλκηδόνος, ὑπέρτιμος καὶ Εξαρχος πάσης Βιθυνίας, Ιάκωβος.

Ο μητροπολίτης Μελανίκου, ὑπέρτιμος καὶ καθολικὸς κριτὴς τ Ρωμαίων, Μητροφάνης.

Ο τιμιωτάτος μητροπολίτης Αμασείας καὶ ὑπέρτιμος.

Ο τιμιωτάτος μητροπολίτης Ποντοηρακλείας ϗ ὑπέρτιμος Μεθόδιος.

Ο τιμιωτάτος μητροπολίτης Πηγῶν καὶ Παρίου, ὑπέρτιμος, Γεώργιος.

Ο τιμιωτάτος μητροπολίτης Βερροίας ὑπέρτιμος καὶ τὸν τόπον ἐπέχων τῦ Τυάνων, Διονύσιος.

Ο τιμιωτάτος μητροπολίτης Τραπεζοῦντος καὶ ὑπέρτιμος, Νήφων.

Ο τιμιωτάτος μητροπολίτης Τραϊανουπόλεως ὑπέρτιμος καὶ Εξαρχος πάσης Ροδόπης, Γερμανός.

Ο τιμιωτάτος μητροπολίτης Σηλυβρείας Υπέρτιμος καὶ τὸν τόπον ἐπέχων τῦ Κοτυαίου, Ησαΐας.

Ο τιμιωτάτος μητροπολίτης Εὔπρω ὑπέρτιμος καὶ τὸν τόπον ἐπέχων τῦ Εὐχαΐτων, Γαβριήλ.

Ο τιμιωτάτος μητροπολίτης Αμάστριδος, καὶ ὑπέρτιμος, Καλλίνικος.

Ο τιμιωτάτος μητροπολίτης Σουγδαίας, καὶ ὑπέρτιμος, Εὐσέβιος.

Ο τιμιωτάτος μητροπολίτης Αἴνου καὶ ὑπέρτιμος, Δανιήλ.

Ο τιμιωτάτος μητροπολίτης Βρύσεως, ϗ ὑπέρτιμος, Θεοδώρητος.

Ο τιμιωτάτος μητροπολίτης Μαδύτων ϗ ὑπέρτιμος, Ιάκωβος.

Ο τιμιωτάτος μητροπολίτης Βιζύης ϗ ὑπέρτιμος, Νεόφυτος.

Ο τιμιωτάτος μητροπολίτης Καλλιουπόλεως, Ιωσήφ.

Ο τιμιωτάτος μητροπολίτης Εξαμιλίου.

A JOANNES IN CHRISTO DEO FIDELIS REX ET IMPERATOR ROMÆORUM, CANTACUZENUS.

JOANNES IN CHRISTO DEO FIDELIS REX ET IMPERATOR ROMÆORUM, PALÆOLOGUS.

Per manum autem venerabilem & Patriarchalem, Callistus misericordia Dei archiepiscopus novæ Romæ, & œcumenicus Patriarcha.

B Humilis metropolita Heracleæ, Primas honoratissimorum, & Exarchus totius Thraciæ & Macedoniæ, Philotheus.

Humilis metropolita Thessalonicensis, honoratissimus, & Exarchus totius Thessaliæ, Gregorius.

Humilis metropolita Cyzicenus, & Exarchus totius Hellesponti, Arsenius.

Metropolita Philadelphiæ, honoratissimus, & Exarchus totius Lydiæ, & Catholicus Judex Romæorum, Macarius.

Humilis metropolita Chalcedonis, honoratissimus, & Exarchus totius Bithyniæ, Jacobus.

C Metropolita Melanici, honoratissimus, & Catholicus Judex Romæorum, Metrophanes.

Humilis metropolita Amaseæ, & honoratissimus.

Humilis metropolita Pontoheracleæ, & honoratissimus, Methodius.

Humilis metropolita Pegarum & Parii, honoratissimus, Georgius.

Humilis metropolita Berrhœæ, honoratissimus, & locum tenens Tyanensis, Dionysius.

Humilis metropolita Trapezuntis, & honoratissimus, Nephon.

D Humilis metropolita Trajanopolis, honoratissimus, & Exarchus totius Rhodopes, Germanus.

Humilis metropolita Selybriæ, honoratissimus, & locum tenens Cotyæni, Esaias.

Humilis metropolita Eupro, honoratissimus, & locum tenens Euchaitensis, Gabriel.

Humilis metropolita Amastridis, & honoratissimus, Callinicus.

Humilis metropolita Sugdææ, & honoratissimus, Eusebius.

E Humilis metropolita Æni, & honoratissimus, Daniel.

Humilis metropolita Bryseos, & honoratissimus, Theodoretus.

Humilis metropolita Madytorum, & honoratissimus, Jacobus.

Humilis metropolita Bizyæ, & honoratissimus, Neophytus.

Humilis metropolita Calliopolis, Joseph.

Humilis metropolita Hexamilii.

Humi-

ANNO CHRISTI 1350.

Humilis metropolita Sozopolis, Theodosius.

Erant & isti per sua suffragia, Hadrianopolitanus, Stauropolitanus, Didymotichensis.

Aderant in synodo etiam episcopi, sub Heracleensi quidem, Panii, Cariopolis, Pamphyli, Athyræ, sub Thessalonicensi, Campaniæ: sub Sardiano, Synnadorum, & Eleutheropoleos.

Omissa hæc duo nomina, postea fuere addita:

Humilis metropolita Didymotichi, & honoratissimus, Theoleptus.

Litizitzes metropolita, confirmans subscripsi.

Magnus Chartophylax sanctissimæ Dei magnæ Ecclesiæ, & Philosophorum supremus, Empatis.

Magnus Vasorum custos, Euthymius Apocaucus.

Sacellarius sanctissimæ Dei magnæ Ecclesiæ, & Archidiaconus, Michael Cabasilas.

Referendarius sanctissimæ Dei magnæ Ecclesiæ, Manuel Silvester.

A supplicibus libellis sanctissimæ Dei magnæ Ecclesiæ, Theodorus diaconus Perdices.

Custos vasorum venerabilis Regii cleri, Georgius diaconus Perdices.

Præfectus sacro ordini sanctissimæ magnæ Dei Ecclesiæ, Michael diaconus Maniaces.

Præses monasteriorum diaconus, Choniates.

Habuit alteram subscriptionem similiter primigenium exemplar, illius qui postea fuit divinissimus Imperator noster, cum hoc edicto:

Majestas mea cum debeat subscribere præsenti tomo, prius edito a potentissimo sanctoque solo Imperatore & rege, parte majestatis meæ, & a divina sacraque synodo, ad confirmationem quidem sanctæ Christi catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, ad abolitionem autem maxime impiæ Barlaami & Acindyni hæresis, statuit ac definit, hunc se ab ea suscipere sine ulla immutatione vel imminutione, absque discussione & examinatione qualicumque, tamquam a Deo scriptum, per sanctos qui in eo loquuntur: suscipiente majestate mea & amplectente quæ & præsens Tomus admittit; anathematizante autem quæcumque ipse anathematizat. Et quidem contra eos qui divino hujusmodi sacroque Tomo adversantur, statuit majestas mea & verbis & factis insurgere, & tamquam communes Ecclesiæ hostes insectari. Eos autem qui huic adhæserint, favore & benevolentia potenti prosequi. Hæc vero statuit majestas mea, tamquam a Deo constituta per ipsius gratiam Defensor & vindex ipsius Ecclesiæ. Porro ut præsens edictum majestatis meæ firmum & immobile persistent in omne ævum, tum subscriptum ei ab ipsa est, tum sancto altari manibus meis veluti sacrum donarium ferens appendi: præsente potentissimo sanctoque meo Imperatore ac Rege, patre majestatis meæ, & sanctissimo domino meo œcumenico Patriar-

A Ο τιμιωτὸς μητροπολίτης Σωζοπόλεως, Θεοδόσιος.

Ησαν καὶ διὰ γνωμῶν ὕτοι, ὁ Αδριανουπόλεως, ὁ Σταυρυπόλεως, ὁ Διδυμοτείχου.

Παρῆσαν τῇ συνόδῳ & ἐπίσκοποι, τοῦ μὲν Ηρακλείας, ὁ Παρίου, ὁ Καρυπόλεως, ὁ Παλφύλου, ὁ Αθύρας· τοῦ δὲ Θεσσαλονίκης, ὁ Καμπανίας· τοῦ Σαρδίων, ὁ Συνάδων, ὁ Ελευθερουπόλεως.

Διαλαθόντα τὰ δύο τοῦτα, ὕστερον προστεθήσαν.

Ο τιμιωτὸς μητροπολίτης Διδυμοτείχου, καὶ ὑπέρτιμος, Θεόληπτος.

B Ο Λιτιτζίτζης μητροπολίτης, βεβαιῶν ὑπέγρ.

Ο μέγας χαρτοφύλαξ τῆς ἁγιωτάτης τοῦ Θεοῦ μεγάλης ἐκκλησίας καὶ ὑπατο- τῆς φιλοσόφων, ὁ Εμπαεκ.

Ο μέγας σκευοφύλαξ, Εὐθύμιος ὁ Απόκαυκος.

Ο Σακελλίου τῆς ἁγιωτάτης τοῦ Θεοῦ μεγάλης ἐκκλησίας καὶ ἀρχιδιάκονος, Μιχαὴλ ὁ Καβασίλας.

Ο Ρεφερενδάριος τῆς ἁγιωτάτης τοῦ Θεοῦ μεγάλης ἐκκλησίας, Μανουὴλ ὁ Σίλβεστρος.

Ο ἐπὶ τῆς δεήσεων τῆς ἁγιωτάτης τοῦ Θεοῦ μεγάλης ἐκκλησίας, Θεόδωρος διάκονος ὁ Περδίκης.

C Ο Σκευοφύλαξ τοῦ ἱεροῦ Βασιλικοῦ κλήρου, Γεώργιος διάκονος ὁ Περδίκης.

Ο ἐπὶ τῆς ἱερᾶς καταστάσεως τῆς ἁγιωτάτης τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, Μιχαὴλ διάκονος ὁ Μανιάκης.

Ο ἄρχων τῆς μοναστηρίων διάκονος, ὁ Χωνιάτης.

Εἶχεν ἑτέραν ὑπογραφὴν ὁμοίως τὸ πρωτότυπον, τοῦ ὕστερον νῦν μνημονευθέντος βασιλέως ἡμῶν, μετὰ καὶ προγράμματος τοῦδε.

D Η βασιλεία μου μέλλουσα ὑπογράφειν τῷ παρόντι τόμῳ, προγεγονότι παρὰ τοῦ κρατοῦντος καὶ ἁγίου μονοκράτορος καὶ βασιλέως τοῦ πατρὸς τῆς βασιλείας μου καὶ τῆς θείας καὶ ἱερᾶς συνόδου, ἐπὶ βεβαιώσει μὲν τῆς ἁγίας τοῦ Χριστοῦ καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, ἐπὶ καθαιρέσει δὲ τῆς ἀθεωτάτης Βαρλαάμ καὶ Ακινδυνῶν αἱρέσεως, πάντῃ τε & διορίζεται εἰργεσθαι τοῦτον παρ' αὐτῆς ἀμετατρόπητον, καὶ ἀμετακίνητον, χωρὶς βασάνου καὶ δοκιμασίας τῆς οἱασδήποτε, ὡς ἐκ Θεοῦ γραφέντα διὰ τῆς ἐν αὐτῷ λαλούντων ἁγίων, δεχομένης μὲν τῆς βασιλείας μου καὶ ἀσπαζομένης, ἅπερ καὶ ὁ παρὼν τόμος προσίεται, ἀναθέμασι δὲ παραδιδούσης, E ὅσα & αὐτὸς τῷ ἀναθέματι παραδίδωσι· & πρὸς μὲν τοὺς ἐναντιουμένους τῷ τοιούτῳ θείῳ καὶ ἱερῷ τόμῳ πάντῃ τε βασιλεία μου, καὶ λόγοις καὶ ἔργοις κατ' αὐτῆς ἴσεσθαι, καὶ ὡς κοινοὺς τῆς ἐκκλησίας ἀπελαύνειν ἐχθρούς· τοὺς δὲ ἐμμένοντας τούτῳ, ἀποδοχῆς καὶ εὐμενείας τῆς δυνατῆς ἀξιοῦν. τοῦτο δὲ τάττει ἡ βασιλεία μου, ὡς ἐκ Θεοῦ κατεστῶσα διὰ τῆς αὐτοῦ χάριτος Δηφένσωρ καὶ ἐκδίκητης τῆς αὐτοῦ ἐκκλησίας. ὥστε δὲ μένειν τὸν παρόντα ὁρισμὸν βέβαιον καὶ ἄσειστον τῆς βασιλείας μου εἰς αἰῶνα τῆς ἅπαντα, καὶ ὑπογί-

ANNO CHRISTI 1350.

ποιγράπτοις παρ' αὐτῆς, καὶ τῷ ἁγίῳ θυσιαστηρίῳ, ταῖς ἡμαυτοῦ χερσὶν, ὥσπερ ἱερὸν ἀνάθημα φέρων ἀνέθηκα, παρουσίᾳ τοῦ κρατιστοῦ καὶ ἁγίου μου αὐτοκράτορος καὶ βασιλέως, τοῦ πατρὸς τῆς βασιλείας μου, καὶ τοῦ παναγιωτάτου μου δεσπότου, τοῦ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου κυροῦ Φιλοθέου, καὶ τῆς περὶ αὐτὸν θείας καὶ ἱερᾶς συνόδου· μηνὶ φεβρουαρίῳ, Ινδ. ζ'. Ματθαῖος ὁ Χριστῷ τῷ Θεῷ πιστὸς βασιλεὺς καὶ αὐτοκράτωρ τῶν Ρωμαίων, Ἀσάνης ὁ Καντακουζηνός.

A cha domino Philotheo, & divina ipsius sacraque synodo: mense Februario, Indictione septima. Matthæus in Christo Deo fidelis Rex & Imperator Romæorum, Azanes Cantacuzenus.

ANNO CHRISTI 1350. Anno 1354.

ΟΜΟΛΟΓΙΑ ΤΗΟΣΡΘΟΔΟΞΟΥ ΠΙΣΤΕΩΣ ἐκτεθεῖσα παρὰ τοῦ ἱερωτάτου μητροπολίτου Θεσσαλονίκης κυροῦ Γρηγορίου Παλαμᾶ.

B *PROFESSIO ORTHODOXÆ FIDEI, edita a sacratissimo metropolita Thessalonicensi, domino Gregorio Palama.*

Εἷς Θεὸς πρὸ πάντων, καὶ ἐπὶ πάντων, καὶ ἐν πᾶσι, καὶ ὑπὲρ τὸ πᾶν, ἐν πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι παρ' ἡμῶν προσκυνούμενος τε καὶ πιστεύομενος· μονὰς ἐν Τριάδι, καὶ Τριὰς ἐν μονάδι ἀσυγχύτως ἑνωμένη, καὶ ἀμερίστως διαιρουμένη· μονὰς ἡ αὐτὴ καὶ τριὰς παντοδύναμος. πατὴρ ἄναρχος, ὁ μόνον ὡς ἄχρονος, ἀλλὰ καὶ ὡς κατὰ πάντα τρόπον ἀναίτιος· μόνος αἰτία καὶ ῥίζα καὶ πηγὴ τῆς ἐν υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι θεωρουμένης θεότητος· μόνος αἰτία προκαταρκτικὴ τῶν γεγονότων, ὁ μόνος δημιουργός, ἀλλὰ μόνος ἑνὸς υἱοῦ πατὴρ, καὶ πνεύματος ἁγίου ἑνὸς προβολεύς· ἀεὶ ὢν, καὶ ἀεὶ ὢν πατὴρ, καὶ ἀεὶ ὢν μόνος πατὴρ τε καὶ προβολεύς· μείζων υἱοῦ καὶ πνεύματος, τοῦτο μόνον ὡς αἴτιος· τ' ἄλλα δὲ πάντα, ὁ αὐτὸς αὐτοῖς καὶ ὁμότιμος· ὁ υἱὸς εἷς, ἄναρχος· ἄναρχος μὲν ἄχρονος, οὐκ δὲ, ὡς ἀρχὴ καὶ ῥίζαν καὶ πηγὴ ἔχων τὸν πατέρα· ὃς μόνος πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ἀσωμάτως, ἀρρεύστως, ἀπαθῶς, γνωνητῶς προῆλθεν, ἀλλ' ὁ διηρέθη. Θεὸς ὢν ἐκ Θεοῦ· οὐκ ἄλλος μὲν καθ' ὁ Θεὸς, ἄλλος δὲ καθ' ὁ υἱὸς· ἀεὶ ὢν υἱὸς καὶ μόνος υἱός· καὶ ἀεὶ πρὸς τὸν Θεὸν ἀσυγχύτως ὢν, οὐκ αἰτίᾳ καὶ ἀρχῇ τῆς ἐν Τριάδι νοουμένης θεότητος, ὡς ἐξ αἰτίας καὶ ἀρχῆς ὑπάρχων τοῦ πατρὸς, ἀλλ' αἰτία καὶ ἀρχὴ τῶν γεγονότων πάντων, ὡς δι' αὐτοῦ πάντων γεγονότων, ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. ἀλλ' ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν τὴν καθ' ἡμᾶς λαβὼν, καὶ ἐκ τῆς ἀειπαρθένου Μαρίας εὐδοκίᾳ τοῦ πατρὸς καὶ συνεργίᾳ τοῦ ἁγίου πνεύματος κυηθεὶς τε νόμῳ φύσεως καὶ γνωνηθεὶς, Θεὸς ὁμοῦ καὶ ἄνθρωπος, καὶ ὡς ἀληθῶς ἐνανθρωπήσας γέγονε ὅμοιος ἡμῖν κατὰ πάντα πλὴν ἁμαρτίας, μείνας ὅπερ ἦν Θεὸς ἀληθινὸς, ἑνώσας ἀσυγχύτως καὶ ἀτρέπτως τὰς δύο φύσεις καὶ θελήσεις καὶ ἐνεργείας, καὶ μείνας εἷς υἱὸς ἐν μιᾷ ὑποστάσει, καὶ μετὰ τίνων ἐνανθρώπησιν, ἐνεργῶν τὰ θεῖα πάντα ὡς Θεὸς, καὶ τὰ ἀνθρώπινα πάντα ὡς ἄνθρωπος, καὶ τοῖς ἀνθρωπίνοις ἀδιαβλήτοις ὑποκείμενος παθεσιν. ἀπαθὴς μὲν καὶ ἀθάνατος ὢν καὶ διαμένων ὡς Θεὸς, ἔχων δὲ σαρκὶ παθὼν ὡς ἄνθρωπος· καὶ σταυρωθεὶς καὶ θανὼν καὶ ταφεὶς, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστάς· ὃς καὶ τοῖς μαθηταῖς μετὰ τίνων ἐ-

Unus Deus ante omnia, & super omnia, & in omnibus, & super universum, qui in Patre & Filio & Spiritu sancto a nobis adoratur & colitur: Unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate inconfuse unita, & indivise divisa, unitas eadem ac Trinitas omnipotens: Pater principio carens, non solum ut sine tempore, sed ut omni modo causa sui effectrice carens: solus causa & radix & fons deitatis quæ consideratur in Filio & Spiritu sancto: solus causa C prima & principalis eorum quæ facta sunt: non solus opifex, sed solus unius Filii Pater, & unius Spiritus sancti productor. Semper exsistens, & semper exsistens Pater, & semper exsistens solus Pater & Productor: Major Filio & Spiritu, hoc solum quod causa est: nam in ceteris omnibus idem atque illi & honore par. Cujus Filius unus est, principii expers, quatenus caret tempore: nec tamen sine principio, quatenus principium & radicem & fontem habet Patrem: ex quo solo ante omnia sæcula modo incorporeo, absque profluvio vel passione, genitus processit, sed non est separatus; cum Deus sic ex Deo: non alius quidem, ut Deus, sed alius sane ut Filius; semper exsi- D stens, & semper exsistens Filius, et solus Filius: et semper apud Deum inconfuse exsistens, non causa vel principium illius quæ in Trinitate intelligitur deitatis, quippe existens ex Patre, qui causa et principium est: sed ipsa causa, et principium est omnium quæ facta sunt, quippe cum per ipsum facta sint omnia. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse ex æquo cum Deo: sed in consummatione seculorum semetipsum exinanivit, formam nostram accipiens, et ex Maria semper Virgine conceptus naturæ lege ac natus, Deus simul et homo; atque ut vere factus homo, fuit similis nobis per omnia absque peccato, manens id quod erat, Deus verus; uniens incon- E fuse et immutabiliter duas naturas et voluntates et operationes: et permanens unus Filius in una hypostasi; et postquam factus est homo operans divina omnia ut Deus, et humana omnia ut homo, et humanis inculpatis obnoxius affectibus: Impassibilis quidem et immortalis exsistens ac permanens ut Deus; voluntarie autem carne patiens ut homo; et crucifixus, et mortuus, et sepultus, et tertia die resurgens. Qui etiam discipulis post resurrectionem apparuit et virtutem ex alto promisit, et præcepit docere omnes gentes, et baptizare * in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et docere servanda quæ

ANNO CHRISTI 1352.

pr. cepit; postea ipse assumptus est in cælum, sederique a dextris Patris, pari honore ac sede nostram conspersionem afficiens: qua cum conspersione rursum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, et reddere unicuique secundum opera ejus. Tunc vero cum ad Patrem ascendisset, misit in sanctos suos discipulos et Apostolos Spiritum sanctum, qui a Patre procedit; qui æque principio caret ac Pater et Filius, quatenus caret tempore: non caret autem principio, quatenus et ipse radicem, et fontem, et causam habet Patrem, non ut genitus, sed ut procedens. Ex Patre enim et ipse est ante omnia sæcula, absque profluvio et passione, non ut genitus, sed ut procedens duxit originem, indivisus exsistens a Patre et Filio, ut ex Patre progrediens, et in Filio requiescens, inconfuse etiam habens unionem, et sine partitione divisionem. Deus exsistens etiam ipse ex Deo, non alius quidem quatenus Deus, sed alius quatenus Paracletus: Spiritus seipso subsistens, ex Patre procedens, et a Filio missus, hoc est, manifestatus; causa etiam ipse omnium quæ facta sunt, ut quæ in ipso perficiuntur: Ipse etiam simul honoratur cum Patre et Filio, excepta Ingeniti et Geniti ratione. Missus est autem a Filio ad discipulos suos, hoc est, manifestatus. Quomodo enim aliter ab ipso mitteretur, qui non separatur ab ipso? Aut quomodo aliter ad me veniret, qui est ubique? Idcirco non solum a Filio, sed etiam a Patre et per Filium mittitur, et a seipso venit manifestatio. Commune enimvero opus est missio, manifestatio nimirum Spiritus. Manifestatur autem non secundum essentiam: nemo enim aliquando Dei naturam aut vidit aut enarravit; sed secundum gratiam, et virtutem, et operationem, quæ communis est Patris et Filii et Spiritus. Proprium quidem uniuscujusque horum, cujusque hypostasis est, et quæcumque ad ipsam pertinent: Communia vero sunt, non superessentialis dumtaxat essentia, quæ est omnino admodum innominabilis, et ineffabilis, et imparticipabilis, ut quæ superet omnem appellationem et narrationem et participationem: Verum et gratia et virtus et operatio et claritas et regnum & incorruptio, et in universum secundum ea quæ communicat, et secundum gratiam unitur sanctis Angelis et hominibus Deus: neque eo quod dividantur ac distinguantur hypostases, neque eo quod divisæ et variæ sunt virtutes et operationes, a simplicitate excidens. Sic nobis unus est omnipotens Deus in una deitate. Neque enim ex hypostasibus perfectis fieri potest umquam compositio: neque id quod potest, eo quod virtutem aut virtutes habet, compositum vere umquam dicatur esse.

Ad hæc veneramur relative sanctam imaginem circumscripti quia propter nos hominis facti Filii Dei, ad primigenium exemplar referentes adorationem ex affectu: Et venerandum

A ἀνάβασιν ἐπιφανεὶς, καὶ τὴν ἐξ ὕψους δυναμιν ἐπαγγειλάμενος. Καὶ παραγγείλας μαθητεῦσαι πάντα τὰ ἔθνη, καὶ βαπτίζειν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, καὶ τηρεῖν διδάσκειν ὅσα συνεβούλευσε, αὐτὸς ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς, ὁμότιμον καὶ ὁμόθρονον ποιήσας τὸ ἡμέτερον φίραμα, μεθ' οὗ πάλιν φυράματος ἥξειν μέλλει μετὰ δόξης κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρὸς, καὶ ἀποδοῦναι ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. τότε δὲ πρὸς τὸν πατέρα ἀνελθὼν ἔπεμψεν ἐπὶ τοὺς ἁγίους αὐτοῦ μαθητὰς καὶ ἀπόστολους τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται· συνάναρχον μὲν ὂν τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ, ἄχρονον· οὐκ ἄναρχον δὲ, ὡς καὶ αὐτὸ ῥίζαν καὶ πηγὴν καὶ αἰτίαν ἔχον τὸν πατέρα, οὐχ ὡς γεννητὸν, ἀλλ' ὡς ἐκπορευτὸν· ἐκ πατρὸς γὰρ καὶ αὐτὸ πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, ἀῤῥεύστως καὶ ἀπαθῶς, οὐ γεννητῶς ἀλλ' ἐκπορευτῶς προῆλθεν, ἀδιαίρετον ὂν τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, ὡς ἐκ τοῦ πατρὸς προερχόμενον καὶ ἐν υἱῷ ἀναπαυόμενον, ἀσύγχυτον καὶ τέλειον ἕνωσιν ἔχον, καὶ ἀμέριστον τὴν διαίρεσιν· Θεὸς ὂν καὶ αὐτὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ, οὐκ ἄλλος μὲν καθ' ὁ Θεὸς, ἄλλος δὲ καθ' ὁ παράκλητος· πνεῦμα αὐθυπόστατον, ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον, καὶ δι' υἱοῦ πεμπόμενον, τουτέστι, φανερούμενον. αἴτιον καὶ αὐτὸ τῶν γεγονότων πάντων, ὡς ἐν αὐτῷ τελεσιουργημένων· τὸ αὐτὸ καὶ ὁμότιμον πατρί τε καὶ υἱῷ, χωρὶς τῆς ἀγεννησίας καὶ τῆς γεννήσεως. ἐπέμφθη δὲ παρὰ τοῦ υἱοῦ πρὸς τοὺς οἰκείους μαθητὰς, τουτέστι πεφανέρωται. πῶς γὰρ ἂν ἄλλως παρ' αὐτοῦ πεμφθείη, τὸ μὴ χωριζόμενον αὐτοῦ; πῶς δ' ἂν ἄλλως ἔλθοι μοι, τὸ ὑπάρχον πανταχοῦ; διὸ μὴ μόνον παρὰ τοῦ υἱοῦ, ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῦ πατρὸς, καὶ διὰ τοῦ υἱοῦ πέμπεται· καὶ παρ' ἑαυτοῦ ἔρχεται φανερούμενον. κοινὸν γὰρ ἔργον ἡ ἀποστολὴ, δηλονότι ἡ φανέρωσις τοῦ πνεύματος. φανεροῦται δὲ, οὐ κατὰ τὴν οὐσίαν· οὐδεὶς γὰρ ποτε Θεοῦ φύσιν ἢ εἶδεν ἢ ἐξηγόρευσεν· ἀλλὰ κατὰ τὴν χάριν καὶ τὴν δύναμιν καὶ τὴν ἐνέργειαν, ἥ τις κοινή ἐστι πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ πνεύματος. ἴδιον μὲν γὰρ ἑκάστου τούτων, ἡ ἑκάστου ὑπόστασις, καὶ ὅσα τείνει πρὸς αὐτήν· κοινὰ δὲ, οὐχ ἡ ὑπερουσία οὐσία μόνον, ἡ παντάπασιν ἀνώνυμος καὶ ἀνέκφαντος καὶ ἀμέθεκτος, ὡς ὑπὲρ πᾶσαν ἐπωνυμίαν ὅσα καὶ ἔκφανσιν καὶ μετοχήν. ἀλλὰ καὶ ἡ χάρις καὶ ἡ δυναμις καὶ ἡ ἐνέργεια καὶ ἡ λαμπρότης, καὶ ἡ βασιλεία καὶ ἡ ἀφθαρσία, καὶ πάνθ' ἁπλῶς καθ' ἃ κοινωνεῖ, καὶ κατὰ χάριν ἑνοῦται τοῖς ἁγίοις ἀγγέλοις τε καὶ ἀνθρώποις ὁ Θεός· μήτε διὰ τὸ μεριστὸν καὶ διάφορον τῶν ὑποστάσεων, μήτε διὰ τὸ μεριστὸν καὶ ποικίλον τῶν δυναμεῶν τε καὶ ἐνεργειῶν, τῆς ἁπλότητος ἐκπίπτων. οὕτως ἡμῖν εἷς ἐστι παντοδυνάμων Θεὸς ἐν μιᾷ θεότητι. οὔτε γὰρ ἐξ ὑποστάσεων τελείων γένοιτ' ἄν ποτε σύνθεσις· οὔτε τὸ δυνάμιν ὅτι δυνάμεις ἔχει, δι' αὐτὸ τὸ δύνασθαι σύνθετον ἀληθῶς ποτε λεχθείη ἄν.

Πρὸς τούτοις προσκυνοῦμεν χετικῶς τὴν ἁγίαν εἰκόνα τοῦ περιγραφέντος, ὡς δι' ἡμᾶς ἐνανθρωπήσαντος υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, πρὸς τὸ πρωτότυπον, ἀναφέροντες χετικῶς τὴν προσκύνησιν.

καὶ

ANNO CHRISTI 1350.

καὶ τὸ τίμιον τοῦ σταυροῦ ξύλον, καὶ τὰ σύμβολα πάντα τῶν αὐτοῦ παθημάτων, ὡς ὄντα τρόπαια θεῖα κατὰ τοῦ κοινοῦ πολεμίου τοῦ γένους ἡμῶν. πρὸς δὲ καὶ τὸν τόπον τοῦ τιμίου σταυροῦ σωτήριον, καὶ τοὺς θεοὺς ναοὺς τόπους· καὶ τὰ ἱερὰ σκεύη καὶ θεοπαράδοτα λόγια, διὰ τὸν ἐν αὐτοῖς οἰκοῦντα Θεόν. ὡσαύτως προσκυνοῦμεν καὶ τοὺς τῶν ἁγίων πάντων εἰκόνας, διὰ τὴν πρὸς αὐτοὺς ἀγάπην καὶ τὸν Θεόν, ὃν οὗτοι ἀληθῶς ἠγάπησάν τε καὶ ἐθεράπευσαν· ἐν τῇ προσκυνήσει, πρὸς τὰς εἰκόνων μορφὰς ἀναφέροντες τὴν διάνοιαν. προσκυνοῦμεν καὶ αὐτοὺς τοὺς τῶν ἁγίων σορούς, ὡς τῆς ἀγιαστικῆς χάριτος τῶν αὐτῶν οὐκ ἀποπτώσης ἱερωτάτων ὀστῶν. ὥσπερ οὐδὲ τοῦ δεσποτικοῦ σώματος, ἐν τῷ τεταρταίῳ ἡ θεότης διῃρέθη θανάτῳ.

A Crucis lignum et symbola omnia ipsius passionum, ut quæ sint trophæa divina adversus communem hostem generis nostri. Præterea signum etiam salutare venerandæ Crucis; divina templa et loca, sacra vasa, et divinitus traditas scripturas, propter inhabitantem in ipsis Deum. Similiter veneramur etiam sanctorum omnium imagines, ex caritate erga illos et Deum quem ipsi vere dilexerunt et coluerunt; in adoratione ad imaginum formas mentem referentes. Adoramus et ipsos sanctorum loculos, cum sanctificans gratia ab eorum sacratissimis ossibus non avolarit; quemadmodum neque a Dominico corpore in triduana morte separata deitas est.

B

Κακὸν κατ' οὐσίαν ἴσμεν οὐδέν. εἶναι τοῦ κακοῦ ἀρχὴν ἑτέραν, ἢ τὴν ἐκτροπὴν τῶν λογικῶν, κεχρημένων τῇ παρὰ τοῦ Θεοῦ δεδομένῃ αὐτεξουσιότητι κακῶς. εἰργόμεθα πάσας τὰς ἐκκλησιαστικὰς παραδόσεις ἔγγραφος καὶ ἄγραφος· καὶ πρὸ πάντων τὴν μυστικωτάτην τε καὶ πανίερον τελετὴν καὶ κοινωνίαν καὶ συνάξιν, παρ' ἧς καὶ τοῖς ἄλλοις τελεταῖς ἡ τελείωσις, καθ' ἣν εἰς ἀνάμνησιν τοῦ κενώσαντος ἑαυτὸν ἀκενώτως, καὶ σάρκα λαβόντος καὶ παθόντος ὑπὲρ ἡμῶν, κατὰ τὴν θεοπρεπίαν ἐκείνου πραγγελίαν καὶ αὐτεργίαν, τὰ θειότατα ἱερουργεῖται καὶ θεουργεῖται, ὁ ἄρτος καὶ τὸ ποτήριον· καὶ αὐτὸ τὸ ζωαρχικὸν ἐκεῖνο τελεῖται σῶμα καὶ αἷμα· καὶ τὴν ἀπόρρητον αὐτῶν μετουσίαν καὶ κοινωνίαν τοῖς ἁγνῶς προσιοῦσι χαρίζεται.

Nihil secundum essentiam malum novimus, neque esse mali principium alterum, quam rationalium depravationem, male utentium data sibi a Deo liberi arbitrii facultate. Amplectimur omnes ecclesiasticas traditiones scriptas et non scriptas; et ante omnes valde mysticam sacratissimamque cærimoniam, et communionem, et synaxim, ex qua cæteris cærimoniis accedit perfectio: secundum quam in memoriam illius qui exinanivit semetipsum sine exinanitione, et carnem accepit, et passus est propter C nos, secundum divinam illius præceptionem et quam ipse peregit operationem, divinissime sacra fiunt & deificantur, Panis & Calix; & ipsum vivificum illud perficitur Corpus & Sanguis, & ineffabilem ipsorum perceptionem & communionem sancte accedentibus impertitur.

Πάντας δὲ τοὺς μὴ ὁμολογοῦντας καὶ πιστεύοντας ὡς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον προεμήνυσε διὰ τῶν προφητῶν, ὡς ὁ κύριος ἐδίδαξε διὰ σαρκὸς ἡμῖν ἐπιφανείς, ὡς οἱ ἀπόστολοι ἐκήρυξαν πεμφθέντες ὑπ' αὐτοῦ, ὡς οἱ πατέρες ἡμῶν καὶ διάδοχοι ἐκείνων ἐδίδαξαν ἡμᾶς· ἀλλ' αἱρέσεως οἰκείας ἢ ἀρξάντας, ἢ τοῖς κακῶς ἄρξασιν εἰς τέλος ἐπακολουθηκότας, ἀποβαλλόμεθα καὶ ἀναθέματι καταβαλλόμεθα.

Omnes autem qui non confitentur & credunt, sicut Spiritus sanctus prænunciavit per Prophetas, sicut Christus præcepit per carnem nobis apparens, sicut Apostoli prædicaverunt missi ab eo, sicut Patres nostri & eorum successores nos docuerunt; sed privatam hæresim vel inchoarunt, vel eos qui male ei dederunt initium, secuti sunt usque in finem; rejicimus & anathe- D matizamus.

Δεχόμεθα δὲ καὶ ἀσπαζόμεθα τὰς ἁγίας καὶ οἰκουμενικὰς συνόδους, τὴν ἐν Νικαίᾳ τῶν τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ θεοφόρων πατέρων, κατὰ τοῦ θεομάχου Ἀρείου, καταισχυνόντος ἀσεβῶς εἰς κτίσμα τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ καταπτήσσοντος εἰς κτίσμα καὶ ἄκτισα τὴν ἐν πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι προσκυνουμένην θεότητα· τὴν μετ' αὐτῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει, τῶν ἑκατὸν πεντήκοντα ἁγίων πατέρων κατὰ Μακεδονίου Κωνσταντινουπόλεως, ἀσεβῶς εἰς κτίσμα καταισχυνόντος τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ καταπτήσσοντος, μηδὲν ἧττον καὶ τούτου εἰς κτίσμα καὶ ἄκτισα τὴν μίαν θεότητα· τὴν μετ' αὐτὴν ἐν Ἐφέσῳ τῶν διακοσίων πατέρων κατὰ Νεστορίου Κωνσταντινουπόλεως, τὸν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν ἀθετοῦντος ἐπὶ Χριστοῦ τῆς αὐτοῦ θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος, καὶ τὴν ὡς ἀληθῶς τεκοῦσαν τὸν Θεὸν παρθένον, Θεοτόκον καλεῖν μηδαμῶς βουλόμενος· καὶ τὴν τετάρτην τὴν ἐν Χαλκηδόνι τῶν ἑξακοσίων τριάκοντα πατέρων κατὰ Εὐτυχοῦς καὶ Διοσκόρου, μίαν φύσιν ἐπὶ Χριστοῦ δογματιζόντων κακῶς· καὶ τὴν μετ' αὐτὴν ἐν Κωνσταντι-

Suscipimus autem & amplectimur sanctas & œcumenicas synodos, Nicænam trecentorum decem & octo deiferorum Patrum, contra Dei impugnatorem Arium, qui detrahebat impie ad res creatas Filium Dei, & dissecabat in creata & increata communem Patri & Filio & Spiritui sancto deitatem quam adoramus: Constantinopolitanam, quæ secuta est, centum quinquaginta Patrum contra Macedonium Constantinopolitanum, qui impie in ordinem rerum creatarum detrahebat Spiritum sanctum, ac dissecabat nihilo minus etiam ipse in creata & increata deitatem, quæ una est: Ephesinam postea E habitam, ducentorum Patrum, contra Nestorium Patriarcham Constantinopoleos, quippe qui hypostaticam unionem aboleret in Christo deitatis ipsius & humanitatis, & eam quæ Deum vere genuit Virginem, Deiparam vocare nullo modo vellet: Et quartam in Chalcedone sexcentorum triginta Patrum, contra Eutychem & Dioscorum, unam naturam in Christo male docentes: Et quæ post illam fuit Constantinopoli, centum sexaginta quinque Patrum contra Theodorum ac Diodorum, qui cum Nestorio idem & unum sentiebant, & scriptis volumini-

ANNO CHRISTI 1350.

minibus illius sensa approbabant; contra Origenem quoque, & Didymum, & Evagrium quemdam, priscos quidem, sed qui fabulosa nonnulla in Ecclesiam Dei inducere conati fuerant: Et quæ post hanc in eadem civitate, centum septuaginta Patrum, contra Sergium, Pyrrhum, Paulum, Constantinopoleos antistites, qui abolebant in Christo respondentes duabus naturis duas operationes & duas voluntates: Et eam quæ in Nicæa iterum, trecentorum sexaginta septem Patrum, contra Iconomachos.

Amplectimur etiam omnes cum Dei gratia diversis temporibus ac locis ad confirmationem fidei & Evangelicæ vitæ congregatas sanctas synodos: ex quibus sunt quæ celebratæ fuerunt in hac magna civitate, in celebratissimo Templo sanctæ Dei Sapientiæ, adversus Calabrum Barlaamum, & qui post illum cum ipso sentiebat, & dolo eumdem defendere nitebatur, Acindynum: Qui communem gratiam Patris, Filii, & Spiritus, & lumen futuri sæculi, quo & justi fulgebunt sicut sol, quemadmodum & Christus præmonstravit in monte refulgens; et ut summatim dicatur, omnem virtutem et operationem tripliciter subsistentis deitatis, et quidquid distinguitur quomodocumque a divina natura, creatum esse contendunt; et dissecant etiam ipsi impie in creata & increata unam deitatem; et eos qui pie increatum esse divinissimum illud lumen, omnemque virtutem atque operationem divinam affirmant, eo quod nihil sit recens eorum quæ Deo insunt naturaliter, Ditheitas appellant & plurium deorum cultores, sicut Judæi, Sabelliani, et Ariani nos vocant. At nos et hos et illos ut vere atheos et plurium deorum cultores rejicimus; & ex cœtu fidelium, ut et sancta Christi Catholica et Apostolica Ecclesia per synodicum Tomum & Montis sancti, omnino separamus: credentes in unam deitatem tripliciter subsistentem & omnipotentem; nullo modo ab unitate et simplicitate excidentem, propter virtutes aut hypostases. Post hæc omnia exspectamus resurrectionem mortuorum, & vitam æternam futuri sæculi. Amen.

A νεπόλει τῇ ἑκατὸν ἑξήκοντα πόλει πατέρων, κατὰ Θεοδώρου καὶ Διοδώρου τοῦ αὐτοῦ τῷ Νεστορίῳ φρονούντων, καὶ διὰ συγγραμμάτων τοῦ ἐκείνου συνιστώντων, Ὠριγένους τε καὶ Διδύμου καὶ Εὐαγρίου τινός, τῇ παλαιῶν μὲν ὄντων, μυθώδη δέ τινα ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ παρεισάγειν ἐπιχειρούντων. καὶ τοῦ μετ' αὐτοῦ ἐν τῇ αὐτῇ πόλει, τῇ ἑκατὸν ἑβδομήκοντα πατέρων, κατὰ Σεργίου, Πύρρου, Παύλου, Κωνσταντινουπόλεως ἀρξάντων, ἀθετούντων ἐπὶ Χριστοῦ τὰς καταλλήλους ταῖς δύο φύσεσιν, δύο ἐνεργείας καὶ δύο θελήματα· καὶ τοῦ ἐν Νικαίᾳ πάλιν, τῇ ἑπτὰ καὶ ἑξήκοντα καὶ τριακοσίων πατέρων, κατὰ τῆς εἰκονο-

B μάχων.

Ἀσπαζόμεθα καὶ πάσας τὰς κατὰ Θεοῦ χάριν κατὰ καιρὸν ἢ τόπον πρὸς βεβαίωσιν εὐσεβείας καὶ εὐαγγελικῆς πολιτείας συναθροισθείσας ἁγίας συνόδους. ὧν εἰσι καὶ αἱ συγκροτηθεῖσαι κατὰ τὴν μεγαλόπολιν ταύτην ἐν τῷ περιβοήτῳ ναῷ τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ Σοφίας, κατὰ τοῦ Καλαβροῦ Βαρλαάμ, καὶ τοῦ μετ' ἐκείνου τοῦ ἐκείνου φρονοῦντος, καὶ δόλῳ σπεύδοντος ἐπιδεικνῦν, Ἀκινδυνίου· οἱ τὴν κοινὴν χάριν πατρὸς, υἱοῦ, καὶ πνεύματος, καὶ τὸ φῶς τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, καθὸ καὶ οἱ δίκαιοι λάμψουσιν ὡς ἥλιος, καὶ ὁ Χριστὸς προεδείκνυ ἐπ' ὄρους λάμψας, καὶ ἁπλῶς πᾶσαν δύναμίν τε καὶ ἐνέργειαν τῆς τρισυποστάτου θεότητος, καὶ πᾶν τὸ διαφέρον ὁπωσοῦν τῆς θείας φύσεως, κτιστὸν εἶναι δογματίζουσι, καὶ κατατέμνουσι καὶ οὗτοι δυσσεβῶς εἰς κτιστὰ καὶ ἄκτιστα τὴν μίαν θεότητα· καὶ τοὺς εὐσεβῶς ἄκτιστον τὸ θυώδεστον ἐκεῖνο φῶς, καὶ πᾶσαν δυναμιν καὶ ἐνέργειαν προσβάλλοντας θείαν, ὡς μηδενὸς ὄντος προσφάτου τῷ θεῷ προσόντων φυσικῶς, διθείτας ὀνομάζουσι καὶ πολυθέους, ὡς καὶ Ἰουδαῖοι, Σαβελλιανοί τε, καὶ

C Ἀρειανοὶ ὀνομάζουσιν ἡμᾶς. ἀλλ' ἡμεῖς τούτους τε κἀκείνους ὡς ὄντως ἀθέους τε καὶ πολυθέους, ἀποβαλλόμεθα· καὶ τοὺς πληρώματος τῶν εὐσεβούντων, ὡς καὶ ἡ ἁγία τοῦ Χριστοῦ καθολικὴ καὶ Ἀποστολικὴ ἐκκλησία διὰ τοῦ συνοδικοῦ τόμου καὶ ἁγιορειτικοῦ, τελέως ἐκκόπτομεν· πιστεύοντες εἰς μίαν θεότητα τρισυπόστατον καὶ παντοδυνάμον· ἀδαμάντου τοῦ ἑνιαίου καὶ τῆς ἁπλότητος ἐκπίπτουσαν διὰ τὰς δυνάμεις ἢ τὰς ὑποστάσεις. ἐπὶ τούτοις πᾶσι προσδοκῶμεν ἀνάστασιν νεκρῶν, καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος ἄληκτον αἰῶνος, ἀμήν.

D

ANNO CHRISTI 1350.

FRAN-

Francisci Combefisii Ord. Præd. Notæ.

ANimus erat nullas notas addere, quod sufficere videretur ipsa Calcis impugnatio, & quæ ad ipsum observavimus de Palama: quod tamen margines plura verba non ferant, necesse habeo vel pauca perstringere. Magna cautela legenda hæc omnia, hæretico plane spiritu conscripta, & mendaciis conferta, ut quod damnatum Barlaamum afferit Synodus in prooemio ob Palamitarum dogma impugnatum, cum nihil de dogmate disceptatum sit in ea Synodo, ut auctor est Gregoras, qui ipse in hac Synodo ut Palamitarum erroris impugnator damnatur. Videatur Leo Allat. t. 1. Græciæ Orth. & de Consensu utriusque Ecclesiæ, Demetrius Cydon. & Cyparissiota.

2. Μακαρίου δὲ τοῦ αὐτοῦ. Sic quasi elegantiæ causa quandoque iis istis inversis voces. Porro Joannes hic, Beccus est egregius Confessor, ob Catholicæ fidei defensionem de processione Spiritus sancti, ab Andronico Sede pulsus. Potuit hic Barlaamum damnare petulantiæ in Monachos, ipsiusque Palamæ errores postmodum reprobare. Ejus plura edidit Allat. Nicephori Blemidæ scriptis adductus est, ut fidei Catholicæ animum accommodaret, exque Ecclesiæ sensu esse Spiritum & ex Filio, agnosceret. Palamitarum factione fatigatum ut deponeretur, seu, in eam rem eos operam contulisse, vel ex iis, quæ sequuntur, liquet, ac quod cum Acindyno testire acerbatus est; qui ipse errorem turpissimum egregie exagitaret. Legatur ejus Opusc. eo argum. apud Leonem Allat. citatum.

1. Ἀρχιερεῖς καὶ Μητροπολῖται. Quasi, *Episcopi & Metropolitæ*. Hypertimi enim dicti omnes Metropolitico jure gaudentes, sive erant ὑπέρχοι saltem ὑπαρχίαν quos fere recenti usu Archiepiscopos dicimus, & vere Metropolitæ sunt, capita scilicet provinciarum, plures sub se Episcopos habentes. sive solum Metropolitæ quasi nomine tenus, hoc scilicet aucti honore favore ac diplomate Principis. Quomodo sæpe in eadem provincia plures erant Hypertimi. Videtur hoc Concilium ἐξ ὑπεκδημούντων, ex illis duntaxat Præsulibus qui Constantinopoli inventi sunt, coactum, ut & alia duo, alterum in quo Barlaamus, alterum in quo Acindynus, Palamitarum factione oppressi sunt. Nec aliter Joannes Beccus videtur damnasse errores Palamæ, quam simili coacto Concilio, quamquam non videntur plures illi adfuisse Antistites, paucis admodum Latinorum communionem ac Beccl ipsius palam Ἀντιδόροις admittentibus, quicquid Michael Paleologus anniteretur, haud diffimili exitu a Concilio Lugdunensi ac fuit a Concilio Florentino, per gentis pervicaciam, qua Petri ac Christi ovilis esse respuentes, Mahumeti præda effecti jam pene consumpti sunt. Sunt quidam hic Episcopatus, quorum nomina non extant in Notitiis Sedium Patriarchæ Constantinopolitano subjectarum, sive sunt novæ Sedes, sive mutatis novisque nominibus, veteres; nec vacat de his plura inquirere. Augebunt istis Tabulas Geographicas, qui huic peculiaris student disciplinæ.

3. Ὅταν καὶ αὐτὸ γνώσιν τῶν Ἀδριανοῦ πόλεων. Sic quoque in subscriptionibus tres isti Metropolitæ τῶν γνώσιν dicuntur. Accepi ac si per Vicarios, ac quod sententias illi suas ad Synodum nuntiassent. Nihil rem acu attigi, gratiam faciet qui me docebit: nec enim profiteor me scire Ecclesiastica omnia, sic præsertim recentis ævi. Adrianopolis civitas tanti visa, ut sibi eam Turci ante captam Constantinopolim, ubi jam ex Asia transierant. Regiam fecerint. Necdum tamen id contigerat. Ipse Palamas dum Constantinopolim petit, a Turcis, qui jam Calippolis potiti erant, captus, inque Asiam adductus est, ubi hactenus illi imperabant. Extat ejus Epistola ad suos Thessalonicenses de suis ibi laboribus; ut & disputatio πρός τινας Θεοῦ λόγους Χιονίους (sic vocat Turcarum doctores) conscripta a Taronita Medico, qui tunc aderat. Essent hæc non inutilia Historiæ Byzantinæ. ut & tanta illa de tentata Barbaris Thessalonica, quæ habentur in sancti Demetrii Vita, cum aliis jam Allatio editis, de illa semel & iterum expugnata.

4. Προφέρω τινὰ τῷ χειροτονίᾳ τῶν χειροτονουμένων Ἀρχιερέων. Novum istud aliquid in ordinando um Episcoporum professione, occasione motarum nuper quæstionum, uti fere solebat, cum dogma aliquod percrebrescebat, recenique impugnatum plenam demum fidem obtinebat. Quod respondet Synodus, eam additionem nihil aliud esse, quam sextæ Synodi explicationem, inde acceptum videtur, quod in illa duplex operatio in Christo definiatur, humana scilicet & Divina; & quod nulla res sit operationis expers seu virtutis; ac neque Deus, quod illi hic imperite accepserunt, ac si in Deo, velut in creatis, operatio seu virtus aliud re ipsa esset ab essentia, non ipsamet ut voluntas & agens, ob summam Dei simplicitatem.

5. Ἐκεῖνοι παντελῶς ἀπηνόουν. Forte ἀπηνέστατον. Etsi verba sunt, ejusdem fere & formationis & significationis. Poterant viri Catholici pugnam defugere ac disputationem, quod illud Concilium totum Palamitarum viderent, quorum factione ipsi opprimendi essent, & veritas ludibrio habenda, velut jam in Barlaamo & Acindyno iisdem prædamnata.

6. Ἐπεὶ οὖν ἡ ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ἀντιλογία. Videtur hanc Palamas distinctionem adhibere, ne si quid inter disputandum, sive adversarios impugnando, sic absurdum excideret, ut nec ipsis studentibus satis probari posset, aut ab erroris nota eis vindicari, neglectam in disputatione ex more, ac quasi ex Basilii ipsa regula, τὸν ἀκριβῶν excusaret; in confessione ac fide formula, servatam, ex qua ejus fidei sinceritas foret pensanda. Dominica τῆς ὀρθοδοξίας (quæ est secunda Quadragesimæ, Græcis Jejuniorum prima) Fidei Formulam habet Palamas, paullo breviorem, quam quæ extat ad calcem hujus Synodi illius nomine, in qua etiam suum procacius errorem tuetur, velut jam tertia in eam rem Synodo victor, & cum ipsa Palamæ opinio, Ecclesiæ Catholicæ sententia Constantinopoli (Palamitarum scilicet illi Sedi incubantium) judicio haberetur. Debuit petulantissimus homo, qui tot tamtosque ejus Sedis Antistites hæreseos notatos in Conciliis Generalibus producat, non sic Isidoro vel Calixto fidere. ut quia illi eorumque Synodi ejus tuerentur sententiam, tueri eam existimaret ac probare Ecclesiam Catholicam & Apostolicam, non magis Satanæ paraſynagogam, ubi maxime sic a Romana Ecclesia diffideret. per cujus Antistites, sic Constantinopolitani Præsules hæretici probari essent, atque eo nomine a Synodis Oecumenicis (ipsam vere Ecclesiam, unumque Christi ovile, uno ejus Vicario, in quo adunetur Christi Sacerdotium, repræsentantibus) damnati. Hinc enim regula Ecclesiastica. Non licere Generalem Synodum fieri absque Romano Antistite; nullo humano ambitu, sed ipsa Christi institutione, summo in Ecclesia Sacerdote Palamæ candorem subit mirari, qui nec Honorium Papam ausus sit arcessere, ut suis Sergio, Pyrrho Paulo Constantinopolitanis socium adjungeret. Existimavit non justa satis coitione in illum a Synodo pronuntiatum esse, cum nec auctor hæreseos esset, nec in eam operæ aliquid contulisset; sed nascentem atque serpentem non satis forte Apostolico vigore tensuque compressisset. Cui rei vel hoc ipsum argumento esset, quod Romæ & in Occidente nullas illa radices egisset: actura sane, si tanti nominis Pontifex, seductore Sergio in eam serio abactus esset, aut illi quicquam patrocinatus, quicquid Græca Syraque calliditas, Romana Latinaque simplicitate tantisper abuti visa esset; ac donec Joannes IV. Petri, non tam æquitate, quam justa æmulatione, Apostolicum gladium strinxit, Heracliumque ipsum contertuit, successoribusque Theodoro, Martino, Domno, Agathoni, Leoni sempiternæ laudis exemplo præivit. Sic animatus olim in Honorium fui, nec aliter puto scripsisse, quicquid sectis lippientibus Theophili Raynaudi oculis perque eos intuitis aliis, deprehensum sit.

7. Ὅτι χειροτονητὴ φύσις οὐ γίνεται. Apud Basilium, χειροτονία φύσις οὐ γίνεται, ubi Interp. *Ordinatio non est natura*. Quod mihi non placet; melius Laurent. Siphanus apud Greg. Nyss. cui perinde tractatus ille tribuitur. *Quod natura non fit ejus conditionis, ut constitui, eligi & designari possit*. Malim ego χειροτονία in dandi catu. *Natura non fit electione & quasi creatione, quæ per suffragia est*; factitie nimirum & institutione seu designatione, sed ipsa nascitur vel a se est & quasi fundamento reliquorum; quod nobis in Deo ignotum, nec nisi ex effectibus nominatur, tum etiam, cum Deum dicimus. Ut enim auctor est Greg. Nyssen. ad Ablabium, Vox illa, τὸν ἐποπτικὸν καὶ θεωρητικὸν δυνάμιν sonat, *vim inspectatricem & spectatricem*, ὃν νῦν θεὸν λέγομεν, *quam Deitatem dicimus*. Nec aliter ejus frater hic, nempe Basil. Θεωρίας τινὰς ἢ ἐποπτικὰς ἢ τὰς ὑπερκειμένας ἐνδείξεις ἢ προσηγορίας φέρει. *Potestatis cujusdam sive inspectricis sive factricis significandi, vim habet*; ubi non bene Basilii Interpres, *potestatis sacrorum vel mundanæ administrationis*. Non enim Moses datus est Deus Pharaoni, ut quasi in sacris præesset, sed ut in ipsum adverteret, ejusque parvicaciam edomaret, juxta ejus vocis duplex etymum, quod magis Basilio arrisit ἀπὸ τοῦ, θεάσθαι quod videat, inspectet omnia, nec eum quicquam lateat, καὶ παρὰ τὸ θεῖν, ὅ κατατρέχει καὶ τρέχει, ait Magnum Etymolog. ὁ τῶν ὅλων ποιητὴς καὶ τῆς τῶν ὅλων κατασκευῆς αἴτιος. quod omnium creator & auctor. ὁ ἐποπτικὸν, de illis qui sacra jam velut intuentur, ac inspectare censentur, in eis scilicet perfecti, quo respexit interpr. non videtur ad rem vel ex mente Basilii: Alia vide in Etymolog. Porro hæc, ac sequentia Nyssені, ne vel in specie Palamitis favent, inepissimeque velut ex eis victores, Adversarios in erroris sui consentium pœnarum severitate coguat.

8. Ἐνὶ ὧν μικρὸν μοι. Reliqui omnes, & ipse Chrys. in eo tractatu & in Gen. ὑπὸ habent, ipsaque Hebr. ut vel librarii errore, vel lapsu memoriæ, alterum alterius loco obrepserit. Sic Matth: 8. Interpr. Ethiop. ἐνὶ ἐξουσίαν egerit, pro ὑπὸ ἐξουσίαν, dum ex illo redditur, *Nam & ego quidam præfectus sum*; cum aliud potius sonet, *Sub præfecto sum* (sub Tribuno scilicet) cum tamen manus aliqua militum ei subesset, sicque illi dicto audiens esset.

9. Ὅτι πολλοὶ περὶ θεῶν δόγματος. Verum istud cum plerique Patres consentiunt, nec alii aliis adversantur, ut sint testes communis fidei, & traditionis vindices. Hic vero nullus est Patrum quem Palamitæ evincant sic crasse, sic stupide ac illi, de Deo sensisse, nec ejus in nobis dona, creata agnovisse, ipsa Dei in se virtute, increata; virtualiter solum, non reipsa emanante ab essentia, deque illa existente. quod habent omnes Dei dotes, quas vocant Attributa; de quibus proinde est divina Scientia, 1. Theologia; vere ipsa demonstrans per causam virtualem, seu rationem formalem; non quod sint aliqua vere producta, eoque realiter distincta, nec ipsa Dei essentia

10. Τῇ ἐνεργείᾳ τῶν πάντων ἑφικνεῖται Θεός. Ἐνέργειαν accepit Anastasius, ut se tenet ex parte Dei; virtutem scilicet agendi commorando effectum, quæ sane ab essentia inseparabilis est, eamque manifestat & prædicat, illi perpetuo comes, sed non velut alia res, sed ipsa essentia, etsi non sub ratione essentiæ. Sic ait eam esse περὶ τῶν πάντων circa universum, prout scilicet providentia est; quam aliud ab essentia ipsoque Deo reipsa facere, longe abest a vero.

11. Ἄλλο τὸ ἐν τινος, καὶ ἄλλο τὸ ἐξ ἑνός. Ita recte Athanasius in Trinitate, in qua fides distinctas personas & subsistentias καθ' ὑπόστασιν καὶ ἰδιότητα docet: nec locum in ὑπέρ aut virtute habet, ne tot in Deo personas admittamus, quot sunt in eo dotes & ἐνέργειαι, vel tot accidentia & qualitates realiter distinctas habere, illæque compositum esse; quod erratica Synodus & Palamas debuit advertere, non sic Athanasii, Patrumque aliorum Inauctoritates alio sensu detorquere. Athanasii Interpr. sive Nannius, sive alius est, *Aliud fecerit quod ex aliqua naturam accepit: & aliud quod sui alteram naturam dedit*. Scripserit, *quod suam alteri naturam dedit*. Sic enim sensus constat, cum alias gravis error in Trinitate fit. Sequentibus etiam, quod ita habet Athan. εἰ δὲ τὸ ἐξ αὐτοῦ καθαίρουν ἄνευ τοῦ ἀνωμαλοῦν κτλ. non bene redditum, *Cum tamen splendor ab igne sit indivisibilis*. Est enim, *Unum vero* (ignis & splendor sive lux, quæ duo & esse & videri dixerat) *ea ratione quod splendor ex illo est & ab eo indivisibilis*.

12. Καὶ τὸ ἓν ἐν ἑκάτερον διαφυλάττον. sive ut alii Romæ Codd. καὶ τὸ ἓν ἰδίῳ λόγῳ διαφέρον. Et hic Palamitarum strues, Maximique auctoritatis abusus. Respondet Maximus Pyrrho, volenti ex duabus voluntatibus unam voluntatem compositam fieri: idque Maximus inficiatur, omnique sacræ ac profanæ Philosophiæ merito adversari contendit, nec esse eorum, quæ sic in alio spectentur, non propria ratione, inter se compositionem; non autem negat esse cum substantia, ad quod tamen inficeti homines assumunt. Quis enim neget compositionem subjecti & accidentis, ubi maxime realis distinctio est, quæ manifestior apparet in qualitatibus tertiæ speciei; quæ præcipue accedunt, & recedunt? nam potentias, sunt qui nolint plus quam ratione aut formaliter ab essentia distingui; cum qua proinde non tam physica & realis, quam metaphysica & rationis compositio erit, quæ nec ipsa in Deo ob summam eminentiam & quasi transcendentiam admittenda sit: eo scilicet fundamento, quod in creatis, quantumvis simplicibus, occurrit.

13. Ὁ πυκνὸς βῶλος δρόσου. Sic Sixt. nulla alia lect. Flaminio adducta, cum Complut. Basil. &c. melius habeant βῶλας· *billas roris*: quid enim glebæ ad rorem, cum glebæ crassiores fint, nos guttis minutissimis cadat, Deo terram (seu potius in ea plantas & fruges) molliter infundente, eoque munere totis quasi parente ac genitore, ut debuerint sapientissimi Senes οἱ ο. βῶλας reddere, reclamantibus Hebr. ac quotquot ex illis vel pressa interpretatione, vel paraphrasi reddidere? Codex Alexandr. πυκνὸς καὶ βῶλος δρόσου habet: sed adjectitiam vocem, πυκνὸς nemo non videt, ac ichoris loco primum positam, studioso quodam molliente τὸν βῶλος, & ostendente ut *roris glebæ* dici ac intelligi queant, nempe ut jam ros infudit terræ faciem, certisque partibus illi continue hæret. Vis ista in verbis, satis molesta; nec ex illis facile consurgat Theologicum argumentum, quod omnino fit efficax, tanta Græcis in verbis licentia, ubi præsertim ἀντίθεσις est non ὁμολογία, in quarum prima non omnino servatur ἀκρίβεια. Satis enim est undecumque Adversarium elidas probabili quadam specie, etsi non accurata omnino & explorata veritate illius argumenta eludens, qua se methodo usum profitetur Palamas. Videtur Basilius in voce ἐνέργειαν, velut naturalem quamdam operationem spectasse, & quasi necessariam emanationem, secundum quam mundus coævus Deo posset intelligi, ea ratione qua ἐνέργεια cujusque rei actus dicitur & virtus. Vox vero ὑφεστὼς sonat subsistentiam date, cujus usus frequentissimus est in Incarnatione, in qua passim Verbum dicitur ὑποστῆναι humanam naturam, quasi in se condidisse, ut in se subsisteret ei dedisse. Nostri Theologi longe barbara voce *suppostandi* videntur expressisse, Deus Dionysio ἀκρῶς celebratur, supra omnem χωρὶς quod Maxim. & Pachim. de habitu exponunt: potestque exponi de omni habitu, quasi qualitate, vel relatione & habitudine, ut ἀκρῶς sit absolutus & πάντων ἐξηρημένος, ut alibi loquitur idem Dionys. Hinceque nostri Theologi veram in Deo seu realem relationem ad creaturas negant, voluntque denominari a relatione, quæ est in creatura, & quasi extrinsece; ut relatio in Deo, sit ipsa divina virtus, ἐνέργεια, vis ipsa agendi, ut connotat effectum, ipsa in se semper eadem, nulla evariatione aut mutatione ante & post effectum perseverans.

14. Τοῖς θεομόροις καὶ ἀγαθωμόροις. Sic quoque Sandion. Reliqui, ὡς θεομόρους. Nec sensu differt utrumvis scribatur, In verbis sequentibus, ὡς θεαρχίας καὶ ἀγαθαρχίας, subaudi, ὄντας quæ sint deitas & bonitas, quæ dii bonique efficiunt; male Cord. ad Deum refert, quasi dicat Dionysius: Deum antecellere deitati & bonitati, tanquam ipse θεαρχία & ἀγαθαρχία, non quæ sint θεαρχία & ἀγαθαρχία, formales scilicet deitatis & bonitatis participationes, ac proinde earum in nobis principia, quod sonant illæ voces: nec male Lanselius reddiderat.

15. Θεολογικὸν οὐσιωνύμιον. *Theologicum essentiæ entisque nomen*. Sic Pachim. in paraphrasi. Ὡς ἀγαθωνυμίαν λέγει τὸν ἀγαθὸν ὀνομαστὴν, ὅτι καὶ οὐσιωνυμίαν τὸν τῶν ὄντων οὐσιαστὴν, οὐσιῶν ὀνομαστὴν. τὸ δὲ ὄν, καὶ οὐσία, κοινῶς *Sicut ἀγαθωνυμίαν boni nomen vocat, sic & οὐσιωνυμίαν nomen entis, velut οὐσιωνυμίαν*. Male Cord. ὡς ἀνωνυμίαν (quod in Lansel. potuit esse erratum typogr.) *Sicut ἀνωνυμίαν*: nec sequentia docere potuerunt, quibus Pachim. duas has voces, τὸ ὄν, & ἡ οὐσία, ait idem significare. Sequentibus magis erratum Corderio, καὶ αὐτὸν οὐσιῶν τὸν ὄντων: quod Maxim. & Pachim. de entis illo uno dictum volunt, quod Deo singularissimum est, non ut principium numeri, sed qua Deus omnibus eminet, in seque absolutissimus est, quod nec ipsum tamen illa ὑπεροχὴ Dei essentia est: dum ita reddit, *Et ipsa copulationem mentis superat. Entis* voluisse dicerem, si major in aliis esset Viri diligentia, non omnia ei arbitraria, & qui eadem eodem procinctu diverse alioque sensu passim reddat, uti hic in Dionysio & Pachim. ὡς, ὡσαυτὼς ἀνωνυμίας: in altero, *Tantum commentabimur, quantum propositi ratio postulat*, inepta etiam additione auctoris sentum ac seriem turbans in altero, *Tantum admonebimus*, quod unum aptum est, potuitque & ab Dionysio ex Lanselio habere. Palamitarum unus ubique error, quod participationes formales apud Dionysium aliosque Patres, in Deo velint aliquid reipsa medium ac distinctum inter ipsum & effectum creatum, velut fere Platonici ideas comminiscebantur, cum sufficiant ex parte Dei ipsæ ideæ virtutque agendi. Ipsa nimirum divina ratio & voluntas, nihil a Deo vel ejus essentia distincta, nisi ratione, ipsa efficax ut præsitet quicquid velit & quando velit: Unusque maxime rem explicat Maximus, quicquid Palamitæ ejus sæpe locos usurpent.

16. Ἰδρῶτα. Sic & Savil. in margine vero ἰδρῶτα, quod Dionysius habuit. Ignotam vocem Aretinus sic ex suo capite reddidit, *eamque irrigavit*. Scripserit Joannes ἰδρῶ neutra significatione, eodem tenu ac ἰδρώς. Necessaria Spiritus mora in anima, ut sic veniens manetque jugis in ea fons fiat, saliantque ejus latices in vitam æternam; quod irrigandi voce, & ut irrigandi actu fons ille in anima concrescat, non satis apte exprimitur.

17. Ἐπεὶ τοῖς ἐνεργοῦσι τὰ Μακαρίοις. Nihil bene Aretinus suaque hæc mala sic bonis, ac claris Chrysost. subdit. *Sic in operibus Unigeniti, quodcumque ex his productum factumve videbitis, nihilominus efficit*. Quam hæc apte, assumptam Chrysostomo reddunt similitudinem fontis abyssos impleuti? ἐνέργεια, virtus, ipsa in eo vis, sic fontis rationem habens, quam Palamitæ hac auctoritate torque aliis ab essentia distinctam nituntur probare. Nobis sufficit distinctio virtualis. Non pauca per Interpretes non satis accuratos, Viris magnis, Chrysostomo aliisque Ecclesiæ Græcæ Luminibus, menda adhæreret nec qui faciat medicinam facile occurrit, aut qui saltem volenti facere, æquus satis fit, juvetque opera.

18. Οἱ τριακόσιοι. Putem σφάλμα γραφικὸν, ac respexisse Chrysost. τοὺς ἑκατὸν ὀκτὼ, centum viginti, qui Arcium s. leguntur, cum in reliquis certos in Scriptura Fidelium numeros respiciat, qui sic omnes de Christi plenitudine acceperint. Abundant hæc præ Græcis editis, ipsa non aliena a Chrysostomi vena.

19. Δεικνύοντα φῶς ἐνεργοῦν· Vulcan. *Administrare operationem*. Idem quidem sensus; malui tamen vim ipsam vocis magis exprimere, *uti ad operationem τοῦ ἀεὶ ὄντος φυσικῶς διαδιδοῦναι*· Vulcan. *quæ ipsa naturaliter transit*; pro, *quæ ex ipsa*: quod velim typorum, Cyrilli argumentum est, non esse creaturam spiritum, qui omnem habeat Dei virtutem, ac per quem Deus omnia operetur; cum fit absurdum id præstare, velut per quoddam extrinsecus creatum organum. ἐνέργεια hæc, quod φυσικῶς ex Dei essentia transire dicitur, in eos qui apti sint ut suscipiant, sic accipiendum, ut cum dicitur naturale Deo, seu ex natura, benefacere; etsi libere, exque voluntate benefaciat, ac creatis rebus, hoc quod bonæ sunt, tribuat. Nempe, est Dei hæc natura, quod sit illi consentaneum ea præstare, si tamen decreverit, ad divinarum suarum dorum imitationem trahendo creaturam; non quod ulla ad extra necessaria Deo emanatio sit, illique coæva ac increata, ut fruftra Palamitæ tanta locorum congerie nituntur probare.

20. Μικρὸν παρενοήθη τοῦ θεοῦ. Desunt hæc in Orat. ex Reg. Codice Savilio repræsentata. Sic quæ habentur veterum Theologorum Homiliæ in libris Græcorum Ecclesiasticis, non ubique omnino habentur integræ, pro exscribentium scilicet libidine usque Ecclesiarum, majori minorive ambitu comprehensæ. Sit forte ista Amphilochii, cui familiare illud, ἄκρον σωφρόνως· insertum autem vero Chrysostomo. Antiqui Theologi monumentum præfert. Deitatis vocem etiam in creatis usurpari ex Dionysio Maximoque liquet.

21. Κύριος Φιλόθεος. Hic ipse est, qui brevi post Constantinopoli sedit, olimque imbutus Palamæ erroribus in Monte, jam non sancto, sed extincta fidei luce in plerisque in eo Hesychastis profano, eorum Antistitem Palamam ipsum vindicavit, celebrique elogio, Synaxario Dominicis τῆς ὀρθοδοξίας (secunde scilicet Quadragesimæ) magna piorum offensione, adjunxit. Cujus etiam extant aliquot orationes; ut fuerit vir satis eruditus & facundus, qui fic sermones votaque Monachorum totius Montis sancti excepit & conscripserit; in hoc fortitus a Callixto Patriarcha vel ab Imperatore missus.

22. Τὴν θεωρίαν τῆς Διονυσιακῆς φιλοσοφίας. Ita sane vi-

ri Catholici de Lumine Thaborio, nec de alia, assumpti a Domino corporis deificatione, videntur loqui Palamitæ, quam ipsi errore increatum aliquid & divinum Deoque convum (ipsius scilicet secretam virtutem τοῦ ἐνέργειαν) definiere: nam de Deitatis unctione, ipsa personæ Verbi totiusque unguenti substantiali præsentia, qua homo Deus personaliter & ὁμόθεος extitit, minquam sic sensere Palamæ hostes, quicquid eis impingant Palamitæ; dum unam Dei Virtutem Filium agnoscunt, nempe subsistentem, & a Deo (1. Patre) ut a quo vere procedit, distinctam: quibus essentialem virtutem, & quæ Deus ipse sit, virtualiter solum et eminenter distinctam, eaque ratione esse ab essentia dictam, non e contra, non negant.

23. Φθαρτικὴν ἀνὴν νομίζων. Quasi maleficam existimare corruptionis et interitus auctorem, non entis ac vitæ. Ita sane Palamæ hostes colligebant, riteque vexat noster Calecas, ostenditque ex negatione illa omnis commercii essentiæ Deitatis cum creaturis Palamitarum errore, destrui mysterium Incarnationis, nec nisi ἀνέρωμα Nestoriano errore constare, quod ipsum Palamitæ male eis impingunt: Communi scilicet Verbi in Christo inhabitatione per afflatum et operationem, ut in Sanctis reliquis et Prophetis: Locus Exod. hoc solum vult, pro statu mortalis vitæ non videri divinam essentiam, nec nisi in diviniorem alium translatis, quo eximia quadam ratione crimus Deo similes, videntes eum sicuti est, ut auctor est dilectus Discipulus, cujus dum hæc scribo, martyrii dies anniversarius agitur.

24. Φυσικὸς αὐτῶν φρονοῦσι τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. Hoc maxime Palamitici erroris agnoscunt illius impugnatores Catholici, quod ἀνέρωμα (divini scilicet Spiritus effectus ac dona) increata Deoque convia & naturalia vellent; insulsissimique hominum sic proterve oppositum hæreseos darent. Ad Maximum quod attinet, libet huc scholium afferre ex Regio Cyparissiotæ Cod. quo is vindicatur ab ea Palamitarum calumnia. Ἀδικεῖται οὗτος τῷ μεγάλῳ Μαξίμῳ γεγραφέναι, Φυσικὸς τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ φρονοῦσι καὶ κατὰ βούλησιν τὸ πνεῦμα Πνεύματος ἀνέρωμα. φησὶ γὰρ τὸν ἀνάντιος λέγων τὴν γραφὴν, ἢ ἂς ἂν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἐξαμαρτάνω· εἶναι γὰρ ἡ αὐτῶ κατὰ τὸ ἴδιον φυσικὸν, ἀνέρωμα βούλησιν, ἢ αὐτὴ ἡ οὐσία· ἐπεὶ καθὼς περιέχειν αὐτὸν ἀνὴν κτίσμα. βούλεται γὰρ Θεὸν, πάντα ἃ κτίσεις παρέχειν, ἢ πῶς ἂ φανεῖ ἀνεμείβεται; ἢ πάλιν πῶς πάλιν ἂ τῶν γεγραφῶν ὁ Λόγος ἢ ἐν ἀλλοις ἀνάτω ἔτοιμος ὢν λόγον ἐκλαβέσθαι, ὅτι τὸν ἐκυφῆ ἐδὲ συκοφαντήσαντες τοῖς ἄλλοις ἐξέδοσαν. ἐστὶ γὰρ ἀναβῶς ἀνὴν, φυσικὸς φρονοῦσι τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ κατὰ τὸ ἑαυτῶ ἀνδρωπίνον, οὐδὲ γὰρ ὡ τὶ ὑπερφυὲς αὐτὸ θεότητι φαντασθήσεται τὸ ἔτι πνεῦμα· ἀπαρὲς γὰρ αὐτὴ ἢ πανάλλος· ἢ ἀδῶν τινος, ἐν ὡ ἑαυτὸ ἐπαφασθῆ· ἀλλ' ἢ ἄλλοι ἐν τῇ κατοικήσειν. ὅτι αὐτὸ ναὸ, ἢ τὸ πῦρ αὐτὸ κατὰ βούλησιν παρεχθῶ ἐπαφασθέντα, πνεύματα, ἀλλὰ ἐξαρχὴς ἅγιον αὐτὸ ἢ πνεῦματικὸν ἀποφήνατο· *Incertum num alio loco scriptum sit magno Maximo, inesse natura Filio Dei effectui sanctissimi Spiritus voluntate producto. Nedum enim id Scripturæ adversatur, verum etiam Dei Filio injuriosum existit. Erit enim ejus natura, velut ea quæ ei naturalia sunt, voluntatis effectus, ipsaque adeo essentia: quo palam conficitur, creaturam esse. Dei enim voluntate & consilio producta est omnis creatura. Et quomodo, non manifesta impietas? Vel igitur Sanctus hoc penitus non scripsit, vel cum alio sensu exposuerit, hi suo more per calumniam aliis tribuerunt. Pie enim ait queat, inesse natura Filio Dei, ratione humanitatis. Neque enim in ejus Deitate, quæ essentiam omnem superat, requiescent septem spiritus: hæc enim infinita est, omnemque præstabet perfectionem; nec indiget aliquo, ut in ea requiescat; sed plane in templo quod sibi ipse construxit, quieverunt, dum statim a principio sanctum illud ac spirituale effecit.* Cui alteri solutioni standum; ut est Maximus valde formalis (ut ita dicam) presseque ac proprie loquitur. Hoc enim flos ille ex radice Jesse, non ipsum Verbum Deique Filius secundum se, ut ita de illo debuerit Maximus accipere, vel Palamitæ ad ipsum trahere. Querebar Sancti Maximi gratia, & qui unus, omnis Theologiæ velut Lydius lapis ac Patrum amussis, suis quidem Græcis vitus fit, quod qua cœpi majestate, typorum elegantia, chartæ peritate, meaque ipsius ac Typographi sedulitate, per meam tenuitatem, ætate fugiente, non possem absolvere. Verum abstersit quæ-

lam, qua illi favere largiare, animum insinuavit. Amplissimus Ordo super in suis Comitiis Generalibus, & qui illi, a se invitatus, ultroque prosiverat, meritis, quam purpura, clarior, litterarum reique Ecclesiasticæ columen, Eminentissimus Cardinalis Bullionius: per quos Maximus, Deo auspice, brevi lucem videbit.

25. Ὁ Μητροπολίτης Μελανίας. Videtur, quam Melantiam Ferrarius vocat, Thraciæ Urbem ac Propontidem, inter Byzantium & Selymbriam. Quod se solum Hypertimum scribit, non tum Exarchum, indicio est ex illis Metropolitis fuisse, qui nomine tenus solum Metropolitæ erant, eo honore donati ab Imperatoribus, cum nullas provincias, nullasve alias Urbes Metropolitica potestate, & quasi Patriarchali, regendas haberent. Hi enim omnes Hypertimi dicebantur, quasi honore primi, aliisque in provincia Episcopis prælati; non tamen Exarchi, quod idem est ac Patriarcha, uti etiam Archiepiscopus; quamquam Patriarchæ nomen ad majores primarias κατ' ἐξοχὴν Sedes usu restrictum est, ut & Archiepiscopi apud Græcos. Vel certe Ἐξαρχὴς magis propria notione sese inscribunt, qui Primatis jure plures provincias veraſque Metropoles subjectas haberent, non qui solum veri Metropolitæ essent, eoque jure Episcopis aliis in sua provincia præessent: velut qui statim sequitur, Ὁ Ἀμασείας, quam liquet veram Metropolim ac claram urbem in Ponto fuisse, cum ejus Episcopus non dicatur Ἐξαρχὴς, quod & ipse orte Cæsariensi Exarcho subesset; nisi deesset aliquid in ejus subscriptionem, cum & ipsum illius nomen desideretur. Fuerunt Græci mire liberales in titulis, eoque liberaliores, quo accisa nimis ditione, magis deici rebus videbantur. Quid vero istud officii in Philadelphia & Melanici Metropolitis, Καθολικὸς Κριτὴς τῶν Ῥωμαίων, *Judex universalis Romanorum*, i. Græcorum, malim audire ab alio, quam ipse dicere. Num & istud honorarium quid ab Imperatoribus in eos collatum, vel etiam judicaria vera potestas, ipsa Episcopis omnibus non communis; velut in illis est, quos Rex Christianissimus Consistorianos Comites vel episcopos vel alias honoratiores Clericos adlegit, qui ei sint a sanctioribus Consiliis, seu magis una cum ipso judices vere καθολικὸς sedeant; adstantibus quos Libellorum supplicum Magistros vocant. *Conseillers d'Etat*, & *Maistres de Requestes*. Sedent præterea in Parlamento (suprema scilicet regni Curia) Parisiis Episcopi, quos *Pares* vocant, nec non Archiepiscopus Parisiensis, suarum Sedium jure; præter Clericos, Senatores, quos sic καθολικὸς κριτὰς, nihil vetat dicere.

26. Μητροπολίτης Παρίου καὶ Παρίας Τετράπολις. Duplex hæc Metropolis, ex illis quas novas Metropoles vocant ex aliis subtractas, factaque privilegio Metropolitici juris. Amborum unus Antistes Georgius, quamquam erant Sedes satis diffitæ, nec ex eadem antiquiori Metropoli divisæ. Nam altera jam Turcarum ditioni cesserat, alteram ejus vere Pastor præsens ipse regebat. Vel commendata altera Sedium fuerat. Pegæ seu Pagæ, Boeotiæ Urbs in Isthmo Corinthiaco, sub Athenienſi olim Metropolita; Parium, Mysiæ Urbs ad Hellespontum, sub Cyziceno olim Metropolitas.

27. Μητροπολίτης Καλλιουπόλεως *Calliopolis*, ut in Thesauro ling. Latinæ, quicquid Ferrarius vituperet. Sic certe Κωνσταντινούπολις, *Constantinopolim* reddimus: Etsi aliis forte melius Καλλίου πόλις sit. Nec enim diversas putem urbes, sed ipsam Thraciæ ad Propontidem contra Lampsacum, *Gallipoli* Italis. De ea extat egregia Demetrii Cydonii Oratio deliberativa, mihi edita ad calcem Libri de Hesychi Monothelitarum; qua Vir sapientissimus vario argumentorum genere probat, non esse illam cedendam potenti Amurathi, graviaque inde damna Græcorum Imperio creanda, rite præfagit. Hinc quippe Turcarum in Europam propagatum Imperium, ipsa illorum Regia, facta Turcarum late Metropoli. Quod tribus his Metropolis non adjectus Hypertimi titulus, argumento est, non sic quoslibet Metropolitas dictos esse, ac si nulla distinctio esset; sed fuisse qui sic nudo Metropolitæ titulo potirentur, ut etiam Hypertimi appellatione gauderent; qua etiam alii sic ambitiose Metropolitæ titulum in seipsis honestarent. Ferrarius has tres Urbes solum Episcopales vocat: atque adeo novæ admodum erant inter Metropoliticas, necdum sic honoratæ, ut qui illis præessent Episcopi, Hypertimi audirent; adhuc forte Synodo provinciæ, veroque Metropolitæ subjecti.

ANNO CHRISTI 1350.

SYNODUS ARETINA,

In qua condita, & admissa sunt constitutiones pro eadem Ecclesia sub Boso ejusdem Ecclesiæ Episcopo,

Circa annum 1350. celebrata. (a)

Ex Archivo Sanctæ Ecclesiæ Cathedralis Aretinæ, n. 854.

Rubrica Constitutionum Synodalium Cleri Civitatis, & Diœcesis Aretinæ per Reverendum in Christo Patrem, & Dominum, Dominum Bosum provisione Divina Episcopum Aretinum, & per novem Officiales, & octo Adjunctos dicti Cleri concorditer editarum.

1. *De Fide Catholica.*
2. *Ordo Electionis novem Officialium Cleri Aretini.*
3. *Ordo super auctoritate, & baillia Officii Novem.*
4. *De Ordine servando in Congregationibus Officii Novem.*
5. *De Salariis Novem, quando laborarent pro Clero.*
6. *Quod omnes Ecclesiæ, Basilicæ, Cappellæ, & Altaria alibrentur sic, & solvant Datia secundum facultates eorum.*
7. *De libertate Ecclesiarum servanda.*
8. *Quod nullus Clericus emat, vel actionem recipiat in defensionem alicujus.*
9. *Quod Clericus in cessione bonorum non teneatur exuere pannos.*
10. *De ordine probandi Dominium juris Ecclesiarum.*
11. *Quod nullus inlitteratus ad Plebaniam, vel Prælaturam assumatur.*
12. *Quod Beneficiatus in Civitate, vel Diœcesi Aretina non transeat ad curam alterius Civitatis, vel Diœcesis.*
13. *Quod nullus Beneficiatus in Civitate, vel Diœcesi Aretina se ad extraneum Beneficium transferat.*
14. *Quod obtinens Beneficium Curatum se faciat ad Sacerdotium promoveri.*
15. *Quod nullus sine litteris Commendatitiis se faciat ad Ordines promoveri.*
16. *De Ordine sacræ Unctionis, & Olei Sancti.*
17. *De ignotis Clericis non eligendis ad Beneficia Civitatis vel Diœcesis Aretinæ.*
18. *De residentia per Prælatos in Ecclesiis facienda.*
19. *Quod Delegatus caussam sibi commissam debeat fideliter terminare.*
20. *Quod nullus prædicet in Civitate, quando dominus Episcopus prædicat.*
21. *De obedientia per subditos Prælatis fienda.*
22. *Quod Judices recte judicent, & Advocati non assumant caussas desperatas.*
23. *Quomodo Instrumenta Guarentigie executioni mandentur.*
24. *De Clericis non conveniendis sub Judice Seculari.*
25. *Quod dies Dominica custodiatur fideliter.*
26. *De festivitate B. Donati Mart. celebranda.*
27. *De quibusdam nominatis festivitatibus celebrandis.*
28. *Quod non obstantibus feriis super maleficiis procedatur.*
29. *De generalibus feriis.*
30. *Quomodo citati contumaces super maleficiis reputentur.*
31. *De falsis testibus, & eos scienter inducentibus.*
32. *De conspirationibus, & conjurationibus non fiendis.*
33. *De Jurejurando.*
34. *De Notariis, qui fuerint de Instrumentis appellationum rogati.*
35. *De vita & honestate Clericorum.*
36. *De habitu per Clericos in Eccl. deferendo.*
37. *De pœna Clericorum ludentium ad Zardum, & retinentium ludum.*
38. *Quod Clerici Ecclesiarum simul viventes cibariis in eadem mensa communicent.*
39. *De comestionibus in Ecclesiis non fiendis.*
40. *Quod Laici in Ecclesiis proprias Sedes non habeant.*
41. *Quod Clerici vel Laici in locis Monialium conversationem non habeant.*
42. *De pœna Clericorum comedentium cum Laicis in Tabernis.*
43. *De pœna Clericorum coberizantium, vel sonantium Instrumenta.*
44. *De honestate servanda, & habitu per Clericos deferendo.*
45. *Quod Canonici Ecclesiarum teneantur singulis horis interesse Divinis.*
46. *Quod Canonici Ecclesiarum, qui Presbyteri sunt, ad mandatum Prælatorum suorum Missas canere, & celebrare divina officia teneantur.*
47. *Quod Clerici non vadant post tertium sonum per Terram.*
48. *De pœna Rectorum Ecclesiarum pulsantium ad horas, antequam pulsetur in Ecclesia Cathedrali.*
49. *De pœna Clericorum deferentium arma.*
50. *Quod Clericus constitutus in Sacris coptam habeat.*
51. *De pœna Clericorum habitantium cum mulieribus suspectis.*
52. *De pœna conjugatorum facientium se ad Ordines promoveri.*
53. *De pœna Clericorum se ab Ecclesiis suis absentantium.*
54. *Quod dispensationes subreptitæ impetratæ non teneant.*
55. *De monitione non residentium in Ecclesiis, quod redeant infra mensem.*
56. *De Canonicis non fiendis per Prælatos sine consensu Capituli.*

(a) Bosus Ubertinus Aretinam cathedram ascendit anno 1335. eamque usque ad annum 1364. tenuit. Cum tamen nonnisi post annum circ. 1340. pacificam Episcopatus possessionem obtinuerit, non incongrue deduceremus Constitutiones hasce circa annum 1350. condidisse. *Marsi.*

57. *De Canonicis in sanitate, & non secus fiendis.*
58. *De præbendis per Prælatos Canonicis assignandis.*
59. *Quod nullus Canonicus de bonis Ecclesiæ suæ ultra præbendam quicquam subripiat.*
60. *Quod Canonici Ecclesiarum nihil in absentia recipiant de Præbendis.*
61. *De bonis Ecclesiarum non alienandis.*
62. *Quod nullus Clericus emat bladum ad novellum.*
63. *Quod Clerici possessiones non emant, nisi pro Ecclesiis suis.*
64. *De pœna Clericorum mercantium.*
65. *De ornamentis Ecclesiarum non pignorandis.*
66. *De pœna petentium, & vendentium debitum jam solutum.*
67. *Quod Successor non teneatur ad debita præcessoris.*
68. *De Testamentis de rebus Ecclesiæ non fiendis.*
69. *De ordine Testamentorum præsertim ex piis causis factorum.*
70. *De ultimis voluntatibus defunctorum executioni mandandis.*
71. *Ordo Clericorum euntium ad exequias mortuorum.*
72. *De mortuis non recipiendis ad sepulturam ad Ecclesias privilegia non habentes.*
73. *Quod nullus inducat infirmum super sepultura nisi suo libitu assumenda.*
74. *De limitatione Plebatuum, & Parochiarum*
75. *Prohibitio Rectorum Ecclesiarum, ne Parochianos alienos ad divina recipiant.*
76. *Quod Religiosi, & alii Clerici ad confitendum, & prædicandum admittantur alienis Parochiis, tamen de licentia Sacerdotis.*
77. *De prædicationibus fiendis in Parochiis de Prælati, & Ecclesiæ Rectoris consensu.*
78. *De monstione Decimarum Domino Episcopo solvendarum.*
. . . . . .
. . . . . .

XXIII. Quomodo Instrumenta Guarentigie executioni mandentur.

Statuimus, & ordinamus, ut in Curia nostra, & Vicarii Nostri, & in qualibet alia Curia Ecclesiastica Delegatorum Nostrorum Instrumenta Guarentigie contra Clericos executioni mandentur sine libello & judiciario strepitu, & sine alia juris solemnitate, nisi falsitatis, vel solutionis exceptio fuerit opposita, & probata; ita tamen quod hoc Judicium solum contra personas principales nominatim in Instrumento contentas, & expressas, & non contra alias observetur, nam contra successores ordinem judiciarium decernimus observari. Illis autem locis, ubi Clericis contra Laicos instrumenta Guarentigie non mandantur executioni, ut prædictum est, volumus Laicis contra Clericos communia jura, & non statutum prædictum servari.

XXIV. De Clericis non conveniendis sub Judice seculari.

Cum secularia judicia Clerici subire non debeant, statuimus, quod Clerici nostræ Civitatis, & Diœcesis coram Vicario Laico, nisi per reconventionem non valeant conveniri, & si conventi fuerint, impune non pareant Vicario supradicto; sed coram nobis & Clerico Vicario Nostro prædicti Clerici agant, et respondeant in Caussis civilibus, & criminalibus, et Ecclesiasticis, ut tenentur.

XXV. Quod dies Dominica custodiatur fideliter.

Sanctam diem Dominicam ab omnibus volumus cum reverentia custodiri, ita quod nullus illa die artem præsumat aliqualiter exercere.

XXVI. De festivitate Beati Donati Martyris celebranda.

Cum Beatus Donatus caput sit et patronus Cathedralis Ecclesiæ Nostræ, ac Civitatis, ac Comitatus Aretii, qui virtute sui martyrii meruit in cælestibus decorari, ac per hoc meritorium existat & dignum, ut ab omnibus cum reverentia honoretur, statuimus, & ordinamus, quod dies festivitatis ejusdem ab omnibus nostræ Civitatis et Diœcesis debeat solemniter celebrari, & cum omni reverentia custodiri. Nos enim reverenter custodientibus festum ipsum, ad ipsius Ecclesiam venientibus ea die quadraginta dierum veniam indulgemus.

XXVII. De quibusdam nominatis festivitatibus celebrandis.

Cum non deceat a capite membra recedere, statuimus, & ordinamus, quod festivitas beati Bartholomei Apostoli die reverendissimæ mortis ejus, festivitas vero beati Gregorii die vicesimo quarto mensis Aprilis, scilicet immediate ante festum beati Marci, & festivitas beatæ Cristinæ die decimo Maji ab omnibus nostræ Civitatis et Diœcesis debeant celebrari, cum in nostra Cathedrali Ecclesia sic servetur.

XXVIII. Quod non obstantibus feriis super maleficiis procedatur.

Etsi quolibet tempore, quando necessitas suadet, possit in maleficiis procedi, statuimus tamen, & ordinamus, quod tempore feriato procedatur pro ipsis maleficiis puniendis per accusationem, inquisitionem, et denuntiationem, vel alterum ipsorum modorum.

XXIX. De generalibus feriis.

Ut ambiguitas interdum in Curia Nostra exorta super diebus feriatis in posterum sit sopita, constitutione declaramus præsenti, statuimus, ac etiam ordinamus, quod omnes illi dies feriati sint, & custodiantur ab omnibus, in quibus festivitates Sanctorum, vel Sanctarum Dei fiunt, & de quorum, sive quarum propriis vocabulis in Civitate Aretii Ecclesiæ sunt constructæ.

XXX. Quomodo citati contumaces super maleficiis reputentur.

Statuimus insuper, et ordinamus, quod si quis, vel si qua legitime requisitus, vel requisita fuerit contumax, et non comparuerit infra quindecim dies, postquam sic fuerint requisiti, habeantur pro confessis in maleficiis, ex quibus de jure communi privatio non debetur.

ANNO CHRISTI 1350.

XXXI. De falsis testibus, & eos scienter induxentibus.

Excomunicamus, et maledicimus omnes falsos testes, et qui eos scienter induxerint, et qui eos veritatem præsumpserint subhornare, et qui secundum dicta eorum scienter præsumpserint judicare. Nec non Judices, et Notarios, qui dicta testium ant publicationem patefacere attemptabunt, eos omnes infames, & excommunicatos esse per hujus Constitutionis seriem decernentes.

XXXII. De conspirationibus, & conjurationibus non fiendis.

Omnes Clericos cujuscumque ordinis, religionis, sive status conjurationes, conspirationes, vel colligationes aliquas de cætero facientes indebitas excommunicationis vinculo innodamus, & vigintiquinque librarum pœnam nostræ Cameræ applicandam incurrat nihilominus ipso facto.

XXXIII. De Jurejurando.

Ut finis litibus facilius imponatur, statuimus, & ordinamus, quod in quæstione qualibet quinque librarum, vel ab inde infra, si actor juramentum veritatis deferre voluerit in qualibet parte litis teneatur reus præstare, vel referre hujusmodi juramentum; quod si reus juramentum dilatum sibi præstare cessaverit, ipso facto pro confesso de petito debito habeatur. Si vero juramentum ipsum reus actori retulerit, et actor recusaverit illud immediate præstare, reus a petitione Actoris ipso facto pro absoluto effectualiter habeatur, et ad cautelam per nostrum vicarium absolvatur.

XXXIV. De Notariis, qui fuerint de Instrumentis appellationum rogati.

Excommunicamus omnes Tabellíones, et notarios, qui appellationum interpositarum a gravaminibus Ecclesiasticorum Judicum Instrumenta confecerint, nisi responsionem Judicum prædictorum posuerit in eisdem, dummodo responsionem ipsam petitam ab ipso Judice cum instantia debita infra menses potuerint obtinere, quam si non possent infra dictum mensem habere ex tunc. . . . . .

LVII. De Canonicis in sanitate, & non secus fiendis.

Statuimus et ordinamus, ut nullus Prælatus nostræ Civitatis vel Diœcesis dum fuerit . . . . . sua facere, vel eligere quovis modo præsumat, sed dum sanus fuerit, absque molestia corporis, eligat sibi Canonicos de Capituli sui consensu juxta Ecclesiæ facultates, non tamen pueros, non ignaros, sed tales, qui possint in divinis officiis Ecclesiæ deservire. Qui vero in extremis positus aliquos in Canonicos, seu Clericos, vel in titul . . . . . eligere, vel recipere præsumpserit, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto, et electiones, et receptiones ipsorum Canonicorum sint irritæ et inanes.

LVIII. De Præbendis per Prælatos Canonicis assignandis.

Item statuimus, et ordinamus, quod Prælati, et Ecclesiarum rectores singulis annis consuetis temporibus Canonicis et Clericis suis, et Servitoribus Ecclesiæ debitam, et consuetam præbendam conferant, et assignent, ita quod digne possint Ecclesiæ deservire, ne aliquam habeant materiam conquerendi.

LIX. Quod nullus Canonicus de Bonis Ecclesiæ ultra præbendam . . . . . subripiat.

Advertentes, quod omnes terminis suis debent esse contenti, præsenti constitutione statuimus, et firmamus, quod nullus Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ aliqua fraude quæsita quicquid de bonis ipsius Ecclesiæ ultra portionem, sive præbendam sibi subripiat, absque sui Prælati conscientia, et consensu . . . . . suo debere castigetur, et ad quod . . . . . teneatur.

LX. Quod Canonici Ecclesiarum nihil in absentia recipiant.

Cum beneficium propter officium . . . . nonici, P. . . . . Civitatis, et Diœcesis Aretinæ . . . . . nolo præbendas recipiant, nisi tunc demum . . . . . in illi divinis . . . . . præcepissent Salo . . . . . vel quomodolibet alienet aliquid de immobilibus bonis, vel thesauris Ecclesiæ, nec sine justa, & rationabili causa, & nostra licentia speciali. Alioquin vendentes & scienter ementes immobilia bona prædicta . . . . . ipso facto pœnam excommunicationis incurrant, & omnibus Ecclesiasticis beneficiis, quæ obtinent, sint privati, & venditiones per mutationes, & alienationes hujusmodi sint irritæ, & inanes. Qui vero Prælatus, vel rector thesauros Ecclesiæ suæ, sine commodo evidenti Ecclesiæ, & sine licentia prælibata alienaverit quoquo modo, pœnam excommunicationis incurrat, & talis alienatio non teneat facto ipso. Decernimus tamen, quod præmissa se extendant solummodo ad futura. Super præsentibus autem alienationibus, venditionibus, permutationibus bonorum immobilium, & thesaurorum Ecclesiarum hactenus factis, statuimus, declaramus, & volumus, quod . . . . . Vicarius noster infra duos menses, post publicationem constitutionum præsentium immediate sequentes solemniter inquirere juramenti vinculo teneatur, & si factus invenitur juxta hujus constitutionis tenorem, & pretia inde recepta in utilitatem Ecclesiarum conversa fuerint, bene quidem, alias si contra vel præter ordinem constitutionis præsentis factas repererit, & pretia, quæ de illis recipi debuerunt, in utilitatem Ecclesiarum conversa non fuerint, sicut de jure requiritur, venditiones, alienationes, & permutationes hujusmodi . . . . . us factas facere retractari, & per sententiam suam . . . . . celeritate procuret Nec non Prælatos, & rectores Ecclesiarum . . . . . præsumpserit attemptare acriter puniat, sicut fac . . . . . aget,

ANNO CHRISTI 1350.

aget, sibique videbitur convenire. Cæterum si A emptor . . . . . orum ipsorum Laicus fuerit, & bona que . . . . . epit restituere forte co . . . . . net, talis . . . . . urrat, & dictus Vicarius in hoc casu . . . . . implorare . . . . . cium brachii . . . . . .

LXIV.

Cum nemo militans Deo negotiis secularibus se debeat immiscere, & secundum canonica instituta nil miserius sit, quam propter nummum D. . . . . ampnare . . . . . alicujus . . . . . ordinibus constitutus publice mercari præsumat . . . . . oleum, seu alias merces, vel quicquid aliud, ut carius illa vendat, cum hoc videatur ex radice cupiditatis procedere, quæ malorum omnium caput esse dignoscitur, atque radix.

LXV. De Ornamentis Ecclesiæ non pignorandis.

Statuimus, & ordinamus, ut nullus Clericus calicem, libros, aut alia ornamenta Ecclesiastica, vel thesauros Ecclesiæ suæ absque licentia nostra alicui pignori obbligare præsumat, quod si fecerit, sententiam excommunicationis incurrat, & quod per eum factum fuerit decernimus non valere, nisi infra sex menses, quod pignoraverit recolligat, & in statum pristinum reducendo . . . . .

LXVI. De pœna petentium, & vendentium debitum jam solutum.

Excommunicamus, maledicimus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis, & nostra omnes, & singulos, qui de aliquo debito jam soluto dabunt alteri, vel recipient actionem; & qui ad voluntatem, & requisitionem debitoris non restituerint instrumenta, vel scripturas, & qui debitum solutum petierint iterato.

LXVII. Quod successor non teneatur ad debita Præcessoris.

Item statuimus, & ordinamus, quod successor non teneatur solvere creditoribus debita per i . . . . . prædecesso . . . . . contracta, si debita ipsa summam decem librarum excedant, nisi de nostra licentia prædecessor debita contraxisset, & . . . . . eat debita ipsa fuisse pro Ecclesiæ utilitate contracta.

LXVIII. De Testamentis de rebus Ecclesiæ non fiendis.

Statuimus & ordinamus, ut nullus Prælatus, vel Ecclesiæ R . . . . . Canonicus, seu quivis . . . . . & intuitu . . . . . Testamentum . . . . . si qua in prædictis relicta fuerint ad pias causas, pauperibus, vel mon . . . . . Ecclesiis, hospitalibus, aut aliis piis locis, vel pro restitutione . . . . . B illicite acquisitorum, articulum ipsorum . . . . . relinquentis, & personas, & loca quibus relicta fuerint . . . . . anno nobis, vel Vicario nostro, aut alteri, quem ad hoc officium duxerimus deputandum semel, & fideliter insinuare procuret, ut sciamus, quid post annum ab obitu relinquentis exequi debeamus, si hæredes, vel fidei commissarii jussa derelinquentis, non adimpleverint infra annum. Si vero quisquam de præmissis superius negligens fuerit in denuntiatione, & notificatione prædictis cum pœna debita puniemus; quod etiam extendi ad relicta præterita volumus, si Presbyter, vel Notarius, vel alius ex prædictis infra annum, ex quo præsens admonitio ad eum pervenerit prædicta ad pias caussas, vel pro restitutione usurarum, vel aliorum illicite acquisitorum, de quibus habet memoriam, nobis neglexerit intimare. Hoc autem capitulum semel in mense in Ecclesiis coram Populo præcipimus publicari; & ne quis prætextu ignorantiæ se valeat quomodolibet excusare, pro parte nostra iidem Clerici moneant hæredes, & fideicommissarios universos, quod jussa Testatoris adimpleant infra annum, computandum, ut supra dicitur, ab obitu Testatoris. Et per Plebanos semel in anno rectores Ecclesiarum sui Plebatus ad prædicta facienda præcipimus admoneri.

D *LXX. De ultimis voluntatibus . . . . executioni mandandis.*

Quoniam nil tam naturale est, quam defunctorum ultimas voluntates executioni mandare, statuimus, & ordinamus, quod fidei commissarii hæredes, seu quicumque . . . . . promiserit solvere relicta ad pias causas, si ea non solverit infra . . . . . computandum ab obitu Testatoris, sententiam excommunicationis incurrat, nisi . . . . . tempus coram nobis, vel Vicario nostro rationabilem causam probaverit; quare . . . . . E executioni mandare.

Cetera desunt.

ANNO CHRISTI 1350. ANNO CHRISTI 1350.

PADUANUM CONCILIUM PROVINCIALE

A Guidone Cardinali A. S. L.

Anno 1350. celebratum.

An. 1350. „ Concilium quoddam Paduæ habitum præ- „ side Guidone Bononiensi S. R. E. „ cardinali A. S. L. novit Venetus Labbei „ editor, a Raynaldo ad annum 1350. edo- „ ctus. Nihil tamen præter nomen habere se „ quod daret, professus est. Non vidit ille „ profecto acta integra inserta in constitutioni- „ bus ecclesiæ Ticinensis, & cum illis edita in „ collectione peculiari, quæ primo quidem pro- „ diit Papiæ anno 1487. dein recusa itidem „ Papiæ anno 1652. hoc titulo *Sanctæ Ticinen- „ sis eccl. constitutiones ante an.* 1403. *editæ*. „ Ex illo igitur opere ut hic haberent lectores „ mei curavi; quos tamen præmonitos volo „ editiones illas mendosissimas esse, adeoque „ & meæ hujus errata excusent.

Infrascriptæ sunt constitutiones nuper editæ Paduæ in Concilio per reverendissimum in Xpto patrem & dominum dominum Guidonem tituli sanctæ Ceciliæ presbyterum cardinalem in tota Lombardia Apostolicæ Sedis Legatum.

„ In Xpi nomine Amen. Anno ejusdem Na- „ tivitatis millesimo trecentesimo quin- „ quagesimo, indict. tertia pontificat. domini „ Clementis Papæ VI. anno nono, die domi- „ nico vicesimo mensis junii per adhuc in epi- „ scopali palatio præsentibus venerabili viro „ domino Barchonato Stephani domini Ado- „ milphi de Comite canonico ecclesiæ sancti „ Laurentii de Consilve diœcesis Paduen. pres- „ bytero, Nicola de Caramanico cappellano cap- „ pellæ sanctorum Ermacoræ, & Fortunati si- „ tæ in palatio episcop. Paduen. ac Theodori- „ co de Bonavilla quondam Thomæ de Her- „ veto ambobus ultimis familiaribus, infrascri- „ pti domini episcop. Paduen. testibus ad hæc „ habitis atque rogatis & aliis. Cum reveren- „ dissimus in Xpto pater & dominus dominus „ Guido tituli sanctæ Ceciliæ presbyter cardi- „ nalis apostolicæ sedis legatus mandaverit ac „ expresse oraculo vivæ vocis commiserit reve- „ rendo patri domino Ildebandio permissione „ divina episcopo Paduen. quod de constitutio- „ nibus infrascriptis editis nuper per eumdem „ dominum legatum in provinciali concilio per „ ipsum Paduæ celebrato, omnibus & singulis „ ipsarum constitutionum copiam habere vo- „ lentibus, recipientium tamen sumptibus & „ expensis copiam, in publica seu privata for- „ ma det & assignet, prout de commissione „ prædicta constat publico instrumento scripto „ per me Ugenium notar. infrascriptum sub „ anno domini, & indic. prædicta, die lunæ, „ quarto decimo mensis Maji. Ea propter sub- „ scriptus dominus episcopus Paduanus volens „ juxta mandatum & commissionem præfati do- „ mini legati, reverendo patri domino Bonifa- „ cio Cumano episcopo ipsas constitutiones pro „ se & clero suo petenti copiam in forma pu- „ blica facere & exhibere, mandavit mihi no- „ tario suprascripto, & infrascripto, quatenus eas- „ dem constitutiones portandas & assignandas „ domino episcopo Cum. prædicto ad requisi- „ tionem ipsius domini episcopi Cumani Berto- „ lacio de Avinione ejus nuncio sub signo, & „ nomine meo in forma publica debeam assi- „ gnare. Tenor ante præfatarum constitutionum „ talis est.

Guido miseratione divina tituli sanctæ Ceciliæ presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, venerabili patri Patriarchæ Aquilegensi salutem in domino. Ad utilitatem ecclesiarum, quietem & salutem fidelium præcipue consistentium in regno Ungariæ, ac Aquilegien. Graden. Sillizburgen. Mediolanen. Janven., Spalacen. Antibaren. & Bagulin. provinciis, nec non Strarien. Bonon. Mutin. Redin. & Perman. civitatibus & diœcesibus, in quibus nobis est ab apostolica sede officium plenæ legationis injunctum, salubriter procurandas, diuturna nos cura sollicitat, ut communi omnium statu bene disposito clerici & populi præfatarum provinciarum mores & actus præstante domino ordinationibus salubribus regulentur. Sane per nonnullos prælatos, clericos, & laicos provinciarum prædictarum in principio nostri adjectas (aditus) ad provincias supradictas fuit nobis expositum, quod in eisdem provinciis ab olim per legatos apostolicæ sedis & locorum ordinarios fuerint constitutiones plurimæ promulgatæ, quarum aliquæ graves & pœnas duras continent, aliquæ vero in desuetudine abierunt, & quod non servantur, multa exinde pericula perveniunt (proveniunt) animarum, & fuit nobis per eosdem instanter humiliter supplicatum, ut super præmissis constitutiones ipsas mutando, pœnas quoque in ipsis adjectas tollendo, aut mitigando, novas & constitutiones edendo, providere de opportuno & salubri remedio dignaremur.

Nos itaque, attendentes, quod statuta humana, quæ mutabilitati semper subjacent, pro qualitate temporum utiliter immutantur, ipsorum supplicationi duximus annuendum. Et propter hoc principaliter concilium prælatorum & aliarum personarum ecclesiasticarum supradictarum provinciarum ad octavam diem præsentis mensis Maji in civitate Paduæ duximus convocandum, ubi convenientibus venerabilibus patribus Bertrando Patriarcha Aquilegiensi, Andrea Patriarcha Gradensi, Nicolao archiepiscopo Jadrensi, & nonnullis aliis episcopis, nec non archiepiscoporum, episcoporum & capitulorum procuratoribus, aliisque personis ecclesiasticis, regularibus & sæcularibus de provinciis supradictis, constitutionibus prælibatis diligenter recensitis, & omnibus quæ prænominati prælati, procuratores, & personæ ecclesiasticæ, regulares & sæculares dicere & proponere voluerunt, auditis, & plenius intellectis, constitutiones, quæ sequuntur duximus promulgandas, mandantes eas in prænominatis provin-

ciis

☞ ANNO CHRISTI 1350.

cis & diœcesibus integraliter observari, constitutionibus legatorum apostolicæ sedis dudum editas; in eisdem provinciis & diœcesibus, quo ad impositiones pœnarum quæ continentur in illis, omnimode revocatis; constitutiones vero provinciales & synodales in supradictis provinciis & diœcesibus per ordinarios editis, nisi fuerint expresse per has nostras constitutiones revocatæ, in suo statu volumus remanere. Quare vobis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, quatenus per vos, seu alium, seu alios in eccl. vestra, & locis aliis vestræ diœcesis, de quibus vobis videbitur expedire, infra duorum mensium spatium post præsentationem præsentium, coram clero & populo easdem constitutiones publicare curetis, transmissuri easdem infra eumdem terminum omnibus episcopis vel eorum vices gerentibus vestræ provinciæ; eisdem tam nostra auctoritate, quam vestra præcipientes, ut ipsas in suis civitatibus & diœcesibus congregato similiter clero, infra similem terminum post mandatum vestrum studeant publicare; & nihilominus in primis synodis, quas vos & episcopos prædictos celebrare contigerit, publicari easdem solemniter faciatis. Ita quod earum notitia ad omnes, quos tangit, valeat pervenire. Insuper operam detis, ut constitutiones ipsæ, postquam publicatæ fuerunt, diligentius observentur, si quos (non) ex prædictis prælatis inveneritis negligentes, eos ad hæc per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, mandatum nostrum taliter impleturi, quod diligentiam vestram exinde valeamus in Domino commendare.

De occupatoribus monasteriorum, ecclesiarum, jurium juraidi, & bonorum immobilium & mobilium quorumcumque ad ecclesias, monasteria, & personas ecclesiasticas quaiescunque communiter vel divisim pertinentium.

De invasoribus rerum & bonorum ecclesiasticorum.

MOnasteriorum, ecclesiarum infra terminos nostræ legationis consistentium affectantes indemnitatibus providere, monemus patriarchas, archiepiscopos, episcopos & abbates atque priores, infra eosdem terminos constitutos, eisque in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, quod prædicta monasteria & ecclesias vel eorum bona immobilia seu mobilia vel jura quæcunque non occupent & invadant; & si quarum fortassis invaserint, illa dimittant & restituant, infra spatium unius mensis post publicationem præsentis constitutionis, personis, ad quas pertinent, seu illis quibus fuerit de illis præfata restitutio facienda; eos vero, qui monitioni & mandato nostro circa præmissa non paruerint, suspendimus a divinis, & tamdiu volumus suspensos remanere, donec supradictis nostræ monitioni & præcepto satisfecerit cum effectu.

Bonæ memoriæ domini Latini episcopi Osten. olim in partibus Lombardiæ apostolicæ sedis legati, laudabilibus vestigiis inhærentes, monemus omnes clericos, & laicos, & quoscunque nostræ legationis, eisque in virtute sanctæ obedientiæ, auctoritate qua fungimur, districte præcipimus & mandamus, quatenus clerici qui ecclesias quaslibet seu monasteria propria temeritate invadere vel occupare præsumpserint, & easdem sic occupatas detinere non metuunt; laici vero qui quomodocunque ecclesias occupatas detinent, & illis faciant per alios deserviri, ecclesias ipsas cum omnibus bonis mobilibus, & immobilibus ac juribus quoquomodo pertinentibus ad easdem infra duos menses postquam præsens constitutio fuerit publicata in civitate seu diœcesi, in qua ecclesiæ prædictæ consistunt, libere & absolute dimittant, ut per illos, ad quos de jure pertinent, possit præfatis ecclesiis, de personis idoneis provideri, & provisionem hujusmodi occupatores prædicti nullatenus publice vel occulte per se vel per alium impedire præsumant; si qui vero huic nostro præcepto parere contempserint, clericos prædictos ecclesiis & omnibus beneficiis ecclesiasticis, quæ infra nostræ legationis terminos obtinent, omnino privamus, & inhabiles reddimus ad alia beneficia infra eosdem terminos obtinenda; laicos vero, qui contra præmissa fecerint, excommunicationis sententias incurrere volumus ipso facto, a qua non possint absolvi, nisi per apostolicam sedem vel legatum a latere domini Papæ missum; & nihilominus ecclesiastica careant sepultura, donec ecclesiæ, ut præmittitur, occupatæ liberæ fuerint in manibus episcoporum vel aliorum, ad quos spectant, dimissæ, et de earum fructibus per occupatores ipsos perceptis fuerit personis, quibus debentur, ad mandatum ordinarii, satisfactum. Illi quoque, qui in futurum ecclesias occupaverint infra terminos nostræ legationis, sive clerici, sive laici fuerint, ipso facto supradictis pœnis noverint se subjectos; omnes vero clerici & religiosi, sæculares & regulares, qui occupatores prædictos ante satisfactionem ut præmittitur factam & absolutionem obtentam ad sepulturam scienter & sponte receperint, ab officio & beneficio per unum annum noverint se suspensos: illi autem ad quos præfatarum ecclesiarum collatio seu provisio pertinent, eisdem studeant quanto citius poterint de personis idoneis providere.

Constitutionem venerabilis patris Patriarchæ Aquilegensis, editam in concilio Aquilegensi, inter alia continentem, quod occupantes aliqua bona ecclesiastica immobilia, decimas, jurisdictiones, honores seu jura spiritualia vel temporalia, vel res quaslibet spectantes ad cultum divinum per se, vel per alium, seu alios directe vel indirecte, aut personas ecclesiasticas in possessione prædictorum molestaverint, quominus ea seu reditus & proventus eorum pacifice percipere valeant, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, quo ad præmissa approbantes, statuimus, quod occupatores seu molestatores, qui in qualibuscumque partibus nostræ delegationis de cætero similia commiserint, ipso facto sint vinculo excommunicationis adstricti; eos vero, qui in præmissis vel aliquo præmissorum hactenus deliquerunt, & omnia taliter occupata per eos infra spatium quatuor mensium, postquam hujusmodi nostra constitutio fuerit publicata, eccl. seu personis ecclesiast. (non) restituant integraliter, ipso facto sententiæ excommunicationis decrevimus subjacere. Ea vero quæ in præfata constitutione de pœna interdicti continentur quo ad civitates Trivisinam, Paduanam, Vicentiam, Veronam, Mantuanam cum Feltrensi, & Belinensi & Terestina, & earum diœceses revocamus.

Quod

ANNO CHRISTI 1350.

Quod contra laicos injurias prælatis & personis ecclesiasticis irrogantes, seu res, bona ecclesiastica occupata quomodolibet detinentes, Judex ecclesiasticus possit procedere quoad ea, quæ commissa essent in sua diœcesi statuimus & etiam declaramus.

Rubrica.

PEr constitutionem bonæ memoriæ Guidonis tituli sancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis olim in provincia Scilzburgensi apostolicæ sedis legati ordinatum fuit, quod nullus clericus vel laicus prætextu advocatiæ seu patronatus bona clericorum decedentium B auderet invadere vel occupare, & qui contrafacerent sententiam excommunicationis incurrerent ipso facto. Nos itaque constitutionem hujusmodi ad alias provincias nostræ legationis extendentes, præcipimus, quod nullus clericus vel laicus cujuscumque status, ordinis, seu conditionis existat, cui, seu quibus de jure hoc non competat, bona mobilia excedentia valorem quinque florenorum aurei ecclesiarum vacantium seu clericorum decedentium capere vel occupare præsumant; & qui contrafecerint ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi satisfactione præmissa, nullatenus absolvant; bona vero mobilia clericorum ab intestato decedentium in utilitate ecclesiarum, quas clerici prædicti obtinebant, per ordinarios convertantur, & (s. nisi de) de approbata consuetudine seu privilegio aliis debeantur.

Monemus omnes & singulos detinentes, infrascripta privilegia, & alia jura ecclesiarum seu quarumcumque ecclesiasticarum personarum, quod illa eis, ad quos pertinet, incorrupta & integraliter sine dolo & fraude infra mensem post publicationem præsentis constitutionis restituant; nec non omnes scientes illos, qui ea detinent, quod detentores prædictorum locorum ordinariis infra terminum supradictum nominare, & denunciare percurrent. Et si contrarium steterint, illi, qui in præmissis culpabiles fuerint per mensem prædictum, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

Nonnulli clerici per se vel alios frequenter procurare nituntur, quod per minas seu preces comminatorias personarum potentium ecclesiasticarum vel secularium, directas & factas per nuncios, vel per litteras his qui habent beneficia conferre, provideant eisdem de beneficiis vacantibus vel in eisdem eligantur, confirmentur instituantur, vel præsententur per eos, ad quos electio, confirmatio, institutio vel præsentatio noscitur pertinere, & super hoc ab eisdem potentibus executionem petunt & recipiunt, per quorum ministerium pro cathedralibus & collegiatis ecclesiis seu monasteriis vel ecclesiis & beneficiis aliis quibuscumque se admitti & recipi faciunt; nos itaque præmissa acceptari vel fieri in posterum inhibentes, eos qui præmissa vel aliquid præmissorum fieri procurant, & qui se sic admitti vel recipi faciunt, ad quascunque prælaturas seu dignitates ecclesiast. & ad quæcunque ecclesiast. beneficia perpetuo privamus voce capituli in ecclesiis capitularibus, & eos inhabiles reddimus ad prædictas prælaturas seu dignitates retinendas, & ad omnia alia beneficia ecclesiastica similiter retinenda; & nihilominus omnis electio, collatio, institutio, A seu præsentatio de personis prædictis sic facta, sit ipso jure inanis & irrita.

Bona & reditus ecclesiarum fabricis vel ad alias expensas pro ecclesiis seu altaribus, vel pro divino cultu deputata seu deputatos, episcopi vel eorum superiores cappellani ecclesiarum cathedralium vel collegiatarum, earumdem quoque canonici, abbates, priores, & quæcunque aliæ ecclesiasticæ personæ exemptæ & non exemptæ in usus proprios vel alios quam ad illos, ad quos deputata seu deputati sunt, nulla ratione convertant; & si contrarium fecerint, duplum præfatis ecclesiis solvere teneantur: & si ad recipiendos præfatos reditus non sunt certæ deputatæ personæ, deputentur ad prædictas B expensas faciendas personę idoneę, quę exinde possint, & debeant ordinariis vel superioribus suis, & de prædictis debitam reddere rationem.

De vita & honestate clericorum, & quod eorum concubinæ ipsarumque filii ex ipsorum testamentis nihil capiant.

Rubrica.

CLerici, sive sint, sive non sint in sacris ordinibus constituti, honeste vivere studeant; a fornicationibus abstineant & publice nullatenus teneant concubinas. Qui vero con- C cubinas publice vel notorie tenent, vel in futurum, diabolo suadente, tenebunt, postquam constitutio fuerit per ordinarios vel alios de ipsorum mandato in propriis civitatibus vel diœcesibus publicata, & clerici ipsi in synodis vel alias generaliter seu nominatim fuerint moniti de concubinis prædictis ulterius non tenendis, & ex tunc infra mensem huic nostro præcepto & præfatæ narrationi parere contempserint, voce capituli, ii fuerint in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis beneficiati, ipso facto noverint se privatos, si in hujusmodi duratione per alium mensem immediate sequentem perstiterint; sive in cathedralibus, sive in collegiatis vel aliis quibuscunque ecclesiis curatis vel non curatis D beneficiati fuerint a perceptione fructuum omnium beneficiorum, quæ obtinent, noverint se suspensos. Quos fructus eisdem auferri per ordinarios eorum præcipimus, ac per eosdem in utilitate ecclesiarum, a quibus fructus ipsi percepti sunt, volumus eos sine aliqua diminutione converti; & si præfati clerici non fit (s. sic) a tam detestando scelere se emendaverint, post lapsum alterius mensis, absque alia monitione ipso facto sententiam excommunicationis incurrant; & nihilominus ordinarii supradicti, si eis expedire videbitur, contra eos ad pœnam privationis, per alia juris remedia procedere non omittant; si vero se correxerint, ordinarii prædicti clericis ipsis benefi- E cium absolutionis impendant, vocem in capitulo restituant, & ad perceptionem fructuum pro tempore futuro ipsos admittant.

Concubinæ clericorum manifestę, publicę vel notorię ex testamentis clericorum, vel alicujus eorumdem ultimæ voluntatis, quod ipsas in tali concubinatu tenere non erubuerunt, nihil omnino jure institutionis legati, vel donationis causa mortis capere possunt; filios quoque & filias, ex prædictis concubinis sumptas, simili sententiæ volumus subjacere. Et quidquid præfatis concubinis vel earum filiis a præfatis clericis relictum fuerit quovis modo, ab eis, tan-

ANNO CHRISTI 1350.

quam ab indignis, per ordinarios auferatur, & in utilitatem ecclesiæ vel ecclesiarum, in quibus clerici prædicti institui erant, integraliter convertatur; testamenta quoque præfatorum clericorum, si tempore mortis vel infirmitatis, de qua mortui fuerunt, concubinas prædictas publice tenebant, ipso jure sint invalida, exceptis legatis factis ad pias causas. Si quod vero in fraudem præsentis constitutionis factum fuerit, sit irritum & inane; bona quoque præfatorum clericorum, nisi sint immobilia, quæ liquide perveniunt ad eos aliunde quam de bonis ecclesiasticis, præfatis ecclesiis applicentur.

Olim cum in provincia Salzburgensi clerici contra clericalis status decentiam tabernas nimium frequentarent, auctoritate venerabilis patris archiepiscopi Salzburgensis in concilio seu synodo per eumdem archiepiscopum in provincia sua habitis, contra præfatos clericos quasdam constitutiones inhibentes clericos eosdem ab ingressu tabernarum; cum contrarium facientes pœnas aliquas infligentes factæ fuerunt, quæ constitutiones, quantum ad pœnarum impositionem, graves esse dicuntur; nos itaque præfatum archiepiscopum & episcopos per Salzburgensem provinciam constitutos hortamur, quod circa prædicta inducant clericos ad servandum decentiam & modestiam clericalem; & si secus fecerint, puniant eos secundum canonicas sanctiones. Pœnas vero in præfata constitutione stabilitas & ad instantiam archiepiscopi supradicti, & episcoporum de provincia sua totaliter revocamus.

Prava consuetudo, vel potius corruptela in quibusdam partibus inolevit, quod clerici cum laicis nec non & clerici ad invicem litigantes pro terminatione quæstionum super quibus litigant seu litigare volunt, coguntur per se vel alium subjici duello; quam consuetudinem omnimode reprobantes, statuimus, quod cogentes clericos ad hujusmodi duellum subeundum, cujuscunque status, dignitatis, ordinis vel conditionis existant, etiam si regali vel quacumque majori fulgeant dignitate, & clerici illud sponte suscipientes ipso facto sententiam excommunicationis mereantur, & excommunicatos (excommunicati) per ordinarios denuncientur.

Religiosi exempti etiam ordinum mendicantium, clausuras vel ecclesias monasteriorum monialium eisdem non subjectarum prorsus & omnino non intrent ex aliqua causa, neque cum monialibus ipsis infra eadem monasteria, seu ecclesias quoquomodo loquantur, diœcesanorum seu vicariorum earumdem licentia non obtenta, & si contrarium fecerint superiores fratrum mendicantium prædictorum episcopo per se vel alios vel in eorumdem absentia vicariis ipsos nunciantibus & requirentibus, teneantur prædicti superiores infra octo dierum statim (f. spatium) post requisitionem prædictam eosdem fratres de locis ipsorum removere, & eos ad alia loca transmittere, ipsosque ad loca unde remoti fuerint ante annum unum completum (non) revocare, & eisdem imponere pœnas, quæ secundum ordinationem ipsorum debeat pro gravioribus culpis imponi. Superiores quoque prædicti teneantur super præmissis credere & stare verbis & assertioni præfatorum episcoporum, seu vicariorum. Si vero præfati superiores huic nostræ constitutioni obedire contempserint, nos ipsos ab officio eorum suspendimus, & tamdiu suspensi remaneant, donec præfatæ nostræ constitutioni paritum fuerit cum effectu; & nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ superioribus eorum præcipimus, quod in hoc delinquentes etiam alia pœna sic coerceant, quod ulterius in similibus non delinquant; & ordinarii locorum faciant illos, qui in hoc deliquerint, per suos subditos in ecclesiis sibi subditis publice nominari; & hortamur tamen prælatos prædictos, quod præfatis religiosis, si fuerint bonæ conversationis & vitæ, eundi ad præfata monasteria pro causis honestis & licitis licentiam benigne concedant; & præsertim pro divinis ministeriis in præfatorum monasteriorum ecclesiis celebrandis. Volumus tamen, quod religiosi prædicti, quando fuerint in itinere constituti, in locis, ubi sui ordinis monasteria non habeant, & honesta hospitia comunode invenire non possint, ad prafata monistium monasteria accedere valeant, & extra domos, quas moniales habitant, hospitari; & tunc in ipsorum monasteriorum ecclesiis per (pro) divinis celebrandis intrare, & cum monialibus loqui, accedente ad hoc abbatissæ monasterii, ad quos declinaverint, voluntatę, & debita honestate in omnibus observata.

Abbatissa & moniales cujuscunque ordinis locorum ordinariis subjectæ monasterio earum sine licentia episcopi vel sui vicarii & abbatissarum vel priorarum suarum omnino non exeant; & si contrarium fecerint, præter pœnam spiritualem vel corporalem, quam eisdem ordinarii prædicti duxerint imponendam, una die ac totis diebus aliis jejunare compellant, quot eas contigerit extra proprium monasterium remanere; & tunc pane & vino & uno tantum ferculo sint contentæ.

De pœnitentiariis habendis, & modo indulgentiarum.

Episcopi & superiores prælati unum vel plures pœnitentiatos seculares vel regulares providos & discretos, prout & quando eis videbitur, habere procurent, qui pœnitentes, quos interdum ipsi audire non possint, eorum vice audiant, & absolvant, vel cum opportunum fuerit eosdem remittant; & diligenter attendant, ne aliquos absolvant in casibus sedi apostolicæ specialiter reservatis; sed eos ad apostolicam sedem remittant. Casus vero sedi apostolicæ reservatos, & quos supradicti prælati sibi dumtaxat reservant, determinare & notificare studeant inferioribus sacerdotibus, ut illos de cætero non ignorent.

Cum plerique modum indulgentiarum statutum in concilio generali per felicis recordationis Innocentium Papam III. non observent, nos volentes tam prælatis ipsis, quam Christifidelibus providere, præcipimus sub virtute sanctæ obedientiæ prælatis eisdem, quod modum determinatum in institutione prædicta nequaquam excedant; & si contrafecerint, sint per unum mensem a potestate concedendi indulgentiam ipso facto privati; insuperque nonnulli per importunitatem, ne quid deterius exprimamus, a quibusdam prælatis extorquent, quod simul vel divisim ipsorum pluribus sigilli indulgentiarum litteris appensis, procurant per quemlibet quadraginta dies de indulgentia Christifidelibus, sicut ipsorum litteræ continent, concedi, quæ concessio nullius penitus est momenti; hoc fieri de cætero prohibemus, & indulgentias sic concessas, licet sint nullæ, tamen ad majorem clarificationem, tenore præsentium revocamus;

epi-

ANNO CHRISTI 1350.

epiſcopos vero & eorum ſuperiores quam modo prædicto, indulgentias duxerint concedendas, ab ingreſſu eccleſiarum & divinis ſuſpendimus, & ſic ſuſpenſos volumus remanere, donec ab apoſtolica ſede, vel legato de latere, ſuper hæc meruerint abſolutionis beneficium obtinere.

Ad exhibendum debitæ reverentiæ devotionis obſequium ſacratiſſimæ euchariſtiæ ſacramento, cupientes Chriſtifideles eo reddere promptiores, quo illud fideliter venerantes fuerint amplioris gratiæ privilegio conjuncti, hac conſtitutione ſemper valitura concedimus, quod fideles Chriſti, qui tunc, vel infra octo dies proximos ſequentes, vere pœnitentes fuerint & confeſſi, aſſociantes ſacerdotes deferentes ſacratiſſimum Chriſti & Redemptoris noſtri corpus ad infirmos; ſi de die hoc fecerint, decem; ſi vero de nocte cum lumine ſuo vel alieno, viginti dies de injunctis eiſdem pœnitentiis relaxationem in Domino conſequantur.

De uſuris & executionibus ultimarum voluntatum, & male ablatis incertis.

Quamvis per jura canonica uſurarii teneantur contra ſe libros ſuarum edere rationum, ut facilius convicti ſint de uſuris; quod plerumque ipſi ſeu eorum filii vel hæredes hoc facere contradicunt, præſenti conſtitutione ſtatuimus, quod manifeſti uſurarii teneantur libros, quaternos, cedulas, ſeu cartas, vel ſcripturas quaslibet publicas vel privatas ſuper eorum mutuo, uſura, contractibus alias confectas, poſtquam uſuras exercuerint, ordinariis tradere, vel eorum nomine recipientibus cautionem; quod ſi facere recuſaverint, denegentur eis ſepultura, & eccleſiaſtica ſacramenta; nec audiantur, ſi dicant vel jurent ſe nullos libros vel ſcripturas habere, niſi per ipſorum uſurariorum habere ſeu quoſcumque ſucceſſores, conſanguineos vel amicos oſtenſum fuerit per probationes, vel veriſimiles & perhabiles conjecturas, quod codices, libri ſeu cartæ vel inſtrumenta rationum & debitorum per ignem, ſeu alio quocunque caſu fortuito ſint perdita. Nec quiſquam reputet, quod in præmiſſis dare (ſ. dure) agatur contra uſurarios ſupradictos, cum ſit præſumptio vehemens contra eos, quod tales ſcripturas hi fecerint, habeant, ex quibus rationes ſortes uſurarum cum ſuis debitoribus calculabant, ſicut ſuas rationes edere tenentur, de quo loquitur lex civilis. Inſuper ſtatuimus, quod poſtquam manifeſti uſurarii confeſſi fuerint, ſe certam quantitatem pecuniæ extorſiſſe per uſurariam pravitatem, vel ab aliis convicti fuerint de eadem, proclamationibus conſuetis publice factis, ſi non appareant repetentes uſuras, vel non appareant tot, quibus illa pecunia uſuraria ſit reſtituenda, tunc prædicta pecunia uſuraria, quæ a nemine repetitur, reſtituatur epiſcopo, qui eam debeat in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub pœna maledictionis æternæ expendere in eleemoſynam pauperum, vel alios pios uſus; cum turpia lucra ſint ab uſurariorum hæredibus extorquenda. Per præſentis auctoritatem conſtitutionis non intendimus in aliquo derogare aliis conſtitutionibus & juribus editis contra uſurarios, tam in conciliis provincialibus & ſynodalibus, quam etiam per jus commune; ſed ea potius in ſuo ſtatu firmas volumus permanere.

Executores ſeu fidei commiſſarii ultimarum voluntatum & maxime ad pias cauſas conſtituti, infra annum, a die mortis teſtatoris computandum, executiones eis commiſſas adimplere omnimode teneantur, & niſi fecerint, executionis officio ſint privati, & illud etiam ipſo facto in ordinarium transferatur, niſi teſtator ipſe in teſtamento adjecerit tempus vel tempora, infra quod ſeu quæ mandari executioni ſuam voluerit voluntatem; vel niſi ex forma verborum teſtamenti, & qualiter legati ſeu relicti, evidenter appareat, quod executio voluntatis teſtatoris ſit in tempus aliud producenda; executores quoque prædicti de geſtis per eos in executione teſtamentorum locorum diœceſanis teneantur reddere rationem. Notarii quoque rogati de teſtamentis faciendis, ſeu aliæ quæcumque perſonæ, quæ teſtatoris ſcripſerint voluntatem infra ſpatium trium menſium poſt mortem teſtatoris de forma & qualitate teſtamenti, teneantur ſub pœna X. librarum uſualis monetæ, integre & ſine diminutione ordinarios vel eorum vicarios informare & reddere certiores; prædictam intelligi nolumus, niſi in locis, ubi per conſuetudinem approbatam aliter eſſet proviſum.

Male ablatorum incertorum diſpoſitionem & ordinationem ad ſolos locorum ordinarios declaramus & decernimus pertinere; quidquid ex illis ad manus eorum pervenerit, teneatur ſine dolo & fraude per ſe vel alios pauperibus, vel in refectionem eccleſiarum indigentium, ſeu alios pios uſus fideliter erogare; quod niſi fecerint, in examine divini judicii teneantur uſque ad ultimum quadrantem de hoc reddere. Ceterum ſi de conſuetudine prædicta male ablata incerta alicui loco eccleſiaſtico vel perſonis aliis conſueverat aſſignari, per præſentem conſtitutionem præfatæ conſuetudini volumus (lege nolumus) derogari; mandamus tamen quod aſſignatio fiat per locorum ordinarios vel per eos, quos ad hoc duxerint deputandos.

De patientibus defectum natalium.

Rubrica.

Statuimus quod patientes defectum natalium non poſſint admitti ad canonicatus & præbendas eccleſiarum cathedralium, niſi fuerit cum eiſdem per ſedem apoſtolicam diſpenſatum, quod præfato defectu natalium non obſtante, poſſint ad hujuſmodi canonicatus & præbendas admitti; & nulla alia, quantum ad hoc illis qui defectum natalium patiuntur, vel in poſterum patientur facta vel facienda ordinariorum quorumcumque diſpenſatio ſuffragetur, quam ex nunc irritam fore decrevimus & inanem. Mandamus quoque epiſcopis & eorum ſuperioribus, nec non omnibus aliis perſonis, ad quas præfatorum canonicatuum & præbendarum collatio, electio, ſeu quævis alia diſpoſitio pertinet, quod patientes defectum natalium ad prædictos canonicatus & præbendas nec recipiant nec admittant, neque de ipſis illis quoquo modo provideant; & qui contrarium fecerint, a collatione beneficiorum in eccleſia ſeu eccleſiis ſupradictis conſiſtentium, per annum ſint ipſo facto ſuſpenſi. Et nihilominus quod contrafactum fuerit, ſit irritum & inane.

ANNO CHRISTI 1550.

De clericis a suis ecclesiis expulsis.

Quia contingit interdum, quod clerici beneficiati sine eorum culpa ab ecclesiis, in quibus instituti sunt, violenter & indebite expelluntur; statuimus, quod clericis sic expulsis residentes in ecclesiis, a quibus præfati clerici expulsi fuerint, teneantur cum requisiti fuerint de fructibus & proventibus beneficiorum, quæ præfati expulsi tenebant in ecclesiis supradictis, providere, sicut eisdem providebatur, quando residebant in ecclesiis prælibatis.

De renunciationibus.

Rubrica.

Statuimus, quod renunciantes, seu renunciare volentes beneficiis suis, & præsertim dignitatibus seu beneficiis causam habentibus animarum, renunciationes prædictas faciant in manibus episcoporum vel vicariorum eorumdem, seu illorum qui habent in beneficiis supradictis jus instituendi, & destituendi, & renunciationem aliter facere non valeant.

De mansionariis seu custodiis ordinandis cappellanis in fabrica ecclesiarum.

Ut in divinis officiis melius in ecclesiis cathedralibus serviatur, statuimus, quod in ecclesiis cathedralibus infra fines nostræ legationis in Italia constitutis, in quibus non sunt ordinata beneficia, quæ vulgariter mansionariæ, custodiæ vel vicariæ nuncupantur, episcopi, cum consilio & assensu suorum capitulorum, de præbendis in eorum ecclesiis proxime vacaturis, si quæ tamen non debeantur clericis in eisdem ecclesiis expectantibus præbendas auctoritate apostolica, ordinentur de præbendis ipsis cum vacabunt beneficia ad arbitrium præfatorum episcoporum & capitulorum moderanda, quæ assignentur personis in sacris ordinibus constitutis, vel qui possint ad sacros ordines promoveri, qui teneantur in præfatis ecclesiis continue residere, & se facere ad eosdem ordines promoveri, & in eisdem in divinis officiis deservire, prout prætati episcopi & capitula duxerint ordinanda.

Quia contigit interdum, quod in quibusdam ecclesiis cathedralibus & collegiatis, intra fines nostræ legationis in Italia constitutis, sunt plures cappellaniæ adeo in redditibus tenues & exiles, quod de ipsarum fructibus cappellani earumdem se nequeunt substentare; statuimus, quod ipsi cum consensu & consilio capitulorum suorum possint & debeant cappellanias ipsas unire. Ita tamen quod fructus vel redditus unius cappellaniæ summam XX. flor. aurei vel circa aliquatenus non excedant; & si capitulum ecclesiarum sine causa rationabili ad hoc consentire noluerit, episcopus solus auctoritate præsentis constitutionis uniones prædictas faciat. Si vero capitulum alicujus ecclesiæ cathedralis unionem hujusmodi fieri vellet, & ad hoc nollet requisitus episcopus absque causa rationabili consentire; superior suus hoc facere possit, ejus contradictione non obstante; servata in utroque casu moderatione prædicta, & cappellani, ut præmittitur, ordinandi, teneantur in eisdem ecclesiis servire in divinis, ac in eisdem personaliter residere.

A Si pro fabrica ecclesiæ cathedralis seu pro faciendis expensis luminarium & aliorum, quæ pertinent ad divinum cultum, non sunt aliqui certi redditus assignati, tunc in ecclesiis cathedralibus in Italia, intra nostræ legationis terminos constitutis, absque præjudicio expectantium præbendas auctoritate apostolica, unius præbendæ canonicalis vel duarum, si episcopo & capitulo videatur, fructus & redditus deputentur perpetuo pro hujusmodi expensis faciendis; & ex tunc non centeantur esse præbendæ, nec alicui pro prebendis vel beneficio assignentur; sed fructus ex ea vel eis provenientes per eos, ad quos pertinet in ecclesiis prædictis dispositio, & collatio præbendarum, assignetur B (f. assignentur) alicui ecclesiastico fideli, qui fructus ipsos expendat in utilitatem ecclesiarum, & in usus prædictos, & de receptis & expensis per eum factis teneatur episcopo & capitulo reddere rationem.

De excommunicatis postquam denuntiati fuerint non admittendis ad divina.

Rubrica.

Religiosi ordinum mendicantium quorumcumque, noverint, quod si excommunicatos & publice denunciatos, ita quod hujusmodi denunciatio ad eorum notitiam deducatur, ad divina officia vel confessiones eorum admiserint; pœnam C in decretali, quæ incipit *episcoporum*, positam extra. de privilegiis, li. VI. incurrunt; & nos ordinariis locorum præcipimus, quod contemptores decretalis prædictæ faciant in suis ecclesiis pœnam prædictam interesse (sic) publice nunciati.

Quod statuta laicorum non ligant clericos & ecclesiasticas personas.

Rubrica.

Declaramus, quod statuta facta in civitatibus Italiæ, infra terminos nostræ legationis constitutis, statuentia directe vel indirecte, quod D ecclesiæ & personæ ecclesiasticæ non possint acquirere quovis titulo bona, mobilias, vel feudalia seu censualia, vel in perpetuum livelata ad laicos pertinentia, non ligant ecclesias, ecclesiasticasque personas; & illi qui talia faciunt, vel observant, aut extendunt, incurrunt pœnas contra libertatem ecclesiasticam facientes, tam in jure canonico, quam in civili stabilitas.

Cum vulnerantes clericos seu in ipsos manus injicientes temere violentas latam a canone sententiam excommunicationis incurrant, mandamus locorum ordinariis, quod si eisdem per facti evidentiam vel alias legitimas probationes de hoc constiterit, percussores prædictos faciant E (detineri) in carceribus, & (in) aliis eorum ecclesiis, de quibus eis videbitur, usque ad satisfactionem condignam & absolutionem obtentam excommunicatos publice nunciari.

Quod non utatur aliquis scienter instrumentis, scripturis vel testibus falsis.

Rubrica.

Prohibemus, ne aliquis clericus vel laicus in curia ecclesiastica, & præcipue in causis spiritualibus vel matrimonialibus falsis litteris, instru-

ANNO CHRISTI 1350.

strumentis, vel testibus scienter utatur. Nullus etiam testes in eadem curia producentes audeat subornare; & qui contra præmissa vel aliquid præmissorum fecerint, ipso facto excommunicationis sententiam incurrant, præter pœnas contra tales a jure statutas.

Quod rectores ecclesiarum parochialium non possint se a suis ecclesiis absentare, licentia ab ordinariis non obtenta.

Rubrica.

Mandamus, quod rectores ecclesiarum parochialium, quocunque nomine nuncupentur, volentes se a propriis ecclesiis absentare, teneantur ab eorum ordinariis licentiam petere; quod si non fecerint (&c.) infra mensem non redierint, quarta parte suorum fructuum sint ipso facto privati, per episcopum posita in utilitatem ecclesiæ, quæ deservire debebant, convertenda. Et si canonice moniti post alios sex menses immediate sequentes ad ecclesias suas prædictas non redierint, sint illis ipso facto privati. Salvis nihilominus aliis modis contra eos procedendi.

Quod constitutiones privantes clericos privilegio clericali sint nullæ.

Rubrica.

Constitutiones provinciales & synodales, vel per ordinarios quoslibet promulgatas, quod clerici delinquentes priventur beneficio clericali, nisi in casibus expressis in jure, cassamus & totaliter revocamus; & similes fieri in posterum prohibemus, & si fierent, decernimus irritas & inanes.

Quod rectores ecclesiarum parochialium possint sibi eligere confessores.

Rubrica.

Concedimus prælatis inferioribus & ecclesiarum parochialium rectoribus, quod possint sibi eligere confessores idoneos, qui ipsos absolvant, exceptis casibus sedi apostolicæ vel locorum ordinariis quomodolibet reservatis.

Quod episcopi incogniti non admittantur ad pontificalia exercenda.

Episcopi vel archiepiscopi qui in locis extraneis & ignotis dicunt se ad archiepisc. seu episc. tore permotos, ad exercenda pontificalia infra terminos nostræ legationis nullatenus admittantur. Et si contrafecerint, episcopi, qui sic eos admiserint, a collatione ordinum per annum sint ipso facto suspensi, nisi de ipsorum episcoporum ordinatione seu promotione constet per litteras apostolicas omni vitio & suspicione carentes, vel nisi episcopi ipsi fuerint post electionem de ipsis canonice factam per aliquem de infascripis patriarchis vel archiep. confirmati videlicet Aquilegensi & Grandensi patriarch. Salzburgensi, Strigonensi, Coloceasi, Mediolanensi, Januensi, Jadrensi, Spalatensi, Ravenatensi vel Pisano archiepiscopis.

Quod ordinarii non participent cum notariis in salariis.

Mandamus ordinariis locorum, quod salaria notariorum scribentium in causis, quæ in eorumdem curiis peraguntur ad debitam quantitatem & moderationem ordinent & reducant, & idem faciant de infrascriptis litteris & scripturis quibuscunque, quæ fient in electionibus, confirmationibus, collationibus beneficiorum spectantium ad eorumdem ordinariorum confirmationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, nec non & litteris infrascriptis seu scripturis quibuscunque factis vel faciendis super dispositionibus vel quibuscunque aliis actibus spiritualibus per eosdem ordinarios peragendis. Insuper sub virtute sanctæ obedientiæ eisdem præcipimus, quod cum notariis seu scriptoribus supradictis lucra percipienda pro instrumentis, scripturis vel litteris supradictis nulla ratione participent directe vel indirecte; & si contrarium fecerint ab ingressu ecclesiæ sint ipso jure suspensi, & tandium in suspensione permaneant, donec lucrum, quod de eisdem perceperint, fuerit per ipsos vel de ipsorum mandato per alios pauperibus erogatum.

De bannis in ecclesiis faciendis, & de pœna contrahentium clandestinum matrimonium.

Rubrica.

Præcipimus, quod ordinarii locorum mandent rectoribus ecclesiarum, quibus cura imminet animarum, quod saltem semel in mensem constitutionem apostolicam prohibentem matrimonia non debere contrahi bannis non editis, & pœnam appositam in eadem constitutione, studeant suis parochianis in eorum ecclesiis infra missarum solemnia publicare. Quicumque vero matrimonia clandestina bannis non editis consenserint vel contraherent in futurum, præter pœnam statutam in canone, sint communione sacramentorum ipso facto privati, ad quam, nisi in mortis articulo, sint licentia episcopi nullatenus admittantur. Insuper cum illi, qui contrahunt scienter matrimonia in gradu prohibito, latam a canone sententiam excommunicationis incurrant; mandamus diœcesanis locorum & terrarum, ecclesiarum parochialium rectoribus, qui illos, de quibus eis constiterit matrimonia hujusmodi contraxisse vel contrahent in futurum, nominatim & personaliter moneant, quod se ad invicem separent; & si personaliter eos monere non possunt, faciant monitionem hujusmodi ita notorie & manifeste, quod ad prædictos monendos possit præfata monitio verisimiliter pervenire; & nisi per eosdem monendos seu nominatos coram præfatis diœcesanis vel eorum vicariis fuerit sufficienter probatum, quod cum eisdem, qui taliter matrimonium contraxerunt, fuerit per sedem apostolicam dispensatum, quod potuerit admittere matrimonium, contrahere, vel jam contracto licite remanere, ipsos diœcesani & rectores prædicti denuncient excommunicationis sententiam incurrisse.

ANNO CHRISTI 1350.

Quod de bonis monasteriorum, ecclesiarum parochialium inventaria fiant.

Rubrica.

Volumus & mandamus, quod abbates & priores monasteriorum, & archipresbyteri seu prælati ac rectores ecclesiarum parochialium, & quicumque inferiores ab episcopis ecclesiarum prælati non exempti, ad abbatias, prioratus, archipresbyteratus seu prælatias, rectorias vel dignitates quascumque in posterum assumendi inventaria de bonis & rebus mobilibus monasteriorum, prioratuum seu ecclesiarum, ad quorum seu quarum regimen assumuntur, postquam corporalem & pacificam prædictarum abbatiar. prioratuum & ecclesiarum possessionem fuerint adempti, infra unius mensis spatium inventarium per publicum instrumentum facere teneantur; & illud infra spatium alterius mensis proximi sequentis teneantur locorum ordinariis vel eorum superioribus, seu in talibus vicariis assignare, & hujusmodi constitutionis contemptores decem libris usualis monetæ pro pœna præfatis ordinariis vel superioribus solvere compellantur: exempti autem abbates seu priores præfatum inventarium coram suo conventu facere teneantur.

De visitatione monasteriorum, ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum.

Rubrica.

Ordinarii locorum & alii, ad quos de jure, consuetudine seu legitima præscriptione pertinent monasteria monachorum & monialium & quarumcumque personarum religiosarum sibi immediate subjecta per se, si possunt, visitent, aut per alios idoneos secundum ordinationes & moderationes sacrorum canonum & apostolicarum constitutionum visitare procurent.

Quamvis de jure communi competat locorum ordinariis suam cathedralem & alias civitatis & diœcesis suæ ecclesias & ecclesiasticas personas non exemptas visitare; tamen nihilominus statuimus, quod ordinarii supradicti possint & debeant ecclesias & personas prædictas, secundum moderationem juris communis visitare, nisi ecclesiæ & personæ prædictæ sint exemptæ, vel nisi personis aliis quibuscumque sit jus visitandi præfatas ecclesias & personas competat, quod ipsi soli possint & debeant easdem personas & ecclesias visitare. Nos cum eisdem ecclesiis & personis in jure exemptionis, & faciendæ ac exercendæ visitationis, si quod eis competit quoquomodo, nec aliis defensionibus & juribus eorumdem; neque etiam juribus, quæ competunt venerabili patri Patriarchæ Aquilegensi in visitationibus faciendis in civitatibus diœcesis & provinciæ Aquilegensis, seu in quibuscumque ipsius provinciæ monasteriis, ecclesiis & locis aliis per præsentem constitutionem nolumus aliquid præjudicium gravari.

Præcipimus, quod clerici infra nostræ legationis timor (f. terminos) constituti monasteria monialium, prædicatorum, minorum, hæremitarum, & carmelitarum ordinum superioribus, seu eisdem ordinibus immediate subjecta, & eorum monasteriorum clausuras vel ecclesias prorsus & omnino non intrent ex aliqua causa, neque cum monialibus ipsis infra eadem monasteria, seu ecclesias quoquomodo loquantur, præfatorum superiorum licentia non obtenta; & si contrarium fecerint pro qualibet vice X. lib. usualis monetæ præfatorum clericorum ordinariis pro pecunia solvere compellantur; & si eisdem ordinariis videatur contra ipsos etiam majori pœna procedant. Dat. Paduæ XIII. Kalen. Junii pont. domini Clementis papæ VI. anno nono.

„ Ego Ugerius filius Mayfredi de Padua „ imperiali auctoritate judex ordinarius, & no„ tarius publicus & familiaris officiarius & scri„ banus supranominati reverendi patris & do„ mini domini Ildebrandini divina providentia „ episcopi Paduensis, suprascriptas constitutio„ nes reverendissimi patris & domini domini „ Guidonis tituli sanctæ Luciæ presbyteri car„ dinalis apostolicæ sedis legati nuper editas „ in concilio per ipsum Paduæ celebrato, scri„ ptas & suprascriptas per me in his duode„ cim foliis, ut prædicitur, de mandato di„ cti domini episcopi Paduensis in sanctis *vi*„ *get* (sic) comissionis ejusdem domini lega„ ti transmittendas & assignandas reverendo „ patre domino episcopo cum prædicto scripsi „ fideliter & in hanc publicam formam redegi „ in testimonium præmissorum me in quolibet „ latere cujuslibet folii suprascripsi, meique si„ gnum consuetum apposui.

CON-

CONCILIUM BITERRENSE.

Habitum anno MCCCLI.

Litteræ Petri archiepiscopi Narbonensis ad Hugonem electum episcopum Biterrensem, suffraganeum suum; quibus eum invitat ad concilium, quod in urbe Bitterrensi celebraturus erat VII. die mensis Novembris anni MCCCLI.

Petrus Dei & apostolicæ sedis gratia sanctæ Narbonensis ecclesiæ archiepiscopus, venerabili fratri Hugoni eadem gratia electo episcopo Biterrensi, suffraganeo nostro, vel ejus vicario generali in ejus absentia, salutem & sinceram in Domino caritatem.

INter assiduas curas & sollicitudines, quæ ministerio nostro incumbunt, de salubri statu ecclesiarum nostrarum civitatis & diœcesis ac provinciæ, necnon & gregis nobis commissi, sollicite nos cogitare convenit, ut in ipsis vigeat tranquillæ beatitudo quietis, pacisque, salutis, ac libertatis gratia nutriatur: & quæ in eisdem non absque dispendio ministrorum, & cultus detrimento Divini, servari novimus, per appositionem congrui moderaminis in melius reformemus. Et tandem officii nostri debitum in actibus dirigendis, veritatem imitantes, lucem amantes, libenter evitare nodosæ difficultatis involucrum anhelamus: & illam semper in nostris ordinationibus servari cautelam intendimus, ut de ipsis proveniat commodum, adeo quod aliis non immineat detrimentum. Cum igitur pro quibusdam arduis negotiis, civitatem & diœcesim ac provinciam nostras, necnon & libertatem ecclesiasticam tangentibus, super quibus ad debitam provisionem & reformationem, una vobiscum & aliis suffraganeis nostris intendimus, concedente Altissimo, interponere sollicitudinis nostræ partes, præsertim cum tangatur communiter status ecclesiarum civitatis & diœcesis ac provinciæ prædictarum, provinciale concilium ordinavimus convocandum, videlicet die VII. Novembris, Biterris in vestra ecclesia cathedrali: ea propter vos tenore præsentium monemus, ac etiam exhortamur, ut una nobiscum die & loco prædictis, in dicto provinciali concilio Deo præside celebrando, ad quod concilium, præfatos diem & locum, cum diebus sequentibus, quos ad hoc continuare vel prorogare contigerit, vobis & aliis peremptorie assignamus, personaliter comparere curetis, vosque ad id præsentium tenore citamus. Mandantes vobis insuper, quatenus interim citetis & peremptorie, auctoritate nostra, & tempore congruo, omnes & singulos abbates, præpositos, decanos, & priores ecclesiarum collegiatarum, & alias personas ecclesiasticas regulares & sæculares non exemptas, quæ debent & consueverunt in dictis conciliis interesse de usu, consuetudine, vel de jure; exemptos vero, si qui sunt, exhortantes, ut personaliter, conventus vero & capitula & collegia vestræ civitatis & diœcesis, per procuratores A idoneos ad hoc specialiter constitutos cum sufficienti mandato, in ipso provinciali concilio compareant dicta die, inibi continue moraturi, donec ea quæ in dicto concilio tractanda fuerint ad honorem Dei, provisionem ecclesiarum, profectum animarum, & utilitatem subditorum provinciæ antedictæ, per dicti concilii providentiam finem debitum sortiantur. Ne vero dicti subditi vestri, quos præsens tangit vel tangere potest negotium, ignorantiæ causam possint prætendere: de præmissis præsentes litteras in vestra synodo, quam interim tenebitis, eisdem publicare & denunciare curetis. B Ut autem superfluitatum & pomparum inanium jactantiam præcludamus, vobis tenore præsentium inhibemus, sub virtute sanctæ obedientiæ injungentes, ne ultra decem equitaturas, & duos saumerios sive gerulos, pro vobis & vestra familia adducatis, cum ad dictum provinciale concilium venietis: abbatibus vestræ diœcesis ex parte nostra nihilo minus injungentes, quod ultra quinque equitaturas ad longius & unum saumerium seu gerulum, secum adducere non præsumant; si vos & abbates prædicti reprehensionis nostræ aculeos de inobedientia C volueritis evitare. Reddite litteras portitori earum sigillo vestro impendente sigillatas, in signum receptionis earumdem. Datum in castro nostro de Montillis nostræ diœcesis, die antepenultima mensis Septembris, anno Domini MCCCLI.

Ejusdem archiepiscopi epistola ad Arnaldum episcopum Magalonensem, pro eadem causa.

PEtrus Dei & apostolicæ sedis gratia sanctæ Narbonensis ecclesiæ archiepiscopus, vener. D Fr. A. eadem gratia episcopo Magalonensi &c. *Omnia ut in superiore, nisi quod pro* Biterris in vestra ecclesia cathedrali, *quod habetur in epistola ad electum Biterrensem, in ista legitur*, Biterris in ecclesia cathedrali. Datum ut supra.

Alia ejusdem archiepiscopi epistola ad præpositum & capitulum Magalonense, pro eadem causa.

Petrus &c. prudentibus viris præposito & capitulo Magalonensi, salutem in salutis auctore.

E PErspicacius attendentes, quod correctiori & reformationi ecclesiasticæ disciplinæ dare remedium, præsentis vitæ habet subsidium, & æternæ remunerationis cernitur præmium expectare; & quod hujus vitæ novitas negligit quæ ab antiquis patribus fuerant hactenus provide & consulte constituta, nisi frequentius memoriæ reducantur, nosque, qui, licet indigni, ad pastoralis officium providente Altissimo fuimus assumpti sanctorum patrum vestigia debeamus, quantum nobis est possibile, imitari, contra quorum quippe saluberrime instituta agimus, in

quod

ANNO CHRISTI 1351.

quod ipsi Divino statuerunt consilio non servamus intactum: idcirco juxta sanctorum patrum ordinationes, pro correctione & emendatione ministrorum, ac reformatione status ecclesiarum nostrarum civitatis, diœcesis, & provinciæ Narbonensis, provinciale consilium Biterris in ecclesia cathedrali die septima mensis Novembris proxime ventura ordinavimus convocandum. Quamobrem considerantes, quod illud quod quæritur a pluribus, facilius invenitur, & quod ubi multa consilia, magna salus, testimonio Sapientis dicentis illud firmius judicium quod plurimorum sententia comprobatur: ideo vos in Domino exhortamur, quatenus vos, Præposite, personaliter, & capitulum per procuratorem idoneum & sufficienter instructum ad hoc specialiter deputatum, dictis die & loco cum aliis diebus sequentibus qui ad hoc fuerint opportuni, in dicto concilio comparere & interesse curetis, circa ea quæ tractaturi & ordinaturi sumus una vobiscum super statu ecclesiarum dictarum nostrarum civitatis, diœcesis, & provinciæ, partes vestri ministerii impensuri: & hoc cum paucis equitaturis & moderatis expensis, si nostræ reprehensionis aculeos de inobedientia volueritis evitare. Reddite litteras portitori earum sigillis vestris impendentibus sigillatas in signum receptionis earumdem. Datum ut supra.

Epistolæ ejusdem archiepiscopi ad reliquos suffraganeos & capitula provinciæ Narbonensis.

PEtrus &c. vener. fr. Gisberto eamdem gratia episcopo Carcassonensi &c. *ut in superioribus*. Datum ut supra.

Petrus &c. vener. fr. Joanni eadem gratia Nemausensi episcopo &c. *ut in epistola ad episcopum Magalonensem*. Datum ut supra.

Petrus Dei & apostolicæ sedis gratia sanctæ Narbonensis ecclesiæ archiepiscopus vener. fr. G. eadem gratia episcopo Electensi &c. *ut in superiore*.

Petrus &c. prudentibus & providis viris priori & capitulo Electensi &c. *ut in epistola ad capitulum Magalonense*.

Petrus &c. prudentibus viris priori & capitulo sancti Poncii Thomeriarum &c. *ut in superiore*.

Petrus &c. ven. fr. Stephano eadem gratia episcopo Elnensi &c. *ut in epistola ad episcopum Magalonensem*. Datum ut supra.

Petrus &c. prudentibus viris archidiacono & capitulo Elnensi &c. *ut in epistola ad capitulum Magalonense*.

Petrus &c. ven. fr. Heliæ eadem gratia episcopo Uticensi &c. *ut in epistola ad episcopum Magalonensem*.

Petrus &c. prudentibus viris præposito & capitulo Uticensi &c. *ut ad capitulum Magalonense*. Datum ut supra.

Petrus &c. prudentibus viris archidiacono & capitulo Lodovensi &c. *ut in superiore*. Datum ut supra.

Petrus &c. dilecto nobis in Christo archipresbytero Narbonensi, vel ejus locum tenenti, salutem in salutis auctore &c. *ut in epistola ad electum Biterrensem usque ad verbum* tangentibus: super quibus ad debitam provisionem & reformationem una cum suffraganeis, abbatibus, præpositis, decanis, capitulis, prioribus, & aliis personis ecclesiasticis dictarum civitatis & diœcesis ac provinciæ nostris * intendamus concedente Altissimo, &c. *ut in epistola ad electum Biterrensem, usque ad verbum* Biterris in ecclesia cathedrali. Ea propter vobis præcipimus & mandamus; districtius injungentes, quatenus citetis & peremptorie auctoritate nostra & tempore congruo omnes & singulos abbates, præpositos, decanos, & priores ecclesiarum collegiatarum & conventuum, & alias personas ecclesiasticas regulares & sæculares non exemptas, quæ debent & consueverunt in dictis concisiis interesse de usu, consuetudine, vel de jure; exemptos vero, si qui sint, exhortantes, ut personaliter, conventus vero & capitula & collegia vestri archipresbyteratus per procuratores idoneos ad hoc specialiter constitutos cum sufficienti mandato, &c. *ut in epistola ad electum Biterrensem, usque ad verbum* profectum animarum & utilitatem subditorum civitatis, diœcesis, & provinciæ antedictarum per dictum concilium provinciale finem debitum sortiantur. Ut autem superfluitatum & pomparum inanium jactantiam præcludamus, vobis tenore præsentium præcipimus & mandamus, quatenus abbates dicti archipresbyteratus vestri ex parte nostra inhibeatis, ne ultra quinque equitaturas ad longius, & unum saumerium, pro se & familia sua secum adducere præsumant, si reprehensionis nostræ aculeos de inobedientia volueritis evitare. Certificantes nos per vestras litteras apertas de citatione & responsione prædictorum citatorum: præsentes litteras nihilo minus restituentes portitori earum sigillo vestro impendente sigillatas, in signum receptionis earumdem. Datum ut supra.

Petrus, &c. dilecto nobis in Christo archipresbytero Redesii inferioris, vel ejus locum tenenti, salutem in salutis auctore. Inter assiduas curas, &c. *ut in epistola ad archipresbyterum Narbonensis*. Datum ut supra.

Litteræ Petri archiepiscopi Narbonensis cæterorumque episcoporum concilii Biterrensis, de suborta quæstione super prioritate sedendi inter episcopum Carcassonensem & cæteros Narbonensis sedis suffraganeos

NOverint universi præsentes litteras inspecturi, quod cum nos Petrus Dei & apostolicæ sedis gratia sanctæ Narbonensis ecclesiæ archiepiscopus, celebremus Biterris nostrum provinciale concilium anno Domini MCCCLI. die VII. Novembris, cum diebus sequentibus opportunis, suborta quæstione inter venerabilem fratrem nostrum dominum Girbertum episcopum Carcassonensem ex una parte, & alios venerabiles fratres nostros coepiscopos præsentes in dicto concilio existentes, super prioritate sedendi, ex altera; dicente dicto episcopo Carcassonensi se debere sedere a parte sinistra primo & immediate post sedem nostram, posito quod alii essent antiquiores episcopi promotionis prioritate attenta; aliis dicentibus in dicta prioritate sedis dictum Carcassonensem episcopum nullam * sedis ° habere, sed secundum prioritatem promotionis dictum episcopum sedere debere, prout aliis competit & de jure communi existit: tandem pro bono pacis & concordiæ duximus ordinandum, quod dictus Car-

ANNO CHRISTI 1351.

* Corr. nostratum.

° Hic desit verbum, prærogativam, aut simile H.

ANNO CHRISTI 1351.

Carcassonensis episcopus sedeat in parte prædicta post venerabilem fratrem nostrum Magalonensem episcopum, qui antiquior est in promotione præfato Carcassonensi episcopo. Hoc salvo & retento, quod per hoc, nullum præjudicium dicto Carcassonensi episcopo generetur, si probare vel docere legitime poterit infra annum per testes, vel instrumenta, vel privilegia, vel quævis alia legitima documenta, se debere habere prærogativam prædictam. Qui dictus Carcassonensis episcopus protestatus fuit ibidem, quod sedendo in dicta sede post dictum dominum Magalonensem episcopum, quod juri suo in possessione vel quasi, seu proprietate, præjudiciare non intendit quantum ad prærogativam sedendi prædictam, si appareat in futurum ipsum dictam prærogativam nomine suo & ecclesiæ Carcassonensis habere debere. Quibus salvitatibus & retentionibus per nos factis, & protestationibus per dictum episcopum dictis, præfati venerabiles fratres nostri, scilicet Magalonensis, Agathensis, Uticensis, Nemausensis episcopi, dum tamen infra annum legitime de universis appareat, consenserunt. Et in testimonium præmissorum, nos dictus archiepiscopus & præfati suffraganei nostri superius memorati, sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda. Datum Biterris anno quo supra, & die 11. Novembris.

TITULI CANONUM CONCILII BITERRENSIS.

1. *Ut nomen Jesu capitis inclinatione honoretur inter Divina officia.*
2. *Ut Christi corpus, cum defertur ægrotis, reverenter associetur.*
3. *Ut pro Papa, rege, & prælatis oretur.*
4. *Ut claudantur fontes baptismales.*
5. *De invadentibus bona ecclesiarum.*
6. *Ut in tempore Paschali, Eucharistia a solis curatis ministretur.*
7. *Ut beneficiati, & in sacris ordinibus constituti, sabbato a carnibus abstineant.*
8. *De iis qui se presbyteros & prælatos fingentes, excommunicatores suos excommunicant.*

PRÆFATIO.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. Infrascriptæ constitutiones fuerunt factæ & editæ per reverendissimum patrem in Christo dominum Petrum Dei & apostolicæ sedis gratia sanctæ ecclesiæ Narbonensis archiepiscopum, Biterris, suo sacro provinciali concilio approbante.

Pastoralis curæ nostris humeris & animis inhærentis sollicitudo nos assidue excitat & admonet, ut juxta nobis creditæ dispensationis officium, subditorum commodis vigilanti & indefesso animo intendamus. Amplectimur siquidem plerumque meditationis studium & laborem, ut evulsis & dissipatis vitiis, ædificatis & plantatis virtutibus, excessibus emendatis, & moribus reformatis, eorumdem animas, quantum Divina gratia permittit, lucrum Domino faciamus. Ideoque nos Petrus miseratione divina sanctæ Narbonensis ecclesiæ archiepiscopus, & P. Agathensis, Arnaldus Magalonensis, Helias Uticensis, Girbertus Carcassonensis, & Joannes Nemausensis, episcopi, apud Biterrim provinciale concilium cum procuratoribus aliorum venerabilium episcoporum provinciæ absentium, & capitulorum tam nostrorum quam ipsorum, abbatibus, prioribus, & aliis personis ecclesiasticis pluribus dictæ provinciæ vocatis invitatis ad idem concilium & citatis, celebrantes, constitutiones infrascriptas pro subditorum optata salute animarum, & profectu & quiete ecclesiasticæ libertatis, de ejusdem totius concilii consilio unanimi & consensu, ad honorem, laudem, & gloriam Divini nominis duximus promulgandas: quas & contenta in eis, per omnes nostros subditos teneri volumus irrefragabiliter & servari, protestantes, quod per ipsas constitutiones, vel ipsarum aliquam, statutis provincialibus vel synodalibus, seu ecclesiarum cathedralium vel collegiatarum, rationabiliter editis, in nostra provincia derogare non intendimus, nisi in quantum dictis nostris statutis infrascriptis reperirentur per contrarietatem vel alias obviare; nec privilegiis nobis indultis in aliquo derogare. Volentes nihilo minus, quod eadem statuta non ligent aliquem vel adstringant, donec in proximis synodis episcopalibus fuerint publicata. Adjicientes, quod in casibus ubi absolutio vel relaxatio non reperiretur in ordinatione præsentis concilii reservata, singuli episcopi subditis pro suæ discretionis arbitrio, per se vel alios, possint a sententiis in istis nostris constitutionibus latis absolutionis vel relaxationis beneficium impertiri.

CANONES.

I. *Ut nomen Jesu capitis inclinatione honoretur inter Divina officia.*

IN primis, cum felicis recordationis dominus Gregorius Papa X. per sacrum constitutionis oraculum invitaverit quoslibet Christiani nominis characterе insignitos, ut nomen illud quod est super omne nomen, videlicet Domini Jesu, exhibitione reverentiæ specialis attollerent, & præcipue dum aguntur sacra mysteria, illico, quandocumque recolitur, veneratione dignum devota capitis inclinatione monstrarent: nos de nostrorum salute solliciti subditorum, volumus ut singuli rectores & vicarii ecclesiarum nostræ provinciæ, ad hoc ipsum faciendum plebes sibi subjectas moneant efficaciter & inducant. Et ut illi id libentius faciant, quo uberioris retributionis præmium exinde sibi senserint proventurum: nos singulis in illius gloriosi nominis memoria se inclinantibus reverenter, dum Divina dicentur officia, vere tamen pœnitentibus & confessis, x. dierum concedimus indulgentiam, perpetuis temporibus, quotiens, ut præfertur, id fecerint, valituram.

Concil. Avenion. ann. 1326. c. 4.

ANNO CHRISTI 1351.

II. Ut Christi corpus, cum defertur ægrotis, reverenter associetur.

id. c. 2. Si propter Christum reverentiæ sanctis ejus impendere jubemur, dignum est sacrum corpus ejus coli veneratione præcipua, quod utique pro nobis in illius passionis memoriam consecratur. Statuimus igitur, quatenus singuli rectores & vicarii ecclesiarum nostræ provinciæ, parochianos suos salutaribus monitis inducere studeant, ut sanctissimum corpus Dominicum, dum presbyter ipsum portat in viaticum ministrandum ægroto, reverenter associent, ac luminarium adhibitione decenter honorent, illis qui associant de die vel nocte sine luminaribus, x. qui autem cum luminariis, vel luminaria mittent per alium, die xx., de nocte xxx. dierum indulgentiam ex concessione nostra, dum tamen confessi fuerint, habituris.

III. Ut pro papa, rege, & prælatis oretur.

Ibid. c. 3. Item cum secundum sacræ scripturæ testimonium *multum valeat deprecatio justi assidua*, eo quod *oculi Domini super justos, & aures ejus ad preces eorum*, ut psalmista testatur: pia deliberatione præsentis concilii duximus concedendum, quod quicumque subditus noster, vere tamen pœnitens & confessus, devotas orationes infundere seu pia vota emittere curaverit in Missarum solemniis, ante Divinæ majestatis conspectum, a quo bona cuncta procedunt, ut per suam ineffabilem clementiam, dominum papam aut regem, cæterosve prælatos nostræ provinciæ, in suæ pacis gratia conservare & custodire, fidemque catholicam toto orbe terrarum multiplicare dignetur, xl. dies de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus, quotiens id duxerit faciendum.

Jacob. 5. Psalm. 33.

IV. Ut claudantur fontes baptismales.

Ibid. c. 5. Sacri fontes, in quibus originale abolletur culpæ contagium per baptismalis aquæ visibile sacramentum, coli debent digno venerationis honore: ut nec indecentibus contrectationibus pateant, nec extrinsecus advenientium inquinamento sordescant. Statuimus igitur, ut parochialium ecclesiarum rectores & vicarii prædictæ provinciæ, in quibus sunt fundati fontes hujusmodi, eos sic cum clavibus claudi faciant & aptari, & clausos teneant & aptatos, quod nullis sordibus ad illos immineat accessus, potiorque reverentia illius quod ibi traditur sacramenti succrescat.

V. De invadentibus bona ecclesiarum.

Item conciliorum provincialium, per prædecessores nostros Narbonenses archiepiscopos eorumque suffraganeos olim sanctorum *, vestigiis inhærentes, & certa in aliquibus eorumdem statuta pro qualitate & conditione temporum, prout nobis melius visum est expediens, temperantes & etiam moderantes: hoc sacro approbante concilio statuimus & etiam ordinamus, quod quicumque, cujuscumque conditionis aut status existat, qui scienter & temere quascumque res, bona, possessiones, & jura mobilia seu immobilia aut se moventia (quæ tamen mobilia se moventia valorem xx. solidorum monetæ currentis communi æstimatione excedant) ecclesiarum sæcularium seu regularium, aut quorumcumque religiosorum seu piorum locorum, seu personarum ecclesiasticarum, invadere, occupare, rapere, aut personas ecclesiasticas, seu eorum domos, quas inhabitant, invadere, ferrare, seu violenter expugnare, vel aperire præsumpserint, nisi infra sex dies a tempore invasionis, occupationis, rapinæ, clausuræ, fracturæ, expugnationis, & aperturæ hujusmodi, satisfactionem & emendam plenariam fecerint de præmissis, si persona singularis fuerit, tam ipsa persona, quam quæcumque alia in præmissis dans auxilium, consilium, vel favorem, excommunicationis; si vero universitas, extunc interdicti sententias, auctoritate præsentis concilii ipso facto incurrat. Quod si prædicti infra dictos sex dies satisfactionem de præmissis non fecerint competentem: extunc nos ordinarii prædicti, vicarii seu officiales nostri, & nostrum quilibet in sua civitate & diœcesi ubi prædicta attentata fuerint, postquam ei constiterit de præmissis, ubi ea notoria non fuerint, super quo quilibet nostrum ordinariorum, vicariorum, & officialium, cognitor & executor, legitimus censeatur, potestatemque habet cognoscendi etiam & de plano, absque strepitu judicii & figura, ubi ex more * officio procedatur. Si vero notoria extiterint: procedendo in eis sicut est de jure in notoriis procedendum, denunciet seu faciat excommunicatos publice nunciari & etiam interdictos. Et nihilo minus ad requestam

Corr. Ia ctorum.

Hic desse aliquid videtur.

ANNO CHRISTI 1356.

stam diœcesanorum, vicariorum, vel officialium suorum, in quorum diœcesibus prædicta commissa fuerint, cæteri ordinarii & officiales dictæ provinciæ Narbonensis, præfatos excommunicatos & interdictos aggravatos, si aggravati fuerint, in locis suarum civitatum & diœcesum, de quibus requisiti fuerint, faciant publice nunciari.

VI. Ut in tempore Paschali, eucharistia a solis curatis ministretur.

Concil. Avenion. ann. 1337. c. 5.

Item desiderantes illud præceptum generalis concilii, pro animarum salute & catholicæ fidei testimonio salubriter institutum, quod omnis utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerit, reverenter recipiat ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, sic a Christi fidelibus sollicitudini nostræ commissis efficaciter observari, quod nulli quæsitis coloribus & simulatis devotionibus, vel alias, dum ab aliis, quam a propriis sacerdotibus recipere velle se asserunt corpus Christi, fraudem quærentes facere canoni, fraudent potius semetipsos: præsentis deliberatione concilii statuimus inhibendo, quod curati civitatum & diœcesum nostræ provinciæ nulli parochiano suo, cujuscumque conditionis vel sexus existat, in festo Paschæ, nec in octo diebus immediate præcedentibus, nec VIII. subsequentibus, concedant licentiam recipiendi, nec etiam alicui conferendi seu ministrandi sacramentum eucharistiæ, nisi ex causa infirmitatis, extra ecclesias suas parochiales, vel alias ecclesias ubi per ipsos curatos ministrari extitit consuetum. Si qui autem curati, hujusmodi statuti fuerint transgressores: auctoritate præsentis concilii excommunicationis incurrant sententiam ipso facto. Prælati autem sic præsens statutum diligenter observent, ut alicui, nisi ex causa rationabili, recipiendi sacramentum prædictum illo tempore alibi quam in parochiali ecclesia, licentiam non concedant.

VII. Ut beneficiati aut in sacris ordinibus constituti, sabbato a carnibus abstineant.

Concil. Avenion. ann. 1337. c. 7.

Item cum deceat viros ecclesiasticos, præsertim beneficia ecclesiastica obtinentes, in modo vivendi sic inter homines exemplariter conversari, ut laici eorum informentur exemplo, non autem ex clericorum abusu corruptis moribus deformentur: exhortamur in Domino omnes clericos beneficiatos, aut in sacris ordinibus constitutos, quod ab indeinantea semper in diebus sabbati a carnibus abstineant, nisi ex causa necessitatis, vel nisi festum Nativitatis Domini in die sabbati contigerit evenire.

VIII. De iis qui se presbyteros & prælatos fingentes, excommunicatores suos excommunicant.

Concil. Avenion. ann. 1326. c. 7.

Cæterum abominabilis, proh dolor! sicut ad nostrum tam de longinquo quam e vicino pervenit auditum, in quibusdam partibus inolere cœpit abusio. Nam aliqui filii Belial, qui nec Deum timent, nec homines reverentur, iniquitatem bibunt ut aquam: qui dum sententias vilipendunt, dum medicinam, quæ fuerat ad salutem, rejiciunt, mortis incurrunt periculum, & ad interitum suæ perversitatis exemplo nonnunquam inducunt alios & seducunt. Isti siquidem in Dei opprobrium, in contemptum promulgatoris, & sententiæ promulgatæ neglectum, non minus viliter quam damnabiliter procedere, immo verius execrabiliter excedere non reformidant, utpote dum adulterini presbyteri vel prælati confingentes officium, ac interdictum sibi usurpantes ministerium, excommunicationem, immo verius execrationem, versa seu perversa vice in excommunicatores seu denunciatores suos simulare præsumant, accensos palearum fasciculos, aut candelas de cepo, aut titiones ardentes in patellis, conchis, aut sartaginibus, vel similibus vituperabiliter extinguendo. Cum igitur talia & iis similia in Dei vergant opprobrium, & in ecclesiasticæ disciplinæ redundent contemptum: statuimus & sub pœna excommunicationis districtius inhibemus, ne quis clericus vel laicus, cujuscumque ordinis, dignitatis, conditionis, vel status existat, rem tantæ perniciei de cætero, per se vel alium, aut pro se vel alio, attentare præsumat. Qui vero hujusmodi saluberrimi statuti transgressor extiterit, & infra triduum emendam exinde competentem non exhibuerit: extunc se sciat, præsentis concilii auctoritate, ipso facto excommunicationis vinculo innodatum. Locus autem ubi hæc vel similia, domino loci sciente, vel mandante, vel ratum habente, vel postquam requisitus fuerit, vel ejus locum tenens, ultra x. dies corrigere negligente, præsumpta fuerint, ecclesiasti-

ANNO CHRISTI 1351.

co tamdiu sic remaneat suppositus interdicto, donec ad mandatum ecclesiæ, quam delinquens offendit, & prælato, quem irreverenter despexit, sufficiens & idonea satisfactio & realis emenda præstita fuerit per eumdem: quam, cum in talibus non sit relaxanda vindicta offensus prælatus minime remittere valeat ullo casu. Eisdem pœnis subjacere volumus illos & illas, qui, vel quæ talia fieri mandaverint, vel alias opem, vel operam aut consilium præbuerint, si rem tam damnabilem prodire contigerit detestabiliter in effectum: addito quod eorum posteri, usque ad secundam generationem, in clericorum collegium nullatenus admittantur, nisi prius per metropolitanum . . . . . .

Deerant reliqua in codice MS. suppleri autem possunt ex concilio Avenion. ex quo sumptus est hic canon.

Ex Martene Thes. Anecd. to. 4. p. 317.

Concilium istud primus in lucem edidit Gabriel Cossartius Societatis Jesu, presbyter eruditus, conciliorum generalium tom. XI. pag. 1918. sed imperfectum. Nam canones omnino octo, ipsumque octavum non integrum profert; cum tamen duodecim conditi fuerint, sed neque unde illud acceperit, aperuit. Non integrum & perfectum cum reperissemus in archivis illustrissimi episcopi Biterrensis; & in MS. clarissimi viri domini Marchionis Daubais, editos in primis canones cum manuscriptis conferre curavimus, in quibus cum discrimenis nihil occurrisset, quod alicujus esset momenti, nisi quod canonum titulis alio modo enunciantur, ac in tertio canone, ubi pro rege & prælatis Deum etiam orantibus XI. dies indulgentiæ concediuntur in manuscriptis, XI. duntaxat tribuit canon typis mandatus; operæ non duximus pretium, jam vulgatos canones hic recudere, eorum duntaxat titulos referre contenti, quibus ea quæ in editis desunt subjicimus.

CONSTITUTIONES PROVINCIALES

Editæ per reverendum in Christo dominum Petrum Dei & apostolicæ sedis gratia sanctæ Narbonensis ecclesiæ archiepiscopum, ejus sacro approbante concilio, in provinciali concilio Biterrensi, anno Domini M. CCCL. primo, die VII. Novembris

PAstoralis curæ nostris humeris & animis inhærens sollicitudo, &c. *ut in editis*.

CANON I. *De indulgentia concessa his qui se inclinant audito nomine* JESU.

CANON II. *De indulgentia concessa associantibus Corpus Christi cum portatur ad infirmos*.

CANON III. *De indulgentia data illis qui orant pro papa & pro rege*.

CANON IV. *Quod fontes baptismales ecclesiarum sint clausi*.

ANNO CHRISTI 1351.

CANON V. *Contra infractores ecclesiasticarum libertatum*.

CANON VI. *De sacramento Eucharistiæ in tempore Paschali a parochialibus solum presbyteris ministrando*.

CANON VII. *Ut beneficiati aut in sacris ordinibus constituti in diebus sabbatinis a carnibus habeant abstinere*.

CANON VIII. *Qualiter contra illos, qui excommunicationis sententiam contemnentes exemplo pernicioso peragunt, procedatur*.

Huic canoni in editis imperfecto hæc in fine debent addi, nisi prius per metropolitanum cum suffraganeo cum ipsis fuerit super hoc misericorditer dispensatum. Si vero clericus beneficiatus, vel in dignitate seu personatu vel officio constitutus taliter excesserit; ultra pœnam laico inflictam, beneficio, si quod in provincia nostra obtinet, sit ipso facto præsentis concilii auctoritate privatus: non beneficiatus autem ad obtinendum beneficium ecclesiasticum sit extunc inhabilis & indignus.

CANON IX. *Ut deferentibus litteras pro jurisdictione ecclesiastica exercenda nulla injuria, vel violentia inferatur*.

Cum justitiæ jus suum cuilibet tribuenti, & ipsius ministris, ac reipublicæ plurimum detrahatur, si processus ipsorum ministrorum justitiæ iniquorum contingat machinationibus impediri: nos volentes talium justitiæ cultum impedimentum ausus temerarios timore disciplinæ ecclesiasticæ cohibere, provisione præsentis concilii duximus statuendum, quod si quis, cujuscumque conditionis aut status existat, nuncios aut executores nostros & suffraganeorum nostrorum, officialium, vicariorum, seu eorum loca tenentium, vel vices gerentium, aut alias litteras & scripturas judiciales nostras, vel suffraganeorum, vicariorum & officialium, seu loca tenentium prædictorum deferentes hac occasione verberare, capere, detinere, occultare, carceri mancipare, vulnerare, interficere, vel mutilare, seu litteras vel scripturas prædictas, aut eorum bona auferre, seu rumpere ipsas litteras, vel instrumenta cancellare, vel alias destruere quoquomodo, vel ablatas celare, vel deferentes compellere ad frangendum, vel, ut eorum verbis utamur, ad manducandum hujusmodi lit-

ANNO CHRISTI 1351.

litteras vel scripturas, aut quod prædicta, seu aliquod prædictorum fiant procuraverit, aut facientibus dederit consilium vel favorem, excommunicationis sententiæ, quam exnunc ferimus, subjaceant ipso facto: a qua nisi prius judici, cujus auctoritatem contemserit, & passo injuriam & cæteris quorum intererit, prout excessus exiget atrocitas, satisfecerit, nullatenus absolvatur.

CANON X. *De testamentis, quod interfit parochialis presbyter.*

Item, ne relictæ in testamentis vel aliis voluntatibus emendæ, vel ad pias causas eleemosynæ, vel restitutiones certæ seu incertæ in antea occultentur; statuimus, ut vel presbyter parochialis, vel ejus locum tenens interesse rogetur ordinationi testamentorum si haberi poterit, aut quod infra VIII. dies a die obitus testatoris numerandos notarius prælato, vel officiali, aut presbytero parochiali, vel ejus locum tenenti voluntatem testamenti revelet, & infra alios octo dies requisitus expensis requirentis, copia illius articuli, ubi quævis eleemosyna piis est usibus deputata, vel emenda, vel restitutio facienda sub pœna excommunicationis, quam ipso facto, si negaret, incurrat, fideliter facere teneatur, & ille vel illi sic cum hæredibus vel cum executoribus testamentorum ordinare festinent, quod emendæ non occultentur, & eleemosynæ sic relictæ, vel restitutiones hujusmodi non pereant, ad tempus magnum vel modicum aut forte perpetuo faciendæ. Adjicientes insuper, quod justæ restitutiones nulli per aliquem præter diœcesani licentiam, aut ejus vicarii, præbeantur, nec alicui distribuere præsumant alibi, quam ibi ubi prælatus duxerit ordinandum, nisi testator executoris vel executorum suorum arbitrio faciendam restitutionem & distributionem hujusmodi ordinasset. Quo casu executores a tempore mortis, ubi tempus restitutionis non esset testamento insertum, alias ab illo tempore computando, infra annum debeant fideliter defuncti exequi voluntatem. Quod si non fecerint, extunc diœcesani restitutiones & distributiones insertas faciant, intentioni defuncti, quantum potuerint, innitentes. Exequutores autem prædicti, ut magis materiam habeant fideliter exequendi, de distributis & restitutis prædictis ordinario teneantur reddere rationem. Ad hæc autem adjicimus, quod presbyteri ad synodos venientes prælato suo vel officiali ejus in scriptis testatorum & executorum nomina & quantitatem hujusmodi præsentare in virtute sanctæ obedientiæ teneantur.

CANON XI. *Ut canonici & alii beneficiati non intrent ecclesiam sine habitu condecenti.*

Item, ut nullus canonicus vel beneficiatus cathedralis ecclesiæ vel collegiatæ, dum in ea divina officia celebrantur in choro, ecclesiam intrare audeat sine decenti habitu, secundum temporis diversitatem; vel in ea etiam remanere, neque comam prolixorum pilorum a parte posteriori, sed undique rotundam nutriat, sive barbam. Alioquin canonicum privatum distributionibus illius diei esse volumus ipso facto, & beneficiatum puniri pœna XII denariorum pro tali ausu temerario statuimus & mandamus fabricæ illius ecclesiæ applicandorum.

CANON XII. *Quod scribantur nomina confitentium per audientes confessiones.*

Item statuit præsens synodus, quod nomina illorum omnium, qui peccata sua confessi fuerint, scribantur, vel scribi faciant a cappellanis, qui confessiones audiverint eorumdem, ut laudabile testimonium de confessionibus eorum valeant perhibere. Quod si alicui habenti potestatem audiendi confessiones & absolvendi eosdem confessi fuerint; iidem confitentes faciant fidem semel in anno proprio sacerdoti, quod confessi fuerint. Illis vero qui proprio sacerdoti confiteri contemserint saltem semel in anno a XIV. anno supra, vel fidem facere, ut præfertur, vivis introitus ecclesiæ usque ad satisfactionem condignam, mortuis vero interdicitur ecclesiastica sepultura.

ANNO CHRISTI 1351.

CONSTITUTIONES ECCLESIÆ LUCANÆ

Editæ a Berengario ejusdem Urbis Episcopo anno 1351.

Incipiunt Rubricæ harum Constitutionum Lucensium anni 1350. circ.

I. *In primis quod Capitula Ecclesiarum vacantium non possint facere constitutionem, ut eorum præbendæ augmententur.*

II. *Quod nullum Capitulum, vel collegium faciat aliquam constitutionem sine auctoritate Episcopi.*

III. *Quod nullus recipiat ecclesiasticum beneficium de manu laici, vel per violentiam vel beneficium in manu laici resignet.*

IV. *Quod nullus alienigena eligatur, vel assumatur ad aliquod beneficium ecclesiasticum Civitatis vel Diœcesis Lucensis sine licentia Episcopi.*

V. *Quod non fiat aliqua conjuratio de non eligendo aliquem clericum Civitatis vel Diœcesis Lucanæ.*

VI. *Quod in electione, præsentatione vel provisione non interveniat violentia nec metus.*

VII. *Quod ignorans grammaticam ad aliquam dignitatem non eligatur.*

VIII. *De temporibus ordinandorum. Quod clerici se faciant ad ordines, quos eorum beneficia requirunt promoveri.*

IX. *Qualiter & quando clerici ordinandi debeant præsentari & examinari.*

X. *Quod illegittimi non ordinentur ad ordines sine dispensatione, & quod nullus ordinetur per saltum.*

XI. *Quod nullus Civitatis vel Diœcesis Lucanæ se faciat ab alio Episcopo sine litteris ejusdem domini Lucensis Episcopi ad aliquem ordinem promoveri.*

XII. *Quod prælati & rectores ecclesiarum se faciant in sex mensis (&) debeant ad ordines, quos ipsorum beneficia requirunt, ordinari.*

XIII. *De ætate & qualitate. Quod nullus qui non attigerit XXV. annos assumatur ad aliquam præsaturam vel curatam ecclesiam.*

XIV. *De sacra unctione. Quod rectores admoneant populares suos, quod se & pueros suos faciant chrismari.*

XV. *De officio ordinarii. Quod absolutio, & distributio incertorum pertineat ad solum Episcopum.*

XVI. *Quod omnes prælati & clerici singulis annis de mense novembris veniant ad synodum.*

XVII. *Quod universalis convocatio clericorum non fiat sine auctoritate Episcopi.*

XVIII. *De campanis non pulsandis in sabbato sancto, antequam pulsentur in ecclesia cathedrali. Et ubi debeant pueri baptizari.*

XIX. *Quod cappellani in vigilia dedicationis & festi sanctæ crucis & in ipsius festis debeant venire ad ecclesiam cathedralem.*

XX. *Ut beneficiorum provisio sine pactione fiat.*

XXI. *De judiciis. Quod idem jus fiat laicis contra clericos in curia episcopali, quod sit clericis contra laicos in foro seculari.*

XXII. *De foro competenti. Quod nullus prælatus audeat de causis agnoscere, vel judicare.*

A XXIII. *Quibus temporibus nuptiarum solemnia prohibentur.*

XXIV. *Ultima constitutio (alia manu, & diverso charactere.) De feriis.*

XXV. *De dolo & contumacia. Quod super criminibus sententia possit ferri contra contumaces sine alia probatione, & litis contestatione.*

XXVI. *De jure jurando. De pœna mariti & uxoris jurantium vel paciscentium se ad invicem non repetere.*

XXVII. *Quod nullus clericus juret in manu laici sine licentia Episcopi.*

B XXVIII. *De vita & honestate clericorum. Quod ad jacendum in ecclesia sæculares personæ non admittantur.*

XXIX. *De vestibus clericorum.*

XXX. *Quod nullus clericus teneat concubinam.*

XXXI. *De pœna ludentis ad taxillos.*

XXXII. *De armis prohibitis non portandis.*

XXXIII. *Quod clerici portent tonsuram & vestes eorum ordini congruentes.*

XXXIV. *Quod certis sæcularibus negotiis clerici non utantur.*

XXXV. *De pœna intrantium claustra Monasterii Monialium.*

C XXXVI. *Quod nullus clericus vadat de nocte per Civitatem Lucanam.*

XXXVII. *De clericis non residentibus. Quod clerici in eorum ecclesiis vel beneficiis perpetuam faciant residentiam.*

XXXVIII. *Revocatio dispensationum & gratia facta super absentia beneficiorum.*

XXXIX. *De præbendis. Quod habens unum beneficium, quod requirit residentiam perpetuam, non recipiat aliud simile sine dispensatione.*

XL. *Quod habentes plura beneficia debeant de eorum titulis fidem facere.*

D XLI. *Quod in ecclesiis collegiatis sit solitus numerus canonicorum & clericorum.*

XLII. *Quod omnes qui obtinuerunt, vel detinuerunt aliquod beneficium vel hospitale debeant de eorum titulis fidem facere.*

XLIII. *Revocatio commendarum yconomatuum, & dispensationum, & prorogationum olim factarum.*

XLIV. *Prædecessorum nostrorum statuta sequentes. Quod nullus alienet vel pignoret res ecclesiarum.*

XLV. *Quod nullus contrahat debita nomine ecclesiæ suæ.*

E XLVI. *Quod nullus locet ecclesiam sine licentia Episcopi.*

XLVII. *Quod nullus occultet feuda vel annuos redditus ecclesiarum.*

XLVIII. *Quod nullus donet, vel cedat in fraudem aliquam instrumenta, vel jura, de quibus facta est solutio.*

LXIX. *Quod voluntates defunctorum intra annum debeant executioni mandari.*

L. *Quod nullus impediat aliquem testari, vel sua peccata confiteri.*

LI.

ANNO CHRISTI 1351.

LI. *De sepulturis. Quod prior ecclesia habeat canonicam portionem occasione sepultura.*

LII. *Quod peregrini decedentes in Lucana Civitate sepeliantur in cœmeterio ecclesiæ cathedralis, & quod bona eorum episcopo assignentur eorum hæredibus, vel pauperibus assignanda.*

LIII. *Quod nullus celebret missam, vel conferat ecclesiastica sacramenta in aliena ecclesia.*

LIV. *De conversione conjugatorum. Quod nullus recipiat aliquem in conversum in fraudem Lucani communis.*

LV. *Quod omnes prælati & rectores teneantur præsentare Domino Episcopo omnes eorum conversos infra certum tempus.*

LVI. *Quod nullus possit intrare clausuram alicujus Monasterii Monialium.*

LVII. *De celebratione Missarum de officio divino quocumque approbato dicendo.*

LVIII. *Quod & qualibus tobaleis altare debeat ornari.*

LIX. *Quod candela accensa teneatur in altari, quando Missa celebratur.*

LX. *Quod nullus celebret nisi unam Missam in die.*

LXI. *Quod forma sacramentorum in qualibet curata ecclesia in scriptis teneantur.*

LXII. *Quod nullus sacerdos alienigena admittatur sine licentia Episcopi ad Missas celebrandas.*

LXIII. *Quod quilibet ordinatus in sacerdotem teneatur Missam cantare in tres menses post ejus ordinationem.*

LXIV. *Quod ordinati ad sacerdotium debeant Missas celebrare.*

LXV. *De custodia Eucharistiæ, Chrismatis & aliorum sacramentorum.*

LXVI. *Quod nullus committat aliquod maleficium cum aliqua re sacra.*

LXVII. *Quod in festo dedicationis seu conceptionis Beatæ Mariæ Virginis fiat officium duplex.*

LXVIII. *De observantia jejuniorum. Quod nullus comedat carnes die sabbati*

LXIX. *De ecclesiis ædificandis vel reparandis.*

LXX. *De immunitate ecclesiarum. Excommunicentur potestates & alii officiales, qui sunt contra ecclesiasticam libertatem.*

LXXI. *Quod sint excommunicati omnes qui facient contra ecclesiasticam libertatem.*

LXXII. *Quod omnes imponentes aliquam collectam personis ecclesiasticis, vel facientes, vel consulentes contra ecclesiasticam libertatem sint excommunicati.*

LXXIII. *Quod impedientes jura episcopatus & capituli, & aliarum ecclesiarum sint excommunicati.*

LXXIV. *Quod nullus violator ecclesiæ libertatis, vel jurium episcopatus, vel aliarum ecclesiarum possit assumi pro advocato, procuratore vel assessore alicujus ecclesiæ.*

LXXV. *De occultantibus instrumenta publica seu jura ecclesiarum.*

LXXVI. *Ne clerici sæcularibus negotiis se intromittant.*

LXXVII. *Quod nullus notorius clericus faciat aliquod instrumentum contra Lucensem Communem, nisi esset in favorem cleri.*

LXXVIII. *De clericis procuratoris officium exercentibus contra Lucense Commune.*

LXXIX. *Quod pendente causa matrimoniali nullus contrahat aliquod matrimonium.*

LXXX. *De Simonia.*

A LXXXI. *De homicidio. Qua pena homicida puniantur.*

LXXXII. *De usuris.*

LXXXIII. . . . . .

LXXXIV. *Quod nullus exerceat usuram, vel usurariis domum locet.*

LXXXV. *De forma cautionis ab usurariis recipienda.*

LXXXVI. *Quod nullus locet domum usurariis, & qualiter quis convincatur usurarius.*

LXXXVII. *De pena falsorum testium.*

LXXXVIII. *De sortilegiis, & maleficiis, & eorum pena.*

LXXXIX. *De pœna blasphemantium Deum, & sanctos ejus.*

B XC. *De pena committentium fraudem in gabella Lucani Communis.*

XCI. *Alia manu & charactere additur. De quæstoribus.*

XCII. *Quod clericus injurians laico puniatur ea pena, qua punitur laicus secundum formam statuti.*

XCIII. *Quod non fiat injuria nuntiis portantibus litteras episcopi vel ejus vicarii.*

XCIV. *Quod puniatur clericus offendens clericum vel laicum.*

XCV. *De pœnis (alia manu & charactere) facientium conspirationes, vel coiligationes.*

XCVI. *Quod quilibet sua peccata ad minus semel in anno confiteatur.*

C XCVII. *Quod medici debeant monere infirmos, quod eorum peccata confiteantur.*

XCVIII. *Revocatio commissionum super absolutione in casibus reservatis.*

XCIX. *Quod quilibet clerici eorum prælatis, vel aliis de eorum licentia confiteantur.*

C. *Quod sacerdotes inducant peccatores, qui eis confitentur, ad pœnam.*

CI. *Quod nullus possit absolvere in casibus episcopo reservatis sine ejus commissione.*

CII. *De sententia excommunicationis. Excommunicantur violatores ecclesiarum & cœmeteriorum, & certi alii malefactores.*

CIII. *Quod omnes incendiarii sint excommunicati.*

D CIV. *Quod quilibet excommunicatus in unum mensem faciat se absolvi.*

CV. *Quod nullus faciat confiteri, vel confiteatur se recepisse pro anima alicujus ultra illud quod revera recipitur. Et quomodo talis fraus probetur.*

Berengarius Dei, & apostolicæ sedis gratia humilis Episcopus Lucanus, universo Clero nostro Civitatis & Diœcesis salutem & statum felicem.

E QUamvis canonicæ sanctiones, in quibus sancti Dei homines Spiritu S. inspirati locuti sunt nobis, contineant magisteria infallibilis veritatis, quæ ministeria divini cultus plenissime edocent, & declarant, in spirituali vita dirigunt, & in moribus fideles regulant universos, tamen quia humanæ naturæ fragilitas, quæ sua infirmitate cotidie ad sensus pueriles labitur: ne ex toto conruat disciplina indigent pedagogi, quæ a devio sacrorum canonum retrahat gressus nostros: hinc est quod nos Berengarius, aliquali experientia edocente, reperientes, quod propter diutinam absentiam Pastoris in nostra Lucana ecclesia multi a via gres-

ANNO CHRISTI 1251.

gressus ecclesiastici deviabant, Christi nomine invocato, ad laudem Omnipotentis Dei, & Beatæ Mariæ Virginis, ac Beati Martini patroni nostri correctionem, eruditionem & informationem Clericorum & subditorum nostrorum, & totius gregis nobis commissi salutem, & bonum statum omnium ecclesiarum nostrarum, quasdam constitutiones adinstar Prædecessorum nostrorum quibusdam resecatis, quibusdam abbreviatis, aliis in toto vel in parte mutatis, multisque correctionibus, detractionibus, additionibus factis, prout vidimus expedire de fratrum nostrorum nostri Capituli Lucani consilio duximus ordinandas.

DE CONSTITUTIONIBUS.

Quod capitula ecclesiarum vacantium non possint facere constitutionem, ut eorum præbendæ augmententur.

I. In primis prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes statuimus, monemus, & hoc nostro prohibemus edicto, ut nullum capitulum, ve. canonica alicujus ecclesiæ Civitatis vel Diœcesis Lucanæ eorum ecclesia vacante aliquam constitutionem vel ordinationem tum ulterius faciant vel componant sine nostra licentia speciali de augendo sibi præbendam, vel victum, & si confectum fuerit totum sit irritum & inane. Contrafacientes præter pœnam librarum X. excommunicamus in his scriptis.

Quod nullum capitulum vel collegium faciat aliquam constitutionem sine auctoritate Episcopi.

II. Item cum secundum juris communis dispositionem capitulum ecclesiæ cathedralis, nec aliquod aliud capitulum, collegium, vel universitas etiam cum aliis eorum prælatis statuta tangentia generale statutum ecclesiæ vel Episcopum, vel ejus jura sine Episcopo facere non possint, quocirca si capitulum Lucanæ ecclesiæ, vel quodcumque aliud capitulum vel collegium etiam cum aliis eorum prælatis, vel universitas ecclesiæ cujuscumque Lucanæ Civitatis & Diœcesis aliqua statuta vel constitutionem generalem statutum ecclesiæ Lucanæ, vel aliarum ecclesiarum, vel nos, vel jura nostra quomodolibet tangentia fecerit, vel fecerint, si per nos, vel prædecessores nostros non fuerint confirmatæ, ipso jure decernimus irrita & non valere, & ipsas constitutiones & statuta ex nunc cassamus, & revocamus, si in aliquo valerent. Ipsa autem statuta paratos nos offerimus confirmare, si in utilitatem Lucanæ ecclesiæ, & aliarum ecclesiarum redundarent, & saluti animarum contraria non existant. Mandantes omnibus, & singulis Abbatibus, Prioribus, & Plebanis, & aliis aliarum ecclesiarum Prælatis, conventibus & capitulis Civitatis & Diœcesis Lucanæ, quatenus civitatenses in duos menses, illi de Diœcesi in quatuor menses a die publicationis hujus constitutionis computandos omnes & singulas ecclesiarum eorum constitutiones & statuta nobis vel nostro Vicario ostendere, & assignare procurent; scituri, quod rationabiles & utiles sine aliqua difficultate confirmabimus. Quod si dictam assignationem facere contempserint, ex nunc pro tunc omnes & singulas constitutiones & statuta nobis vel nostro Vicario non assignatas in terminos supradictos cassamus & revocamus, & nullius efficaciæ, vel momenti esse volumus. Et contra eos ad aliam pœnam nostro arbitrio imponendam procedemus.

ANNO CHRISTI 1251.

DE ELECTIONE.

Quod nullus recipiat ecclesiasticum beneficium de manu laici, vel per violentiam, vel beneficium in manu laici resignet.

III. Nullus clericus beneficium ecclesiasticum de laicali manu vel per violentiam, seu potentiam laicalem recipiat, vel manu laicali resignet, cum ecclesiasticarum rerum nulla sit Laicis disponendi attributa potestas. Si quis autem hæc attemptare præsumpserit, recipientes beneficio sic recepto sint ipso jure privati; resignantes vero secundum nostræ prudentiæ arbitrium puniantur. Et si quod jus habuerant, amittant, præter pœnam dictorum excessuum, quam nostro arbitrio reservamus. Non tamen per hanc nostram constitutionem patronis laicis, vel eorum juribus, quominus ad ecclesias vel beneficia, in quibus iis de jure competit jus patronatus, possint, cum tales ecclesiæ, vel beneficia vacabunt, rectores seu clericos præsentare, præjudicare intendimus quoquomodo.

Quod nullus alienigena eligatur, vel assumatur ad aliquod beneficium ecclesiasticum Civitatis, vel Diœcesis Lucanæ sine licentia Episcopi.

IV. Item statuimus, ut nullus de alieno episcopatu oriundus ad regimen, vel in clericum, vel beneficiatum alicujus ecclesiæ nostri episcopatus eligatur, præsentetur, seu etiam admittatur absque nostra licentia speciali. Et si confertum fuerit, illud decernimus non valere. Et nihilominus eligentes, præsentantes, seu etiam admittentes, si clerici fuerint, X. librarum pœnam præter excommunicationem incurrere volumus, si laici, eos excommunicationis vinculo innodamus.

Quod non fiat aliqua conjuratio de non eligendo aliquem clericum Civitatis, vel Diœcesis Lucanæ.

V. Item statuimus, & omnibus capitulis, collegiis, & clericis, ac patronis, & populis cujuslibet ecclesiæ, & venerabilibus locis, vel hospitalibus Lucanæ Civitatis & Diœcesis hoc nostro prohibemus edicto, ut nullam conjurationem, vel compositionem, vel ordinamentum simul faciant de non eligendis clericis civibus, vel nobilibus, vel aliis litteratis personis Civitatis vel Diœcesis prædictæ ad prioratum, vel plebanatum, vel personatum, vel rectoriam, vel ad aliud beneficium alicujus ecclesiæ vel loci venerabilis, vel hospitalis, Civitatis vel Diœcesis Lucanæ, & electionibus de talibus personis exceptatis factis, nihilominus in suo vigoris robore duraturis. Cassamus & irritamus quidquid contra prohibitionem nostram est vel fuerit ab aliquibus attentatum, facientes autem contrarium pœnas nostro arbitrio infligendas incurrant.

ANNO CHRISTI 1351.

Quod in electione, præsentatione, vel provisione non interveniat violentia, nec metus.

VI. Item statuimus, ut super electionibus, postulationibus, præsentationibus, reformationibus ad vacantes ecclesias, dignitates, personatus, & quæcumque alia beneficia ecclesiastica, vel hospitalia, seu pia loca, ulterius faciendis in civitate vel diœcesi Lucana tam per clericos quam laicos, ad quos spectat, vel spectaverit Deo duce, ut ratione prævia lil re procedatur, & reformatione canonice facta sine injuria administretur in pace, clericos, omnesque personas ecclesiasticas & universos laicos præsenti decreto perhibente commonemus, ut B nullus ipsorum per se vel aliam personam alicui clerico, vel personæ ecclesiasticæ, vel laico eligendi vel postulandi, vel petendi, aut conferendi, vel reformandi jus vel potestatem habenti ad aliquam ecclesiam, vel in aliqua ecclesia, vel loco venerabili civitatis, vel diœcesis præfatæ, vel ejus consanguineo, vel amico ante reformationem, vel post aliquam molestiam vel metum, vel comminationem, vel injuriam, vel offensam dicto vel facto, aut litteris vel signo inferat de cætero, vel procuret inferri, in omnes & singulos, qui in prædictis, vel eorum occasione modo aliquo confecerint, excommunicationis sententiam præferentes, a qua absolvi a nemine nequeant, nisi a nobis, vel nostris majoribus, præter quam dum laborant in extremis. Ac etiam decernentes omnes hujusmodi electiones, postulationes, & collationes de quibuscumque beneficiis vi, vel metu, aut comminatione alicujus vel aliquorum laicorum factas, sive quæ fient, nullas, & non tenere de jure, easdemque pronuntiamus irritas & inanes, recipientemque tales electiones inhabilem in nostra diœcesi ad quodcumque beneficium obtinendum, donec per nos, vel superiores nostros cum eo fuerit misericorditer dispensatum, reddimus, ac etiam judicamus. Et hæc constitutio coram populo quater in anno solemniter recitetur.

Quod ignorans grammaticam ad aliquam dignitatem non eligatur.

VII. Item cum valde periculosum existat animarum curas clericis committere imperitis, statuimus, ut nullus clericus, qui grammaticam nesciat, ad dignitatem, sive personatum, prioratum, plebanatum, vel collegiatas ecclesias ulterius eligantur, vel postulentur. Et si contertum fuerit, illud decernimus non valere; præsens vero constitutio ad Cappellas nullatenus extendatur.

DE TEMPORIBUS ORDINANDORUM.

Quod clerici se faciant ad ordines, quos eorum beneficia requirunt, promoveri.

VIII. Item statuimus, quod quilibet clericus, qui nunc habet, vel in antea habuerit prælaturam, vel rectoriam alicujus ecclesiæ civitatis & diœcesis nostræ curam habens animarum, sive personatus, statutis a jure temporibus se faciat ad presbyteratus ordinem promoveri, vel ad ordinem, quem ipsius beneficii cura requirit, secundum quod de jure communi tenetur sub pœna in canone seu jure constituta, & X. librarum nostræ cameræ applicandarum, A medietatem dictæ pœnæ revelanti concedentes. (*Sequentia adduntur alia manu*) Extendentes hanc constitutionem nostram ad obtinentes collegiata beneficia ecclesiastica, vel plebanias, vel alias dignitates, qui vigore hujusmodi constitutionis moniti teneantur se ad presbyteratus ordinem facere promoveri infra annum a die de se factæ constitutionis, nisi legitime docuerint se possessionem pacificam habere minime potuisse, ex qua se promoveri ad dictum ordinem non fecerunt, & prædicta fieri decernimus, & mandamus per hanc nostram constitutionem sub pœna prædicta canonis, sive juris, & X. librarum ut præfertur.

Qualiter, & quando clerici ordinandi debeant præsentari, & examinari.

IX. Item statuimus, quod clerici, qui ad sacros ordines sunt promovendi, diligenter examinentur per eos, qui ad hoc fuerint deputati, vel ad quos pertinet, quod ut rite fieri possit, quarta, & quinta, & sexta feria, sabbatum quatuor temporum præcedentibus a plebanis suis personaliter præsententur, ut de ipsorum vita, scientia, conditione, & natione constare valeat eorumdem testimonio plebanorum. Quod si forte aliquis ipsorum plebanorum venire nequiverit canonica præpeditione detentus, clericos suos, quos ordinari voluerit C cum litteris suis de ipsorum vita, scientia, conditione, & natione testimonium perhibentibus ad nos mittere cum aliquo de cappellanis suis bonæ famæ, & conversationis honestæ, qui eos nobis seu examinatoribus nostris ipsius plebani vice seu nomine repræsentet, alias ad examinationem nullo modo admittantur. Si vero contrafactum fuerit, examinator & quilibet aliter examinatus C. solidorum pœnam incurrat ipso facto.

Quod illegittimi non ordinentur ad ordines sine dispensatione, & quod nullus ordinetur per saltum.

D X. Item si quis sacerdotis filius illegitimus, aut alius ex fornicatione, adulterio, vel alio illicito coitu natus dispensatione non obtenta aliquem ordinem clericalem subripuerit, hoc ipso sit excommunicationis vinculo innodatus, & etiam post absolutionem obtentam maneat tamdiu ab ordinis sic subrecti executione suspensus, donec dispensationis gratiam meruerit obtinere. Quod etiam de his qui sine certo titulo se clanculo fecerint ad sacros ordines promoveri, præter pœnam X. librarum cameræ nostræ applicandarum decernimus observandum. Illos vero, qui scienter ad ordines jam susceptos iterato, vel ad aliquem ordinem per saltum promoveri se fecerint, aut per simoniacam pra- E vitatem a nobis vel altero se procuraverint ordinari, excommunicationis sententia præter alias pœnas a jure statutas contra recipientes taliter ordines innodamus. Si qui vero scienter ad sacros ordines præsentaverint, filios sacerdotum illegitimos, vel alios illegitimos tacite, tales ipsos ex nunc X. librarum pœnam incurrere volumus ipso facto, partem quintam earum denuntiatoribus applicantes.

ANNO CHRISTI 1351.

Quod nullus civitatis, vel diœcesis Lucanæ se faciat ab alio Episcopo sine litteris ejusdem Domini Lucani Episcopi ad aliquem ordinem promoveri.

XI. Item statuimus, quod si quis laicus, vel clericus sæcularis, vel religiosus ecclesiasticum habens beneficium in civitate vel diœcesi nostra, vel beneficium non habens, se ab alio Archiepiscopo, Episcopo, vel alio Prælato absque nostra licentia fecerit ordinari, ab executione ordinis sic suscepti ipsum duximus suspendendum, donec dispensationis gratiam meruerit obtinere, præter C. solidorum pœnam, in quam constitutionis præsentis auctoritate quemlibet contemptorem incurrere volumus ipso facto, quarta parte denuntianti derelicta.

Quod prælati & rectores ecclesiarum se faciant in sex menses, & debeant ad ordines, quos ipsorum beneficia requirunt, ordinari.

XII. Item Prædecessorum nostrorum constitutiones sequentes, ac volentes, quod ecclesiæ civitatis & diœcesis Lucanæ a prælatis, & rectoribus, & canonicis earum in debitis ordinibus serviantur decenter, universos & singulos prælatos, decanos, archidiaconos, præpositos, archipresbyteros, plebanos, priores, & rectores ecclesiarum civitatis, & diœcesis prædictæ, nobis subditos ordinandos semel, secundo, & tertio perhentorio, ac publice commonemus eisdem & cuilibet eorum sub excommunicationis pœna districte præcipientes, ut in sex menses a die publicationis hujusmodi constitutionis computandos coram nostra præsentia se præsentent suscepturi ordines secundum quod ipsorum beneficiorum cura requirit. Alioquin in omnes & singulos prædictos prælatos, rectores, & canonicos, & quemlibet eorum nostræ monitionis, & mandatorum hujusmodi contemptores, ex nunc prout ex tunc, in his scriptis excommunicationis sententiam promulgamus contra eos, alias nihilominus processuri prout de jure videbimus procedendum.

DE ÆTATE, ET QUALITATE.

Quod nullus, qui non attigerit XXV. annos assumatur ad aliquam prælaturam, vel curatam ecclesiam.

XIII. Licet in canone a felicis recordationis Domino Gregorio Papa X. edito in Concilio Lugdunensi inter cætera contineatur expresse, quod nullus ad regimen parochialis ecclesiæ suscipiatur, nisi XXV. annos ætatis attigerit, ac scientia ac moribus commendandus existat, decernendo in parochialibus ecclesiis his, qui non attigerint XXV. annos juribus omnino careant, quia tunc in observatione canonis memorati nonnulli clerici & laici Lucanæ civitatis & diœcesis se, ut præcipimus, exhibent negligentes, & etiam contra ipsos canones scienter & malitiose delinquant, pœnam canonis prædicti *Et cum in cunctis*, & aliorum canonum parvipent... Nos Berengarius Dei gratia episcopus Lucanus tam periculose illorum negligentiæ & malitiæ obviare volentes, ac cupientes canones prædictos in civitate & diœcesi prædictis metu pœnæ & conditionis per nos additæ acrioris ab omnibus inviolabiliter observari, pre-

A senti nostro decreto statuimus & ordinamus, quod nullus de cætero clericus, vel laicus cujuscumque religionis, vel ordinis, aut dignitatis, vel conditionis existat civitatis vel diœcesis memoratæ ad regimen parochialis ecclesiæ, vel ad prælaturam aliquam Lucanæ civitatis vel diœcesis eligere, seu præsentare audeant aliquem, qui non attingat XXV. annos, nullusque prælatus vel rector aut vicarius alicujus prælati, ad quem confirmatio vel institutio rectoris pertinet per se, vel per alium, seu alios, electionem vel præsentationem aliquam de aliqua seu aliquibus talibus personis factam vel faciendam contra formam canonum, & hujus nostræ constitutionis confirmare, vel instituere, vel in possessionem inducere præsumant. In omnes & B singulos tam clericos quam laicos, qui eligendo, vel præsentando, aut conferendo, vel providendo, aut confirmando, vel instituendo, vel in possessionem inducendo scienter contra fecerint vel mandaverint, in his scriptis excommunicationis sententiam preferentes. Et nihilominus confirmatores, & institutores hujusmodi a perceptione proprii beneficii protinus suspendimus. Salva semper majori pœna contrafacientibus inferenda in quantum constiterit eos in hoc per malitiam ex affectu aut ignorantia excessisse. Mandamus insuper universis & singulis ecclesiarum prælatis & rectoribus, eorumque vicariis civitatis & diœcesis prædictæ, ut præ- C dictam constitutionem infra XV. dies a publicatione præsentis diebus solemnibus Resurrectionis Dominicæ, Sanctorum Petri & Pauli, Omnium Sanctorum, & festi Nativitatis Domini diligenter coram populo exponere, & publicare procurent.

DE SACRA UNCTIONE.

Quod rectores admoneant populares suos, quod se & pueros suos faciant chrismari.

XIV. Item, quia perfecte non dicitur christianus, qui cum poterit, in fronte per manus Episcopi non accipit Sacramentum, quod ar- D mat ad agones, & ad prælia contra hostes instruit invisibiles; & quia invenimus in civitate & diœcesi Lucana multos tam mares quam feminas, non solum adultos, sed etiam senes, & decrepitæ ætatis, qui hoc sanctum Sacramentum nondum receperant: idcirco volentes hujusmodi corruptelam radicitus extirpare, sub excommunicationis pœna præcipiendo mandamus omnibus & singulis prælatis, & rectoribus ecclesiarum nostræ civitatis & diœcesis, quod ipsi ad minus semel in mense admoneant populos sibi commissos, quod ipsam confirmationem recipiant, & recipi faciant a suis filiis & filiabus tam parvulis quam adultis, qui alias dictum Sacramentum minime receperint. Et E quod ob reverentiam chrismatis adligandum in frontibus pannum lineum secum portent. Item eos moneant, ut dictum sacramentum non recipiant nisi semel.

DE OFFICIO ORDINARII.

Quod absolutio, & distributio infrascriptorum pertineat ad solum Episcopum.

XV. Item licet jura communia innuant, & etiam consuetudo, quæ est optima legum interpres, approbet, quod male ablata incerta, & in-

ANNO CHRISTI 1351.

& incerta damna data, quæ subjacent restitutioni, non tamen certæ personæ, sed diœcesanorum Episcoporum, qui patres sunt pauperum providentia pauperibus erogentur. Et quia ut experientia docuit multæ fraudes & per ipsos eosdem, qui dicta male ablata receperunt, & etiam per eorum hæredes & fideicommissarios hactenus sunt commissæ; quocirca volentes animarum periculis obviare, & pauperum indemnitatibus providere, absolutionem, & distributionem omnium male ablatorum, & damnorum incertorum omnium & propria civitatis & diœcesis Lucanæ, & habitantium ibidem nobis omni modo jure & norma quibus melius possumus reservamus. Et universis, & singulis fideicomissariis, & executoribus testamentorum, & ultimarum voluntatum, qui sunt, vel erunt per tempora, nec non omnibus & singulis prælatis, & ecclesiarum rectoribus, & presbyteris & clericis universis Lucanæ civitatis, & diœcesis sub excommunicationis pœna districte præcipiendo mandamus, quatenus hujusmodi mala ablata incerta sine nostra providentia & commissione non distribuant, nec dispensent. Qui autem in aliquo contrafecerint, non solum teneantur illud & tantumdem, si solvendo fuerint ubi providebimus, pauperibus erogare, sed etiam in aliis executionis officio sint privati, & ad quascumque alias fideicommissarias suscipiendas inhabiles habeantur. Et hanc constitutionem mandamus inviolabiliter observari, non obstante aliqua dispositione testamentorum, vel aliarum ultimarum voluntatum in contrarium faciente.

Quod omnes prælati & clerici singulis annis.... die mensis Novembris veniant ad synodum.

XVI. Item, cum secundum sacratissimos canones episcopales synodus debet ad minus quolibet anno fieri, ubi tractari debet de morum reformatione, & excessuum correctione, statuimus, ut quolibet anno in die S. Lucæ de mense octobris fiat Synodus, & volentes laboribus & expensis parcere, monemus & præcipiendo mandamus omnibus & singulis vobis, & quibuscumque aliis abbatibus, archidiaconis, propositis, prioribus, & plebanis, & ecclesiarum prælatis, rectoribus & canonicis, & clericis beneficiatis nostræ Lucanæ civitatis & diœcesis, quatenus singulis annis in dicta die ad dictam synodum celebrandam in domibus episcopatus personaliter vel per legitimos procuratores, quando fueritis rationabiliter & manifeste impediti, veniatis, & veniant ad dictum episcopatum summo mane dicti diei sine aliqua citatione seu requisitione. Qui vero huic constitutioni non paruerint cum effectu, pœnam XXV. librarum ipso facto incurrant.

Quod universalis convocatio clericorum non fiat sine auctoritate Episcopi.

XVII. Item prædecessorum nostrorum statuta sequentes ac considerantes, quod universales clericorum congregationes per alium, quam per ordinarium episcopum nequeant celebrari, & merito sint suspectæ, monemus omnes & singulos clericos & ecclesiasticas personas Lucanę civitatis & diœcesis semel, secundo & tertio perhentorie, quod nullus eorumdem clericos, vel rectores ecclesiarum, & alias ecclesiasticas personas Lucanę civitatis, vel extra audeat universaliter convocare, vel facere convocari, nec ipsi rectores vel clerici aut ecclesiasticæ personæ ad mandatum vel convocationem alicujus præsumant quomodolibet convenire, nisi essent prælati, qui prætextu prælationis eorum sua capitula, vel conventus pro eorum emergentibus negotiis vocent suos subditos, & eos faciant convenire, vel priores aliquorum conventuum, quibus liceat temporibus consuetis vocare illos, qui tantum fuerint de congregatione, & conventibus eorumdem, aut vicarius episcopi generalis invocantes & convenientes, & omnes & singulos contrarium facientes pœnam X. librarum nostrę camerę applicandarum incurrere volumus ipso facto.

De campanis non pulsandis in Sabbato S. antequam pulsentur in ecclesia cathedrali; & ubi debeant pueri baptizari.

XVIII. Item ad hoc ut debitus honor cathedrali ecclesię, & aliis majoribus ecclesiis deferatur, constituimus & mandamus, quod in Sabbato S. nullus audeat Missam cantare, vel campanam pulsare præsumat, antequam missa cantetur, & campana pulsetur in majori ecclesia Lucana. Et quod personas de civitate Lucana, vel de prioratu S. Johannis majoris alibi quam apud ecclesiam S. Johannis prædicti, & in diœcesi alibi quam apud plebes, & baptismales ecclesias, nisi forte in mortis articulo, vel de nostra licentia speciali, nullus baptizet sub pœna X. librarum in quolibet casuum prædictorum, quam pœnam locum habere volumus in cappellanis & rectoribus ecclesiarum nostræ diœcesis, qui pulsabunt, vel pulsari permittunt campanas in Sabbato Sancto, antequam pulsentur in eorum plebanatu vel matrice ecclesia. Si vero quod de pulsatione campanarum dicitur loca religiosorum maxime mendicantium non servaverint, omni gratia eis & eorum singulis a nobis vel prædecessoribus nostris, vel eorum, vel nostris vicariis concessa ipso facto privati existant. Per hanc autem constitutionem non intendimus præjudicare ecclesiæ S. Fridiani, quominus ejus parochiani possint ibidem baptizari, prout est hactenus observatum.

Quod cappellani in vigilia dedicationis, & festi S. Crucis, & in ipsis festis debeant venire ad ecclesiam cathedralem.

XIX. Item, ut nostræ cathedrali ecclesiæ Lucanæ debitus honor deferatur, præcipimus, & mandamus omnibus & singulis rectoribus & cappellanis civitatis Lucanæ, quatenus quilibet eorum in vigilia festi dedicationis dictæ ecclesiæ, scilicet in sero diei præcedentis ad ipsum festum hora vesperarum veniant ad vesperas & ad matutinum, qui cantatur de sero in dicta ecclesia, & in die festi de mane ad missam, ad pœnam, & sub pœna X. solidorum parvorum Lucensium. Idem statuimus de festivitate S. Crucis, quam pœnam incurrere volumus solum illos, qui non fuerint rationabiliter impediti, vel qui sine nostra, vel vicarii nostrij licentia venire cessaverint.

Ut beneficiorum provisio sine pactione fiat.

XX. Item cupientes ut beneficia ecclesiastica in civitate & diœcesi nostra rite ac secundum Deum & sanctiones canonicas habeantur. Statui-

ANNO CHRISTI 1351.

tuimus, quod de beneficiis ecclesiasticis nullæ fiant pactiones in civitate, vel diœcesi memoratis super hoc. Monemus omnes & singulos prædictos, qui pactiones prædictas fecerint, vel fieri consenserint, vel opem, seu operam dederint ut fiant, præter pœnam librarum XX. si clerici fuerint, quorum pars quinta denuntianti applicetur, excommunicationis sententiam proferentes.

DE JUDICIIS.

Quod idem jus fiat laicis contra clericos in Curia episcopali, quod fit clericis contra laicos in foro seculari.

XXI. Item, quia æqualitas in judiciis est servanda, nec debet esse acceptio personarum, idcirco præsenti constitutione duximus ordinandum, quod sicut clerici cupiunt celerem justitiam a judicibus sæcularibus de laicis obtinere secundum formam statutorum & ordinamentorum civitatis Lucanæ, ita volumus & mandamus, quod laici contra eos, vel alias personas ecclesiasticas coram nobis, vel nostro vicario in causis civilibus eisdem statutis & ordinamentis uti possint, secundum quorum formam, si per laicos contra clericos petitum fuerit, in nostra curia debeat cognosci & judicari, ac etiam executio fieri, dummodo ipsa statuta, & ordinamenta sint rationabilia & honesta, ac divino juri & libertati ecclesiasticæ non contraria, & omnibus sint communia. Et hanc constitutionem locum habere volumus in causis etiam pendentibus in nostra curia.

DE FORO COMPETENTI.

Quod nullus prælatus audeat de causis cognoscere, vel judicare.

XXII. Suscepti regiminis nos cura sollicitat, ut utilitatibus subjectorum in illis præcipue, per quas occurritur animarum periculis, & subditorum parcitur laboribus & expensis, novæ constitutionis editione sollicite providere curemus. Sane licet cautum reperiatur in jure, quod causæ matrimoniales non sint tractandæ per quoslibet, sed per discretos judices, qui potestatem habeant judicandi, & statuta canonum non ignorant, & alibi in jure causæ prohibeantur committi, nisi in civitate vel locis magnis seu insignibus, ubi haberi valeat juris copia peritorum, tamen ad audientiam nostram plurimorum fide dignorum relatione pervenit, quod nonnulli præpositi, plebani, priores, & eorum vicarii civitatis, & diœcesis Lucanæ causas vertentes inter personas suorum plebanatuum & prioratuum etiam matrimoniales, in quibus tamen periculum vertitur, indifferenter audiunt, & eas decidere non formidant, unde interdum evenit, quod matrimonia contracta legitime dissolvuntur, & alia mala & animarum pericula multoties inde proveniunt, quæ ad præsens causa brevitatis omittimus, quia longum esset per singula enarrare, nec non litigantes propter peritorum distantiam, & maxime in jure canonico multiplicibus expensis & laboribus adgravantur. Quare volentes in prædictis, ut dictum est, providere animarum periculis, & subditorum nostrorum parcere laboribus & expensis, prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes semel, secundo, & tertio A perhentorie Lucanę civitatis & diœcesis priores, præpositos & plebanos eorumque vicarios commonemus, ut de causis aliquibus audiendis, nisi privilegio apostolicæ sedis, vel ex commissione ipsius, vel ejus legati, seu legitime sint præscriptione muniti, de qua præscriptione infra tres menses nobis, vel personæ ad hoc a nobis deputandæ fidem facere teneantur, se nullatenus ut judices intromittant. Alioquin in omnes & singulos monitionis hujusmodi contemptores excommunicationis sententiam promulgamus.

ANNO CHRISTI 1351.

Quibus temporibus nuptiarum solemnia prohibentur.

B XXIII. Item, propter simplices sacerdotes, qui canones ignorant, tempora, quibus solemnia nuptiarum prohibentur, præsenti constitutione duximus declaranda. In primis a Dominica de adventu inclusive usque ad octavam epiphaniæ inclusive. Item a septuagesima usque post octavam paschę resurrectionis. Idest post dominicam in albis. Item a die prima rogationum inclusa ipsa die usque ad VII. diem post festum pentecostes inclusive, idest post dominicam primam post festum pentecostes. Mandantes omnibus & singulis prelatis & ecclesiarum rectoribus, quod ipsi & eorum quilibet per se vel alium annis singulis in dominica proxime præcedenti præ-C dicta tempora in eorum ecclesiis inter missarum solemnia populo denuntiare debeant, & monere, ut dictis temporibus prorsus abstineant a dictis solemnibus nuptiarum. Si vero aliquis parochianus alicujus ecclesiæ nostræ civitatis, vel diœcesis, vel ibidem morari trahens transgressor hujusmodi constitutionis extiterit, vel si aliquis prelatus, vel rector prædictam monitionem, ut dictum est, non fecerit, pœnam X. librarum Lucensium parvorum nostræ cameræ applicandarum incurrant. Et nihilominus parochiano, vel parochianæ prædictis debita pœna per nos, vel nostrum vicarium imponatur.

D ULTIMA CONSTITUTIO.

(*De Feriis.*)

Angulis inclusa alia posteriori manu habentur.

XXIV. Item attendentes quod judices & consules curiarum & alii officiales Lucani communis non sedent, nec jus reddunt in ordinariis, vel civilibus causis istis diebus infrascriptorum mensium, quorum quidam inducti sunt propter ferias messium, & quidam alii in honorem Dei & sanctorum ejus, & quidam alii propter ferias vendemiarum, & propter causas inferius declaratas, & in nostra episcopali curia inter cives Lucanos & nostræ temporali & spirituali jurisdictioni subiectos interdum agatur de causis ci-E vilibus & ordinariis; statuimus & ordinamus, ad hoc, ut omnibus in nostra episcopali curia pateat manifeste, & propter ignorantiam se non valeant excusare, quod vicarii nostri, & nostræ episcopalis curiæ teneantur qualibet die sedere, & jus publice reddere & facere cuicumque petenti secundum formam juris, & consuetudinem nostræ curiæ hactenus observatam. Salvo quod non sedeant, nec jus reddant in ordinariis vel civilibus causis, tantum ab hinc in antea, videlicet a die S. Viti de mense junii, usque in diem S. Alexii de mense julii, nec ipsis diebus propter ferias messium. Item

a die

ANNO CHRISTI 1351.

a die festi exaltationis S. Crucis XIV. mensis A
septembris, usque in diem Kal. novembris, nec ipsis diebus propter ferias vendemiarum, possint tamen in dictis temporibus feriarum sedere, & jus reddere & facere super intesimentis & quæstionibus possessionum ablatarum & turbatarum, & de interdictis ipsorum & novi operis nuntiatione damni infecti, & super quæstionibus & causis spiritualibus & matrimonialibus, ac viduarum & pupillorum & appellationum. Item non sedeant, nec jus reddant infrascriptis diebus festivis & inductis ad honorem Dei, videlicet die paschatis resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, & VII. diebus præcedentibus, & VII. subsequentibus, & die Ascensionis Domini, & die paschatis, pentecostes, & duobus diebus sequentibus; & die paschatis, nativitatis Domini, & diebus sequentibus usque ad epiphaniam, & ipsa die epiphaniæ, & die vigiliæ sanctæ nativitatis, & singulis diebus dominicis. Item &c.

DE DOLO, ET CONTUMACIA.

Quod super criminibus sententia possit ferri contra contumaces sine alia probatione, & lite non contestata.

XXV. Item quia publicæ utilitatis est, ut maleficia non remaneant impunita, & quia multi iniquitatis filii satagunt excessuum suorum per eorum contumacias & absentias vitare vindictas: statuimus, ut quicumque in nostra curia fuerit, vel erit accusatus, vel contra eum proceditur vel procedetur per viam & modum inquisitionis debeat citari personaliter, vel ad domum suæ solitæ habitationis, vel apud ecclesiam suam, vel ubi obtinet beneficium tribus vicibus vel una vice pro tribus cum expressione perhentoria. Et quando citatur una vice pro primo, secundo, & tertio & perhentorie præfigatur in tali citatione ad minus terminus trium dierum, quod coram nobis, vel nostro vicario vel commissario nostro compareat in ipso termino responsurus accusationi vel inquisitioni factæ vel fiendæ contra eum. Et si talis sic citatus clericus, vel laicus in dicto termino non comparuerit, vel si comparuerit, sine causa legitima recusaverit respondere, ne de ejus contumacia valeat gloriari, vel præmium reportare, ex tunc habeatur pro confesso, & contra eum procedatur & procedi possit etiam ad condemnationem, & definitivam sententiam sine aliqua alia probatione, ac si crimina vel excessus, de quibus proceditur contra eum in judicio fuisset confessus, vel fuisset legitimis probationibus convictus, non obstante quod non sit lis contestata. Hanc autem constitutionem locum habere volumus etiam in processibus pendentibus, vel quomolibet inchoatis. (*quæ sequuntur, eadem manu, ut videtur, sed diverso atramento, habentur.*)

ADDITIO

Et idem statutum per omnia observetur, & locum habeat in quocumque supposito ratione delicti, contractus, domicilii, sive rei jurisdictioni temporali Lucani episcopi, in quacumque causa accusationis, denuntiationis, vel inquisitionis de & pro quibuscumque excessibus vel delictis commissis, vel committendis.

DE JUREJURANDO

De pœna mariti & uxoris jurantium vel pariscentiam se ad invicem non repetere.

XXVI. Item, quoniam quidam laici de non repetendis uxoribus suis, & quædam mulieres de non repetendis maritis suis legitimis temeraria solent facere juramenta, quæ perjuria sunt merito appellanda, & illicitas promissiones & pacta, ut matrimonia legitima indebite dissolvantur, præsenti decreto statuimus, ut omnes sive mares fuerint sive feminæ, qui de cætero fecerint hujusmodi juramentum vel pactum, & B qui eis in hac perversione astiterint conficiendo super hoc publicum instrumentum, vel locum testis etiam obtinendo, seu alias operando, quod hujusmodi juramenta immo verius perjuria committant, vel interveniant pacta, hoc ipso sint excommunicationis vinculo innodati. Illique nullatenus ligati, vel adstricti hujusmodi juramento, vel pacto agant pœnitentiam de perjurio, & sese repetant juramento, vel pacto hujusmodi, quod nullum decernimus non obstante, cum juramentum & pactum non debeant esse iniquitatis vinculum, sed adminiculum veritatis; ne autem per ignorantiam aliqui se valeant excusare, præcipimus, ut hoc nostrum decretum per omnes prælatos & rectores ecclesiarum C coram populo quater in anno solemniter publicetur.

Quod nullus clericus juret in manu Laici sine licentia episcopi.

XXVII. Item hac nostra constitutione præcipimus, quod nullus clericus, vel persona ecclesiastica præsumant jurare, vel testimonium perhibendo, vel quacumque alia de causa in aliqua curia seculari, nec in manu alicujus laici sine nostra, vel vicarii nostri licentia speciali sub pœna, & ad pœnam C. solidorum pro qualibet vice qua fuerit contrafactum, in quam pœnam contrafacientes ex nunc incurere volumus D ipso facto.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM.

Quod ad jacendum in ecclesia seculares personæ non admittantur.

XXVIII. Item, cum domum Domini deceat sanctitudo, præcipimus, & mandamus, quatenus ad jacendum & standum infra ecclesiam seculares masculi vel feminæ, etiam si essent religiosæ nullatenus admittantur, nisi hoc exposceret necessitas extrema, & in eo casu sic mulieres a viris distinguantur, quod nihil im- E mundum, aut sanctitati loci sancti contrarium valeant perpetrari, quod si ex nunc secus actum fuerit, præter expensas fiendas in reconciliatione ecclesiæ, rectorem illius condemnamus in IV. libras ceræ.

De vestibus clericorum.

XXIX. Item statuimus, quod nullus sacerdos aut clericus in sacerdotio constitutus, habens ecclesiasticum beneficium, per civitatem aut vicos sive plateas incedat, quominus exteriorem vestem clausam habeat, nec mantellis utatur

aut

ANNO CHRISTI 1351.

aut cappis de vivo coloris fulgore aut splendore, pannis autem giallis, rubeis vel viridibus non utatur, nec cappuceum aut infulam in ecclesia, aut per civitatem eundo inhoneste, vel superbe more deferat laicorum, si canonicam voluerit effugere ultionem: bottones vero de panno tantummet, duas cappas in villis & terris diœcesis Lucanæ, & extra terram eundo, & equitando, & redeundo, & cappuceum & infulam in ecclesia de nocte, & etiam eundo extra civitatem, & redeundo habere unicuique clerico liceat, & deferre. Quicumque autem præmissa non servaverint XL. sol. pœnam se noverint incursuros, quintam partem prædictæ pœnæ revelanti concedentes.

Quod nullus clericus teneat concubinam.

XXX. Item statuimus, quod nullus clericus in sacris ordinibus constitutus, vel ecclesiasticum obtinens beneficium civitatis, vel diœcesis Lucanæ, vel ibi moram trahens, vel delinquens, concubinam aliquam publice, vel aliquam secum in domo, vel extra domum, de qua sit, vel fuerit diffamatus, aut sinistra suspicio rationabiliter vel verisimiliter haberi possit, teneat mulierem, nec admittat eam ad aliquod servitium in canonica ecclesiæ, nisi mater, vel amita, avia, vel soror carnalis ejus fuerit. Et qui contrafecerint ab officio & beneficio suspendantur, & alia pœna nostro arbitrio puniantur. Si qui vero crimen adulterii vel incestus cum aliqua moniali, vel nefarium crimen sodomitum commiserint, officio priventur & beneficio, & alia pœna pecuniaria, vel carceris nostro arbitrio puniantur. Plebani quoque & alii prelati prædictam constitutionem observent, & eorum clericos & cappellanos non observantes, vel in aliquo contrafacientes debeant nobis vel nostro vicario per eorum litteras, vel viva voce denuntiare sub excommunicationis, & XX. librar. pœnam nostræ cameræ applicandarum.

De pœna ludentis ad taxillos.

XXXI Item statuimus, & universos & singulos clericos & personas ecclesiasticas civitatis & diœcesis Lucanæ semel secundo & tertio perhentorie commonemus, ut nullus ipsorum ulterius ludat, vel per se aliquam aliam personam ludere faciat ad ludum aliquem taxillorum, vel ad aliud, quod vocant *rigmetta*. Omnes & singulos qui contrafecerint pœnam X. librarum, quarum quartam partem denuntianti applicamus, irrevocabiliter incurrere volumus ipso facto.

De armis prohibitis non portandis.

XXXII. Item, ut clericorum compescatur audacia, statuimus, quod nullus clericus Lucanæ civitatis vel diœcesis in locis, ubi habitant, offendibilia, vel defendibilia arma per civitatem Lucanam vel burgos, vel subburgos vel castra vel vicos ubi habitant, portet, absque nostra licentia speciali, nisi eundo & redeundo extra ipsam civitatem & burgos & subburgos sine fraude, vel nisi illi de castris vel villis ad civitatem venirent, vel ad alia castra vel vicos remota accederent sine fraude. Omnes & singulos qui contrafecerint pœnam X. librarum nostræ cameræ applicandarum volumus incurrere, quinta parte denuntianti penitus reservata.

Quod clerici portent tonsuram, & vestes eorum ordini congruentes.

XXXIII. Licet clericos religiosos & conversos congruat attollere favoribus, & eorum immunitates, jura & privilegia illibata conservare pro viribus intendamus, tamen ipsos suis juribus & honoribus ita volumus esse contentos, quod immunitatum & jurium suorum limites observantes jura non impediant vel occupent aliorum. Et qui eorum verbis & exemplis laicos debent ad viam vitæ & rectitudinis revocare, ipsos in mortis devia non impellant. Et ex ipsis fomites eorum erroris & discordiarum materiam dicantur laici invenire. Sane, sicut nos tam facti experientia, quam frequens clamor instruxit, quidam clerici religiosi ac ecclesiarum & venerabilium locorum Lucanæ civitatis, & diœcesis conversi, nec in vestimentorum forma, nec in modo tonsuræ, nec in qualitate negotiorum de clerico religioso seu converso quidquam ostendunt ad pœnæ subterfugium se pro clericis religiosis seu conversis solummodo exhibentes, & cum super excessibus, quos sæculari luxu committunt, & negotiationibus sæcularibus, quas exercent ad publica judicia pertrahuntur circumcisis crinibus, & habitu clericali seu religioso assumpto, ut possint circumvenire vindictam, se pro religiosis vel conversis seu clericis repræsentant, sori privilegium labiis allegantes, quod factis negaverant paulo ante. Verum quia privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate, & frustra legis invocat auxilium, qui committit in legem; Nos volentes tam prædictorum animarum periculis, quam scandalis & malis exemplis, qui exinde occurrunt, & possunt occurrere auxiliante Domino præcavere, omnes clericos & religiosos conversos ecclesiarum sæcularium, vel venerabilium seu religiosorum locorum civitatis & diœcesis Lucanæ semel, secundo & tertio termino perhentorio commonemus, ut se ipsos debeant emendare, & sæcularibus negotiationibus & officiis dimissis omnino, vestes & tonsuram portare debeant congruentes, ita quod in modo tonsuræ & vestimentorum qualitate eorum religioni conveniat, & a Laicis discernantur. (*est additio quæ ponitur*) Non tam propter aliquid præmissorum, vel aliquid de contentis in aliquibus nostris constitutionibus intendimus foro vel jurisdictioni sæculari in personam ecclesiasticam jurisdictionem aliquam prorogare, sive alias tribuere aut dare. Quinimmo, si aliqua contra hanc nostram intentionem reperirentur quomodolibet edita sive facta per nos, vel aliquem seu aliquos ex prædecessoribus nostris Lucanis episcopis, tamquam canonibus inimica, etiam si transivissent in contractum in his scriptis totaliter revocamus, & haberi volumus pro non factis.

Quod certis sæcularibus negotiis clerici non utantur.

XXXIV. Cum sæcularia officia, & negotiationes sint clericis penitus interdicta: Nos Berengarius Dei gratia episcopus Lucanus omnes, & singulos clericos civitatis & diœcesis Lucanæ, cujuscumque status & conditionis existant, semel, secundo & tertio perhentorie ac publice commonemus eis & cuilibet eorum sub excommunicationis pœna districte præcipientes, ut nullus eo-

ANNO CHRISTI 1351.

eorum pesandi officium venalem panem, vel aliquod aliud interdicimus a laicis quibuscumque commissum in civitate vel diœcesi prædictis ulterius exerceant, nullusque tabernam vini, seu vinum teneat ad vendendum vel vendi faciat ad minutum in suarum ecclesiarum domibus vel alienis absque nostri in utroque casu licentia speciali. In omnes, & singulos qui contrafecerint, ex nunc prout ex tunc in his scriptis, excommunicationis sententiam promulgantes. Et nihilominus vinum & panem sic venalem vel venales nostræ cameræ applicantes ultra pœnam C. solidorum denarii lucensis, quam etiam in aliquo contrafacientes volumus incurrere ipso facto, exinde quintam partem denuntianti integraliter concedentes.

De pœna intrantium claustra monasterii monialium.

XXXV. Item cupientes dissolutos & infamiæ notandos accessus quorumdam hominum & personarum in posterum faciendos ad loca & monasteria monialium civitatis & diœcesis Lucanæ via qua convenit coercere, & ipsorum malitiis obviare, statuimus, & universos & singulos tam clericos quam religiosos, quam laicos utriusque sexus civitatis & diœcesis Lucanæ semel, secundo & tertio perhentorie commonemus, ut nullus ipsorum audeat vel præsumat ad dicta loca & monasteria intrare sine manifesta, necessaria, honesta & rationabili causa absque nostra licentia speciali. In omnes & singulos qui contrafecerint excommunicationis sententiam proferentes. Præsens autem constitutio ad patrem vel matrem, patruum vel amitam, fratrem vel sororem monialium prædictarum nullatenus extendatur præter pœnam X. librarum denarii Lucensis exinde quintam partem denuntianti applicantes. Quæ tamen constitutio tunc dumtaxat locum habeat, quando quis monasterium ingreditur in septa monasterii per clausuram monialibus deputatam.

Quod nullus clericus vadat de nocte per civitatem Lucanam.

XXXVI. Item cum viros ecclesiasticos non in tenebris ambulare oporteat, sed in luce, hac constitutione perpetuo valitura prohibemus, ne aliquis clericus, vel persona ecclesiastica post sonum campanæ communis Lucani, quæ pulsatur de sero usque ad campanam diei per civitatem Lucanam, sub pœna X. librarum præsumat incedere, nisi pro pœnitentia vel aliis sacramentis ecclesiasticis conferendis, vel pro alia causa necessaria & honesta eum ire constaret, & cum lumine, & cum societate decenti, & cum costa, vel alio habitu decenti tali clerico, vel personæ ecclesiasticæ, quam pœnam nostræ cameræ applicandam contrafacientes incurrere volumus ipso facto.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.

Quod clerici in eorum ecclesiis vel beneficiis propriam faciant residentiam.

XXXVII. Item nolentes, ut Ecclesiæ nostræ civitatis & diœcesis debitis officiis defraudentur, statuimus, & pro primo, secundo & tertio & perhentorio monitionis edicto monemus omnes & singulos prælatos & rectores ecclesiarum Lucanæ civitatis & diœcesis, vel aliud beneficium ecclesiasticum curam animarum habens, vel quod ex statuto privilegio vel consuetudine perpetuam residentiam requirat, qui nunc sunt, & qui erunt per tempora, eisque sub pœna excommunicationis & privationis beneficiorum præcipiendo mandamus, quatenus in ipsis ecclesiis vel beneficiis perpetuam personalem faciant residentiam, secundum quod de jure tenentur. Et ab ipsis ecclesiis & beneficiis se ulterius non absentent absque nostra licentia speciali. Et qui contrafecerit, pœnam X. librarum incurrat, quartam partem dictæ pœnæ revelanti concedentes. Scientes quod contra illos, qui per IV. menses sine nostra, vel vicarii nostri licentia erunt absentes a dictis beneficiis, ad ipsorum privationem sine monitione vel citatione alia procedemus.

Revocatio dispensationum, & gratia facta super absentia beneficiorum.

XXXVIII. Quia multi prælati & rectores ecclesiarum curatarum vel clerici aliorum beneficiorum, quæ ex consuetudine, privilegio vel statuto perpetuam & personalem requirunt residentiam, tam a nobis, quam a nostris antecessoribus gratias & indulgentias seu dispensationes impetrarunt, ut eis indeterminate vel ad tempus a suis liceat ecclesiis & beneficiis absentare, quasque gratias & indulgentias, quia periculosas esse novimus tam ecclesiis quam populis earumdem, sicut experientia manifestat, pro eo quod divinus cultus & animarum cura negligitur, in hac nostra synodo publica auctoritate præsentis constitutionis & omni modo, jure & forma, quibus melius possumus, cassamus & revocamus.

DE PRÆBENDIS.

Quod habens unum beneficium, quod requirit residentiam perpetuam, non recipiat aliud simile sine dispensatione.

XXXIX. Item statuimus, quod aliquis habens dignitatem vel personatum, vel aliud beneficium curam habens animarum, vel quod requireret ex privilegio, statuto, vel consuetudine approbata residentiam perpetuam & personalem (additur in margine) vel hospitale sive alium pium locum de cætero, & aliud ecclesiasticum beneficium curam animarum habens, vel quod simili modo personalem residentiam requirat, nullatenus assumatur, nisi facta resignatione prioris beneficii, vel ecclesiæ in manibus nostris, vel illius, ad quem institutio & destitutio ipsius ecclesiæ noscitur pertinere, & si primum retinere contenderit cum secundo, utroque sit ipso jure privatus, nisi per Romanum Pontificem vel ejus auctoritate, seu per nos in casu nobis permisso a jure cum eo super hoc fuerit legitime dispensatum. Ille vero, ad quem pertinet prioris beneficii vel ecclesiæ institutio, institutionem facere non audeat, nisi prius constet sibi de resignatione prioris ecclesiæ vel beneficii, vel quod per nos vel nostram curiam fuerit declaratus privatus. Et si contrafecerit, X. librarum pœnam incurrat, quintam partem dictæ pœnæ revelanti concedentes. (*insuper additur*) Insuper volumus & mandamus, & sub infrascriptis pœnis citamus, requirimus & monemus pro primo, secundo, & ter-

ANNO CHRISTI 1351.

& tertio & perhentorio termino, ac monitione canonica omnes & singulos rectores hospitalium nostræ civitatis vel diœcesis, quatenus sub excommunicationis & privationis pœnis infra duos menses proxime futuros a die publicationis hujus nostræ constitutionis debeant & teneantur in hospitalibus, quæ habent, vel de cætero habebunt, continuam residentiam facere personalem, & bona & redditus eorum hospitalium convertere in usus pauperum, aliaque omnia & singula facere, quæ sanctæ recordationis Dominus Clemens p. V. providit per suam constitutionem, quæ incipit: Quia contingit &c.

Quod habentes plura beneficia debeant de eorum titulis fidem facere.

XL. Cum pluralitatem beneficiorum tam generale concilium, quam nostra episcopalis constitutio interdicat, & multi esse dicantur clerici & prælati in civitate & diœcesi Lucana plura cum cura & sine cura beneficia obtinentes, omnes & singulos clericos & prælatos in civitate Lucana & diœcesi plura ecclesiastica beneficia obtinentes, monemus, ut civitatenses in duos menses, Diœcesani vero in quatuor mensium spatium a die publicationis hujusmodi constitutionis beneficia cum cura, vel quibus cura non imminet animarum, quæ in civitate vel diœcesi obtinet memoratis, nobis cum ipsorum titulis & beneficiorum seu nominibus in scriptis debeant intonare cum dispensationibus, si quas habere se asserant, de eisdem, quem tamen eis pro primo, secundo, & tertio & perhentorie assignamus. Alioquin contra tales hujusmodi plura beneficia obtinentes, & contra monitionem nostram hujusmodi temere venientes, elapso prædicto termino, ad privationem beneficiorum suorum procedemus, quantum justitia suadebit, sibi electione primi sui beneficii, vel ejus quod sibi de jure debebitur reservata.

Quod in ecclesiis collegiatis sit solitus numerus canonicorum & clericorum.

XLI. Item cupientes, quod tam prioralibus quam baptismalibus & collegiatis ecclesiis civitatis, & diœcesis Lucanæ in debito & consueto canonicorum numero serviatur decenter, universos & singulos priores & plebanos ac prælatos civitatis & diœcesis prædictæ semel, secundo, & tertio perhentorie ac publice præsenti scriptura monemus, ut unusquisque prior & plebanus, seu alius prælatus, ad quem canonicorum electio seu receptio pertinet, statutum seu consuetum numerum canonicorum ecclesiæ ac plebis suæ hinc ad tres menses proxime futuros eligere seu habere procuret, qui continuam in ipsa ecclesia residentiam facientes eidem in ordinibus secundum quod ipsius beneficii cura requirit de cætero serviant diligenter, sicut canonici tales servire tenentur de jure. Alioquin omnes & singulos priores & plebanos, qui nostris monitionibus hujusmodi obedire contempserint, pœnam XXV. librarum volumus incurrere ipso facto, & contra eos, alias nihilominus processuri, & ecclesias & plebes ipsas de canonicis idoneis ex officio nostro curabimus ordinare, prout ipsis cognoverimus expedire.

Quod omnes qui obtinuerunt vel detinuerunt aliquod beneficium vel hospitale debeant de eorum titulis fidem facere.

XLII. Item, quia beneficium ecclesiasticum non potest licite sine canonica institutione obtineri, & quia tanto graviora sunt crimina, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam. Et quia multorum relatibus ad nostram audientiam pervenit, quod multi clerici civitatis & diœcesis Lucanæ multas ecclesias & ecclesiastica beneficia ac hospitalia detinent minus juste volentes, ut ex debito pastoralis officii tenemur cognoscere oves nostras, & animarum periculis & ecclesiarum & hospitalium ac beneficiorum indemnitatibus, prout nobis est possibile, viam præcludere, statuimus, & pro primo, secundo, & tertio perhentorio monitionis edicto, & sub excommunicationis, & privationis pœna, & alia pœna nostro arbitrio inflingenda præcipimus omnibus & singulis abbatibus, propositis, prioribus, archidiaconis, decanis, archipresbyteris, plebanis, canonicis & aliis ecclesiarum prælatis seu rectoribus & beneficiatis ac cappellanis, & hospitalium rectoribus, & commendatariis ecclesiarum vel beneficiorum, & quibuscumque aliis nostræ civitatis, & diœcesis, vel ibidem moram trahentibus, vel qui in ipsius civitate & diœcesi possiden. vel tenent aliquam ecclesiam, monasterium, hospitale, vel beneficium, vel prebendam adepti fuerint a quatuor annis citra debeant in duos menses civitatenses, & in quatuor illi de diœcesi de titulis, & eorum juribus, quibus ipsas ecclesias, beneficia, seu hospitalia possident seu tenent, nobis vel vicario nostro per publica instrumenta, vel per litteras authenticas plenam fidem faciant: alioquin ad dictam excommunicationis sententiam & privationem dictorum beneficiorum seu hospitalium seu ad declarationem contra eos de nullitate, & ad eorum beneficiorum ecclesiarum seu hospitalium provisionem de aliis personis idoneis, & ad alias pœnas, prout nobis videbitur, procedemus.

Revocatio commendarum, yconimatuum & dispensationum, & prorogationum olim factarum.

XLIII. Item, volentes indemnitatibus ecclesiarum & hospitalium, & beneficiorum, ac aliorum piorum locorum providere, & animarum periculis obviare, hac synodali constitutione revocamus & cassamus & omnes & singulas commendas ecclesiarum, beneficiorum, hospitalium & piorum locorum Lucanæ civitatis & diœcesis per prædecessores nostros & eorum vicarios vel per capitulum & ejus vicarium, vel per quemcumque sub nomine vicarii capituli sede vacante, vel per quemcumque nostrum vicarium & omnem constitutionem yconomorum, vel yconomatuum, & omnem prorogationem executionum testamentorum, & ultimarum voluntatum, nec non omnem dispensationem super aliquo beneficio vel ecclesia vel hospitali habitas vel factas per prædictos prædecessores vel vicarium, vel capitulum vel sub nomine vicariatus, mandantes nihilominus omnibus & singulis personis ecclesiasticis, quæ aliquam commendam vel yconomatum vel dispensationem prædictam per prædictos vel aliquem prædictorum factam haberent, quatenus civitatenses in duos menses, & diœcesani in quatuor

tuor menses nobis vel nostro vicario per instrumentum publicum vel litteras autenticas producere & ostendere teneantur ad pœnam & sub pœna L. librarum nostræ cameræ applicandarum, cujus pœnæ quartam partem denuntiatori assignamus, semper nobis reservata potestate ab ipsis rationem de administrationibus exigendi.

ANNO CHRISTI 1351.

Quod nullus alienet, vel pignoret res ecclesiarum.

XLIV. Item prædecessorum nostrorum statuta sequentes, cupientes ecclesiarum utilitatibus providere, statuimus, ne quis rector alicujus ecclesiæ vel loci religiosi seu ecclesiastici civitatis vel diœcesis Lucanæ, vel quivis alius alienet, vel pignori obliget possessionem aliquam vel thesaurum seu proventus nondum habitos ad tempus alicujus ecclesiæ vel loci religiosi vel ecclesiastici civitatis vel diœcesis prædictæ absque nostri licentia speciali, quæ appareat in scriptura sigillo nostro signata pendenti, vel per publicum instrumentum. Et monemus omnes & singulos, ne contra prædictum statutum aliquid debeant attemptare. In omnes & singulos qui contrafecerint vel fieri consenserint alienando seu pignori obligando, vel recipiendo aliquo titulo alienationis seu pignoris aliquid de prædictis, excommunicationis sententiam proferentes, ac etiam decernentes irritum & inane, ac penitus non valere quidquid contra prædictum statutum fuerit attentatum. Et nihilominus omnes & singulos clericos vel personas ecclesiasticas contrafacientes pœnam XXV. librarum pro vice qualibet incurrere volumus ipso facto.

Quod nullus contrahat debita nomine ecclesiæ suæ.

XLV. Item statuimus, quod nullus prælatus seu rector vel beneficiatus alicujus ecclesiæ vel loci religiosi vel ecclesiastici civitatis vel diœcesis Lucanæ debitum contrahat nomine ecclesiæ suæ vel loci ecclesiastici (additur in margine) „ vel alias ullo modo sine nostro, vel nostri vicarii generalis in nostra absentia extra civitatem vel diœcesin Lucanam licentia speciali " ultra summam sibi concessam vel concedendam a nobis, & si contraxerint pronuntiamus contractum ipsum penitus non valere, & ex tali contractu in nullo suam ecclesiam obligari. Verum plebani & priores usque in summam X. librarum, alii vero ecclesiarum rectores usque ad summam solidorum XL. denariorum parvorum lucensium possint, & eis liceat debitum contrahere pro ecclesia, non obstante præsenti constitutione.

In fine pagellæ additur hæc constitutio Nicolai episcopi Lucani

manu antiqua sed diversa.

Anno nativitatis Domini MCCCCXXIII. indictione prima, die XIV. Julii. Reverendus in Christo pater, & Dominus Dominus Nicolaus Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Lucanus, dum esset in ejus Lucana ecclesia, adstante sibi magna congregatione canonicorum dictæ ecclesiæ, & aliorum clericorum beneficiatorum Lucanæ civitatis, idem reverendus pater Dominus episcopus ex certis legitimis causis, & maxime ad tollendum scandalum, quod exortum erat, & multiplicabat inter clericos & personas ecclesiasticas dictæ civitatis & diœcesis cum grandi deliberatione pro removenda querimonia, quæ quotidie instabat, revocavit, cassavit & retractavit constitutionem illam, & capitulum synodale cum omni sua dependentia & additionibus de volumine constitutionis dictæ curiæ suæ positis sub rubrica suprascripta: Quod nullus contrahat debita nomine suæ ecclesiæ cap. XLV. Reliquos contractus seu obligationes prælatorum, clericorum & personarum ecclesiasticarum in omni casu & facto dispositioni juris canonici decernens dictam constitutionem nemini debere suffragari, aut absolutionem debitorum contractorum vel contrahendorum relevare. Datum & latum in suprascripta ecclesia, præsentibus etiam Dominis Dominico de Vibetello decretorum doctore ejus vicario generali, & Domino Jacobo Franchi specialiter in testes vocatis & rogatis, & pluribus aliis, ut supra dictum est. Ego Joannes Terii jussu ejus scripsi & me subscripsi.

ANNO CHRISTI 1351.

Quod nullus locet ecclesiam sine licentia episcopi.

XLVI. Item statuimus, quod nullus prælatus vel rector alicujus ecclesiæ de civitate vel diœcesi Lucana ecclesiam suam, vel omnes possessiones ejusdem ecclesiæ universaliter ulterius locet vel concedat ad firmam, nisi in casibus a jure concessi & nostra licentia speciali. Et si quis contrafecerit, locatio sit nulla ipso facto, sed clericus locans eo ipso pœnam XXV. librarum incurrat nostræ cameræ applicandarum.

Quod nullus occultet feuda vel annuos redditus ecclesiarum.

XLVII. Item cum quidam parochiani & vicini ecclesiarum feudum & præstationes annuas sive redditus annuales, quos ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, vel alicui loco pio reddere, & præstare tenentur, vel consueverunt, occultant in ipsarum animarum periculum, & ecclesiarum ipsarum præjudicium & gravamen, statuimus, & universos & singulos parochianos, & vicinos ecclesiarum parochialium diœcesis Lucanæ præsenti decreto monemus, ut infra duos menses, post hujusmodi constitutionis publicationem ipsum feudum seu præstationes annuas vel redditus annuales, quos occultarunt vel subtraxerunt in fraudem, prælatis & rectoribus ipsarum ecclesiarum seu locorum piorum manifestare procurent, & eisdem de ipsis occultatis in alium proximum sequentem mensem debitam satisfactionem impendant, vel super ipsis componant amicabiliter cum eisdem, quodque nullus ipsorum parochialium occultet ulterius aliquid de prædictis. In omnes & singulos tales occultatores & parochianos, qui prædicta observare contempserint, excommunicationis sententiam proferentes. Et hanc constitutionem præcipimus quater in anno publice nuntiari.

ANNO CHRISTI 1352.

Quod nullus donet vel cedat in fraudem aliqua instrumenta, vel jura, de quibus facta est solutio.

XLVIII. Item omnes homines & personas, qui de aliquo debito jam soluto scienter, vel ad impugnandum, vel in præjudicium alicujus universitatis vel personæ in fraudem dederint, vel cesserint alicui alteri personæ, vel receperint actionem, & omnes qui de soluto debito ad voluntatem debitoris non restituerint instrumenta, & rogita cancellari non fecerint, fraudem vel malitiam in illis aliquam committendo, nec non notarii, qui de talibus cessionibus scienter publicas scripturas fecerint, excommunicationis vinculo innodamus, quam constitutionem & excommunicationem præcipimus quater in anno solemniter publicari.

Quod voluntates defunctorum intra annum debeant executioni mandari.

XLIX. Item cupientes, ut piæ defunctorum voluntates executioni debitæ demandentur, prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, statuimus & monemus, quod omnes fideicommissarii seu executores ultimarum voluntatum deputati vel in posterum deputandi intra unum annum post defunctorum obitum pias eorumdem defunctorum voluntates & judicia, ad quæ constituti sunt vel fuerint, exequi fideliter juxta posse teneantur; alioquin ipsorum fideicommissarios omnes, qui hanc constitutionem contempserint, vel distulerint observare, postquam officium executionis acceptaverint tacite vel expresse, vel si ultra annum de facto processerint, licet de jure non possint, omnes ipso facto excommunicationis vinculo innodamus prædictos fideicommissarios nihilominus ipso facto dicto officio præsenti constitutione nostra privatos, & quod per eos factum fuerit decernimus non valere.

Quod nullus impediat aliquem testari, vel sua peccata confiteri.

L. Item quia frequenter avaritiæ cæcitas adeo mentes aliquorum offuscat, quod dum aliqui in infirmitate constituti volunt condere testamenta, vel ultimas voluntates, consanguinei ipsorum ab intestato succedere cupientes, vel qui vigore aliorum testamentorum vel ultimarum voluntatum per dictos infirmos jam conditorum succedere credunt, vel alii non permittunt sacerdotem, vel notarium, vel testes intrare ad eos, sic interdum accidit, quod occasione prædicta intestati, & sine pœnitentia & absolutione decedunt. Idcirco nos huic malitiæ obviare volentes, & quia nihil est, quod magis debeant hominibus quam ut supremæ voluntatis liber sit stilus omnimodo, jure, forma, & causa, quibus melius possumus, statuimus & monemus, ac præcipimus, quod nullus de civitate, vel diœcesi Lucana, vel ibi quomodolibet moram trahens, cujuscumque sexus, arte aliqua vel ingenio per se vel per alium, publice vel occulte impediat, quominus infirmus sua confiteatur peccata idoneo sacerdoti, vel suam ultimam voluntatem per testamentum, vel aliam ultimam voluntatem exprimant. Si quis autem contrafecerit, vel in faciendo præstiterit consilium, auxilium vel favorem, per hanc nostram constitutionem excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, & alias pœnas juris canonici vel similes non evadat.

DE SEPULTURIS.

Quod prior ecclesia habeat canonicam portionem occasione sepulturæ.

LI. Item statuimus & sub excommunicationis pœna præcipimus districte, ut cum aliquis alibi quam in sua ecclesia elegerit sepulturam, ille apud cujus ecclesiam sepultus fuerit de omnibus ex funere provenientibus secundum loci consuetudinem dare priori teneatur canonicam portionem.

Quod peregrini decedentes in Lucana civitate sepeliantur in cœmeterio ecclesiæ cathedralis, & quod bona eorum episcopo assignentur, eorum hæredibus vel pauperibus assignanda.

LII. Item quia certum domicilium non habenti episcopus est pater, & episcopalis ecclesia dicitur esse mater, statuimus & sub XXV. librarum pœna, & ad restitutionem corporis & perceptorum præcipimus, quod si peregrinus vel advena in hac civitate sepultura decesserit non electa, nulla persona ecclesiastica, vel secularis seu religiosa cum sine nostra licentia speciali audeat alibi, quam in cœmeterio majoris ecclesiæ Lucanæ sepelire, advenam & peregrinum in hoc casu intelligentes & declarantes qui adhuc domicilium vel larem non habeat nec constituerat in civitate Lucana, dum vivebat. Cæterum universos hospites civitatis & diœcesis Lucanæ, in quorum hospitiis infirmi, peregrini & advenæ fuerint hospitati, monemus & exhortamur in Domino, & in remissionem eis injungimus peccatorum, quod in suis necessitatibus dictis infirmis serviant, libere permittentes eosdem de bonis suis conficere testamenta vel alias ultimas voluntates. Quod si intestati decesserint, dictis hospitibus & eorum sociis familiaribus vel famulis sub excommunicationis pœna mandamus, quatenus nihil de bonis & rebus hospitum defunctorum usurpent per se vel per alium. Sed omnia eorum bona, sicut jura decernunt, hæredibus transmittenda, vel in pias causas, eis non inventis superstitibus, eroganda. Alioquin ipsam excommunicationis sententiam incurrant, a qua absolvi non possint, nisi prius in triplum ejus quod usurpaverint vel abstulerint nobis restituant in usus similes convertendos, sicut in juribus communibus continetur.

Quod nullus celebret missam vel conferat ecclesiastica sacramenta in aliena ecclesia.

LIII. Item quia nemo debet manum in messem mittere alienam, statuimus, quod nullus sacerdos in aliqua ecclesia aliena civitatis vel diœcesis Lucanæ missas populo celebret, seu corpora defunctorum sepeliat vel baptizet, nisi in casu summæ necessitatis, aut eucharistiam vel alia sacramenta alicui ministret sine nostra vel illius, cui talis ecclesia vel ejus cura est commissa, licentia speciali. Qui autem contrafecerit pœna X. librarum puniatur, quarum medietas rectori ecclesiæ, cui irrogatur injuria, reliqua vero nostræ cameræ applicetur.

DE

DE CONVERSIONE CONJUGATORUM.

ANNO CHRISTI 1351.

Quod nullus recipiat aliquem in conversum in fraudem Lucani communis.

LIV. Item cum tam facti experientia, quam frequens nos clamor instruxerit, quod quidam Lucanæ civitatis & diœcesis ecclesiarum prælati, ac Venerabilium Religiosorum quam locorum rectores in animarum ipsorum periculum & Lucani communis & temporalium jurisdictionum fraudem, aliquos sive aliquas in conversos & conversas recipiunt, qui sicut prius in eorum domibus remanentes, & sæcularibus negotiationibus & officiis intendentes, licet labiis Deo & eorum ecclesiis offerant se & sua, hoc tamen peragunt, ut cum deliquerint, possint circumvenire vindictam, & onera Lucani communis tam realia quam personalia evitare. Nos Berengarius Dei gratia Lucanus episcopus volentes prout possumus animarum ipsorum periculis, & indemnitati ecclesiarum & scandalis quæ inde possent inter clericos & laicos evenire auxiliante Domino præcavere, sequentes vestigia prædecessorum nostrorum, statuimus & ordinamus, quod nullus „abbas, prior, plebanus, vel abbatissa, seu quivis ecclesiarum prælatus, vel" (*hæc sunt adjuncta in margine prout hic pono, nam inadvertenti causa non inserui*) rector alicujus ecclesiæ Lucanæ civitatis vel diœcesis sæcularis vel regularis aliquem virum vel mulierem ulterius in conversum seu conversam suarum ecclesiarum, ac venerabilium Religiosorumque locorum onerosos vel inutiles, vel qui non sint bonæ famæ, seu in fraudem Lucani communis, vel alicujus universitatis Lucanæ diœcesis, seu singularis personæ ipsius civitatis vel diœcesis, cui sic recipiendi essent ad aliqua ratiocinia obligati recipere debeant. Et si contra factum fuerit, illud decernimus non tenere, & in nullo ipsis sic receptis eorum ecclesias obligari, nihilominus in omnes & singulos qui contrafecerint seu fieri contempserint excommunicationis sententiam promulgantes. Et illi & illæ intelligantur onerosi & oneroſæ seu inutiles & in fraudem recepti, qui sicut prius in eorum domibus remanentes habitum conversariæ condecenter non deferent, vel se immiscuerint sæcularibus negotiis & officiis sicut prius, nisi in hujusmodi conversione, eorumque oblatione seu receptione nostra vel vicarii nostri consensus & auctoritas intercesserit, & per nos, vel nostrum vicarium cum eis fuerit dispensatum, quod possint per certum tempus in eorum solitis domibus cum habitu, quem antea gestabant, remanere, & artem honestam exercere.

Quod omnes prælati & rectores teneantur præsentare domino episcopo omnes eorum conversos infra certum tempus.

LV. Item cum bonus pastor videre habeat oves suas, ut quas pascere, quasque tueri, & quas indefensas a suo expellere grege teneatur, cognoscat, universos & singulos ecclesiarum & venerabilium locorum prælatos & rectores religiosos & sæculares civitatis & diœcesis Lucanæ semel, secundo, & tertio perhentorie ac publice commonemus, ut in duos menses proxime venturos illi de civitate, & in quatuor menses illi de diœcesi omnes conversos & oblatos ecclesiæ & loci sui nominatim dare inscriptis procurent. Et illos cum instrumentis conversariæ ipsorum personaliter coram nostra præsentia repræsentent. Et nihilominus conversos omnes cujusvis ecclesiæ, aut loci prædictæ civitatis & diœcesis, & illos etiam conversos aliarum ecclesiarum cujusvis alterius diœcesis, qui ratione domicilii sunt vel fuerint cives vel districtuales Lucani, & quemlibet eorum semel, bis, ter, ac publice commonemus, ut unusquisque ipsorum cum chartis suæ receptionis & conversariæ nobis ostendendis intra dictum terminum personaliter compareant coram nobis. Alioquin tam in prælatos & rectores, quam in conversos ipsos omnes, & quemlibet eorum, qui nostris monitionibus hujusmodi obedire contempserint, præter pœnam librarum quatuor denarii lucensis nostræ cameræ applicandarum, exinde quintam partem denuntianti assignantes, ex nunc prout ex tunc excommunicationis sententiam ferimus in his scriptis, contra eos alias processuri, prout expedire videbimus.

Quod nullus possit intrare clausuram alicujus monasterii monialium.

LVI. Ut utilitati monialium salubriter consulatur, & omnis periculi materia evitetur, monemus semel, secundo & tertio perhentorie omnes & singulos tam clericos quam laicos, ac omnes & singulas abbatissas, prioritissas, & moniales, ut nulli clerico vel laico pateat aditus ad easdem, nec ingrediatur clausuram eisdem monialibus specialiter deputatam, nec ipsæ moniales aliquam personam recipiant intra ambitum clausuræ sine nostra vel vicarii nostri licentia speciali, nisi fuerit medicus, qui intraverit pro infirmis, aut magistri lapidum, vel lignaminum pro reparandis domibus & ædificiis faciendis, aut laborantes, vel aliæ personæ pro introducendis rebus necessariis, sine quibus non possent ipsæ moniales, vel dominæ comode sustentari, sæcularis sacerdos pro audiendis eorum confessionibus & impendendis ecclesiasticis sacramentis laborantibus in extremis, vel alias gravi infirmitate, & sepeliendis corporibus defunctorum. In omnes & singulos & singulas contrarium facientes, præter pœnam librarum X. denarii lucensis, cujus quintam partem denuntianti volumus applicari, ex nunc prout ex tunc excommunicationis sententiam ferimus in his scriptis. Item quod nullus sacerdos audiat confessiones earum, vel absolvere possit sine nostra licentia speciali, vel illius, quem ad hoc duxerimus deputandum, mortis articulo semper excepto.

De celebratione missarum, de officio divino quocumque approbato dicendo.

LVII. Item statuimus & ordinamus, ut in omni ecclesia divina officia diurna & nocturna cum exacta diligentia celebrentur, & quia multi videntur excusationem prætendere, quia propter ecclesiarum paupertatem & occasione præteritarum guerrarum & pestem mortalitatis nec libros continentes officium Lucanum habent, nec bene venales inveniunt, concedimus quod pro isto tempore juxta officium romanum vel ordinis prædicatorum, vel alterius ordinis approbati possint laudes dignas exsolvere Deo. Et cum hoc nequeant observare sine sufficienti adjutore, volumus, quod quilibet rector ad minus unum

unum scholarem habeat, qui competenter sciat legere & cantare; quicumque autem in premissis, vel aliquo præmissorum defecerint, superioris arbitrio puniantur.

ANNO CHRISTI 1551.

Quot & quibus tabaleis altare debeat ornari.

LVIII. Item cum ornamenta altaris, in quibus conficitur corpus Christi debeant esse integra, munda, nitida atque sancta, præmissa sic esse volumus & mandamus, declarantes altare debere muniri subsequentibus ornamentis, & primo duabus mappis longis, quæ pallæ nominantur, quarum una ad minus per episcopum superiorem debet esse benedicta, super quam debent corporalia residere. Qui autem in aliquo B præmissorum inventi fuerint negligentes per superiorem durius puniantur.

Quod candela accensa teneatur in altari, quando missa celebratur.

LIX. Item volumus & mandamus, quod in omni ecclesia in cujuslibet missæ celebratione ardeat candela cerea in tota missa, nec sacerdos audeat missam incipere donec talis candela accensa fuerit. In plebibus vero & aliis locis collegiatis & in missis solemnibus super hostiam & calicem semper fiat incensum. Et qui reperti fuerint negligentes, per nos vel vicarium nostrum nostro arbitrio puniantur.

Quod nullus celebret nisi unam missam in die.

LX. Item præcipimus & mandamus, quod nullus sacerdos nisi unam missam in die dicere præsumat absque caussa necessaria & urgenti absque nostra vel vicarii nostri licentia speciali, & tunc non ultra duas; in quarum prima post acceptionem sanguinis, nec vinum, nec aquam debeat sumere, debeat etiam esse vel diversum officium, vel diversum altare; potest tamen tam in nocte quam in aurora, & in die nativitatis Domini dicere tres missas juxta tria officia a sanctis patribus designata. Declaramus autem, quod quilibet sacerdos in missa debeat D indui ad minus admictu, alba, cingulo, manipulo, stola, & planeta, quæ omnia debent esse per episcopum benedicta. Et qui in prædictis, vel aliquo prædictorum contrafecerit, pœnam per nos nostro arbitrio infligenda puniatur.

Quod formæ sacramentorum in qualibet curata ecclesia in scriptis teneantur.

LXI. Item statuimus & ordinamus, quod in omni ecclesia curam animarum habente habeantur formæ sacramentorum in scriptis, juxta quas omnes & singuli sacerdotes in collatione eorumdem procedant, eas coram se tenentes pariter & legentes; quicumque autem præmissa non servaverit, per superiorem durius puniatur.

Quod nullus sacerdos alienigena admittatur sine licentia episcopi ad missas celebrandas.

LXII. Item præcipimus & mandamus, quod nullus rector ecclesiæ aliquem sacerdotem ad celebrandum missas vel administrandum alia ecclesiastica sacramenta, qui non fuerint de Lucana civitate vel diœcesi ad suam ecclesiam A admittat absque litterarum nostrarum testimonio speciali, nec etiam aliquem qui sit de aliqua religione, neque aliquem qui de ordine fuerit mendicantium. Et si quis aliquem talem receperit sine testimonio prætaxato hinc ad sex dies ipsum extollere teneatur; quicumque autem in contrarium fecerit ipsum absolvendo C. solidis nostræ cameræ condemnamus, quinta parte prædictæ pœnæ revelanti concedentes. Non est tamen nostra intentionis, quin religiosi & alii clerici peregrini secundum formam juris declinantes ad ecclesiam possint missas ibidem celebrare.

ANNO CHRISTI 1551.

Quod quilibet ordinatus in sacerdotem teneatur missam cantare intra tres menses post ejus ordinationem.

LXIII. Item statuimus, quod quilibet clericus ecclesiasticum obtinens beneficium in civitate Lucana, vel ejus diœcesi, postquam fuerit in presbyterum ordinatus, intra tres menses proximos a die presbyteratus prædicti suscepti computandos, missam cantet, & tam promoti hactenus, quam promovendi cantare missam infra dictum terminum teneantur, nisi post ordinationem suam ad sacerdotium canonica fuerit præpeditione detentus. Et qui intra dictum terminum missam non cantaverit, eum pœnam librarum X. decernimus incurrisse, nisi de nostra licentia speciali missam omiserit celebrare C

Quod ordinati ad sacerdotium debeant missas celebrare.

LXIV. Item volentes quod illi prælati, rectores, & canonici ecclesiarum civitatis & diœcesis Lucanæ, qui jam sunt presbyteri ordinati, & nondum missam cantaverint ad serviendum Deo in ecclesiis suis non sint ulterius negligentes, nec amplius videantur in vanum sacerdotii ordinem suscepisse, eosdem presbyteros omnes, & quemlibet eorum nobis subditos semel, secundo, & tertio perhentorie ac publice commonemus, ut ipsi & quilibet eorum D hinc ad festum nativitatis Domini missam cantare procurent. Alioquin in omnes & singulos tales presbyteros beneficiatos, qui nostris monitionibus hujusmodi contempserint obedire, sol. c. denariorum lucensium pœnam incurrisse noscantur, cujus quartam partem denuntianti volumus applicari.

De custodia eucharistiæ, chrismatis, & aliorum sacramentorum.

LXV. Item quia pretiosus thesaurus corporis Domini nostri Jesu Christi summa diligentia est custodiendus, & devota reverentia venerandus, volumus & mandamus omnibus, & singulis abbatibus, prioribus, præpositis & prælatis E ac rectoribus universis nostræ civitatis & diœcesis, quocumque nomine censeantur, quatenus ipsum thesaurum corporis Christi in loco aliquo venerabili & decenti cum clavi firmato sic quod ab alio præter quam a sacerdote tangi nequeat, studeant custodire. Ac etiam sanctum chrisma & oleum sanctum sub fida custodia taliter conservent, ne ab aliis quam a sacerdote tractari valeat, ne de ipso nisi pro baptismate vel sacra unctione alicui concedatur. Qui autem in aliquo præmissorum inventi fuerint negligentes, per superiorem acrius puniantur.

Quod

ANNO CHRISTI 1351.

Quod nullus committat aliquod maleficium cum aliqua re sacra.

LXVI. Item in illos impios christianos, qui divina corporis sacramenta sacro chrismate, oleo sancto, vel alia re sacrata ad aliquod maleficium committendum abuti præsumpserint, & sacerdotes & clericos quoscumque, qui corpus Christi, chrisma vel oleum sanctum, aut aliam rem sacratam alicui viro, vel mulieri dederint, vel qui receperint, nisi in sacramento, nec non in dantes quodcumque in præmissis consilium, auxilium vel favorem, excommunicationis sententiam promulgamus: sub eadem excommunicationis pœna mandamus omnibus & singulis tam maribus quam feminis, qui scirent aliquem vel aliquam maleficum vel maleficam in nostra civitate & diœcesi, quod intra mensem debeant nobis vel vicario nostro denuntiare nomen, & cognomen dicti malefici, & locum unde est, vel ubi moram trahit assignando.

Quod in festo dedicationis seu conceptionis B. M. Virginis fiat officium duplex.

LXVII. Item cum juxta assertionem sanctorum & canonum Beata Maria Virgo mater Domini nostri Jesu Christi in utero matris sanctificata fuerit ad reverentiam & laudem prædictæ sanctificationis & in honorem genitricis Dei, volumus & mandamus in omnibus ecclesiis nostræ diœcesis de prædicta dedicatione festum fieri totum duplex VI. Idus mensis Decembris annis singulis in futurum. Et sacerdotes qui non habuerint officium proprium, per eos dicatur officium de nativitate ejusdem Dominæ. Sed ubicumque dicitur nativitas, dedicatio vel conceptio dicatur.

DE OBSERVANTIA JEJUNIORUM

Quod nullus comedat carnes die sabbati.

LXVIII. Item quia transgressor laudabilis consuetudinis sicut transgressor legis puniendus est, idcirco approbantes laudabilem consuetudinem civitatis & diœcesis Lucanæ, qua in diebus sabbati per totum anni circulum ab usu carnium abstinetur, mandamus ipsam consuetudinem inviolabiliter observari. Qui sine causa necessaria aliqua die sabbati in civitate vel diœcesi Lucana publice vel occulte carnes comederit, si fuerit clericus vel persona ecclesiastica XXV. librarum, si vero laicus X. librarum lucensium pœnam ipso facto incurrat, alia pœna spirituali nostro arbitrio imponenda.

De ecclesiis ædificandis vel reparandis.

LXIX. Item statuimus & prohibemus ne quisquam in civitate vel diœcesi Lucana ecclesiam, oratorium, vel hospitale, vel altare erigat in eisdem sine nostra licentia speciali; nos enim loca talia constructa præter nostram licentiam interdicto ecclesiastico decernimus subjacere. (additur in fine alia manu) Et quia malitia temporis faciente beneficia ecclesiastica in nostra civitate & diœcesi sunt in tantum in suis facultatibus attenuata, quod * incumbentibus oneribus supportatis ex eisdem beneficiis non percipiunt ad vivendum. Statuimus & ordinamus, quod in parochialibus ecclesiis ipsarum parochiani, in plebibus vero tam ipsarum quam aliarum ecclesiarum plebanatus earumdem parochiani teneantur & possint, & debeant compelli, tam per censuram ecclesiasticam, quam per alia juris remedia ad reparationem, & refectionem, constructionem, seu reconstructionem ipsarum ecclesiarum & plebium, refectione, reparatione, constructione vel reconstructione egentium in nostra civitate vel diœcesi.

* In margine ipsorum beneficiorum

ANNO CHRISTI 1351.

DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA.

Excommunicantur potestates, & alii officiales, qui sunt contra ecclesiasticam libertatem.

LXX. Item cum ex injuncto nobis pastorali officio libertatem ecclesiasticam defendere teneamur, statuimus, & tam potestatem, capitaneum, antianos, & priores, & majorem sindicum civitatis Lucanæ, ac judices & assessores & cancellarios eorum, & consules, judices, & notarios, & alios quoscumque officiales salis & viarum & gabellarios & officiales, & gabellarum exactores, seu levatores quocumque nomine censeantur, & ipsorum familiares curiarum civitatis ejusdem, quam vicarios vicariarum, & judices & notarios & nuntios omnium prædictorum, & potestates & consules & omnes consiliarios generalis & specialis & cujuslibet consilii civitatis & cujuslibet communis & terræ diœcesis Lucanæ, & alios officiales universos prædictorum locorum quocunque nomine censeantur deputatos & deputandos, præsenti decreto commonemus, ut ipsi omnes & quilibet eorum ratione sui officii vel personæ defendant & conservent ecclesiasticam libertatem, & contra facere vel venire opere vel consilio aut consensu directe vel indirecte, tacite vel expresse per se vel per alios ulterius non præsumant. In omnes & singulos supradictos, qui scienter vel malitiose contrafecerint, vel venerint, excommunicationis sententiam proferentes.

Quod sint excommunicati omnes, qui faciunt contra ecclesiasticam libertatem.

LXXI. Item pro libertatis ecclesiasticæ defendendo privilegio statuimus & monemus, & universis & singulis statutariis, notariis & scriptoribus, & officialibus, & hominibus singularibus ad statuta communis vel populi, vel curiarum vel officiorum Lucanæ civitatis condenda & scribenda electis vel eligendis præcipimus, & hoc nostro generali prohibemus edicto, ut nullum statutum vel ordinamentum, compositionem vel capitulum ulterius faciant vel componant cum scriptura, vel sine scriptura, vel scribant contra ecclesiasticam libertatem. In omnes & singulos statutarios, notarios & scriptores, officiales & homines, qui contrafecerint ex nunc excommunicationis sententiam proferentes. Statuta vero omnia, ordinamenta, & capitula, vel reformationes cujuslibet constitutionis civitatis, & cujuslibet universitatis & terræ diœcesis Lucanæ contra ecclesiasticam libertatem usque ad hanc diem condita vel descripta præcipimus in unum mensem proximum post hujusmodi prohibitionis & constitutionis publicationem de libris & capitulis omnibus suis penitus &c.

Quæ

ANNO CHRISTI 1351.

Quæ sequuntur ab hoc capite, quod non est integrum, usque ad caput C. non possunt transcribi, & poni, nam avulsa sunt folia a codice.

Quod sacerdotes inducant peccatores, qui eis confitentur, ad pacem.

C. Item, ut saluti animarum melius provideamus, statuimus & mandamus, quod sacerdotes, quando sanorum seu infirmorum confessiones audiunt, diligenter eos interrogent, si cum aliquo habent odium capitale. Et si hoc verum esse invenerint, non prius absolvant eosdem, quam odium & rancorem deponant, & pacem suis reddant inimicis. Et si præsentes B tales inimici non essent, ipsam pacem recipiant in præsentia tabellionis & testium pro eisdem. Hoc salvo, quod si tales injuriam passi per sacerdotes non possent induci, ut injuriam eorum inimicis remittant libere, tamen rancore & odio dimisso, actio injuriarum ad petendum dumtaxat ext (sic) injuriæ sibi vel eorum successoribus reservetur.

Quod nullus possit absolvere in casibus episcopo reservatis sine ejus commissione.

CI. Item hac nostra synodali constitutione monemus & præcipimus quod nullus sacerdos sæcularis vel religiosus cujuscumque status, dignitatis, & conditionis existat, civitatis vel diœcesis Lucanæ, vel ibi moram trahens audeat aliquem confitentem absolvere, præterquam in mortis articulo, in casibus a jure episcopo reservatis, vel in aliquo casuum infrascriptorum, quos nobis reservamus sine nostra, vel vicarii nostri licentia speciali, sub pœna & ad pœnam temporalem, & spiritualem nostro arbitrio infligendam. *Articuli reservati sunt hi, videlicet*: Dispensatio cujuscumque voti. Absolutio & dispensatio incertorum & male ablatorum vel damnorum datorum incertorum, si non apparent illi, quibus est facienda restitutio. Absolutio a perjurio facto in alicujus præjudicium, maxime facto vel commisso in Curia episcopali, vel in D aliqua causa, quæ ibi ventilatur, vel ventilata fuerit, vel fuit. Absolutio contrahentium matrimonia clandestina. Et absolutio a qualibet excommunicatione majori lata ab homine vel a jure vel constitutione. A concubitu cum aliqua moniali. Absolutio a quolibet homicidio voluntario vel casuali. Absolutio ab oppressione filiorum vel aliorum infantium ex proposito, vel ex casu. Absolutio blasphemantium Deum, vel Beatam Virginem, vel aliquem sanctum. Absolutio seu dispensatio super irregularitate. Absolutio sacrilegii. Absolutio maleficiorum, indivinatorum, & sortilegiorum. Absolutio incendiariorum. Absolutio effractorum & violatorum ecclesiarum, & ecclesiasticæ libertatis seu immunitatis. Absolutio a quolibet peccato carnali contra naturam, vel cum brutis. Absolutio illorum, qui comedunt, vel comederent carnes in quadragesima, vel diebus prohibitis sine causa rationabili. Absolutio illorum, qui ducunt uxorem temporibus prohibitis. Absolutio simoniacorum in re spirituali annexa. (*Quæ sequuntur sunt adjuncta.*) Absolutio illorum, qui verberaverunt patrem vel matrem. Absolutio illorum, qui abusi fuerunt chrismate, vel eucharistia. Absolutio illorum, vel illarum, qui, vel quæ procuraverunt abortum vel sterilitatem. A Absolutio illorum, qui manus violentas injecerunt in clericum. Absolutio publicorum usurariorum. Absolutio illorum qui per saltum se promoveri fecerunt, & illorum qui fuerunt ab episcopo alieno ordinati absque licentia sui proprii diœcesani ordinarii. Absolutio illorum, qui celebraverunt in ecclesia interdicta, vel qui in altari non consecrato, vel sine sacris indumentis celebraverunt, & qui corpus usurarii, vel excommunicati in cœmeterio sepelierunt.

ANNO CHRISTI 1351.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Excommunicantur violatores ecclesiarum, & cœmeteriorum, & ceteri alii malefactores.

CII. Item, omnes ecclesiarum fractores: & omnes bonorum & rerum ecclesiasticarum raptores: & omnes ecclesiarum, sacrorum sepulcrorum violatores: & omnes qui alicui mulieri religiosæ molestiam intulerint impetu voluptatis: & omnes incendiarios: & omnes disrobbatores stratarum: & omnes fures nocturnos: & omnes vinearum & agrorum depopulatores occultos: & omnes qui terrarum terminos devulserint in fraudem vel mutaverint divisivos: & omnes qui domum alterius, vel in aliqua parte in præjudicium vel injuriam, vel dedecus alicujus personæ lapides de nocte latenter projecerint, vel C projici fecerint in civitate, vel diœcesi Lucana excommunicationis vinculo innodamus; quam excommunicationem quater in anno decernimus fore solemniter publicandam.

Quod omnes incendiarii sint excommunicati.

CIII. Item periculosam incendiariorum malitiam abhorrentes; omnes & singulos ex odio vel vindicta vel malo studio in ecclesia, vel aliis quibuscumque locis ignem immiserint, vel immitti fecerint animo & intentione nocendi, vel immissoribus præstiterint auxilium, consilium, vel favorem, excommunicationis vinculo innodamus; a qua per vicarios & pœnitentiarios D nostros absolvi non possint, nisi damnum emendaverint ei qui passus fuerit, & firmetur proprio juramento, quod ignem ulterius non immittent, nec immitti quomodolibet procurabunt.

Quod quilibet excommunicatus in unum mensem faciat se absolvi.

CIV. Item ad reprimendam malitiam eorum, qui vilipendunt excommunicationis sententias latas ab homine vel a jure, & ad evitandum periculum participationis cum excommunicatis, statuimus, quod quicumque est vel fuerit excommunicatus majori excommunicatione per sententiam hominis vel juris, maxime E ex quo fuerit publice denuntiatus excommunicatus, debeat quamcitius potest petere, & secundum formam juris facere se absolvi. Qui vero in excommunicatione permanserit ultra mensem, si fuerit laicus, pro quolibet mense, quo sic steterit excommunicatus, in XX. sol. lucen. parvorum condemnetur, si vero clericus, vel persona ecclesiastica, pro quolibet tali mense, quo sic steterit excommunicatus, in XL. sol. Si vero fuerit prælatus, vel prælata, puta abbas, præpositus, archidiaconus, prior, archipresbyter, vel plebanus, vel abbatissa, vel prio-

rissa

ANNO CHRISTI 1551.

rissa in quatuor lib. pro quolibet mense, quo sic excommunicatus permanserit, condemnetur. Qui vero in tali excommunicatione ultra unum annum perstiterit, tunc contra eum tamquam contra suspectum de fide procedatur.

Quod nullus faciat confiteri, vel confiteatur se recepisse pro anima alicujus ultra illud, quod revera recipitur. Et quomodo talis fraus probetur.

CV. Item volentes pias defunctorum voluntates cum effectu, & sine fraude juxta defunctorum dispositionem executioni mandari, ac volentes animarum periculis hæredum, & fideicommissariorum, & pauperum indemnitatibus providere, ac considerantes abusum & fraudes hæredum, & fideicommissariorum civitatis & diœcesis Lucanæ, qui fecerint, & faciunt sæpe sæpius per pauperes confiteri ultra illud quod ab eis recipiunt, statuimus & monemus pro primo, secundo, & tertio & peremptorio monitionis edicto, & sub excommunicationis pœna præcipiendo mandamus omnibus & singulis hæredibus seu fideicommissariis quorumcumque defunctorum, & omnibus & singulis aliis personis ecclesiasticis vel sæcularibus cujuscumque dignitatis vel status existant nostræ civitatis vel diœcesis, vel qui in dicta civitate, vel diœcesi morantur, ut nullus faciat vel consentiat, quod aliquis vel aliqua persona confiteatur se recipere, vel recepisse aliquam pecuniæ quantitatem, vel aliam rem ultra illam, quam revera recipit vel recepit. Simili modo monemus, quod nulla persona ecclesiastica vel sæcularis, collegium, capitulum vel conventus, vel eorum procurator, vel sindicus confiteatur se aliquid pro ultimarum voluntatum executione ultra illud, quod revera recepit, vel recipiet. In illas vero singulares personas, qui contrafaciet vel in faciendo confiteri vel confitendo, vel in dando in prædictis vel in prædictorum aliquod consilium, auxilium, vel favorem, excommunicationis sententiam ferimus in his scriptis. Insuper simili modo monemus omnes & singulas personas ecclesiasticas vel sæculares civitatis & diœcesis Lucanæ, vel qui ibidem morantur hæredem fideicommissarium, notarios vel testes, & quoscumque alios cujuscumque status vel conditionis existant, qui a quatuor annis citra fecerunt confiteri, vel procuraverint, vel consenserint confiteri aliquam quantitatem pecuniæ, vel aliam quamcumque rem, quam illi qui confessi sunt per publica instrumenta, vel aliter se recepisse quam revera non receperunt, vel ultra illam quantitatem, quam receperunt, & qui a dicto tempore citra fuerint confessi, vel guarentaverunt seu recognoverunt se recepisse aliquam pecuniæ quantitatem, vel aliam rem pro distributione vel executione ultimarum voluntatum defunctorum, quam revera non receperunt, vel ultra illud, quod revera receperunt, & qui in prædictis dederint auxilium, consilium, vel favorem, intra duos menses, civitatenses, vel in civitate Lucana habitantes, & illi de diœcesi Lucana vel ibi habitantes intra quatuor a die publicationis præsentis computando nobis vel vicario nostro significare & revelare teneantur, exprimendo nomen & cognomen illius, qui fecit, vel procuravit, vel consuluit fieri talem confessionem, guarentationem, vel recognitionem, & quam vel quantam quantitatem pecuniæ, vel aliam rem revera recepit confitentes. In illos vero qui hujusmodi nostræ monitioni non paruerint cum effectu, ex nunc pro tunc excommunicationis sententiam proferimus in his scriptis. Et hæc constitutio legatur per quemlibet Rectorem ecclesiarum parochialium usque ad annum qualibet prima Dominica mensis cujuslibet publice, præsente populo, ad hanc convincendam malitiam & fraudem prædictorum hæredum & fideicommissariorum, statuentes, quod ad probationem prædictæ fraudis sufficiat probatio IV. testium bonæ famæ singularium, etiam si sint illi iidem, qui tales confessiones fecerunt cum tribus testibus de publica fama, ad hoc ut nos vel vicarius noster possimus ab ipsis hæredibus vel fideicommissariis recipere & exigere illud, quod fecerunt confiteri, ultra illud quod dederunt, & distribuere illis qui confessi fuerunt, vel aliis, vel in illos usus pios convertere secundum defunctorum voluntates, non obstante aliqua absolutione vel liberatione per nos vel nostros vicarios, vel per prædecessorem nostrum vel ejus vicarium, vel per capitulum vel ejus vicarium sede vacante factis. Insuper monemus & sub excommunicationis pœna, quam contrafacientes, vel non parentes incurrere volumus ipso facto, præcipiendo mandamus omnibus & singulis personis civitatis Lucanæ, qui fuerint fideicommissarii aliquorum testamentorum vel ultimarum voluntatum, quatenus infra duos menses a die publicationis hujus constitutionis computandos debeant nobis vel vicario nostro assignare omnes libros & omnes scripturas, qui & quæ in totum, vel pro parte pertinuerint modo aliquo ad defunctum, cujus fuerint vel sunt executores. Et illis de diœcesi, quod prædictam assignationem librorum & scripturarum debeant sub dicta pœna facere intra quinque menses, proviso quod libri, qui pro parte pertinuerint ad defunctum, debeant per nos vel vicarium nostrum restitui sociis dicti defuncti, recepta inde copia per nostram curiam de prædictis.

Item sic ut præmittitur per omnia statuentes, universos tam clericos & personas ecclesiasticas, quam laicos nobis subditos hac ultima generali constitutione semel, secundo, & tertio commonemus, & eisdem, & cuique eorum districte præcipimus, ut Deum habentes præ oculis prædictas constitutiones, & quæ in eis continentur observanda observent, agenda peragant, & publicanda publicent, recitanda recitent, & contra prohibita non excedant, & si salutem, honestatem, & quietem suam diligunt, & pœnam imponendam incurrere pertimescunt. Et ut nulli per ignorantiam se valeant excusare, eas in generali nostra synodo ad hoc convocata mandavimus publice recitari, præcipiendo insuper universis ecclesiarum prælatis civitatis & diœcesis Lucanæ sub excommunicationis & X. lib. lucensium pœna districte, ut unusquisque ipsorum pro se & suo capitulo & capitulis plebanatuum easdem constitutiones post duos menses proxime secuturos publicationem earum ter in anno coram suis capitulo & capitulis eas omnes & illas publicandas, quæ de laicis loquuntur quater in anno, ut contenta in eis coram populo suo publice legere & vulgariter exponere non omittant. Et ut prædictam publicationem facere possint, & ne prætextu & caligine ignorantiæ aliquis se ab observatione harum constitutionum valeat excusare, sub pœna XX. lib. mandamus omnibus & singulis abbatibus, prioribus & præpositis, plebanis & aliis

ANNO CHRISTI 1551.

☞ prælatis civitatis, & diœcesis Lucanæ, ut copiam omnium supradictarum constitutionum a nostris notariis recipiant, scilicet illi de civitate intra duos menses, illi vero de diœcesi intra quatuor menses a die publicationis earum computandos, quas copias eis dari mandamus recepto salario competenti. Qui vero contrafecerint prædictam pœnam XX. lib. incurrant.

ANNO CHRISTI 1351.

IN nomine Domini Amen. Nos Berengarius Dei & apostolicæ sedis gratia episcopus Lucanus attendentes, quod Judices & Consules curiarum, & alii officiales Lucani communis non sedent, nec jus reddunt in ordinariis vel civilibus causis infrascriptis diebus infrascriptorum mensium, quorum quidam inducti sunt propter ferias messium, & quidam alii in honorem Dei & sanctorum ejus, & quidam alii propter ferias vindemiarum, & propter causas inferius declaratas, & in nostra episcopali curia Inter cives Lucanos, & nostræ temporali & spirituali jurisdictioni subiectos interdum agatur de causis civilibus & ordinariis. Statuimus & ordinamus ad hoc ut omnibus in nostra episcopali curia agentibus pateat manifestum, & propter ignorantiam se non valeant excusare, quod vi-

A carii nostri & nostræ episcopalis curiæ teneantur & debeant qualibet die sedere, & jus publice reddere, & facere cuiquam petenti secundum formam juris, & consuetudinem nostræ curiæ hactenus observatam, salvo quod non sedeant, nec jus reddant in ordinariis vel civilibus causis tantum ab hinc in antea, videlicet a die S. Viti de mense Junii usque ad diem S. Alexii de mense Julii, nec ipsis diebus propter ferias messium. Item a die festi Exaltationis S. Crucis XIV. mensis Septembris usque ad diem Kalendarum Novembris, nec ipsis diebus propter ferias vindemiarum

B possint tam dictis temporibus feriarum sedere & jus reddere & facere super intesimentis & quæstionibus possessionum ablatarum & turbatarum, & de interdictis ipsorum, & novi operis nuntiatione & damni infecti. Et super quæstionibus & causis spiritualibus, & matrimonialibus, ac viduarum & pupillorum, & appellationum. Item non sedeant, nec jus reddant infrascriptis diebus festivis & inductis ad honorem Dei, videlicet die Paschatis Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, & VII. diebus præcedentibus, & VII. subsequentibus, & die Ascensionis Do-

C mini, & die Paschatis Pentecostes, & duobus diebus sequentibus, & die Paschatis Nativitatis Domini, & diebus sequentibus usque ad Epiphaniam, & ipsa die Epiphaniæ, & die vigiliæ dictæ Nativitatis, & singulis diebus Dominicis .... Item .....

ANNO CHRISTI 1351.

DE MENSE JANUARII.

Die	XXI.	Sanctæ Agnetis Virginis.
Die	*XX.*	*Sanctorum Fabiani & Sebastiani mm.*) (*alia manu minoris antiquitatis.*)
Die	*XXD.*	*Conversionis S. Pauli.*)

DE MENSE FEBRUARII.

Die	II.	Purificationis S. Mariæ Virginis.
Die	III.	S. Blasii.
Die	XXII.	Cathedræ S. Petri.
Die	XXIV.	S. Mathiæ Apostoli.

DE MENSE MARTII.

Die	VII.	S. Thomæ de Aquino.
Die	XII.	S. Gregorii.
Die	XXI.	S. Benedicti Abbatis.
Die	XXV.	Annuntiationis S. Mariæ Virginis.

DE MENSE APRILIS.

Die	*VI.*	*Item libertatis nostræ.* (*alia manu minoris antiquitatis.*)
Die	XXIII.	S. Georgii.
Die	XXV.	S. Marci Evangelistæ.
Die	XXVII.	Migrationis beatæ Sitæ. (*alia manu &c.*) *& S. Antonii heremitæ in S. Paulino.*
Die	XXIX.	S. Petri martyris de ordine Prædicatorum.

DE MENSE MAJI.

Die	I.	Sanctorum Apostolorum Philippi & Jacobi.
Die	III.	Inventio S. Crucis & S. Alexandri.
Die	VI.	S. Johannis ante portam Latinam.
Die	VIII.	Apparitionis S. Michaelis.
Die	X.	S. Cataldi & S. Christinæ.
Die	XIII.	S. Mariæ ad martyres.
Die	*XIX.*	*S. Theodori.* (*alia manu &c.*)

DE

ANNO CHRISTI 1311.

DE MENSE JUNII.

Die III. S. Davini.
Die XI. S. Barnabæ.
Die xiii. S. Antonii de Padua (alia manu &c.)
Die XV. S. Viti.
Die XXII. SS. X. mill. martyrum.
Die XXIV. S. Johannis Baptistæ.
Die XXIX. SS. Apostolorum Petri & Pauli.

DE MENSE JULII.

Die I. Lucinæ matronæ urbis Romæ. (alia manu &c.)
Die II. Visitationis Beatæ Virginis. (manu recentissima)
Die XII. S. Paulini Episcopi Lucani.
Die XVI. SS. Quirici & Julittæ.
Die XVII. S. Alexii.
Die XXII. S. Mariæ Magdalenæ.
Die XXV. S. Jacobi Apostoli.
Die XXVI. S. Annæ.
Die xxvii. S. Pantaleonis. (alia manu &c.)

DE MENSE AUGUSTI.

Die I. Absolutionis S. Petri a vinculis.
Die V. S. Dominici. *Et festum Beatæ Virginis de Nive. (alia manu recentissima.)*

Die VII. S. Donati
Die X. S. Laurentii.
Die XIII. S. Caxiani.
Die XV. Assumptionis S. Mariæ Virginis.
Die xvi. S. Rochi (alia manu &c.)
Die XX. S. Bernardi Abbatis.
Die XXIV. S. Bartholomæi apostoli.
Die XXV. S. Pontiani.
Die XXVIII. S. Augustini.
Die XXIX. Decollationis S. Johannis Baptistæ.

DE MENSE SEPTEMBRIS.

Die I. S. Reguli.
Die VIII. Nativitatis S. Mariæ Virginis.
Die XIII. Vigiliæ S. Crucis.
Die XIV. Exaltationis S. Crucis.
Die XXI. S. Matthæi apostoli & evangelistæ.
Die xxv. S. Faustæ Virginis. (alia manu recentissima.)
Die XXIX. Dedicationis S. Michaelis.
Die XXX. S. Hieronymi.

DE MENSE OCTOBRIS.

Die IV. S. Francisci Confessoris.
Die VI. Consecrationis S. Martini Lucensis.
Die VIII. S. Reparatæ.
Die IX. S. Domnini.
Die XVIII. S. Lucæ evangelistæ.
Die XXVIII. SS. Symonis & Judæ.
Die XXXI. Vigiliæ festi omnium Sanctorum.

DE MENSE NOVEMBRIS.

Die I. Festivitatis omnium Sanctorum.
Die II. Commemorationis defunctorum
Die VI. S. Leonardi.
Die ix. Dedicationis Basilicæ Salvatoris. (alia manu recentissima.)
Die XI. S. Martini.
Die XVIII. S. Fridiani.
Die XXV. S. Prosperi, & S. Catherinæ.
Die XXX. S. Andreæ apostoli.
Die xxi. Præsentationis B. M. ex consuetudine. (alia manu recentissima.)

ANNO CHRISTI 1351.

DE MENSE DECEMBRIS.

ANNO CHRISTI 1351

Die iii. SS. Tasonis Mauri & Ilaria. (alia manu &c.)
Die IV. S. Barbaræ.
Die VI. S. Nicolai.
Die VII. S. Ambrosii.
Die VIII. Conceptionis B. Mariæ Virginis.
Die XIII. S. Luciæ.
Die XIV. S. Agnelli Abbatis.
Die XXI. S. Thomæ apostoli.
Die XXIV. Vigiliæ Nativitatis Domini. Et diebus sequentibus dicti mensis propter ipsum Pascha.

Item diebus Rogationum, quibus itur ad Letanias.
Item die primo Quadragesimæ.
Item die sobbrect, Et die Carnisprivii.
Item diebus, quibus Lucanum Commune universaliter, vel particulariter iret vel esset in exercitu, tracta, vel Cavalcata. Et quando particulariter iret non sedeant in causis illorum, vel contra illos, qui irent vel essent in dicto exercitu, tracta, vel Cavalcata.

Item non sedeant vel jus reddant in vesperis, vel in novis infrascriptis diebus Vigiliarum prædictarum, videlicet
Die Vigiliæ Paschatis Pentecostes.
Die Vigiliæ Corporis Christi.
Die Vigiliæ Ascensionis Domini.
Die Vigiliæ Assumptionis S. Mariæ Virginis.
Die Vigiliæ Purificationis.
Die Vigiliæ Annuntiationis S. Mariæ Virginis.
Die Vigiliæ S. Martini. (alia manu &c.)

Quibus diebus vigiliarum prædictarum possint sedere, & jus reddere solum a mane usque ad tertias. Et in tertiis, nisi alias provideatur per nos seu vicarios nostros, vel alterum ipsorum.

Anno Nativitatis Domini MCCCLI. Indictione V. die XVIII. Mensis Octobris Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini Domini Innocentii Papæ VI anno .... factæ firmatæ, lectæ & publicatæ, correctæ & emendatæ fuerunt suprascriptæ Constitutiones, & leges per Reverendum in Christo Patrem & Dominum Dominum Berengarium Episcopum Lucanum in publica & generali Synodo . . . congregata Lucæ in episcopali palatio.

ADDITIONES AD EAMDEM SYNODUM

ANNO CHRISTI 1366.

Editæ ab eodem in alia Synodo anni 1366.

ANNO CHRISTI 1366.

IN nomine Domini Amen. Infrascriptæ sunt additiones factæ per Reverendum in Christo Patrem & Dominum Dominum Berengarium Dei & apostolicæ sedis gratia Lucanum episcopum constitutionibus synodalibus suprascriptis ipsius domini episcopi in publica & generali clericorum civitatis & diœcesis Lucanæ congregatione & synodo per ipsum dominum episcopum congregata & celebrata Lucæ in majori ecclesia Lucana anno Nativitatis Domini millesimo trecentesimo sexagesimo sexto, indictione V. die XX. mensis Octobris, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Urbani p. V. anno IV.

Nos Berengarius Dei & apostolicæ sedis gratia Lucanus episcopus infrascriptas additiones nostris constitutionibus facimus, videlicet

In primis capitulo quinto circa principium post verbum *locis* addimus sic, videlicet, *vel hospitalibus*; & deinde post verbum *venerabilis* additur *vel hospitalibus*.

VI. Capitulo circa principium post verbum *ecclesiastica* additur *vel hospitalia seu pia loca*.

VIII. Capitulo in fine additur sic, videlicet: *Extendentes hanc constitutionem nostram ad obtinentes collegiata beneficia ecclesiastica, vel plebanias, vel alias dignitates, qui vigore hujusmodi constitutionis moniti teneantur se ad presbyteratus ordinem facere promoveri infra annum a die de se facta institutionis, nisi legitime docuerint se possessionem pacificam habere minime potuisse, ex qua se promoveri ad dictum ordinem non fecerunt, & prædicta fieri decernimus & mandamus per hanc nostram constitutionem sub pœna prædicta canonis sive juris.*

XXV. Capitulo in fine additur sic, videlicet: *Et idem statutum per omnia observetur, & locum habeat in quocumque supposito ratione delicti, contractus, domicilii, sive rei jurisdictioni temporali Lucani episcopi in quacumque causa accusationis, denuntiationis, vel inquisitionis &c. & pro quibuscumque excessibus vel delictis commissis, vel committendis.*

XXXIII. Capitulo in fine additur sic, videlicet: *Non tamen propter aliquod præmissorum, vel aliquod ex contentis in aliquibus nostris constitutionibus intendimus foro vel jurisdictioni seculari in personam aliquam ecclesiasticam jurisdictio-*

ANNO CHRISTI 1566.

☞ *ctionem aliquam prorogare, sive alias tribuere, aut dare; quinimmo si aliqua contra hanc nostram intentionem reperirentur quomodolibet edita, sive facta per nos, vel per aliquem seu aliquos ex prædecessoribus nostris Lucanis episcopis tamquam canonibus inimica, etiamsi transissent in contractum, in his scriptis totaliter revocamus eadem, & haberi volumus pro non factis.*

XXXIX. Capitulo post illud verbum *requirat*, addatur sic, videlicet: *Vel hospitale, sive alium pium locum de cætero*. Et deinde addatur in fine sic, videlicet: *Insuper volumus & mandamus, & sub infrascriptis pœnis citamus, requirimus, & monemus pro primo, secundo, & tertio, & peremptorio termino, ac monitione canonica omnes & singulos rectores hospitalium nostræ civitatis vel diœcesis, quatenus sub excommunicationis & privationis pœnis infra duos menses proxime futuros a die publicationis hujusmodi nostræ constitutionis debeant & teneantur in hospitalibus, quæ habent, vel de cætero habebunt, continuam residentiam facere personalem, & bona & redditus dictorum hospitalium convertere in usus pauperum, aliaque omnia & singula facere, quæ Sanctæ recordationis Dominus Clemens p. v. providit per suam constitutionem, quæ incipit: Quia contingit: de religiosis domibus.*

XLV. Capitulo post illa verba, *vel loci ecclesiastici* addatur sic, videlicet: *Vel alias ullo modo sine nostra vel nostri vicarii generalis in nostri absentia ex civitate, & diœcesi Lucana licentia speciali.*

LXIX. Capitulo in fine addimus sic, videlicet: *Et quia malitia temporis faciente beneficia ecclesiastica in nostra civitate & diœcesi in tantum sunt in suis facultatibus attenuata, quod ipsorum beneficiati incumbentibus oneribus supportatis ex eisdem beneficiis non percipiunt ad vivendum, statuimus & ordinamus, quod in parochialibus ecclesiis ipsi parochiani, in plebibus vero tam ipsarum, quam aliarum ecclesiarum plebatus eorum parochiani teneantur, possint, & debeant compelli, tam per censuram ecclesiasticam, quam per alia juris remedia ad reparationem, refectionem, conservationem, seu restructionem ipsarum ecclesiarum reparatione, constructione, vel restauratione egentium in nostra Civitate, vel Diœcesi.*

LXXIII. Capitulo addimus in fine sic, videlicet: *Nec non omnes & singulos, qui scienter clericos vel ecclesiasticas personas traxerint coram aliquo judice seculari, vel aliquo alio jurisdictionem secularem quomodolibet exercente.*

LXXX. Capitulo additur in fine sic, videlicet: *Cæterum ad simoniacorum malitiam convincendam, qui ut plurimum sic occulte simoniam committunt, quod de simoniaca labe convinci non possint. Statuimus, quod si quis ex permutatione adeptus est beneficium ecclesiasticum honorabile & valoris majoris in triplo in redditibus annuatim ejus quod valet, vel valebat beneficium, quod ex permutatione hujusmodi dimisit, quodque beneficium sic dimissum non sit tanti honoris, quanti est adeptum cum testimonio bonæ famæ probantium esse vel fuisse publicam vocem & famam hujusmodi beneficium acquisitum esse, & fuisse adeptum per simoniam: ut quicumque tale beneficium honoris & valoris prædictorum obtinet, vel de cætero obtinebit, eo ipso convincatur simoniacus, & hujusmodi beneficium habuisse vel habere per simoniacam pravitatem, & teneatur & puniatur constitutionibus canonicis, sacris canonibus, ac pœnis, quæ contra simoniacos emanarunt.*

De articulis fidei.

Rubrica.

Item cum super articulis Fdei, & Sacramentis ecclesiæ debeant quilibet esse docti, hac nostra constitutione ponimus hos articulos fidei & sacramenta ecclesiæ, ut per quoscumque clericos implicite & explicite sciantur, & eosdem articulos, & alia sacramenta suos parochianos doceant, & quod singuli plebani & rectores parochialium ecclesiarum infra mensem sub pœna excommunicationis ipsos articulos & ipsa sacramenta, & hanc nostram constitutionem recipere & habere de manu nostri cancellarii. Qui quidem articuli sunt XIV. quorum VII. respiciunt ad divinitatem Christi, & VII. ipsius humanitatem. Articulorum divinitatis primus est de unitate divinæ essentiæ, ibi: *Credo in unum Deum*. Secundus de persona patris, ibi: *Patrem omnipotentem*. Tertius de persona filii, ibi: *Et in Jesum Christum filium ejus*. Quartus de persona Spiritus Sancti, ibi: *Et in Spiritum Sanctum*. Quintus de affectu quo a Deo creamur in esse naturæ, ibi: *Creatorem cæli & terræ*. Sextus de affectu, quo a Deo creamur in esse gratiæ, ibi: *Sanctam & catholicam ecclesiam, Sanctorum communionem, Remissionem peccatorum*. Septimus de affectu quo a Deo perficimur in esse gloriæ, ibi: *Carnis resurrectionem, Vitam æternam. Amen.*

Articuli vero humanitatis Christi sunt primus, ibi: *Qui conceptus est de Spiritu S.* Secundus, ibi: *Natus ex Maria Virgine*. Tertius, ibi: *Passus sub Pontio Pilato, mortuus & sepultus*. Quartus, ibi: *Descendit ad inferos*. Quintus, ibi: *Tertia die resurrexit a mortuis*. Sextus, ibi: *Ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris omnipotentis*. Septimus, ibi: *Inde venturus est judicare vivos & mortuos*. Alii tamen dicunt dictos articulos fidei divinitatis, & humanitatis Christi esse XII. facientes de ultimis duobus prædictis articulis divinitatis unum articulum, & de primis duobus articulis supradictis humanitatis unum articulum, quorum etiam opinio est bona, & isti omnes articuli habentur in symbolo minori. Est etiam credendum, & tenendum, quod Spiritus S. a Patre & Filio procedat, tamquam ex unica inspiratione, & non tamquam ex duobus principiis, vel ex duabus spirationibus. Est etiam credendum & tenendum, quod anima rationalis, sive intellectiva est forma corporis humani per se & essentialiter.

Sacramenta vero ecclesiæ sunt septem, quorum quædam sunt necessaria, & quædam voluntaria. Sacramenta necessaria sunt quinque, videlicet: *Baptismus, Confirmatio in fronte, Pœnitentia, Unctio, & Corpus Christi*. Hæ dicuntur sacramenta necessitatis, quia sine istis homo salvari non potest, si contemptu omittantur, & haberi possint. Sacramentum vero Baptismi a quocumque in necessitate potest recipi, dummodo in forma ecclesiæ conferatur, & idem de pœnitentia est tenendum, quod in necessitate quis possit cuilibet confiteri. Cessante autem necessitate debent hujusmodi sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ conferri secundum sanctiones canonicas. Sacramenta voluntaria sunt duo, videlicet: *Ordo, & Matrimonium*, & ideo dicuntur voluntaria, quia omittere quod recipiantur non est peccatum.

Item quia ex malo opere quis non debet co-

commodum reportare. Statuimus & ordinamus, quod nullus possit assumi in prælatum vel rectorem alicujus ecclesiæ vel hospitalis, aut pii loci, qui in primo curato beneficio, quod prius habuit, male administraverit, & hujusmodi beneficium damnificaverit, & ad hoc teneatur quilibet taliter assumens de omnibus & singulis bonis habiti beneficii prædicti nobis vel nostro vicario generali facere veram & integram rationem. Qua non facta de eo quælibet institutio facta in quocumque alio beneficio curato vel non curato, aut hospitali vel pio loco nostræ civitatis vel diœcesis nulla sit ipso facto. Extendentes etiam constitutionem & ejus pœnam felicis recordationis Domini Gregorii p. IX. quæ incipit: *Quam sit ecclesiis:* quæ habentur de electione lib. VI. ad quemlibet electum, præsentatum, vel postulatum ad regimen cujuslibet hospitalis nostræ civitatis vel diœcesis Lucanæ, & ad quemcumque, qui de cætero eligetur, præsentabitur, & postulabitur ad regimen cujuslibet hospitalis dictæ civitatis vel diœcesis, ut videlicet non consentiendo infra mensem electioni de se factæ, seu præsentationi vel postulationi infra mensem a tempore sibi præsentatæ hujusmodi electionis, præsentationis, vel postulationis jure, si quid ei ex præsentatione, electione, vel postulatione hujusmodi foret acquisitum, ex tunc eo ipso sit privatus, sicut per dictam constitutionem deberet fieri, & servaretur in electis ad beneficia ecclesiastica, de quibus in constitutione hujusmodi continetur.

ANNO CHRISTI 1366.

A Item revocamus totaliter & expresse omnes & singulos œconomos per nos vel nostros vicarios vel alios quoscumque hactenus constitutos, vel alios quoscumque in nostra civitate, vel diœcesi in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, mandantes eisdem œconomis omnibus & singulis in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna, quod infra duos menses proxime futuros debeant nobis vel nostro vicario generali de perceptis fructibus, introitibus, redditibus & obventionibus universis beneficiorum ipsorum, eorumque exitibus facere veram & integram rationem. Inhibentes de

B cætero totaliter & expresse omnibus & singulis nostræ civitatis, & diœcesis ne in aliquo beneficio Ecclesiastico vel hospitali, aut pio loco sub pœna excommunicationis aliquem œconomum vel administratorem, vel receptorem constituere, ponere, vel deputare audeant, aut præsumant. Nostræ tamen intentionis existit prædicta non extendi ad œconomos per nos vel nostrum vicarium generalem constitutos a sex mensibus proxime præteritis citra.

Item statuimus, quod operarii ecclesiarum nostræ civitatis vel diœcesis sub pœna excommu-

C nicationis non audeant, vel præsumant bona aliqua ecclesiarum recipere, colligere, vel habere sine nostra vel nostri vicarii generalis licentia speciali, & de perceptis nobis vel eidem vicario teneantur & debeant infra mensem proxime futurum facere veram & integram rationem.

* CONCILIUM LAMBETHENSE

* sive Lambethense.

A Simone Cantuariensi archiepiscopo cum suffraganeis celebratum, anno Domini MCCCLI.

ANNO CHRISTI 1351.

Ex collectionis Anglicanæ Tomo II.

DECRETUM SYNODALE.

De clericis incarceratis ad asperam pœnam ponendis.

Simon permissione divina Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, venerabili fratri nostro domino Radulpho, Dei gratia Londinensi episcopo, salutem & fraternam in Domino caritatem.

NUper in parliamento regio London. habito, nobis instantibus, pro debita reformatione quarumdam injuriarum, Deo & sanctæ ecclesiæ illatarum, quas conniventibus oculis nequivimus pertransire, pro & ex eo videlicet, quod judices sæculares, nitentes plus solito in messem Divinam mittere falcem suam, clericos passim, etiamsi sacerdotes fuerint, & insuper regulares, in possessione clericatus & sacerdotii notorie constitutos, & pro talibus, tam per ipsos, quam alios, publice & communiter reputatos, de & super variis criminibus, flagitiis, seu sceleribus, coram ipsis irretitos, seu etiam indictatos, judiciariæ potestatis suæ fines notorie excedentes, & in Christos Domini sibi in causis criminalibus hujusmodi nullo jure subjectos, potestatem indebitam usurpentes, ipsos clericos & sacerdotes, contra sa-

D cros canones & ecclesiasticas libertates, morti turpissime & insolite condemnare, addicere, & effectualiter tradere non verentur, in Dei & sanctæ ecclesiæ irreverentiam, contemptum, & scandalum manifestum, animarumque suarum periculum nimis grave, tam per ipsum regem, & proceres regni sui, quam communitates alias unitas, ibidem objectum fuerat. Et quia sub responsivis coloribus graviter replicatum, quod clerici prætextu sui privilegii, audaciam capiunt fortiorem scelera perpetrandi: cumque ipsi in sceleribus hujusmodi capti, seu saltem veraciter indictati, & de hoc secundum morem regni convicti coram judice sæculari, per prælatos, ordinariosve eorum competentes,

E seu eorum commissarios, debite requisiti, Deo, sanctæ ecclesiæ, & eis sic petentibus, fuerint cum reverentia liberati, ita segniter, quin potius favorabiliter custodiæ & temere committuntur, & in hujusmodi custodia, sic in cibis & potibus lautius procurantur, quod carcer pro eorum flagitiis, eis non cedit ad pœnam, sed magis ad solatium & refocillantiam suorum corporum delicatam. Et propterea cum quies sine labore, tantis adjutoribus suffulta perpere vitia subministrat, plures multotiens per tantam..... ingrassati, & in suis nequissimis cogitationibus dilatati, ab hujusmodi custodia, quasi eis fuisset inimica, ingratissime fugiunt

ANNO CHRISTI 1351.

& recedunt: nonnulli etiam flagitiosi notorii & famosi, de quibus nulla suppetit veritas excusandi, ad purgationes suas procuratas & suspectas adeo faciliter admittuntur, quod cuilibet sic liberato, utplurimum spes firma tribuitur, uno modo vel alio ad vitam pristinam redeundi. Unde sæpe contingit, quod nedum faciliter sic pravati, efficiuntur plus solito nequiores, sed etiam aliis clericis innocentibus, propter facilitates & incurias, & negligentias hujusmodi nimias, incentivum tribuitur delinquendi: ex quo pax regni gravissime violatur. Undè nos præmissa & circumstantias alias in hac parte sollicite ponderantes, timentes insuper, ne abusus potestatis ecclesiasticæ, præsertim qui in regni perturbationem universaliter redundat, in præjudicium & damnum cedere valeat privilegii clericalis: *consilio & consensu fratrum nostrorum* in dicto parliamento præsentium, & procuratorum absentium, de custodia clericorum hujusmodi taliter duximus ordinandum: quod tam fratres nostri, quam alii locorum ordinarii, ecclesiastici judices nostræ provinciæ Cantuariensis, ad quos de consuetudine pertinet hujusmodi receptio & custodia clericorum, clericos sic eis, ut præmittitur, ad carceralem custodiam, ob præmissa, juxta libertates ecclesiasticas, liberatos, & de cætero liberandos, cum bona, stricta, & celeri diligentia, secundum qualitatem personarum, & scelerum gravitatem, studeant facere custodiri: ut sic pœnaliter custoditi, in scandalum ecclesiæ, ad vitam pristinam non redeant. Et si qui clerici taliter liberati, malefactores notorii fuerint & famosi, confessive, seu super feloniis, criminibus, sceleribus, & flagitiis hujusmodi, adeo publice fuerint diffamati, quod sua per eos commissa scelera inficiari nequeant, seu quod eorum a carcere liberatio, ecclesiæ ipsiusque libertati tranquillitative regni, sic evidenter scandalum allatura: tunc in quarta & sexta feriis, & in sabbatis, de pane doloris & aquæ angustiæ semel in die; cæterisque diebus, pane & debili cervisia; die vero Dominica, propter honorem ipsius diei & excellentiam, de pane, cervisia, & legumine, eisdem tantummodo ministretur. Quibus, ex eleemosynarum, vel conjunctorum seu amicorum quorumcumque largitione, seu quovis alio quæsito colore, vel ratione quacumque, nihil amplius tribuatur, nec ipsis aliqua purgatio quomodolibet concedatur.

Si vero aliqui carcerati clerici hujusmodi, innocentes fuerint, vel de maleficiis seu flagitiis sibi impositis aut aliis non suspecti, notorii, seu confessi, vel ut præmittitur, publice diffamati: talem volumus adhiberi cautelam, ut antequam ad eorum purgationem judicialiter procedatur, præmittatur solers inquisitio, per ipsorum ordinarios ecclesiasticos in ea parte competentes judices, de ipsorum vita, fama, gestu, & conversatione, in loco criminis de quo indicati, seu pro quo incarcerati fuerint, & originis eorumdem, suis notis & amicis de inquisitione hujusmodi minime præmunitis. Et si locus criminis vel originis clericorum incarceratorum hujusmodi, in diœcesi ordinarii ecclesiastici judicis, cui fuerint liberati, non fuerit: de vita, fama, gestu, & conversatione dictorum clericorum, ad significationem ordinarii judicis præmissi, in cujus carcere detenti fuerint, judex ecclesiasticus ordinarius loci, criminis prætensi, & originis, inquirere in ea parte, & certificare sibi mittentem & significantem, ut præfertur, suis litteris teneatur. Vobis igitur mandamus, firmiter injungentes, quatenus præmissa omnia & singula, quatenus ad vos attinet, observetis: & ut singuli coepiscopi & suffraganei nostri ea observent, vestris litteris harum seriem continentibus, vice & auctoritate nostra efficaciter injungatis: mandantes, quatenus ipsi confratres citra festum Nativitatis sancti Joannis Baptistæ nos certificent, quid in præmissis duxerint faciendum; vos etiam citra festum prædictum nos reddatis certiores quid feceritis, & facere duxeritis in hac parte. Datæ apud Lambeth, XII. Kalend. Mart. anno Domini MCCCLI. & consecrationis nostræ tertio.

LEGES ECCESIASTICÆ ÆGIDII

Sabinensis episcopi & A. S. per Marchiam legati.

COLLECTORIS PRÆFATIO.

An. 1358.

Ægidius Cardinalis Albernotius, Conchensis, Hispanus, vir generis nobilitate, prudentia, dexteritate agendorum, & scientia clarus, sacra Romana purpura jam ornatus & Sabinensi episcopatu potitus, ditionis pontificiæ in Italia citra Siciliam provincias administrandas ab Innocentio VI. suscepit. In eo regimine hanc curarum potissimam habuit, ut optimis constitutis legibus reipublicæ civilis, & ecclesiasticæ statum componeret. Id enim confusa Italiæ res tunc maxime exigere videbantur, cum omnia sacra æque ac profana miscuisset Ludovici Bavari schisma, & schismati asserendo arma. Accedebat his Fraticellorum hæresis perniciosa, quæ sub obtentu pietatis fidei insidiabatur, nec sine successu. Hæ potissimæ rationes Ægidium suaserunt, ut, quas dixi, constitutiones daret, ecclesiasticæ, & civili rei restituendæ aptissimas; quas ego nactus sum in manuscripto codice membranaceo ab Illustrissimo, & Reverendissimo D. Josepho Palma archiepiscopo Lucano mihi communicato, & anno 1372. nempe post Ægidii obitum quinquennio, exarato. Porro hunc legum suarum codicem sex libris distinxit sapientissimus legislator, ex quibus tertius tantummodo in rebus ecclesiasticis versatur. Unum hunc librum tertium hic dandum censui, cum unus iste præsenti instituto meo serviat, cæteris, civilia tractantibus, omissis, eo plane consilio, quo ex legibus sæcularium Principum ecclesiasticas sanctiones excerpit & passim exhibet Labbeus. Sed, nequid dissimulem, Cardinalis Ægidii leges istæ non ex me primum typis vulgantur; prodierunt enim primum anno 1481. impressæ Perusiis, quacum editione ea contuli, quæ hic e MS. trado, ad oram libri variantibus adscriptis.

CON-

ANNO CHRISTI 1353.

CONSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ ÆGIDII ALBERNOTII CARDINALIS

Apostolicæ S. L. per Provincias ac Terras Ecclesiæ in partibus Italiæ citra regnum Siciliæ consistentibus.

INCIPIT LIBER III. DE CONSTITUTIONIBUS PERTINENTIBUS AD OFFICIUM SPIRITUALIUM.

De officio rectoris, sive auditoris super spiritualibus.

Consuetudo antiqua, cujus non reperitur A initium, & veteres constitutiones successive per rectores, & officiales ecclesiæ confirmatæ, quarum primi non reperiuntur auctores, & exigentia commoda provincialium, qui Metropolitanum non habent, & opportunitas explicandorum negotiorum ecclesiæ, & suorum officialium & summi Pontificis forsan ordinatio, vel saltem tolerantia retroactis temporibus tribuere rectori provinciæ super spiritualibus, qui quandoque auditor vocatus existit, officium late diffusum; adeo quod idem rector sive auditor, ut quilibet ordinarius, de omnibus causis spiritualibus ad forum ecclesiasticum pertinentibus cognitionem & decisionem consueverit exercere, & vice ordinarii fungi in quibuscumque causis civilibus, & criminalibus, & correctionibus delictorum; ordinariorum episcoporum, & aliorum prælatorum locorum suo regimini commissorum causas cognoscere, & eorum supplere negligentiam & defectum; & etiam consueverit cognoscere & terminare causas appellationum ab ipsis ordinariis, & prælatis & quibuscumque clericis, seu eorum sententiis interlocutoriis, & definitoriis & quibuscumque gravaminibus interjectas. Nos igitur, C non videntes evidentem utilitatem mutationis seu revocationis consuetudinis constitutionis hujusmodi, ipsas pro evitatione scandali, & bono publico duximus approbandas.

De officio Judicis super spiritualibus Marchiæ.

Deest in edit. th. Judex super spiritualibus per rectorem, sive auditorem generalem deputatus, sit & esse intelligatur Judex competens & ordinarius in omnibus causis spiritualibus & criminalibus & civilibus ad forum ecclesiasticum pertinentibus, præterquam in iis, quæ sibi a dicto rectore, D sive auditore forent specialiter interdicta, & præterquam in causis appellationum a suis sententiis, sive gravaminibus interpositis, seu interponendis, de quibus dictus rector spiritualium, sive auditor per se vel alium sit cognitor & terminator.

De modo procedendi super spiritualibus causis.

Spiritualium causarum, & omnium pertinentium ad forum dicti auditoris, vel sui judices vel delegati, sive sint criminales, sive civiles, sive appellationum, similis ordo sit in procedendo, & sententiando, sicut determinantur per nostras constitutiones in causis civilibus, criminalibus, & appellationum pertinentibus ad forum sæcularium judicum, seu rectoris temporalis provinciarum.

De excommunicationibus, & interdictis in favorem appellantium, & prosequentium jus suum in nostra curia.

Auditor, & judex super spiritualibus, & quilibet ipsorum, quandocumque ipsi, vel alter ipsorum idem fuerint requisiti per judicem appellationum vel delegatum, coram quo causa appellationis interpositæ ad rectorem, vel suum judicem, aut officialem verterentur, vel pro parte appellante, aut jus suum prosequente coram rectore, vel suis judicibus, teneatur sub pœna excommunicationis in officiales, seu singulares personas, & interdicti in communitates & terras (quas pœnas incurrant ipso facto) mandare omnibus, quod innovata & facta contra dictos appellantes, vel jus suum prosequentes debeant intra terminum per eos assignandum revocare, & ad pristinum statum reducere, & quod ab omni novitate noxia debeant abstinere. B innovatio

De modo deferendi Corpus Christi ad infirmos (b).

(b) ad. & illud referendum

Ut debitæ devotionis occasio circa Corporis C D. N. J. Christi pro redemptione fidelium immolatum omnibus præbeatur, præcipimus, quod quotiescumque idem Corpus D. N. Jesu Christi ad infirmum deferre contigerit in calice vel pixide, vel alio decenti vase ad hoc specialiter deputato cooperto, pulchro, & mundo velamine, Sacerdos veste alba, vel alio habitu decente indutus ambabus manibus ante pectus deferat reverenter ad infirmum ministro clerico, vel in clericali habitu cum campanella, & lumine præcedente. Et id ipsum in reditu observetur, si inde Corpus Domini contigerit reportari. D

Quod missa non celebretur sine lumine de cera.

Item præcipimus, ne quis presbyter absque lumine candelæ de cera missarum solemnia audeat celebrare.

De non celebrando in locis interdictis, & non participando cum excommunicatis.

Item districtius inhibemus, ut nemo audeat celebrare in locis interdictis, aut cum excommunicatis, aut interdictis in divinis adesse officiis, vel aliter cum eis participare contra canonica instituta. E

De

ANNO CHRISTI 1351.

De pœna admittentium publice excommunicatum, vel interdictum.

Item interdicimus, ne quis aliquem publicum excommunicatum vel interdictum cujuscumque conditionis vel status existat, quomodolibet scienter admittat; transgressores autem constitutionis nostræ, cujuscumque conditionis, & religionis existant exempti, & non exempti, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, & aliter rectoris sive judicis spiritualium arbitrio puniatur.

ad. cujuscumque conditionis.

De pœna excommunicati vel suspensi immiscentis sese divinis.

Item si quis excommunicatus, aut suspensus sententiam excommunicationis vel suspensionis contemnens celebrare præsumpserit, aut injecerit sese divinis, decernimus officio, & beneficio præsenti constitutione privatum, & aliter Rectoris arbitrio puniendum.

Ne clerici vadant sine tonsura, & habitu, nec sæcularibus & inhonestis actibus se immisceant.

Item statuimus, & acrius prohibemus, ne quisquam Clericus beneficiatus, aut in sacris existens sine condecenti tonsura & habitu clericali decenti incedat, nec utatur inhonestæ mercationis, vel negotiationis officio, vel taberna, nec in taberna comedat sive bibat, nisi in itinere constitutus; nec ludere audeat ad aleas, vel taxillos publice vel private; contrafacientes vero judicis arbitrio puniantur.

Ne clerici fœnerentur.

Item interdicimus, ne quisquam clericus per se vel alium, publice, vel occulte ad usuras, seu caput salvum pecunias mutuet, nec aliquid aliud faciat, vel concedat, ex quo possit ultra sortem percipi, vel iterum fœnerativum pervenerit.

(deest in editis.)

Ne usurarii absolvantur, vel ecclesiastica gaudeant sepultura sub certa forma.

Item præcipimus, ut nullus publice usurarius, & in mortis articulo absolvatur, ac etiam ecclesiastica gaudeat sepultura, nisi prius eos, a quibus usuras extorsit, & quantitatem extortam juramento proprio manifestet, & primo etiam ab eo idonea cautio exigatur de restituendis vel remittendis usuris iis, a quibus eas extorserit, vel fraudolenter sibi promitti fecerat juxta tenorem felicis recordationis D. Gregorii papæ X. editæ in concilio Lugdunensi; præcipientes insuper ecclesiarum prælatis, ut constitutionem ipsam frequenter in ecclesiis, & prædicationibus publicent, eam, quam diligenter a faciant observari.

De pœna clericorum tenentium publice concubinam.

Item interdicimus omnibus clericis & religiosis, præsertim in sacris ordinibus constitutis, concubinas, vel focarias habere, retinere, vel habere publice. Qui vero contra fecerit, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto, aliter sic gravatus puniatur, quod pœna docente cognoscat, quam grave sit hoc crimen in clericis, & enorme.

ANNO CHRISTI 1353.

De pœna clerici arma portantis.

Item interdicimus omnibus clericis, & religiosis personis in civitatibus, castris, vel villis arma portare; & si quis contra fecerit, tribus florenis aureis pro vice qualibet puniatur, & arma amittat.

Ne clerici post tertium sonum campanæ incedant.

Item, cum non solum a malo, verum & a specie mali præcipiat Apostolus abstinere, interdicimus eisdem clericis, ne post pulsationem campanæ cujuslibet loci de nocte, absque maxima rationabili causa, & necessaria per terram incedant; sicut nec laicis cujuslibet loci licet; contra facientes rectoris arbitrio puniantur.

De hora celebrandi matutina.

Item districte omnibus ecclesiarum rectoribus & ministris præcipimus, ut in ecclesiis sibi commissis matutinum officium saltem compleant in aurora, excepto specialiter dumtaxat paschali tempore, quod sufficiat illud perfici orto sole.

De pignorantibus varia sacramenta vel ordinamenta *ecclesiastica, & recipientibus ea pignori.*

ornamenta sic etiam infer.

Item interdicimus etiam, ne quisquam calicem, patenam vel crucem, turibulum vel sacerdotalia indumenta vel librum ecclesiasticum, aut quævis alia ecclesiastica ordinamenta pignori obliget vel obligare præsumat; alioquin mutuans, quæ mutuaverat amittat, & pro delicti quantitate obligans puniatur.

Ne clerici assumant officium communis, nec exerceant advocationem in foro sæculari, & de pœna admittentium eosdem.

(deest in edit.)

Item statuimus, quod nullus clericus in sacris ordinibus adsumat officium communis, nec sit consiliarius, nec statutarius, nec advocationis, nec procuratoris, aut sindicatoris in foro sæculari officium faciat, nec adsumat, nisi pro ecclesia, & miserabilibus personis, sub pœna excommunicationis, quam contrafacientes incurrere volumus ipso facto; prohibentes potestatibus, judicibus, & aliis officialibus, quod eos ad prædicta non admittant sub pœna similiter incurrenda.

statuarius

Ne clerici recipiant contractus in fraudem coltarum, & de pœna contrafacientium.

Item prohibemus, & interdicimus, ne aliquis clericus a patre, a fratre, vel quibuscumque recipiat emptiones, donationes vel alias cessiones in fraudem terræ, & communis unde est; & ut propter hoc commune terræ suæ fraudetur in daciis, & *coltis*, quas debet, & solitum est percipere de bonis prædictis. Contrafacientes, & fieri facientes sententiam excomunicationis incurrant, & cessiones & contra-

collectis

☞ tractus ejusmodi non valeant nec teneant ipso jure.

ANNO CHRISTI 1353.

De pœna sustinentium sententiam excommunicationis, vel interdicti animo indurato ultra certa tempora.

Si qua communitas sententiam excommunicationis in potestatem, rectorem, consiliarios, vel officiales suæ terræ occasione suorum officiorum per rectorem, vel legatum Romanæ ecclesiæ, vel judicem in spiritualibus, aut episcopos prolatam, aut etiam interdicti sententiam in terra ipsa promulgatam spatio duorum mensium sustinuerit indurato animo, communitas, vel universitas MC. florenos auri; rector sive potestas civitatis vel universitatis MXXV. ac quilibet alius officialis X. florenos auri civiliter condemnetur. Singularis vero persona, quæ excommunicationis sententiam a suo judice promulgatam per idem tempus sustinuerit, nec cum effectu petierit se absolvi, si comes vel baro fuerit C. florenorum auri, si nobilis alius XXV. si plebeus X. florenorum auri pœnis se noverit subjacere. Quod si forte præmissæ universitas vel singulares personæ per alios duos menses sustinuerint animo obstinato, pœnæ prædictæ in singulis duplicentur, & graviter judicum arbitrio puniantur, si tempore prolixiore in sua duritie contumaciter duxerint persistendum.

Quod quilibet episcopus habeat procuratorem in curia generali.

Quia nonnulli episcopi, prælati, universitates, provinciæ, & eorum officiales se a processibus, condemnationibus, seu sententiis spiritualibus, quos, & quas a nobis seu rectore vel nostra curia contra subditos, & universitates, ut pro ipsorum exigant impietatum demerita, promulgari contigerit, excusare pro crassa & supina ignoratione moliuntur, ac frequenter propter insultum guerrarum, & rebellionum discrimina fragrantia commode eisdem episcopis nequeunt interminari; nos volentes prædictis per debita juris remedia obviare, hac constitutione irrefragabili decernimus, & ordinamus, ut prædicti episcopi, & eorum capitula ecclesiis vacantibus, & plebani & prælati locorum insignium procuratorem, seu officialem sindicum constituere in curia rectoris provinciæ teneantur, continue ibi moraturum. Denique rector intra mensem a prætentis constitutionis tempore præsentet per quem, seu quos prælatis, episcopis, capitulis, & eorum officialibus processus, & ordinationes commemoratæ sententiæ debeant, & valeant intimari; ipsosque episcopos, capitula, plebanos superius nominatos, considerata locorum distantia, & ipsorum qualitate, perinde teneri ad observationem & ordinationem dictarum sententiarum, seu processuum prædictorum, postquam in nostra curia fuerint publicati, ac si eisdem forent personaliter præsentati. Qui episcopi & prælati debeant intra unum mensem a die publicationis præsentis constitutionis, prædictæ constitutionis copiam sibi fieri facere, & habere.

ANNO CHRISTI 1353. Deest in editis.

Quod episcopi, & cæteri prælati religiosorum etiam exempti teneantur servare excommunicationes, suspensiones, & interdicta de privilegio papæ circa prædicta

Item quoniam conscientiæ præsumptuosa temeritas quorumdam animos sic tenebrose occupat, & invadit, sic mentem obnubilat eorumdem, ut veritate, ac ratione postpositis, arbitrii, & propriæ voluntatis propositum sequi volint, sicut in plerisque religiosis, & ecclesiasticis personis contingere cognovimus ab excepto dum & per rectorem seu auctoritate nostra contra contumaces, inobedientes, atque rebelles S. R. E. atque nostras, eorumque demeritis exigentibus, atque culpis excommunicationis in personas, suspensionis, interdicti, & universitates, atque collegia sententiæ promulgantur, quanquam dictæ sententiæ publice sic prolatæ plerique religiosi, & ecclesiastici, sic ipsorum obnubilantur mentes & animus, quod prædictas sententias non observant ad eorum executionem causam frivolam prætendentes. Quidam enim ad sententiarum prædictarum observantiam privilegio non teneri. Quidam vero crassam, & supinam ignorantiam allegant, & dicunt prædictas sententias non pervenisse ad notitiam eorumdem, quod absurdum, & inexcusabile esse dignoscitur, cum non sit necesse singulorum moribus inculcari, quod tam publice & solemniter publicatur, seu promulgatur, ex quo quot, & quanta resultent animarum pericula, & subditorum discrimina nemo sanæ mentis ignorat. Justitia nempe ex prædictis turbatur *quia nervis* ecclesiasticæ disciplinæ delinquentibus peccandi audacia tribuitur, & in turbatione status pacifici, & tranquilli, provinciarum, & subditorum periculum, & discrimen nostra jurisdictio & exequutio non absque apostolicæ sedis, & nostri contemptu in diversis casibus multipliciter impeditur, & licet ad obviandum prædictis malis, & fraudibus multa sint adinventa remedia, propter quæ possemus temeritatem compescere prædictorum; tamen SS. Pater & dominus Johannes Papa XXII. ad malitias & dolositates hujusmodi compescendas concessit litteras in hac forma.

excusationem.

rapiturque modus.

Johannes episcopus servus servorum Dei dilecto filio Amellio præposito Bellimontis præpositum solitum gubernari ordini S. Augustini Vallion diœcesis capellano nostro, & Marchiæ Anconitanæ rectori salutem, & apostolicam benedictionem. Sicut ad nostri apostolatus pervenit auditum prædicatorum minorum hæremitarum S. Augustini, & aliorum mendicantium, & non mendicantium ordinum fratres, ac nonnulli etiam ecclesiastici seculares, & aliæ personæ ecclesiasticæ in terras provinciæ Marchiæ Anconitanæ, & aliarum terrarum tuo regimini concessarum constituti excommunicationis, & interdicti sententias per te latas dicentes ad ipsarum observationem aliquatenus non teneri, observare contemnant, propter quod tua jurisdictionis executio non absque nostro & apostolicæ sedis contemptu in diversis casibus multipliciter impeditur. Nos igitur volentes in hac parte de opportuno remedio providere, compellendum prædictos fratres ecclesiasticos & personas cujuscumque status existant, & quemcumque locum seu prælaturam vel officium obtinere noscantur etiam & conventus ipsorum, & ecclesiasticas personas easdem ad observandum invio-

ANNO CHRISTI 1357.

vidlabiliter sententias supra dictas excommunicationis in personas & interdicti sententias in conventum & ecclesias ac loca ipsorum, quibuscumque privilegiis, indulgentiis, & litteris apostolicis generalibus & specialibus eis, & ipsorum aliquibus, & ordinibus eorumdem sub quacumque forma verborum concessis *tua jurisdictio impediri possit in hac parte quomodolibet vel differri*; per quæ nullum in hac parte volumus afferri suffragium nequaquam obstantibus plenam & liberam tibi concedimus tenore præsentium facultatem. Cum igitur tam in officio ordinariæ potestatis, quam ex prædictarum auctoritate nostra teneamur prædictis fraudibus obviare, & quantum possumus ipsas compescere & punire, auctoritate qua fungimur in hac parte præsenti edicto monemus omnes episcopos priores, provinciales locorum fratrum prædicatorum, ministros custodes guardianos fratrum minorum, priores provinciarum locorum fratrum hæremitarum, & omnes fratres & conversos prædictorum ordinum in provinciis Marchiæ constitutos, & omnes & singulos abbates, præpositos & plebanos & universarum ecclesiarum rectores per dictam provinciam constitutos, exemptos, & non exemptos cujuscumque ordinis, præminentiæ, seu status existant; eisque præcipimus & mandamus sub pœna ingressus ecclesiæ, episcopis tamen cum reverentia, excommunicationis in personas ceterorum prædictorum, & suspensionis in capitula & collegia, & interdicti servandi in ecclesiis eorumdem, quatenus sententiam per nos seu auctoritate nostra publice in nostro auditorio contra aliquam civitatem, castrum, terram seu universitatem, vel specialem personam latam occasione rebellionis assumptæ intra XV. dies a promulgatione ejusdem sententiæ in prædictis civitatibus, castro, seu terra unde unusquisque in civitate, communantia, sive castro sic interdicta & interdicto, in quo vel quibus ipsorum vel alterius eorum sive ecclesiæ dignoscantur, teneantur inviolabiliter observare, ac denunciare observari; excommunicates vero occasione prædicta ubicumque & infallibiliter teneantur per se vel alium ex prædictis causis denunciare, publice subjacere excommunicationis vinculo, eosque evitare & facere evitari juxta canonicas sanctiones, quem tamen eis pro primo, pro secundo & tertio ultimo & peremptorio termino assignamus, aliquin ipsos prædictam sententiam ingressionis ecclesiæ, suspensionis & interdicti, quam in eos canonica monitione præmissa proferimus in his scriptis, ipsos incurrere volumus ipso facto.

Deest medi

Quod notificatio sententiæ excommunicationis & interdicti possit fieri per edictum.

Quia multoties illi, contra quos per auctoritatem seu judicem super spiritualibus generalem, vel eorum *commissione seu concessione* proferuntur sententiæ excommunicationis vel interdicti tales sententias vilipendunt, sub prætextu ignorantiæ per eos fit seu allegatur; statuimus, quod quotiescunque dictis perferentibus dictas sententias, vel eorum in officio successoribus videbitur, possit per edictum publice apponendum ad januas palatii vel audientiæ curiæ generalis judicum fieri notificatio talium sententiarum excommunicationum seu interdictorum, talis notificatio perinde valeat, & ad observantiam dictarum sententiarum arctet, ac si personaliter ipsis excommunicatis & interdictis, & illis quorum interest talis notificatio facta est.

ANNO CHRISTI 1357.

Quod inquisitores non procedant facile, nec cum colore quæsito contra aliquem non hæreticum, nec de crimine quod de hæresi non saperet manifeste nec Cruce signet.

Deest in edit.

Item volentes splendorem negotii fidei, quod summam puritatem exposcit, per actus quorumvis inquisitorum hereticæ pravitatis ut indiscretos & improbos tenebrosi fumi caligine obscurari, & per ipsorum inquisitorum avaritiam, vel quamvis aliam insolentiam linguis loquentium denigrari, & desiderantes hujusmodi detestandi criminis perniciosa labe respersos sic per diligentem inquisitionem & debitam *animadversionem* de medio fidelium extirpari, quod per inquisitores, & ipsorum malitias vel imperitias status & fama fidelium & innocentum non lædatur, auctoritate prædicta statuimus & ordinamus, quod in quacumque provincia constituti, & vicarii ab eis vel provinciali deputati ministri sic diligenter inquisitores hæreticæ pravitatis officium suum exerceant, & contra suspectos vel diffamatos de hæresi, postpositis odio, amore, prece, pretio vel favore procedant, quod se de cognitione, indagine, pronunciatione, vel quovis alio processu quorumcumque aliorum criminum nullatenus intromittant; nec alia crimina, quæ hæresim non saperent manifeste, ad crimen hæresis, ut per hoc de ipsis possint recognoscere, retorqueant volutantem seu reducant, nec alicui vel aliquibus crimen hæresis falso imponant, vel imponi ab aliis permittant. Signum venerabilis Crucis nulli, nisi quatenus eis ex speciali licentia apostolicæ sedis, de qua prius rectori fidem faciant, hoc liceret, non imponant alicui nec ablignent, & ubi auctoritate apostolica Cruce signarent, sicut de jure non possunt prædictis Cruce signatis, nec aliis aliquibus concedere, quod tempore interdicti auctoritate apostolica vel quacumque alia vice appositi possint interesse divinis, nec eos ab aliis a suis peccatis, nec a sententia excommunicationis a canone vel ab homine lata, præterquam per eos, vel prædecessores, vel vicarios suos prolata absolvere, nec aliquibus super irregularitate quovis modo contra quomodolibet dispensare, neque privilegia aliqua concedere vel indulgentias dare, nisi in casibus, quibus ipsis a sede apostolica est concessum; neque sine ordinariis vel eorum Vicariis compositionem seu transactionem, quæ in locum succedit sententiæ, cum delatis facere, nec etiam cum episcopo seu vicario, nisi publice & de consilio peritorum, nec in fraudem aliquos in suam familiaritatem, ut per hoc possint arma portare, possint recipere, nec aliqualiter jam receptos retinere. Et ut tollatur fraudis suspicio, & ut inquisitores precum importunitates vitent, quemlibet inquisitorem & vicarium ultra octo personas in talem familiaritatem sine rectoris provinciæ licentia non possint recipere vel habere, quorum octo nomina ipsi rectori in scriptis, antequam possint impune arma portare, tradere teneantur. Quod si prætati inquisitores vel vicarii præsentis constitutionis fuerint transgressores, ex

Deest in edit.

voce

cedentes directe vel indirecte in prædictis vel aliquo prædictorum, vel in contrarium temere venientes, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto, & minister provinciæ super hoc summarie informatus, remoto ab inquisitionis officio hujusmodi delinquente, immediate alium substituere teneatur; nec talis hac causa amotus honorem, administrationem, vel officium in suo ordine valeat obtinere.

ANNO CHRISTI 1353.

CONCILIUM HISPALENSE

ANNO CHRISTI 1352.

Præside D. Nuntio Archiepiscopo celebratum.

Ex Card. de Aguir. Concil. Hispan. tom. 3. p. 617.

ANno Christi 1352. celebratum fuit Concilium Hispali a D. Nunio Archiepiscopo, cujus meminit in schedis suis doctor Joannes Torres de Alarcon, & recenter d. Didacus Ortiz de Zuniga, eques Hispalensis, in Annalibus Ecclesiasticis ejus urbis, ad annum prædictum. Canones illius videntur non extare: solumque deprehenditur, in eo cautum fuisse, ne compatres in baptismo essent plusquam quatuor; & ne locus de cætero esset quibusdam abusibus introductis in matrimonio.

VITA INNOCENTII PAPÆ VI.

INnocentius VI. ait Trithemius, natione Lemovicensis, vir bonus & amator religiosorum, & canonista maximus, qui Carolum imperatorem postea coronavit, successit Clementi, decimo sexto Kalendas Decembris anni 1352. tempore Caroli IV. imperatoris, Stephanus antea vocatus, ex episcopo Claromontano & cardinali pontificatum adeptus, multas reformationes per prædecessores suos illatas abrogavit. Prælatis & beneficiatis, ut in suis locis residerent, injunxit: impensas aulæ suæ familiamque imminuit. Domi suæ non alios vitos quam perititissimos alere voluit, idemque cardinalibus ut facerent præcepit. Palatii auditoribus stipendia constituit, ne se præmius corrumpi paterentur. In Italiam misit Ægidium Hispanum cardinalem, qui rebus Italicis sua præsentia magnum adjumentum attulit. Interea temporis, quo Franciscus Baroncellus senatoriam dignitatem Romæ sibi usurpaverat, pontifex Nicolaum Rentii e carceribus eductum libertate donavit: ut altero alteri opposito, inter se contenderent, donec sibi ipsis perniciem atque interitum inferrent. Tumultibus & dissensionibus invalescentibus, regem Cypri senatorem a se factum eodem misit, ut quosdam, qui se reipublicæ reformatores vocitabant, opprimeret. Cum vero pacem inter Gallos & Anglos omnibus nervis in vanum componere studeret; mortem oppetiit pridie Idus Septembris, anno 1362. cum sedisset annis novem, mensibus octo, diebus sex. Vir fuit juris civilis & canonici peritissimus, sinceræ vitæ & magnæ constantiæ: beneficia nullis nisi sufficienter doctis contulit. Hujus temporibus, inquit Silvius, Joannes Wiclefus hæresiarcha, quia non potuit consequi episcopatum Vigoniensem, in Anglia sua dogmata evomere cœpit, & composuit plusquam ducenta volumina librorum, quibus præter suos, Marcionis & Manichæorum errores immiscebat.

INNOCENTII VI. EPISTOLA

ad Cantuar. & Eborac. archiepisc.

De celebrando festo S. Augustini in Anglia.

Ex tomo II. collectionis Anglicanæ.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, Cantuar. & Eborac. archiepiscopis, salutem & apostolicam benedictionem.

DEcet amicos Christi fideles illos in terris summæ devotionis studio venerari, quos omnipotens Dominus perpetuæ corona gloriæ in cælo magnificat: & ibi præcipue ipsorum laudes attollere, ubi per gloriosum laborum suorum fructum, majora coruscant insignia meritorum. Hoc itaque attenta consideratione pensantes, decens & congruum reputamus, ut gloriosus confessor beatus Augustinus, qui olim missus per sedem apostolicam ad gentes Anglorum, nondum tunc baptismatis unda renatas, eas de infidelitatis tenebris, ad lucem catholicæ fidei per prædicationis ministerium evocavit, primusque in Anglia erexit ecclesiam, specialiter in illis partibus honoretur. Ex hoc namque ibidem populorum crescet devotio, ac ille qui glorificatur in sanctorum concilio, benignius preces respiciet devotorum. Ut igitur ipsius confessoris festivitas in dictis partibus, quæ, sicut accepimus, vix aut minus in regno Angliæ celebriter colitur, solemnius & devotius veneretur, fraternitati vestræ, de qua specialem in Domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus festivitatem confessoris ejusdem in omnibus ecclesiis dicti regni, exemptis & non exemptis, faciatis auctoritate nostra perpetuis futuris temporibus sub duplici officio solemniter celebrari; & nihilo minus in dicta festivitate cessari a mecha-

chanicis & aliis operibus interdictis in festis duplicibus, de more, consuetudine, seu observantia ecclesiarum partium earumdem.

Datæ Avinioni VII. Idus Februarii, pontificatus nostri anno tertio.

Ejusdem ad prælatos Angliæ.

De celebrando festo S. Eduardi regis.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus ..... archiepiscopis & episcopis, & dilectis filiis, abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis, & aliis ecclesiarum prælatis, tam exemptis quam non exemptis, per regnum Angliæ constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

MIrabilis Deus in sanctis suis apparet quotidie, ac ultra quam dici valeat gloriosus, cum in eis mira prodigia, & signa magna in universis mundi partibus operatur; ipsosque, utpote suæ Divinitatis participes, faciat coruscare miraculis, & Divinis laudibus insigniri, quibus, cum intercessores grati animum judicis placare & inclinare soleant, tanto potius honor & reverentia est ab universis, & singulis exhibenda, quanto ipsi tanquam propinquiores & magis ac magis accepti, possunt pro nobis jugiter intercedere apud Deum. Cum igitur sanctus Eduardus rex, gloriosissimus Christi confessor, præ multitudine miraculorum, quæ suis meritis Divina potentia operatur, haberi debeat ab omnibus Christi fidelibus in magna reverentia & honore: nos ipsum habere patronum & pugilem cupientes, ejus festum, quod singulis annis cum devotione ac solemnitate celebrare proponimus, Kalendario ecclesiæ Romanæ fecimus annotari. Quia vero in partibus Angliæ debet eo celebrari solemnius, quo tota illa terra ejus præsentia illustratur: universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente, ac per apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus idem festum annuatim cum venerit, ob reverentiam ejusdem sancti, celebretis solemniter & devote, ac faciatis a vestris subditis celebrari. Datæ Lugduni, VII. Idus Januarii, pontificatus nostri anno sexto.

Innocentii Papæ VI. declaratio super statutis Benedicti XII.

Ex Bull. mitell. tom.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Sedis apostolicæ providentia circumspecta quietem & pacem diligenter prosequens subditorum, ea quæ in ordinationibus suis dubia videntur, ne lites & jurgia pariant, libenter dilucidat & declarat. Dudum siquidem felicis recordationis Benedictus Papa XII. prædecessor noster in constitutionibus per eum circa statum monachorum nigrorum salubriter editis inter cætera statuit & etiam ordinavit, quod in ordine seu religione dictorum monachorum nigrorum in singulis provinciis per eum in eisdem constitutionibus designatis seu deputatis fieret in loco ad hoc deputando de triennio in triennium, salvo jure diœcesanorum Pontificum, commune seu provinciale capitulum Abbatum & Priorum Abbates proprios non habentium, aliorumque Priorum Ecclesiarum cathedralium ipsius ordinis seu religionis, vel aliorum majorum in ipsis Ecclesiis post Antistites earum existentium, quocumque nomine nuncuparentur, cæterorumque prælatorum Abbates proprios, ut præfertur, non habentium, exemptorum seu etiam non exemptorum, ordinis seu religionis ejusdem, ad quod quidem capitulum, justo impedimento cessante, prædicti Abbates, priores, prælati alii conveniant universi, ut circa id ac reformationem ordinis seu religionis hujusmodi & observantiam regularem adimplere studeant quæ in eisdem constitutionibus explicantur, decernens Priores Ecclesiarum cathedralium ordinis seu religionis ejusdem, aut majores in ipsis Ecclesiis post earum Antistites existentes, ac post ipsos antistites regularem curam monachorum habentes, quocumque nomine censeantur, ad conveniendum in ipsis capitulis provincialibus sub modis & pœnis in eisdem constitutionibus designatis, eosque forte sub dictorum capitulorum provincialium distinctionibus, correctionibus, & ordinationibus inclusos & etiam comprehensos, & ad illas sub pœnis, quas dicti præsidentes eis ducerent imponendas, per ipsos præsidentes auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam, & alias opportuna remedia, sublato appellationis obstaculo, compellendos. Et insuper statuit & ordinavit quæ circa præsidentes ac visitatores in eisdem capitulis deputandos, & alia omnia in eis exequenda ita ferventur, quæ in generalis Concilii ac felicis recordationis Honorii Papæ III. nostri iusque prædecessoris constitutionibus expressius continentur, servatis tamen ipsius Benedicti constitutionibus antedictis adjectionibus ac modificationibus, quæ comprehenduntur in eis. Ac etiam ordinavit, quod in hujusmodi capitulo primitus celebrando & semper in antea successive præsidentes singulis capitulis celebrandis, seu major pars eorum provideant & ordinare procurent, per quam in sequenti capitulo sermo fieri, Missaque debeat celebrari, & eligant locum pro celebrando alia vice proxima præfato capitulo, & qui præsidentes debeant in eodem, & sic in antea fiat in provincialibus capitulis successive, quodque ipsorum præsidentium potestas de uno provinciali ad aliud provinciale capitulum habeant perdurare, prout in eisdem ipsius Benedicti constitutionibus plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis pro parte dilecti filii Thomæ Abbatis monasterii sancti Albani ad Romanam Ecclesiam nullo modo pertinentis ordinis sancti Benedicti Lincolniensis diœcesis petitio continebat, a nonnullis versatur in dubium, an ea quæ de Prioribus Ecclesiarum cathedralium in eisdem caventur constitutionibus, in Prioribus Ecclesiarum metropolitanarum debent observari, & decedentibus hujusmodi præsidentibus vel aliquo eorum infra tempus quo hujusmodi eorum potestas erat, ut præmittitur, duratura, qui in præsidentes succedant hujusmodi potestate, nos ad præmissa tollenda dubia volumus, & tenore præsentium auctoritate apostolica declaramus, quod omnia & singula quæ de Prioribus ipsorum Ecclesiarum cathedralium in eisdem constitutionibus exprimuntur, ad Priores etiam ipsarum metropolitanarum Ecclesiarum extendantur, & in eis etiam observentur, quodque in casu quo omnes præsidentes hujusmodi morti contigerit, etiamsi ad præsidendum propriis eorum nominibus electi existerent, succedentes eis in eorum dignitatibus in præmissa succedant præsidentia po-

potestate. Si vero aliquam vel aliquos ex ipsis præsidentibus supervivere contigerit, nunc omnis potestas hujusmodi in eisdem superstitibus seu superstite per tempus prædictum in solidum remaneat & perduret. Nulli ergo &c. nostræ voluntatis & declarationis infringere &c. Datum Avinioni x. Kal Augusti, pontificatus nostri anno primo.

SYNODICUM NICOSIENSE.

Codicem nacti summis optimum Nicosiensium constitutionum: quo quia concilia nonnulla continentur multorum annorum, & jam editis, moxque edendis, partim priora, partim posteriora, hoc cum loco edendum censuimus.

Ex Coletti Append. Tom. XI.

Incipiunt Constitutiones Ecclesiæ Nicosiensis.

I. Ut synodus bis in anno celebretur.

Quoniam sacris est canonibus institutum, ut bis in anno episcopi synodum, seu episcopale concilium celebrent, in quo honestati morum & correctioni excessuum præcipue intendatur: quia sicut scriptum est, sive plectendo, sive ignoscendo, hoc solum bene agitur, ut vita hominum corrigatur: præcipimus omnibus presbyteris, diaconibus & subdiaconibus Latinis, in Nicosiensi civitate vel diœcesi commorantibus, ut quolibet anno, sine alia citatione, in sexta feria post octavam Epiphaniæ, & in feria quarta post octavas Pentecostes, veniant ad synodum: quod concedente domino in Nicosiensi ecclesia celebrabitur diebus prædictis. Si quis autem venire contempserit, vel impeditus legitime, & se per litteras aut certum nuntium non excusaverit, acriter punietur.

II. Ut honeste veniant ad synodum.

Venientes vero, in incessu, habitu, & conversatione, honeste se habeant: suspecta hospitia & consortia evitantes, si canonicam voluerint effugere ultionem.

III. De ordine servando in synodo.

Die vero synodi, mane ad majorem ecclesiam conveniant, ita quod nullus desit pulsatione finita. Si quis vero tunc defuerit, punietur. Intrent autem omnes in honesto habitu, videlicet in hyeme superpellicio vel cappa clausa aut chorali; in æstate vero, in superpellicio tantum. Sedeant etiam in locis, suis ordinibus & personis decentibus, in quiete & silentio auscultantes ea, quæ ibidem dicentur aut statuentur, nullum strepitum in loco benedictionis facientes, quia hoc non possemus æquanimiter tolerare. Nec audeat aliquis exire synodum ante finem; nisi hoc fecerit corporis necessitate pulsatus.

IV. De moribus & vita clericorum.

Et quia clericorum moribus corrigendis & reformandis præcipue intendere nos oportet, utpote qui debent esse speculum seu vivendi regula laicorum: sacris canonibus concordantes præcipimus, ut continenter cuncti vivant, & maxime in sacris ordinibus constituti, ab omni libidine præcaventes, & præcipue ab illo nefando vitio, pro quo ira Dei in filios diffidentiæ venit: quatenus in conspectu Dei omnipotentis puro corde ac mundo corpore valeant ministrare. Alioquin, prout in eadem constitutione sequitur, punientur. Dignum est enim, ut quos Divinus timor a malo non revocat, temporalis saltem pœna cohibeat a peccato.

Later. IV. cap. 29.

V. Ut clerici abstineant crapula.

A crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abstineant, unde vinum sibi temperent & se vino, nec ad bibendum quispiam incitetur, cum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incendium. Si quis vero super his se culpabilem exhibuerit, ut in hac * constitutione legitur, punietur.

* Later. IV cap. 15.

VI. Ut non cohabitent cum mulieribus.

Sed nec cum mulieribus aliquibus commorentur, aut eisdem cohabitent: quia non solum suspecta est ejusmodi cohabitatio, verum & periculosa. Non enim, (ut ait beatus Hieronymus) tutum est vicino serpente dormire: nam etsi non mordeat, sollicitat tamen. Si quis autem contra fecerit, aut incontinenter vixerit, vel de hoc diffamatus fuerit, sive conversari vel confabulari repertus cum ea, de qua antea per superiorem monitus extiterat & correctus: pœnis scriptis in canonibus subjacebit, vel aliis in legatorum constitutionibus declaratis, prout secundum delicti quantitatem & qualitatem, locorum & temporum congruentiam, superiori visum fuerit expedire.

VII. Ut non eant ad moniales sine licentia.

Monasteria etiam sanctimonialium si quisquam clericus sine manifesta & rationabili causa, & de nostra licentia speciali, adire præsumpserit: pœnæ canonis subjacebit, & alii superioris arbitrio infligendæ.

VIII. De vita & honestate clericorum.

Item clerici commercia vel officia sæcularia non exerceant, maxime inhonesta, mimis, joculatoribus, & histrionibus intendentes: & tabernas prorsus evitent, nisi causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. Coronam & tonsuram habeant congruentem, & se in ecclesiasticis officiis & aliis bonis studiis exerceant diligenter. Clausa deferant de super indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda, pannis rubeis vel viridibus, necnon manicis aut sotularibus consutitiis vel rostratis, frenis, sellis, pectoralibus & calcaribus deauratis, vel aliam superfluitatem gerentibus, non utantur. Cappas manicatas ad Divinum offi-

Later. IV. cap. 16.

officium intra ecclesiam non gerant: sicut nec alibi qui sunt in sacerdotio vel personatibus constituti, nisi justa causa timoris exegerit habitum transformari. Fibulas omnino non ferant, nec corrigias, auri vel argenti ornatum habentes, sicut nec annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis.

IX. *De iis, qui ministrare possunt Divinis.*

Sacerdotum præterea filii patribus in Divinis officiis non ministrent: nec cum eisdem curam animarum habentibus, vel nostræ ecclesiæ, aliisiis existentibus, commorentur. Insuper omnibus sacerdotibus prohibemus districte, ne laicos vel mulieres ad ministerium altaris admittant: sed clericum habeant in tonsura & habitu condecenti.

X. *Ut servetur canon*, Omnis utriusque sexus.

Quia vero sententia a non suo judice lata non tenet, prohibemus districte, ne quis sacerdos non curatus, aut nostram non obtinens licentiam, in civitate Nicosiensi aut diœcesi, confessiones audiat, solvat, aut liget, nisi necessitatis inevitabilis articulus hoc exposcat. Ex hoc enim decipi contigit fideles, præsumptiones crescere atque scandala, & clavium provenire contemptum. Itaque omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti; & injunctam sibi pœnitentiam pro viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ sacramentum: nisi forte de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum; alioquin & vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam ex ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti justa de causa voluerit sua confiteri peccata: licentiam prius postulet & obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ipse illum non possit solvere vel ligare. Sacerdos autem sit discretus & cautus, ut more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati: quibus prudenter intelligat, quale ei debeat præbere consilium & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum. Caveat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem: sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat. Quamobrem qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decrevimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.

Later. IV. cap. 21.

XI. *De iis, quibus clerici confiteri debent.*

Volumus etiam, ut omnes clerici tam civitatis quam diœcesis Nicosiensis, exceptis personis, canonicis, & aliis clericis majoris ecclesiæ, confessori uni vel pluribus, quos ad hoc deputabimus, sua confiteantur peccata; & ut cura diligens adhibeatur circa illos, qui semel in anno sua neglexerint confiteri peccata: & ut circa eos servetur pœna constitutionis prædictæ.

XII. *Ut infirmi prius provideant animæ, quam corpori.*

Cum corporalis infirmitas sæpe proveniat ex peccato, dicente Domino languido, quem sanaverat: *Vade, & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*: moneantur subditi, ut statim in principio infirmitatis, cum infirmus compos est mentis, advocetur medicus animarum, & facta confessione de peccatis integre, recipiatur salus mentis & corporis Eucharistiæ sacramentum. Vocatus autem sacerdos ad infirmum, sine mora vadat ad eum: quia si propter ejus moram, aut defectum aliquid sinistrum contingat, gravissime punietur. Moneantur etiam laici, ut tempestive, de die videlicet, & antequam multum gravetur infirmus, sacerdotem requirant, ne eorum culpa infirmus sine confessione aut viatici perceptione decedat: quia qui in hoc culpabilis fuerit, gravissimè peccat, & acrius punietur.

Later. IV. cap. 11. Joan. 5.

XIII. *Ut pro corporali salute nihil suadeatur ægroto in periculum animæ.*

Cum autem anima sit multo pretiosior corpore: sub interminatione anathematis prohibetur, ne quis pro corporali salute aliquid ægro suadeat, quod in periculum animæ convertatur. Unde qui Christianus videri & esse voluerit, sortilegos fugiat & divinos, ne esse de schola diaboli comprobetur.

Later. IV. cap. 21.

XIV. *Ut nemo utatur medico infideli.*

Prohibemus etiam districte, ne quis Christianus sanus aut infirmus medicum advocet infidelem, Judæum videlicet aut Saracenum: sed nec ab eo, vel de ejus consilio medicinam aliquam recipiat, quia hoc pia consideratione in sacris canonibus prohibetur. Nam ex hoc contingit nostram fidem haberi despectui: cum ipsi Judæi vel Saraceni, hujusmodi Christianorum uti ministerio dedignentur, & reputent propter hoc offendere suam legem.

XV. *Ut hæretici omnes denuncientur excommunicati.*

Denuncientur etiam frequenter excommunicati ipso jure omnes hæretici, quocumque nomine censeantur: & quod hæretici sunt omnes illi, qui de sacramentis ecclesiasticis aliter credunt aut prædicant, quam Romana ecclesia prædicat & observat: & qui Romanam ecclesiam non credunt esse omnium ecclesiarum caput atque magistram, ac dominum papam successorem esse beati Petri, & in terris vicarium Jesu Christi. Insuper & hi Christiani, qui vendunt ferrum vel lignamina Saracenis, vel qui in Saracenorum piraticis navibus aut aliis vasis regimen aut curam gubernationis exercent, vel quocumque officio utuntur in eis.

XVI. *De*

XVI. *De contrahentibus clandestina matrimonia.*

Illi etiam denuncientur frequenter, qui clandestina matrimonia contrahunt, vel eis interfunt, vel consilium aut auxilium ad hæc præbent, detraudant decimas, assumptam religionem propria auctoritate dimittunt, ut caveant, ne propter hoc vinculum excommunicationis incurrant. Sacerdotem præterea, qui clandestinum matrimonium celebraverit, Missam cantaverit, aut benedictionem, immo verius maledictionem fecerit: decernimus perpetuo carceri mancipandum: quem capiendi & ad nos ducendi, sine verberibus aut corporis læsione, B cuilibet Christiano auctoritatem concedimus. Denuncietur & publice & frequenter, quod laici, qui in hujusmodi matrimoniis contrahendis, vel contra interdictum ecclesiæ, culpabiles inventi de cætero fuerint, quod ex quo Dei timor aut pœnæ pecuniariæ ipsos a malis hujusmodi non compescit, pœnis gravioribus punientur.

XVII. *De pueris a laicis in necessitate baptizandis, & quod Confirmationis & Extremæ unctionis sacramentum recipiant.*

Doceantur præterea laici, ut cum necessitas occurrerit, vir vel mulier, qui præsens fuerit, C præponat nomen puero & dicat: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Et post hæc verba, si supervixerit puer, ad presbyterum deferatur, qui supplebit alia sicut decet. Item moneantur laici, ut sacramentum Confirmationis recipiant, & cum infirmi fuerint, extremam recipiant unctionem.

XVIII. *Ante matutinas & Primam dicta vel audita sacerdos non celebret: sed nec nisi unam in die Missam dicat.*

Item districte præcipimus, ne quis sacerdos Missam celebret, nisi prius audiat aut dicat D matutinale servitium atque Primam: excepto die nativitatis Dominicæ, & nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.

XIX. *De reverentia in elevatione hostiæ, & cum ad infirmum defertur.*

Item sacerdos quilibet frequenter doceat plebem suam, ut cum in celebratione Missarum elevatur hostia salutaris, se reverenter inclinent.

Idem facient, cum eam portat presbyter ad infirmum, quam in decenti habitu, supposito mundo linteamine, ferat manifeste ac honorifice ante pectus cum omni reverentia & timore: & ipse sacerdos dicat aut cantet aliquos psalmos, ita quod audiatur, & clericus respondeat semper lumine præcedente, cum sit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides & devotio augeatur. Hujus autem mandati puniti debent graviter transgressores. Item quod omnis qui fidelis & catholicus vult reputari, ante quorum domos Eucharistia portatur, accendat candelas ante domos ipsorum, donec sacerdos transitum fecerit. Item monemus & inducimus ob salutem animarum suarum, & nihilominus in honore fidei Christianæ præcipiendo mandamus, quod omnes Græci & prælati seu sacerdotes aliarum nationum, quæ Christianæ religionis nomen colunt, moneant & inducant eorum plebem & populum, cum in ecclesiis Latinorum elevatur in altari hostia Eucharistiæ, reverentiam exhibere, inclinando se, & capita eorum discooperiendo: & quod idem faciant, quando per sacerdotem ad infirmos portatur, & quando legunt evangelium.

XX. *Contra tibicines & cantatrices pro mortuis.*

Cæterum quia morbus quidam pestifer & infidelitati vicinus valuit in his partibus, ut videlicet in exequiis mortuorum, in domibus, ecclesiis & cœmeteriis, tibicines, quæ lugubre canunt, quas cantatrices vocant, advocentur, quæ non solum turbant Divina, verum etiam provocant seu excitant alias verbis vanis ac Judæorum ritui consonis, ad plorandum, verberandum, & lacerandum se ipsas: hoc ne fiat de cætero districtissime & sub excommunicationis vinculo prohibemus, inhibentes omnibus tam presbyteris quam aliis clericis, ne hujusmodi funeris sepulturæ intersint, nec officium celebrent, aut crucem deferri faciant, postquam intellexerint, in domo ubi funus fuerat, vel in ecclesia cantatrices hujusmodi extitisse; quas, si de cætero contra hanc nostram prohibitionem fecerint, faciemus capi, verberari, & poni in scala, & demum in carcerem detrudi, donec pœna docente discant quantum deliquerunt, & de cætero ab hujusmodi abstinere. Mulieribus etiam aliis omnibus atque viris prohibemus, ne eas advocent, aut eis dent aliquid propter hoc, & ne mulieres in cœmeteriis aut domibus ad plorandum conveniant: quia hic mos est infidelium, & paulatim ad infidelitatem adducit, dum contra Apostolum tristantur sicut cæteri, qui de resurrectione spem non habent, cum in morte fideles deberent consolationem suscipere, & gaudere cum domino nostro Jesu Christo.

XXI. *Ut constitutiones legati serventur.*

Et ne acta agere videamur, ordinationes seu constitutiones venerabilis patris nostri Odonis Dei gratia Tusculani episcopi, apostolicæ sedis legati, quas idem in nostra ecclesia edidit, in quibus continentur multa, quæ ad ecclesiæ honestatem ac morum, & salutem pertinent animarum, præcipimus inviolabiliter observari

XXII. *Ut omnes habeant has constitutiones scriptas, & ante præstitam obedientiam nullus celebret.*

Ut autem transgressores presbyteri nullam excusationem habere valeant circa prædicta & sequentia ignorantiam prætendentes, præcipimus omnibus presbyteris, qui in nostra civitate vel diœcesi ubicumque cantant vel cantaverint: ut has constitutiones infra mensem in scriptis habeant, & ut sibi eas semel quolibet mense legant. Sed nec aliquis presbyter in civitate aut diœcesi audeat celebrare, qui nobis aut prædecessoribus nostris non præstiterit obedientiam prout decet.

XXIII. *De*

XXIII. *De pœna eorum, qui se eodem tempore ad duo servitia obligant.*

Sacerdotum insuper avaritiam refrænantes, inhibemus, ne quis presbyter, qui recipit pro uno anniversario stipendia, vel pro alio servitio assidue exequendo interim ad simile vel aliud se obliget in parte temporis vel in toto: quod si fecerit, & id quod male accepit restituet, & ad eleemosynam solvet tantumdem.

XXIV. *De sacerdotibus, qui cantant militibus aut dominabus.*

Sacerdotibus etiam, qui militibus cantant aut dominabus, præcipimus, ut dies, quibus jejunia Christianis ab Ecclesia indicantur, eis annuncient, & ipsi jejunent, non jejunantes acrius reprehendant, & quod in prima septimana Quadragesimæ de solvenda decima integre inducere debeant & monere sub pœna excommunicationis.

XXV. *De pœna eorum, qui in exequiis aliquid recipiunt, & finem non expectant.*

*Corr. exequiis.

Eos vero presbyteros aut clericos, qui in *obsequiis vel officiis pro defunctis cereos vel candelas recipiunt, præcipimus finem servitii expectare: alioquin & quod acceperint restituent, & tantumdem: & volumus inviolabiliter observari, quod nullus clericus audeat vel præsumat rapere candelas de manibus dantium in funere, seu ejus occasione, sub pœna nostro arbitrio inferenda.

XXVI. *De pœna clericorum de nocte euntium.*

Quia vero qui male agit, odit lucem: omnibus clericis inhibemus districte, ne vadant de nocte, maxime post tertiam pulsationem: quod si inventi fuerint, licentiam damus custodibus civitatis, ut eos capiant salva manu, & detineant usque mane, nobis quanto citius præsentandos. Et quia mulieres nihilo minus adhuc in domibus vel cœmeteriis ad carmen lugubre conveniunt, in contemptum Dei, & suarum periculum animarum: omnibus sacerdotibus districte præcipimus, ne præsente aliqua muliere, quam contra prædictam prohibitionem fecisse sciverit, aut pro certo intellexerit, Missam audeat celebrare: caventes attente, ne circa hoc prætendant crassam ignorantiam vel supinam, si districtam voluerint effugere ultionem.

XXVII. *Statutum legati Odonis.*

Venerabili patri H. Dei gratia archiepiscopo Nicosiensi: Odo miseratione Divina Tusculanus episcopus, apostolicæ sedis legatus, salutem & sinceram in Domino caritatem. Vobis auctoritate qua fungimur districte præcipiendo mandamus, quatenus in majori ecclesia Nicosiensi, & in omnibus aliis ecclesiis in regno Cypri constitutis, statutum, quod nuper in Joppe edidimus, publicari solemniter faciatis: cujus statuti tenor talis est.

Venerabilibus in Christo patribus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, tam exemptis quam non exemptis, ecclesiarum rectoribus & cappellanis tam exemptorum quam non exemptorum, in nostra legatione constitutis, Odo miseratione Divina Tusculanus episcopus, apostolicæ sedis legatus, salutem in Domino sempiternam: Cum talus animarum omni lucro temporali & quæstui merito debeat anteponi: quidam tamen, sicut nobis innotuit, suæ avaritiæ consulere cupientes, impediunt vel impediri procurant quominus Saraceni, seu alii infideles, quos in captivitate detinent, vel qui eorum potestati seu dominio sunt subjecti, instruantur in fide, & regenerentur baptismatis sacramento: licet dicti Saraceni & alii, nondum adepti baptismatis sacramentum, fidem catholicam confitentes, instanter petant ablui lavacro salutari: quod sacramentum nulli fidem confitenti, & idem sacramentum postulanti, convenit denegari. Hinc est, quod nos inhumanitati seu impietati eorum salubrem cupientes adhibere medelam, auctoritate qua fungimur districtius inhibemus, & irrefragabili constitutione sancimus, ne quis in nostra legatione constitutus, de cætero impediat vel impediri procuret, quominus Saraceni sclavi, seu quicumque alii, nondum renati baptismatis sacramento, qui fidem catholicam confitentes, sacramentum baptismi sponte petierint, baptizentur: salvo in omnibus & per omnia debito servitutis, quod eorum dominis alias competit in eisdem. Quia per hoc non intendimus illis, qui baptismum susceperint, libertatem aliquam indulgere. Quod si forte aliqui contra inhibitionem & statutum nostrum ausu temerario præsumpserit sclavum Saracenum, seu quemcumque alium, nondum baptizatum, per se vel per alium a sacramento hujusmodi prohibere, postquam baptizandorum voluntas super hoc fuerit patefacta: centemus eos ipso facto excommunicationis vinculo innodatos. Et ne in posterum aliquis prætextu ignorantiæ ab observatione hujusmodi statuti nostri se valeat excusare, & ut infideles ad fidem catholicam liberius & facilius attrahantur: volumus & mandamus vobis in virtute obedientiæ firmiter injungentes, ut bis singulis annis, videlicet in ramis palmarum, & in epiphania Domini, vos & successores vestri hoc statutum nostrum in ecclesiis vestris publicetis, vel publicari solemniter faciatis. Tenorem nihilominus statuti ejusdem in libris ecclesiarum vestrarum conscribi ad perpetuam rei memoriam facientes. Dat. in Joppe ann. Dom. MCCLII. Nonas Januarii.

Nihilominus tamen volumus & præcipimus, ut in ramis palmarum, & in epiphania Domini, vos & successores vestri, sicut in antedicto statuto plenius continetur, statutum ipsum in ecclesia vestra, & in aliis locis vobis subjectis, publicari solemniter faciatis: tenorem nihilominus statuti ejusdem in libris ipsarum ecclesiarum conscribi ad perpetuam rei memoriam facientes. Datum in Joppe, anno Domini MCCLII. quarto Nonas Martii.

Item anno Domini MCCLIII. decimo quarto Kalend. Julii. In synodo ab eodem domino Hugone Nicosiensi archiepiscopo in Nicosiensi ecclesia publicatæ fuerunt infra scriptæ duæ constitutiones & postea populo sequendæ.

XXVIII. *Statuta duo Hugonis archiepiscopi.*

1. Ne laicorum insolentia invalescat, quæ jam in tantam prorupit audaciam, ut pluries intran-

intrantes Nicosiensem ecclesiam dum celebrantur Divina, vel fit aliqua executio officii pastoralis, publice conclamantes, prælato, sacerdotibus, & aliis clericis ecclesiæque ministris, ipsique loco & Divino cultui, non modicas injurias importarint: statuimus, ut quicumque laicus aut clericus de cætero prædictam Nicosiensem ecclesiam, aut aliam quamcumque nostræ civitatis sive diœcesis, in quibus cum pace & quiete vota competit reddere, ac celebrari Divina, intrans, aliquid injuriæ importaverit prælato, sacerdotibus, aliisque ipsarum ecclesiarum clericis ac ministris, seu ipsis locis aut Divino cultui, vel conclamationibus, seditionibus, aut tumultu, fuerit usus ibidem: ipso facto vinculum excommunicationis incurrat. Nos enim ipsum, quicumque fuerit ille, cum omnibus sibi assistentibus, vel ad hoc dantibus auxilium, consilium, vel favorem, auctoritate Dei omnipotentis excommunicamus, & excommunicatum usque ad satisfactionem condignam præcipimus publice nunciari, pœnas quas secundum jura civilia tales incurrunt suis judicibus relinquentes.

2. Non sine admiratione referimus, quod aliqui religiosi, & utinam non omnes, civitatis Nicosiensis, falcem in alienam messem mittentes, parochianos Nicosiensis ecclesiæ, quæ unica est in civitate parochialis ecclesia Latinorum, passim recipiunt ad Divina. Quos etsi non reprimit regula naturalis, videlicet, ut quod sibi fieri nolunt, non faciant aliis: saltem jura canonica ab hujusmodi eos revocare deberent, quæ prohibent alienos parochianos ad Divina recipi diebus Dominicis & festivis, & ne in religiosorum cœnobiis missæ publicæ, id est publice celebrentur, nec in servorum Dei secessibus & eorum receptaculis ulla popularis conventus occasio præbeatur: quia eorum non expedit animabus. Nos autem volentes eorum providere saluti & etiam honestati, & ne Nicosiensis ecclesia, diebus saltem Dominicis & Festivis, debito honore privetur, aut sicut tugurium in cucumerario relinquatur, ne hoc de cætero fiat districtius inhibemus.

XXIX. *Contra usurarios.*

Sacrorum canonum conditores summo studio usque hodie vigilarunt extirpare ab agro Dominico zizaniam usurariæ pravitatis, claris & apertis constitutionibus usurariorum perfidiæ ac fraudibus obviantes. Sed quia hominum vitiata natura prona est ad malum, & semper ad sua scelera pallianda formas novas properat invenire: jam eo res devenit, ut publice usurarii fiant contractus sub palliatione simulatæ venditionis: dum is qui mutuo indiget pecunia, fit emptor pannorum, ceræ, serici, cujuscumque alterius rei, pro pretio longe majori, quam res tunc valeat, quam in continenti, quia pecunia numerata indiget, vel venditori vel alii vendere compellitur, pretio quod tunc valeat longe minori: sicque dum is qui indiget fit emptor ac venditor, in utroque decipitur contractu, ut ad eum præter usuras quæ ultra statutum terminum, sub ficto pœnæ nomine currunt, vix perveniat pretii dimidium emptæ rei, aut rei venditæ simulate. Crevit etiam in tantum fraus hujusmodi, ut alioquin nulla res vendatur aut ematur; sed tantum verbalis fiat contractus, nominatis mercibus, quæ nec videntur, nec etiam habentur, aut traduntur. Compellitur etiam quandoque is, qui pecunia indiget, confiteri se recepisse mutuo centum, solvenda usque ad talem diem sub pœna: cum revera non nisi octoginta receperit. Et alioquin coram persona publica fit totius summæ nominatæ traditio: cum tamen ex pecunia debitor illi correcipiens partem restituat ex condicto. Et ut dicamus breviter, semper hic agitur ut solummodo tempus vendatur. Nos vero, prout ad nos pertinebat, volentes morbo tam pestifero obviare, qui quorumdam faciente malitia serpere cœpit ut cancer in Cypro, & præsertim in civitate Nicosiensi: jam dudum publice contractus hujusmodi fieri nihilominus, * & sub pœna excommunicationis omnibus notariis, & aliis scriptoribus, ne eos scriberent, atque militibus & aliis omnibus ne in contractibus prædictis, quos, ut vulgariter loquamur, barrattas appellant, fidejussores se constituerent aut debitores pro aliis. Similiter & mediatoribus, quos sensales appellant, ne tractarent aut promoverent conventiones contractuum prædictorum. Cæterum curantes Babylonem, non est curata: fiunt etenim & vigent fraudes hujusmodi sicut prius; propter quod compellimur contra pestem hanc manu insurgere graviori. Quare inhibemus districte, ne de cætero tales vel similes in civitate & diœcesi Nicosiensi fiant contractus: eos qui contrafecerint, sive principales, sive mediatores aut scriptores, seu fidejussores aut debitores, excommunicationis vinculo innodantes: nihilominus contractus prædictos, ipso jure nullos esse pronunciantes, ut nec agi nec excipi valeat ex eisdem: nec judex ecclesiasticus, etiamsi se contrahentes ecclesiasticæ jurisdictioni subjiciant, aut jurent, ex eisdem audiat conquerentes aut excipientes, aut judex etiam sæcularis.

* f. veruimus.

Edita est & recitata publice hæc constitutio, in ecclesia sanctæ Sophiæ, & populo post sermonem, a reverendo patre dom. Hugone Dei gratia Nicosiensi archiepiscopo, ann. Domini MCCLVII. prid. Kal. Octobr.

XXX. *Contra avaritiam clericorum.*

Ad reprimendam avaritiam ministrorum ecclesiæ, tam scriptura Divina, quam sacrorum canonum instituta, attentius vigilarunt. *Scientes quod a minore usque ad majorem omnes avaritiæ studebant; a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciebant dolum, curantes contritionem populi cum ignominia, & dicentes, pax, pax, cum tamen non esset pax.* Sed heu! ex medicina invaluit morbus, ut recte dicatur: *Lex subintravit, ut abundaret delictum.* In tantum enim in nostris ecclesiis invaluit ista pestis, ut rectissime de iis dicatur: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens: a planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas: vulnus, & livor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. Curavimus enim Babylonem, & non est curata:* quin potius ipsius plaga facta est desperata. Ecce enim, quod de nostris subditis cum cordis amaritudine referimus, jam adeo devenere effrontes, ut etiam in loco & de loco sacro, cum pro mortuis exequiæ celebrantur, oblationes de manu laicorum ipsas ad altare deferentium, in conspectu populi, rapaces lupi non recipiunt, sed rapiunt impudenter, non verentes crimen sacrilegii incurrere sic aperte. Cumque ad domum alicujus defuncti cum cruce processio debeat proficisci: tot illuc, non propter Deum, aut devotionem

Jerem. 6

Rom. 5.

Isa. 1.

Jerem. 51.

alio-

aliquam, sed propter candelas, cruces undique deferuntur, quod laici non sufficiunt deferentium extinguere sitim, nec possunt eorum molestias tolerare ingerentium se tam ardenter, ut eos quasi opprimant & seipsos, ut etiam, quod est horribile auditu, præter eorum clamores validos, cruces ipsæ ad invicem collidantur.

Quidam etiam presbyteri, & alii clerici, dum defuncto commissarii, seu executores fuerint cum sociis, aut soli: quæ committuntur eisdem, infideliter distribuunt, negligenter aut nullo modo requirunt: quodque pessimum est, aliquando retinent sibi ipsis. Nos autem etsi prædictorum incurabiles æstimemus excessus: nihilominus tamen si forte possimus proficere pœnæ metu volumus experiri: statuentes, ut quicumque presbyter, vel clericus, in nostra diœcesi, in ecclesia, aut cœmeterio, circa res oblationi deputatas violentiam aliquam commiserit, præter crimen sacrilegii, quod ipsum ex hoc incurrere declaramus, tribus mensibus ab officio & beneficio, ipso facto, suspensionis pœnam incurrat; & quod sic abstulit, in duplum restituere teneatur. Cum autem processio petita fuerit, ut ad domum eat defuncti: omnibus laicis districte inhibemus, ne pro aliquibus crucibus, ut ita loquamur, alicui tradant aliquid, nisi duobus presbyteris assistis ecclesiæ nostræ, quibus volumus ea quæ consueta sunt dari: ita tamen, quod nominatim exprimant quot crucibus, & pro quibus etiam dant. Inhibemus etiam, aliquid pro aliqua cruce dari, cum qua non venerint clericus & sacerdos: qui nihilominus funus prosequatur cum sua cruce, usque ad locum ubi fuerit tumulandum. Expletis vero exequiis, duo prædicti assisii reddant fideliter ea quæ acceperunt tradenda: ita quod de hoc nullum scandalum oriatur. Ad hæc inhibemus quibuscumque commissariis, seu executoribus, presbyteris, aut clericis nostræ diœcesis, ne corpore tradito sepulturæ, de commissaria seu executione, sine nostra scientia vel successorum nostrorum, se in aliquo intromittant. Hæc autem non ex eo dicimus, quod inde velimus aliquid, nisi solum obviare malitiis, & ut fidelius ac celerius pareatur voluntatibus defunctorum.

Lata & recitata in scriptis in palatio archiepiscopali, a reverendo patre domino Hugone Dei gratia Nicosiensi archiepiscopo, præsentibus dominis, Guillelmo archidiacono, & Roberto cantore Nicosiensi, & universo clero civitatis ejusdem, anno Domini MCCLIII. die nono intrante Januario.

Editio concilii generalis ad dictam constitutionem celebrati per reverendum patrem dominum patrem Heliam, Dei gratia archiepiscopum Nicosiensem: quod si quis contrarium fecerit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat: ad hoc ut commissariorum malitiis obvietur, & celerius impleantur decedentium voluntates.

XXXI. *De Assisiorum officiis*

Statuimus ut assisius, qui de aliquo sibi ascripto defectum fecerit, in tribus denariis pro vice qualibet puniatur. Assisius vero ante adscriptus, qui in diebus novem lectionum, Matutinis, majori Missæ, vel Vesperis defuerit, pœna simili puniatur. Item Assisius non adscriptus, si in diebus festis, Matutinis, majori Missæ, vel Vesperis defuerit, in duobus denariis puniatur. Similiter pro singulis aliis horis minoribus, præter quam pro una, in duobus denariis puniantur. Cujus pœnæ medietatem percipiat, qui defectus scripserit, & aliam habeat qui supplebit defectum. Item lecta epistola majoris Missæ, nullus intret chorum. Item nullus de choro stet prope ecclesiam, vel intret eam, dum cantatur in choro, in suo habitu sæculari. Item illi qui solummodo intrant chorum, cum aliquid ibidem dandum fuerit, tunc non recipiantur ibidem. Item Assisius, qui defectum fecerit, die facti defectus, vel saltem in crastinum, proponat & ostendat excusationem, si quam habet legitimam: alioquin nullatenus ulterius audiatur.

XXXII. *Constitutio de horis officii Divini.*

In nomine Domini, amen. Anno Domini MCCLV. die decima intrantis mensis Januarii. Cum nos Hugo miseratione divina Nicosiensis archiepiscopus, nostram ecclesiam visitantes, invenerimus ipsam & ipsius personas in pluribus reformatione ac correctione indigere: volentes super hoc providere, prout pertinet ad officium nostrum, in primis quia invenimus quod clerici ecclesiæ, officium beatæ virginis & servitium defunctorum quasi omnino negligunt, cum prædicta fiunt non intrantes chorum, vel si ibi fuerint, exeuntes: præcipimus eis districte in virtute obedientiæ, ut hoc de cætero corrigant & emendent, ad prædicta servitia veniendo, & in choro, quousque finita fuerint, permanendo. Si quis autem hujus præcepti nostri transgressor fuerit, pro certo teneat, quod si ad nos pervenerit, non pertransibit impune. Et hoc idem præcipimus de hora prima, ad quam paucissimi veniunt aut consueverunt venire. Horam autem completorii inter canonicas reputantes: volumus & mandamus, ut quicumque de cætero eidem horæ defuerit, scribatur in defectum, & contra eum exigatur pœna, prout de horis aliis est statutum. Quia vero invenimus, quod aliqui, dum sunt in choro, rixantur, clamant, & strepitum faciunt, & ad invicem colloquuntur in contemptum Dei, & cultus Divini turbationem: hujusmodi de cætero fieri prohibemus, prædicentes ei quem invenerimus transgressorem, quod pœna docebit, quam gravis sit excessus turbatio Divinorum.

CONSTITUTIO INSTRUENS GRÆCOS & alios, per diversa capitula, ut infra.

Esse hoc provinciale concilium, cujus hæc præfatio est, ad quod sequentia decimæ capitula pertinent, eique præfuit Raphaelem Nicosiensem archiepiscopum, patet ex sequentibus.

Ecce isti de longe venient: & ecce illi ab aquilone & mari: & isti de terra australi. Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Vivo ego dicit Dominus: quia omnibus his velut ornamento vestieris: & circumdabis eos tanquam sponsa. In Isaia 49. verba sunt Dei Patris ad Filium, vel ad ecclesiam, de diversis mundi partibus, linguis & ritibus, in unitate fidei congregandam, ne se videlicet oblivioni reputet traditam, consolantis eamdem: unde ibidem aliquantulum supra dixit Sion, id est, ecclesia: *Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei:* sic respondet ei Dominus: *Numquid potest obliviscі mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te,* dicit Jesus ad ecclesiam, cum fuerint cruci affixæ; non possum ergo tui obliviscі, sicut

Isa. 49.

Ibid

nec id quod in manibus habetur: quia videtur frequentet. Unde subditur: *Muri tui*, id est, apostoli & alii prælati qui te muniunt, *coram me sunt*. Sed timendum valde quod sequitur: *Venerunt structores tui, destruentes te*, seu, mali prælati qui te construere debebant: quia ad construendum te sunt positi, & te destruunt, & dissipant pravæ vitæ exemplo, & *doctrinis variis ac peregrinis* ut ait apostolus ad Hebr. 13. videlicet fideles ab unitate ecclesiæ separantes, docentes eos traditiones hominum & non Dei, & contra legem Dei suos perversos ritus, & justitias etiam statuentes. Dominus ergo non obliviscitur suæ ecclesiæ: sed eam destruunt, & quasi derelinquere faciunt, & in oblivionem venire, qui eam ædificare tenentur. Alloquitur autem Dominus suam ecclesiam de diversis mundi partibus, linguis, & ritibus, & *ex omni natione quæ sub cælo est*: ut in actibus apostolorum legitur, congregandam: dicens ei. *Ecce isti de longe venient*: ipsam monens ad fidei unitatem: & ut *multitudinis credentium*, quamquam diversarum nationum, *sit cor unum & una anima*, ut in actibus apostolorum habetur: *& non sit distinctio Judæi & Græci*, ut legitur ad Romanos 10. nec una natio dicat: *Ego sum Pauli*; *alia, ego sum Christi*; ut sic dividatur Christus: ut legitur ad Corinthios 1. & inter fideles schismata fiant, & efficiantur aliqui pejores militibus crucifixoribus Christi, qui Domini tunicam inconsutilem scindere noluerunt. Non igitur insultet in ecclesia Dei Græcus Latino, vel e contra: sed pari voto, tanquam veri adoratores, glorificent patrem communem omnium, qui in cælis est, qui *vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem sui venire*, ut legitur ad Timotheum: & qui audit, dicat veni, cuilibet indistincte, ne cum Pharisæo pereat cæteros aspernante, & se non esse sicut cæteri homines existimante. *Assistit itaque regina*, id est sancta ecclesia, erecta per spem, non curva per timorem, & prompta ad serviendum, *a dextris Dei*, seu in potioribus bonis æternis, jam in spe, licet non adhuc in re. Assistit autem non nuda, sed *in vestitu*, id est, in connexu & ornatu virtutum; *deaurato* per sapientiam, quæ est æternorum contemplatio, & prægustatio: *deaurato*, per aurum enim intelligitur illa sapientia, qua sapiunt nobis æterna. Vel assistit in vestitu deaurato, id est, in operibus caritatis. Opera enim vestimenta dicuntur in Apocalypsi: *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet*. Per aurum vero intelligitur caritas, quæ optima est inter virtutes, sicut aurum inter metalla. Hæc autem regina, id est ecclesia, est *circumdata varietate* multiplici, videlicet linguarum. Idem loquebantur variis linguis apostoli. Item varietate diversarum consuetudinum, quæ non sunt contra fidem, aut contra bonos mores. Nil enim, ut sacri canones attestantur, officit in ecclesia Dei consuetudo diversa in ejusdem fidei unitate. Virtutum etiam varietate hæc regina ornatur: quia, ut ait apostolus, *Stella differt a stella in claritate*. Item varietate personarum diversarum facierum, sive diversorum officiorum. Unde apostolus: *Quosdam dedit apostolos, quosdam prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores atque doctores*. Quæ omnia ad laudem hujus reginæ, sive ecclesiæ, non est dubium pertinere. Quibus omnibus varietatibus velut ornamento vestitur; eaque, ut dictum est, sibi quasi sponsa circumdat.

Hæc & multa alia considerantes nos Raphael miseratione Divina Nicosiensis archiepiscopus, quia circa nationem Græcorum & Syrorum regni Cypri, quorum curam licet immeriti tenemur gerere ex susceptæ officio dignitatis, tum ignorantia, tum simplicitate, & quod est deterius, eorum qui eos instruere tenebantur faciente malitia, multa quæ divisionem sapiunt ab ecclesiæ unitate, & quæ nutriunt pericula animarum plurima, inolevisse invenimus: ne sanguis eorum de nostris manibus requiratur, si videntes venire contra gregem, * nostrum gladium, non insonuerimus buccina, cum simus in specula constituti: convocatis, * &c. cogitavimus prout possumus contra morbos hujusmodi remedium adhibere. Scribentes aliqua breviter circa hæc, & ea tam Græcis episcopis, quam sacerdotibus, * & aliis regni prædicti Græcis clericis, in Græca littera scripta tradentes, quorum tenorem interius duximus annotandum.

* *Lege*, h. ftium gladium. H.

* *Convocatis mimirum suffraganeis suis.*

* *An forte clerici aliqui* ἱερεῖς *dicti.* Hesychius ἱερεῖς. ἱερεῖς ἱερεῖς, ἱερεῖς ἱερεῖς, &c. H.

1. *Quatum episcopi Græci sunt in Cypro relicti, & quod sit eorum officium.*

In primis volumus & mandamus episcopis Græcis, ut diligenter considerent, quod sit eorum officium: & causam quare, cum Latini episcopi sint per Romanam Ecclesiam in Cypri insula ordinati, ipsi in eadem sint tolerati: ut & ea ad quæ tenentur, securius & diligentius exequantur; & illa quæ ad ipsos non pertinent, non usurpent. Quæ duo habentur in concilio generali, cujus verba sunt hæc: Quia „ in plerisque partibus, intra eamdem civitatem „ atque diœcesim permixti sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide varios „ ritus & mores: districte præcipimus, ut pontifices hujusmodi, civitati sive diœcesi provideant viros idoneos, qui secundum diversitatem rituum & linguarum, Divina officia illis „ celebrent, & ecclesiastica sacramenta ministrent: instruendo eos verbo pariter & exemplo. Prohibemus autem omnino, ne una eademque civitas sive diœcesis, diversos pontifices habeat, tamquam unum corpus diversa „ capita, quasi monstrum: sed si propter præscriptas causas urgens necessitas postulaverit, „ pontifex loci catholicum præsulem nationibus illis conformem provida deliberatione constituat sibi vicarium in prædictis, qui ei per „ omnia sit obediens & subjectus. Unde si quis „ aliter se ingesserit, excommunicationis se noverit mucrone percussum: &, si nec sic resipuerit, ab omni ministerio ecclesiastico deponendum, adhibito, si necesse fuerit, brachio „ sæculari ad tantam insolentiam repellendam. „ Circa hoc, salvum moderamen sedis apostolicæ post secutum. " Ex prædicta constitutione liquido patet, quod sit episcoporum Græcorum officium, sub illis, quorum sunt obsequio deputati, Divina officia celebrare, & ministrare ecclesiastica sacramenta, eosque instruere verbo pariter, & exemplo: & quæ sit causa quare sint instituti, scilicet urgens necessitas in prædictis. Patet etiam, a quibus sint instituendi, quia videlicet a pontifice loci Illius qui * taliter se ingesserit ad prædicta. Monemus igitur ac requirimus Græcos episcopos, & eos sub interminatione Divini judicii attestamur, ut eos, quorum sunt obsequio deputati, secundum sibi a Deo traditam scientiam, ut dictum est, verbo pariter & exemplo *; sic vivendo, ut Christi fideles videntes eorum bona opera, glorificent, juxta verbum Christi, qui in cœlis est, Deum pa-

Later. IV cap. 9.

Hic aliquid deest.

* *Deest* adjuvent.

a Forte, ceteri e grege ducantur, ex 1. Per. 5. 3. H.

patrem, & ut eorum comparatione [a] cæteri Græci dicantur, sicut beatus Petrus Jesu Christi vicarius attestatur. Et ut eisdem frequenter Dei verbum proponant, ostendendo ipsis, a quibus abstinere debeant, & qualia agere; quæ sint mortalia peccata, & quam sit mortalis pœna crudelis, quantaque bona per mortale peccatum perdantur. Doceant etiam eos super observatione mandatorum, sive decem præceptorum decalogi: quæ videlicet sint illa, & quod sine illis non est salus. Ait enim Christus in evangelio de eisdem, cuidam: *Hoc fac & vives*. Item, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. De fornicatione autem, quam solutus cum soluta committit, quin sit mortale peccatum, non est aliquatenus ambigendum: cum tam fornicarios, quam adulteros, a regno Dei apostolus asserat alienos: sicut Dominus papa determinavit.

Math. 19.

2. *Quod furtum sit damnabile, & quod restitutio fieri debeat.*

Furtum quoque esse damnabile eis ostendant. Scriptum quippe est, non furaberis; non enim remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si tamen reddi potest. In quo Græci quasi communiter dicuntur peccare, & in quo etiam errore eorum confessores eos dicuntur fovere, pro furto nullam vel modicam pœnitentiam imponentes, nec furibus restitutionem aliquam injungentes.

3. *Quod sunt septem Sacramenta.*

Instruant insuper eos super ecclesiasticis sacramentis, ostendentes eis quæ sint: videlicet, Baptismus, Confirmatio in fronte cum chrismate per episcopum, Eucharistia, Pœnitentia, Ordo, & Extrema unctio per sacerdotem de oleo sancto, & Matrimonium. Denuncient etiam eis, quod qui aliter de his septem sacramentis sentit, quam Romana ecclesia docet & servat, est hæreticus judicandus, prout constitutio Domini papæ dicit.

4. *De Baptismo.*

Instruant itaque sacerdotes vel alios, dum in necessitate baptizant, servare in baptismo verborum formam, a Jesu Christo & sanctis patribus institutam: & ut sciant, quod in baptismo sit remissio omnium peccatorum: & ut omnino caveant, ne pueri sine baptismo decedant. Qui enim in hoc negligentes fuerint aut remissi, gravissime delinquunt, & sunt acerrima pœnitentia corrigendi. Præcipimus etiam eis, ut sacerdotes instruant, quod in unctionibus quæ circa baptismum fuerint, morem Romanæ ecclesiæ teneant & observent: videlicet, ut antequam puer baptizetur inungat eum sacerdos oleo sancto cum pollice crucem faciens inter scapulas & in pectore.

5. *De Confirmatione.*

Postea vero puer repræsentatur episcopo vel archiepiscopo, ab eodem confirmandus in fronte chrismate cruce facta, quia de his unctionibus fecimus rationem. Volumus & præcipimus, quod quilibet episcopus Græcus, quolibet anno in die cœnæ Domini, in civitate in qua est Latinus Episcopus, chrisma conficiat balsamo & oleo olivarum: similiter faciat oleum sanctum per se, & oleum infirmorum per se de oleo tantummodo olivarum: quæ omnia per totum annum diligenter conservent in locis tutissimis atque mundis, taliter ut ad ea contrectanda manus temeraria extendere se non possit. Quibus inter presbyteros distributis utantur, tam in Baptismo, quam in Confirmatione, & Extrema etiam unctione. De quibus si anno finito aliquid superfuerit, eadem die cœnæ qua nova conficiuntur, vetera comburantur, ipsorum pulveribus in sacrarium reconditis & projectis. Ad quæ facienda, si in libris suis formas non habent scriptas, secundum quas præmissa fieri statuuntur: volumus, ut eas de pontificalibus nostris accipiant, & habeant penes ipsos. Aliam autem, vel alio modo unctionem nolumus fieri de cætero circa puerum baptizandum, vel etiam baptizatum. Indecens enim est, totum puerum inungi, tam per presbyterum, quam per laicos: & superstitiosum ac onerosum, & quod nulli innititur rationi. Et hoc etiam nuper Dominus papa inter alia præcepit eisdem, quod si non habeant circa hujusmodi doctrinam, sive Romanæ ecclesiæ observantias, eas a nobis non differant postulare.

6. *De Eucharistia.*

Admoneant etiam ipsos circa Eucharistiæ sacramentum, quod sive in fermento sive azymo pane conficiant, dummodo per sacerdotem fiat secundum ecclesiæ formam, non refert, cum Dominus papa dicat: dummodo credant, quod utroque modo est verum corpus Christi, quod de beata Virgine traxit, sine quo non est salus, & per quod salvati & liberati sumus: & quod qui manducat digne, ut ipse Christus ait, habet vitam æternam: ideoque a Christi fidelibus haberi debet in omni reverentia & honore. Quapropter districte præcipiant, tam clericis, quam laicis, ut cum ad infirmos Eucharistia portatur, præsentes flectant genua, & eidem reverenter inclinent, dicentes hæc verba, quæ eos doceri volumus: Ave salus mundi, caro munda, caro sancta, caro immaculata, verus Deus, verus homo.

Hæc sunt ea quæ dubio pertinet ad caput præcedens.

Episcopis autem injungimus, ut ipsi tantum hoc sacramentum Confirmationis conferant, prout etiam Dominus papa determinavit.

Domini papæ etiam circa Eucharistiam determinationem eis præcipimus observare, qui ait: Sed Eucharistiam in die cœnæ Domini consecratam, usque ad annum, prætextu infirmorum, ut de illa videlicet ipsos communicent, non reservent. Licet tamen eis, pro infirmis ipsis corpus Christi conficere, ac per 25. dies, & non longioris temporis spatio, conservare, ne per diutinam ipsius reservationem, alteratis forsitan speciebus, reddatur minus habile ad sumendum, licet ejus veritas & efficacia semper eadem omnino remaneat: nec ulla unquam diuturnitate, seu mobilitate temporis, evanescat. Et ut quablet die maxime in Quadragesima, quilibet parochialis sacerdos Missam cantet integram, secundum morem sancti Basilii, & sancti Joannis [b] osaurei, nisi fuerit legitime impeditus. In diebus vero, in quibus opera fiunt servilia, mane cantent presbyteri Missas suas: nullus tamen sacerdos Missam cantare præsumat, nisi prius cantaverit aut dixerit Matutinas. Examinentur etiam presbyteri cu-

b) Hic ea Chrysost. H.

circa Divinum officium diligenter: quia ut intelleximus a fide dignis presbyteris, Græci communiter parum aut nihil sciunt de horis canonicis, & maxime matutinis: & quod periculosius est, nesciunt etiam, ut dicitur, Missas suas. Volumus etiam & præcipimus, ut quilibet sacerdos, qui potest, calicem habeat aureum vel argenteum, vel saltem stanneum, ad conficiendum corpus Christi, honorabilem & decentem; calicibus ligneis aut terreis penitus derelictis. Corporalia vero linea decentia & munda, ac pallas altaris habeant, & alia sacerdotalia indumenta: tela etiam linea alba & munda tergant calicem interius & exterius, similiter & involvant. Mulieres vero ad altaris servitium non admittant.

7. *De Pœnitentia.*

Quia vero circa pœnitentiæ sacramentum nationem Græcorum & Syriorum in pluribus inordinate invenimus se habere; videlicet, quod aliqui numquam, aut rarissime, confitentur; item nec proprio sacerdoti; item & quod aliqui [a] obedientes Romanæ & Nicosiensi ecclesiæ evitantes, inobedientes & de hæresi notatos sibi eligunt confessores, quos non est dubium cum eisdem infectos esse hæretica pravitate; & quia contingit interdum, quod sacerdotes infirmis vel non confessis, vel confessis similibus, vel dubitantes an sint confessi, præbent Eucharistiæ sacramentum: circa hoc volentes apponere remedium salutare, statuimus, ut quolibet anno, circa initium Quadragesimæ, in qualibet parochia legatur & exponatur populo constitutio concilii generalis; cujus tenor talis est.

a) *Lege*, obedire H.

Conc. Later. IV. c. 21.

„ Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad „ annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter „ confiteatur proprio sacerdoti, & injunctam „ sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in „ Pascha Eucharistiæ sacramentum: nisi forte „ de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum. Alioquin & „ vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat sepultura. Unde hoc „ salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam ex ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit justa de causa „ sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ipse illum non possit absolvere vel ligare. Sacerdos autem sit discretus & cautus, „ ut more periti medici, superinfundat vinum „ & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias, & peccati, quibus prudenter intelligat quale debeat „ ei præbere consilium, & cujusmodi remedium „ adhibere, diversis experimentis utendo ad „ salvandum ægrotum. Caveat autem omnino, „ ne verbo aut signo, aut alio quovis modo, „ aliquatenus prodat peccatorem: sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat, quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio „ sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam pœnitentiam perpetuam in arctam monasterium detrudendum.

Quam constitutionem tam ab episcopis, quam a presbyteris [*] efforos, magistris, cappellanis, & laicis, Græcis & Syriis, sub pœna excommunicationis præcipimus inviolabiliter observari. Adjicientes, quod nullus sacerdos alicui infirmo det Eucharistiam, & alia ecclesiastica sacramenta, nisi ei constiterit, quod confessus fuerit alicui sacerdoti, qui ad hoc potestatem habuerit. Qui autem contra fecerit, nostro arbitrio acrius punietur. Inhibentes sub eadem pœna omnibus monachis & presbyteris Græcis, ac Syriis, ne aliquo modo confessiones audiant, & tam clericis quam laicis, ne aliquibus confiteantur, nisi iis qui nobis in nostra civitate & diœcesi ad audiendas confessiones fuerint deputati. Si quis vero contra hoc fecerit, vel semel in anno, ad hoc deputato, ut dictum est, sacerdoti confessus non fuerit, & vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat sepultura.

8. *Quod animarum medicus, antequam corporalis, advocetur.*

Et cum corporalis infirmitas sæpe proveniat ex peccato, dicente Domino languido quem sanaverat; *Vade & amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat:* moneantur fideles, ut statim in principio infirmitatis, donec infirmus compos est mentis, advocent medicum animarum, videlicet confessorem, & facta confessione integre de peccatis, recipiat infirmus Eucharistiæ sacramentum: ac demum, si opus fuerit, advocetur medicus corporalis, & si necesse fuerit, ipsum infirmum ungat oleo quod dicitur infirmorum, omni alia unctione penitus interdicta.

Ibid. c. 11. Joan. 5.

9. *Quod sacerdos ad infirmum vocatus cito vadat: & laici ipsum advocent tempestive.*

Vocatus autem sacerdos ad infirmum, sine mora vadat ad eum: quia si propter ejus moram aut defectum aliquid sinistrum contingat, gravissime punietur. Moneantur etiam laici, ut tempestive de die videlicet, & antequam multum gravetur infirmus, sacerdotem requirant: ne eorum culpa infirmus sine confessione aut viatici perceptione decedat: quia qui in hoc culpabilis fuerit, gravissime peccat, & acrius punietur. Adjicimus tamen, quod si medicus prius ad infirmum vocatus fuerit, inducere debeat & teneatur infirmum, quod ante omnia advocet proprium sacerdotem, cui sua confiteatur peccata, sub excommunicationis pœna.

10. *Nil ad medicinam sumendum, quod in periculum vertat animarum: nec eundum ad sortilegos, vel divinos, nec ad medicum infidelem.*

Cum autem anima sit multo pertiosior corpore, sub interminatione anathematis prohibetur, ne quis pro corporali salute aliquid infirmo suadeat, quod in periculum animæ convertatur. Unde qui Christianus videri & esse voluerit, sortilegos fugiat & divinos, ne esse de schola diaboli comprobetur. Prohibemus etiam districte, ne quis Christianus, sanus aut infirmus, medicum advocet infidelem, Judæum scili-

Ibid.

scilicet aut Saracenum; sed nec ab eo, vel de ejus consilio, medicinam aliquam recipiat: quia hoc pia consideratione in sacris canonibus prohibetur. Nam ex hoc contingit, nostram fidem haberi despectui, cum ipsi Judæi vel Saraceni in hujusmodi Christianorum uti ministerio dedignentur, & reputent propter hoc offendere suam legem.

11. *Quomodo se habeat sacerdos in confessionibus.*

Confessores etiam diligenter ac benigne audiant peccatores, infundentes, ut dictum est, vinum & oleum vulneribus sauciati: hinc perterrentes, hinc per spem & veniæ fiduciam erigentes: quam graviter deliquerint, quantamque pœnam incurrerint, quantaque bona perdiderint, quantumque Deum offenderint, ipsis discretione debita ostendentes: & investigantes caute, ut dictum est, de circumstantiis aggravantibus culpas, loco videlicet & tempore, frequentia, studio, & personis; & ne aliquo modo, ut supra dictum est, confessionem revelent, omni diligentia præcaventes: alioquin pœnam prædictam poterunt non immerito formidare.

12. *De Pœnitentia injungenda.*

Qui etiam satisfactiones injungant peccatoribus secundum qualitatem delictorum & quantitatem, prout decuerit: & non inunctio quædam solummodo injungatur, ad instar imperiti medici, qui uno collyrio, omnium oculos vult curare: prout etiam Dominus papa determinavit. Confessores autem, pro simonia, furto, & usuris, pro damnabili & mortali peccato teneantur injungere pœnitentias: qui * tales peccatores absolvant nisi restitutionem promittant, si habeant, vel cum habuerint, unde reddant. Pro simplici vero fornicatione, tanquam pro mortali & damnabili, peccatoribus injungant pœnitentiam salutarem. Et ut tollatur quidam abusus, qui invaluit hactenus in populo antedicto, quod videlicet conjugato sacerdoti vel * Latinus confitentur: volumus eis ad memoriam revocare, vel potius ad eorum notitiam devenire, qualiter nuper Dominus papa circa hoc duxerit statuendum: ait enim: „ Sacerdotes quoque conjugati, & alii, quibus „ parochiarum cura, vel ecclesiarum parochia„ lium regimen, per episcopos suos committi„ tur, licite ac libere possint parochianorum „ suorum confessiones audire, ipsisque pœni„ tentiam injungere pro peccatis. "

* *f. nec tales.*

* *Mendosa hæc.*

13. *De sacramento Ordinis.*

Ad hæc volumus, & districte præcipimus episcopis Græcis prædictis, ut ordines conferant prout Dominus papa eis mandavit, cujus verba sunt hæc: „ Ad hoc volumus & expresse præ„ cipimus, quod episcopi Græci septem ordi„ nes, secundum morem Ecclesiæ Romanæ, de „ cætero conferant: cum huc usque tres de mi„ noribus circa ordinandos neglexisse, vel præ„ termisisse dicantur. " Septem vero ordines sunt ii: hostiarius, lector, exorcista, acolytus, subdiaconus, diaconus, & presbyter: quos sequitur ordo episcopalis. Item in ordinatione presbyteri, & episcopi consecratione, utantur oleo & chrismate secundum formam in nostris libris episcopalibus ordinatam. Quod si formam non habent, quam servat Romana ecclesia: volumus ut eamdem a nobis postulent, obtineant, & observent obtentam. Item sciendum quod in compositione inita sic habetur: „ Si ali„ quis, sine licentia Latini episcopi & domini „ temporalis, a Græco episcopo in regno Cy„ pri se fecerit ordinari: Græcus episcopus, qui „ taliter eum promovit in regno, ab officio „ conferendi ordines a Latino episcopo suspen„ datur: & taliter ordinatus, ad consuetum „ Domini sui servitium reducatur. " Item præcipimus eisdem episcopis, ut sacerdotibus injungant, quatenus juxta verbum apostoli Jacobi, & domini papæ mandatum, infirmis extremam conferant unctionem.

14. *De Matrimonio.*

Doceantur præterea tam clerici, quam laici, ut circa matrimonia contrahenda credant & observent ea, quæ dominus papa super his ordinavit, cujus verba sunt hæc: „ Quia vero „ secundum Apostolum, mulier mortuo viro „ ab ipsius est lege soluta, & nubendi cui vult „ in domino liberam habet facultatem, secun„ das & tertias, ac ulteriores etiam nuptias „ Græci non reprehendant aliquatenus, nec „ condemnent; sed potiùs illas approbent inter „ personas, quæ alias licite ad invicem matri„ monio jungi possunt. Secundo tamen nuben„ tes, presbyteri nullatenus benedicant. Et „ quoniam apud eos consueverunt contrahi ma„ trimonia inter personas contingentes se, juxta eorum computationem, octavo gradu, qui „ secundum computationem & distinctionem „ graduum, quam nos facimus, apud nos quar„ tus habetur: ne id præsumatur deinceps, firmiter prohibemus, districte præcipientes, ut „ cum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in prædicto quarto con„ sanguinitatis vel affinitatis gradu copulari „ ulterius non præsumant: statutum in hoc „ generalis concilii observantes. Illos tamen, „ qui jam in gradu hujusmodi contraxerint, „ dispensative permittimus in sic contracto ma„ trimonio remanere. " Dum vero inter homines prædictarum nationum matrimonia fuerint contrahenda, banna sive bannos fieri volumus in ecclesiis, secundum quod ecclesia Romana præcipit & observat ecclesia Latinorum: cum eadem sit ratio prohibitionis, ne aliter matrimonia contrahantur apud Latinos & Græcos. Qui vero clandestina matrimonia contrahunt, aut consilium vel auxilium ad hoc præbent, secundum consuetudinem ecclesiarum regni Cypri excommunicationis se noverint vinculo innodatos; similiter & sacerdos qui clandestinum matrimonium celebrat, missam cantat, aut benedictionem, immo verius maledictionem fecerit, vinculum excommunicationis incurrit, præter gravissimam aliam pœnam, qua nihilominus punietur.

15. *Qui sint ipso jure excommunicati, & quod tales frequenter denuncientur.*

Denuncientur etiam frequenter excommunicati ipso jure omnes hæretici, quocumque nomine censeantur, & quod hæretici sunt omnes, qui de sacramentis ecclesiæ aliter credunt aut prædicant, quam ecclesia Romana prædicat & observat; & qui Romanam ecclesiam non credunt

dunt esse omnium ecclesiarum caput, atque magistram, ac dominum papam successorem esse beati Petri, & in terris vicarium Jesu Christi. Item hi Christiani qui vendunt ferrum, aut lignamina, vel alias res prohibitas Saracenis, vel qui in Saracenorum piraticis navibus, aut aliis vasis, regimen aut curam gubernationis exercent, vel quocumque officio utuntur in eis. Item denunciamus excommunicatos omnes presbyteros & diaconos Græcos, qui non fecerunt; nec facere volunt obedientiam ecclesiæ Romanæ & ecclesiæ Nicosiensis. Item denunciamus excommunicatos omnes usurarios manifestos: item omnes fortiarios & fortiarias, divinos & incantatores. Item omnes * caoteos & caoteas. Item omnes qui publice in domibus suis manutenent & sustinent ludum azardi. Item omnes illos, qui aliquo modo domos suas concedunt publicis meretricibus ad commorandum in eisdem, vel postquam intellexerint eas tales, ipsas in suis domibus esse permittunt. Item denunciamus excommunicatos omnes piratas, seu cursarios, qui scilicet in mari, vel fluminibus, vel etiam in terra, mercatores & alios Christianos spoliant bonis suis. Item receptatores seu defensores eorumdem: & qui eis in suis maleficiis præbent consilium, auxilium, vel favorem. Item omnes apostatas nostræ diœcesis, masculos aut feminas, qui scilicet dimisso vel abjecto religionis, sæculariter viventes, ad sæculum sine licentia ecclesiæ redierunt. Item omnes qui sponsalia vel matrimonium clandestine contrahunt, vel etiam contraxerunt, vel qui his præsumpserint interesse.

* Incantatores & incantatrices vulgo, *chometer*. Vide Du-Cangium in Glossario Latino, verbo *Cavanna*. H.

16. *De disciplina abbatum & monachorum.*

Volumus etiam & præcipimus, quod tam abbates Græci, quam monachi, regulam S. Basilii, quam observare promiserunt, teneant inviolabiliter & observent, maxime circa obedientiam, continentiam, renunciationem etiam propriorum, dormiant etiam insimul in una domo, & simul comedant in refectorio, & non exeant septa monasterii, sine sui abbatis licentia vel prioris. Monachi vero vagabundi ad sua monasteria revocentur: nec se intromittant de cætero de balliis seu negotiis laicorum, nec vadant venatum, nec canes vel aves habeant ad venandum, nec teneant in suis domibus mulieres, servilia opera non exerceant, nisi de præcepto sui abbatis vel prioris, si necessitas vel utilitas hoc concedat. Presbyteri vero, de balliis, scriptoriis, seu negotiis aliis laicorum, se nullatenus intromittant. Volumus siquidem, ut monachi in abbatiis recipiantur libere, monachorum pactione vel conventione aliqua non adjecta.

17. *Ut sacramenta & similia sine pactionibus conferantur.*

Volumus etiam & præcipimus, quod ordines, beneficia, sepulturæ, officia, atque alia sacramenta ecclesiastica, omnino libere conferantur, nullis pactionibus vel conventibus interjectis

18. *Iterum qui sint excommunicati.*

Item, denunciamus excommunicatos omnes, qui non restituunt vel restitui faciunt integre & plenarie decimas ecclesiæ Nicosiensi de omnibus possessionibus, animalibus, apaltibus & redditibus suis: & qui inde semina, expensas vel angarias ante earum restitutionem deducunt, vel qui in ipsis solvendis fraudem aliquam committunt. Item denunciamus excommunicatos auctoritate domini papæ omnes, qui in clericos vel religiosas personas manus injiciunt, aut injicere faciunt, violentas; vel eos incarcerant, aut incacerari procurant, sine licentia prælati sui. Et ne aliqui per ignorantiam se excusent, quoddam statutum domini legati præsenti capitulo duximus inserendum; quod inviolabiliter præcipimus observari. Cujus tenor talis est.

Venerabili patri Hugoni Dei gratia archiepiscopo Nicosiensi, Odo miseratione Divina Tusculanus episcopus, apostolicæ sedis legatus, salutem, *&c. ut supra, pag.* 718. *usque ad hæc verba*, conscribi ad perpetuam rei memoriam facientes. Datum in Joppe anno Domini MCCLII. Nonas Januarii.

Sed & ne laicorum insolentia invalescat, quæ jam in tantam prorupit audaciam, ut pluries intrantes Nicosiensem ecclesiam, dum celebrantur Divina, vel fit aliqua executio officii pastoralis, publice conclamantes, prælato, sacerdotibus, & aliis clericis ecclesiæque ministris, ipsique loco & Divino cultui non modicas injurias importarint: statuimus, ut quicumque laicus aut clericus de cætero prædictam Nicosiensem ecclesiam, *&c. ut supra, pag.* 719. *usque ad hæc verba*, suis judicibus relinquentes.

Capitulum verò quoddam a nobis & fratribus & coepiscopis nostris editum in provinciali concilio, similiter duximus inserendum ad extirpandam hæreticam pravitatem, cujus tenor talis est.

Et quia a pluribus annis quamplures presbyteri Græci, & monachi, in Insula Cypri fuerunt suspicione notabiles de hæretica pravitate, & pluries admoniti ut omnes hæreses abjurarent, & maxime illam quæ damnat confectum in azymis Eucharistiæ sacramentum, ac redirent ad obedientiam Romanæ ecclesiæ: quoniam hoc facere contempserunt, latitantes per loca diversa ac fugientes, & nonnullos veneno pestifero corrumpentes, fuerunt per prædecessores nostros publice annis singulis excommunicationis vinculo innodati: in qua non tantum per annum, sed per plurimos annos perstiterunt facie indurata. Nos etiam eosdem pluries admonuimus ut redirent: quod similiter facere contempserunt. Ne igitur circa pestem hujusmodi negligentes inveniamur aut remissi: jam dictos auctoritate concilii hæreticos judicamus.

19. *De commerciis & negotiationibus prohibitis clericis.*

Item prohibemus, sicut in sacris canonibus continetur, ne quisquam clericus vel laicus, sine manifesta & rationabili causa, monasteria sanctimonialium adire præsumat: clericus vero aut laicus qui contrafecerit, pœnæ debitæ subjacebit. Item prohibemus clericis, & præcipue presbyteris & diaconibus, ne commercia vel officia sæcularia exerceant, maxime inhonesta: & ne sint casalium aut redditum apaltatores, ballivi, aut procuratores militum: quia hoc est contra eorum ordinum honestatem, & ex hoc contingit eos capi per milites, in foveas mitti.

& alias tractari turpiter contra ecclesiasticam A libertatem: ipsosque milites propterea incidere in canonem latæ sententiæ, nosque etiam oportere contra eos procedere: unde tam contra nos, quam contra ecclesiam, moventur, licet injuste.

20. *De Missa & Divinis officiis.*

Item prohibemus, ut, excepto die nativitatis Dominicæ, & nisi necessitas suadeat, non nisi unam Missam sacerdos cantet in die.

Præcipimus etiam, prout dominus papa statuit, ut sacerdotes dicant horas canonicas more suo: sed Missam celebrare, priusquam officium matutinale compleverint, non præsumant. B Nam promovendi ad sacerdotium, & presbyteri qui præficiendi fuerint ecclesiarum regimini, debent examinari antea diligenter: sed præcipue de horis canonicis, & Missarum officiis, secundum distinctionem temporum exequendis, sint sufficienter instructi: quia ad hoc non sunt, nisi digni & idonei, admittendi. Cæterum unusquisque sacerdos in aureo vel argenteo solum, aut saltem stanneo calice, sacrificet, habens corporale de lino candidum & nitidum, & altare mundis vestimentis opertum, vel decentibus paramentis. Mulieres autem servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino.

21. *De Chrismate.*

In chrismatis vero confectione, statutum domini PP. districte præcipimus observari cujus tenor talis est.

„ Singuli quoque episcopi in suis ecclesiis, „ in die cœnæ Domini, possunt secundum for„ mam ecclesiæ chrisma conficere ex balsamo „ quidem & oleo olivarum. Nam Spiritus „ sancti donum in chrismatis unctione confer„ tur: & columba utique, quæ ipsum designat „ Spiritum, olivæ ramum ad arcam legitur „ retulisse. Intelligant vero hanc esse formam „ inter alia, ut singulis annis novum chrisma „ conficiant; ad quod si doctrinam non ha- D „ bent, a nobis postulent prout debent."

22. *De Purgatorio & aliis quæ sequuntur.*

Item præcipimus, clerum & populum Græcorum & Syrorum, instruit prout dominus papa determinavit, sic dicens: „ Denique cum „ veritas in Evangelio asserat, quod si quis in „ Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, ne„ que in hoc sæculo, neque in futuro dimit„ tetur ei; per quod datur intelligi quasdam „ culpas in præsenti, quasdam vero in futuro „ posse sæculo relaxari; & Apostolus dicat, „ quod *unuscujusque opus quale sit, ignis pro-*
. Cor. 13. „ *babit: & cujus opus arserit, detrimentum pa-*
„ *tietur; ipse autem salvus erit, sic tamquam*
„ *per ignem;* & ipsi Græci vere ac indubitan„ ter credere & affirmare dicantur, animas il„ lorum qui suscepta pœnitentia, ea non per„ acta, vel qui sine mortali peccato cum ve„ nialibus tantum & minutis decedunt, purga„ ri post mortem, & posse suffragiis ecclesia„ sticis adjuvari. Nos, quia locum purgationis „ hujus dicunt non fuisse sibi ab eorum do„ ctoribus certo & proprio nomine indicatum: „ illum quidem juxta traditiones & auctorita„ tes sanctorum patrum, purgatorium nomi„ nantes, volumus quod de cætero apud ipsos „ isto nomine appelletur. Illo enim transito„ rio igne peccata utique, non tantum crimi„ nalia, seu capitalia, quæ prius per pœniten„ tiam non fuere remissa, sed parva & minu„ ta purgantur, quæ post mortem etiam gra„ vant, si in vita non fuerint relaxata.

„ Si quis autem absque pœnitentia in pecca„ to mortali decedit: hic proculdubio æternæ „ gehennæ ardoribus perpetuo cruciatur.

„ Animæ vero parvulorum, post baptismi „ lavacrum, & adultorum etiam in caritate „ decedentium, qui nec peccato, nec ad sa„ tisfactionem aliquam pro ipso tenentur, ad „ patriam protinus transvolant sempiternam.

23. *De Simoniacis.*

Omni præterea districtione qua possumus præcipimus, tam episcopis, quam aliis sacerdotibus Græcis, sepulcrum & sepulcra * terra: omniaque denique ecclesiastica sacramenta omnino libere conferant, cessantibus conventionibus, & omnibus quæ in fraudem possent fieri circa hæc. Qui enim contrarium perpetrat, non est dubium ipsum simoniam committere, & esse cum Simone mago æterna pœna damnatum. * Locus mendosus.

24. *Ut prædicta publicentur.*

C Prædicta omnia per episcopos volumus in suis locis, tam clericis, quam laicis, saltem quater in anno exponi: congregatis ipsis in loco aliquo ad hoc apto. Hoc idem præcipimus, * *f.* episcopis. essores * in suis locis, item magistris, cappellanis Græcis, qui sunt in civitatibus vel alibi constituti.

25. *Casus episcopo reservati.*

Volumus & statuimus, quod, sicut hactenus observatum est, majora ad archiepiscopum, & ad episcopos in suis diœcesibus reserventur, ut sunt, homicidia, sacrilegia, peccata contra naturam, incestus, ut est cum consanguineis, D vel monialibus commisceri, stupra virginum, injectiones manuum in parentes, suffocationes parvulorum, perjuria, incendia, restitutio ablatorum & illegitime acquisitorum, in solemnes pœnitentias imponenda. Item excommunicatos absolvendos. Item mutationes votorum peregrinationis vel abstinentiæ. Item perjurium solemniter factum in omni curia.

26. *Bonifacius Papa.*

Si vero iidem prælati præfatis fratribus ad confessiones, ut præmisimus, audiendas electis, hujusmodi exhibere licentiam recusaverint: nos E ex nunc iptis, ut confessiones sibi confiteri volentium libere liceteque audire valeant, eisque pœnitentias imponere salutares, atque eisdem absolutionis beneficium impertiri, gratiose concedimus de apostolicæ plenitudine potestatis. Per hujusmodi autem concessionem nequaquam intendimus, personis seu fratribus ipsis, ad id taliter deputatis, potestatem in hoc impendere ampliorem, quam in ec curatis, seu parochialibus sacerdotibus est a jure concessa: nisi forsan eis ecclesiarum prælati ulteriorem in hac parte gratiam specialiter ducerent faciendam. Hujusmodi quoque statuto & ordinationi nostris adjicimus, ut fratres dictorum *Ex parte Clementina Dudum, de sepulturis.*

rum ordinum, in ecclesiis & locis suis ubilibet constitutis, liberam, ut sequitur, habeant sepulturam: videlicet, quod omnes ad eam recipere valeant, qui sepeliri elegerint in locis, & in ecclesiis memoratis. Verum ne parochiales ecclesiæ, ac ipsarum curati sive rectores, qui ministrare habent ecclesiastica sacramenta, quibus noscitur de jure competere prædicare, seu proponere verbum Dei, & confessiones audire, fidelium debitis & necessariis beneficiis defraudentur, cum operariis mercedis exhibitio debeatur: auctoritate statuimus & ordinamus eadem, ut fratres ordinum prædictorum, de obventionibus omnibus, tam funeralibus, quam quibuscumque, & quomodocumque relictis, distincte vel indistincte, ad quoscumque certos, vel determinatos usus, de quibus etiam quarta seu canonica portio dari, sive exigi non consuevit, vel non debet de jure, necnon de datis, vel qualitercumque donatis in morte, seu mortis articulo, aut infirmitate donantis vel dantis, de qua decesserit, quomodocumque, directe vel indirecte, fratribus ipsis vel aliis pro iisdem quartam partem quam auctoritate apostolica taxamus, & etiam limitamus, parochialibus sacerdotibus, & ecclesiarum rectoribus, seu curatis, largiri integre teneantur: facturi & curaturi, quod nec alii, nec aliis a quibus quarta hujusmodi minime deberetur, ad ipsorum fratrum utilitatem vel commodum, hujusmodi fiant relicta, aut in eos taliter data vel donata procedant; seu quod in morte vel ab infirmis hujusmodi, dandum, vel donandum fratribus ipsis existeret, in eorumdem dantium vel donantium sanitate, sibi dari * vel non donari procurent. In quibus per ipsos vitandis, eorum intendimus conscientias onerare: ut si, quod absit, per fratres ipsos dolo vel fraude quicquam in hac parte agi fortasse contigerit, præter id quod eos propterea dictis sacerdotibus, rectoribus, & curatis teneri volumus, etiam districta ratio in extremo judicii requiratur examine ab eisdem. Ultra portionem autem hujusmodi nil valeant parochiales sacerdotes, rectores, curati, & prælati exigere supradicti: neque illis amplius dicti fratres impendere sint astricti, neque ad id a quoquam possint aliquatenus coerceri.

* Forte, vel condonari.

27. *Hoc congruit sacerdotibus ecclesiæ, episcopis & presbyteris, qui grave pondus pœnitentiæ imponunt, ipsi vero minime agunt de peccatis suis.*

Talis ergo pœnitentia imponenda est peccatori, quam possit ferre. Accipe exemplum. Si posueris super humeros innocentis onus, quod non possit bajulare: necesse est, ut aut onus rejiciat, aut sub onere confringatur. Similiter si peccatori grave pondus pœnitentiæ imposueris: necesse est, aut ne pœnitentiam faciat in desperationem cadens, aut ipsi oneri succumbat. Melius est namque, ut de misericordia arguatur sacerdos in die judicii, quam exhibuit erga pœnitentes, quam de nimia crudelitate.

CONSTITUTIO

Qua declarantur & denunciantur excommunicati, Recitata anni. MCCLI. in magno cœmeterio ecclesiæ Nicosiensis.

Auctoritate domini papæ denunciamus excommunicatos omnes hæreticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur. Item fautores, receptatores, & defensores eorum. Item omnes qui de ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana ecclesia prædicat & observat. Item omnes qui de cætero servari fecerint statuta & consuetudines introductas contra ecclesiasticam libertatem. Item scriptores dictorum statutorum & statutarios: nec non rectores consiliarios locorum, ubi de cætero statuta, & consuetudines hujusmodi editæ fuerint vel servatæ: & illos qui secundum illas præsumpserint judicare, vel in publicam formam scribere judicata. Item præcipimus districte, & sub pœna excommunicationis universis Græcis qui sacramenta confirmationis & matrimonii juxta morem ecclesiæ Romanæ, & ecclesiæ Nicosiensis, receperunt, & etiam iis qui ex prædictis sunt procreati; ut de cætero, semel saltem in hebdomada, die scilicet Dominica, in majori ecclesia Latinorum Nicosiensi ad audiendum Divinum officium conveniant, & ibidem confiteantur Latino presbytero, saltem semel in anno, sua peccata, & ab eadem ecclesia juxta morem Latinorum omnia ecclesiastica recipiant sacramenta eadem de cætero, nisi forte in necessitate, juxta mores & ritus Græcorum nullatenus recepturi. Quod si aliqui, quod Deus avertat, contra fecerint, sententiam excommunicationis, & pœnam etiam aliam, non immerito poterunt formidare. Item denunciamus excommunicatos universos, qui Romanam ecclesiam dicunt & asserunt non esse caput omnium ecclesiarum, & eidem tamquam capiti obedire recusant. Item omnes, qui deferunt arma, ferrum, lignamina, vel alias res prohibitas, Saracenis, vel regimen exercent in eorum navibus vel galeis. Item omnes presbyteros & diaconos Græcos, qui non fecerunt, nec facere volunt obedientiam ecclesiæ Romanæ, & ecclesiæ Nicosiensis. Item omnes usurarios manifestos. Item omnes sortiarios & sortiarias, divinos & incantatores. Item omnes caoetos & caoetas. Item omnes, qui publice in domibus suis manutenent & sustinent ludum hazardi. Item omnes illos, qui aliquo modo domos suas concedunt publicis meretricibus ad commorandum in eisdem: vel postquam intellexerint eas tales, ipsas in suis domibus esse permittunt. Item denunciamus excommunicatos omnes piratas seu cursarios, qui scilicet in mari, vel fluminibus, vel etiam in terra, mercatores & alios Christianos spoliant bonis suis. Item receptatores, seu defensores eorumdem, & qui eis in suis maleficiis præbent consilium, auxilium vel favorem. Item omnes apostatas nostræ diœcesis, masculos aut feminas, qui scilicet dimisso vel abjecto habitu religionis, sæculariter viventes, ad sæculum sine licentia ecclesiæ redierunt. Item omnes, qui sponsalia vel matrimonium clandestine contrahunt, vel etiam contraxerunt: vel qui his præsumpserint interesse. Item denunciamus excommunicatos omnes, qui non restituunt vel restitui faciunt integre

tegre & plenarie decimas ecclesiæ Nicosiensis de omnibus possessionibus, animalibus, apaltibus, & redditibus suis, & qui inde semina, expensas, vel angarias, ante earum restitutionem deducunt: vel qui in ipsis solvendis fraudem aliquam committunt. Recitata sunt prædicta populo in magno cœmeterio Nicosiensis ecclesiæ, in die Palmarum, tempore domini Hugonis Nicosiensis electi, consecrati, anno Domini MCCLI. nono Id. April. & eodem modo anno sequenti.

CONSTITUTIO HELIÆ ARCHIEP.

De canonicis supernumerariis.

In nomine Domini, amen.

NOs frater Helias, Dei & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Nicosiensis, vigilantes attente circa honores & utilitates nostræ Nicosiensis ecclesiæ: considerantes quod propter jamdudum canonicos in eadem nostra ecclesia expectantes, ipsam nostram ecclesiam intolerabilia oportuit supportare: volentes itaque prædictis, & indemnitati ipsius nostræ ecclesiæ providere: de voluntate, beneplacito, consilio, & assensu venerabilium virorum dominorum Leodegarii de Nabinalis decani, Baliani Guecii, Antonii Marbre, & Bernardi Coste, canonicorum & capituli nostræ Nicosiensis ecclesiæ, ibidem præsentium, & ad hoc specialiter convocatorum, cum plures tunc non essent in eadem nostra ecclesia canonici residentes, nec in loco, ubi citari vel vocari deberent: præsenti nostra constitutione sancimus, statuimus, & ordinamus, quod de cætero nullus canonicus, quantumque sit in sacris ordinibus constitutus, sub expectatione præbendæ vocem in capitulo & stallum in choro sibi debeat vendicare: nec amucias deferre de vario, seu professis duplicibus aliquid de secreta nostra, vel aliunde, vel exenia aliqua recipere, nec in aliquo se tanquam canonicus intromittere, donec præbendam fuerit pacifice assecutus. Et prædictam nostram constitutionem mandamus, & volumus debere de cætero inviolabiliter observari: non obstantibus quibuscumque consuetudinibus ipsius ecclesiæ, retroactis temporibus observatis.

ORDINATIONES SEU INSTITUTIONES

domini Odonis Tusculani episcopi apostolicæ sedis legati in regno Cypri, an. M.CC.XLVIII.

Odo miseratione divina Tusculanus episcopus, apostolicæ sedis legatus, universis præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino.

COnsiderantes quod dispensatio nobis credita est, unde væ nobis si tacuerimus, vel si non sparserimus, ad Nicosiensem ecclesiam personaliter accedentes, ibidem visitationis officium impersuri. Quia juxta canonicas sanctiones, visitationis officium exercentes, prædicationi & exhortationi, correctioni & reformationi debent intendere: post prædicationis & exhortationis a nobis verbum propositum, prout Dominus ministravit, tam venerabilem patrem E. archiepiscopum in verbo sacerdotis, quam personas & alios canonicos & clericos ejusdem ecclesiæ astrinximus juramento, quod super his quæ correctionis vel reformationis bono in capite, aut in membris, ac statu ipsius ecclesiæ, indigent, nobis quam scirent dicerent veritatem.

I. Itaque quia circa statum ecclesiæ quædam per inquisitionem factam invenimus reformanda, quædam etiam corrigenda; in primis quoniam quod salubriter a sanctis patribus extitit definitum: ut videlicet synodus seu episcopale concilium bis in anno certis temporibus ad correctionem excessuum, & morum informationem, necnon & provinciale concilium annis singulis celebretur, in quo de his quæ pertinent ad totius provinciæ bonum statum communiter ordinetur, majoresque insuper audiantur querelæ, in tota Cypri ecclesia, non sine culpa maxima invenimus omnino neglectum: districte B præcipimus, ut tam episcopalis synodus, quam provinciale concilium, in ecclesia regni Cypri de cætero annis singulis habeantur: in quibus ea diligenter & devote tractentur, quæ in sacris ordinibus continentur, & ad pacem & salutem pertinent animarum. Caveant autem tam archiepiscopus, quam episcopi regni Cypri, ne nostrum præceptum negligant in hac parte: quia si in hoc eorum aliquem amplius culpabilem in venerimus, poterunt non immerito formidare, ne ab eis exigamus culpam tam præteritam, quam præsentem.

II. Et licet fuerit in Lateranensi concilio salubriter ordinatum, ut in singulis cathedralibus ecclesiis, de grammatica, & in metropolitanis similiter, & nuper, de theologia, habeantur magistri, qui alios instruant ignorantiam effugere in seipsis, quæ est mater cunctorum errorum, & imbuere alios scientiæ margarita; & hoc tamen statuto tam utili nullus aut modicus in regno Cypri fructus provenerit hactenus, cum, sicut dolentes referimus, illud ibidem vix aut nunquam extiterit observatum: propter quod præter tantæ transgressionis culpam, qua graviter offenderunt oculos majestatis Divinæ, timendum valde est hoc negligentibus, quod procul dubio ab eis ratio districtissime exigetur pro animabus, tam illorum, quam suorum subditorum, cum essent cæci & cæcorum duces, cum his quos duxerint lapsi sunt in foveam infernalem; quam illorum etiam quos duxerint. Quos etiam tanto minus constat excusabiles esse in hac parte, quanto a locis, in quibus super prædictis habetur studium, remotiores existunt, cum vel paupertate coacti, vel locorum distantia, aut difficultate viarum territi, vel maris periculo, illuc ubi studetur, pauci, vel nulli, de his partibus ire audeant sive possint. Volentes igitur morbo tam gravi ac periculoso celeri remedio subvenire, ne & nos etiam hoc negligentes cum negligentibus condemnemur: districte & sub interminatione Divini judicii præcipimus archiepiscopo Nicosiensi, quatenus omni mora, excusatione, aut difficultate postpositis, magistros de theologia & grammatica in civitate Nicosiensi de cætero esse faciat & docere, quibus provideatur juxta statuta concilii antedicti. Et nihilominus, si opus fuerit, ut omnis impedimenti tanti boni tollatur materia, amplioribus beneficiis inducantur, quos gratis docere volumus, ne aliquo exactionis timore scholares se subtrahant a discendo: & hæc eadem præcipimus suffraganeis ecclesiæ Nicosiensis circa magistros grammaticæ facultatis.

III. Ad hæc, tam archiepiscopo, quam episcopis, aut vicariis eorumdem, districtissime prohibemus, ne ad excommunicandum sint facciles,

ciles, aut ex levi causa excommunicationis sententias fulminent in subjectos: quia ex hoc subrepit contemptus clavium, & multa pericula proveniunt animarum.

IV. Cæterum quia totum quidquid agimus ad hoc debet tendere, ut animarum provideatur saluti: præcipimus tam archiepiscopo, quam episcopis, ut in suis ecclesiis magistros cappellanos, qui curam teneantur agere animarum, non sicut hactenus omnino illiteratos instituant; sed potius tales, qui alicujus saltem litteraturæ existant, ut artium artis, curæ videlicet animarum, aliquam peritiam habeant, & tamquam dociles ad studium excitentur: quos perpetuo volumus in suis remanere officiis, nisi justa causa quocumque ipsos exigat amoveri. Quibus etiam volumus in Nicosiensi ecclesia quadraginta, & in aliis viginti quinque Byzantios albos, ultra id quod nunc de more percipiunt, ut honestius ac libentius serviant, exhiberi: & etiam ut propter victus tenuitatem non compellantur extendere ad illicita manus suas.

V. In aliis etiam parochiis, tam civitatum quam diœcesum, idonei & perpetui instituantur presbyteri: quibus, ne in opprobrium cleri mendicare cogantur, & se propter inopiam a suis parochiis abstentare: præcipimus, ut cuilibet consueti redditus, sine diminutione aliqua aut difficultate, debitis temporibus persolvantur: & ut quælibet parochia, ornamenta decentia, & libros, & calicem argenteum habeat, jubemus districte. Et quia intelleximus a pluribus fide dignis, quod paucæ sunt parochiæ Latinorum in diœcesi Nicosiensi, propter quod nonnunquam plura proveniunt pericula animarum: volumus, & præcipimus Nicosiensi archiepiscopo, ut ad præsens unam de novo statuat parochiam in casali suo de Fandia, vel ibi prope, ubi magis cognoverit expedire.

VI. Ut autem tam personæ, quam canonici, assisii, & alii clerici, propter moram aut difficultatem solutionis eorum, quæ percipere debent, occasionem nullam habeant se a Divinis, seu ecclesiæ officio subtrahendi: districte præcipimus, ut ea quæ consueverunt percipere, ipsis integre suis temporibus & sine difficultate qualibet persolvantur: quia non est minima pœna, non solum frequenter, sed vel etiam quotiescumque, respicere ad manus alienas.

VII. Quia vero ex eo quod cedentibus vel decedentibus ecclesiarum prælatis, vix invenitur aliquis qui possessiones, reditus, aut jura noverit ecclesiarum, nonnunquam contingit ecclesiis circa sua jura multa pericula provenire: ut contra morbum hujusmodi salubriter provideatur ecclesiis, ordinamus atque præcipimus tam archiepiscopo, quam episcopis, & aliis prælatis ecclesiarum regni Cypri, quatenus infra duos menses, omnes possessiones, redditus, atque jura ecclesiarum suarum investigent diligenter, & fideliter atque distincte conscribant, tradantque suis capitulis unam scripturam suo sigillo munitam, in suis archivis diligentius conservandam, aliamque ejusdem tenoris ipsi conservent similiter sigillatam.

VIII. Adjicimus etiam antedictis, ut tam archiepiscopi, quam episcopi, sollicitius & libentius, quam huc usque fecerint, Divinis atque spiritualibus rebus intendant, & his quæ ad salutem pertinent animarum: spiritualia temporalibus præponentes, & non e converso, ordine perturbato. Quia si hoc fecerint quod jubemus, juxta veritatis verbum hæc omnia adjicientur, dum primo tam sibi, quam suis subditis quæsierint regnum Dei.

IX. Ad hoc, quia aliquando, sicut dicitur, decanus fuit in Nicosiensi ecclesia, licet hoc in dubium revocetur, & præcipue quia invenimus quod dicta ecclesia maxime indiget hujusmodi personatu: statuimus, ut in Nicosiensi ecclesia de cætero sit dignitas decanatus, percipiatque decanus quantum duo canonici, & habeat curam animarum, personarum, canonicorum, & clericorum ecclesiæ memoratæ. Jurisdictionem tamen aliquam contentiosam non habebit. Sitque major persona post archiepiscopum, tam in capitulo, quam in choro: vigiletque circa bonum & honestum statum, tam spiritualium, quam temporalium omnium, ecclesiæ supradictæ. Volentes, ut idem decanus in Nicosiensi ecclesia ad residentiam continuam teneatur: & ut super hoc in sui receptione præstet corporaliter juramentum. Si vero qui electus fuerit in decanum, sacerdos non fuerit: in institutione sua jurabit, quod infra annum in sacerdotem se faciat promoveri. Cum vero decanus receptus fuerit, archiepiscopo Nicosiensi homagium facere teneatur. Decani vero electio ad capitulum pertineat, ita quod de ipsius gremio ecclesiæ fiat: confirmatio vero & institutio, ad archiepiscopum pertinebit.

X. Verum quia invenimus, quod antiquitus, quando longe minus abundabat in redditibus eadem ecclesia, sexdecim fuere in ea canonici, licet postea paulatim per negligentiam hujusmodi numerus multum extiterit diminutus, quamquam multum excreverint, sicut comperimus, redditus ecclesiæ memoratæ: statuimus, ut in eadem ecclesia de cætero XII. canonicorum numerus habeatur; qui si non resideant nihil percipiant de eadem, nisi de licentia archiepiscopi, cum consensu capituli, fuerint abstentes causa studiorum, aut captivi ab hostibus teneantur, vel pro negotiis ecclesiæ, aut capituli, si cum archiepiscopo causam habeant, absentes fuerint: & tunc solus consensus capituli exigatur. Poterit autem archiepiscopus unum aut plures secum habere de suis canonicis, & similiter episcopi, juxta canonicas sanctiones. Insuper ordinamus, ut post mortem canonici ejusdem ecclesiæ, alius canonicus substitutus eidem, & residens, integre percipiat omnia sicut suus perceperat prædecessor.

XI. Ad hoc ut pensum suum omnes jugiter in ecclesia, ubi beneficium percipitur, Deo reddant, nisi causa probabili excusentur: statuimus, ut canonicus qui de aliquo sibi ascripto defectum fecerit, in sex denariis pro vice qualibet puniatur. Assisius vero, qui secundum tabulam in defectu fuerit, vel horis defuerit, districtius corrigatur.

XII. Et quia Nicosiensis ecclesiæ ordinarium, prout intelleximus, in multis deficit, propter quod in eadem ecclesia frequenter contingit servitium fieri perturbate: præcipimus, ut ad * alicujus magnæ, & secularis ecclesiæ regni Hierosolymitani, dictum ordinarium reformetur, & ut in diebus professis in matutinis lectiones legantur in medio choro, non in pulpito, de quo ab his qui sunt in choro parum auditur aut nihil.

* Deest forte exemplum.

XIII. Cumque etiam invenerimus, aliquando fuisse ab ecclesia Cypri in provinciali concilio statutum, ut canonici Nicosienses in sua ecclesia

clesia, per se vel per vicarios, faciant septimanas, & hoc fuisse neglectum: nos justum reputantes & sanctum, ut qui sentit commodum, expers minime sit laboris, hoc idem in eadem ecclesia præcipimus de cætero inviolabiliter observari. Sed volumus, ut per vicarium, non canonicum tunc servire possit canonicus, cum secundum consuetudinem Nicosiensis ecclesiæ, vel aliarum ecclesiarum regni Hierosolymitani, persona canonica alicui servitio specialiter deputetur.

XIV. Volumus etiam, ut persona duos clericos non assisios, & canonicus unum, in domo secum teneant: qui & eos associent, & ex quibus numerus servientium in ecclesia augmentetur.

XV. Inhibemus præterea, ne aliquis chorum ingrediatur post primum *Gloria patri* primi psalmi: & ne ingressus, ante finem illius horæ, sine causa rationabili exeat: vel in choro loquatur, nisi de his quæ pertinent ad officium, quod tunc fiet: sed nec discalceatus aut sine caligis quisquam in choro compareat, sive in habitu inconsueto, vel etiam inhonesto. Quod si quis, circa hoc quod de choro, vel ejus honestate statuimus, deliquerit: per cantorem, si fuerit in minoribus ordinibus, vel per Decanum, si fuerit in majoribus ordinibus, corrigatur: salvis tamen aliis juribus & honoribus cantori Nicosienti, secundum consuetudinem in eadem ecclesia hactenus observatam.

XVI. Quia vero, præsertim secundum hæc mala tempora, maximam decet circa sigilli custodiam diligentiam adhibere: volumus, ut sigillum capituli sub duabus custodiatur clavibus, quæ aliquibus discretis de capitulo per ipsum capitulum committantur: quas sine difficultate, cum voluerit capitulum, repetere poterit aliis de capitulo committendas.

XVII. Insuper comperimus, quod tamen ægre ferimus, non sine præsumptione damnabili & scandalo laicorum, in Nicosiensi ecclesia jam pro consuetudine observatum, quæ dicenda est potius corruptela, ut cum processio pro mortuo petitur, ante omnia certa pecunia vel fidejussores, aut pignora exigantur; similiter pro campanarum pulsatione, & fossa pro mortuo facienda; & etiam tam in sponsalibus, quam in matrimoniis contrahendis, & dum pueri baptizantur, clericus unum byzantium vel plures, de cereo, quem ad honorem portant laici, violenter aufert, sicut nobis extitit intimatum. Quæ omnia & singula, sive similia, tamquam perniciosa districtissime prohibemus: volentes, ut omnino nihil pro hujusmodi aut similibus exigatur. Sed præcipimus, ut omnia exhibeantur liberaliter atque gratis. Quod si contingat, laicos circa hujusmodi laudabiles consuetudines non servare: ad illud compelli poterunt, juxta statutum habitum super hoc, ut fuerit rationis.

XVIII. Quamquam autem lumen luminum, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, luce materiali non egeat: pia tamen fuit statutum devotione, ut nostri redemptoris corpus ad infirmatum deportari contingit, ipsum ob sui reverentiam lumen materiale præcedat: nec tamen ad hoc tam modicum, in ecclesia Nicosiensi est aliquis certus redditus deputatus. Unde, quod non sine rubore referimus, contingit, ut pro hujusmodi habenda candela, pro ecclesia mendicetur. Nolentes itaque in hac parte Jesu Christi ignominiam sustine-

Joan. 1.

re: præcipimus, ut antequam cera, quæ pervenit ecclesiæ, dividatur, tantum ad hunc usum accipiatur de ea, ut ei qui dat omnia detur aliquid, quod commode sufficiat, usque ad partitionem sequentem.

XIX. Invenimus etiam, quod canonici Nicosiensis ecclesiæ in sui receptione jurabant, secreta capituli, & jura ecclesiæ conservare. Sed quia jamdudum id neglectum extitit: præcipimus, ut qui non juraverunt jam recepti, & qui recipiendi deinceps fuerint, præstent hujusmodi juramentum. Non tamen intelligimus, ut in expensis propriis canonicus jura ecclesiæ suæ prosequi teneatur, vel solus: sed ut majori & saniori parti capituli, cum oportet, in his consentiat bona fide.

XX. Cum autem, sicut accepimus, novi panni serici, qui in lectis mortuorum apud Nicosiensem ecclesiam sive in ejus cœmeterio sepeliendorum ponebantur, cedebant ad ipsius ornatum ecclesiæ, & hoc fuisse a paucis temporibus immutatum: volumus, ut de cætero, prædicto usui sine diminutione aliqua deputentur.

XXI. Licet autem sancti Dei sint a tota ecclesia honorandi, super quos post Christum sua jecit fundamenta: specialiter tamen ibidem eorum est habenda memoria veneranda, ubi vitam finiere temporalem, adipiscentes æternam. Cum igitur non * multos apud Cyprum sanctos legamus ad dominum migrasse, videlicet Barnabam, Epiphanium, Hilarionem, Nicanorem, [a] Titicum, Jasonem, & Spiridionem, Aymonem & Alexandrum, Potamium & Nemesium; & pro tribus illorum tantum in Nicosiensi Ecclesia intellexerimus novem fieri lectiones: nolentes, ut aliis honor debitus subtrahatur, præcipimus, ut per omnes ecclesias Latinorum in Cypro, in die festo cujuslibet prædictorum fiant novem lectiones de martyribus sive confessoribus, prout decet.

* *f.* nonnullos.

[a] *Lege* Tychicum *ex martyrologio Rom.* 19. *April.* H.

XXII. Et ut quantum possumus provideamus, ne quid desit cum sacerdotes oportet offerre hostiam salutarem, quando maxime offerentem cor decet habere pacatum: volumus ut cum cappellanum, quem venerabilis E. Nicosiensis archiepiscopus instituit, ut tam pro se quam pro suis prædecessoribus celebret, & Assisium qui tempore vicis suæ in ecclesia Nicosiensi celebrat pro defunctis, oportebit cantare, utrique ad serviendum sibi in Missa, aliquis de subdiaconis, vel acolytis, per septimanas vicissim per tabulam sive matriculam deputetur.

XXIII. Ne autem prædicta per ignorantiam aut oblivionem aliquatenus negligantur: volumus, ut tam archiepiscopus, quam capitulum, sub nostro sigillo ea recipiant duplicata: quorum unam scripturam archiepiscopi, qui pro tempore fuerint, custodiant; altera vero penes capitulum conservetur. Et nihilominus in aliquo magno ipsius ecclesiæ libro, in fine vel in principio transcribantur: ut eorum copia & notitia ab omnibus de ecclesia facile habeatur.

Actum anno Domini MCCXLVIII. mense Martio.

CONSTITUTIO ODONIS LEGATI

Contra Simoniacos.

Lata in concilio provinciali Syriæ an. M. CC. LIV.

Venerabili in Christo patri H. Dei gratia archiepiscopo Nicosiensi, vel ejus vicariis: Odo miseratione Divina Tusculanus episcopus, apostolicæ sedis legatus, salutem & sinceram in Domino caritatem.

NOverit paternitas vestra, nos zelantes animarum providere saluti, volentesque tollere scandalum laicorum, & quasdam consuetudines abusivas, quæ per partes cismarinas invaluerunt, & per quas decoloratur honestas ecclesiæ, de consilio & consensu prælatorum Syriæ nuper edidisse quædam statuta, quorum tenor talis est.

Legitur quod primus gradus innocentiæ, est odisse nefanda: nec prodest alicui non puniri proprio, qui puniendus est alieno peccato. Hinc est quod propheta petens mundari ab occultis propriis, precatus est ut ei parcatur ab alienis peccatis: quæ habenti potestatem corrigendi, fiunt propria, si ea corrigere negligat vel omittat. Nos igitur præcavere volentes, ne nobis aliena crimina imputentur, cum nobis, licet indignis & insufficientibus, ex injuncto officio incumbat evellere & destruere, disperdere & dissipare vitia, & ædificare & plantare virtutes: quædam quæ non plantavit pater cælestis, intendimus evellere ex agro, cujus custodia nobis a Domino est commissa.

Frequens necnon & assidua nos querela circumstrepit, & in tantum clamor adscendit contra clericos cismarinos, quod ipsum dissimulare ulterius sine scandalo non valemus, nec sine periculo tolerare. In multis siquidem casibus deformatur & decoloratur honestas ecclesiæ cismarinæ, derogaturque statutis sanctorum patrum, per quasdam abusiones, & perversas consuetudines, quæ debent dici potius corruptelæ. In nonnullis enim ecclesiis cismarinis delinquunt clerici contra ecclesiastica sacramenta, exponendo ea venalia: quod fieri non potest sine vitio simoniacæ pestis; quæ sicut sua magnitudine alios morbos vincit, ita sine dilatione, mox ut ejus signa claruerint, debet de Dei ecclesia eliminari radicitus & propelli. Dicitur enim, quod cum quis elegerit sepulturam in cœmeterio sancti Nicolai Acconensis, vel alibi in cœmeteriis in cismarinis partibus constituris: canonici seu clerici processionaliter prosequi nolunt corpus defuncti, nisi pro processione certum stipendium habeant, quod postmodum inter se dividant: societatis humanæ vinculum contemnentes & fidei, quæ quadam fraternitate nos unit, & mutua servitia nos admonet gratis ad invicem impartiri. Item cum propinqui defuncti faciunt fieri aliquod monumentum lapideum in cœmeterio subtus terram, coguntur solvere unam litram olei, quæ continet IV. quarteronos, vel aliud pretium, clericis ecclesiæ ad quam spectat illud cœmeterium, nec aliter sine pretio possunt super hoc licentiam obtinere. Item cum in cœmeteriis monumentum, sive ædificium fit per aliquem, qui quandoque alicubi ad hoc est specialiter constitutus, vel alium: ipse certum pretium recipit pro labore, de quo duas partes recipit pro labore, & tertiam recipit ecclesia cujus est cœmeterium: & quandoque aliam portionem. In quibus duobus articulis proximis terram sanctam ministri ecclesiæ, in qua talia fiunt, videntur vendere: immemores ejus, quod dum Abraham ab Ephron sepulcrum ad humandum corpus suæ conjugis pretio postularet, Ephron primo pretium accipere renuit, ne commodum ex cadavere videretur consecutus. Si ergo tantæ considerationis vir paganus fuit, quanto magis nos sacerdotes & clerici, qui fideles sumus, hoc facere non debemus? Item quidam, ut dicitur, pro puero baptizando, cum portatur ad fontes, certum pretium exigunt: & pro alba, sive veste candida, quæ sacra vestis est, si indigenti vel non habenti pro puero baptizando accommodetur, certum similiter pretium exigunt, licet postmodum restituatur eisdem. Item & cereum, qui propter honorem baptizati ac parentum ad domum eorum cum puero accensus deportatur, exigere, nec aliter deportare permittunt, nisi prius cautione recepta quod restituatur eisdem, licet neutrum istorum inter oblationes necessarias numeretur. Item pro sponsalibus contrahendis exiguntur a prælatis quibusdam tres solidi, sive * raboinus unus, vel aliud pretium: nec volunt aliter suam præsentiam exhibere. Item & cum matrimonium volunt contrahentes in facie ecclesiæ solemnizare, quadraginta tres denarii, vel aliud pretium primitus extorquetur ab eis: nec aliter volunt prælati quidam ad ea suum officium aut ministerium exhibere, vel facere solemnitates, vel concedere ut fiant. Item & pro officio circa celebrationem nuptiarum impendendo, quoddam ferculum & duas phialas vini, vel aliquod simile pretium, a nubentibus exigunt & extorquent. In quibus prædictis multum offendunt canones, & ecclesiasticæ derogant honestati: cum secundum beatum Gregorium, dignum sit, ut sicut ordines, prælaturas, & beneficia ecclesiastica gratis accipiunt, ita ea quæ ad eorum spectant officium, gratis distribuere petentibus teneantur.

* Moneta genus in regno Hierosolymitano & Cypro, inquit Ducangius in Glossario.

Item asseruntur quidam sacerdotes, & alii in sacris ordinibus constituti, sub colore servitii tenere secum in domibus propriis quasdam mulierculas, cum quibus inhoneste, ut dicitur, aliqui conversantur, vel per ipsarum ministerium, aliarum subintroductio aliquibus procuratur. Item & aliud vitium irrepsit apud quosdam, quod quando aliqui contrahere volunt per verba de futuro sponsalia, pœna pecuniaria de matrimonio contrahendo apponitur: & quandoque certum tempus præfigitur, infra quod contrahi matrimonium debeat; & plerumque fit sine temporis præfinitione. Et cum certum tempus apponitur, si non contrahant infra illud, quamvis postmodum velint contrahere, pœna propterea præfixa petitur a prælatis ecclesiæ, compelluntque partes ad solvendum sibi ipsam, in utilitates proprias convertendam. Item si post contracta sponsalia de futuro, pœna apposita de matrimonio contrahendo, contrahentes se ad invicem velint absolvere: petitur a prælatis pœna apposita, & ab utraque parte in solidum extorquetur. Et si unam dissentire contingat, altera consentiente: petitur pœna a dissentiente, & compellitur ad solvendum. Et plerumque etiam ab illo qui contrahere consentit, licet alter dissentiat, pœna solita, vel pro parte exigitur: quod satis crude-

le & avarum est, ut innocens puniatur. Et in his casibus nituntur infringere sacras constitutiones, quæ matrimonia debere esse libera decreverunt: cum nihil sit, in quo magis consensus liber & pacificus debeatur; nec locum habeat consensus, ubi metus vel coactio intervenit, quæ quodammodo partibus ingeritur, cum hujusmodi exactio intercedit; & ubi consensus cujusquam requiritur, oportet quod omnis coactionis materia repellatur. Si enim timore cogente dicat contrahens, sibi placere quod displicet: sæpe sequitur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire. Et in hoc casu responsum est de quadam, quæ contrahere recusabat, quæ monenda est potius quam cogenda: cum coactiones, difficiles soleant exitus frequenter habere. Quare patet, quod pœnæ exactio circa matrimonia, odiosa & inhonesta est, & in avaritiæ radice fundata, & ideo reprobanda: cum ea quæ ecclesiastica provisio ordinavit ad pacem & concordiam, & pro periculis evitandis, clerici trahant ad noxam. Et abominabile est absurdum, ut quod in aliis condemnat ecclesia, sibi ad compendium trahat. Et videntur tales qui hujusmodi pœnas exigunt, ex fidei ruptione ac perjuriis gratulari, propter emolumentum quod consequuntur ex eis; vel malos exitus nuptiarum appetere, ad quas compellunt per coactiones hujusmodi renitentes, & etiam plerumque * volentes, quod est iniquum. Insuper quod aliis prohibemus ut malum & illicitum, indecens est, ut illud licere nobis clericis existimemus: & in eo quod ab aliis exigere tenemur, nobis parcere non debemus.

* Forte potius, nolentes H.

Item & a quibusdam inolevit quoddam abominabile & horribile: videlicet quod celebratis solemnitatibus nuptiarum, statim quidam clericus ecclesiæ, in qua solemnizatum est matrimonium, portans aquam benedictam, cum pervenerit ad portam domus in qua debent se recipere nubentes, tenens quandoque candelas accensas in manibus, ponit eas sub conjugatorum pedibus, & accipit pro hujusmodi tam improbando officio, XII. denarios, vel aliud pretium: quod sortilegii vitio carere non dubitatur, quod improbatum est & canonibus inimicum, cum secundum canonicas sanctiones, arioli, aruspices, incantatores, sortilegi, atque cæteri sectatores hujusmodi abusionum quæ a zabulo inventæ dicuntur, eliminandi sint ab ecclesia, quæ sine macula & ruga est.

Nos igitur attendentes, quod hoc solum quod irreprehensibile est sancta defendit ecclesia, item quod cito sequitur lepra mercedem, & pecunia male acquisita corpus animumque commaculat, & quod inexpiabilis est venditi culpa mysterii: considerantes etiam, quod licet frequenter prohibitum sit a sanctis patribus, ne pro sepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, chrismatis oleique perceptione, baptizandis consignandisque fidelibus, seu quibuscumque aliis sacramentis ecclesiasticis, pretium aliquod exigatur, nondum tamen cessatur, nec proficiunt statuta sanctorum apud quosdam, putantes hoc sibi licere, quia ex longa consuetudine extitit hoc obtentum, nec attendentes, quod tanto sunt graviora peccata, quam diutius infelicem animam detinent alligatam: cum scire debuerint, quod gratia, si non gratis detur vel accipiatur, non est gratia. Idcirco nos eorumdem sanctorum patrum sequentes vestigia, auctoritate domini papæ qua fungimur: statuimus, decernimus, & irrefragabiliter sancimus, & in virtute obedientiæ præcipimus, ut de cætero pro sepulturis, processionibus mortuorum, & exequiis ac monumentis eorum, benedictionibus nubentium, chrismatis olei que perceptione, baptizandis consignandisque fidelibus, alba, cereo, seu aliis quibuscumque sacramentis ecclesiæ, nihil penitus per personas ecclesiasticas, pacto aut conventione præcedentibus, exigatur; sed gratis accepta dona Christi, gratuita dispensatione donentur; & consuetudines prædictas, quæ potius corruptelæ sunt, reprobamus. Si tamen ex post facto gratuitum aliquid offeratur, vel ex devotione fidelium; sponte oblatum recipi non vetamus. Volumus tamen & præcipimus, ut albæ sollicite requirantur (ne per malitiam hominum & astutias diaboli, in usus illicitos convertantur) in usus ecclesiasticos applicentur. Et id quod de quinque candelis fit, in perpetuum reprobamus.

Circa exactionem vero pœnarum pecuniarium quæ vulgariter appellantur repetailles, vel aliorum, quocumque nomine censeantur, quæ in matrimoniis & sponsaliis apponuntur, quia usitatum est malum, & majoribus inolitum, majoriſque quæstus, & ob hoc difficilius evelli timetur: statuimus & sancimus, ut si quis de nostra legatione, postquam præsens statutum ad notitiam ipsius pervenerit, contraire præsumpserit, vel fraudem aliquam circa hoc adhibuerit, ex eo tempore se noverit ipso facto ab officii executione suspensum. Sed ne crimina remaneant impunita, volumus ut parti resilienti, pro perjurio vel fide rupta, per prælatum loci pœnitentia competens imponatur. Interdicimus etiam, ne quis infra terminos nostræ legationis constitutos, pro sponsalibus faciendis, vel solemnizandi matrimonium licentia concedenda, exigat raboinum, seu aliquod aliud pretium. Inhibemus etiam, ne pro celebratione matrimonii quadraginta tres denarii, vel aliquod aliud pretium exigatur. Quod si quis autu temerario contra aliquam duarum istarum inhibitionum aliquid exigere præsumpserit, ipso facto ab ingressu ecclesiæ usque ad XX. dies continuos noverit se suspensum.

Verumtamen ut animarum periculis occurramus, venerabilibus patribus, patriarchis, archiepiscopis & episcopis infra terminos nostræ legationis constitutis, vel eorum vicariis, si præsentes non fuerint, concedimus potestatem absolvendi a sententiis antedictis eos, qui in suis civitatibus & diœcesibus incurrerint sententias antedictas. Ita tamen, quod antequam eis absolutionis beneficium impendatur, præstito juramento caveant, quod de cætero talia non attentent: & pretium exactum restituant iis, a quibus exegerint, si eos potuerint invenire: si vero inveniri non potuerint, pretium exactum restituant diœcesano episcopo, per provisionem eius in usus pauperum applicandum. Si vero aliqui ex iis, qui propter exactiones prædictas inciderint in aliquam sententiam prædictarum, restituere non possint quod sic exactum est: talis eis pœnitentia injungatur, propter cujus terrorem, tam ipse, quam alii, a similibus arceantur.

Item districte inhibemus sub pœna amissionis beneficiorum suorum ecclesiasticorum, ne presbyteri, & alii in sacris ordinibus constituti, mulierem aliquam, cohabitandi vel serviendi causa, secum in domo teneant, nisi de illis personis sint, quæ a canonibus permittuntur.

tur. Ubi enim est virorum & mulierum cohabitatio, stimuli carnis non desunt. Si qui vero contra hanc inhibitionem nostram fecerint, si moniti a superiori suo super hoc, desistere noluerint, ipso facto suis beneficiis sint privati, si qua habent, & illi ad quos spectat beneficiorum illorum collatio, ex tunc liberam habeant potestatem illa beneficia personis idoneis conferendi. Si vero beneficia ecclesiastica non habuerint, per suos superiores pœna suspensionis vel excommunicationis ab hujusmodi flagitio arceantur.

Statuimus etiam, ut singuli patriarchæ, archiepiscopi, & episcopi, ad minus semel in anno, in diœcesibus suis synodum celebrent: & in illa synodo statutum hujusmodi faciant publice recitari: & in libris matricis ecclesiæ conscribi ad perpetuam memoriam faciant.

Hujusmodi autem statutorum copiam vobis mittimus, mandantes, vestramque exhortantes in domino caritatem, ut ea publicari solemniter faciatis in majori ecclesia Nicosiensi, convocato clero civitatis ejusdem: & ita fieri faciatis per episcopos, vel eorum vicarios, in civitatibus vestræ jurisdictioni subjectis, necnon & per alia loca regni Cypri, ubi videbitis expedire: & circa eorum observantiam, adhibeatis & adhiberi faciatis curam & diligentiam efficacem. Actum in Accon *, anno Domini MCCLIV. VIII. Idus Augusti.

* hoc est, Ptolemaide.

CONCILIUM NIMOCIENSE

Ann. MCCXCVIII.

INcipiunt constitutiones sacri provincialis concilii celebrati apud Nimocium, per reverendos patres dominos, Gerardum archiepiscopum Nicosiensem, Nicolaum Paphensem, Bernardum Nimocensem, episcopos: episcopo Famagustano tunc in remotis agente. Anno Domini MCCXCVIII. vicesima secunda die Septembris.

Gerardus Dei & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Nicosiensis, dilectis Christo universis ecclesiarum ministris per Cypri provinciam constitutis, salutem & paternæ caritatis affectum.

QUia labilis est humana memoria, idcirco ut quæ ad ædificationem pertinent & doctrinam, fortius & firmius observentur, si fuerint scripturæ officio animis impressa (quia quæ solo capiuntur auditu, potest ex facili sollicitudo superveniens extufflare: nos præcepta provincialia, ut melius sciantur, sanius intelligantur, & sine calumnia firmius & efficacius observentur, per hanc nostram scripturam volumus plenius declarare.

I. *De Baptismo*

In virtute Domini nostri Jesu Christi districte præcipimus sacerdotibus & clericis universis, quatenus cum honore & reverentia, & devotione debita, singula ecclesiastica sacramenta, utpote Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam &c. populo exhibeant: & ut reverenter a subditis, & devote suscipiantur, ab iis sæpius in ecclesiis instruantur, dictos subditos admonentes, ut singulis diebus Dominicis in parochiali ecclesia conveniant, præcepta ecclesiastica audituri.

In baptismo vero adhibeatur discretio & cautela, & maxime in forma verborum, quæ talis est: *Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen*. Et licet a solis sacerdotibus infantes debeant baptizari: tamen cum mortis vel infirmitatis maxima necessitas ingruerit, alii clerici & laici, nisi adsint presbyteri, & etiam pater vel mater, si aliæ personæ defuerint, parvulis exhibeant sacramenta, ter mergentes in aqua, & non in alio liquore, dicentes prædictam formam. Et si laicus nesciat Latinum, sententiam prædictorum verborum in suo vulgari dicat *P. je te baptize en nom du Pere, & du Fils, & du saint Esprit. amen*, vel in alio idiomate suo. Cum vero contigerit, puerum ab alio quam a sacerdote baptizari, deferatur presbytero ad chrismandum: qui primitus diligenter inquirat antequam ipsum chrismate liniat, * quod dictum vel factum fuerit. Et si præmissam formam invenerit observatam, ipsum chrismet: alioquin sub prædicta forma ipsum baptizet. Si vero probabiliter dubitetur de aliquo, an fuerit baptizatus: baptizetur dicendo, ego non rebaptizo te puer, sed si non es baptizatus, ego baptizo te, &c. ut prius.

* Forte, quid. H.

II. *De fontibus sacratis.*

In ecclesiis, in quibus de consuetudine baptizatur, fontes fiant lapidei & honesti, & ad sortilegia vitanda claves fontium penes sacerdotes sint. Pro eadem causa, chrisma & oleum similiter sub clavibus observentur. Ad levandum de fonte infantem, tres patrini tantum utriusque sexus admittantur: videlicet duo viri, & una mulier, cum masculus baptizatur: & contra duæ mulieres & unus vir, cum fœmina baptizatur: qui doceant puerum, aut docere faciant tempore suo *Pater noster*, & *Credo in Deum*. Et hoc omnibus patrinis post baptismum a sacerdotibus injungatur. Item propter vitanda periculum præcipimus, ne baptismus periculose differatur. Et frequenter a sacerdotibus populo hoc prædicetur. Et ne parvuli a parentibus vel nutricibus in lectis aliquatenus, sed diligenter in cunabulis collocentur. Et quia quædam nefandæ mulieres consueverunt proprios filios projicere: communiter instruantur, ut si quandoque istud, quod absit, contigerit, in signum baptismi non susceptí juxta projectos sal apponatur, vel in collo ligetur. Item statuimus, ut sacerdotes patrinos & matrinas instruant, quod ipsi vel filii sui, vel filiæ, non poterunt cum persona levata, matrimonialiter copulari: & hoc filiis suis & filiabus sæpissime protestentur.

III. *De Confirmatione.*

Volumus, quod presbyteri sæpe moneant populum suum, ut si adulti fuerint confirmandi, prius confiteantur peccata sua, & postmodum confirmentur. Pueri vero qui intelligere possunt, ad Confirmationem veniant. Si vero de aliquo, an confirmatus sit, dubitetur, & nulla possit haberi super hoc certitudo, confirmetur, sicut superius dictum est de baptismo: & dicant laicis sæpius sacerdotes, quod istud non negligant sacramentum, cum in susceptione ipsius gratiæ roboretur.

IV. *De*

IV. *De Confessionibus.*

In confessionibus magnam adhibeant diligentiam sacerdotes, & confessiones audiant in ecclesia, ut ab omnibus valeant intueri: & ubi non erit ecclesia, utputa in casali, non in camera vel gardaroba, sed in capella, si fuerit vel in palatio, seu in alio loco non suspecto, nisi necessitas aliud suaderet: usitata peccata diligenter inquirendo, & eorum circumstantias, puta, locum, dignitatem, scientiam, ordinem, votum, & ætatem. Si enim in loco sacro perpetratum fuerit peccatum, vel si aliquis dignitatem habens, ut prælatus, vel scientiam, ut clericus, vel ordinem, ut subdiaconus, diaconus & sacerdos, vel votum, ut religiosus, vel ætatem, ut senex, cum sit venus in sene ridiculosa, peccatum perpetraverit: tunc est major & gravior pœnitentia injungenda. Et sic de aliis circumstantiis, quæ peccatum aggravant, decernimus faciendum. De gravioribus vero peccatis & inusitatis, & qualiter viri contractant cum uxoribus suis, nullatenus quærant. Et si peccatum carnale fuerit, puta, luxuria, gulositas, & his similia: jejuniis, disciplinis, & peregrinationibus pœnitens castigetur. Si autem spirituale fuerit, ut superbia, ira, acedia, invidia, avaritia, odium, & his similia: tunc pœnitenti orationes devotæ, eleemosynæ, obedientia, & alia quæ ad humilitatem faciunt, injungantur. Ita tamen, quod injungens arbitretur provide nihilominus & discrete, juxta qualitatem delinquentis, & quantitatem delicti: ut tam pro peccatis carnis, quæ videntur esse minora, quam pro spiritualibus, quæ majora sunt, major pœnitentia injungatur. Nequaquam autem confitentes, & præcipue mulieres, intueantur faciem confessoris, nec confessor faciem confitentis: & ut omnia peccata integra confiteantur, in spiritu lenitatis hortentur, non dimidiando, vel alteri confessori partem alteram reservando. Admoneant etiam ne erubescant soli homini confiteri, quod teste Deo committere præsumpserunt, pro quibus coram ipso, & sanctis omnibus, & dæmonibus, & malis hominibus, damnabuntur, si aliquid voluerint occultare. Volumus & statuimus, sicut hactenus observatum est, quod majora peccata ad archiepiscopum, & episcopos in suis diœcesibus reserventur, ut sunt, homicidia, sacrilegia, peccata contra naturam, incestus, ut est cum consanguineis vel monialibus commisceri, stupra virginum, injectiones manuum in parentes, suffocationes parvulorum, perjuria, incendia, restitutio ablatorum & illegitime acquisitorum, falsarii episcopalis sigilli seu ejus curiæ, defloratores virginum, strupratores viduarum, raptores mulierum, votorum fractores, venefici, qui in mortem conjugis est machinatus, luxuriam in ecclesia committens, coiens cum Judæa vel Saracena, coiens cum ea quam baptizavit, vel cujus confessionem audivit, celebrans in altari non consecrato, vel sine sacris indumentis, celebrans non jejunus. Absolutiones excommunicationum, quæ excommunicationes solent in Ramis palmarum per totam provinciam recitari, quasque multi ignorare se dicebant, singulis diebus Dominicis Nicosiæ mandavimus publicari: & sunt hæ. Nos denunciamus excommunicatos omnes hæreticos, quocumque nomine censeantur: & receptatores, seu defensores eorum. Item omnes illos, qui A faciunt statutum contra libertatem ecclesiæ, vel jam factum faciunt observari. Item omnes illos qui deferunt arma, victualia, & quascumque alias merces, Saracenis. Item usurarios manifestos. Item sortilegos & divinos coavetos & coavetas, & cantatrices in funeribus defunctorum, sive in ecclesia, sive in cœmeteriis, seu alibi. Item illos qui publice tenent ludum taxillorum in domibus suis. Item omnes cursarios & piratas, & receptatores eorum, sive in terra, sive in mari. Item illos omnes, qui non permittunt sclavos, sive sclavas, sine suo præjudicio baptizari volentes. Item omnes illos, qui clardestine contrahunt, seu contrahi faciunt matrimonia, vel sponsalia, vel fieri procurant. B Item omnes illos qui non solvunt, seu solvi faciunt integre & plene ecclesiis, quibus tenentur, decimas, de omnibus possessionibus, animalibus, appaltis, cæterisque redditibus, & qui inde tollunt semen, expensas seu angarias, ante decimam persolutam, vel qui solvunt de viliori, vel aliquam fraudem adhibent in solvendo. Et qui semel in anno non veniunt vel mittunt, ad reddendam legitimam super dicta decima rationem. Item omnes illos qui semel in anno non veniunt ad confitendum peccata sua omnia proprio sacerdoti: & qui saltem semel in anno non recipiunt Eucharistiæ sacramentum, nisi de consilio superioris duxerint abstinendum. Item omnes illos qui C violentiam inferunt ecclesiis, & eorum consiliarios, & consentientes iisdem. Item omnes illos, qui dimissis propriis uxoribus suis tenent focarias seu concubinas manifeste. Et vice versa uxores, quæ dimissis propriis viris, adhærent suis adamatoribus aut ribaldis. Item omnes illos qui invadunt res, seu possessiones, in quarum possessione fuit ecclesia, seu qui invasoribus favent. Item omnes illos qui naufragantes impediunt, & eorum bona diripiunt. Item omnes apostatas nostræ diœcesis, masculos & fœminas, qui scilicet dimisso & abiecto habitu religionis, sæcularitor viventes, ad sæculum sine licentia ecclesiæ redierunt.

D *V. De confessoribus & pœnitentiis injungendis.*

Interroget etiam confitentem, si de peccatis præteritis pœniteat, & utrum habeat propositum non peccandi de cætero mortaliter: sine quo non est ei pœnitentia injungenda, nec absolutio facienda, cum nec facta proficiat in his casibus, sed consilium dandum, scilicet ut faciat quidquid boni poterit interim, ut Deus illustret ad pœnitentiam cor illius. Secundum quantitatem culpæ & possibilitatem confitentis pœnitentiæ quantitas debet esse: ne facilitas veniæ, delinquendi provocet incentivum, vel in desperationem mittat austeritas confessorum. In rapina, furto, usura, fraudulentis emptio- E nibus & venditionibus, & aliis dolosis contractibus, & in iis quæ in ludo per fraudem, vel ab illis qui detentores non domini sunt, infideliter acquiruntur, confessor diligens insistat, ut restitutionem damni faciendam præcipiat confitenti: quoniam non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si facultas adsit. Si vero per inopiam ad tempus excusetur, indicenda est restitutio, si quando ad fortunam venerit pinguiorem. Injuriam passo, si appareat, vel ejus legitimo heredi, est semper restitutio facienda: alioquin juxta arbitrium superiorum, quod restituitur, est in piis usibus con-

convertendum. Ad confessiones faciendas sæpius subditos moneant & inducant, nec perquirant cum quibus personis peccatum commissum fuerit nominatim: dicantque eis sæpius cappellani, quod licet sæpe confiteri sit eis saluberrimum, ad minus tamen in anno semel est necessarium & præceptum.

VI. De sacramento altaris: & primo de linteaminibus.

Quoniam specialis reverentia circa sacramentum altaris est adhibenda: volumus, ut in quolibet altari, in quo celebrantur Divina, sint ad minus tria linteamina, munda & benedicta, quæ laventur quater in anno, scilicet, in Natali, in Pascha, in Assumptione Beatæ Mariæ virginis, & in festo omnium Sanctorum.

De corporalibus,

Corporalia vero mundissima sint & honesta, & semel in mense, & a presbyteris vel diaconibus, quoties necesse fuerit, abluantur: & aqua in piscinam jacetur. Sed si fuerint infusa vel intincta sanguine Domini nostri Jesu Christi, extunc cum eis minime celebretur, sed in sacrario cum reliquiis reponantur: nec ille cui contigerit, prius accedat ad altare, donec per nos vel vicarium nostrum, sive ab ordinario suo, pœnitentiam receperit competentem,

De calicibus,

Calices mundi sint & integri & argentei, & terstoria quibus presbyteri post communionem manus tergunt, sint candida & honesta: & semel in mense quolibet abluantur; vel sæpius, si opus fuerit.

De ampullis.

Ampullæ ad opus vini & aquæ, sint mundæ & integræ, & continue coopertæ, propter muscas & araneas, & alia pericula evitanda.

De pyxidibus

Pyxides autem in quibus ad opus sacramenti hostiæ servantur, mundæ sint, & clausæ teneantur: ne a ligni vermibus sint corrosæ

De indumentis sacerdotum.

Indumenta vero sacerdotum, vel aliorum ministrorum, abluantur sæpius, & decenter pärentur: & si inhonesta fuerint, aut nimis vetera, in eis nullatenus ministretur. Et clericus serviens ad altare, superpellicium semper habeat candidum & honestum: & tonsuram habeat decentem, & coronam.

De Sacerdotibus.

Caveant sacerdotes, ne stolam, manipulum, vel amictum dimittant, sed omnibus ornamentis induti, reverenter ad altare accedant, dictis prius Matutinis canonicis atque Prima. Cum vero omnia quæ dicuntur in Missa cum devotione & intentione debita sint dicenda: tum maxime tota diligentia est adhibenda cum venitur ad verba, quorum virtute conficitur sacramentum: *Hoc est enim Corpus meum. Hic est enim Calix sanguinis* [a]. Præcipimus præterea sacerdotibus universis, quod quando voluerint celebrare, ponant hostiam mundam & integram in patena, & vinum, & aquam in calice, & tergant calicem tali modo, quod aqua vel vino in extremitatibus ipsius remanentibus, corporalia non valeant maculari. Et si contigerit, quod absit, quod in confectione sacramenti vinum & aqua deessent in calice, ob negligentiam ministrantis, statim apponantur, & appositis, ut omnis dubitatio & opinio disputantium amputetur, sacerdos caute reincipiat; *Te igitur, clementissime Pater*: non inclinando se ad altare ut prius, nec elevando manus, sed verba canonis continuo proferendo secrete, & signa super sacrificium, ut celatius poterit, propter scandalum populi faciendo, nec elevet hostiam ad populum, si tamen prius ab ipso fuerat elevata: & sic perveniat ad illum locum: *Simili modo postquam cœnatum est*: ut sic appareat totum dictum, & totum pariter consummatum, non accedendo amplius ad altare, donec per nos, vel vicarium nostrum, vel suum ordinarium, sibi pœnitentia sit injuncta, pro tanta negligentia; cum sit certum, eum in hoc casu graviter deliquisse. Item si casu contigerit, quod aranea vel musca, vel aliquid reptile, caderet in sanguinis sacramentum; tunc sacerdos in calice de stanno, vel alio metallo mundo, omnia illa sic clausa, & bene cooperta, in loco reliquiarum recondi faciat diligenter. Unde præcipimus, quod ad opus hujusmodi, si necesse esset, & ad tenendas reliquias, & chrisma, & alia quæ ibi debent reponi, sacraria sive armaria in ecclesiarum parietibus habeantur. Et quia indigne sumentes Eucharistiam, judicium sibi manducant & bibunt; caveant sacerdotes, ne peccatoribus notoriis eucharistiam administrent, [b] seu illis, de quibus constiterit quod peccata reliquerint confitentes. Et notandum, quod istud sacramentum corporis Christi nullo casu contingente administrari debet, nisi a solo sacerdote.

VII. De Extrema unctione.

Volumus quod presbyteri subditos suos utriusque sexus a XIV. annis & ultra, ad sacramentum extremæ unctionis recipiendum frequenter moneant & injurent. & cum periculum mortis, seu gravis infirmitas evenerit, cum honore & debita reverentia infirmos inungant oleo infirmorum, solemnitatem debitam adhibentes. Et licet istud sacramentum valeat iterari: non tamen in eadem infirmitate reiteretur.

VIII. De oleo sacro.

De oleo vero sacro, sicut de chrismate, volumus ne in vasis vitreis teneatur propter periculum fractionis. Vasa vero in quibus tenebuntur, sint munda: & cuilibet vasi proprius titulus inscribatur. Volumus etiam, quod per sacristiam, seu per thesaurarium, vel alium qui habeat custodire in ecclesia cathedrali, non ministrentur prædicta, præterquam subditis nostris omni suspicione carentibus, & quorum interest habere prædicta.

a Adde, mei.

b Forte, illis. H.

IX. De clandestinis matrimoniis.

Quoniam clandestina matrimonia consueverunt mala plurima generare: volumus & mandamus, quod matrimonium semper in facie ecclesiæ, inter personas legitimas, & hora debita celebretur: extunc excommunicantes omnes, qui matrimonia clandestina de cætero contrahere præsumpserint, & qui talibus matrimoniis consilium, vel auxilium dederint: & illorum absolutionem loci diœcesano episcopo reservamus. Insuper clericos atque sacerdotes, qui talibus matrimoniis clandestinis, opem vel operam dederint, ab officio & beneficio duximus suspendendos, usque ad tempus a canone præfinitum. Clandestina autem matrimonia intelligimus, quę fiunt sine licentia priorum, seu curatorum sponsi & sponsæ, sive in eadem diœcesi, sive habeant habitationes suas in diversis. Cum autem de matrimonio inter aliquos fuerit prolocutum, seu contracta fuerint sponsalia, volumus, quod in parochiali ecclesia sponsi & sponsæ, tribus diebus Dominicis publice & solemniter prædici debeant, dum sacra Missarum solemnia celebrantur, quod tales personæ debent matrimonialiter copulari: & si quis sciat impedimentum quare contrahere non possint, surgat & dicat in publico, & ad judicium veniat, fidem faciens de impedimento: sin autem, de cætero nullatenus audietur.

X. De ordinibus.

Statuimus, quod presbyteri, qui non sunt oriundi de Cypro, non admittantur in civitatibus vel diœcesibus istius provinciæ ad celebrandum Divina, ut sacerdotes. Novimus enim & pro certo didicimus, quosdam in sacris ordinibus constitutos, culpis propriis exigentibus, a prælatis suis excommunicationis vel suspensionis vinculo innodatos, cum litteris suæ ordinationis ad peregrinas, ubi sunt incogniti, nationes migrasse, & ibidem ausu temerario in susceptis ordinibus ministrasse. Et nonnullos alios, qui mentientes se promotos, cum non sint, cum falsis litteris nunnunquam ab indiscretis ecclesiæ prælatis admissos fuisse, & ibidem de facto ministrasse ecclesiastica sacramenta: quod quam grave & ridiculosum sit, nullus sanæ mentis ignorat. Unde volumus, quod nullus talium admittatur omnino, nisi sui ordinatoris, vel successoris illius ostendat litteras omni suspicione carentes, susceptí ordinis mentionem expressam, & causam peregrinationis idoneam continentes: vel alias de bona vita & fama, & conversatione antiqua, & quod in terra de qua venit sacerdotio fungebatur in habitu sæculari, faciat plenam fidem. Alioquin tam recipiens, quam receptus, puniatur ad arbitrium concilii subsequentis.

XI. Quod clerici non sint officiales laicorum.

Prohibemus, ne sacerdotes vel clerici, cujuscumque linguæ vel nationis existant, justitiarii vel officiales aut baillivi laicorum existant, aut eorum officia exerceant, seu negotia gerant, per quæ, seu propter quæ, ad ratiocinia obligentur: ne occasione talis administrationis, eorum personæ impetantur vel impediantur, seu eorum bona capiantur. Quod si fecerint ab hac nostra prohibitione post quatuor menses, ab officio suspendimus, & volumus manere suspensos & inhabiles ad habendum beneficium ecclesiasticum, quousque per subsequens concilium, si meruerit, fuerit cum eis misericorditer dispensatum. Quod si quis de cætero hoc attentare præsumpserit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.

XII. De iis, qui clericos capiunt.

Statuimus, quod quicumque canonicum, seu assisium, alicujus ecclesiæ cathedralis de provincia ista, ceperit injuriosa captione, seu captum tenuerit, seu mutilari mandaverit, usque in quartam generationem inclusive nullus de posteritate ejus recipiatur ad dignitatem vel canonicam, seu ad aliquid aliud ecclesiasticum beneficium; & qui tali scienter beneficium contulerit, conferendi potestate sit privatus, & collatio ad concilium devolvatur, ne cum istis possit, vel debeat, nisi per sedem apostolicam dispensari: cujus potestatem cum debita reverentia volumus in omnibus esse salvam.

XIII. De Prædone vel præda.

Statuimus, & sacri approbatione concilii definimus, quod loca, in quibus possessiones, domus, aut res unam marcham argenti valentes, ecclesiæ aut personarum ecclesiasticarum, captæ, raptæ, invasæ, vel occupatæ detinebuntur, nisi monitione præmissa reddantur vel recredantur, pro jure faciendo vel capiendo coram superiore suo, ecclesiastico subjaceant interdicto. Et si forte alibi transferatur prædo vel præda, ut aliquando comperimus esse factum, loco illo in quem facta est translatio subjacente denuo interdicto, donec ibi fuerint vel prædo vel præda, primum interdictum nihilo minus in suo robore perseveret, & facta satisfactione læso de damnis, & ecclesiæ de interesse, evanescat interdictum sine alia solemnitate.

XIV. De officio judicis.

Quoniam non quicquid officio judicis committitur, juris necessitati subjicitur; sed habet judex discretus considerare quid deceat, liceat, vel expediat, ut sic nec desit justitiæ, nec offendat justitiam; & aliquando petitur ab episcopo, seu ejus vicario, vel officiali, ut puta, in absolutionibus & administrationibus sacramentorum, & dispensationibus, & cæteris consimilibus, quod ipse ex officio suo faciat, quod æstimat, ipse de jure fieri non debere, & sana conscientia, sine offensa Dei & juris injuria credit se non posse, vel debere facere quod petitur ab eodem: evenit aliquando, quod capiuntur domestici familiares, & servientes eorum, aut consanguinei, aut propinqui, & sic non sine offensa Dei, & bonorum virorum ignominia, puniuntur indebite, qui culpabiles non existunt. Ne igitur talia vel similia de cætero attententur, sacro approbante concilio, prædicta & prædictorum singula prohibemus: in contrarium facientes, mandantes, & procurantes, excommunicationis sententiam proferendo.

*XV. * Ut sacerdos debeat Missam celebrare.*

Quoniam, secundum canonicas sanctiones, non alibi quam in locis Deo dicatis, Missa de-

a) *Veriat* ubi Sacerdos. H.

debet aliquatenus celebrari, nisi summa necessitas hoc exposcat: sacri approbatione concilii, sub pœna suspensionis, quam in contra facientes serimus in his scriptis, prohibemus, quod ubi habetur ecclesia, nullus alibi Missam audeat celebrare, nisi a sede apostolica aut ab episcopis loci habuerint licentiam specialem.

XVI. *De decimis ecclesiæ persolvendis.*

Contumacia non plene solventium decimas, vel non computantium de iisdem, exigit vel requirit, ut sola prædecessorum nostrorum excommunicationis sententia per eos lata in non plene solventes decimas, seu etiam semel in anno ad plenum computantes, contenti non simus, sed ipsam quam multi vilipendere non formidant, nostris constitutionibus renovando, juvare cogimur pœnæ adjectione vallatam. Volentes itaque, prædictam prædecessorum nostrorum sententiam in suo robore permanere, ac ab omnibus & singulis in nostra provincia constitutis, inconcusse & inviolabiliter observari, quoniam funiculus triplex difficile rumpitur, sacri approbatione concilii excommunicamus omnes & singulos, qui ecclesiis nostris debitas decimas absque deductione expensarum non solvunt, ut tenentur, de omnibus possessionibus, terris, animalibus, appaltis, & de aliis redditibus, seu qui de decimis per se vel per suos non reddunt, infra tempus consuetum, legitimam rationem, id est, a crastino Epiphaniæ Domini, usque per totum Februarium: districte præcipientes, ut quicumque in nostram prædictam sententiam inciderit, debitas decimas integre non solvendo, vel non reddendo debitam rationem, sicut superius est expressum, extunc auctoritate concilii nominatim denuncietur excommunicatus, ab omnibusque tanquam membrum putridum evitetur. Domos etiam, & materia eorum, sive in civitatibus, sive in casalibus, in quibus habitabunt, usque ad satisfactionem plenariam, seu velle diœcesani, cui decima debetur, ecclesiastico supponimus interdicto.

XVII. *De iis qui sequunt sepulturam extra ecclesiam.*

Si de parochianis nostris aliquis apud aliam ecclesiam elegerit sepeliri: morte nunciata ipsius, duæ tantum campanæ pulsentur, & non plures, quia processio non vadit, sed sacerdos cum clerico, cruce, thuribulo, & aqua benedicta, ad deferendum funus ad ecclesiam: ibique officio mortuorum expleto, modo debito & honesto sacerdos societ corpus cum clerico, ut superius expressum est, ad locum in quo sepeliri elegit. Nullusque canonicus, seu assisius, vel clericus, de choro, pro sociando corpore, seu pro faciendo honore amicis, egrediatur ecclesiam vel dimittat: quia pro certo didicimus, quod aliquando contentio orta est inter clericos, & aliquos religiosos, qui quandoque tollunt corpora, in quibus jus non habent, & præter hæc ecclesiis nolunt restituere canonicam portionem.

Hæc autem universa & singula, sicut superius sunt expressa, ac sacri concilii provincialis ad hoc specialiter congregati approbatione statuta seu definita, vel etiam ordinata, ab omnibus integre, inconcusse, & inviolabiliter volumus, & præcipimus observari. Salva in omnibus, & per omnia debita reverentia sedis apostolicæ. Mandantes sub pœna excommunicationis, quod nullus addere, detrahere, seu diminuere audeat vel præsumat: nisi quæ per subsequens provinciale concilium visa fuerint salubria, & etiam opportuna.

Actum, lectum, & publicatum per nos prædictum Gerardum Nicosiensem archiepiscopum, apud Nimocium in ecclesia majori: præsentibus prædictis fratribus & coepiscopis nostris, & cæteris bonis viris ad dictum concilium evocatis: ac etiam multis aliis probis viris. Anno Domini millesimo ducentesimo, nonagesimo octavo, die XXIII. mensis Septembris. In quorum omnium supradictorum testimonium & munimen, sigillum nostrum præsenti scripturæ duximus apponendum.

CONSTITUTIONES D. PETRI miseratione divina Ruthenensis episcopi, apostolicæ sedis legati,

Anno MCCCXIII. in Nicosiensi synodo publicatæ.

I. PEtrus * miseratione divina Ruthenensis episcopus, apostolicæ sedis legatus in partibus cismarinis, ordinamus ad evitandum otium, vitis spiritualibus quam maxime inimicum, quod omnes clerici regni Cypri se occupent in aliquo utili opere, quod clericalem deceat honestatem, ut habeant, maxime pauperes, unde possint commode vivere, necnon & divites cum cæteris occasionem validam, quæcumque animæ contraria evitandi. *Nam qui operatur terram suam fideliter, saturabitur panibus*, ut ait Sapiens, *& qui sectatur otium, replebitur egestate*. Quicumque vero his contrarians, otiositati vacaverit: de malis omnibus, & non immerito, est suspectus & accusatus, ad probationem facilem, tanquam culpabilis puniendus.

* al. Nos frater Petrus.

Prov. 28.

II. Item quod omnes clerici semper deferant habitum clericalem; nisi talis necessitas imminent, quod ad tempus juste possint apud Deum & homines excusari. Et qui contrarium attentare præsumpserit, timeat verbum Domini crudeliter increpantis omnes illos, qui vestem induunt peregrinam. Si quis vero repertus fuerit culpabilis in prædictis: toties, quoties per prælatum, cui subjectus fuerit, inventus fuerit deliquisse, in XX. byzantiis dandis pauperibus condemnetur, vel alia pœna, si ei visum fuerit, pro culpæ debito graviori.

III. Item quod quilibet episcopus conscribi faciat perfecte omnes clericos suæ diœcesis ad tardius ab ista synodo infra mensem: ut melius cognoscat oves suas proprias nominatim, & clare merita sive demerita prædictorum. Et ut facilius possit eos corrigere, dicat eis in synodo sua, quod ipse scit bene vitam & mores diu est singulorum, qui reformatione magna indigent, ut est notum. Et quamvis *perversi difficile corrigantur, & stultorum sit numerus infinitus*: sciant firmissime, quod excessus eorum publicos non posset ultra æquanimiter sustinere. Unde præcaveant de cætero ultricem vitii scandalizantis Dominum & populum manum suam. Quicumque autem vult gaudere privilegio clericali, post terminum prædictum provideat sibi, quod reperiri valeat in hoc scripto, seu in quaternio ecclesiæ Nicosiensis.

Eccles. 1.

IV.

IV. Item quod nullo modo clerici mercationes aliquas exerceant indecentes officio clericali, nec teneant bailivias, nec pertractent odiosa negotia quorumlibet laicorum, & specialiter quæ possent lites sive scandala in patria generare. Nam secundum Apostolum: *Nemo fidelis Deo militans, implicat se pomp & secularibus negotiis, ut ei placeat cui se probavit*. Qui vero fecerit contrarium, ut discolus a clericali tramite, secundum scita canonum puniatur, & privetur lucro tali pecuniæ acquisitæ per proprium episcopum, & per eumdem mendicantibus erogetur. De aliis vero, quæ non sunt minus gravia, prout culpa exegerit, in persona & in officio, si quod habet, ac in rebus, per illum ad quem pertinet, gravissime distringatur.

2. Tim. 2.

V. Item quod laicis quibuslibet non tradantur bailiviæ, nec alia officia prælatorum, nec etiam quorumlibet clericorum. Nam ex hoc multa scandala, damna magna & vituperia, ecclesiæ & prælatis ac clericis in istis partibus sunt exorta: & ni caveant, forte majora iis quæ dicta sunt adhuc processu temporis orientur. Quicumque autem id quod dictum est evitare noluerit, officium suum & ministerium vituperans contra sententiam Apostoli: accusatus, a suo superiore gravissime puniatur, & de damnis ecclesiæ datis per laicos officiales prædictos nullam adversus eosdem habeat actionem.

VI. Item quod omnes clerici addiscant expedite legere qui nesciunt & cantare, necnon grammaticæ facultatem: ut sciant & intelligant saltem ad litteram grosso modo illa quæ dicunt in ecclesia, & audiunt, ad differentiam laicorum ne sacerdos fiat ut populus, sculptæ imaginis idiota. Nam sæpe quærit Dominus, nec invenit in istis partibus ut deceret, *Ubi litteratus? ubi verba legis ponderans?* per prophetam.

Isa. 33.

VII. Item quod omnes clerici præcaveant dum cantatur, vel legitur officium intra ecclesiam, vel extra in processionibus, quod non sint actibus vel gestibus dissoluti, sed maturi, devoti, simplices, & quieti, ac Divinis intenti laudibus, ad Dei gloriam & honorem, nec non ædificationem omnium fidelium qui affluunt. Quia *inter vestibulum & altare plorabant sacerdotes ministri Domini, & dicebant, parce Domine, parce populo tuo*, cum volebant placare Deum de offensis suis, & populi anxiati. Qui autem fecerit contrarium, intendens vanis dissolutionibus: statim in publico per illum qui processioni præerit, sive choro, de aliorum ordine ut dyscolus expellatur: & nunquam, nisi per archiepiscopum, vel vicarium ipsius, ad gradum pristinum reducatur.

Joel. 1.

VIII. Item quod nullus clericus ecclesiasticis vacans officiis, deferre audeat tortos crines, cum secundum Petrum apostolum talis cultus sit habitus mulierum; nec coronam lineam, ut miles laicus, seu * vayletus, sed juxta morem curiæ debitum clericis, a prædictis abstineat, cum sint manifeste contra decentiam clericalem. Quicumque vero fecerit contrarium, non recedens a tali habitu muliebri, & ornatu solis laicis debito ecclesiam & ejus beneficium, si quod in ea percipit, sibi pro pœna noverit interdictum; & repertus portare cofiam, solvat pro pœna 11. solidos, & perdat cofiam.

* Hoc est armiger. vide Glossarium Ducangi in verbo *Valeti*. H.

IX. Item quod nullus clericus ad sacros ordines venire audeat, sub interminatione Divini anathematis, & maledictionis æternæ, qui non sit fama publica de legitimo matrimonio procreatus: vel cum quo saltem non fuerit expresse in defectu natalium, per dominum summum pontificem, vel alium habentem super hoc potestatem, servato juris ordine, dispensatum: bonæ utique famæ, honestæ ac laudabilis vitæ, sufficiens, vel ad minus competentis litteraturæ, ac ætatis congruæ secundum gradum ordinis, quem requirit: qui etiam titulum habeat in re certa, & litteram ad hoc illius domini, vel dominæ firmam & stabilem, qui, vel quæ sibi titulum assignavit. Multi enim victum promittunt pariter & vestitum de novo accedentibus ad ordines, & postea cum ordinati repetunt, reddere contradicunt; & oportet eos in vituperium Dei & ordinis, quem acceperunt, sub eorum confidentia, vilissime, ut est notorium, mendicare.

X. Item quod nullus clericus, maxime intra sacros ordines constitutus, suspectam mulierem teneat, vel habeat in domo sua propria, de qua possit apud Deum vel homines, sicut incontinens diffamari. Quicumque vero fecerit contrarium, excommunicationis sententia sit ligatus, necnon privatus beneficio, & suspensus ab executione ordinum, quousque satisfactione prævia, per illum ad quem pertinet restitui mereatur. Hoc enim execrabile flagitium Apostolus in omnibus, & maxime in clericis, cum multis aliis detestatur. *Fornicatio*, inquit, & *omnis immunditia, vel avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas quæ ad rem non pertinet, sed magis actio gratiarum*. Unde si mulier suspecta, fuerit in domo clerici cujuslibet deprehensa, sclava vel ancilla: ipsam pronunciamus ex nunc liberam: & veniat quando sibi placuerit, gratis manumissionis suæ a nobis litteram receptura. Et est suspecta mulier, cum qua dudum talis concubuit, vel quia juvenis, vel quia dissoluta gestibus, vel quia etiam de malis procurationibus fœdis & turpibus palam & publice diffamata.

Ephes. 5.

XI. Item quod nullus clericus, sine necessitate maxima, vel in itinere constitutus, bibat vel comedat in taberna, nec eamdem vel alia loca intret quoquomodo suspecta. Quicumque autem fecerit contrarium, pro qualibet vice tribus diebus in pane & aqua debeat jejunare, & non intret ecclesiam, nec aliquid recipiat in eadem, quousque pœnitentiam compleverit supradictam. Et ultra hoc, accusatus legitime de re tali, solvat pro vice qualibet III. solidos dandos pauperibus per officialem archiepiscopi, vel ejus vicarium, in cujus civitate vel diœcesi fecit moram.

XII. Item quod nullus clericus, tamquam suæ salutis immemor, furto rei notabilis se exponat. Quicumque autem fecerit contrarium, damnum passo restituat duas partes, licet quinque secundum legem Moysis restituere teneatur.

XIII. Item quod nullus clericus arma quælibet de nocte portare audeat, nec de die, nisi talis casus emergeret, quod hoc licite posset facere sine culpa. Quicumque autem fecerit contrarium, privetur armis omnibus per prælatum, ad quem hoc pertinet; & ultra hoc, prout de jure fuerit, puniatur. Arma quidem nostræ militiæ non sunt carnalia, dicit Apostolus, sed potius spiritualia, quibus debemus nos defendere ab hostibus ecclesiæ, ac fidei, & totum populum Christianum.

XIV. Item quod nullus clericus ad otiandum diu

diu sedeat in plateis, in quibus facile judicantur innoxii qui transeunt, per sedentes; sed potius in occulto despiciat, & judicet semetipsum: nam judicabitur a Domino, quia judicavit ignorans alios. Nec ludat publice vel occulte, nec lusores respiciat sive associet, recipiat, vel det eis, aut etiam malefactoribus quibuslibet, consilium, auxilium vel favorem. Nam *cum sancto sanctus eris, & cum perversis* necessario *perverteris. Quæ est participatio justitiæ cum iniquitate?* ait Apostolus: quasi dicat, nulla penitus debet esse.

Psal. 17.
2. Cor. 6.

XV. Item ad evitandum tumultum & deordinationem chori, detur pecunia canonicis & aliis pacifice tali hora in diebus solemnibus, quod Missam celebrans non turbetur, nec alii circumstantes: ut sit cultus justitiæ silentium, & discursus indebitus per chorum & ecclesiam tunc temporis compescatur.

XVI. Item qualibet die Dominica, & festo solemni, semper in majori ecclesia fiat sermo, prout decanus provide ordinabit: Nam *vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum ac intentionum cordis*, ait Apostolus, *nec revertetur ad me vacuus* prædictus sermo, dicit Dominus, *sed faciet & prosperabitur in omnibus ad quæcumque* salubria *illum misi*.

Hebr. 4.
Is. 55.

XVII. Item obsecramus in Domino, licet auctoritatem habeamus super hoc imperandi, quod in altari majoris ecclesiæ Nicosiensis, soli canonici ecclesiæ administrent, tam in Missis, quam in epistolis & evangeliis; & quod alternis vicibus per ordinem fiant hebdomadarii & cantores in diebus solemnibus propter sedis authenticum principatum. Honor tamen & reverentia fiat episcopis, & aliis superioribus, quando eis placuerit in prædicta ecclesia celebrare.

XVIII. Item quod nullus presbyter sine confessione prævia temere audeat celebrare: dum tamen possit commode habere copiam sacerdotis, & necessitatis articulus * non emergat ut sua confessione faciem Dei præoccupet, ne irascatur Dominus contra eum, & subito ultionem recipiat de peccatis.

* *Forte*, non emergat, ut non sine confessione. H.

XIX. Item quod sacerdotes, quando celebrant, cum summa reverentia, & in silentio, ac devote se habeant in altari: & post ablutionem manuum, nihil omnino teneant in capite propter frigus vel aliud: nam facerent magnam irreverentiam, atque intolerabilem sacramento. Et quicumque contrarium attentare præsumpserit, loquendo scilicet impertinentia, seu clamose, vel tenendo quicquam in capite tanquam irreverens, indevotus, atque insipiens: a quolibet officio Missæ privatus sit per tres menses; & ultra; etiam quousque per judicium prælati sui proprii, ad statum celebrandi congruum & debitum reducatur. Et idem ordinamus penitus de ignorantibus presbyteris, qui detectus multos in Missa faciunt, dum celebrant coram Deo & populo, & facere nullatenus erubescunt.

XX. Item quod Divinum officium in choro melius recitetur, de die pariter & de nocte, ad Dei gloriam & honorem, necnon ædificationem populi, & debitum ministrorum ecclesiæ fidelius persolvendum. Nam si de die pauci nunc ad chorum veniunt, de nocte multo veniunt pauciores: & cum pro labore suo recipiant bona stipendia & pinguia, debent ea fideliter & sine fraude qualibet promereri.

XXI. Item quod quilibet sacerdos, specialiter de propria licentia sui episcopi, discretum habeat suum confessorem: cui & non alii semper, quando commode poterit, confiteatur integre, humiliter, & devote. Necesse est enim, ait Gregorius, ut manus mundas habeat, qui aliorum tergere sordes curat. Nolumus tamen, nec approbamus, quod confessus, vice versa suum eodem tempore audire debeat confessorem.

XXII. Item quod omnes clerici de alienis partibus venientes, certificent episcopum in cujus eligunt diœcesi residere, de susceptis ordinibus, per litteras vel per testes: & aliter eos non ordinet, si requirant, nec permittat eos sacramenta ecclesiastica ministrare.

XXIII. Item quod informentur provide sacerdotes in synodis, cum diligentia & efficacia salutari, quod claves sibi traditas per sacerdotium ad aliqua illicita non extendant, excommunicatos videlicet absolvendo, & alios culpabiles, in casibus episcopis reservatis. Nam sic eos deciperent, & se ipsos, qui nullam super hoc habent potestatem.

XXIV. Item quod infra præsentem annum, canonici ecclesiæ Nicosiensis totum officium ecclesiæ perfecte corrigant, ut sit perpetuo uniforme, vel assumant ex tunc in posterum officium Romanæ curiæ, antiquitus cum magna diligentia ordinatum. Et ad hoc per obedientiam sacram dicti canonici teneantur, nec aliquid recipiant de suis juribus in prædicta ecclesia, ultra præfatum terminum, quousque ordinaverint de Divino officio ecclesiæ, ut dictum est.

XXV. Item quod sine necessitatis articulo nullus presbyter confessionem audiat cujusdam subditi, sive parochiani, magistri, cappellani, sine sua licentia, & informatione utili & salubri, qualiter eum moneat plenissime confiteri & satisfacere integraliter, ut tenetur. Et etiam si est excommunicatus, quod primo faciat se absolvi: nam aliter nhil prodest sibi confessio ad salutem, nec absolutio potest dari.

XXVI. Item quod sine magna causa & notabili, ut est mortis articulus, vel etiam gravis infirmitas, & evidens periculum nulli carnes comedendi licentia in Quadragesima, & aliis abstinendi temporibus, concedatur: quia non potest fieri, servato juris ordine, nec status ecclesiæ sanctæ, quem transgredi gravissimum peccatum est. Et si asque licentia ministrorum ecclesiæ, forsitan aliqui carnes comederint, præter modos qui dicti sunt: puniantur ecclesiastica disciplina, nec absolvantur leviter, nec etiam per quoslibet, sed solum per archiepiscopum, vel ejus suffraganeos, qui more infidelium ipsos puniant, si publice deliquerunt: vel domino summo pontifici, si visum ei fuerit, tales mittant.

XXVII. Item quod omnes clerici vitent excessum quemlibet in vestibus, cibis, equis, sellis, & aliis quibuscumque. Non enim Christi pauperis collatum sibi patrimonium debent in excessu expendere, sed in suis necessitatibus moderatis: ut eorum modestia cunctis hominibus fiat nota, & specialiter in epulis: nam superfluitas in talibus notorium est peccatum. *Utere quasi homo frugi*, ait sapiens, *iis quæ tibi apponuntur: ut non, cum manducas multum, odio habearis.*

Eccli. 31.

XXVIII.

XXVIII. Item quod dominus archiepiscopus, ac ejus omnes suffraganei episcopi, hæreses & errores contra fidem catholicam, bonos mores, & doctrinam sanam & salutiferam Christi, et ecclesiæ Romanæ, modis et viis, quibus poterunt, de regno Cypri et provincia satagant extirpare: quia procreante diabolo, multo major * est ibi hodie infidelium, ut intelleximus a pluribus fide dignis, quam sit fidelium. Et hoc esse non potest sine magna negligentia prælatorum: quia non carent scrupulo societatis occultæ, qui sic manifesto facinori patenter desinunt obviare.

* Deest numerus.

XXIX. Item quod omnia sacramenta ecclesiæ sanitate vigente corporis recipiantur in ecclesia, et publice, non occulte: nec aliquis extra ecclesiam illa sine necessitate maxima, ut est mortis articulus, administret. Quicumque vero fecerit contrarium, pœna canonica gravissime puniatur.

XXX. Item quod discrete provideant episcopi & prælati, ut quilibet ecclesiæ suæ in scripto manu publica redditus omnes faciat annotari: & in tribus aut quatuor locis fideliter & integre conservari ad majorem memoriam futurorum.

XXXI. Item quod ecclesiæ ornamenta sint multa, numerosa, & varia, sicut decet: ac plures etiam servitores, libri boni & utiles, ac calices argentei & aurei, campanæ multæ insuper prout facultates ecclesiæ commode poterunt sustinere: ita quod laus Divina valeat honorabiliter in qualibet ecclesia episcopali fieri sicut decet.

XXXII. Item quod solemnes fiant ecclesiæ per prælatos, ubi factę non sunt, secundum loci exigentiam cujuslibet, de opere bono & lido, tamen nullatenus cimoso, & alia similiter ædificia, utilia & necessaria pro habitationibus prælatorum: & in locis suis episcopi resideant continue, ut tenentur, quando alibi facere pro arduis negotiis ecclesiæ non habebunt.

XXXIII. Item quod quilibet episcopus & prælatus, sicut pater subjectos suos, & maxime clericos, ut filios carissimos, erudiat & nutriat in moribus & disciplinis, specialiter legis Dei atque cælestium mandatorum: & super eos vigilet diligenter, ne devient per errorem a recto tramite veritatis ac fidei, quæ viam aperit fidelibus ad salutem.

XXXIV. Item quod nullus clericus in publico vel occulto, prælato suo audeat iniquo animo detrahere, vel falso eum apud aliquem diffamare. Nam hoc esset magnum periculum & peccatum, præter damnum ecclesiæ, quod non posset de facili reparari; nec non & animæ diffamantis occisio, & pacis perturbatio morum. *Vir enim peccator turbabit amicos*, ut ait Sapiens, *& in medio pacem habentium immittet inimicitias*. Quare *susurro & bilinguis, a Deo est maledictus, multos enim turbat pacem habentes*. Quicumque vero taliter inventus fuerit falso prælatum suum, vel episcopum diffamasse, causa suscitandi litem atque discordiam inter ipsum & populum, vel dominum temporalem, aut clerum suum, seu capitulum: ab omnibus beneficiis & officiis sit suspensus, quousque satisfecerit de offensa ecclesiæ, ac prælato, prout de jure fuerit faciendum.

Eccli. 28.

XXXV. Item quod festum de corpore Domini, secundum ordinationem felicis recordationis Urbani papæ, fiat solemniter in tota provincia Nicosiensi, feria quinta post octavam Pentecostes, cum octava.

XXXVI. Item quod corpus Domini extra ecclesiam, quando necesse fuerit, cum magna reverentia deferatur, & infirmis cum devotione ut decens est, ministretur. Quicumque autem in itinere sibi occurrerint, dum portatur, adorent eum flexis genibus, humiliter nudato capite, ac junctis manibus, reverenter. Et omnibus qui per XL. passus eum associaverint, vel vestes pedibus portantis eum straverint in via, vel lumina sibi accenderint, XL. dies de indulgentia elargimur. Et si equitantes portanti corpus Domini occurrerint, debent statim descendere, ac regi regum Domino devotam reverentiam cordis & corporis humiliter exhibere.

XXXVII. Item quod omnes clerici, tam juvenes quam alii, qui chorum intrare voluerint, cappis nigris in hyeme dum dicetur officium, sicut canonici, de cætero induantur.

XXXVIII. Item quod omnes clerici, ut consuetum est, diebus Dominicis singulis ad processionem omnino veniant: & nullus audeat remanere, de illis specialiter, qui sunt ad hoc per statutum ecclesiæ obligati. Et quicumque remanserit sine licentia speciali, & causa valde necessaria, nihil ex tunc recipiat in eadem quousque fuerit per mandatum archiepiscopi, vel vicarii ejusdem, voce vel littera restitutus.

XXXIX. Item quod nullo tempore utantur clerici servitio ecclesiæ deputati, maxime in choro, vel locis aliis sacris, ineptis novitatibus, nec cantu aliquo dissoluto, contra usum laudabilem ecclesiæ Nicosiensis.

XL. Item quod omnes clerici contra nostram sententiam focarias retinentes, excommunicentur nominatim & publice: ac conferantur aliis eorum beneficia, nec audeant in susceptis ordinibus ministrare.

XLI. Item quod omnes clerici servitio ecclesiæ deputati, has omnes constitutiones habeant, & alias per legatum cardinalem, & Nicosienses archiepiscopos dudum factas: quas omni mense legant semel ad minus, tam provide, quam distincte: ut melius sciant quid habent facere circa ecclesiam, & non possint de ignorantia excusari.

XLII. Item quod bacularii nostri, & etiam ecclesiæ, omnes illos qui contra dictas constitutiones facient, vel aliquam prædictarum, ex nunc aperte potestatem habeant citandi eos personaliter coram nobis, ut pro demeritis in corpore vel in pecunia puniantur.

Lectæ & recitatæ fuerunt constitutiones seu ordinationes prædictæ in majori ecclesia Nicosiensi, Anno Domini millesimo trecentesimo tertio decimo, Indiction. XI. die XV. mensis Junii, in qua fuit synodus celebrata.

CCN-

A

CONSTITUTIONES JOANNIS *archiepiscopi Nicosiensis.*

Ann. M.CCC.XX.

In nomine Domini, amen.

INsra scriptæ sunt constitutiones, & ordinationes factæ per revere dum in Christo patrem & dominum, dominum fratrem Joannem archiepiscopum Nicosiensem, super emendatione & correctione ac reformatione majoris ecclesiæ Nicosiensis, ipsius capituli, ac clericorum Nicosiensium.

PROŒMIUM.

QUis pastoralis curæ sollicitudo esse debet, & ad hoc illam Deus præordinavit, ut evellat, dissipet, plantet, & ædificet: & nos frater Joannes archiepiscopus prædictus ex debito nobis incumbentis officii nostram matricem ecclesiam Nicosiensem visitaverimus, secundum modum, & formam ecclesiasticarum traditionum, & invenerimus nonnulla emendatione ac eradicatione digna, nonnulla egere reformatione, & aliqua ibi necessario fore ædificanda seu plantanda: quantum cum Deo possumus volentes ea emendare, corrigere, ædificare, seu plantare.

I. Ut assisi & alii beneficiati quotidie per se officium celebrent in ecclesia.

Ordinamus, statuimus, & mandamus, quod omnes assisii, & alii beneficiati in dicta ecclesia, continue debeant horis consuetis ad dictam ecclesiam accedere, ad officium celebrandum per se tantum, & non per hebdomadas, & ad serviendum in ordine suo. Contra facientes autem pœna duplici ejus, quæ ante consuevit solvi, debeant de facto mulctari, nisi infirmitate excusarentur.

II. De punctatione deficientium.

Item ordinamus & mandamus, quod omnes canonici percipientes præbendam, debeant interesse Divino officio diebus singulis, nisi justa de causa excusarentur: de qua eorum conscientias oneramus. Et tunc clericos suos, quos tenent & debent tenere, mittere teneantur. Alias autem si contra fecerint, pœna denariorum sex puniantur, & punctentur sicut cæteri, & pro eorum clericis ipsorum domini teneantur

III. De habitu intra ecclesiam portando.

Item præcipimus & mandamus, quod canonici omnes, & assisii, & alii beneficiati dictæ ecclesiæ, nullo modo debeant intrare ecclesiam, nisi habitu honesto induti: videlicet in hyeme canonici cappis, & assisii & alii beneficiati cappis; in æstate, superpellicio sive cotta, & canonici cum almutiis. Et in hoc nullam excusationem seu exceptionem prætendant: pœna duorum byzantiorum, canonici; & unius byzantii, assisii.

IV. De habitu extra ecclesiam.

Item præcipimus ut tam canonici, quam alii clerici beneficiati, sive majoris ecclesiæ, sive nostræ diœcesis, in habitu corporis & statu mentis, & Deo, & hominibus studeant placere: ut nec in superstitiosis vestibus aut tonsura, in uentium, quorum forma & exemplum esse debent, offendant aspectum: scilicet ut nullus extra domum suam portet guarnachiam deante scissam, seu apertam per terram, nec maspillos de argento seu auro, nisi de panno tantum aut osse; nec capillos habeant descendentes ultra extremitatem ultimam auris. Et B qui post octo dies a die præsentis monitionis inventus fuerit in tali habitu prohibito, pœna duorum solidorum pro vice qualibet puniatur.

V. De anniversariis pro defunctis solemniter celebrandis.

Item statuimus & ordinamus, quod anniversaria, quæ pro defunctis celebrantur, debeant solemniter celebrari, ad hoc ut viventes inducantur exemplo pro defunctis oblationes offerre: cum *salubris sit cogitatio, pro defunctis exorare*. Deficientes autem & contra facientes, per illum, qui regit chorum, debent ad hoc moneri. Quod si se non correxerit, seu emen- C daverit: parte sibi de anniversario contingenti privatus sit ipso facto, & aliud tantumdem perdat. *Mat. 11.*

VI. De Missa pro defunctis.

Item quod, sicut scriptum est, omnes morimur; & alibi, quia pro obeuntibus Deus placandus est sacerdotum oblationibus, aut carorum eleemosynis; ideo statuimus & ordinamus, quod continue in dicta ecclesia majori post Missam de beata Maria virgine, dicatur Missa pro defunctis in altari beati Martini, per illos per quos consuevit fieri.

D

VII. Ut exeuntes de choro, punctentur.

Item quia multi sunt de assisiis, & aliis beneficiatis, qui seipsos decipiunt, & aliis detrahendi de eis præbent exemplum, exeuntes chorum, quasi volentes Missam celebrare, & non celebrant: volentes huic morbo, salubri remedio providere, volumus, quod ille qui punctat defectus in ecclesia, punctet omnes exeuntes de choro; & ille qui est in sacristia, punctet omnes celebrantes Missam: ita quod si punctatus in choro, non reperiatur punctatus in sacristia, pœna dupli sicut de aliis defectibus puniatur.

E

VIII. Ut in choro cessent profana colloquia.

Et quod scriptum est, *Decet Domum Domini sanctitudo, & domus mea, domus orationis vocabitur*, sicque in ea debet esse quieta conversatio, Deo grata, inspicientibus placida, quæ considerantes non solum instruat, sed reficiat. Idcirco volumus & mandamus, quod cessent in choro vana, & multo fortius fœda & profana colloquia, & confabulationes quælibet, sive inter se clericos, sive ipsi clerici cum aliis. Qui autem contra fecerit, secreto accusatori stabimus. *Psal. 92. Luc. 19.*

mus: & pœna XII. denariorum vice qualibet A puniatur.

IX. Ut inducantur confitentes in morte, relinquere aliquid pro fabrica ecclesiæ.

Quia ecclesiam fraudare, sacrilegii instar obtinet; & lucrum unius, alii in damnum verti non debet: monemus omnes & singulos confessores, deputatos & deputandos per magistrum cappellanum, & ipsum magistrum cappellanum, quod decedentes inducant ad relinquiendum ecclesiæ nostræ de bonis suis ad opus ecclesiæ; & quod in hoc fraudem non committant, in faciendo sibi relinqui seu tacite dari. Ad quam fraudem expellendam & evitandam, volumus B & mandamus, de omni eo quod tali confessori relictum, seu aliter datum fuerit, medietatem esse debere dictæ ecclesiæ Nicosiensis, & dictæ ecclesiæ ad restitutionem teneri, nisi tantumdem dictæ ecclesiæ fuerit per dictum testatorem relictum. Quod si quis repertus fuerit fraudem committere, occultando tacite datum: in duplo ejus quod acceperit, puniatur.

X. Ut pro confessione, baptismo, extrema unctione, nihil petatur.

Item statuimus, ad hoc ut pauperes non retrahantur a confessione suorum peccatorum ob verecundiam, quia non habent aliquid posse C dari, quod sacerdotes deputati ad confessiones audiendas, nil ab ipsis pœnitentibus, & confiteri volentibus, in festivitatibus anni principalibus percipiant, etiamsi sponte offeratur. Quod si secus factum fuerit, eidem, a quo percepit, quadruplum tanquam male ablatum, restituere teneatur. Idem in baptismo, nisi offeratur in altaria a dictis confitentibus, & nomine baptizatorum. In extrema unctione nil petatur: sed si sponte offeratur, licite possit percipere.

XI. Ut qui venerunt ad exequias, stent usque ad finem sepulturæ.

Et quia non videtur venisse, nisi qui usque ad finem steterit: idcirco monemus & hortamur, quod omnes clerici, qui venerint ad exequias alicujus defuncti, usquequo corpus traditum fuerit sepulturæ, stare debeant; & quod ille qui habuerit solvere clericis pro ipsa processione, solvere debeat in fine sepulturæ; & non reperto usque ad finem sepulturæ nil dare debeat, pœna dupli ejus quod solverit sibi imminenti.

XII. De iis qui fraudant suffragia defunctorum.

Cum gravius sit illos fraudare, qui eorum suffragio indigent, idcirco cum defuncti suffragia vivorum expectent, monemus ac etiam mandamus, quod nullus assisius recipere debeat pecuniam pro Missis defunctorum, nisi pro quot crediderit vere se posse Missam celebrare. Contra facientes autem Divinum expectent judicium, & nihilo minus nostro arbitrio puniantur.

XIII. Ut clerici existentes in choro respondeant Missam celebranti.

Item statuimus, volumus, & mandamus, [a] ut clerici omnes in choro existentes sursum corda ad Deum dicantur habere, tam canonici quam clerici alii existentes in choro, respondere debeant sacerdoti celebranti Missam, dum celebrat, & ei qui cantat primo in choro, seu locum cantoris tenet. Contra facientes autem punctentur, sicut de aliis defectibus, & pœna quatuor denariorum pro vice qualibet puniantur.

a) Forte ut cum clerici. H.

XIV. Ut omnes canonici clericos suos teneant.

Item ordinamus & mandamus, quod canonici omnes, tam personales, quam alii, suos clericos tenere debeant, sicut fuit alias constitutum: dummodo tales teneant qui aliis in dicta ecclesia non sint beneficiati, nec intitulati, seu aliquid certum pensum de ecclesia, seu pro ipsa percipiant. Contra facientes autem, in tantum de suo beneficio puniantur, in quantum clerici, quos tenere deberent, possent commode sustentari.

XV. Ut punctator legaliter officium exerceat.

Item monemus illum, qui habet seu habebit in futurum punctare, legaliter suum officium exercere, si Dei & nostram indignationem vitare voluerit.

XVI. De luseribus ad azardum.

Item monemus omnes & singulos clericos, cujuscumque conditionis & status, fugere tabernas, loca inhonesta, & ludum azardi. Contra facientes autem nostro arbitrio puniantur.

XVII. Ut clerici abstineant a mercimoniis.

Item quia Dominus vendentes, & ementes D de templo ejecit, & *nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*: idcirco monemus omnes, & singulos clericos, abstinere a mercimoniis, & a negotiationibus seu lucris illicitis: nisi quæ pro vita tantum ipsorum sufficerint. Contra facientes autem pœna canonica puniantur.

XVIII. Ut servientes ecclesiæ, adsint hora congrua.

Item ordinamus, quod tam sacerdotes, quam diaconi & subdiaconi, & alii clerici, qui per hebdomadas servire debent, interesse debeant ad celebrandum & serviendum in sua hebdomada in hora congrua. Quod si repertus non E fuerit, alius pro eo servire debeat in ordine absentis: & habet & habere debeat a tali absente VI. denarios, nisi justa causa fuerit impeditus, quam ante horam Missæ decano debeat notificare.

XIX. Ut sacerdos in serviendo diaconis præponatur.

Item quod quoties Missa celebratur in ecclesia, & aliqui defecerint, qui deberent sacerdoti in altari diaconi seu subdiaconi loco servire, ita quod aliquis sacerdos haberet tunc substitu-

stituti, quod non celebret sacerdos in officio A subdiaconatus, nisi fuerit sacerdos qui deberet servire loco diaconi: aliter sacerdos semper in serviendo diaconibus præponatur. Qui contra fecerit, renuendo celebrare post sacerdotem, puniatur in VI. denariis: nisi aliquis ex subdiaconibus, seu aliis diaconibus, fuerit in ecclesia supradicta.

Lectæ & publicatæ & pronuntiatæ fuerunt prædictæ constitutiones in majori ecclesia Nicosiensi, præsentibus, audientibus, & intelligentibus canonicis, assisiis, & clericis ecclesiæ prædictæ, ad prædictas constitutiones audiendas de mandato supradicti domini archiepiscopi vocatis, & in ipsa ecclesia specialiter congregatis. B Quas quidem constitutiones dictus dominus archiepiscopus mandavit inviolabiliter observari, & exinde confici præcens publicum instrumentum, in præsentia venerabilis viri domini Guillelmi de Antio canonici plebis sanctæ Mariæ civitatis ejusdem, dicti domini archiepiscopi officiali, religiosorum virorum fratrum Benedicti de Burgo sancti sepulchri, & Jacobi de Urbeveteri ordinis fratrum Prædicatorum, sociorum domini archiepiscopi supradicti, ac sapientum virorum dominorum Jacobi de Ancona juris utriusque periti, & Michaelis de Antio medicinæ artis professoris, testium & sociorum assistentium domino archiepiscopo supradicto. Ann. Domini a Nativitate ejusdem C M. CCC. XX. Indictione III. tempore domini Joannis papæ XXII. die septima mensis Aprilis.

Et ego Theodinellus magistri Bernardi de Aquasparta, imperiali auctoritate judex ordinarius, atque notarius, & prædicti reverendi in Christo patris & domini, domini fratris Joannis archiepiscopi Nicosiensis familiaris, & scriba publicus, prædictas constitutiones, de mandato dicti domini archiepiscopi, legi & publicavi, & in hanc publicam formam redigens, meo solito signo signavi.

JOANNIS ARCHIEP. NICOSIENSIS

Constitutiones editæ, ann. M. CCC. XXI. & consequentibus.

I. De ingressu in monasteria monialium.

NOs frater Joannes permissione Divina archiepiscopus Nicosiensis, monemus & hortamur in Domino omnes & singulas personas, tam clericos quam laicos, cujuscumque conditionis existant, ne infra claustra, seu septa monasteriorum monialium de Nicosia intrare debeant, sine nostra licentia speciali: exceptis dominabus reginis, & earum comitiva, ac etiam sororibus domini Regis, quibus propter specialem prærogativam eis deferimus in hac parte: & exceptis confessoribus ipsarum per nos deputatis, quibus intrare liceat tempore necessitatis. Alias, tam intrantes, quam etiam introducentes eosdem, pœnam excommunicationis incurrere volumus ipso facto. Datum Nicosiæ in nostra majori ecclesia Nicosiensi, die XVII. Junii, Indictione IV. ann. M. CCC. XXI.

II. De non celebranda Missa nuptiali sine licentia.

Item statuimus & ordinamus, quod nullus sacerdos debeat, vel præsumat Missam nuptialem celebrare, sine nostra licentia speciali, aut magistri cappellani ecclesiæ Nicosiensis, cui constiterit ipsum matrimonium, ut est moris, esse legitime proclamatum. Qui vero contra fecerit, nostro arbitrio puniatur.

III. Ut assisius qui celebrat pro mortuis, non se obliget ad aliud officium.

Item inhibemus, quod nullus ex assisiis nostræ ecclesiæ supradictæ, qui Missam assidue debet pro mortuis celebrare, ad aliquod servitium seu officium celebrandum se obliget, nec faciat quoquo modo. Qui autem contra fecerit, acriter nostro arbitrio puniatur.

IV. Ut altari serviat, qui vivit de altari.

Cum ad hoc sint ecclesiastica beneficia deputata, ut idonee in Divinis officiis ecclesiæ serviatur, & ad ipsum ministerium talis quæri persona debeat, quæ per se ipsam illud valeat exercere: quare unusquisque in ea vocatione manere debet, in qua extitit evocatus; ac jure C debet altari servire, qui de altario victum quærit.

V. Ut assisius per seipsum serviat in Divinis.

Sane nobis fratri Joanni archiepiscopo Nicosiensi innotuit, quod nostra Nicosiensis ecclesia quibusdam ex servitoribus & assisiis ejus absentibus, & quibusdam præsentibus, diversis negotiis se implicantibus, aliis per eos minus dignis substitutis, circa Divinum cultum plurimum destituitur, [a] & quod ipsorum officium ac nomen requirunt, scilicet continuam assistentiam vix saltem per mensem adimplent. Nos volentes statui nostræ ecclesiæ providere circa D ecclesiasticum ministerium, quod semper disposuimus augmentare, & ipsorum assisiorum saluti consulere: statuimus & ordinamus hac constitutione inviolabiliter valitura, quod omnes & singuli assisii nostræ ecclesiæ, in eo ordine, cujus beneficium obtinent seu præbendam, serviant in Divinis per seipsos, & non per alium substitutum, non obstante, si alium titulum sub expectatione habeant in ecclesia memorata: nisi infirmitate aut justæ absentiæ causa, a nobis etiam obtenta licentia, valeat excusari. Contra facientes autem volumus pœnis canonicis subjacere.

In nomine Domini, amen. Anno Domini a Nativitate ejusdem M. CCC. XXIII. Indictione VI. tempore domini Joannis papæ XXII. E die ultima Augusti, prædicta proxima constitutio contra edita assisios ecclesiæ Nicosiensis, ad eorum doctrinam publicata fuit & lecta in auditorio, ubi jus redditur apud archiepiscopatum juxta cappellam, præsentibus omnibus assisiis ecclesiæ prælibatæ, & dominis Baliano Guezi, & Roberto Turcheti, canonicis ecclesiæ antedictæ, præsentibus etiam Andrea Gallioti, Joanne Gualterii, Fectono Tabarani, magistro Petro Anselmi, & Constantio baculario, cum pluribus aliis testibus vocatis ad prædicta.

a) Forte, *& quod qui ipsorum.* H.

VI. Con-

VI. Contra falsos testes.

1. Pet. 4 *Quia tempus est, ut judicium a domo Dei incipiat*, testante scriptura, ut quos Dei timor a malo non revocat, saltem ecclesiasticæ cohibeat severitas disciplinæ: licet nos frater Joannes archiepiscopus Nicosiensis, tempore quo fuimus in Cypro, relatione quamplurium audiverimus, morbum pestiferum falsorum testium pullulasse, & etiam adhuc vigere: considerantes aliqua a nostris prædecessoribus contra prædicta fuisse statuta, non de facili credere poteramus aliquos tam insanos, quam etiam hebetes mente, qui se tanto crimine irretirent, ut Deum contemnerent, judicem fallerent, ac offenderent innocentem: quæ omnia perpetrant, cum falsum testimonium proferunt, ac proferri procurant. Sed quia nos ipsi experimento didicimus, multos prædicta postponere in delusum, in animarum suarum periculum, & damnum non minimum aliorum: cogimur ferro abscindere vulnera putrefacta.

Idcirco nos frater Joannes prædictus, monemus & hortamur in Domino, pro prima, secunda, & tertia monitione, omnes & singulos, tam clericos quam laicos, masculos & feminas, cujuscumque conditionis & status existant, & nihilo minus sub pœna excommunicationis mandantes, qui in nostra curia tulerunt testimonium falsum, seu ferri tractaverunt, seu procuraverunt, unde sententia fuerit subsequuta, quod ipsi, quantum in ipsis est, revocent dictum suum, ut ex sententia tam damnabili, perniciosa executio sequi non possit, seu nobis secreto manifestent. Multo magis, si adhuc sententia lata non fuerit, dictum suum revocent, vel nobis pandant: & hoc infra IX. dies, quorum tres pro primo, tres pro secundo, & tres pro tertio termino peremptorio assignamus. Contemptores autem hujusmodi nostræ monitionis, ex nunc, prout ex tunc, in his scriptis excommunicationis vinculo innodamus mandantes, omnes & singulos prædicta committentes, seu aliquid de præmissis, ipsos excommunicationis vinculo innodari, quorum absolutionem nobis solummodo reservamus: non intendentes, per commissionem aliquorum casuum per nos factam prædictos includi, nisi specialiter in commissione denominaremus eosdem.

VII. Ut religiosi non habeant advocatos & procuratores perpetuos, nec dantes eis perpetuas assisias.

Item statuimus & ordinamus, quod nullum monasterium, prior, abbas, vel conventus, vel quicumque alius administrationem habens, ipsius civitatis, seu diœcesis Nicosiensis, possit advocatum, procuratorem, seu patronum, vel defensorem, clericum vel laicum, ad eorum servitium perpetuo deputare, pro patrocinio, procuratione & defensione eis in posterum præstandis, nec eorum alteri possint perpetuam assisiam seu pensionem annualem constituere in futurum; sed liceat eis advocatum, procuratorem, seu defensorem quærere in causis de novo emergentibus, quibus convenienter possint, considerato labore, providere de eorum salario & mercede, revocantes, cassantes, & annullantes omni modo, jure, & forma, quibus melius possumus, omnes perpetuas assisias, seu pensiones, hactenus per quoscumque abbates, conventus, priores, seu quoscumque alios administratores monasteriorum ipsorum, quibuscumque advocatis, procuratoribus & defensoribus concessas ordinatas & factas. Mandantes ex nunc tenore præsentium, abbatibus, prioribus, conventibus, & quibuscumque aliis administrationem ipsorum monasteriorum habentibus, quod hinc XV. dies ex nunc in antea computandos, dictas assisias, seu pensiones perpetuas studeant effectualiter ad jus ipsorum monasteriorum revocare; nec dent, nec dare debeant easdem, sub pœna excommunicationis, & sub pœna L. byzantiorum de Cypro, & alia pœna nostro arbitrio infligenda.

VIII. Ut religiosi & clerici non contrahant ultra certam summam.

Item statuimus & ordinamus, quod nullum monasterium, abbas, prior, vel conventus, vel quicumque alius clericus, Latinus vel Græcus, civitatis vel diœcesis Nicosiensis, suo nomine proprio, seu nomine suæ ecclesiæ, mutuum contrahere, emptionem seu venditionem, affictationem, seu quemcumque alium contractum excedentem summam C. byzantiorum albornm de Cypro; & alius quivis clericus cujuscumque alterius ecclesiæ, ultra quantitatem XXV. byzantiorum, sine nostra seu superioris sui speciali licentia & mandato, debeat. Et si contraxerit, ipsa obligatio seu contractus, ecclesiam seu monasterium non valeat obligare: ita quod ipsa ecclesia seu monasterium, ad dictum debitum reddendum nullatenus obligetur, nec etiam compellatur. Et quicumque contra fecerit, punietur pœna nostro arbitrio inferenda.

Prædictæ constitutiones lectæ & promulgatæ fuerunt per dominum archiepiscopum supradictum, in sacristia seu thesauro suæ ecclesiæ Nicosiensis, præsentibus venerabilibus viris dominis, Nicolao de Camilio, Henrico de Biblio archidiacono, Philippo Alamanno, Elia Anselmi, Laurentio de Berico, & Baliano Guezi, Canonicis, & capitulo ecclesiæ supradictæ, cum plures canonici in capitulo tunc non essent, expresse consentientibus in prædictis. Anno Domini a nativitate ejusdem M. CCC. XXIV. Indictione septima, tempore domini Joannis papæ XXII. die XXII. mensis Januarii.

IX. Ut ecclesiæ Nicosiensis jura & honores a nemine usurpentur, & usurpata restituantur.

Nos frater Joannes, permissione Divina archiepiscopus Nicosiensis, monemus pro prima, secunda, & tertia monitione, de consilio & consensu capituli & canonicorum nostræ ecclesiæ Nicosiensis, omnes & singulos tam mares quam feminas, cujuscumque status, ordinis & conditionis existant; & nihilo minus eis & cuilibet eorum sub pœna excommunicationis districte præcipiendo mandamus: quatenus jura, honores, & bona ecclesiæ Nicosiensis prædictæ, deinceps non usurpent, nec usurpare audeant scienter: immo, jura, honores, & bona jam dictæ ecclesiæ dudum usurpata, occupata, seu subtracta, taliter usurpantes, occupantes, seu etiam subtrahentes, infra sex dies a die datarum præsentium computandos, quorum duos pro primo, duos pro secundo, & duos pro ter-

tio & peremptorio termino, eis & cuilibet eorum, tenore præsentium assignamus, ipsa jura, honores, & bona restituant ipsi ecclesiæ, & restituere teneantur cum effectu. Alioquin, in usurpantes in posterum scienter jura, honores, & bona prædicta, & jam usurpata, occupata, seu subtracta, infra dictum terminum non restituentes, seu emendantes, sententiam excommunicationis contra ipsos & ipsorum singulos, de consilio & consensu canonicorum & capituli ecclesiæ supradictæ, proferimus in his scriptis, quam ipsos & ipsorum singulos incurrere volumus ipso facto. Ad denunciationem & aggravationem ipsius sententiæ nihilominus procedemus, ipsorum inobedientia exigente. Datum Nicosiæ die penultima mensis Martii, Indictione octava, anno Domini M.CCC.XXV. tempore Domini Ioannis papæ XXII.

X. De eligentibus sepulturam extra suam ecclesiam.

Si de parochianis nostris aliquis apud aliam ecclesiam elegerit sepulturam: morte nunciata ipsius, duæ tantum campanæ pulsentur, *&c. ut supra cap. ult. concilii Nicosiensis, an. M.CC.LXXXVIII.*

HELIÆ ARCHIEPISCOPI NICOS.

CONSTITUTIO,

Quæ prædecessorum constitutiones innovat.

CUm laudandæ definitionis intentio, pastoris sit semper studiis adjuvanda: cura est sollicitudinis adhibenda, ut ea quæ pro cultu Divino, quieta ecclesiasticæ conversationis sunt disposita & ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quædam valeat præsumptio perturbare. Quia nos frater Helias, Dei & apostolicæ sedis gratia Nicosiensis archiepiscopus, multas scimus constitutiones & leges, tam a legatis sedis apostolicæ, quam a nostris prædecessoribus, emanasse ad decus cultus Divini, & honestatem ordinis clericalis, quas, nostram ecclesiam visitantes invenimus, ut plurimum datas in neglectum, & sic potius membranas occupasse, quam in aliquo fructum salutiferum attulisse: idcirco omnes constitutiones legatorum sedis apostolicæ, editas ad cultum Divini nominis & honestatem ordinis clericalis, tanquam validas, firmas præsentialiter denunciamus: ac constitutiones prædecessorum nostrorum, in quantum non sint primæ posterioribus contrariæ vel adversæ, approbamus & ratificamus, ac etiam innovamus: mandantes, ipsas pro definitione nostræ visitationis debere inviolabiliter observari.

CONCILIUM NICOSIENSE ab Helia archiepiscopo, cum suffraganeis, celebratum.

Anno Domini M.CCC.XL.

PRÆFATIO.

In nomine Domini Jesu Christi, amen.

COngregato & convocato provinciali concilio regni Cypri in aula archiepiscopatus Nicosiensis per reverendum in Christo patrem & dominum, dominum fratrem Heliam, Dei & apostolicæ sedis gratia archiepiscopum Nicosiensem, metropolitanum regni prædicti, una cum suffraganeis suis, reverendis in Christo patribus, dominis, Odone Paphensi, Lambertino Nimociensi, & fratre Marco Famagustano, & Anteradensi, episcopis, & præsentibus, & eidem concilio interessentibus venerabilibus in Christo patribus, dominis, fratre Leondio de Solia, Nicosiensis; fratre Matthæo de Larsino, Paphensis; fratre Clemente de Lescara, Nimociensis: & fratre Michaele de Carpasio, Famagustanæ, diœcesum Græcorum episcopis; & fratre Georgio, Maronitarum; & fratre Gregorio, Armenorum, præsulibus & episcopis; & aliarum nationum, videlicet, Nestorinorum & Jacobitarum rectoribus, & aliorum clericorum Latinorum & Græcorum, & dictarum nationum multitudine copiosa: præfatus dominus archiepiscopus, præmissis Romano more orationibus consuetis, Spiritus sancti gratia primitus invocata, proposito verbo Dei, clare, distincte, & explicite declaravit, aperuit, & exposuit fidem catholicam, quam de articulis & ecclesiasticis sacramentis, ac aliis quæ possent forte ex ignorantia in errorem aliquos declinare, sacrosancta Romana ecclesia tenet, docet, & prædicat, dictis nationum prælatis, eorumque subditis audientibus, & intelligentibus, liquido, singulariter & distincte per infra scriptos fideles viros interpretes auctoritatis, & linguarum, quarum erant intrepretes, plenam & veram habentes notitiam, quidquid per eumdem dominum archiepiscopum verbo extitit declaratum: & scripto de unanimi consilio Latinorum pontificum publice ibi lecto, ad nationis cujuslibet intellectum, mediantibus interpretibus infrascriptis. Cujus scripti series, de verbo ad verbum, nil addito vel minuto, tenor talis est.

CONFESSIO FIDEI.

„ QUoniam in regno Cypri, in singulis civitatibus & diœcesibus, permixti sunt „ populi diversarum linguarum, habentes sub „ una fide, sicut experimento didicimus, va„ rios ritus & mores, qui a suis episcopis & „ præsulibus, juxta diversitates rituum & lin„ guarum, verbo instituendi sunt pariter & exem„ plo: ut in salubri doctrina præfati præsules, „ expulsa omni errorum caligine, possint in lu„ mine veræ lucis, quæ catholicos professores „ illuminat, ambulare, & suos subditos, seu po„ pulos commissos eisdem, clarius informare: de„ crevimus fidei professionem explicite declarare, „ quam sacrosancta Romana ecclesia firmiter „ tenet, docet, & prædicat: ut ipso veræ lucis „ lumine mediante queant veritatis semitam „ imitari, & varios errores expellere.

„ Quicumque autem cupit salvus fieri & ca„ tholicus reputari, firmiter credere debet & „ simpliciter confiteri, quod unus solus, ve„ rus est Deus, æternus, immensus, & incom„ mutabilis, incomprehensibilis, omnipotens, „ ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus san„ ctus; tres quidem personæ, sed una essentia, „ substantia, seu natura simplex omnino. Pa„ ter a nullo, Filius a Patre solo, & Spiritus „ sanctus ab utroque: non tanquam ex duobus „ principiis, sed tanquam ex uno principio; non „ duabus spirationibus, sed unica spiratione „ procedens. Hoc professa est hactenus, prædicavit,

„ cavit, & docuit; hoc firmiter tenet & prædicat sacrosancta Romana ecclesia, mater omnium fidelium ac magistra. Hoc habet orthodoxorum patrum atque doctorum, Latinorum pariter & Græcorum, incommutabilis & vera sententia.

„ Tenet insuper, docet & prædicat eadem sancta mater ecclesia, sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: totamque in Trinitate deitatem, coessentialem & consubstantialem, coæternam, coomnipotentem, unius potestatis, voluntatis, & majestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia, quæ sunt sub cælo & in terra, visibilia & invisibilia, corporalia & spiritualia.

„ Singulam quamque in sancta Trinitate personam, unum verum Deum & perfectum existere, ipsumque Dei unigenitum, Verbum Dei, æternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem & coæqualem per omnia Patri in Divinitate, tota Trinitata communiter incarnatum, ex Maria semper virgine Spiritus sancti cooperatione conceptum cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram temporalem ex matre: Deum verum & hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum; non adoptivum neque phantasmaticum, sed unum & unicum filium Dei, in duabus & ex duabus, Divina scilicet & humana, naturis, sed in unius personæ singularitate; impassibilem & immortalem Divinitate, sed in humanitate, pro nobis & pro salute nostra passum vera carnis passione, mortuum & sepultum, & descendisse ad inferos, ac tertia die resurrexisse a mortuis vera carnis resurrectione; die quadragesima post resurrectionem, cum carne qua resurrexit, & anima, adscendisse in cælum & sedere ad dexteram Dei Patris, & inde venturum judicare vivos & mortuos, & redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala, tam reprobis quam electis, qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus quæ nunc gestant; reprobi vero cum diabolo, pœnam perpetuam recepturi, & electi cum Christo gloriam sempiternam.

„ Credere etiam debet & tenere firmiter unusquisque catholicus, unam esse fidelium universalem ecclesiam, extra quam nullus omnino salvatur, in qua unum datur baptisma, & vera omnium remissio peccatorum.

„ Firmiter etiam credere, & simpliciter confiteri debet quicumque fidelis, novi & veteris testamenti, legis, ac prophetarum, & apostolorum, unum esse auctorem Deum. Et hæc est vera fides catholica, quam super dictis articulis tenet & prædicat sacrosancta Romana ecclesia, mater omnium fidelium & magistra.

„ Sed propter diversos errores, a quibusdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia adinventos, dicit, tenet, docet, & prædicat, quod secundum communem Dei ordinationem, animæ sanctorum hominum, qui de hoc sæculo ante Domini nostri Jesu Christi passionem decesserunt; necnon sanctorum apostolorum, martyrum & confessorum, virginum, & aliorum fidelium defunctorum, post sacrum ab eis Christi baptisma suceptum, in quibus nil purgabile fuit quando decesserunt, nec erit quando decedent, etiam in futurum, vel si tunc fuit aut erit purgabile aliquid in eisdem cum post mortem suam fuerint purgatæ; aut quod animæ puerorum eodem Christi baptismate renatorum & baptizandorum, cum fuerint baptizati, ante usum liberi arbitrii decedentium, mox post mortem suam & purgationem præfatam, in illis qui purgatione hujusmodi indigebant, etiam ante resurrectionem suorum corporum & judicium generale, post ascensionem salvatoris nostri Domini Jesu Christi in cælum, fuerunt, sunt, & erunt, in cælo cælorum, regno & paradiso cælesti, cum Christo sanctorum angelorum consortio congregatæ, ac post Domini Jesu Christi passionem & mortem, viderunt, vident, & videbunt Divinam essentiam, visione intuitiva, ac etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione objecti, nisi se habente secundum Divinam essentiam mediante se videre clare, & aperte eis ostendere; & quod sic videntes eadem essentia perfruantur; necnon quod ex tali visione, & fruitione, eorum animæ qui jam decesserunt, sunt vere beatæ, & habent vitam & requiem æternam, & erunt illorum, qui postea decedent, cum eamdem videbunt Divinam essentiam, ipsaque perfruentur, ante judicium generale. Et quod postquam inchoata fuit, vel erit, talis intuitiva & facialis visio & fruitio in eisdem: eadem visio & fruitio, sine aliqua intercisione seu evacuatione prædictæ visionis & fruitionis, continuata fuit, & continuabitur usque ad finale judicium, & extunc usque in sempiternum.

Hic aliquod mendum subest.

„ Definivit insuper eadem sancta mater ecclesia, quod secundum communem Dei ordinationem, animæ decedentium in actuali peccato mortali, mox post mortem suam ad inferna descendunt, pœnis infernalibus, tamen disparibus, puniendæ; & quod nihilo minus in die judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem.

„ Tenet etiam & docet eadem Romana ecclesia, septem fore sacramenta ecclesiastica. Unum, scilicet Baptisma, de quo supra dictum est, quod ad invocationem individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus sancti, consecratur in aqua, quod tam parvulis quam adultis in formam ecclesiæ a quocumque rite collatum, proficit ad salutem: post cujus susceptionem baptismi, si quisquam prolapsus fuerit in peccatum, potest semper per veram pœnitentiam reparari, & suorum consequi veniam peccatorum. Aliud est sacramentum Confirmationis, quod cum ab apostolorum tempore solis fuerit pontificibus reservatum in fronte chrismando renatos, soli debent episcopi per manus impositionem conferre. Cujus forma hæc est: Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Quod si simplices sacerdotes conferre præsumant, nihil agunt: cum ex eorum collatione, umbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectum. Aliud est Pœnitentia. Aliud est Eucharistiæ sacramentum, quod ex azymo conficit eadem Romana ecclesia, tenens & do-

„ docens, quod in azymis verum conficitur & A „ potest confici corpus Christi: cujus corpus & „ sanguis, in sacramento altaris, sub speciebus panis & vini veraciter continetur, transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate Divina. Quod utique sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos rite fuerit ordinatus, secundum claves ecclesiæ, quas ipse concessit apostolis, & eorum successoribus Jesus Christus. Aliud est Ordinis sacramentum. Aliud est Extrema unctio, quæ secundum doctrinam beati Jacobi infirmantibus exhibetur. Aliud est Matrimonium, de quo tenet sancta mater ecclesia, quod nec unus vir simul plures uxores habere permittitur, nec unquam licuit, nisi cui B fuit Divina revelatione concessum, nec una mulier simul habere plures viros. Soluta vero lege matrimonii per mortem alterius conjugum, secundas, & tertias, & deinceps nuptias, successive licitas esse dicit, si impedimentum canonicum ex causa legitima non obsistat.

„ Tenere debet insuper, fateri, & publice confiteri, quicumque vult reputari catholicus, quod ipsa sacrosancta Romana ecclesia est mater omnium fidelium, & magistra, & super universam catholicam ecclesiam plenum principatum obtinet & primatum, quem memorata ecclesia ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe seu vertice, cujus C Romanus pontifex est successor, cum plenitudine potestatis recepisse, veraciter & humiliter recognoscit. Cujus Romani pontificis, si quæ suborta fuerint quæstiones & causæ majores, suo debent judicio definiri: ad quem potest quicumque gravatus in negotiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus appellare, & in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest recurri judicium: & eidem omnes ecclesiæ sunt subjectæ, ipsarumque prælati obedientiam & reverentiam sibi debent, qui in partem sollicitudinis sunt vocati.

„ Præscriptam igitur purissimam, certissimam, solidissimam Romanæ ecclesiæ & or- D thodoxæ fidei veritatem, evangelicæ doctrinæ consonam, a sanctis patribus traditam, & Romanis pontificibus in suis statutis, synodis, definitionibus, determinationibus, & constitutionibus roboratam, ab universis & singulis regni Cypri, cujuscumque nationis existant, firmiter teneri, & simpliciter absque varietatis inconstantia, & sine scrupulo cujuslibet dubietatis agnosci, præsentis constitutionis serie, auctoritate præsentis concilii promulgatæ, præcipimus & mandamus, si omnipotentis Dei & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, necnon sanctissimi domini nostri, domini Benedicti papæ XII. cupiunt effugere ultionem. Per hoc autem non intendimus inhibere Græcis episcopis, & eorum subditis, quin ritus suos fidei catholicæ non adversos sequantur, juxta compositionem a felicis recordationis domino Alexandro Romano pontifice in regno Cypri inter Latinos & Græcos editam, & diutius observatam.

Memorati Græcorum, Maronitarum, & Armenorum episcopi, & præmissarum aliarum nationum majores, pro se & subditis suis, intellectis omnibus & singulis supradictis, & super singulis articulis fidei & ecclesiasticis sacramentis, ac aliis in dicta serie comprehensis, singuli singulariter, & universaliter universi, juxta relationem infrascriptorum interpretum, clare, aperte, distincte, & singulariter, & explicite recognoverunt, humiliter & devote, & spontanea voluntate, omni timore semoto, & quacumque coactione cessante, humili professione confessi sunt, & devota confessione professi, illa omnia & singula in dicti scripti serie comprehensa, vera esse; & quod illa omnia & singula firmiter credebant, prout superius explicite declarantur. Adjiciens rationes, quod ita erat ab omnibus catholicis absque dubietate credendum: & quod sacrosancta Romana ecclesia erat mater omnium fidelium & magistra, super omnes ecclesias plenum principatum obtinens & primatum: & quod sanctissimus in Christo pater, dominus Benedictus Divina providentia papa XII. successor beati Petri, & in terris vicarius Jesu Christi, erat cunctorum fidelium pater, & pastor, & dominus, cui singuli prælati ecclesiarum omnium debent reverentiam humilem; ipsique reverentiam eidem & obedientiam promittebant. Petentes humiliter, quod eis liceret in suis titibus fidei non contrariis permanere, ac deprecantes dictum dominum archiepiscopum, ut devotionem eorum intimare domino summo pontifici dignaretur.

Acta sunt hæc Nicosiæ, in aula archiepiscopatus majori, præsentibus venerabilibus viris, dominis, Leodegario de Nabinalis decano, Baliano Guezii, Antonio Marbre, & Bernardo Coste, canonicis, & capitulo ecclesiæ Nicosiensis, Marino de Luca cantore, & Joanne Benedicti, canonicis Paphensis ecclesiæ: Jacobo Paschalis thesaurario & canonico Nimociensi, linguarum Latinæ & Græcæ notitiam habentibus; Gofredo Spangiota archidiacono & canonico Famagustano, Justino de Justinis, milite & consiliario regio; fratre Francisco de Nimocio priore provinciali fratrum Prædicatorum in provincia terræ sanctæ, fratre Raymundo de Moragis, ordinis fratrum Minorum in dicta provincia ministro; Jacobo de sancto Prospero canonico Nimociensi, & dicti domini archiepiscopi officiali, inter latinos & Græcos, & Joanne Mahe presbytero Tarsensi canonico, inter Latinos & Maronitas, Jacobitas & Nestorinos, & presbytero Petro de Ascalona, inter eosdem Latinos & Armenos, interpretibus. Fratre Iterio de Nabinalis, ordinis F. Minorum, ac domino de Parma, testibus ad hæc vocatis & rogatis, & quampluribus aliarum ecclesiarum canonicis, & notabilibus viris, ac clericorum Latinorum & aliarum nationum multitudine copiosa.

Post hæc & instanti, in præsentia totius concilii lectæ, firmatæ, & publicatæ fuerunt aliæ constitutiones infrascriptæ.

E STATUTA CONCILII.

I. De decimis integre solvendis.

ITem approbatione ejusdem concilii confirmamus, innovamus, & ratificamus, ac etiam approbamus, constitutionem editam contra decimas non solventes in provinciali concilio apud Nimocium celebrato, quæ incipit, *Contumacia non plene*. Adjicientes eidem, sicut in constitutione bonæ memoriæ domini Hugonis Nicosiensis archiepiscopi continetur expresse, quod eamdem excommunicationis sententiam

tiam ipso facto incurrant omnes & singuli, qui ecclesiis Nicosiensi, Paphensi, Nimociensi, & Famagustanæ, integras decimas non solverint, ut tenentur, de omnibus redditibus suis, possessionibus, terris, animalibus, appaltis, ac aliis quibuscumque, sine deductione seminis, taliæ, angariarum, vel aliarum quarumlibet expensarum, cum integre sine deductione aliqua, decima sit solvenda. Quam sententiam incurrere debeant ipso facto omnes & singuli, qui annis singulis plene & perfecte non computaverint, & integre non solverint, ut superius est expressum, per totum Februarium cujuslibet anni. A qua sententia nullus possit absolvere, sine speciali licentia nostra, & aliorum prælatorum præmissarum ecclesiarum, vel eorum, quibus nos in diœcesi nostra, & ipsi in singulis suis diœcesibus, specialiter duxerimus concedendum. Et quod illorum corpora, qui usque ad extremum vitæ exitum excommunicationem sustinuerint, occasione præmissa, animo indurato, licet eos in ipso mortis articulo absolvi contingat, usque ad satisfactionem integram extra cœmeterium ecclesiasticum valeant detineri, cum vix unquam ecclesia valeat percipere quod est suum.

Cui constitutioni dictus dominus Odo Paphensis episcopus non consensit: immo, in quantum suam posset ecclesiam tangere, totaliter contradixit; maxime ubi incipit, *& quod illorum corpora &c.* & ab inde infra.

II. Contra matrimonia clandestina.

Item statuimus & mandamus, auctoritate ejusdem concilii, quod matrimonium semper in facie ecclesiæ inter personas legitimas hora debita celebretur, excommunicantes ex nunc omnes & singulos, qui matrimonia clandestina de cætero inter se præsumpserint celebrare, & omnes & singulos qui talibus matrimoniis interfuerint, seu consilium dederint, auxilium vel favorem: quorum absolutionem, loci diœcesano episcopo reservamus, imposita prius dictis excommunicatis pœnitentia salutari, & aliis quæ de jure fuerint injungenda. Sacerdos autem vel clericus, qui matrimonio clandestino opem vel operam dederit, ab officio & beneficio sit suspensus, usque ad tempus a canone definitum. Clandestina autem matrimonia intelligimus, quæ fient de cætero sine licentia nostra, vel diœcesanorum in eorum diœcesibus, vel illorum, quos nos & ipsi singulariter duxerimus deputandos. Et in matrimoniis contrahendis proclamationes fieri debeant tribus diebus Dominicis successive, ut est fieri consuetum: quod tempus proclamationis ab aliquo nequeat coarctari: salvo quod hoc locum non habeat in regalibus & descendentibus ab eisdem. Et si contrahentes essent diversarum diœcesum, matrimonium intelligatur esse clandestinum, nisi tribus diebus Dominicis, ut præmittitur, fuerit publice more solito proclamatum in majori ecclesia, vel in cappellis parochialibus illius cujuslibet civitatis vel diœcesis, in qua vel quibus quilibet ex contrahentibus consueverat habitare, seu illo tempore habitabat. Pœnis aliis contra sacerdotes & clericos hujusmodi matrimonia clandestina celebrantes, per constitutiones prædecessorum nostrorum promulgatas, nihilo minus in suo robore duraturis: videlicet pœna perpetui carceris, juxta constitutionem bonæ memoriæ domini Hugonis prædecessoris nostri, quam auctoritate præsentis concilii innovamus, ac etiam approbamus.

III. De synodo bis in anno celebranda.

Item statuimus & mandamus, quod singulis annis quilibet Latinus episcopus bis synodum debeat celebrare, videlicet IV. feria post octavas Pentecostes, & VI. feria post octavas Epiphaniæ: in qua personaliter debeat interesse, canonico impedimento cessante, vel per vicarium suum, legitime impeditus, instruendo clerum verbo pariter & exemplo, & faciendo legi constitutiones præsentis concilii, & alias in Nimociensi concilio editas, quas mandent a suis subditis observari.

IV. Ut aliquo signo admoneantur fideles, perfectum esse corpus Christi.

Item statuimus & ordinamus, ac etiam mandamus omnibus episcopis Græcis, & aliis præsulibus quarumlibet nationum, & sacerdotibus earumdem, quod debeant ordinare quoddam signum, quod possit omnibus audientibus Divinum officium notum esse, illa hora qua perfecerint corpus Christi, quando celebrant in altari: ita quod illo tempore corpori Christi exhibeatur reverentia, tam debita, quam devota.

V. Ut constitutiones antehac editæ habeant auctoritatem.

Item auctoritate præsentis concilii, omnes constitutiones, tam a prædecessoribus nostris editas, quam in provinciali concilio apud Nimocium promulgatas, necnon per nos factas, innovamus, ratificamus, approbamus, ac etiam confirmamus, in quantum sibi ad invicem minime contradicant: quas in dictis synodis, annis singulis celebrandis, publice legi mandamus, & ab omnibus observari, sub pœnis in eisdem constitutionibus comprehensis.

VI. Ut non sint in ecclesiis cathedralibus canonici expectantes.

Item cum propter canonicos in ecclesiis cathedralibus regni Cypri expectantes, ipsas ecclesias intolerabilia oportuit supportare: volentes prædictis occurrere, & indemnitatibus nostræ, & aliarum ecclesiarum dicti regni cathedralium providere: auctoritate præsentis concilii statuimus & ordinamus, quod de cætero nullus canonicus, quantumcumque sit in sacris ordinibus constitutus, sub expectatione præbendæ vocem in capitulo, & stallum in choro sibi debeat vendicare, nec almucias deferre de vario, seu pro festis duplicibus aliquid de secretis ipsarum ecclesiarum, vel aliunde, seu exenia aliqua recipere, nec in aliquo se tanquam canonicus intromittere, donec præbendam fuerit pacifice consecutus. Et prædictam nostram constitutionem mandamus, & volumus auctoritate premissa, in quibuscumque ecclesiis cathedralibus dicti regni debere inviolabiliter observari: non obstantibus quibuscumque consuetudinibus ipsarum ecclesiarum, retroactis temporibus observatis. Salva semper in omnibus sanctæ sedis apostolicæ auctoritate.

Cui constitutioni dictus dominus Odo Paphensis episcopus non consensit: immo totaliter

ter contradicit, nec vult ipsam locum habere in sua Paphensi ecclesia.

VII. Ut clerici de executione testamenti se non intromittant.

Item constitutioni synodali editæ Nicosiæ per reverendum in Christo patrem, dominum Hugonem bonæ memoriæ archiepiscopum Nicosiensem, prædecessorem nostrum, in ea parte in qua cavetur, videlicet in fine ipsius constitutionis, quod presbyteri aut clerici diœcesis Nicosiensis, corpore tradito sepulturæ, de commissaria seu executione testamenti, sine licentia prælatorum, seu vicariorum Nicosiensis ecclesiæ, se in aliquo intromittant, quæ incipit: *Ad reprimendam avaritiam ministrorum ecclesiæ*: adjicimus auctoritate prætentis concilii, quod si quis contrarium fecerit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. Et ad hoc inducimur, ut fidei commissariorum & executorum malitiis obvietur, & celerius impleantur decedentium voluntates: quorum executorum officium non intendimus impedire.

VIII. Ut clerici non sint officiales laicorum.

Item constitutioni bonæ memoriæ domini Gerardi archiepiscopi Nicosiensis prædecessoris nostri, editæ in provinciali concilio regni Cypri apud Nimocium celebrato, in qua continetur, quod clerici non sint officiales laicorum, & incipit: *Prohibemus ne sacerdotes aut clerici cujuscumque linguæ, vel nationis existant*: adjicimus, quod si quis de cætero hoc attentare præsumpserit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.

Lectæ & recitatæ fuerunt dictæ constitutiones & ordinationes per reverendum in Christo patrem & dominum, dominum fratrem Heliam, Dei & apostolicæ sedis gratia archiepiscopum Nicosiensem supradictum, assistentibus sibi reverendis in Christo patribus, dominis, Odone Paphensi, Lambertino Nimociensi, & fratre Marco Famagustano & Antheradensi, episcopis ejus suffraganeis supradictis, in præsentia totius concilii supradicti convocatis, in aula archiepiscopatus Nicosiensis.

Et scriptum per me Marcum notarium infrascriptum, sub anno a nativitate Domini M. CCC. XL. Indictione VIII. die Lunæ XVII. mensis Januarii, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Benedicti papæ XII. anno VI.

Ego Marcus scilicet Rolandini de Parma, imperiali auctoritate notarius, & nunc notarius & scriba publicus dicti domini archiepiscopi, prolationi & recitationi dictarum constitutionum, & omnibus & singulis supradictis, cum ageretur, in præsentia totius concilii supradicti interfui, & de ipsius domini archiepiscopi mandato & auctoritate, scripsi & publicavi, meoque signo solito roboravi.

CONSTITUTIONES PHILIPPI archiepiscopi Nicosiensis.

Ann. Dom. M. CCC. L.

In Christi nomine, amen.

NOs Philippus permissione Divina, & sanctæ sedis apostolicæ gratia, Nicosiensis archiepiscopus, considerantes, quod perversorum audacia exigit, ut præsentes nostras constitutiones ordinemus & faciamus, ad omne scandalum inter Francos & Græcos evitandum, de voluntate & assensu venerabilium virorum, dominorum, Salvi de Cypro decani, Alexandri de Alexandria cantoris, Balduini de Clavaro, Adæ de Gentraco, & Jacobi Gazantis, canonicorum, & capituli nostræ Nicosiensis ecclesiæ, ad hoc in camera majori nostri palatii more solito specialiter vocatorum, rogatorum, cum plures non essent tunc præsentes, nec in loco unde ad hoc vocari, vel citari deberent, de iure vel consuetudine ecclesiæ nostræ Nicosiensis præfatæ.

I. De Franco contrahente cum Græca.

Statuimus & ordinamus, & in nostris constitutionibus scribi mandamus, quod de cætero nullus Francus audeat contrahere cum Græca, vel Græcus cum Franca, nisi tribus edictis propositis more solito in ecclesiis Francorum, secundum formam per prædecessores nostros editam, cum ad invicem contrahunt Franci. Et quod teneatur mulier Græca, quæ contrahet, seu contrahere velit cum Franco, primo recipere sacramentum Confirmationis, more Francorum: & e converso si sit Græcus qui velit cum muliere Franca contrahere, primo antequam ad contrahendum admittatur, confirmetur, & banna etiam proponantur juxta mores, ut supra: ita quod liberi ex eis procreati seu nati, pro Francis habeantur & teneantur, & more Francorum vivere debeant, super omnibus sacramentis recipiendis & perficiendis, & aliis quibuscumque negotiis per ipsos agendis & faciendis.

II. Ut nec Græcus Franco, nec Francus Græco, ministrent sacramenta.

Item statuimus & ordinamus, quod de cætero nullus presbyter Græcus, cujuscumque status & conditionis existat, audeat sacramenta ecclesiastica, vel eorum aliquod ministrare alicui Franco, nisi in casu necessitatis evidentis; & e converso, quod nullus etiam Francus eodem modo sacramenta ecclesiastica, vel aliquod eorum, ministrare audeat alicui Græco; nisi, ut præmissum est, necessitate cogente evidenti. Et quia præmissa consueverunt & solent inter Francos & Græcos plura scandala generare: viam quibuscumque scandalis & malitiis volentes præcludere, cum non simus sola præmissorum excessuum prohibitione contenti, una cum præmissis canonicis & capitulo nostro deliberavimus pœnam imponere, ut quos Dei timor a malo non retrahit, saltem coertionis pœna restringat: videlicet, ut sacerdotes & clerici omnes, qui ausi fuerint contra nostras prohibitiones præmissas matrimonia solemnizare, vel sacramenta ministrare, puniantur pœnis statutis, & de-

& declaratis in constitutionibus matrimonia clandestina prohibentibus; & laici excommunicationis sententiam incurrant ipso facto. Quam etiam (canonica monitione præmissa, videlicet sex dierum, quorum duos pro primo, & duos pro secundo, & reliquos duos pro tertio & peremptorio termino, eisdem assignamus) sedentes pro tribunali in camera majori nostri palatii, in præsentia dicti capituli ad hoc specialiter vocati, & consentientis, contra quoscumque qui dictis constitutionibus & mandatis nostris non obedierint, proferimus in his scriptis. A qua nostra sententia nolumus, quod aliqui transgressores dictarum nostrarum constitutionum possint absolvi: nisi imposita sibi pœna, ad arbitrium nostrum imponenda. Non intendentes per hoc, viam prælatis [a] includere, quin possint quoscumque Græcos confirmare, volentes se ad ritum Francorum transferre.

a *Forte* inter cludere. H.

III. De clericis manus injicientibus in clericos.

Item statuimus & ordinamus, quod de cætero non absolvantur presbyteri rixantes, qui manus injecerint unus in alium, quantumcumque sit offensa levis: nisi solverint bysantios x. pro labore & satisfactione injuriæ, Nicosiensi ecclesiæ. Et idem de diaconibus. Subdiaconi autem, & alii in minoribus ordinibus constituti, priusquam absolvantur, solvere teneantur bysantios v. eodem modo, pro labore & satisfactione injuriæ, Nicosiensi ecclesiæ.

IV. Ut in instrumentis manumissionum fiat mentio de sigillo curiæ ecclesiasticæ.

Item statuimus & ordinamus, quod de cætero notarii non audeant publicare instrumenta manumissionum, nisi in ipsis instrumentis fiat mentio de sigillo curiæ ecclesiæ: & si facta fuerint instrumenta, quod eisdem non adhibeatur fides, & puniri possint notarii ad arbitrium nostrum, aut vicarii vel officialis nostri.

Lectæ, publicatæ, & recitatæ fuerunt prædictæ constitutiones & ordinationes, coram clero & populo, in cœmeterio sancti Michaelis de Nicosia, congregatis die Dominica Palmarum, sexta decima mensis Martii, anno Domini MCCCLIII. Indictione VI.

EJUSDEM CONSTITUTIO

Edita anno Domini MCCCLIV.

Ut quilibet in suo ordine serviat.

Item statuimus & ordinamus, ut nullus in ecclesia nostra Nicosiensi existens in ordine sacerdotali, de cætero promoveatur ad assisias subdiaconales & diaconales. Item ut nullus habens seu obtinens in eadem ecclesia nostra Nicosiensi assisiam acolytalem, subdiaconalem, vel diaconalem, se faciat, quamdiu eamdem assisiam obtinebit, ad sacerdotales ordines promoveri: sub pœna privationis ejusdem assisiæ, quam ibi obtinet. Conveniens enim est, ut quilibet in gradu suo famuletur Deo, & serviat in eadem ecclesia, prout est, seu fuit ab initio institutum; nec super hoc possit per aliquem dispensari, nisi solum per nos, vel per alios archiepiscopos, qui pro tempore fuerint in eadem ecclesia constituti.

Lecta, publicata, & recitata fuit dicta constitutio & ordinatio coram canonicis, & capitulo dictæ nostræ Nicosiensis ecclesiæ, in Thesauraria ipsius nostræ Nicosiensis ecclesiæ, MCCCLIV. Indictione VII.

G. C. Singulare hoc habent ac proprium superiores constitutiones, ut multa deceant, alioquin ignota, de disciplina, qua Græcorum ecclesias Latini regebant. Plurimum autem lucis accipient ex Alexandri IV. constitutione, in superiori allata.

SYNODUS PRAGENSIS PROVINCIALIS

ANNO CHRISTI 1355.

Anno MCCCLV.

Habita ab Ernesto Pragensi archiepiscopo I.

Ernestus Dei & Apostolicæ Sedis gratia sanctæ Pragensis ecclesiæ archiepiscopus, universis Prælatis, Capitulis, Conventibus, Plebanis, ecclesiarum Rectoribus, clero & clericis, ac ceteris Christi fidelibus tam religiosis, quam etiam sæcularibus, Pragensem per civitatem, diœcesim & provinciam constitutis, in omni salvatione salutem, & præsentium observantiam ex frequenti lectionis studio, salutarem.

Ex P. Harzheim Concil. Germ. t. IV. pag. 381.

Rex magnificus *qui facit mirabilia magna solus*, suum magnificentiæ sinum aperiens, nuper nostram Pragensem ecclesiam per Sancti. in Christo patrem & Dominum D. Clementem papam VI. ad preces & solertem instantiam Serenissimi Principis & Domini nostri Dom. Karoli tunc marchionis Moraviæ, nunc vero Romanorum & Bohemorum regis, in metropolitanam erexit, & archiepiscopalis dignitatis titulo insignivit, nos quoque super solium pastoralis præeminentiæ ipsius Pragensis ecclesiæ licet immeritos, sua tamen ac ipsius sedis apostolicæ dignatione locavit. Idcirco ex injuncti nobis officii debito, in hujus novitatis primordio, subditorum utilitati providere volentes, summam aliquorum canonum & constitutionum provincialium ecclesiæ Moguntinæ, quæ olim in nostra provincia tenebantur, ac etiam statutorum Synodalium per nos & nostros prædecessores editorum, quæ pro morum correctione & decisione causarum & casuum frequentius occurrentium magis utiles & transgressoribus periculosiores judicamus, de unanimi consilio & assensu suffraganeorum, capitulorum & conventuum, omnium quoque prælatorum, personatus, dignitates, officia ecclesiastica

☞ stica regentium, plano & brevi stylo, ut facilius possint memoriæ commendari, in unum libellum duximus redigendum, quem & nullum alium pro constitutionibus provincialibus reputari volumus & haberi; omnes alias constitutiones provinciales ecclesiæ Moguntinæ, & omnia statuta Synodalia a prædecessoribus nostris, vel a nobis usque ad præsens edita, quoad nostram diœcesim præsentibus non insitas & insita irritantes, immo irritas & irrita nuntiantes, & omni carere decrevimus roboris firmitate. Ut autem constitutiones ipsæ ad singulorum perveniant notitiam clariorem, venerabilibus fratribus & coepiscopis nostris in virtute S. obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus ipsas mox scribi faciant & sibi procurent, ac singulis annis, cum suas Synodos celebrant, clero suo earumdem studium & observantiam, studiosius recommendent, cathedralium vero & collegiatarum ecclesiarum capitula habeant earumdem constitutionum duo paria, unum sub sygillo nostro, quod in sacristia servetur, aliud quod in ecclesia sua in loco patenti affixum catenula, a die publicationis earumdem infra trium mensium spatium reponi faciant. Archidiaconi autem, decani rurales & parochialium ecclesiarum rectores singuli unum libellum ipsarum constitutionum sibi comparent, nam lapsis tribus mensibus memoratis, nemo per ignorantiam earumdem poterit se tueri.

I. *De summa Trinitate.*

Firmiter præcipimus, ut universi Prælati, Plebani & Rectores ecclesiarum nostræ provinciæ de S. & individua Trinitate Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, & articulis fidei maxime divinitatem & humanitatem Domini nostri Jesu Christi concernentibus, nihil aliud tradant, teneant, ac doceant, nisi quod S. R. E. credit, tenet, & docet. Laici implicite, clerici vero explicite & distincte, & ne quis clericorum per crassam ignorantiam articulorum fidei se possit aliqualiter palliare, de ipsis articulis fidei, & de quibusdam aliis ad salutem fidelium summe necessariis, libellum quemdam, qui de tribus punctis essentialibus religionis Christianæ intitulatur in fine harum nostrarum constitutionum decrevimus annectendum, quem libellum cum præsentibus nostris constitutionibus mandamus per omnes haberi, & contenta in eo efficaciter observari.

II. *De constitutionibus.*

Statuimus, quod constitutiones seu statuta provincialia quælibet personarum superius expressarum ad Provinciale concilium secum asferat, & lectionem eorumdem audiat, ac eadem in eodem perlegat, hoc ipsum circa Synodalia episcoporum statuta per subditos ipsorum in synodis episcopalibus observari mandamus.

III. *De rescriptis.*

Fraudibus impetrantium rescripta apostolica, in quibus actor rei potentiam se perhorrescere, falso proponens, tantum, ut judices extra ipsorum diœcesim impetret, ut reus fatigatus laboribus & expensis cum eo pro suo libitu concordare cogatur, obviare volentes, statuimus, quod ipsorum diœcesanus, vel ejus officialis, ad instantiam rei, si hoc notorium fuerit, quod non est tantæ potentiæ, quam actor merito perhorrescere debeat, teneatur conditionem actoris & rei scribere judici taliter impetrato, & ipsum petere, ut super hoc rei probationes recipiat, potius quam credat actoris simplicis juramento. Nam licet jus permittat hanc perhorrescentiam probari posse juramento, quæ probatio inter cæteras est fragilior, non tamen prohibetur, quin reus volens contrarium probare per testes, quę probatio fortior est juramento, sit merito admittendus. Adjicientes, quod nullus ad requisitionem cujusque ignoti judicis se delegatum vel subdelegatum sedis apostolicæ asserentis, aliquam citationem seu publicationem processuum quorumcumque audeat facere; nisi sibi prius de interdictione ipsius per ostensionem Bullæ apostolicæ, vel transumpti, auctoritate ordinarii per manualem publica facta fuerit plena fides. Ut autem de citationibus factis & processibus executis constare possit, injungimus decanis, & parochialium ecclesiarum plebanis, ut quilibet ipsorum sigillum proprium infra mensem a præsentium publicatione numerandum, habere teneatur sub pœna unius fertonis grossorum Pragensium, fabricæ cathedralis ecclesiæ persolvendi.

IV. *De consuetudine.*

Olim ecclesia Moguntina, diuturna servata consuetudine, introduxit archiepiscopus moguntinus vel ipsius officialis, causas appellationum, vel alias ad moguntinam sedem legitime devolutas, subditis suorum suffraganeorum in toto vel in parte possit committere, & eos ad suscipiendas hujusmodi causas compellere. Nos considerantes prædictam consuetudinem & statutum pro subditorum litigantium commodo introductas, & ante erectionem nostræ Pragensis ecclesiæ in Pragensi & in Olomucensi diœcesibus observatas, eas in provincia nostra inviolabiliter servandas, & tenendas de cætero, hoc sacro approbante concilio, diffinimus.

V. *De electione.*

Cum in ecclesiis Prælatorum seu Canonicorum electio vel præbendarum seu beneficiorum collatio, vel bonorum alienatio seu obligatio, aut alia ardua negotia ecclesiæ imminent facienda, ad talia absentes canonici sunt vocandi; alioquin ipsis instantibus per superiorem cassabitur, quod in eorum absentia per præsentes fuerit attemptatum, nisi consuetudo habeat eos ad talia non vocari, vel abientes sint extra provinciam constituti.

VI. *De excommunicatione.*

Excommunicamus omnes sæculares & regulares canonicos ac monachos, qui in electionibus aut aliis suarum ecclesiarum, seu monasteriorum negotiis persequendis conspirationes, seu alias quascumque colligationes fecerunt, eis districte injungentes, ut ipsi utilitatem & profectum ecclesiarum, & monasteriorum suorum solummodo habentes præ oculis, recta conscientia & mente libera satagant procurare.

ANNO CHRISTI 1355.

VII. *De renuntiatione.*

Sunt tamen nonnulli, qui se ad beneficia ecclesiastica minus pinguiora procurant instituti; ut ratione tituli recipiantur ad ordines, & demum facti presbyteri, temeritate propria dimittant beneficia, & more conductorum servorum singulis annis pro cotidiano victu de una ecclesia ad aliam se transferant, facientes quæ non licet loqui, in cleri opprobrium & scandalum laicorum. Nos attendentes, quod nullus sine superioris sui licentia beneficium ecclesiasticum dimittere, vel recipere potest, temeritatem hujusmodi volentes compescere, statuimus: quod tales per diœcesanos suos suspendantur ab executione ordinum susceptorum, & nihilominus in exaggerationem facti subdantur pœnæ carcerali; verumtamen beneficium suum aliquis ad manus sui superioris si renuntiare voluerit, superior ipse de renuntiationis causa, an sit rationabilis & justa & per consequens admittenda an non, Simoniaca, vel in fraudem expectantium aut ordinum, ut prædicitur, susceptorum seu per vim & metum extorta, & sic non admittenda, inquisitionem faciat diligenter.

VIII. *De ætate & qualitate ad sacros ordines promovendorum.*

Cum clericorum ordinatio vel beneficiorum provisio imminerit facienda, prælati ex sui officii debito diligentius inquirant, an promovendus ad Sacros Ordines, vel ad citatum beneficium, sit gravis in moribus, ætatis legitimæ, & scientiæ competentis, & utrum sit de thoro legitimo generatus? (nam cum illegitime nato, si in seculo remanet, quoad Sacros Ordines, vel Curatum beneficium obtinendum solus Papa poterit dispensare) & an promovendus, vel aliquis suorum progenitorum usque ad quartum gradum per paternam lineam ascendendo, occiderit, vel mutilaverit aliquem Clericum in Sacris Ordinibus constitutum, & pro Clerico se gerentem? & utrum habeat perpetuum Beneficium Ecclesiasticum, vel sufficiens patrimonium volens ad Sacros Ordines promoveri: & si est de alia Diœcesi, utrum habeat commendatitias, seu dimissorias Superioris sui litteras: quem autem criminosum, vel defectuosum invenerint in præmissis, aut aliquo præmissorum, hunc omnino repellant. Præcipimus insuper: quod Episcopi excommunicationis sententiam proferant in illos, qui furtive ad receptionem Ordinum accesserint, priusquam ordinationem inchoent Clericorum.

IX. *De clericis peregrinis.*

Nullus in Ecclesia sua ignotum, seu peregrinum Clericum de alia Diœcesi venientem ad celebrationem Divinorum in publico præsumat admittere, licet *formatas*, seu litteras suæ ordinationis exhibeat, nisi etiam ostendat litteras Diœcesani Episcopi, vel ejus Vicarii, in cujus Diœcesi se petit admitti, in quibus contineatur expresse, quod in ejus Diœcesi habeat licentiam celebrandi: contrarium faciens, in uno fertone grossorum Pragensium pro admissione qualibet per loci archidiaconum puniatur, pro utilitate fabricæ cathedralis ecclesiæ convertendum.

X. *De officio archidiaconi.*

Permittimus ut archidiaconi juxta antiquas statuta ecclesiæ Moguntinæ per consuetudinem approbata personaliter in suis sedibus residentes, si juris habent peritiam seu assessores peritos, causas matrimoniales & usurarum, audire & definire valeant, causis aliis diœcesanis Episcopis, & officialium examini reservatis; judicata per eos, præterquam in casibus supradictis, sint irrita ipso jure, & nihilominus per loci ordinarium a suis officiis suspendantur, nec absque suorum episcoporum speciali licentia ex causa quacumque a clero suorum archidiaconatuum possint petere subsidium.

XI. *De Vicariis.*

Multorum querelis & propria experientia nos docente, didicimus, quod nonnulli prælati seu canonici cathedralium & collegiatarum ecclesiarum sæcularium & Regularium, quorum dignitatibus, præbendis seu monasteriis parochiales ecclesiæ incorporatæ sunt vel annexæ, perpetuis vicariis earumdem assignant sic tenuem portionem, quod de ea vicarii nequeant sustentari. Nos in his dispositionem juris communis observari volentes, omnibus, ad quos talium vicariorum institutio, seu investitura pertinet, præsentis statuti serie districte præcipimus, quod de cætero nullatenus ad vicarias ipsas præsentatos admittant, nisi ipsis præsentatis pro sustentatione sua, & hospitalitate servanda, ac pro aliis oneribus incumbentibus sufferendis congrua portio deputetur, insuper rectoribus parochialium ecclesiarum, simili discretione mandamus, ut quoniam ipsis studiorum, vel alia justa causa per Episcopum datur licentia se ad tempus a suis ecclesiis absentandi non quærant vicarios, qui eis solvant magnam pensionem, quam verisimiliter de fructibus beneficii ultra sustentationem comportare non possunt, sed potius illos, quos plebibus suis prodesse crediderint verbo pariter & exemplo, hujusmodi autem vicarios, rectores ecclesiarum episcopo loci præsentare teneantur, ut ab eo præmisso examine, pro illo tempore curam animarum recipiant, quam rectores ipsi auctoritate propria eis nequeunt delegare.

XII. *De officio legati.*

Quorumdam delegatorum sive subdelegatorum mentem progreditur periculosa temeritas, quod licet a sede apostolica simplices in forma commissiones recipiant, nihilominus in earumdem auctoritatem, civitates, oppida, villas, loca, territoria, vel districtus ecclesiastico subdunt interdicto, & ut malefactum deterius valeant effectui mancipare, in suum subsidium potentiam invocant brachii secularis; cum auctoritas talium judicum ipso pure sit nulla, omnibus metropolitico jure nobis subjectis, ne antedicta hujusmodi teneant, districtius inhibemus, nec seculare brachium, quoad hoc, ipsis præstet aliquod subsidium vel juvamen.

XIII. *De officio ordinarii.*

Ne inferiores Prælati suarum Superiorum jurisdictionem eludant, Episcopis, Archidiaconis, Decanis, & aliis Prælatis seu aliorum offi-

ANNO CHRISTI 1355.

cialibus in virtute S. obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ districtius inhibemus: ne subditis suis, seu eis qui litigant aut litigaverint, coram eis inhibitionem faciant, aut aliquod impedimentum præstent directe vel indirecte, quominus appellationem, vel alias suas causas ad superiorem deducere valeant, seu perferre examen.

XIV. *De vicariis & prædicatoribus Episcoporum.*

Cum propter occupationes multiplices, aut invalitudines seu occasiones alias, Episcopi per seipsos non sufficiant ministrare populo verbum Dei, ac ipsius confessiones audire, maxime propter amplas diœceses, & diffusas assumant sibi viros idoneos, ac sanctum prædicationis officium salubriter exequi potentes, qui plebes sibi commissas vice ipsorum, cum per se nequiverint, sollicite visitantes, eos verbo reficiant pariter & exemplo, ac cæteris quæ ad salutem pertinent animarum. Habeant & saltem tres privatos seculares vel religiosos industres & peritos, quorum duo apud ecclesiam cathedralem sint assidui, tertius episcopalem curiam sequatur continuo, quibus plenam suam auctoritatem tribuant in audiendis confessionibus, & absolutionibus impendendis, & eis cum indiguerint necessaria subministrent, ne per necessariorum defectum cogantur desistere ab incepto. Celebrent autem episcopi missarum solemnia in suis ecclesiis cathedralibus, præsertim in festivitatibus Domini & Virginis gloriosæ, clero & populo indulgentias solitas concedentes, & quia plures non re, sed solo nomine, tam clerici quam monachi magis metu pœnæ, quam verbo vitæ a suis cohibentur excessibus, statuimus: quod episcopi singuli suos habeant carceres duplicatos, minores scilicet, & magis rigidos, in quibus, secundum exigentiam criminum, tales delinquentes ad tempus, vel in perpetuum ad agendam pœnitentiam recludantur.

XV. *Ne beneficia spolientur.*

Præsenti prohibemus edicto, ne Episcopi aut Abbates, seu quivis alii regulares vel sæculares Prælati, aut ecclesiasticæ vel laicæ quæcumque personę, vacantibus dignitatibus, personatibus, prioratibus, vel ecclesiis quibuscumque sibi subjectis, sive ad collationem, præsentationem, ordinationem, institutionem, vel custodiam pertinentibus, eorumdem bona, morientibus eorum rectoribus vel ministris, in ipsis inventa, sive vacationis ipsorum tempore obvenientia, quæ in utilitatem eorumdem expendi, vel futuris debent successoribus fideliter reservari, occupare aut in usus suos convertere quoquo modo præsumant; alioquin Episcopi ab ingressu ecclesiæ, cæteri vero clerici ab officio & beneficio tamdiu eo ipso noverint se suspensos, quousque restitutionem fecerint de prędictis; laici vero patroni pro illa vacatione presentandi potestate, & nisi occupata plene restituant infra mensem, jure patronatus ipsius ecclesiæ perpetuo sint privati.

XVI. *De reverentia & obedientia.*

Cum inferior suo superiori regulariter ad exhibendam reverentiam & obedientiam teneatur, quarum exhibitio nonnisi per obsequium humilitatis extrinsecus præstitum aliorum notitiæ innotescit. Quapropter canonici cathedralium & collegiatarum ecclesiarum Prælatis, & inferiores Prælati superioribus, ac universaliter omnes clerici majoribus suis in assurgendo, inclinando & aliis prærogativis, quibus consueverunt honoratiores revereri, honorem debitum deferant reverenter; ut etiam laici a clerico sumentes humilitatis exemplum eisdem exhibeant reverentiam ampliorem.

XVII. *De obedientia manuali.*

Quia frequenter rectores parochiarum non audent contra nobiles & potentes mandata superiorum exequi propter eorumdem tyrannidem belluinam, statuimus, quod nullus presbyter assumat cappellaniam cujuscumque nobilis vel potentis, seu ipsorum cappellas tanquam cappellanus administret, nisi prius ipso diœcesano super eo, quod ad ipsius synodos veniat, & mandata superiorum sibi injuncta ad sui domum & ipsius castri familiæ notitiam perferat, obedientiam faciat manualem. Item cum aliquis nobilis justificiarius, seu laicus quicumque captivaverit aliquem clericum seu pro clerico se gerentem, seu deprædatus fuerit alicujus ecclesiæ bona, cappellani castrorum hujusmodi & plebani locorum, in quibus clericus detinetur captivus, aut præda servatur, non expectato super hoc alio superiorum mandato, a celebratione abstineant divinorum, sub pœna excommunicationis, quam facientes contrarium incidere volumus eo ipso facto.

XVIII. *De Rege.*

Omnes clerici sæculares & religiosi Metropolitico nostro & Diœcesano nobis jure subjecti pro serenissimo domino nostro Carolo Rom. & Boh. rege & gloriosa Conthorali sua domina regina, ac eis qui pro tempore fuerint Bohemiæ reges & reginæ, in missis & cotidianis orationibus suis fundant devotas preces ad Dominum, ut in præsenti vias ipsorum dirigat per suorum semitas mandatorum pro statu pacifico subditorum, & in futuro eis tribuat præmium Beatorum.

XIX. *De postulationibus.*

Repellantur ab advocatorum seu postulationis officio qui in presbyteratus ordine, vel in dignitate prælationis ecclesiasticæ constituti, nisi proprias & ecclesiæ suæ, aut cum necessitas imminet, convictarum vel miserabilium personarum causas, non temporalis lucri causa, sed divinæ retributionis intuitu prosequantur. Religiosi vero solum in causis suorum monasteriorum, & tunc cum super hoc a suis superioribus mandatum ostendunt, ad hujusmodi postulationis, vel procuratoris officium admittantur.

XX. *De his quæ metu sine causa fiunt.*

De multorum inobedientia tam sæcularium quam regularium, crudelibus hominibus displicere nolentium, contemnitur nimis ecclesiastica disciplina; quibus cum a suis superioribus injungitur, ut contra rebelles processus publicent, vanum metum talium prætexentes, eosdem pro-

ANNO CHRISTI 1355.

cessus publicare recusant; & ex hoc illi, pro ruibus hujusmodi latæ sunt sententiæ, beneficio earundem indebite defraudantur. Ut igitur huic pesti salubris obviet medicina, sacrorum canonum sequentes vestigia, definimus, quod metus amissionis rerum temporalium omnium aut saltem majoris partis, aut invasionis personæ propter publicationem hujusmodi processuum imminens, qui, si requirat superior, probari possit per testes idoneos, subditum ab executione mandatorum excusat; si quis vero ad communicandum excommunicatis, vel celebrandum coram eis, seu in loco supposito ecclesiastico interdicto, sive ad quodcumque simile faciendum se coactum asserat, quod a jure vel mandato superiorum fieri prohibetur, qualiscumque sit metus, quem prætendit, etiamsi poterit cadere in constantem virum, eum a transgressionis pœna non valeat excusare; qui autem absolutionem a sententiis excommunicationis vel suspensionis, aut relaxationem interdicti per vim seu metum extorquent, ipso facto sunt excommunicationis vinculo innodati.

XXI. *De cessionibus.*

Cum cessiones actionum multis intervenientibus causis invalidæ reputentur; ad tollendum super hoc omnem materiam dubitandi, hoc sacro approbante concilio, illam tantum cessionem, quæ fit in præsentia, & de auctoritate proprii episcopi vel ejus officialis vel alterius ordinarii judicis, præmissa summaria cognitione an fiat ex causa legitima, validam reputamus.

XXII. *De judiciis.*

Hoc sacro approbante concilio statuimus, quod hi qui propter pericula verisimiliter imminentia per nuntios personaliter adiri non possunt, ut citentur, in ipsorum parochiali ecclesia citentur in publico; & si ibidem etiam citator de periculo dubitat, tunc in ambone cathedralis ecclesiæ, continuis tribus diebus dominicis, citatio talium publice proponatur: contra quos taliter avocatos procedi poterit, si fuerint contumaces, ac si eos apprehendisset citatio personalis. Reus autem qui per se vel per alium seu alios, judicis nuncios verberat vel captivat, excommunicationis sententiam ipso facto incidit.

XXIII. *De foro competenti.*

Quia tam ecclesiasticus quam secularis ordo confunditur, cum unicuique sua jurisdictio non servatur, hinc est, quod spiritualia & secularia judicia convenit esse inpermixta. Quare omnibus ecclesiasticis judicibus districtius inhibemus, ne laicos ad instantiam quorumcumque clericorum vel laicorum pro causis secularibus, seu mere civilibus ad suum consistorium citari faciant, aut de cognitione causarum hujusmodi se aliquatenus intromittant; nisi forte miserabilium personarum, vel in defectum judicis secularis. Nec e contra judices seculares, clericos pro quibuscumque causis criminalibus vel civilibus, nec etiam laicos super rebus vel possessionibus ecclesiarum, quocumque titulo eas possideant, ad suum judicium faciant evocari, vel eos audeant judicare; alioquin tam ecclesiasticus quam secularis judex, metas suæ potestatis excedens, excommunicationis sententia innodetur, & actor clericus, qui reum indebite coram non suo judice fatigaverit, in expensas condemnetur, & super eadem causa de cætero nullatenus audiatur.

XXIV. *De fide instrumentorum.*

Cum ex eo quod plerique rudes & ignari per se protocolla facere nescientes, & alii notarios publicos se mentientes, conficere instrumenta præsumunt, plurima incommoda & pericula oriuntur, quibus nos obviare volentes prohibemus, ne pro notario publico quisquam se gerat, vel quævis instrumenta conficiat, antequam de sua creatione loci diœcesano, vel ejus officiali fecerit plenam fidem; contrarium faciens excommunicationis sententiam incidat, & instrumenta per eum confecta sint irrita ipso facto.

XXV. *De appellationibus.*

Juris beneficio abutitur appellans, qui sententia obtenta contentus, de justitia forsitan principalis causæ dubitans, appellationem suam consequi prætermittit. Ut igitur parti appellatæ & honori judicis a quo appellavit, provideatur de remedio opportuno, præsenti constitutione statuimus, quod si appellans ipse, justo impedimento cessante, suam appellationem non prosequatur, ex tunc judex ipse a quo appellavit, eum in pristinas reducat sententias, quousque judicatis pareat, vel appellationem suam debite prosequatur.

XXVI. *De vita & honestate clericorum.*

Dolenter referimus, quod multorum clericorum adeo reprehensibilis sit vita, ut ipsi per exemplum mores non instruant, sed potius destruant laicorum. Quapropter universi clerici mores & vitam reforment, & ea quæ ad ipsorum statum & honestatem pertinent, cum magna cautela custodiant, nec solum a malo, sed etiam ab omni specie mali se studeant cohibere, caste vivant, a crapula & ebrietate abstineant, quæ sunt libidinis incentiva; arma non portent nisi per necessitatem, & viarum pericula in itinere constituti, commercia secularia, & præsertim carnificum seu macellariorum, prorsus evitent; nam clerici si hujusmodi carnificum, aut etiam tabernariorum officium publice & personaliter exerceant, & cum hoc habitum deferant clericalem, & per diœcesanum tertio moniti non desiterint ab officiis hujusmodi, vel postea reassumant, clericorum immunitate non gaudeant; si vero cum abjiciunt habitum clericalem, etiam quoad personas perdunt privilegium clericale. Decet etiam ut clerici coronam seu clericalem tonsuram patentibus auribus deferant; & quicumque clericus publica virgata veste utitur, nisi rationabilis causa subesset, si beneficiatus existat per sex menses a perceptione fructuum suorum beneficiorum sit suspensus, si vero beneficiatus non fuerit, in sacris tantum ordinibus infra sacerdotium constitutus, per idem tempus redditur eo ipso inhabilis ad beneficium ecclesiasticum possidendum. Clerici insuper, maxime beneficiati tabardis rubeis aut viridibus uti non debent, nec joculatores se faciant, & si post unam aut trinam admonitionem artem illam igno-

ANNO CHRISTI 1355.

ignominiosam exerceant, eo ipso privati sint omni beneficio clericali; alearum & taxillorum ludos fugiant, corearum, torneamentorum & hastiludiorum, & aliis publicis spectaculis non intersint, clausuras monasteriorum monialium absque causa rationabili & manifesta & sine superiorum licentia ingredi non præsumant, clericos, qui vagi communiter nuncupantur, in domibus suis non recolligant, nec eis aliquod munus nec parvum nec magnum tribuant: ecclesiam collegiatam vel cathedralem, in qua quis beneficiatus existit, infra divinum officium sine religione non intrent. Presbyteri parochialium ecclesiarum, campanatores litteratos seu clericos, non laicos uxoratos habeant, qui cum eis legere & cantare non ignorent, & cum divinum officium celebratur, uterque presbyter & campanarius, superpelliciis desuper sint induti; insuper nullus presbyterorum sine ministro missam audeat celebrare.

XXVII. *De cohabitatione Clericorum.*

Quamvis fornicationis crimen inter cætera crimina sit detestabilius clericis, utpote qui inter cæteras virtutes principaliter carnis continentiam profitentur; multi tamen clerici suæ salutis immemores & professionis, non solum temptationibus victi desideria carnis perficiunt, sed etiam temptationem præveniunt, dum ne frustra temptentur, in domibus propriis vel vicinis, paratas ad malum fornicationis intertenent mulieres. Ne igitur crimen ipsum videamur per tolerantiam approbare, omnes clericos qui de cætero in domibus suis suspectas mulieres, vel etiam extra domum in sua procuratione publice detinent concubinas, si sunt beneficiati, beneficiis suis privandos: si vero non habeant beneficia, ab executione ordinum per suos superiores fore decernimus suspendendos perpetuo, quos demum, eorum malitia exigente, ipsi superiores carcerum pœnis afficiant, vel de suis diœcesibus ejiciant & expellant, si nec sic vitam suam curaverint emendare. Archidiaconus autem locorum, qui clericos sui archidiaconatus, & plebanum qui vicinos sibi socios, hac labe respersos scienter toleraverit tanquam pro concubinatu proprio volumus condemnari. Licet autem clericus per fornicationis crimen, vel pro alio mortali peccato quolibet quoad se ipsum sit suspensus, non tamen debet ab aliis in divinis officiis evitari, nisi crimen id sit notorium.

XXVIII. *De clericis non residentibus.*

Si parochialis ecclesiæ rector, aut alius quivis clericus a beneficio quod obtinet, sine sui superioris licentia se absentare præsumpserit, eodem beneficio per superiorem suum est privandus, quacumque contraria consuetudine non obstante, cum de jure omne quodlibet beneficium requirat residentiam personalem.

XXIX. *De institutionibus.*

Cum qui beneficium, cui cura animarum incumbit, vi occupat seu scienter se intrudit in eo, decrevimus privatum beneficio, quod cum cura simili primitus obtinebat; non enim decet, ut stultus melioris, quam peritus, conditionis existat, vel quod invasor eo, qui juste ingreditur, privilegio gaudeat potiori. Insuper, ut violenti, qui auctoritate, vel potius temeritate propria occupare dignitates, personatus, aut alia quæcumque beneficia ecclesiastica non verentur, & si non virtutis amore, pœnæ formidine a sua temeritatis audacia refrænentur, eo ipso jus, quod in dignitatibus, personatibus & beneficiis occupatis taliter vel ad ea ipsis forsitam competebat, amittant. Statuimus etiam, quod persona ecclesiastica quæcumque regularis aut secularis, in dignitate, personatu, officio seu ecclesiastico beneficio quocumque constituatur, vel in eodem confirmetur, nisi ante omnia de obedientia & reverentia suis superioribus impendenda de statutis provincialibus & synodalibus in quantum eam tangunt, observandis corpore præstiterit juramentum. Clericus qui auctoritate patroni, clerici, vel laici sine institutione episcopi, vel ejus ad quem institutio ejusdem beneficii de jure pertinet, in beneficio in temporalibus & spiritualibus administrare præsumit, eo ipso ad illud se reddit indignum; patronus vero, qui talem in hujusmodi beneficio pertinaciter fovere præsumpserit, perpetuo præsentandi jure privetur. Religiosi similiter etiam exempti, in ecclesiis quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, & per religiosos consueverunt gubernari, instituendos presbyteros præsentent Episcopis, ut ipsis de plebis cura respondeant, nec institutos per Episcopos sine auctoritate Episcoporum, religiosi poterunt amovere, nisi eis hoc competet ex privilegio speciali.

XXX. *De concessione præbendarum.*

Ne contra statuta canonum desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus præbenda se credit successurum; districtius inhibemus, ne capitulum cathedralis vel collegiatæ ecclesiæ aliquem, non vacante præbenda, in canonicum recipiat, nisi evidens ecclesiæ utilitas id exposcat, quam suo Episcopo exponere tenebitur, & tunc unam personam tantum recipiendi habeant facultatem; quibus omissis receptio unius vel plurium eo ipso sit nulla, & in pœnam capituli, Episcopus totidem in eadem ecclesia canonicatus & præbendas conferat, dum vacabunt.

XXXI. *De indemnitatibus ecclesiarum.*

Indemnitatibus ecclesiarum providere volentes, statuimus, ut in cathedralibus & collegiatis ecclesiis, prælaturarum, præbendarum, & cæterorum officiorum ac bonorum ecclesiæ, nec non omnium redditurum & proventuum, & quid ad cujuslibet dignitatem, officium, præbendam, seu dispensationem pertineat sub sygillo majoris Prælati & ipsius capituli, habeatur in sacristia ecclesiæ clara & fidelis conscriptio, ut saltem novus Prælatus, canonicus vel minister per hujusmodi scripturam de suis juribus & proventibus informatus recuperare valeat per suum prædecessorem deperdita vel neglecta. Similiter libri & ornatus, calices & cætera ornamenta clenodia ecclesiæ registrentur, & saltem de anno in annum videantur per seniores de capitulo, ut appareant si qua fuerint distracta, aut a novo acquisita.

XXXII.

ANNO CHRISTI 1355.

XXXII. *De rebus ecclesiæ alienandis vel non.*

Administratores bonorum ecclesiæ, si quam rem mobilem aut pretiosam sine consensu majoris sive sanioris partis capituli, donationis vel venditionis vel permutationis titulo alienent aut obligent, invalidus sit contractus; quod si abbates, præpositi, priores, seu alii quivis monasteriorum, seu religiosorum locorum rectores, aliquid de rebus suorum monasteriorum citra formam canonum, ut prædicitur, alienare præsumpserint, contractus est nullus, & alienantes per suos superiores administratione officii perpetuo spolientur, nec aliquis creditorum audeat repetere a successore mutuum, quod fecit ecclesia per litteras, vel pignorum cautione, nisi prius probet, quod in evidentem utilitatem ecclesiarum seu monasteriorum hujusmodi sit commissum.

XXXIII. *De emptione & venditione.*

Si quis emerit animalia vel alias res prædatas, cum in prædonis jus succedat, ad restitutionem eorumdem per censuram ecclesiasticam compellatur. Emptor vero vel venditor, qui alterum decipit in legitimo pondere vel mensura, aut qui scienter ignoranti rem vendiderit vitiosam, pœnitere non potest, donec satisfaciat taliter damnum passo.

XXXIV. *De pignoribus.*

Sacrorum canonum vestigiis inhærentes declaramus, quod si quis alteri castrum, villam, seu possessionem quamlibet titulo pignoris obligat, ratione cujus ad eumdem ecclesiæ inibi situatæ jus pertinet patronatus, & si hoc non exprimat, nihilominus apud obligantem jus remanet præsentandi, ex eo quia fructus rei pignoratæ minuunt debitum principale, fructus vero juris patronatus, cum sit spiritualis, nequit cum rebus temporalibus compensari.

XXXV. *De testamentis & ultimis voluntatibus.*

Cum in officiis caritatis primo loco illis naturaliter obligemur, a quibus beneficium nos cognoscimus recepisse, proinde statuerunt & definierunt Sancti Patres, quod clericus de bonis per ecclesiam & intuitu ecclesiæ acquisitis non potest condere testamentum, sed bona hujusmodi, sive clericus ipse testatus sive intestatus decedat, per eum relicta ecclesia, a qua percepit beneficium, vel successoris usibus applicentur; salvo quod pauperibus & religiosis locis, & illis qui sibi servierunt, sive consanguinei sint, sive alii juxta servitiorum merita potest donationem facere moderatam. De his vero, quæ personæ suæ industria, vel intuitu aut ex successione parentum acquisivit, disponere poterit in vita pariter & in morte. Præterea statuta locorum, quæ habent quod nullus ultra certam summam ecclesiis vel clericis donare, seu legare audeat in ultima voluntate, irrita judicamus, cum iniquitatem contineant, & testandi perimant libertatem. Conditores vero hujusmodi statutorum, ac eisdem utentes, coerceantur canonica disciplina. Invigilent insuper ordinarii circa executores testamentorum & ultimarum voluntatum, & contra illos, qui eas impediunt quovis modo, ut ipsæ voluntates extremæ infra tempus testatoris arbitrio limitatum effectui mancipentur. Vel si testator exequutionis terminum non præfixit, ut ipsa exequutio ultra unius annis spatium nullatenus prorogetur. Executores etiam ultimarum voluntatum de bonis defuncti se nullatenus intromittant, donec de eisdem inventarium fecerint sub fide dignarum testimonio personarum.

XXXVI. *De Sepulturis.*

Illi qui propriæ temeritatis audacia defunctorum corpora in cœmeteriis interdicti tempore, in casibus non concessis a jure, vel excommunicatos publice, aut nominatim interdictos, vel usurarios manifestos, scienter sepelire præsumunt, excommunicationis sententiæ subjaceant ipso facto, a qua nullatenus absolvi poterunt, nisi prius ad arbitrium diœcesani Episcopi eis, quibus per præmissa fuerit injuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem. Quicumque religiosi & seculares clerici aliquem ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducunt, ut sepulturam apud eorum ecclesias eligant, vel jam electam ulterius non immutent, excommunicationis sententiam incidunt ipso facto, a qua ab alio, quam a sede apostolica, præterquam in mortis articulo, nullatenus absolvuntur. Nec valet talis electio. Et is qui sic elegerit, nec apud sic electam ecclesiam sepeliri, nec alibi poterit eligere sepulturam, ne contra votum, juramentum hujusmodi a se factum, materiam habeat veniendi; sed contradictione quacumque cessante, sepeliatur omnino apud illam ecclesiam, apud quam sepeliendus de jure fuisset, si alias sepultura non electa forsitan decessisset. Si vero iidem religiosi, vel clerici prædictum in sua ecclesia vel cœmeterio præsumpserint sepelire, ad restitutionem tam sepulti corporis, si petatur quam etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illius provenerint quomodolibet ad eosdem, infra decennium integraliter faciendam obligantur, quæ nisi fecerint, ecclesia ipsa apud quam sepultus fuerit, nec non ipsius cœmeterium, ex tunc eo ipso sunt, & tam diu manebunt ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum. Plebanus ecclesiæ vel ipsius vices gerens, si præter licentiam sui episcopi, vel ipsius in spiritualibus vicarii, defunctum intra parochialem ecclesiam præsumpserit sepelire, in pœnam unius sexagenæ grossorum Pragensium ad fabricam cathedralis ecclesiæ applicandorum incidat ipso facto. Et nihilominus per episcopum subjiciatur pœnitentiæ graviori, nisi is qui est sepultus fuisset presbyter vel patronus ecclesiæ, aut alius ipsius notabilis benefactor.

XXXVII. *De parochiis.*

Dominicis & aliis festivis diebus presbyteri parochiarum, antequam missam celebrent, plebem interrogent, si alterius parochianus sit in ecclesia, qui proprio contempto Plebano ibi missam velit audire, quem si invenerint de ecclesia sine mora ejiciant. Nullus presbyter parochianum alterius sine proprii sacerdotis licentia, nisi in mortis periculo constitutum, ad confessionem recipiat, cum absolvere nequeat vel ligare, neque ei ministret quodcumque aliud ecclesiasticum sacramentum.

XXXVIII.

ANNO CHRISTI 1355.

XXXVIII. *De statu monachorum.*

Præcipimus ut abbates, præpositi, priores monachorum, & canonicorum regularium, nec non abbatissæ, magistræ & priorissæ monialium tam in se ipsis, quam in subditis, prout ad cujuscumque spectat officium vitam & conversationem exhibeant, ac habitum deferant regularem, se ipsos ac suos subditos ab his præcipue, quæ ipsorum professioni obviant, & ordinis honestati non congruunt, puta circa exquisitum ornatum, vel notabilem excessum in vestibus, cibis & potibus, æquitaturis & lectisterniis, ac similibus superfluitatibus, seu taxillorum, alearum, & scachorum ludis, ac chorearum lasciviis totaliter cohibentes, juxta dispositionem suæ regulæ, & sacrorum canonum instituta, sollicite providentes, quod nullus monachus vel canonicus regularis, seu monialis, nisi ratione administrationis seu officii, possessiones, redditus, vel aliud quidpiam proprii habeat, quin immo illud, quod cuilibet personæ singulari ex suo labore vel artificio, aut parentum seu amicorum largitione obvenit, superiorum manibus offeratur, ut per ipsorum providentiam circumspectam, emolumentis hujusmodi, communitatis vel singularium personarum necessitas sublevetur, apostatasque suos inquirant & repetant, ac ipsos carcerum pœnis afficiant, & voluntarie revertentes paterne suscipiant, salva semper pœnitentia regulari.

XXXIX. *De cappellis monachorum.*

Religiosi in ecclesiis, ad ipsos etiam pleno jure spectantibus, rectores sui ordinis locare non audeant, quæ alias sunt solitæ per seculares clericos gubernari. Nec episcopus potest ecclesias parochiales, vel certos redditus earumdem sine consensu sui capituli, religiosorum usibus applicare.

XL. *De jure patronatus.*

Volentes viam præcludere, ne quis per subreptionis astutiam præveniatur ecclesiis, & ne ex institutionibus repentinis inter patronos, si qui sunt, lites oriantur ex litibus fortiores, præsenti decreto statuimus; quod cum aliquis ad curatum beneficium per quempiam clericum, vel laicum fuerit prætentatus, ordinarius loci, seu is ad quem institutio spectat per decanum loci, vel viciniorem plebanum in ecclesia, ad quam fit præsentatio, præsente plebe ad hoc specialiter convocata, publice faciat proclamari. Quod si quis est, qui velit docere de jure suo, quod ad ipsum solum vel cum alio, seu aliis jus pertineat præsentandi, aut præsentato aliquid objicere, quod eum reddat inhabilem, ne possit ad idem beneficium promoveri, veniat infra certum & peremptorium terminum, ad ipsius instituentis præsentiam, hoc facturus; adjiciendo in proclamatione hujusmodi, quod si infra talem terminum nullus compareat præsentationi, vel præsentato se opponens, extunc ad institutionem prætentati procedetur juxta formam juris. Institutio vero facta, non præmissa proclamatione hujusmodi, sit irrita eo ipso.

XLI. *De patronis & clericis, qui mediante pacto ecclesias præsentant, & recipiunt, quod est simoniacum.*

Detestanda quorumdam patronorum seu advocatorum cupiditas, in tantum metas suæ potestatis excedit; quod cum aliqua ecclesiastica beneficia vacare contingit, quorum ad ipsos jus pertinet patronatus, nullam idoneitatem præsentandarum personarum, sive ecclesiarum set plebium utilitatem attendentes, sed imitatores Giezi quærunt clericos Simonis successoris, quos recepta prius ab eis certa summa pecuniæ sive cautione de ipsa in posterum persolvenda, aut promissione de remittendis sibi vel non repetendis ab eo decimis, vel aliis ecclesiæ juribus; aut quod si eis quandocumque displicentiam fecerint, ecclesias ipsas dimittere, & litteras præsentationis suæ ipsorum manibus tradere teneantur, aut similibus pactionibus præmissis, demum eos instituendos Episcopis repræsentant. Ne igitur hujusmodi execrabile mercationis genus jus sibi vindicet de cetero contra canonicas sanctiones, hoc sacro approbante concilio definimus, quod patronus clericus vel laicus, qui ex conventione vel pacto, aut quolibet præmissorum, vel simili deprehensus fuerit aliquem prætentasse, eo ipso, pro illa vacatione jus præsentationis amittat, & pro tunc beneficium hujusmodi per eum, ad quem ipsius institutio pertinet, conferatur. Præsentatus vero non solum eodem beneficio sit privatus, sed ipso facto reddatur inhabilis ad sacros & ad alia quævis ecclesiastica beneficia obtinenda.

XLII. *De consecratione ecclesiæ vel altaris.*

Si ecclesiam pollui humani sanguinis aut seminis effusione contingat, ipsius ecclesiæ cœmeterium si contiguum sit eidem, censetur esse pollutum; & antequam reconciliatur per Episcopum, in ea non debent divina celebrari, vel aliquis sepeliri

XLIII. *De celebratione missarum.*

In eadem ecclesia & eodem tempore duas missas sub nota celebrare districtius inhibemus: adjicientes, quod nullus pro vivis mortuorum officium audeat facere septimum, tricesimum vel annuale. Omnibus sacerdotibus in virtute S. obedientiæ & sub excommunicationis pœna districtius inhibemus, ne die qua primam missam celebrant, seu octo diebus immediate sequentibus, per se vel alium invitatum solemnem audeant præparare. Salvo quod tunc certos clericos, seculares, & religiosos, paucos tamen & sine solemnitate qualibet procurare poterunt. Sic tamen quod joculatores & histriones nullatenus admittantur. Missarum etiam novarum officia, quas sancta Romana & universalis ecclesia non recepit, seu instituit, penitus reprobamus. Historias novas, hymnos, sequentias, nisi in concilio provinciali, aut in Episcoporum Synodis approbentur, in ecclesiis legi aut decantari districtius prohibemus. Quod enim SS. Patrum decreto non est sancitum superstitiosis non est adinventionibus præsumendum. Si cui per nos aut suffraganeorum nostrorum aliquem conceditur, quod in altari viatico portatili divina coram ipso possint officia celebrari, non in loco ventoso, seu alias periculoso, vel inho-

ANNO CHRISTI 1355.

honesto, hoc fieri debere intelligimus. Unde si quis presbyterorum, occasione concessionis hujusmodi, contra præmissa divina celebrare præsumpserit, eo ipso per unum mensem a missæ officio præsentis statuti vigore noverit se suspensum.

XLIV. *De baptismo.*

Quia sacramentum baptismi omnium aliorum est janua, quo carens non est capax cujuscumque alterius sacramenti, presbyteri cum exacta diligentia studeant providere, ne in collatione ipsius, tam in prolatione formæ verborum debita, quam immersione in aqua, circa quæ tota virtus baptismi versatur, aliqua negligentia committatur. Forma autem verborum, de qua nihil potest omitti, nec ei debet aliquid interponi, est ista: *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Immersiò vero fiat trina, sic quod primam faciat statim, cum incipit formam verborum proferre, ultimam autem finiendo formam. Hanc autem formam frequenter plebani doceant plebes suas. Nam propter necessitatem istius sacramenti, sine quo nullus potest salvari, etiam laicus quicumque, vir, vel mulier, pater, vel mater, puerum vel adultum baptizare poterunt in suo vulgari proferentes formam verborum, in mortis articulo constitutum. Et cum in tali necessitate per hujusmodi personas quis fuerit baptizatus, presbyter a baptizato, & personis circumstantibus diligenter inquirat, si forma debita sit servata; quam si servatam invenerit, circa baptismum unctiones tantum supplere debitas non omittat. Si vero circa formam erratum fuerit, tunc ipsum denuo baptizet. Quod si verisimiliter dubitatur, an quis rite vel non rite fuerit baptizatus, tunc baptizetur sub hac forma: *Si es baptizatus, non te rebaptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

XLV. *De custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum sacramentorum, vasorum, & vestimentorum sacrorum.*

Statuimus, ut in ecclesiis Chrisma & Eucharistia, oleum sacrum, aqua baptismi sub fideli custodia, sive seris conserventur, ne possit ad illa temeraria manus extendi pro nefandis aliquibus exercendis. Si vero is ad quem spectat custodia ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur; & si per ejus incuriam aliquid nefandum inde contulerit, graviori subjaceat ultioni. Relinqui nolumus incorrectum, quod quidam clerici ecclesias sic exponunt supellectibus propriis & etiam alienis, ut potius domus laicæ, quam Dei basilicæ videantur, non considerantes, quod Dominus in evangelio non sinebat ut vas transferretur per templum. Sunt & alii qui non solum ecclesias dimittunt incultas, verum etiam vasa ministerii & vestimenta ministrorum ac pallas altaris, nec non & ipsa corporalia tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus sunt horrori. Quia vero zelus nos comedit domus Dei, firmiter prohibemus, ne hujusmodi supellectilia in ecclesiis admittantur, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes, ad eam oportet haberi refugium. Sic tamen ut necessitate cessante res in loca pristina reportentur. Præcipimus quoque, ut in oratorio vasa, corporalia & vestimenta prædicta, munda & nitida conserventur. Nimis enim videtur absurdum, in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in prophanis.

ANNO CHRISTI 1356.

XLVI. *De festivitatibus celebrandis.*

Ut circa celebrationem festivitatum sit ecclesiarum nostræ provinciæ concordia singularum, statuimus, ut in subscriptis diebus tantum clerici debeant a servilibus operibus abstinere. Primo in festivitatibus Christi, videlicet: Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, & Resurrectionis ipsius cum duobus diebus immediate sequentibus, Ascensionis ipsius & Pentecostes cum duobus immediate sequentibus, Corporis Christi, in festivitatibus Sanctæ Crucis, Inventionis scilicet & Exaltationis, & omnibus diebus dominicis. In quatuor festivitatibus B. M. V. Nativitatis, Annunciationis, Purificationis & Assumptionis. Item in die Angelorum, quod dicitur festum S. Michaelis, in festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ; item in diebus Apostolorum, videlicet, Matthiæ, Philippi & Jacobi, Petri & Pauli, Jacobi majoris, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, Judæ, Andreæ, Thomæ, & Joannis evangelistæ transitus tantum. Item in diebus beatorum martyrum Stephani, Laurentii, Viti, Wenceslai passionis tantum, Adalberti & quinque Fratrum, scilicet Benedicti cum fratribus; item confessorum Martini, Nicolai & Procopii; item Mariæ Magdalenæ & Margarethæ, Ludmillæ, passionis tantum, & Catharinæ; item in festo Omnium Sanctorum. Item episcopus festivitates patronorum suæ ecclesiæ, in sua diœcesi potest facere celebrari. Et quælibet parochialis ecclesia festum patroni sui, in cujus & honorem principaliter dedicata, & anniversarium dedicationis diem in sua parochia faciat celebrari. Item in diebus SS. Marci & Lucæ Evangelistarum, & quatuor doctorum ecclesiæ, Gregorii, Ambrosii, Augustini, & Hieronymi, quorum festivitates felicis memoriæ Bonifacius papa mandavit in universis ecclesiis sub officio duplici solemniter: & populus in sua parochiali ecclesia divino officio peraudito, ad sua opera licite se convertit.

XLVII. *De observatione jejuniorum.*

Quidam novitatum avidi sectatores, jejunia per ecclesiam indicta violant, propter quædam alia jejunia, quæ faciunt diversis fictionibus hominum adinventa. Cum autem omnes novitates sint suspectæ, & propter hoc fugiendæ, maxime autem illæ, quæ SS. Patrum obviant institutis, districtius inhibemus, ne aliquis quodcumque jejunium ecclesiæ propter aliud votivum audeat solvere, sed universi fideles utriusque sexus, præsertim a viginti annis super omnia jejunia, quæ per ecclesiam indicuntur, vel consuetudine patriæ approbantur, cum summa diligentia studeant observare, nisi forte aliquis debilitate vel infirmitate gravatus refectione cibariorum egeat, & tunc de licentia superioris, si comode adiri poterit. Nec sufficit licentia simplicis sacerdotis, nisi jejunanti periculum immineret.

XLVIII. *De ecclesiis ædificandis.*

Ecclesiam, seu basilicam denuo nullus ædificet, nec antiquam transferat per episcopum vel

ANNO CHRISTI 1355.

vel ejus commissarium in locum structuræ ponatur lapis primarius benedictus, alias ædificium diruatur, ædificans temerarius clericus vel laicus canonice puniatur. Nec episcopi socii diœcesanorum, seu vicarii, qui communiter suffraganei appellantur, hujusmodi lapidem primarium ponant, maxime in locis, in quibus ecclesiæ alias non fuerunt, nec ædificatas consecrent sine diœcesani licentia speciali, qui ex officio suo providere tenetur, ne ecclesia erigatur sine dote congrua, luminaribus & ornamentis, & absque alterius ecclesiæ notabili detrimento. Cum autem hujusmodi episcopo per diœcesanum committitur, ut in diœcesi sua ecclesiarum construendarum primarios lapides ponat, seu constructas consecret, in tali generali mandato non comprehenduntur collegiatæ ecclesiæ, nisi de speciali diœcesani commissione: nec potest ipsius subditos solvere vel ligare. Insuper singulæ parochiales ecclesiæ duorum altarium vel maxime trium numero sint contentæ, nisi essent collegiatæ, in quibus altaria arbitrio diœcesani multiplicari poterunt, secundum exigentiam multitudinis ministrorum. Quicumque ecclesiastica beneficia obtinent, omnino adjuvent ad tecta reficienda, vel ecclesias emendandas. Collectores eleemosynarum pro fabricis ecclesiarum, quos quidem *vitricos* appellant, deputati, sint omnium exceptione de plebe majores, & iidem eleemosynas fidelium inconsultis ecclesiarum rectoribus non expendant.

XLIX. *De immunitate ecclesiarum, & ecclesiasticarum personarum.*

Licet laicis in ecclesias, ecclesiasticasve personas ac eorum bona, omnis auctoritas sit ablata tam jure canonico quam civili; nonnulli tamen laici nitentes in vetitum, immunitates eorum diversis conatibus infringere moliuntur. Nos super his volentes eorum autum reprimere, auctoritate hujus sacri concilii sub obtestatione divini judicii & maledictionis æternæ districtius inhibemus, ne de cætero ad hujusmodi temerarias manus præsumant extendere, quod videlicet aliquem confugientem ad ecclesiam quantumcumque maleficium commiserit grave, Judex laicus, sive quivis alius quantamcumque secularem dignitatem obtinens seu potestatem exercens, de ecclesia violenter præsumant extrahere, immunitatem ecclesiæ taliter violando. Sed potius ad instantiam Rectoris ecclesiæ, ad quam fugit, eidem vitam & membra illæsa conservent, & ipsum pecuniaria vel alia disciplina puniant mitiori, nisi malefactor ad ecclesiam fugiens publicus latro fuerit, vel nocturnus prædator agrorum, aut si in ipsa ecclesia aut ejus cœmeterio homicidium, vel membri truncationem sub spe immunitatis perpetraverit. Tales enim quolibet immunitatis privilegio sunt indigni. Nullus sub excommunicationis pœna in ecclesia vel de ecclesia munitionem, seu formalitium præsumant erigere vel facere, aut ipsius cœmeterium pro ejus firmitate fossatis quibuslibet vallare. Nullus laicorum clericum quemcumque deferentem coronam & habitum clericalem sine demandatione ecclesiastici judicis captivare præsumat. Quod si fecerit, excommunicationis sententiam incidit ipso facto, a qua eum solus Papa absolvere potest. Et nihilominus in ejus opprobrium clerus civitatis, villæ, oppidi, vel castri seu parochiæ, in quibus clericus captus est, seu detinetur captivus, eo ipso alio non expectato mandato, cessationem faciat a divinis, donec per diœcesani providentiam, ad cujus notitiam id perferant, sine mora vel aliter liberetur. Nec aliquis consanguineorum seu amicorum clerici taliter captivati pro ipsius liberatione sub excommunicationis pœna aliquid audeat solvere, vel de solvendo ponere cautionem. Verum si clericus vagabundus in furto vel alio maleficio deprehendatur, & habeatur de fuga suspectus, tunc ex hac nostra generali licentia, quam præsentibus impartimur, secularis potestas sub testimonio tamen clericorum, si commode haberi poterit, vel alio fide digno, poterit malefactorem hujusmodi captivare, ac eum quamprimum ecclesiastico judicio præsentare juxta traditiones sacrorum canonum puniendum. Qui autem ausu sacrilego prælatum, canonicum, aut quemcumque clericum pro clero se gerentem occiderit seu mutilaverit; præter alias diversas pœnas juris, omnibus feodalibus, si quæ ab ecclesia tenuit, sit eo ipso privatus, & ad ecclesiam, a qua ea tenuit, libere revertantur. Jus patronatus, si quod in una, vel in pluribus ecclesiis habuit, ipso facto perdat, & ad diœcesanum episcopum devolvatur: filii ejus & nepotes usque ad quartum gradum per masculinam lineam descendentes, ad ordines, seu quodcumque ecclesiasticum beneficium nullatenus admittantur. Illi autem, qui omnem malitiam superantes archiepiscopum vel episcopum fuerint hostiliter insecuti, vel eorum aliquem percusserint, ceperint vel occiderint, seu ipsis malefactoribus ad hoc præstiterint consilium, auxilium, vel favorem, ipsorum filii & nepotes descendentes, ut una cum supra ipsis ad hoc quomodolibet cooperantibus, ipso facto pœnas incidunt a jure statutas. Eos qui temporale dominium obtinentes suis subditis aliquando interdicunt, ne prælatis aut clericis seu personis ecclesiasticis quidquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem, neque ipsis bladum molant, coquant panem, aliqua obsequia exhibeant, vel exhibere præsumant, cum talia in derogationem libertatis ecclesiasticæ vergant, eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus subjacere. Insuper præsenti constitutione jubemus, ut locorum diœcesani contra eos, qui ab ecclesiis vel ecclesiasticis personis pro eorum rebus propriis, quas non negotiandi causa deferunt, aut deferri faciunt vel transmittunt, gabellam seu theloneum suo vel alieno nomine exigunt, vel extorquent in suarum animarum periculum, & eorum, a quibus talia exigunt, præjudicium & gravamen, excommunicationis & interdicti sententias a jure prolatas, postquam de hoc ipsis constiterit, omnino publicent, & a suis subditis tamdiu faciant publicari, donec illi sic ablata restituant, & de transgressione hujusmodi satisfaciant competenter. Ad hæc quicumque servari faciunt statuta edita, vel consuetudines introductas, contra ecclesiæ libertatem, statutarii & scriptores statutorum ipsorum, nec non potestates, consules, rectores & consiliarii locorum, ubi hujusmodi statuta & consuetudines editæ fuerint vel servatæ, nec non & illi, qui secundum ea præsumpserint judicare, vel in publicam formam scribere judicata, in excommunicationis sententiam incidunt ipso facto.

ANNO CHRISTI 1355.

L. *De sponsalibus & matrimoniis.*

Si inter virum & mulierem legitimus consensus interveniat de præsenti, ita quod unus alterum mutuo consensu verbis consuetis expresse recipiat, utroque dicente: *ego accipio te in meam, & ego te in meum*, vel alia verba consensum exprimentia de præsenti, non liceat alteri ad alia vota transire. Quod si fecerint secundum matrimonium, immo verius adulterium de facto contractum, etiamsi sit carnalis copula subsecuta, separari debent, & primum in sua firmitate manere. Verum si inter ipsos accessit tantum promissio de futuro matrimonio contrahendo, utroque dicente: *ego te recipiam in meam, & ego te in meum*, sive verba similia, & alter eorum, antequam carnaliter se cognoscant, aliam seu alium per verba sibi desponsaverit de præsenti, dato, quod prima promissio de futuro per interpositionem fuerit juramenti firmata, ei tamen præjudicat de præsenti desponsatio post secuta. Illi vero, qui primam promissionem per secundum contractum irritam fecit, est de violatione fidei pœnitentia injungenda. Carnalis vero copula si sequatur promissionem de futuro, eo ipso matrimonium efficit, sic quod ei in nullo præjudicat quicumque contractus matrimonialis postmodum consecutus. Constitutionem quoque generalis concilii, tum inhibitionem contrahentium periculis providentem, censemus districtius observandam, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, diebus dominicis vel aliis festivis in ecclesiis per presbyteros coram plebe publice proponatur, trium dierum ad minus, termino præfinito, ut infra illum qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat. Sed & ipsi presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat, & sic nec per oppositionem alicujus, nec per investigationem propriam infra eumdem terminum inter volentes contrahere, aliquod impedimentum invenerint, presbyteri ipsi factis interrogationibus consuetis eos non differant copulare. Si vero ex oppositione cujuscumque vel alias contra copulam contrahendam apparuit probabilis conjectura, per presbyteros interdicatur contractus publice & expresse, donec quid fieri debeat, super eo per episcopum vel ejus officialem, ad quorum hæc notitiam perferant, sint edocti. Si quis autem edicto hujusmodi prætermisso, clandestina, vel interdicta conjugia inire præsumpserit in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum consensu nullum subsidium habitura; cum ipsi parentes taliter contrahendo affectatores ignorantiæ videantur. Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, præter ecclesiæ interdictum, etiam in conspectu ecclesiæ contrahere præsumpserint. Sane si parochialis sacerdos hujusmodi clandestinas conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ qualitas postulaverit. Sed is, qui taliter copulare præsumpserit, etiam nullo alio impedimento obstante, condigna pœnitentia per Episcopum injungatur. Si quis vero ad impediendam legitimam copulam malitiose impedimentum objecerit, canonicam non effugiet ultionem. Nullus autem elapso dicto denunciationis termino, matrimonium audiatur accusans, seu contra illud testificans, nisi denunciationem hujusmodi probabiliter ignoraverit, vel nisi juret, quod post terminum denunciationis illud didicerit quod opponit, & quod ad hoc ex malitia non procedat. Cum autem presbiter contrahentes matrimonium legitime copulavit, eis benedictionem sacramentalem impendat, si neuter contrahentium alias fuerit in matrimonio constitutus. Nam si benediceret secundas nuptias, per episcopum cum litteris testimonialibus ab officio beneficioque suspensus ad sedem apostolicam est mittendus. Laici sub excommunicationis pœna nubentes non audeant copulare, nec aliqua statuta condere, quæ libertatem contrahentium matrimonium impediant quovis modo. Cognitionem vero causarum matrimonialium plebani & Decani rurales sibi penitus noverint interdictam.

ANNO CHRISTI 1355.

LI. *De cognatione spirituali.*

Spiritualis cognatio, sive compaternitas, in viginti casibus matrimonium contrahendum impedit, & dirimit post contractum, scilicet, inter levantem & levatum, levatum & filios levantis, levatum & conjugem levantis prius cognitam, parentes levati & conjugem levantis prius cognitam, levantem & parentes levati. Item inter baptizatum & baptizantem, baptizatum & filios baptizantis, baptizatum & conjugem baptizantis prius cognitam, parentes baptizati & conjugem baptizantis prius cognitam, baptizantem & parentes baptizati. Item inter confirmatum & levantem, confirmatum & filios levantis, confirmatum & conjugem levantis prius cognitam: levantem & parentes confirmati. Item confirmatum & confirmantem, confirmatum & filios confirmantis & conjugem confirmantis prius cognitam. Parentes confirmati, & conjugem confirmantis prius cognitam, confirmantem & parentes confirmati. Ne igitur occasione cognationis spiritualis in matrimonio difficultates emergant, districte præcipimus, ut ad prædicta baptismi & confirmationis sacramenta, per quæ tantum compaternitates hujusmodi contrahuntur, solum unus vir, vel mulier cum compatre levante, de cætero admittatur, non obstante in contrarium prava consuetudine, cum sit contra sacrorum canonum instituta.

LII. *De consanguinitate & affinitate.*

Qui divino timore postposito in animarum suarum periculum scienter in quarto vel infra consanguinitatis vel affinitatis gradu, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur, nec non religiosi & moniales, ac clerici in sacris ordinibus constituti, matrimonia contrahentes, præter alias pœnas juris excommunicationis sententiam incidunt ipso facto.

LIII. *De eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.*

Habens uxorem legitimam, si adulteræ suæ hoc scienti promittit fidem de ea ducenda post mortem uxoris, vel cum ea de facto contrahit, carnali copula præcedente vel sequente, non potest cum ipsa, legitima mortua, in matrimonio remanere. Si vero secunda ducta contractum cum alia ignorabat, tunc secunda in-

ANNO CHRISTI 1215.

flante cum ea compellitur remanere. Compulsione autem hujusmodi durante, si vir cum tertia contrahit, tenet contractus, est tamen sibi propter hoc pœnitentia imponenda. Similiter si ipse vel adultera sua mortem uxoris legitimæ effectualiter procuravit, non potest adulteram aliquatenus ducere in uxorem. Item si uterque etiam sine adulterio in mortem legitimæ esset machinatus cum effectu.

LIV. *De simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur.*

In tantum peccatis exigentibus corda quorumdam presbyterorum simoniaca pravitas depravat, qui nec baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, aut extremæ unctionis sacramenta, nec benedictionem nubentium, aut exequias, seu sepulturam mortuorum sive alia quæcumque spiritualia suis volunt subditis ministrare, nisi pro hujusmodi seu administratione ipsorum eis solvatur, vel promittatur pretium pro suæ turpitudinis excusatione, immo verius accusatione, diuturnam consuetudinem prætendentes. Ne igitur tam perniciosam venalitatem pravitatis simoniacæ per impunitatem vendentium videamur nostris temporibus approbare, hujus sacri approbatione concilii duximus statuendum, quod singula prædicta sacramenta, & res sacræ, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, quæ censenda est potius corruptela, per presbyteros sine exactione cujuscumque temporalis emolumenti libere conferantur. Et quicumque de cætero præmissorum, vel alicujus ex prædictis venditor fuerit deprehensus, si est rector ecclesiæ, perpetuo ipsa privetur, si vero vicarius seu socius rectoris fuerit, ad episcopales carceres, ut ibi agat pœnitentiam, detrudatur. Verumtamen si laici rationabiles & approbatas ecclesiarum consuetudines observare, tunc non per ipsos presbyteros, cum in propria causa judices esse nequeant, sed per episcopum vel ejus officialem summarie & de plano de hoc veritate cognita, ad earumdem observationem censura ecclesiastica compellantur. Præterea archidiaconi locorum, seu decani rurales, si pro sacris liquoribus vel chrismate & oleo per se, vel alios aliquid præsumpserint extorquere, suis beneficiis perpetuo spolientur.

LV. *De Judæis.*

Etsi Judæos, quos perpetua culpa perpetuæ servituti subjecit, pietas christiana receptet, & sustineat cohabitationem illorum, ingrati tamen esse non debent, ut reddant christianis pro gratia contumeliam, & de familiaritate contemptum, & illam retributionem impendant, quorum juxta vulgare proverbium: *mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu* suis consueverunt hospitibus exhibere. Accepimus autem quod Judæi christianas puerorum suorum nutrices, quod non tantum dicere, sed etiam nefandum est cogitare, cum illas recipere corpus & sanguinem Domini N. J. C. contingit, per triduum, antequam eos lactent, lac effundere faciunt in latrinam; alia insuper contra fidem catholicam detestabilia & inaudita committunt, propter quæ fidelibus est verendum, ne divinam indignationem incurrant, cum eos perpetrare sustinent, quæ fidei nostræ confusionem inducunt. Inhibemus ergo districte, ne de cætero nutrices vel obstetrices vel servientes habeant christianos, ne ipsos ex familiaritate nimia ad suæ infidelitatis errorem pertrahant, & ne filii liberæ, filiis famulentur ancillæ, sed tanquam servi a Domino reprobati, in cujus mortem nequiter conjurarunt, se saltem per effectum operis recognoscant servos illorum, quos Christi mors liberos, & illos servos effecit. Si vero hac prohibitione nostra, immo verius apostolica contempta, nutrices, obstetrices, & aliam familiam non dimiserint christianam, episcopi locorum sub excommunicationis pœna inhibeant districte omnibus Christianis, ne cum Judæis commercium aliquod audeant exercere. Quia similitudo exterioris habitus, quem Judæi cum christianis indistinctim deferunt, plerumque tantum periculum inducit, quod per errorem Christiani Judæorum, & Judæi Christianorum mulieribus commiscentur. Ne igitur tam damnatæ commixtionis excessus per velamen erroris hujusmodi quandoque simulati, ulterius excusari possit: statuimus, ut masculi Judæorum in capitibus suis pilea lata, ut antiquitus consueverunt, & non capucia deferant. Mulieres vero sub peplo sive alio velamine capitis ornarium sive levaturam eminentem supra frontem ponant: sic, quod omni tempore per hujusmodi signa a christianis discernantur. Quæ signa, si Judæi infra duorum mensium spatium a publicatione præsentium non assumpserint, ut est dictum, ex tunc eis, per excommunicationis sententiam Christianorum communio subtrahatur, & in pœnam temporalis domini loci, qui ipsos ad hoc non compellet, clerus secularis & religiosus civitatis, oppidi seu villæ, in quibus Judæi taliter indistincte morantur, eo ipso generalem cessationem faciant a divinis, donec per Judæos statuto presenti fuerit obeditum. In die Parasceves Dominicæ passionis Judæi in publicum non prodeant, & per totam illam diem ostia, & fenestras suas clausas teneant, ne in Christianorum conspectum, qui tunc sacratissimæ passionis memoriam exhibentes, lamentationis signa prætendunt, per suas derisiones & blasphemias in contumeliam prosiliant creatoris. Nulli eorum publico præficiantur officio. Si quis autem hæc commiserit, excommunicationis sententia innodatur. Judæo vero officiali tamdiu Christianorum communio in commerciis & aliis denegetur, donec in usum pauperum Christianorum secundum providentiam diœcesani Episcopi convertatur, quidquid fuerit a Christianis adeptus occasione officii sic suscepti, & officium cum pudore dimittat, quod irreverenter assumpsit. Synagogas novas construere nullatenus admittantur, sed antiquas, si corruerunt vel ruinam minantur, reædificare poterunt; non autem ut eas exaltent, aut ampliores aut pretiosiores faciant, quam antea fuisse noscuntur, qui utique pro magno debent habere, quod in veteribus synagogis & suis observantiis tolerantur. Ad baptismum non cogantur inviti, nec in personis vel rebus suis sine judicio puniantur, nec in suis festivitatibus perturbentur, nec eorum cœmeteria per exhumationem corporum, vel alias violentur.

LVI. *De Hæreticis.*

Hæretici quarumcumque sectarum, & credentes ipsorum erroribus, nec non receptatores, defensores, & fautores eorum excommunicati sint, quos universi fideles Christi maxime parochia-

chiales presbyteri, diœcesano loci, vel inquisitori hæreticæ pravitatis denunciare tenentur, ut pro suis demeritis ultionem recipiant, & ne fidelium corda eorum doctrinis pestiferis corrumpantur.

ANNO CHRISTI 1355.

LVII. *Contra Christianos, qui ad ritum transierunt vel redierunt Judæorum.*

Etiamsi hujusmodi redeuntes, dum erant infantes, aut mortis metu, non tamen absolute seu præciso coacti baptizati fuerint, est tamen contra eos tanquam contra hæreticos si fuerint de hoc confessi, aut per christianos, seu Judæos convicti, & sicut contra fautores, receptatores, & defensores talium procedendum.

LVIII. *De raptoribus.*

Mandamus universis plebanis, & aliis clericis cujuscumque sunt status, in virtute S. obedientiæ & sub pœna privationis beneficii, ne aliquem raptorem, proscriptum, bannitum, profugum, vel incendiarium, aut eorum rapinas, in domibus suis recolligant, vel conservent, aut ipsis etiam extra domos suas, expensas seu alimenta ministrent, sive ipsorum litteras, vel legationes ad quascumque personas perferant, a quibus plerumque hujusmodi pestiferum genus hominum, per comminationes de occidendis personis, vel earum bonis cremandis, pecunias extorquere conantur.

LIX. *De usuris & usurariis.*

Usurariorum pravitatem, qui plerumque mercatorum famam inquinant, dum sub mercationis velamine, diversis adinventis fraudibus plus secum contrahentes damnificant, quam illi, qui nullo quæsito colore, directe mutuant ad usuras, deregere cupientes, & ne etiam juris ignorantiam simulatam circa hoc possint prætendere, & sic suos errores de cætero frivolis rationibus excusare. Declaramus, & dicimus, quod, cum usura tantum committatur in mutuo; mutuum autem in iis rebus consistit, quæ determinantur numero, pondere, vel mensura; non solum is qui expresse rem hujusmodi eo pacto, vel principaliter ea spe mutuat, ut aliquid emolumentum temporale ultra sortem recipiat, quantumcumque sit parvum, sive sit fructus seu proventus rei pignoratæ, in sortem non computat, usurarius est censendus; sed & ille, qui mercem quamcumque venditionis tempore, communi æstimatione minus valentem, & quam tunc venditurus erat, carius vendit, solutionem pretii differens ea vice, & qui statim solvit pretium cujuscumque rei emptæ pro minori quam tunc valeat, lucri causa, ejusdem rei traditione dilatata ad terminum, in quo constat, ipsam rem plus valere, usurarii sunt censendi; & qui tales esse probari possunt ad notitiam diœcesanorum, vel eorum officialium perferantur; ut per eos ad restitutionem usurarum ipsi, vel eorum hæredes districtione canonica compellantur. Confessores autem in foro animæ tales ad restitutionem inducant efficaciter, si suarum animarum damnationem cupiunt evitare. Sane si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuras non esse peccatum; ille velut hæreticus condemnetur. Prædicinus autem plebanis locorum, ac illis, qui habent officium prædicandi, quod saltem semel singulis mensibus statutum præsens fidelibus exponant vulgariter, ac eos salutaribus inducant monitis, ut abstineant a criminibus & fraudibus usurarum. Et innotescant omnibus, ac eis in remedium peccatorum suorum injungant, ut ipsi in nostro seu suffraganeorum nostrorum consistoriis usuras, aliquo de prædictis modis solutas, repetant, vel si nondum solverint, sed solvere promiserint, a promisso se & suos fidejussores absolvi petant.

ANNO CHRISTI 1355.

LX. *De falsariis.*

Plerumque parochialium ecclesiarum rectores & alii simplices clerici decipiuntur per falsarios litterarum, dum juris ignari, falsitatem eorumdem, quæ non solum in sigillis & eorum applicatione, verum etiam in rasuris chartarum & aliis multipliciter perpetrantur, deprehendere nescientes, falsas pro veris receptant. Volentes igitur inconvenientiis & periculis quæ ex hujusmodi incauta credulitate sequuntur, occurrere; statuimus, ne de cætero aliquis plebanorum, vel quæcumque alia ecclesiastica persona, litteras quæ dicuntur a Sede apostolica, vel ejus pœnitentiariis seu a quocumque alio de ignotis partibus super indulgentiis, petitionibus eleemosynarum, vel dispensationibus, seu quibuscumque aliis negotiis impetratæ in favorem, vel præjudicium cujuscumque audeat approbare, nec ipsas in sua ecclesia permittat aliquatenus publicare, nisi prius per diœcesani loci vel ejus officialis patentes litteras fuerint approbatæ. Quod si portitores hujusmodi litterarum, contradicente plebano, eas publicare, vel earum prætextu eleemosynas, seu alios quoscumque actus præsumpserint exercere: ipse plebanus eos cum rebus suis auctoritatem habeat arrestandi cum adjutorio, si opus foret, brachii secularis, sic quod ipsos una cum rebus & litteris diœcesano vel archidiacono loci, quam cito comode poterit, studeat præsentare.

LXI. *De sortilegiis.*

Parochiales presbyteri plebes suas frequenter informent, ut sciant sortilegas artes & incantationes sub prolatione quorumcumque verborum, vel scriptura characterum, quibuslibet infirmitatibus hominum seu animalium nihil posse conferre remedii vel sterilitati agrorum vel arborum seu potestati tonitruorum vel grandinum providere, & eis sub excommunicationis pœna præcipiant, quod a sortilegiis & superstitionibus quibuscumque abstineant, nec sortilegos consulant, vel ad domos suas recipiant, sed quod ipsi plebano tales denuntient, ut turpiter dehonestati ejiciant de plebibus, ne per eos simplicium conscientiæ polluantur.

LXII. *De excommunicato, interdicto, vel suspenso celebrante.*

Is qui celebrat majori excommunicatione ligatus, aut cui est ingressus ecclesiæ interdictus, si in ea se divinis ingerat, celebrando vel concelebrando in suo agens officio, sicut prius, & ille qui scienter celebrat in loco supposito interdicto, irregularitatem incurrunt, a qua nequeant per alium, quam per Romanum Pontificem liberari. Talis etiam, cui est ingressus ecclesiæ interdictus, si interdicto hujusmodi

☞ di durante, decedit, non debet, sicut nec excommunicatus excommunicatione majori, est ingressus ecclesiæ interdictus. Et si hoc interdicto durante celebrat, irregularis efficitur, ab ea tantum per summum Pontificem liberandus. Qui autem sic irregularis in contemptum clavium divina præsumpserit profanare, beneficiis suis perpetuo privetur, & nihilominus subjiciatur pœnitentiæ carcerali.

ANNO CHRISTI 1355.

LXIII. *De injuriis & damno datis.*

Si culpa tua factum est damnum vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus auxilium præbuisti, aut hæc imperitia tua seu negligentia evenerunt, de jure super his satisfacere te oportet. Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam. Quod si animalia tua alicui nocuerunt, tu ad satisfactionem teneris, nisi eadem animalia dando passis damnum, velis liberare teipsum; quod tamen ad liberationem tuam non proficeret, si fera animalia, vel quæ naturaliter consueverunt nocere, dato quod domesticata fuissent, & quam debueras non curasti diligentiam adhibere. Sane licet ille, qui occasionem damni dat, damnum videtur dedisse, secus tamen est in illo dicendum, qui ne damnum accideret, de contingentibus nil omisit. Et si injuriam passus secundum christianitatis legem injurianti rancorem, ex corde, gratis, pro Deo dimittere teneatur; satisfactionem tamen pro eadem, coram competenti judice potest petere, dimissione rancoris hujusmodi non obstante.

LXIV. *De pœnitentiis & remissionibus.*

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam pro viribus studeat adimplere: suscipiens reverenter ad minus in pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam causam rationabilem ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum, alioquin, & vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam ex ignorantiæ cæcitate, velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit, justa de causa, sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ipse illum non possit solvere vel ligare. Sacerdos autem sit discretus & cautus, ut more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris confitentis, non alterius circumstantias, & peccati per circumlocutiones cautas, maxime circa inusitata peccata, quibus prudenter intelligat, quale ei debeat præbere consilium, & remedium adhibere, diversis experimentis utendo, ad sanandum egrotum. Nam si peccator dicat se non posse vel nolle in futurum ab aliquibus peccatis mortalibus abstinere, dato, quod pro præteritis pœnitentiam sit paratus suscipere, tamen, quia contritionem veram non habet, quæ requiritur, quod & præterita plangat, & in futuro ab eisdem & similibus abstinere proponat, absolvi non debet, sed ejus confessione recepta crebris & salubribus monitis ad abstinendi propositum aliquali sibi imposita pœnitentia inducatur. Caveat autem sacerdos omnino, ne verbo aut signo, aut alio quovis modo serioso vel jocose prodat aliquatenus peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat. Quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio decernimus deponendum, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum. Presbyteri circa principium quadragesimæ in suis prædicationibus suas plebes sollicitent, ut confessiones suorum peccatorum ad finem ipsius quadragesimæ non differant, sed eas statim faciant, cum jejunium, seu alia quæcumque bona opera ad salutem non prosint, in peccatis mortalibus constitutis, & induti superpelliciis in ecclesia confessiones audiant, pœnitentibus qui confitentur, seu furtis, rapinis, usuris, vel aliis fraudibus facultates aliorum abstulisse, ante omnia male ablatorum restitutionem injungant, in toto vel in parte, prout eorumdem se facultates extendunt, cum non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Nec confitentibus sibi præcise comparationem missarum injungant, sed mandent certum, quod erogandum pauperibus presbyteris, vel aliis prout rationabilius devotioni videbitur congruere confitentis. Casus reservatos auctoritati summi Pontificis, vel episcopis de jure ad eosdem remittant, nisi habens casus hujusmodi sit in martis articulo constitutus, quo cessante periculo super criminibus papæ, vel Episcoporum auctoritati reservatis, pro recipienda pœnitentia ipsorum, vel pœnitentiariorum eorumdem se conspectui repræsentent. Cum autem vocatur presbyter ad curandum infirmum, priusquam ad eum deferat corpus Christi ipsius, si non imminet mortis periculum, familiariter confessionem recipiat; ne per multorum præsentiam & tumultum, qui ob devotionem & indulgentias comitantur ipsum presbyterum sacramentum Eucharistiæ deferentem, impediatur devotio confitentis. Ab infirmis in periculo mortis positis, pura est inquirenda confessio peccatorum, non tamen illis imponenda est quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda, & cum amicorum orationibus & eleemosynarum studiis, pondus pœnitentis sublevandum; quod si forte migraverint, ne obligati a communione & consortio veniæ fiant alieni. A quo periculo si divinitus erepti convaluerint, pœnitentiæ modum a sacerdote sibi impositum, diligenter observent. Et ideo secundum auctoritatem canonicam ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus ecclesiasticis, sacra unctione olei inuncti, secundum statuta sacrorum patrum, communione viatici reficiantur. Aliis vero pro qualitate peccati, & præsidentium arbitrio, tempora pœnitentiæ sunt decernenda. Licet fratribus sit a jure permissum, ut ex iis personæ sufficientes, idoneæ, vitæ probatæ, discretæ, modestæ atque peritæ, per eorum certos superiores electæ & præsentatæ diœcesanis locorum, in eorum civitatibus, & diœcesibus de ipsorum humiliter petenda licentia, gratia & beneplacito, confessiones sibi confiteri volentium audire, & imponere pœnitentias salutares, & absolutionis beneficium impendere possint. Quia tamen sumus certo certius informati, quod iidem religiosi contempta ejusdem juris forma, indifferen-

ANNO CHRISTI 1355.

ANNO CHRISTI 1355.

rentur omnes, dummodo sint presbyteri, etiam non præsentati episcopo, confessiones audiant singulorum, in apertam damnationem suarum, & sibi confitentium periculum animarum; ne per errorem hujusmodi animæ subditorum nostrorum periclitentur de cætero, hoc sacro provocante ac approbante concilio, omnibus parochialibus nostrarum diœcesis & provinciæ firmiter inhibemus, ne parochianos suos permittant dictis fratribus confiteri, nisi illis dumtaxat, qui per patentes litteras diœcesani episcopi pro ipsis confessionibus audiendis nominatim fuerint deputati. Quas quidem litteras de cancellaria nostra & suffraganeorum nostrorum gratis & sine solutione pecuniæ aliqua ipsi fratres habent recipere, & eas rectores ecclesiarum ad requisitionem ipsorum fratrum sub excommunicationis pœna teneantur in suis ecclesiis publicare. Verumtamen si episcopus fratribus ipsis, ut præmittitur, electis & præsentatis, sine causa recusaverit audiendi confessiones licentiam exhibere; ex tunc fratres ipsi ex speciali concessione apostolica id faciendi habent liberam facultatem. In nullo tamen casu, circa absolutionem, majorem auctoritatem habent, quam parochiales presbyteri, nisi Episcopus vel superior, qui potest, ipsis uberiorem gratiam specialiter duxerit concedendam. Nec etiam possunt dicti fratres seu quivis alii religiosi clericis vel laicis sine speciali licentia parochialis presbyteri ministrare alia sacramenta, & qui contrarium faciunt, excommunicationis sententiam incidant ipso facto.

In ecclesiis quoque parochialibus dicti fratres prædicare non possunt, nisi de ipsorum rectorum beneplacito & assensu. Cum autem fratres ipsi diebus festivis in suis domibus in mane prædicationes faciunt, non eas in tantum protrahant, quod plebs ad prædicationem & summam missam suæ parochiæ, quibus tunc interesse tenentur, negligat horam debitam veniendi. Nec parochianos in suis sermonibus detineant, nisi forte domorum suarum festivitates indicent, nec gyrando per ecclesias & eorum ambitus, populum aqua benedicta aspergant, aut cereorum, cinerum, vel frondium palmarum benedictionibus occupent, cum talia in parochialibus ecclesiis de jure & antiqua consuetudine peragantur. Non impediant etiam dicti fratres per suas prædicationes stationes & processiones solemnes, quas observat ecclesia generalis, quin immo fratres ipsi se in his debent parochialibus ecclesiis conformare. Plerique Episcopi per indiscretam & superfluam indulgentiarum concessionem, claves ecclesiæ contemptibiles reddunt, & pœnitentialem satisfactionem enervant, non advertentes, quomodo Romanus Pont. qui plenitudinem obtinet potestatis, in hoc tantum moderamen consueverit observare, qui in cappella sua personaliter celebrans vel prædicans, interessentibus contritis & confessis, ad maximum septem annos indulgentiæ & [illegible]enas totidem largitur. Ne igitur per temeritatem hujusmodi simplicitati fidelium de cætero illudatur, decernimus, ut secundum dispositionem juris communis, cum dedicatur basilica, non extendantur indulgentiæ ultra annum, sive ab uno solo sive a pluribus Episcopis dedicetur. In anniversario vero dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis, indulta remissio non excedat. Et similiter quando ex aliis rationabilibus causis, per litteras suas Episcopus hujusmodi remissiones suis subditis voluerit indulgere, quadraginta dierum & non amplius numero sit contentus. Nec remittentium indulgentias subditi participant alieni, nisi hoc, ut ipsi, uti possent eis proprii judices specialiter duxerit indulgendum.

ANNO CHRISTI 1355.

Huic autem statuto necessario duximus annectendum, quod nullus clericus secularis vel regularis exemptus in ecclesia sua seu monasterio, indulgentias, præterquam Diœcesani loci audeant publicare, vel nisi per Diœcesani patentes litteras fuerint approbatæ. Nam frequenter in diversis ecclesiis sive locis multorum annorum & carenarum indulgentiæ sub nominibus summorum Pontificum, & etiam episcorum ignotorum conceduntur, quæ propter nimium excessum de falsitate vehementer sunt suspectæ, & propter hoc hujusmodi licentiarum litteræ per diœcesanum examinari & approbari debent, cujus interest, ne ipsius subditi ex spe, quam hujusmodi mendosas, & falsas indulgentias obtinent, ab agendis condignis pœnitentiis retrahantur. Prohibemus insuper, ne publice pœnitentes alias, quam in die Cœnæ Domini, reconcilientur ecclesiæ, & eis relaxentur carenæ, & nisi iidem a suis plebanis testimoniales portent litteras, quod vere sunt pœnitentes, & quod jam pœnitentiam, vel ejus partem aliquam peregerunt. Si episcopus subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere confessorem, ille, quem is elegerit, in casibus qui eidem episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitus potestatem, nisi hoc in concessione specialiter exprimatur, cum in generali concessione illa non veniant, quæ non esset quis verosimiliter in specie concessurus. Nulla quoque potest consuetudine introduci, quod aliquis præter sui superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare.

LXV. *De sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti.*

Sacro approbante concilio prohibemus, ne quisquam prælatus vel judex de jure vel consuetudine excommunicandi potestatem habens, in aliquem procedendo tamquam judex excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissa, & præsentibus personis idoneis, per quas si necesse fuerit possit probari monitio, promulgare præsumat. Excommunicationem autem in scriptis proferat, & causam excommunicationis expresse scribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum etiam hujusmodi scripturæ excommunicans teneatur excommunicato tradere infra mensem, si fuerit requisitus, super qua requisitione volumus fieri publicum instrumentum, vel litteras testimoniales confici, sigillo authentico consignatas. Si quis autem Judicum hujus constitutionis temerarius extiterit violator, etiamsi alias fuerit justa excommunicationis sententia, per mensem unum ab ingressu ecclesiæ & divinis noverit se suspensum.

Et hæc eadem in suspensionis & interdicti sententiis volumus observari. Plebani vero seu parochiarum rectores, excommunicandi auctoritatem sibi noverint penitus interdictam. Quod si propria temeritate quempiam excommunicare præsumpserint, superioris arbitrio proinde puniantur. Cum autem in prolatione sententiarum hujusmodi magna maturitas requiratur, episcopi & alii judices ecclesiastici sententias

ipsas

ANNO CHRISTI 1333.

ipsos per se ipsos in rebelles proferant, & demum publicationem seu denuntiationem eorundem, plebanis locorum committant. Qui commissione super hoc seu mandato recepto, induti sacerdotali veste ad altare seu in ambone ecclesiæ stantes, expeditis populo excommunicationis causis accensis candelis projectis ad terram, excommunicatum denuntiabunt publice & præcipient, ut ab ipsius communione abstineant universi. Denunciare etiam debet Episcopus eum, quem excommunicavit, vicinis Episcopis, qui ad ipsius requisitionem talem in suis diœcesibus excommunicatum denuntiabunt, & ipsum tamquam excommunicatum vitabunt & a suis subditis arctius facient evitari.

LXVI. *Qui absolutionis beneficium parvipendant.*

Nonnulli majore excommunicatione ligati & publice denuntiati, absolutionis beneficium parvipendunt, ex eo quia clerici seculares & religiosi & maxime exempti, eis non solum in communibus actibus, & extra divinum officium, verum etiam in divinorum celebratione communicare præsumunt. Etsi quandoque clerici ipsi de communione seu participatione hujus arguuntur, respondent nonnumquam mendaciter, quod talis excommunicatio ad eorum notitiam non pervenit. Quia vero excommunicatos excommunicatione majori tam exempti, quam non exempti vitare tenentur, & si eis communicant, excommunicationem incurrunt minorem, ne sit necessarium, quod singulorum auribus singulariter inculcetur, ex quo sententia ipsa publice promulgatur, definiendo statuimus, quod quando excommunicationis sententia in ecclesia cathedrali, synodo, parochia propria, vel alio loco debito & patenti solemniter fuerit promulgata seu publicata, ipsi excommunicato participans se, quin hujusmodi canonice puniatur, per ignorantiam nullatenus valeat excusare, nisi doceat, quod tempore promulgationis ipsius sententiæ fuerit extra diœcesim vel alibi, in tanta distantia constitutus, sic, quod ad eum talis excommunicatio non pervenit, nec potuerit verisimiliter pervenisse. Insuper ille, qui dum esset sanus corpore absolutionis beneficium a sententia excommunicationis, qua innodatus existit, petere negligit seu contemnit; in ægritudinis lecto absolutionem petens, antea non absolvatur, donec ponat idoneam cautionem, quod sive convalescat, sive moriatur, secundum possibilitatem suam per se, vel per alium plenarie satisfaciat de commisso, ratione cujus fuit excommunicationis vinculo innodatus. Qui vero excommunicatus moritur, ipsius cadaveri christianorum communio denegetur.

LXVII. *De verborum significatione.*

Intelligentia verborum ex causis dicendi assumenda est; quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus, verba ex communi usu sunt intelligenda.

LXVIII. *De regulis juris.*

Dubia in meliorem partem sunt interpretanda.

Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.

Necessitas licitum facit quod in lege licitum non habetur.

Res sacræ a quoquam injuste violari non debent.

Non juste facit, qui ex timore servili aliquid facit.

Defleat peccator, quia offendens in uno factus est omnium reus.

Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & pastor nescit.

CONCILIUM TOLETANUM

Auctoritate Blasii archiepiscopi celebratum anno Domini MCCCLV. tempore Innocentii papæ VI.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Quod transgressiones constitutionum provincialium, non ad culpam, sed ad pœnam tantum obligent transgressores.*
2. *De constitutionibus Joannis legati apostolicæ sedis.*

PRÆFATIO.

PAteat universis, quod nos Blasius miseratione Divina archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas ac regni Castellæ cancellarius, in concilio per nos apud Toletum die prima mensis Octobris, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto celebrato, qua prædictum concilium extitit terminatum, procuratoribus & vicariis episcoporum suffraganeorum nostrorum ac capitulorum ecclesiarum cathedralium nostræ provinciæ, qui voluerunt & potuerunt commode interesse, congregatis, pro animarum nostrorum subditorum salute, sacro approbante concilio, constitutiones edimus subsequentes.

CAPITULA.

I. *Quod transgressiones constitutionum provincialium, non ad culpam, sed ad pœnam tantum obligent transgressores.*

NE onerentur culpæ pondere ex transgressione constitutionum provincialium Christi fideles, quibus * Divina pietas jugo suavi & oneri leviori supponere misericorditer est dignata; sacro approbante concilio ordinamus, quod constitutiones provinciales prædecessorum nostrorum, & quæ in futurum condentur nisi aliter in condendis expresse fuerit ordinatum, non ad culpam,

* Corr. quos

ANNO CHRISTI 1355.

pam, sed ad pœnam tantum, earumdem obligent transgressores.

II. *De constitutionibus Joannis legati apostolicæ sedis.*

Quia in proœmio constitutionum provincialium editarum per bonæ memoriæ dominum Joannem prædecessorem nostrum, continentur hæc verba: „ Præcipimus constitutiones per domi„ num legatum editas in concilio, per „ eumdem apud Vallemoleti celebrato, „ cum infrascriptis per nos in præsen„ ti concilio editis observari: " aliquibus grave periculum videatur, quod transgressores constitutionum domini cardinalis legati prædicti, quæ præceptum non continent, eos ad culpam obligent ex vi præcepti, quod in dicto proœmio continetur; & quia ex eo quod aliqui asserunt, quod eædem constitutiones domini legati non ligent, pro eo quod non fuerunt publicatæ integraliter, modo & forma in proœmio earumdem traditis & contentis: nos sacro approbante concilio statuimus & declaramus, quatenus vigore præcepti hujusmodi, ad observantiam dictarum constitutionum præcepta domini cardinalis legati nos & subditos nostros non obligent, nisi in eo casu, modis, & forma, quibus nos & eos dicti domini legati constitutiones statuerunt obligari.

Vide Concil. Toler. anni 1355.

In cujus rei testimonium præsentes litteras per infrascriptum notarium publicum in formam publicam redigi, ac nostri sigilli appensione mandavimus communiri. Datum loco, die, mense, & anno prædictis, præsentibus venerabilibus & discretis Hugone de la Manhama legum doctore de Maiorito, ac Didaco Gonsalvi de Talavera, archidiaconis, ac Joanne Alfonso de Villa regali canonico ecclesiæ Toletanæ, testibus ad præmissa vocatis.

Et ego Alphonsus Fernandi publicus auctoritate archiepiscopali in civitate & diœcesi & provincia Toletana notarius, prædictarum constitutionum editi, & publicationi, ratificationi, ac omnibus & singulis supradictis, una cum prænominatis testibus præsens interfui, & in præsentibus litteris meum solitum signum apposui rogatus, in testimonium veritatis.

LONDINENSE CONCILIUM

ANNO CHRISTI 1356.

A Simone archiepiscopo Cantuariensi.

Anno 1356. habitum.

An. 1356. Affert Wilk. to. III. p. 38. Hisp. fol. 3. *Ex Suppl. Mansi t. III. p. 606.*

Simon permissione divina Cantuar. archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, venerabili fratri nostro domino Michaeli Dei gratia London. episcopo salutem, & fraternam in Domino caritatem. Sacrorum canonum traditiones, arduaque negotia, manifestam ecclesiæ necessitatem concernentia, de quibus fraternitati vestræ, cæterisque confratribus, & suffraganeis nostris, pro parliamento nuper apud Westm. ultimo convenientibus, innotescit ad plenum, nos vehementer excitant & compellunt, ut absque moræ dispendio, quantum congrue poterimus, de Dei misericordia, ope, & gratia confisi, provinciale concilium celebremus; quocirca fraternitati vestræ committimus & mandamus, quatenus citetis, seu citari faciatis peremptorie venerabiles fratres coepiscopos & suffraganeos nostros provinciæ nostræ Cant. universos; & per eos abbates, priores, electivos, etiam exemptos, saltem quorum monastica ecclesiastica beneficia in ipsa nostra provincia habuerint non exempta; decanos, præpositos cathedrales & collegiales ecclesiarum, & archidiaconos suarum diœc. quod personaliter, collegia vero sive conventus locorum hujusmodi singuli per singulos, & clerus cujuslibet diœces. per duos sufficientes & idoneos procuratores, ut XVI. die mensis Maji jam futuro, proximo vid. die juridico, post completam tertiam hebdomadam Paschæ solemnitatis proxime jam sequentis, cum continuatione & prorogatione dierum tunc sequentium, quatenus opus fuerit in hac parte, coram nobis in ecclesia S. Pauli London. compareant, & sint præsentes; concilium tunc ibidem nobiscum juxta sacrorum exigentiam canonum celebraturi, ac super his, quæ communem ecclesiæ, nec non eorum necessitatem & utilitatem concernunt, tunc exponendis coram eis consilium suum providum impensuri, facturi & recepturi, quod ipsum sacrum concilium, divina assistente providentia, duxerit ordinandum: intimantes eisdem, quod contra absentes in forma canonica procedemus; nullius sic absentis excusationem penitus admissuri, nisi quatenus ad hoc nos arctarunt canonicæ sanctiones; præsertim cum ad idem concilium de communi consensu nostrum omnium sic, ut præmittitur, convenientium, diligenti tractatu super hoc inter nos præhabito, deliberatoque consilio visum fuerit procedendum: denunciantes, & denunciari facientes in genere cæteris omnibus, qui se gravatos senserint, quod in casibus illis, quorum correctio, seu reformatio ad concilium hujusmodi pertinere dignoscitur, audientia efficax per divinam clementiam eis in forma debita concedetur, & fiet in omnibus justitiæ complementum. Vos etiam præsens mandatum, quatenus ad vos, & decanum atque capitulum vestrum, nec non religiosos seu alios superius nominatos, ac archidiaconos & clerum vestræ diœcesis attinet, curetis in omnibus, prout convenit, adimplere; de die vero receptionis, &c. Dat. apud Otteford. XVIII. calend. Februar. 1355. & nostræ consecrationis VI.

Crastino die celebrationis hujus concilii provincialis, vid. die Martis XVII. mensis Maji, com-

ANNO CHRISTI 1356.

comparuerunt nobiles viri domini Radulphus comes Staffordiæ, Walterius de Manny, Willelmus de Sharsbull, & Henricus Greve just. domini regis, cum dominis Joanne de Prey, seneschallo domus regis, Thoma de Holland, & domino Joanne de Wynwicks, thesaurar. ecclesiæ Ebor. custode privati sigilli domini regis, & facta per dominum Willel. de Sharsbull. intimatione, ne quid per concilium hujusmodi fieret in præjudicium domini regis, jurisve regni sui, tandem dictus dominus Walterius de Manny, expositis per eum diffuse negotiis regis, & periculis regni, petiit nomine regis, quod prælati & clerus provinciæ concederent regni decimam sexennalem, & quod solveretur infra triennium.

Cui petitioni, post varias concilii continuationes, propositasque & discussas cleri petitiones, die Lunæ XXII. mensis Maji, hanc responsionem dedit clerus provinciæ Cantuariensis.

Vobis reverendis in Christo, patribus, dominis Dei gratia archiepiscopo Cantuar. vestrisque suffraganeis, ad celebrandum concilium provinciale juxta sacra instituta canonum congregatis, supplicat humiliter & devote clerus Cantuar. provinciæ, quatenus pio sibi compatientes affectu, rationes suas & motiva infrascript. clementer auscultare dignemini, & eis in examine circumspectæ discretionis vestræ diligentius ponderatis, petitiones ejusdem cleri admittere gratiose.

In primis: cum in ultima convocatione prælatorum & cleri ejusdem provinciæ, certa enormia gravamina, dicto clero illata, proposita fuerunt, & ostensa, super quibus petitum fuit a domino nostro rege remedium; & sub certis modo, & conditionibus adjectis & non impletis, & inter cætera, quod in proximo extunc parliamento reformatio fieret eorumdem; idem clerus concessit dicto domino regi decimas biennales; sed interim in prædicto, & aliis parliamentis, quæ ex tunc citra fuerunt, licet dicta decima sit soluta, nullum omnino extitit remedium ordinatum.

Item, cum reverendi patres duo cardinales, sedis apostolicæ legati, ad regna Franciæ & Angliæ in brevi, ut dicitur, sint venturi; pro quibus, & etiam pro venerabili viro domino Simone de Sudburia, nuncio dictæ sedis, indubitanter procuratio exigetur.

Item, cum beneficia ecclesiastica dictæ provinciæ, & eorum fructus vix ad medietatem ejus, quod valere solebant, his temporibus se extendant.

Item, cum custuma lanarum domino nostro regi in ultimo parliamento per communitatem laicorum pro sex annis concessa, de facto magis tendat; licet de jure tendere non debeat; ad grave onus cleri, qui a dicto parliamento non per contumaciam absens erat, quam laicorum, quibus concessum fuerat, quod in dictis sex annis ab eis peti non debeat aliqua quintadecima, seu collecta; placeat benignitati vestræ absque ulteriori onere ac vice ecclesiæ imponendo, ipsum clerum, qui dicto domino semper devotus extitit, & ipsum juvit in quantum potuit, ne deterioris conditionis existat quam communitas laicorum habere, si libeat, excusatum; & præmissa pro plena & finali responsione cleri admittere, ipsique clero assistere, & ipsum erga dominum nostrum regem in hac parte excusare.

Factaque suasione per dominum archiepiscopum, & alios episcopos dicto clero, quod consideratis expositis ei pro parte regis, super meliori responsione deliberarent, usque diem martis tunc crastinum idem dominus archiepiscopus concilium hujusmodi, & expedienda cum præsentibus in eodem continuavit in statu, quo tunc fuerat, & absentes decrevit fore expectandos ad diem prædictum martis. Quo die martis viz. XXIV. die mensis Maji, dictis dominis archiepiscopo, London. Wynton. Eliens. Lincon. Assaven. & Rossen. episcopis, una cum aliis prælatis, & clero dictæ provinciæ loco prædicto constitutis, clerus ejusdem provinciæ ad petitionem regis in scriptis, prout sequitur, finaliter respondebat.

Licet responsioni cleri prædictæ datæ sint veræ, & validæ rationes atque justæ, nihilominus ob reverentiam domini nostri regis, & sinceræ devotionis affectum, quem habent, prout semper hactenus habuerunt, ad captandam ipsius benevolentiam, gratiam, & favorem, requisitionemque prælatorum in præsenti sacro concilio præsentium; idem clerus concedit dicto domino nostro regi sub forma, quæ sequitur, decimam tamen unam viz. quod sub spe reformationis infrascriptorum gravaminum efficacis, medietas ejusdem decimæ solvatur ad festum S. Andreæ proxime jam futurum; & quod antequam alia medietas exigatur quomodolibet, vel solvatur, dictus dominus noster rex etiam per suum sanum & providens consilium, gravamina ecclesiæ, prælatorum, & cleri, in dicto sacro concilio exposita, & ex quibus, & per quæ censuræ ecclesiasticæ, & claves ecclesiæ contemnuntur, quinimmo fides periclitatur catholica, & maximum incurritur periculum animarum, mandet & faciat effectualiter reformari, ac libertates, & jura, ac jurisdictiones sanctæ matris ecclesiæ, more christianorum principum antecessorum suorum subditis & revocatis novis gravaminibus, in statu suo antiquo & debito conservari: quo facto efficaciter & impleto, alia medietas dictæ decimæ ad festum nativitatis S. Johannis Baptistæ proximum post festum S. Andreæ, prædict. & non aliter persolvetur. Non intendit tamen dictus clerus, nec vult, quod pauperes, qui dictam decimam propter evidentem inopiam solvere non valebunt, ad præstandum eamdem aliqualiter teneantur; super qua inopia nudæ relationi seu certificationi episcoporum singulorum in suis diœcesibus, absque probatione quacumque alia fides datur.

Qua quidem responsione data, idem dominus archiepiscopus omnes citatos ad dictum concilium, qui illo die non comparuerunt, ut tenebantur, pronunciavit contumaces; pœna sibi reservata.

ANNO CHRISTI 1362.

CONCILIUM MAGFELDENSE

A Simone Cantuariensi archiepiscopo & suffraganeis celebratum, anno Domini MCCCLXII.

Ex Tomo II. collectionis Anglicanæ.

Mandatum de festis celebrandis.

Simon &c. venerabili fratri nostro domino Simoni Dei gratia episcopo Londonensi, salutem & fraternam in Domino caritatem.

EX scripturis sacris didicimus, vitia sæpe se ingerere, & virtutes esse mentiri: dum videlicet sub figmento sanctitatis ad execranda proceditur, & sub specie cultus Divini, ad abominabilem Dei victimam properatur. Ab exordio nempe conditionis humanæ, die duntaxat septimo hebdomadæ, statuit omnium conditor ab operibus abstinendum: sed succedente tempore gratiæ, militans adjecit ecclesia dies plurimos, ab omnibus Catholicis feriandos: ex quibus postmodum usus hominum, tolerante ecclesia, propter operandi ut creditur necessitatem, nonnullos a feriandi ritu subtraxit, & quosdam in diversis catholicorum partibus festivos superaddidit localiter observandos. Qui quamvis a primordiis ob venerationem sanctorum in festivandi consuetudinem introducti fuerant: inconstantia tamen humana ut plerumque in deteriora labente, quod in electorum Dei receptum erat honorem, conversum est in blasphemiam & abominationem, dum videlicet conventiculæ, negotiationes, & alia exercitia illicita, diebus hujusmodi potissime ingeruntur: quod vero ad devotionis parabatur compendium, in dissolutionis erigitur cumulum, dum in ipsis festivitatibus colitur taberna potius quam ecclesia, comessationes abundant, & ebrietates uberius quam lacrymæ & orationes; lasciviis insistitur, & comtumeliis magis quam otio contemplationis; & quod prætermittendum non est, mercenarii, sine quorum operibus respublica regi non poterit, sub colore licito sic ab operibus mechanicis, diebus etiam quos sibi festivos constituunt, & sanctorum vigiliis, abstinent, licet non minus per hebdomadam capientes propterea de salario, quo utilitas reipublicæ graviter retardatur, quin potius impeditur: nec propter Dei honorem sicut deceret sabbatizant, sed etiam juxta præmissa, Deum ipsum & sanctam ecclesiam, in diebus hujusmodi, per abominationes suas pessimas scandalizant, tamquam solemnitates ipsæ ad profanationis & perversitatis exercitium, gratis fuerint institutæ; quæ quanto magis protenduntur in numero, tanto abundantius cultores abusionum hujusmodi, in suis excessibus insolescunt. Ut igitur tam superstitiosis adinventionibus, ac etiam fraudulentis mercenariorum hujusmodi commentis occurratur, & eorum attenuetur occasio, & memoriæ sanctorum feriandæ, juxta primam ecclesiæ institutionem, in debita habeantur veneratione: reservata facultate viris ecclesiasticis, aliisque majoribus, ac sibi ipsis sufficientibus, quorumcumque festorum, prout eis placuerit, ad Dei honorem in ecclesiis suis vel cappellis, solemniter venerandi, *de fratrum nostrorum consilio*, dies festos præsentibus inserere duximus, quibus videlicet ab universis popularium operibus, etiam reipublicæ utilibus, per nostram Cantuariensem provinciam fuerit regulariter abstinendum.

In primis sacrum diem Dominicum ab hora dici sabbati vespertina inchoandum, non ante horam ipsam præveniendum, ne Judaicæ professionis participes videamur, quod in festis quę suas habent vigilias observetur. Item festa Natalis Domini; Sanctorum Stephani, Joannis, Innocentium, Thomæ martyris; Circumcisionis, Epiphaniæ Domini, Purificationis beatæ Mariæ, S. Matthiæ Apostoli, Annunciationis S. Mariæ, S. Parasceves, Paschæ cum tribus diebus sequentibus, S. Marci Evangelistæ, Apostolorum Philippi & Jacobi, Inventionis sanctę Crucis, Ascensionis Domini, Pentecostes cum tribus diebus sequentibus, Corporis Christi, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli, Translationis S. Thomæ, Sanctæ Mariæ Magdalenæ, Sancti Jacobi, Assumptionis sanctæ Mariæ, B. Bartholomæi, sancti Laurentii, Nativitatis sanctæ Mariæ, Exaltationis sanctæ Crucis, sancti Matthæi Apostoli, sancti Michaelis, sancti Lucæ Evangelistæ, Apostolorum Simonis & Judæ, omnium sanctorum, sancti Andreæ Apostoli, sancti Nicolai, Conceptionis beatæ Mariæ, sancti Thomæ Apostoli, Dedicationum ecclesiarum parochialium, & sanctorum, in quorum honore ecclesiæ parochiales dedicantur: aliaque festa quæ in singulis dictæ provinciæ diœcesibus, per locorum ordinarios ex certa scientia peculiariter indicuntur.

Vobis igitur mandamus, quatenus præmissa omnia & singula, ad singulorum confratrum & suffraganeorum nostrorum notitiam deducentes, eorum cuilibet injungatis, quod moneant & efficaciter inducant clerum & populum sibi subjectum, ut festa superius enumerata, prout suis acciderint temporibus, summopere observent, & debito venerentur honore, & ad parochiales eorum ecclesias diebus ipsis reverenter accedant, Missarum, & aliorum Divinorum officiorum complementum exspectent, pro ipsorum, cæterorumque fidelium vivorum & defunctorum salute, Dominum devote & sinceris mentibus oraturi: sic festorum ipsorum decorando solemnia, ut ipsi, & alii catholici, pro quibus oraverint, sanctos, quorum festa celebraverint, intercessores mereantur habere assiduos apud Deum: & quod dicti confratres nostri, subditis suis hujusmodi intiment, quod reliquis sanctorum festivitatibus impune potuerunt ad opera procedere consueta. Si vero aliqui operarii conductitii occurrerint, qui festis peculiaribus, & non ut præfertur indictis, a consuetis operibus cessare præsumpserint, ut sic secundum premissa eos defraudent, quorum ministerio se astrinxerint: ipsos a superstitionibus hujusmodi canonice compescant, & faciant per alios compesci ecclesiasticam per censuram: demandantes in-

ANNO CHRISTI 1362.

infuper prædictis confratribus noſtris, quod eorum ſinguli nos clare & diſtincte certificent, quid fecerint in præmiſſis citra feſtum Nativitatis ſanctæ Mariæ virginis proximo nunc futurum, per ſuas litteras patentes harum ſeriem continentes. Vos etiam, quatenus veſtras civitates & diœceſes concernit, præmiſſa omnia & ſingula ſtudeatis efficaciter adimplere, & nos modo conſimili reddere certiores. Datæ apud Maghfeld. XVII. Kalend. Auguſti, anno Domini MCCCLXII. & noſtræ conſecrationis decimo tertio.

ANNO CHRISTI 1362.

CONCILIUM LAMHETHENSE

A Simone Cantuarienſi archiepiſcopo cum ſuffraganeis celebratum, anno Domini MCCCLXII.

De ſalariis a presbyteris annuatim percipiendis,

Ex Tomo II. collectionis Anglicanæ.

Simon permiſſione Divina Cantuarienſis archiepiſcopus, & apoſtolicæ ſedis legatus, venerabili fratri noſtro domino Simoni Dei gratia Londonienſi epiſcopo ſalutem.

EFfrænata generis humani cupiditas, cujus conatus, niſi juſtitia ſua virtute reprimeret, ita ex ſibi innata malitia excreſceret, quod caritas extra mundi terminos exularet. Sane communis ad nos querela perduxit, & magiſtra rerum experientia manifeſtat, quod moderni temporis ſacerdotes adeo jam cupiditatis & acediæ vitiis infecerunt, quod ſtipendiis rationabilibus non contenti, pro labore ſalaria vendicant & recipiunt exceſſiva, ſalutariumque laborum ſpretis exercitiis, adeo delicatis ſtudent voluptatibus, quod eccleſiis vel cappellis parochialibus & curis animarum deſervire ſeu intendere, tamquam parochiales presbyteri, etiam oblatis ſibi congruis ſalariis, recuſant penitus & contemnunt, annalia pro vivis vel mortuis peculiari quodam otio celebrantes: ſicque parochiales eccleſiæ & cappellæ quamplures noſtræ provinciæ, inofficiatæ remanent, cappellanis parochialibus, immo curatis propriis, non abſque gravi animarum periculo deſtitutis; ſacerdoteſque prædicti ſic delicati & cupidi, ſalariis exceſſivis hujuſmodi ſarcinati, evomunt, indomiti delirant & deficiunt, & poſt ventris ingluviem & varias carnis illecebras, ſpumant in libidinem, & tandem in malorum voraginem ſunditus demerguntur, in virorum eccleſiaſticorum deteſtabile ſcandalum, & exemplum perniciioſiſſimum laicorum. Huic igitur morbo peſtifero mederi ſalubriter & celeriter cupientes, *de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu* ſtatuimus, & ordinamus: quod cappellani quicumque non beneficiati, præſertim idonei curis animarum, & eccleſiis ſeu cappellis parochialibus, moderatis ſibi conſtitutis ſalariis inferius plenius deſcribendis, poſtpoſitis privatis ſeu peculiaribus obſequiis quorumcumque, ante omnia officiari & intendere teneantur, cum per loci diœceſanum ſeu ordinarium judicem in hac parte competentem fuerint requiſiti, ſub pœna ſententiæ ſuſpenſionis ab officio, quam, ſi ſic requiſiti, ut præmittitur, infra viginti dierum ſpatium, ceſſante impedimento legitimo non [a] pervenerint cum effectu, eo ipſo ſe noverint incurſuros.

a) Forte, pervenerint, H.

Statuimus etiam & ordinamus, quod cappellani annalia celebrantes, & cæteri curam animarum non intendentes, quinque marcis; eccleſiis vero ſeu cappellis parochialibus & curæ eiſdem imminenti officiantes, ſex marcis, pro ſuis ſtipendiis annuis debeant contentari: niſi locorum diœceſani, propter amplioris parochiæ ſollicitudinem, vel aliam cauſam legitimam, aliter pro ſuo arbitrio duxerint ordinandum. Si quis vero ſacerdotum hujuſmodi noſtræ provinciæ, ampliorem ſummam, quam ut præfertur, quovis exquiſito colore, pro anno integro, ſeu rata temporis ejuſdem, receperit: niſi infra menſem, fabricæ eccleſiæ infra quam Divina celebraverit, ſummam ipſam excedentem reſtituerit, ſententiam ſuſpenſionis ab officio ſuo incurrat ipſo facto. Et ſolvens, ſi perſona eccleſiaſtica fuerit, puniatur in duplum ſic exceſſive ſoluti, in pios uſus, juxta arbitrium loci diœceſani, convertendum.

Et ut amplius ſacerdotibus evagandi materia ſubtrahatur, ipſorumque mores & vita certius cognoſcantur: volumus & ordinamus, ne quis ſacerdos de una diœceſi ad aliam ſe tranſferens, ad Divina admittatur ibidem, niſi diœceſano loci, ad quem ſe tranſtulerit, litteras commendatitias oſtendat epiſcopi, in cujus diœceſi antea proximo morabatur.

Abſolutionem vero ipſorum, qui præfatas ſuſpenſionis ſententias incurrerint, nobis, & confratribus noſtris locorum diœceſanis, ſpecialiter reſervamus: quas demum, poſt publicationem debitam præmiſſorum, juxta canonum exigentiam, ligare, propter juris ignaros & ſimplices, tenore præſentium declaramus. Fraternitati igitur veſtræ committimus & mandamus, quatenus præmiſſa omnia & ſingula in diœceſi veſtra celeriter publicetis, & executioni debitæ demandetis, ipſaque cæteris ſuffraganeis & confratribus noſtris in ſuis diœceſibus publicanda & exequen ..... debite demandanda quam citius tranſmittatis: & quid feceritis in hac parte, nos citra feſtum Purificationis beatæ Mariæ Virginis proximo nunc futurum, certificare curetis, per litteras veſtras patentes harum ſeriem continentes.

Datæ apud Lambeth. v. Idus Novembris, anno Domini MCCCLXII. & noſtræ conſecrationis XIII.

ANNO CHRISTI 1362.

VITA URBANI PAPÆ V.

Urbanus quintus patria Lemovicensis, antea Guillelmus Grisant appellatus, ex abbate sancti Victoris Massiliensis ad summum ecclesiæ fastigium evectus est quinto Kalendas Octobris, anno Christi 1362. sub imperio Caroli IV. imperatoris, eo scilicet tempore, quo apud vicecomites legationis fungebatur. Avenionem profectus sua singulari animi magnitudine qua præditus erat, cardinalem Ægidium, de quo supra, in Italiam misit, ut libertatem ecclesiasticam tueretur. Eodem etiam ipse, pontificatus sui anno quarto se contulit, ut controversias ibidem exortas sedaret & componeret. Quibus sopitis, cum pia urbis loca visitaret, sanctorum Petri & Pauli capita in loco satis vili reperit: quæ auro argentoque circumdari & exornari procuravit, solemnique pompa in Laterano reposuit. Orvieti & in Montefiascone palatia cultissima extruxit, quod ea loca propter aeris temperiem sibi posterisque suis convenientissima essent. Mortuo Ægidio cardinale, Joannem Haucut ducem bellicosissimum militiæ ecclesiasticæ præfecit. His peractis, in Gallias se recepit, ubi vir juxta chronicum Hirsangiense doctus & sanctissimæ conversationis, qui crucem prædicari fecit contra Turcas, & multa bona patravit, post octavum annum & mensem secundum administrati pontificatus, decimoquarto kalendas Januarii, anno 1370. diem clausit extremum, eo tempore quo Brigitta mulier devotissima causa reddendi voti Romam venerat.

URBANI PAPÆ V.

Constitutio contra pluralitatem beneficiorum.

Ex tomo II. Collectionis Anglic.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Consueta sollicitudo apostolicæ sedis, animarum salutem & cunctorum profectus in suis actibus semper quærens, illa studet ordinare celeriter, quæ ad eorumdem salutem & profectus noverit redundare. Dudum siquidem ad audientiam nostram fama publica referente, producto quod quorumdam virorum ecclesiasticorum, tam sæcularium quam regularium, partium diversarum, caca ambitio sic excreverat, quod nonnulli eorum, quamquam etiam minus digni, plura, prioratus, dignitates, personatus, administrationes, officia, ecclesias, canonicatus, & præbendas, præstimonia, & alia beneficia ecclesiastica, cum cura vel sine cura, quamquam cum dispensatione ubi exigebatur, & quamquam etiam sine illa, retinere præsumebant in numero detestabiliter excessivo. Ex quo hujusmodi beneficiatis nequeuntibus in diversis beneficiis residere, diminutio Divini cultus, hospitalitatis defectus, ecclesiasticæ libertatis & jurium perditio, ac rerum lapsus, prædiorum destructio, ædificiorum & ipsarum ecclesiarum ruina, vitiorum [a] pullulante [a] animarum pericula, & nonnullorum populorum carentium propriorum rectorum regimine murmur & scandalum veniebant. Nos tantorum multiplicitati malorum, quæ absque gravi remorsu conscientiæ nostræ non potuimus ulterius tolerare, opportunis remediis, prout ad nostrum spectabat officium, occurrere cupientes: nonnullis archiepiscopis, & eorum suffraganeis, partium diversarum, per apostolica scripta mandavimus, ut infra certum terminum competentem, per nos eis præfixum, per se vel suos vicarios in spiritualibus generaliter, in suis ecclesiis cathedralibus generali synodo congregatis, universos & singulos clericos, & personas ecclesiasticas, tam sæculares quam regulares, partium prædictarum, eis subjectos prioratus, dignitates, personatus, administrationes, officia, ecclesias, canonicatus, præbendas, præstimonia, & alia quæcumque beneficia, cum cura vel sine cura, & officia pro .... ecclesiastica, & alia suarum & aliarum curarum ecclesiasticarum, quocumque nomine nuncuparentur, obtinentes, vel auctoritate apostolica expectantes; necnon habentes cappellanias commensales, seu alia officia Romanæ curiæ, cum beneficio vel beneficiis, aut officiis ecclesiasticis, seu curiarum ecclesiarum perpetuis, cujuscumque status, ordinis, seu conditionis extiterint, peremptorie monere curarent, eis districte mandamus [b], infra unum mensem a monitione computandum, hujusmodi eorum prioratuum, dignitatum, personatuum, administrationum, ecclesiarum, canonicatuum, præbendarum, præstimoniorum, & beneficiorum ac officiorum nomina; necnon qualitates & taxationes, si ad decimam forent taxata, seu quantum pro eis solvi pro decima consuevit; alioquin eorum veros & communes sine fraude valores, expectationes quoque & cappellanias, & officia perpetua supradicta, una cum beneficiis eisdem, ipsis & eorum ordinariis, vel eorum vicariis, prout eis suberant, allegare deberent effectualiter, [c] non parerent, hujusmodi eorum prioratibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, ecclesiis, canonicatibus, præbendis, præstimoniis, beneficiis, officiis & expectationibus, gratiis, cappellaniis, & officiis perpetuis, extunc ipso facto perpetuo essent privati; ipsorum prioratuum, dignitatum, personatuum, administrationum, ecclesiarum, canonicatuum, præbendarum, præstimoniorum, beneficiorum, & officiorum dispositione nobis specialiter reservata. Ad hoc autem illos qui haberent unicum beneficium sine dicta cura, vel alio officio perpetuo, aut e contra, seu expectationem unicam, ac professos militarium ordinum, volumus non teneri. Mandamus etiam, quod ipsi singuli suffraganei, elapso dicto mense, hujusmodi prioratus, dignitates, personatus, administrationes, ecclesias, canonicatus, præbendas, præstimonia, & alia beneficia,

a) *Deest*, numero, vel aliquid simile.

b) *Corr.* mandantes ut

c) *f.* quod si non parerent

ANNO CHRISTI 1365.

cia, officia, & expectationes, ab obtinentibus ea in scriptis exhibita, ut præfertur, in registro ordinate redacta, sub eorum sigillis clausis, suis metropolitanis, infra unius mensis spatium assignarent; & quod quilibet eorum metropolitanus, tam hujusmodi beneficia & officia per subditos sibi clericos, seu in suis civitatibus & diœcesibus commorantes, in scriptis exhibita similiter in registro redacta, quam registra dictorum suffraganeorum, infra certos menses quos eorum cuilibet duximus assignandos extunc proximo subsecutos, nobis destinare curarent; alioquin omnes & singulos eorum qui deficerent in præmissis, cessante legitimo impedimento, excommunicationis & suspensionis ab administratione spiritualium & temporalium sententiis decrevimus subjacere, prout in diversis litteris nostris super his confectis plenius continetur.

Cum autem ad aures nostras multorum fide dignorum relatione pervenerit, quod in regno Angliæ nonnulli clerici, plures dignitates, prebendas, & beneficia alia & officia ecclesiastica, in numero excessivo, & sacris canonibus invito obtinere præsumunt; ex quo supradicta & alia mala plura, graviaque scandala provenisse hactenus & assidue provenire noscuntur, & alia majora ventura verisimiliter formidantur: nos nequeuntes talia, absque læsione nostræ conscientiæ, oculis conniventibus pertransire; & proprie volentes, ut tenemur, in hac parte de opportuno remedio providere, universos & singulos clericos, & ecclesiasticas personas, tam sæculares quam regulares, dicti regni Angliæ, prioratus, dignitates, personatus, administrationes, canonicatus, præbendas, præstimonia, & alia quæcumque beneficia, cum cura vel sine cura, & officia ecclesiastica perpetua, & aliarum curarum ecclesiasticarum, quocumque nomine nuncupentur, obtinentes, aut auctoritate apostolica expectantes, cujuscumque status, ordinis, seu conditionis existant, per hoc publicæ monitionis edictum, cujusmodi monendi modum ex certis & rationabilibus causis elegimus, præsentium tenore monemus; his districte mandantes, quatenus infra sex menses a data præsentium computandos, hujusmodi eorum prioratuum, dignitatum, personatuum, administrationum, ecclesiarum, canonicatuum, præbendarum, præstimoniorum, ac beneficiorum & officiorum nomina; necnon qualitates & taxationes, si ad decimam sint taxata, seu pro eis solvi pro decima consuevit; alioquin eorum veros & communes sine fraude valores, expectatione quoque, necnon & officia ecclesiasticarum curarum perpetua supradicta, una cum beneficiis eisdem, ordinariis locorum, in quibus moram trahunt, in scriptis clare, particulariter, & distincte exhibere procurent. Alioquin omnes & singuli, qui præfatis nostris monitioni & mandato, rationabili causa cessante, quam infra dictum terminum coram nobis vel ordinariis eisdem allegare per se vel alios teneantur, non pareant cum effectu: hujusmodi eorum prioratibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, ecclesiis, canonicatibus, præbendis, beneficiis, & officiis, & expectationum gratiis, quæ ultra duo ipsorum [a] compassibilia, tum quæ coram ipsorum duorum beneficiorum ordinario seu ordinariis infra dictum mensem duxerint eligenda, præsumpserint retinere, elapsis dictis sex mensibus perpetuo sint privati, ipsorum prioratuum, dignitatum, personatuum, administrationum, canonicatuum, præbendarum, ecclesiarum, præstimoniorum, beneficiorum, & officiorum dispositione, nobis reservata. Quod si tales hujusmodi prioratus, dignitates, administrationes, personatus, ecclesiæ, canonicatus, præbendæ, præstimonia, beneficia, & officia, quibus ut præmittitur erunt privati, ultra dictum terminum per mensem retinere præsumunt: extunc ipso facto aliis duobus beneficiis [b] compassibilibus, quæ per eos, ut præmittitur, permittimus retineri, noverint privatos, ipsorum collatione & dispositione nobis similiter reservata: ac nihilo minus sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi per Romanum pontificem, præterquam in mortis articulo, non possint absolutionis beneficia obtinere: & nihilo minus perpetuo sint inhabiles ad ea, & quælibet alia beneficia ecclesiastica obtinenda.

Ad hoc autem illos qui haberent unicum beneficium sine alio officio perpetuo, aut e contra, seu expectationem unicam, & professos militarium ordinum, volumus non teneri. Mandantes insuper, quod singuli episcopi dicti regni, elapsis dictis sex mensibus, hujusmodi prioratus, dignitates, personatus, administrationes, ecclesias, officia, canonicatus, præbendas, & præstimonia, & alia beneficia ecclesiastica, ac capellanias, officia, & expectationes, ab obtinentibus ea ipsis in scriptis exhibita, ut præfertur, in registro ordinata, sub eorum sigillis clausis, suis metropolitanis infra unius mensis spatium studeant assignare: & quilibet eorum metropolitanus, tam hujusmodi beneficia & officia per subjectos sibi clericos, vel in civitatibus vel diœcesibus commorantes, similiter in registro redacta, quam dictorum episcoporum, infra quatuor menses dictum mensem immediate sequentes, nobis destinare procurent. Alioquin omnes & singulos episcopos & archiepiscopos seu metropolitanos, qui defecerint in præmissis, cessante legitimo impedimento, excommunicationis, suspensionis ab administratione spiritualium & temporalium sententiis decernimus subjacere. Cæterum volumus, & auctoritate apostolica decernimus, quod monitionis mandata hujusmodi, perinde valeant & robur obtineant firmitatis: ac eosdem clericos & ecclesiasticas personas, necnon archiepiscopos & episcopos omnino [c] arceant, ac si iis insinuata & intimata præsentialiter extitissent, constitutione quacumque contraria non obstante. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ monitionis, mandati, privata reservationis inhabilitatis, constitutionis & voluntatis infringere, vel ei temerarie contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum, se noverit incursurum.

Datæ Avinioni, v. Nonas Maji, Pontificatus nostri anno quarto.

a) *Forte*, compossibilia. H.

b) *Forte*, compossibilibus. H.

c) *Forte*, arcent. H.

CON-

ANNO CHRISTI 1365.

CONCILIA VARIA

Pro reformandis moribus, & præsertim tollenda pluralitate beneficiorum, anno Domini MCCCLXV.

Jussis esse ab Urbano V. archiepiscopos & eorum suffraganeos partium diversarum, *concilia celebrare adversus clericos multis præditos beneficiis, testatur Urbanus ipse, in ea quam modo legisti constitutione: docent & ejusdem ad Tolosanum & Narbonensem archiepiscopos litteræ, eodem argumento datæ, ut testatur Odericus Raynaldus.*

CONCILIUM ANDEGAVENSE

A Simone Turonensi archiepiscopo cum suffraganeis celebratum, anno Domini MCCCLXV.

Ex metropoli Turonensi, & MS. viri cl. Ægid. Menagii.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De rescriptis.*
2. *De actore & reo.*
3. *Quid est dieta.*
4. *De actationibus virtute litterarum apostolicarum.*
5. *De apostolicis impetrantibus beneficia.*
6. *De iisdem.*
7. *De supplenda negligentia trælatorum.*
8. *Beneficia non conferantur nisi ætatem legitimam habentibus.*
9. *De temporibus ordinandorum.*
10. *De officio archidiacon..*
11. *Quid pro lectis defunctorum rectorum.*
12. *De vita & honestate clericorum.*
13. *De eadem re.*
14. *De Missa & officio defunctorum.*
15. *De officio beatæ Mariæ.*
16. *De cibis ecclesiasticorum.*
17. *De clericis non residentibus.*
18. *De distributionibus.*
19. *De statu monachorum.*
20. *De canonicis regularibus.*
21. *De religiosis domibus.*
22. *De observatione jejuniorum.*
23. *De censibus.*
24. *De immunitate ecclesiarum.*
25. *De injustis exactionibus.*
26. *De injuriis quæ fiunt ecclesiasticis.*
27. *De iisdem.*
28. *De exactionibus.*
29. *De immunitatibus ecclesiæ.*
30. *De adulteriis.*
31. *De sententia excommunicationis.*
32. *De publicatione præsentis concilii.*
33. *Quando liceat in domibus seu cappellis celebrare.*
34. *De potestate absolvendi.*

PRÆFATIO.

AD honorem Dei patris omnipotentis, decus & decorem civitatis, diœcesis, ac provinciæ Turonensis, cui, Deo auctore, sedis Apostolicæ gratia, & Divina favente clementia, præsidemus. Nos Simon permissione Divina archiepiscopus Turonensis, vocatis & coadunatis venerabilibus fratribus nostris, Gantrido, Dolensis; Michaele, Cœnomanensis; Radulpho, Redonensis; Guillelmo, Andegavensis; Guillelmo, Macloviensis; Guillelmo, Leonensis, & Eveno, Trecorensis, ecclesiarum episcopis, & suffraganeis nostris; sed Nannetensi vacante, venerabilibus fratribus Briocensi, Venetensi, & Coriſopitensi, episcopis absentibus, & legitime excusatis per legitimos procuratores litteratorie destinatos; necnon abbatibus & prælatis qui ad hoc vocari consueverunt. Ad futuram rei memoriam, pro reformatione morum, defensione & tranquillo statu ecclesiarum nostro regimini commissarum, deliberatione provida præhabita, & ipsius approbatione concilii, ordinanda duximus & etiam statuenda ea, quæ per ordinem subsequuntur. Quæ quidem juxta approbationem hujusmodi decrevimus obtinere perpetuam roboris firmitatem. Acta in ecclesia Andegavensi, die Jovis duodecima mensis Martii, anno Dom. MCCCLXV.

CAPITULA.

I. *De rescriptis.*

LIcet sedes apostolica in gratiis & justitia se exhibeat liberalem: tamen nonnulli ejus litteris nequiter abutuntur, reum trahendo & conveniendo ad diversos judices super diversis actionibus personalibus; vel conveniunt eos cum quibus nullam habent materiam quæstionis, vel contra concilium ultra duas dietas, per conservatorias, vel rescripta alia, in quibus eis conceditur, quod reum usque ad duas dietas trahere valeant, & non ultra. Quod licet sit prohibitum per canonicas sanctiones pœnas transgressoribus infligentes: quia tamen facti experientia nos edocet, prohibitionibus non obstantibus, quod nonnulli nostræ provinciæ Turonensis, rescriptis præmissis apostolicis abutuntur: deoque sacro approbante concilio, edicto perpetuo prohibemus, ne quis per-

ANNO CHRISTI 1365.

per quodcumque rescriptum apostolicum, coram diversis judicibus, super eisdem vel diversis actionibus personalibus, eodem tempore, vel illum contra quem non habet actionem, vel per quamcumque conservatoriam, privilegium, vel rescriptum, in quo concedi-tur, quod usque ad duas dietas reum trahere valeat, ultra duas dietas non trahat; nec rescripta apostolica ad futuras controversias trahat, quæ non erant exortæ tempore rescripti impetrati. Quod si contrarium fecerit in casibus præmissis, vel aliquo præmissorum, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto.

II. *De actore & reo.*

Dudum Bonifacius papa salubriter statuit, quando actor & reus ejusdem civitatis & diœcesis fuerint, quod per litteras apostolicas infra ipsas reus conveniatur & non extra, nisi certis casibus in dicta constitutione expressis: ita quod tunc reus a fine diœcesis ultra unam dietam non trahatur. Et quia nonnulli nostræ provinciæ, prædicta constitutione abutuntur, reum trahendo ad loca remota ultra unam dietam, contra tenorem constitutionis supradictæ, & eum fatigant laboribus, & expensis: volentes prædictis abusionibus obviare, edicto perpetuo prohibemus, ne quæcumque persona ecclesiastica, sæcularis, regularis, vel alia, quacumque præfulgeat dignitate, quando actor & reus ejusdem fuerint civitatis, vel diœcesis, reum extra ipsas audeat trahere, nisi in casibus in dicta constitutione comprehensis, vel alias sibi competat ex beneficio litterarum ex tunc usque ad unam dietam a fine diœcesis & non ultra, & etiam in aliis casibus in dicta constitutione comprehensis, in quibus permittitur quod reum trahere valeat extra ipsas; itaque * reus etiam ad loca non insignia non trahatur. Contrarium vero facientes in casibus præmissis, vel aliquo præmissorum, incurrant excommunicationis sententiam ipso facto.

* *for.* ita quod

III. *Quid est dieta.*

Sane quia nonnulli in nostra provincia dietas diversimode in casibus præmissis nituntur computare: aliqui decem, aliqui duodecim plus vel minus leucas accipiunt pro dieta. Nos vero de communi consilio, & assensu totius concilii, duodecim leucas taxamus pro dieta vulgari, ve etiam usuali, in diœcesi Turonensi & Andegavensi: in Britannia vero & Cœnomania, decem leucas taxamus pro dieta. Itaque reus a fine diœcesis Turonensis & Andegavensis, ultra duodecim, & in Britannia & Cœnomania, ultra decem leucas per litteras apostolicas non trahatur: vel ubi competeret ex beneficio litterarum, quod ultra traheretur, qualiter dicta dieta in diœcesibus prædictis decem vel duodecim, ut præfertur, leucas non excedat. Qui vero contrarium fecerit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto.

IV. *De citationibus virtute litterarum apostolicarum.*

Item prohibemus, quod nullus presbyter, clericus, tabellio, notarius, vel quæcumque persona alia ecclesiastica, vel sæcularis, nostræ provinciæ, citet vel audeat citare auctoritate aliquarum litterarum apostolicarum, sive sint rescripta, conservatoria, vel privilegia, nisi viso originali, vel tenore ipsius publicato auctoritate diœcesani, & de mandato ipsius, per aliquam personam publicam, & sub sigillo ordinarii. Qui contrarium fecerit, pœnam decem librarum incurrat ipso facto, piis operibus per ordinarium convertendam.

V. *De apostolicis impetrantibus beneficia.*

Sane quia nonnulli apostolica impetrantes beneficia vacatura, cum clausula, quod infra mensem valeant acceptare, virtute litterarum apostolicarum plura beneficia acceptant, & hujusmodi acceptationes occultant fraudulenter in præjudicium & scandalum plurimorum, ex quibus plura inconvenientia in nostra provincia reperimus evenisse; maxime cum aliqui, quibus dicta beneficia acceptata, per ordinarium collata fuerant, dictas acceptationes ignorantes, ratione beneficii sibi collati, promoti ad sacerdotium, per dictos impetrantes post annum a tempore vacationis sunt exclusi, & ipsos oportet mendicare, in opprobrium ordinis clericalis; volentes dictis fraudibus & malitiis obviare, approbante sacro concilio, statuimus; quod hujusmodi impetrantes, acceptationem hujusmodi infra tres menses a tempore acceptationis, legitimo impedimento cessante, in lo-

ANNO CHRISTI 1355.

loco beneficii acceptati teneantur publicare: alioquin dicta acceptatione & jure sibi acquisito per hujusmodi acceptationem, sint privati.

VI. *De iisdem.*

Item cum beneficia ecclesiastica ultra sex menses vacare non debeant, & nonnulli apostolici impetrantes, occulte & clandestine faciunt sibi de beneficiis provideri, collationes sibi factas occultantes, differentes dictorum beneficiorum possessionem recipere, ut sibi de pinguioribus faciant providere, non sine dictorum beneficiatorum præjudicio & scandalo aliorum: ideoque sacro approbante concilio, statuimus, quod impetrantes apostolici, postquam de beneficiis vacantibus per suos executores sibi fecerint provideri, sive fuerint dignitates, personatus, prioratus, officia, administrationes, & beneficia alia, quocumque nomine censeantur, infra sex menses a tempore provisionis sibi factæ, per se vel per alium, possessionem realem dictorum beneficiorum apprehendere teneantur. Quod si infra dictum terminum, legitimo impedimento cessante, possessionem dictorum beneficiorum, dignitatum, personatuum, prioratuum, officiorum, administrationum & aliorum beneficiorum quorumcumque, non apprehenderit: omni jure sibi quæsito per dictas collationes sint privati.

VII. *De supplenda negligentia prælatorum.*

Item statuimus, quod prælati, tam seculares quàm regulares, & alii qui dignitates, personatus, prioratus, officia, administrationes, & alia beneficia de jure vel consuetudine in nostra provincia habent conferre, personis idoneis illa conferant, quorum collatio non sit clandestina nec occulta: immo ipsam collationem infra sex menses a tempore vacationis publicent, & illi quibus collationes fient, sive provisiones, de dignitatibus, personatibus, prioratibus, officiis, administrationibus, & aliis beneficiis, tam sæcularibus, quam regularibus, infra sex menses a tempore collationis beneficii, possessionem ipsius, per se vel per alium, legitimo impedimento cessante, apprehendere teneantur: alioquin collatio pro nulla habeatur. Et ille cui facta fuerit provisio, lapso termino, omni jure sibi quæsito per collationem vel provisionem sibi factam, sit privatus, & collatio ad proximum superiorem sit eo ipso devoluta.

ANNO CHRISTI 1361.

VIII. *Beneficia non conferantur nisi ætatem legitimam habentibus.*

Item constitutione irrefragabili prohibemus, ne beneficia ecclesiastica, sive sint dignitates, personatus, officia, cappellaniæ, præbendæ, vel alia, quocumque nomine censeantur, quæ de fundatione, consuetudine, vel statuto, sacros ordines requirant, personis, quæ non erunt ætatis legitimæ ad recipiendos illos ordines quos beneficia requirunt, nullatenus conferantur. Quod si contrarium factum fuerit, collatio sit nulla ipso facto, & collatores potestate conferendi ea vice sint privati: nisi ex causa evidenti per ordinarium fuerit dispensatum.

IX. *De temporibus ordinandorum.*

Præsenti decreto statuimus, quod omnes principales personæ, prælati, & capita ecclesiarum collegiatarum, & omnes qui in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, regularibus, nostræ provinciæ Turonensis, obtinent dignitates, personatus, officia, sive sint decani, præpositi, archidiaconi, archipresbyteri, capicerii, & alii, quocumque nomine censeantur; & alii qui alia beneficia obtinent, ratione quorum, de jure vel consuetudine tenentur promoveri, in nostra provincia infra annum, a tempore provisionis sibi factæ & possessionis adeptæ pacifice, impedimento legitimo cessante, saltem ad subdiaconatus ordinem se faciant promoveri: alioquin dignitatibus, personatibus, officiis, & beneficiis, lapso anno, absque monitione alia sint privati.

X. *De officio archidiaconi.*

Cæterum cum provida deliberatione in concilio Andegavensi alias fuerit ordinatum, ne archidiaconi, vel archipresbyteri, qui de jure vel consuetudine personas ecclesiasticas præsentatas ad curas parochialium ecclesiarum habent examinare, & post examinationem nobis vel suffraganeis nostris, vel aliis quibus de consuetudine, vel alio jure pertinet curas committere vel conferre, nil exigant pro litteris, vel sigillo. Quod vero hujusmodi statutum minime serva-

ba-

ANNO CHRISTI 1365.

batur, immo prædicti ratione sigilli vel litteræ, immoderate pecunias extorquebant: ideoque sacro approbante concilio prohibemus, ne quis, vel aliqui, personis ecclesiasticis per ipsos examinandis, vel præsentandis illis qui habent curas committere vel conferre, pro sigillo vel littera aliquid recipiant. Contrarium vero facientes eo ipso pœna in dicto concilio percellantur.

XI. *Quid pro lectis defunctorum rectorum.*

Item edicto perpetuo prohibemus, ne archidiaconi, archipresbyteri, & aliæ personæ ecclesiasticæ, qui de consuetudine lectos rectorum parochialium ecclesiarum decedentium, infra certos limites nostræ provinciæ Turonensis, sibi vendicant, pro lecto, ultra quinquaginta solidos recipiant, dum tamen parochialis ecclesia, quam curatus defunctus obtinebat, quinquaginta libras, secundum taxationem decimæ, non excedat, vel lectum recipiat secundum taxam superius moderatam. Quod si ultra quinquaginta libr. parochialis ecclesia excedat pro decima: centum solidos pro lecto poterit recipere, & non ultra, sibi conditione reservata, quod pecuniam possit recipere juxta taxam superius moderatam, vel lectum ad valorem, ut superius est expressum. Qui vero contrarium fecerit, recipiendo ultra summam & modum quæ in præsenti constitutione continentur: eo ipso perdat lectum, vel illud quod ratione lecti poterat evenire.

XII. *De vita & honestate clericorum.*

Item cum in concilio Turonensi salubriter fuerit ordinatum, ne presbyteri prodeant in publicum sine cappis, vel mantellis clausis, & quod etiam portent clausa supertunicalia & honesta: nos latius providere volentes, auctoritate præsentis concilii prohibemus, ne aliqua persona ecclesiastica nostræ provinciæ, cujuscumque status vel conditionis existat, decanus, archidiaconus, archipresbyter, canonicus metropolitanæ ecclesiæ, cathedralis, vel collegiatæ, & alii beneficiati, vestes breves, vel botonatas ante pectus, in publico deferant; nec capucia cum lunga corneta, sed brevi & honesta, & botonibus in capuciis non utantur. Qui vero contrarium fecerit in casibus præmissis, vel aliquo præmissorum, si canonicus metropolitanæ ecclesiæ, cathedralis, vel collegiatæ, a voce capituli & distributionibus quotidianis per mensem eo ipso sit suspensus: ita quod suspensione durante, vox sua in capitulo pro nulla habeatur, & distributiones ad illum usum assignentur, cui de consuetudine distributiones absentium committuntur. Quod si alias beneficiatus fuerit, a fructibus beneficiorum per mensem sit suspensus.

XIII. *De eadem re.*

Item firmiter prohibemus, ne clerici in nostra provincia utantur brevibus vestibus, vel sotularibus de polena, nec capucia botonata in publico deferant; sed vestes longas, ad minus usque ad genu propendentes. Qui vero contrarium fecerit, videlicet portando breves vestes, vel sotulares de polena, vel etiam capucia botonata, in casibus præmissis, vel aliquo præmissorum, pœnam decem librarum incurrat eo ipso, (vel etiam si deferat mantellum seu clamydem fixum depeczatum per circuitum) per ordinarium piis usibus convertendarum.

XIV. *De Missa & officio defunctorum.*

Item prohibemus in virtute sanctæ obedientiæ, ne quis presbyter nostræ provinciæ audeat Missam celebrare pro mortuis, nisi primo dixerit officium mortuorum: & omnes curati parochialium ecclesiarum singulis diebus ferialibus teneantur dicere officium mortuorum, potissime trium lectionum.

XV. *De officio beatæ Mariæ.*

Item approbante concilio statuimus, quod in singulis ecclesiis metropolitanis, cathedralibus, regularibus, collegiatis, matutinæ, & aliæ horæ de beata Maria, singulis diebus solemniter decantentur: nisi alias officium esset de beata Maria, vel aliis majoribus festis anni, vel in Adventu Domini: & ad hoc omnes volumus adstringi sub præcepto.

XVI. *De cibis ecclesiasticorum.*

Cum sobrie vivere debeant universi, & maxime personæ ecclesiasticæ, quas in se oportet ostendere quomodo alii debeant conversari, non in ebrietatibus vel conviviis epulando, sed moderate & ho-

ANNO CHRISTI 1365.

& honeste, ne longi temporis brevis hora victum consumat: ideoque in virtute sanctæ obedientiæ, & sub obtestatione Divini judicii, approbante concilio firmiter prohibemus, ne quævis persona ecclesiastica, sæcularis vel regularis, in nostra provincia, etiamsi pontificali, vel quavis alia præfulgeat dignitate, ultra duo fercula ad plus, etiam in conviviis solemnibus, vel festivitatibus præcipuis, parare faciat; sed prædictis duobus ferculis non superfluis sit contentus: nisi forte propter adventum principum, vel aliarum personarum, propter quarum adventum posset ecclesia aliquod commodum reportare, vel damna & incommoda evitare; & tunc ipsorum conscientiæ relinquatur.

XVII. *De clericis non residentibus.*

Cæterum cum personæ ecclesiasticæ in suis beneficiis teneantur personaliter residere, & maxime si curam habeant animarum: irrefragabili statuto ordinamus, ut omnes curati parochialium ecclesiarum nostræ provinciæ Turonensis, in suis parochialibus ecclesiis residentiam faciant personalem, nisi super hoc ex causa per superiorem fuerit dispensatum, vel alias legitime fuerint impediti. Quod si residentiam non fecerint, ut tenentur, & ultra mensem se a suis beneficiis absentaverint sine causa: a perceptione fructuum suarum ecclesiarum sint suspensi, fructibus ipsis in ecclesiarum utilitatem convertendis. Quod si per sex menses sine causa legitima, ut præmittitur, se absentaverint: lapsis sex mensibus, ipsis ecclesiis perpetuo sint privati, & illi ad quos pertinebit dictarum ecclesiarum collatio, de ipsis ecclesiis habeant providere.

XVIII. *De distributionibus.*

Item licet distributiones quotidianæ & anniversaria, in ecclesiis metropolitanis, cathedralibus, & collegiatis, pro interessentibus personaliter horis ipsis & anniversariis, sint laudabiliter ordinatæ; ita quod qui non laborat, non manducet; & nonnulli ecclesiarum prædictarum nostræ provinciæ canonici, & alii qui de consuetudine dictas distributiones & anniversaria in ipsis ecclesiis recipiunt, tarde veniunt, & cito postquam chorum intraverint recedunt sine causa: ideoque sacro approbante concilio statuimus, ut prædicti canonici, & alii qui prædictas distributiones & anniversaria in prædictis ecclesiis recipiunt, in principio horarum intrent chorum ipsis horis anniversariis, & ad missam intersint, videlicet a primo psalmo usque ad finem illius horæ & anniversarii necnon in introitu Missæ, a prima collecta, usque ad finem totius ipsius Missæ continue remansuri. Quod si in præmissis defecerint sine causa rationabili, distributiones sive anniversaria illius horæ eo ipso perdant, & illi vel illis applicentur, quibus applicarentur, si iidem recedentes ipsis horis vel anniversariis nullatenus interfuissent. Quod si prædictas distributiones vel anniversaria, contra nostram constitutionem voluerint extorquere: per mensem a distributionibus vel anniversariis sint suspensi. Quod si in prædicto mense, suspensione durante, aliquid pro distributionibus vel anniversariis receperint: ingressum ecclesiæ, usquequo restituerint omnia quæ contra præsentem constitutionem perceperint, sibi noverint interdictum.

XIX. *De statu monachorum.*

Item cum per decentiam habitus extrinseci morum ostendere oporteat honestatem, & licet secundum canonicas sanctiones fuerit salubriter ordinatum, quod monachi ordinis sancti Benedicti pro habitu cappas clausas, cucullas, vel floccum honestum longum & amplum deferant, & vestes superiores proximo habitui largas, longas, & clausas per circuitum deferant, & quod bottis vel sotularibus corrigiatis altis & honestis utantur: tamen nonnulli monachi dicti ordinis in nostra provincia, in se quasi nihil de regulari observantia ostendentes, chlamydes sive rotundellos, vestes fixas decurtatas, cum botonibus, in publico deferre non verentur, in religiosorum opprobrium, & scandalum plurimorum. Ideoque approbante concilio, prohibemus, ne quis religiosus dicti ordinis, abbas, prior, vel quicumque alius, cujuscumque status, vel conditionis existat, chlamydes seu rotundellos, vestes proximo habitui fixas, vel quomodolibet botonatas, in publico deferre præsumat. Qui vero contrarium fecerit in aliquo casu præmissorum, suspensionis sententiam incurrat ipso facto: quam si sustinuerit per annum, prælatura, prioratu, beneficio, vel administratione quam habuit, sit privatus. Quod si beneficium non habeat,

ANNO CHRISTI 1365.

beat, per annum sit inhabilis ad quod- A cumque beneficium ecclesiasticum obtinendum.

XX. *De canonicis regularibus.*

Abusionibus quorumdam canonicorum regularium nostræ provinciæ Turonensis (qui secundum regulam beati Augustini debentes laudabiliter vivere, & honeste conversari, quid eis liceat non advertunt, a regulari observantia deviantes, qui nec, prout decet secundum regulam, superlicium aut cappam, B nec alium honestum habitum deferunt secundum suorum monasteriorum consuetudinem approbatam, immo vestes fixas, botonatas, & chlamydem fixam super humerum in publico deferre non verentur) obviare volentes: approbante concilio statuimus, quod monachi dicti ordinis in nostra provincia, professores, prælati, priores, & alii, cujuscumque status vel conditionis existant, habitum deferant suæ religioni congruentem, videlicet superlicium in C ecclesia, & locis aliis quibus solitum est fieri ab antiquo, aut cappam clausam, vel alium honestum habitum, secundum suam regulam, & consuetudinem suorum monasteriorum approbatam; necnon vestes superiores longas, clausas, & honestas portent in publico, nec chlamydes fixas super humerum, * Vide p. 449. 577. sed clausas, largas, longas, & honestas, nec clocas * sericatas, sive consutas de serico alterius coloris quam fuerit cloca, vel mantellus, seu cappa. D Qui vero contrarium fecerit in casibus præmissis, vel aliquo præmissorum: per annum a beneficio suspendatur. Et si beneficium non habuerit, per idem tempus sit inhabilis ad beneficium ecclesiasticum obtinendum.

XXI. *De religiosis domibus.*

Irrefragabili statuto prohibemus, ne illi qui de consuetudine, de jure, vel fundatione, in nostra provincia eleemosynarias, leprosarias, xenodochia, vel E domos Dei habent committere, quocumque colore sibi quæsito, pecuniam, vel quicquam aliud, ratione commissionis, sigilli, vel litteræ, recipiant. Quod si contrarium fecerint, & contra nostram præsentem constitutionem aliquid receperint: excommunicationis sententiam incurrant ipso facto.

XXII. *De observatione jejuniorum.*

Sane cum diebus jejunialibus, & maxime in Quadragesima, non solum a carnibus, sed etiam ab illis quæ a carnibus sementariam trahunt originem, sit penitus abstinendum; & nonnulli nostræ provinciæ, tam personæ ecclesiasticæ, quam etiam sæculares, in nonnullis locis lacte & butyro utantur indistincte, licet piscium, olei, & aliorum necessariorum possint copiam invenire: ideo approbante concilio prohibemus, ne aliqua persona ecclesiastica vel sæcularis butyrum vel lac comedat in Quadragesima, vel quomodolibet in pane, vel leguminibus utantur, in casibus a jure non permissis, nisi super hoc privilegium habuerint. Qui vero contrarium fecerit, notam reatus inobedientiæ incurrat, & tanquam transgressor præcepti & concilii provincialis puniatur: absolutionem transgressorum tantummodo superioribus reservantes.

XXIII. *De censibus.*

Cum juris sit provisione statutum, quod pro rebus propriis ecclesiasticarum personarum, quas non causa negotiandi deferunt, seu deferri faciunt, pedagia vel quidagia, nullatenus exigantur, & in contrarium facientes est excommunicationis sententia promulgata; & bonæ memoriæ Gaufridus prædecessor noster in concilio apud Castrum Gonterii celebrato, salubriter prohibuit ne a clericis, vel a personis ecclesiasticis, pro rebus propriis vel etiam ecclesiarum, quas non mercimonii causa, per terram vel aquam, aut per mare ducerent, vel duci facerent, quisquam suo vel nomine alieno pedagia, quidagia, consuetudines, aut exactiones quascumque, & quocumque nomine censerentur, exigeret vel de novo imponeret, contrarium facientes excommunicationis sententia innodando: & res proprias clericorum, vel ecclesiasticarum personarum E declaravit, vina, blada, & alia de suis rebus hereditariis, & quas in terra sua vel ecclesiæ recolligunt, & quæ de redditibus propriis recipiunt, & quæ collecta, recepta & habita, causa vendendi, ut pecuniam inde habeant, in usus proprios convertant, per terram, vel aquam ducunt, vel duci faciunt, intellexit, & debere intelligi declaravit hoc non fieri causa mercimonii, taleque negotium esse personis ecclesiasticis licitum

Vide supra in Conc. sub Petro Turon. Arch. ann. 1336. can. 3.

ANNO CHRISTI 1365.

tum & honestum, & liberum a pedagiis, consuetudinibus, & exactionibus aliis quibuscumque. Nos vero approbante dicto concilio, dictas prohibitiones, declarationes, statuta, & pœnas in præmissis comprehensas, volumus in suo robore permanere: ita quod qui a personis ecclesiasticis, pro præmissis rebus, quas ducunt, vel duci faciunt, per terram vel aquam, per se vel alium, a ductoribus, vel ab illis qui vehunt, vel transferunt, receperit pedagia, exactiones, vel consuetudinas, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto; & locus in quo pedagia, quidagia, consuetudinæ & exactiones recipiuntur, eo ipso sit suppositus ecclesiastico interdicto. Et quia nonnulli in præjudicium ecclesiasticæ libertatis & prædicti concilii, novas fraudes inveniunt per obliquum, volentes personas ecclesiasticas submittere servituti, non a prædictis personis, sed ab illis qui prædicta, nomine clericorum & ecclesiasticarum personarum, deferunt, vehunt, & transferunt, per se vel alium, pedagia, consuetudinas & exactiones de novo exigunt, necnon præmissas personas ecclesiasticas, vel illos qui nomine ipsorum præmissa portant vel transferunt, compellunt ut ad ipsos veniant, & quod sibi significent quod sunt res clericorum & personarum ecclesiasticarum, quæ ducuntur per aquam vel terram, sibi de facto confiscant, & appropriant pro libito voluntatis (quam confiscationem declaramus esse contra concilium, & in præjudicium ecclesiasticæ libertatis: & talia facientes declaramus incidere in sententia, & pœnis in prædicto concilio & modo superius declaratis) prædictum concilium dicti Gaufridi innovamus, & quod omnia hic comprehensa in nostra constitutione fidem faciant, ac si totum originale & tenor ipsius esset hic omnino de verbo ad verbum comprehensum.

XXIV. *De immunitate ecclesiarum.*

Sacro approbante concilio excommunicamus invasores, raptores, depræda-
E tores, occupatores, suo nomine, vel etiam alieno, personarum ecclesiasticarum & rerum suarum, vel ecclesiæ seu locorum religiosorum, & quoscumque alios qui bona prædicta indebite occupata detinuerint, aut in religiosorum domibus, vel locis ecclesiasticis posuerint comestores; & loca ubi bona taliter occupata, delata, recepta, vel detenta scienter fuerint, sint supposita ecclesiastico

A interdicto: declarantes, bona ecclesiastica esse intelligenda in hoc casu, prout in concilio apud Castrum Gonterii per bonæ memoriæ Petrum prædecessorem nostrum ultimo celebrato, non solum bona clericorum, verum etiam bona commodata, & ab eis conducta precario & concessa, & quorum ecclesiasticæ personæ vel clerici habent possessionem, aut detentionem qualemcumque; necnon si personarum ecclesiasticarum occasione, in ipsorum præjudicium vel
B contemptum, eorum homines, familiares, vel consanguinei, vel ipsorum bona, vel qui sub temporali sua jurisdictione consisterent, indebite caperentur, vel invaderentur, hac appellatione volumus comprehendi. Et quia facientes & consentientes par pœna constringit: receptatores & defensores invasorum, raptorum, maleficorum hujusmodi, de quibus superius fit mentio, & qui ad præmissa dederint auxilium & favorem, publice vel occulte, eisdem pœnis, quibus & ipsos maleficos, eo ipso quo ip-
C sos, vel res de quibus superius fit mentio, scienter receptaverint vel defenderint, eadem excommunicationis sententia volumus innodari; & ubicumque fuerint raptores, occupatores, invasores, defensores, & receptatores præmissi, cessetur penitus a Divinis, donec absolutionis beneficium meruerint obtinere. Et postquam publice excommunicati nunciati fuerint, nullatenus absolvantur, nisi de præmissis satisfecerint, & ecclesiæ emendam fecerint competentem: nec tradantur post mortem
D ecclesiasticæ sepulturæ, nisi ipsi, vel ipsorum heredes, satisfecerint de præmissis, ut superius est expressum. Prædictum autem concilium dicti domini Petri, de quo superius fit mentio, innovamus, & volumus in suo robore permanere: & quod omnia hic comprehensa fidem faciant, ac si totum originale & tenor ipsius esset hic omnino de verbo ad verbum comprehensum.

XXV. *De injustis exactionibus.*

Verum nonnulli principes, & alii domini temporales a viris ecclesiasticis, prælatis, tam sæcularibus quam regularibus, & aliis, qui nec feuda tenent ab eis, neque ut superiores recognoscunt, nova & insolita nituntur exigere & exigunt juramenta, dictosque prælatos & alias personas ecclesiasticas, per minas & terrores, personarum captionem, bonorum & rerum spoliationem,

ANNO CHRISTI 1365.

compellunt ad præstanda juramenta. Ideoque sacro approbante concilio prohibemus, ne quis princeps, dux, baro, senescallus, baillivus, aut alius dominus temporalis, per se vel per alium, a prædictis personis ecclesiasticis nova exigat juramenta, nec ad ea præstanda compellat per minas, terrores, captionem corporum, occupationem rerum & jurisdictionis, spoliationem parentum & bonorum, injurias hominum ecclesiæ vel bonorum ipsorum, mortem vel incarcerationem familiarium vel consanguineorum suorum: contrarium vero facientes, auctoritate præsentis concilii excommunicationis sententia innodamus, & terram eorum supponimus ecclesiastico interdicto, a qua nullatenus absolvantur, nec interdictum relaxetur, nisi primo de injuriis, damnis & offensis, tam personis quam ecclesiis satisfecerint competenter.

XXVI. *De injuriis quæ fiunt ecclesiasticis.*

Dolentes referimus quod nonnulli nobiles, & domini temporales, quandoque personæ ecclesiasticæ, & etiam sæculares, per se vel alios, & etiam per viles & abjectas personas, in nostra provincia diffidant, & diffidari faciunt, publice vel occulte, prælatos, vel alias personas ecclesiasticas, & ob hoc quandoque prælatos & alias personas ecclesiasticas crudeliter insequuntur, terram ecclesiasticam currunt, bona rapiunt, loca, maneria, castella occupant, & detinent occupata, homines ecclesiæ capiunt, trucidant, occidunt & spoliant bonis suis: ita quod oportet quandoque prælatos & viros ecclesiasticos se redimere, & etiam bona sua. Ideoque sacro approbante concilio, edicto perpetuo prohibemus, ne aliqua persona ecclesiastica, vel sæcularis, etiamsi dux, princeps, comes, baro, capitaneus, senescallus, baillivus, vel alia persona sæcularis, nomine suo vel alieno, archiepiscopum, episcopum, abbatem, abbatissam, officialem archiepiscopi, episcopi, canonicum metropolitanæ cathedralisve ecclesiæ, per se, vel per alium diffidat, diffidarive faciat. Qui vero archiepiscopum, episcopum, abbatem, vel abbatissam, officiales archiepiscopi, episcopi, canonicum metropolitanæ vel cathedralis ecclesiæ, per se vel per alium diffidaverit seu diffidari mandaverit, publice, vel occulte, vel factum ab aliis nomine suo, ratum habuerit, auctoritate præsentis concilii excommunicationis sententiam incurrant ipso facto. Quod si post diffidium factum per præmissas personas, vel alias, processum fuerit, vel ipsorum nomine, vel ratum habentibus, vel hac occasione per consanguineos, amicos, familiares ipsorum, contra personam archiepiscopi, episcoporum, vel per alias personas quas in castris vel locis suis scienter receptaverint, aliqualem injuriam fecerint, seu bona ipsorum capiendo, castra, villas, domos, & loca occupando, terram ipsorum, vel ecclesiæ, domos & loca incendendo, homines ecclesiæ damnificando, mutilando, interficiendo, capiendo, vel ipsos bonis spoliando, familiares, consanguineos prædictarum personarum ecclesiasticarum in injuriam ipsarum capiendo, incarcerando, injuriando, bonis suis spoliando in casibus præmissis, & quolibet præmissorum: præter sententiam excommunicationis, quam auctoritate præsentis concilii propter præmissa incurrerint, terra, quam in nostra provincia obtinent, auctoritate præsentis concilii sit supposita ecclesiastico interdicto: statuentes eadem approbatione, quod si terra diffidantium, quæ propter præmissa fuerit interdicta, ultra unam diœcesim protendatur, quilibet suffraganeus nostræ provinciæ ad mandatum nostrum, sive diœcesani in cujus diœcesi delictum fuerit perpetratum, prædictum interdictum reservare teneatur, & a suis subditis facere observari: & qui propter præmissa sententiam incurrerit, vel ejus terra fuerit supposita ecclesiastico interdicto, a sententia nullatenus absolvatur, nec interdictum relaxetur, nisi prius de damnis, injuriis & offensis, personis & ecclesiæ satisfecerint competenter. Quod si persona ecclesiastica fuerit, quæ archiepiscopum, episcopum diffidaverit per modum superius expressum, & post diffidium processerit in casibus præmissis, vel aliquo præmissorum: si prælatus sit regularis, vel sæcularis, seu alia persona ecclesiastica, quæ dignitatem, personatum, officium, beneficium, canonicatum, præbendam, administrationem, in nostra provincia obtineat; prælatura, dignitate, prioratu, beneficio, officio, canonicatu, præbenda, prioratu, administratione, præsentis auctoritate concilii, sit privatus, & inhabilis perpetuo ad alia beneficia obtinenda. Quod si beneficium non habuerit, sit etiam inhabilis perpetuo in nostra provin-

ANNO CHRISTI 1365.

vincia ad beneficium ecclesiasticum obtinendum: itaque * qui tali inhabili propter præmissa contulerit scienter beneficium, sit excommunicatus ipso facto. Si vero regularis fuerit, qui abbatem, vel abbatissam propriam diffidaverit per modum superius expressum: beneficio, officio, prioratu, administratione, si quam habuerit, sit privatus: quod si beneficium non habuerit, sit inhabilis ad beneficium ecclesiasticum obtinendum. Si vero aliam personam diffidaverit ecclesiasticam, per se vel alium, ut superius est expressum, & si post diffidium processerit in aliquibus præmissis, vel aliquo præmissorum, sententiam excommunicationis incurrat ipso facto. Et ulterius procedatur contra eum secundum tenorem statutorum, & secundum quantitatem & qualitatem delicti, prout superiori videbitur faciendum.

* f. ita quod

XXVII. *De iisdem.*

Verum quia nonnulli domini temporales, baillivi, præpositi, senescalli, capitanei, servientes & allocati, & alii, ad illicita manus laxant, personas ecclesiasticas, tam sæculares quam regulares capiendo quamplurimum sine causa, incarceratas seu imprisionatas detinent, & quandoque ipsas restituere contradicunt. Ideoque sacro approbante concilio prohibemus, ne quis dominus temporalis, baillivus, præpositus, senescallus, capitaneus, serviens & allocatus, vel quicumque alius, clericum, vel aliam personam ecclesiasticam, regularem vel sæcularem, capiat sine causa, nec tunc retineat, sed restituat suo judici cum informationibus & bonis, quæ cum ipso reperta fuerint, ad quem spectat cognitio puniendi. Si quis vero clericum vel personas ecclesiasticas incarceratas, vel imprisionatas detinuerit, & requisitus non restituerit una cum bonis & informationibus legitimis; sive sit dux, princeps, comes, baro, nobilis, sive dominus temporalis, baillivus, senescallus, præpositus, serviens & allocatus, capitaneus, vel quæcumque alia persona ecclesiastica, regularis vel sæcularis, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto: & extunc in parochia in qua detinebitur dictus clericus, vel persona ecclesiastica, vel etiam transferetur, quamdiu ibi detinebitur, cesset penitus a Divinis absque ulla monitione vel præcepto, postquam curato constiterit, vel illi qui habet gubernare parochiam, quod clericus incarceratus, fuerit requisitus, & post requisitionem legitimam infra unam diem naturalem non fuerit restitutus. Quod si ille qui clericum vel personam ecclesiasticam detinebit, sive ejus baillivus, senescallus, præpositus, non possit tute adiri, vel alias nequeat inveniri: moneatur in ecclesia cathedrali publice, quod clericum vel personam ecclesiasticam restituat cum bonis suis & informationibus, ut superius est expressum, infra certum tempus superioris arbitrio, in cujus civitate vel diœcesi clericus detentus, fuerit incarceratus, moderandum: quæ monitio arctet monitum, ac si alias esset legitime monitus, & personaliter apprehensus. Quod si infra prædictum tempus, persona ecclesiastica, vel clericus captus vel incarceratus, restitutus non fuerit lapso termino: auctoritate præsentis concilii, pœnis subjaceat supradictis, & cessetur in locis quibus detinebitur vel transferetur, a Divinis, ut superius est expressum. * Contra præsentem constitutionem nostram cessatione durante immiscuerit se Divinis, in casibus a jure non permissis, si collegium fuerit sæcularium vel regularium personarum, singulares personæ ipsius, vel aliæ personæ singulares, rectores ecclesiarum, & quæcumque aliæ, etiamsi fuerint regulares excommunicationis sententiam incurrant ipso facto. Aliis statutis prædecessorum nostrorum contra tales promulgatis, in suo robore duraturis.

* Desß hic. Quod si

XXVIII. *De exactionibus.*

Auctoritate præsentis concilii prohibemus, ne aliqua persona ecclesiastica vel sæcularis, impositionis, seu exactionis tributa, subsidia, vel aliquas novas impositiones, a personis ecclesiasticis, terris, vel hominibus ecclesiæ, de novo exigat. Qui vero contrarium fecerit, etiamsi dux, princeps, baro, vel alia quæcumque persona, quacumque præfulgeat dignitate, qui præmissa de novo imposuerit personis ecclesiasticis, vel hominibus ecclesiæ, sine consensu illorum ad quos spectat, vel præmissa exegerit, per se vel alium, etiamsi naulum sit de novo impositum nomine suo, vel alieno, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto. Et locus illius domini vel principis in quo impositum fuerit, auctoritate præsentis concilii eo ipso sit suppositus ecclesiastico interdicto: & postquam notorium sue-

ANNO CHRISTI 1365.

fuerit, quod impositiones de novo fuerint impositæ, exactiones, tributa, subsidia, vel aliæ servitutes in terris, vel hominibus ecclesiæ, extunc omnino in loco illius qui imposuerit, vel levaverit; servetur interdictum, nullo alio mandato expectato. Novas exactiones, servitutes, naulum intelligimus in hoc casu, quorum impositio sive exactio memoriam hominum non excedit.

XXIX. *De immunitatibus ecclesiæ.*

Cum jure canonico caveatur, quod qui de cætero servare fecerint statuta, edicta, & consuetudines introductas contra ecclesiæ libertatem, statutarii, & scriptores statutorum ipsorum, nec non potestates, consules, rectores & consiliarii locorum, ut hujusmodi statuta, & consuetudines, de cætero edita fuerint, vel servata; necnon illi qui secundum illa judicare præsumpserint, vel in formam publicam scribere judicata, excommunicationis sententiæ debeant subjacere: nonnulli propriæ salutis obliti, & suæ verecundiæ non parcentes, juris sententiam verborum amplexu non sine fraude circumvenire nituntur, non statuta ut asserunt, banna tamen faciunt proclamari, præcepta & prohibitiones inducunt, quod non est dubium in libertatis ecclesiæ præjudicium redundare. Nos itaque fraudibus malignorum, quas circa hoc adhibitas fuisse cognovimus, obviare volentes, statuimus, ut quicumque suo nomine vel etiam alieno, cujuscumque gradus vel conditionis existant, contra ipsius ecclesiæ libertatem, banna, prohibitiones, sive præcepta fecerint, aut fieri procuraverint, sive facientibus consilium dederint, vel favorem excommunicationis sententia sint ligati. Qui vero contra ecclesiasticas antiquas consuetudines, rationabiles, approbatas, & hactenus pacifice observatas, statuta, banna, prohibitiones aut præcepta scienter fecerint, aut procuraverint, sive jam facta servaverint, aut servari fecerint, seu facientibus in hoc consilium vel opem præstiterint: excommunicationis sententia, quam extunc in ipsos proferimus, sint ligati.

XXX. *De adulteriis.*

Perpetuo statuto prohibemus, ne aliquis, cujuscumque status vel conditionis existat, sive persona ecclesiastica, sæcularisve fuerit, in nostra provincia de cætero notorie teneat concubinam. Contrarium vero facientes necnon adulteros notorios, excommunicationis sententia innodamus.

XXXI. *De sententia excommunicationis.*

Prohibemus, ne quis in nostra provincia sententiam excommunicationis latam per quemcumque judicem ordinarium sive delegatum, ad ejus instantiam occultam teneat, sed ipsam infra mensem a tempore quo lata fuerit, faciat publicari. Quod si infra prædictum tempus non fecerit publicari, pœnam viginti solidorum incurrat, in piis operibus convertendorum.

XXXII. *De publicatione præsentis concilii.*

Præterea ne quis super pœnis in præsenti concilio statutis, prætextu ignorantiæ se valeat excusare: statuimus, & etiam ordinamus, quod rectores ecclesiarum quarumlibet provinciæ Turonensis, statuta in præsenti concilio ordinata, perpetuo, anno quolibet, prima die Dominica in Adventu Domini, die Dominica in Quadragesima, die Dominica in passione, die Dominica post Pentecostem Domini, die Dominica post festum Assumptionis beatæ Mariæ Virginis per se vel per alios, in suis ecclesiis publicent populo congregato, & lingua materna sufficienter exponant, dum ibidem Divina contigerit officia celebrari, pœna unius marchæ argenti a quolibet qui defecerit in præmissis per ordinarium exigenda, & in pios usus convertenda.

XXXIII. *Quando liceat in domibus seu cappellis celebrare.*

Item auctoritate præsentis concilii statuimus & etiam ordinamus, quod quotiescumque per aliquem episcopum alicui nobili, vel aliæ personæ sæculari, celebrandi Divina officia in domibus suis vel cappellis licentiam contigerit impartiri, quod illæ sex dies, scilicet prima dies Dominica in Adventu Domini, Dominica post Epiphaniam, prima Dominica in Quadragesima, Dominica in Passione Domini, Dominica post Pentecostem Domini, Dominica post festum Assumptionis B. Mariæ virginis, ab concessione generali sint exceptæ, in quibus sex diebus, per nullum poterit in dictis domibus, seu cappellis celebrari, nisi per rectorem parochialis ecclesiæ, vel ejus cappellanum, vel alium de

ANNO CHRISTI 1365.

de mandato ejusdem rectoris, qui in A ipsorum nobilium, & aliorum prædictorum præsentia, præmissa capitula tenebuntur publicare, dum Divina dictis diebus inibi celebrabunt, ne velamento alicujus ignorantiæ super hoc se valeant excusare. Et concessa ad præsens indulgentia quantum ad hos sex dies restringatur.

XXXIV. *De potestate absolvendi.*

ANNO CHRISTI 1365.

In omnibus autem casibus in quibus excommunicationum, suspensionum, vel interdictorum sententias duximus in præsenti concilio promulgandas, cuilibet episcopo in suis civitate & diœcesi absolvendi hujusmodi excommunicationem & suspensionem & interdictum hujusmodi relaxandi in formam ecclesiæ, auctoritate concilii concedimus potestatem. B

Ex Marteno Thes. Anecd. tom. 4. p. 111.

CONCILIUM APTENSE.

Anno M. CCC. LXV. celebratum.

Ex schedis Cl. V. domini de S. Quentin.

IN Christi nomine, amen. Quoniam ecclesiarum prælati, quibus est commissa cura regiminis & gubernationis, & provinciarum distincto ordine imperium est concessum, sunt primo pontificalibus insulis insigniti, ut ceteri recognoscant in eis jura Domini privilegiaque. Qui sunt præ ceteris præcipui in honore, sic esse debent in sollicitudinibus ac laboribus principales, & taliter possidere habenas gubernaculi quod possint fieri subjecti pacifici, & sub tranquillo vivere successibusque felicibus abundare.

Ideo nos G. Arelatensis archiepiscopus cum reverendis in Christo patribus dominis Philippo ejusdem miseratione patriarcha Jerosolymitano, Cavallicensi ecclesiæ administratore perpetuo, Joanne Aransicensi, Joanne Carpentoractensi, G. Massiliensi, Joanne Vasionensi, Jacobo Tricastinensi, G. Tholonensi episcopis, ac venerabilibus viris dominis Hodo Notarii præposito Avenionis, & Stephano Salayronis decano ecclesiæ Villæ-novæ prope Avenionem procuratoribus R. in Christo patris domini Anglici episcopi Avenionensis absentis, Cavellicensis, Auraycensis, Carpentoratensis, Massiliensis, Vasionensis, Tricastinensis, Tholonensis ac Villænovæ prope Avenionem capitulorum procuratoribus sufficienter comparentibus.

Et nos B. Ebredunensis archiepiscopus cum RR. in Christo patribus B. Dignensi, P. Senecensi, Stephano Vencensi, & Laurentio Niciensi episcopis præsentibus ac etiam dominis Boscaudonensi & S. Pontii de Nicia monasteriorum abbatibus ibidem personaliter assistentibus, nec non venerabilibus viris Jacobo de Sala Grassensi canonico procuratore domini Amedei Grassensis episcopi, & Ponforaudo canonico & generali vicario domini Glandatensis episcopi absentis ac cum Ebredunensis, Dignensis, Senecensis, Niciensis, Vencensis, Glandatensis, Grassensis capitulorum procuratoribus sufficienter comparentibus.

Et nos Joannes Aquensis archiepiscopus cum RR. in Christo patribus dominis P. Regiensi, Gerardo Sistaricensi, & Raymundo Aptensi episcopis, & venerabilibus dominis Raymundo de Castellana præposito Forojuliensi procuratore domini Raymundi Forojuliensis episcopi, & domino Joanni priori de Volona Vapincensis C diœcesis domini G. Vapincensis episcopi vicario & procuratore, ac cum Aquensis, Aptensis, Sistaricensis, Forojuliensis, Regiensis, Vapincensis & Forcalquerii capitulorum procuratoribus sufficienter comparentibus in civitate Aptensi provinciæ Aquiensis supradictæ provinciale concilium celebrantibus per nos Arelatensem, Ebredunensem & Aquensem archiepiscopos nostrosque suffraganeos, ut reverendorum patrum dominorum prædecessorum nostrorum statuta in S. Ruso Avenionensis diœcesis dudum edita per eosdem, tanta maturitate verborum & sensuum gravitate repleta, paucis additis, vel detractis temporum mutationem & qualitatem pensantibus, unanimiter approbantes, ipsa servari volumus nobis & a ceteris quos illorum & nostrorum auctoritate apprehendit . . . . . D . . . . . cupientes juxta doctrinam apostoli nos irreprehensibiles exhibere, nobis ipsis formam imponimus, ne ipsi efficiamur reprobi dum aliis prædicamus, & quod absit, fabris arcæ Noe similes, qui ut salvarentur alii fecerunt, ipsi vero diluvio perierunt & ut ipsorum antecessorum nostrorum exemplo pestus nostros luculentis actibus decoremus, ad honorem omnipotentis Dei ac Virginis Mariæ totiusque celestis curiæ, pro salutari regimine cleri & populi ac animarum salute & sacro approbante concilio, subscripta statuta edenda vidimus & concessimus ut ipsa particulariter continentur.

I.

Preces pro papa statuunt.

E In primis auctoritate præsentis concilii duximus statuendum, ut Deus & Dominus noster ecclesiam suam dirigat & conservet, quod in qualibet parochiali ecclesia nostrarum provinciarum, civitatum ac diœcesum, qualibet septimana die non festivo, una missa de S. Spiritu, vel de B. Virgine gloriosa ad voluntatem curati pro domino nostro papa, & tota universali ecclesia celebretur: in qua dicantur orationes col-

lectæ

ANNO CHRISTI 1365.

lectæ de officio & *Deus omnium*, &c. A & *Ecclesiæ tuæ*, &c. Nostrum quilibet omnibus dictam missam celebrantibus, ibidemque assistentibus, verumtamen vere pœnitentibus & confessis in qualibet missa xl. dies de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus.

II.

Indulgentia concessa genua flectentibus ad certa missæ verba.

Item, qui ob reverentiam Dei in qualibet missa quando *Credo in unum Deum* cantabitur seu dicetur, ab illo verbo *Qui propter nos homines*, &c. genibus flexis steterit, xx. dies nostrum quilibet de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus vero pœnitentibus & confessis. Et pari modo xx. alios dies illis qui genua devote flexerint cum in missa dicetur *Gratias agamus Domino Deo nostro*, nec non dicentibus & audientibus missæ officium beatæ Mariæ Virginis, quod dicitur regulariter post missam aliam quamcumque cum S. Joannis evangelio videlicet, *In principio erat Verbum*, alios dies xx. C vere pœnitentibus & confessis.

III.

Missæ pro defunctis.

Exhortamur auctoritate præsentis decreti, quod qualibet die lunæ, in qualibet parochiali ecclesia nostrarum provinciarum, civitatum & diœcesum prædictarum, una missa pro defunctis fidelibus celebretur. Si vero illo die festum interveniat, post missam de festo, missæ officium pro defunctis dicentibus & D audientibus devota mente pœnitentibus & confessis xx. alios dies indulgentiarum nostrum quilibet &c. ut supra.

IV.

Indulgentia in quæ-dam festis concessa.

Item, concedimus auctoritate præsentis concilii omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui in diebus festivis, videlicet Nativitatis Domini, Resurrectionis, Ascensionis Domini, & Pentecostes, patroni seu titularis earumlibet ecclesiarum cathedralium, provinciarum nostrarum, & in quatuor festis principalibus B. Mariæ Virginis, videlicet Nativitatis, Purificationis, Annunciationis & Assumptionis, nativitatis sancti Joannis-Baptistæ, Dedicationis sancti Michaelis, & omnium sanctorum ad dictas cathedrales ecclesias causa devotionis confluxerint pro die festo quolibet videlicet nostrum quilibet xl. dies de injunctis sibi pœnitentiis pariter indulgemus.

ANNO CHRISTI 1365.

V.

Et ab episcopis pontificaliter celebrantibus.

Auctoritate præsentis concilii etiam ordinamus, quod quilibet diœcesanus dictarum ecclesiarum, quando celebrabit pontificaliter in sua diœcesi, vel etiam ubicumque, aut prædicabit populo infra dictas provincias de diœcesani licentia, possit concedere auctoritate præsentis concilii, pro quolibet nostrum xl. dies de injunctis pœnitentiis vere pœnitentibus & confessis qui in missa vel prædicatione intererunt.

VI.

De residentia.

Et cum a capite ratio sit edenda, & nos prælati qui caput ecclesiarum esse censemus, modicum ut plurimum resideamus in nostris ecclesiis ac civitatibus: ob quod greges nobis commissi, quos divino debemus nutrire eloquio, ac exemplo salutifero erudire, a via veritatis aberrant multoties in eorum C perniciem animarum. Nobis in hoc per præmissa causam præbentibus quantum est possibile providere communi nostrum concordia ordinavimus, ut ex nobis quilibet in civitate quam possidet, quanto commodius fieri poterit, saltem in festis præcipuis Quadragesima & Adventu Domini, residentiam faciat personalem, ibique celebret, prædicet, confessiones audiat, & alia faciat quæ incumbunt nostro pastorali officio, sicut jura volunt.

VII.

Mimi & canes venatici prohibiti.

Item etiam ordinavimus auctoritate hujusmodi concilii, ne nostrum aliquis histriones seu mimos habeat, nec canes, seu aves venarias habeat ullo modo. Nam si hoc per aliquem nostrum fieret, tempus quod deberet in commisso grege dominico erudiendo expendi, usibus consumeretur talibus: quod esset summum detestabile, nostrum auctoritate attenta: & panis, E qui deberet erogari pauperibus, canes hujusmodi ederent, & pecuniam ecclesiarum pauperibus convertendam quodammodo exhaurirent.

VIII.

Domicellorum & scutiferorum habitus modestus.

Item, cum nostri domicelli seu scutiferi, qui ex nobis aliquid tenent in numero excessivo ultra quam eis esset expediens, calamistrati incedant ut femi-

ANNO CHRISTI 1365.

minæ, & cum vestibus seu diploidibus, hoc est gipponis, tam brevibus, ut femoralia & signe posteriora eis appareant, sotulares rostratos, & caligas colorum disparium deferant non in signum honestatis, quæ in nobis debet vigere: præcipue dati omnibus in exemplum duximus auctoritate præsentis concilii providendum, ut nostrum quilibet vestes suis domicellis seu scutiferis, quos tenebit, fieri faciat longitudinis competentis, sic quod saltem subtus genu quatuor digitos protendantur, quarum manicæ nodum attingant brachii, & non ultra accedant capucini cum botonis vel croquetis, aut sotulares rostratos non deferant seu caligas colorum disparium, ut faciunt histriones.

IX.

Pro visitatione pecunia non recipienda.

Cum sanctorum patrum auctoritas sit, ut diœcesanus suas visitare debeat ecclesias, ut male acta quæcumque reformentur, & quæ in eis deficiunt procurentur; & sicut nonnullorum relatio seu informatio habuit, aliquorum ex nobis qui fuerunt tempore retroacto locum tenentes, seu vicarii in synodis celebrantes, quod nefandum censetur, cum prioribus, vicariis, & aliis beneficiatis convenerunt, ut pecunia data de uno vel de duobus annis non visitarentur: & sic tenentes beneficia quæstui & avaritiæ potius quam suo debito inhærent: ne ulterius serpat hoc vitium auctoritate præsentis concilii ordinamus, ne quis in posterum præsumat similia attentare: immo quod ex nunc receptum vel habitum fuerit per aliquem locum tenentem vel vicarium, restituatur integraliter in unum mensem a die publicationis hujusmodi numerandum. Quod si hoc facere non curaverint, duplum restituere compellantur.

X.

De expensis visitationum.

Præterea attendentes quod in visitationibus, quæ contingunt per metropolitanos & ordinarios fieri, beneficiati in expensis multimode onerantur: attenta temporis qualitate, statuimus auctoritate præsentis concilii, & hoc statuto quadriennio duraturo, & non ultra: verumtamen & prohibemus, ne quis metropolitanus vel ordinarius, nisi biennio in biennium incipiendum pro nunc, in illis qui de proximo visitaverint: illis vero qui non visitaverunt a magno tempore tunc temporis biennium inchoatur. Pro qua quidem visitatione metropolitanus quicumque & suffraganeus quatuor florenis tantummodo pro procuratione sit contentus, nec ad plura * visitaturus cogatur, qui visitatus possit eligere, aut, quod est dictum, solvere vel ministrare expensas, quæ summam hujusmodi non transcendant.

* Legendum videtur visitandas.

XI.

Redditus ex spiritualibus procedentes non vendendi.

Quia per venditiones redditum tam spiritualium quam temporalium, quas contigit per nostrum aliquem sæpe laicis * facere, jurisdictionem miscendo, multa committuntur indebita, ipsis laicis, spiritualia exercentibus habentibus ministrare, de quibus non possumus excusari: quod cedit in læsionem justitiæ, & detrimentum intolerabile subditorum: statuimus auctoritate præsentis concilii, ne aliquis ex nobis vel alius cujuscumque sit gradus, beneficia in diœcesibus nostris obtinens, redditus seu proventus qui ex spiritualibus venerint vendere laicis audeat: vel quod idem est beneficium arrendare, nisi essent decimæ, in quarum venditione nullum scandalum venit.

* Lege fieri.

XII.

De mandatis dominicis festisque servandis & missis audiendis.

Item, quia in provinciis & nostris diœcesibus male servantur mandata dominica, festaque coluntur pessime per ecclesiam ordinata, nomenque Dei & B. Mariæ Virginis matris Dei & aliorum sanctorum indifferenter blasphematur per multos & turpiter: nec curant ad missas parochiales venire, verbumque spernunt audire dominicum contra nostra canonica & salubria super hoc edita statuta; statuimus præsentis auctoritate concilii, ut quilibet nostrum in sua diœcesi mandata dominica observari, festa coli faciat, gregemque sibi commissum ad missas parochiales venire, & verbum audire dominicum, censura cogat ecclesiastica, & aliis juris remediis super talibus ordinatis.

XIII.

Contra nundinas diebus dominicis exercentes.

Cum in diebus dominicis & festivis mercata, mercatus & nundinas, in quibus fraudes & deceptiones ut plurimum committuntur, plebs indiscreta exerceat: non quæ decet, sed quæ mundi sunt, & pessime in periculum ani-

ANNO CHRISTI 1365.

marum intendens: cupientes tali morbo pestifero obviare, statuimus præsentis auctoritate concilii, per ordinarios juris remediis provideri, & si non obtemperaverint, temporalem curiam per quemlibet nostrum in dictis nostris diœcesibus requirendam, quæ subditos ipsos compescat talibus pœnis & remediis, aliis quibus videbitur expedire.

XIV.

De observatione statutorum.

Cum in ecclesiis plurimis nostrarum provinciarum ac diœcesum multa statuta male serventur, in detrimentum ecclesiæ, & in non servantium periculum animarum: duximus auctoritate præsentis concilii providendum, quod ordinarius quilibet in sua diœcesi auctoritate prædicta, rejecto contradicente, quæcumque statuta ipse faciat inevitabiliter observare: dummodo statutis provincialibus non repugnent, facientes contrarium censura ecclesiastica rigide compescendo.

XV.

Contra peccatorum confitentes.

Item, cum in multis diœcesibus multi sunt nomine christiani, non curantes confiteri peccata, nec recipere Corpus dominicum, saltem Paschali tempore ad id fidelibus ordinario: propter quod essent ut oves morbidæ a dictis fidelibus separandæ: duximus auctoritate præsentis concilii etiam providendum, quod contra præfatos eorum non curantes confiteri peccata, nec recipere Corpus dominicum, ut est dictum, indagare ordinarius ipse studeat: ne in perditionem labantur, procedat dictus ordinarius, & procedi faciat rigide juxta tradita jura forensia, prout in capitulo *Omnis utriusque sexus*, &c. de pœna remissi habetur.

XVI.

De excommunicatis.

Item, cum in dictis nostris diœcesibus infiniti excommunicati existant, redire ad gremium sanctæ matris ecclesiæ spernentes; nec cessant propterea audire divina officia in contemptum Dei ejusque sanctæ ecclesiæ & statutorum super his editorum: propter quod suspecti vehementer censentur. Ut a fæce peccati, quo jacent, hujusmodi releventur inviti, providemus statuendo præsentis auctoritase concilii, quod diœcesanus quilibet censura ecclesiastica, & aliis juris opportunis remediis, dictos tales ad gremium sanctæ matris ecclesiæ cogat redire, & compellat, & requiri faciat brachium sæculare, attenta pia ordinatione inclytæ recordationis domini regis CAROLI hoc etiam statuentis: pœnisque & remediis aliis ipsos cogat.

ANNO CHRISTI 1365.

XVII.

Contra religiosos habitum suum spernentes.

Cum sint multi, quod non grate referimus, non facto religiosi, sed nomine, exemti & non exemti, religiosum habitum spernentes deferre: præsentis auctoritate concilii statuimus, ut si quem ex prædictis incedere sine suo decenti habitu, vel relinquere aut alias inhoneste incedere, aliquis nostrum vel ex nostris officialibus repererit; capi faciat atque detineri, donec per superiorem requiratur ipsius remittendo eidem pro demerito puniendum.

XVIII.

Ratio reddenda de legatis & eleemosynis.

Item, quod multi operarii deputati in cathedralibus vel aliis piis locis nostrarum provinciarum & diœcesum ad recolligendum legata & eleemosynas fabricæ vel ecclesiæ elargitas, legata, & eleemosynas ipsas quas debent in pios usus convertere, juxta testantium & legantium voluntatem, improbe inter eos dividant, & in suos usus convertant: in magnum periculum animarum ipsorum, præjudicium hujusmodi fabricæ, & pauperum detrimentum: statuendo jubemus auctoritate præsentis concilii, quod tales operarii anno quolibet priori, curato vel vicario perpetuo ejus loci, ubi legata facta fuerint, vel eleemosynæ hujusmodi elargitæ, aut alii quem diœcesanus talium duxerit deputandum, de omnibus receptis per eos administratis & gestis teneantur reddere rationem, & restituere reliqua si quæ essent. Diœcesanus ipsorum ad faciendum prædicta censura ecclesiastica & aliis pœnis ipsos cogat.

XIX.

De quæstoribus eleemosynarum.

Demum abusiones quas nonnulli eleemosynarum quæstores in suis proponunt prædicationibus, ut simplices decipiant, & subtili ingenio ab ipsis extorqueant, restringere curantes: statuimus præsentis auctoritate concilii, ut quæstores hujusmodi apostolicis litteris, si quas habent, diligenter examinandis per loci ordinarium vel diœcesanum episcopum semel in anno recipiantur.

XX.

ANNO CHRISTI 1365

XX.

De statutis in S. Rufi concilio.

Item, cum experientia edocente reperimus, quod statuta per reverendissimos patres in concilio S. Rufi hactenus salubriter ordinata, oblivione, lapsu temporis, plurimorum ignorantia & inscitia non serventur, & sic adhibita contra inordinata provisio jam periit; & ne idem contingat tempore succedenti; statuimus auctoritate præsentis concilii, quod diœcesanus quilibet omnia statuta præfata per dictos dominos edita in una synodorum in sua diœcesi celebranda anno quolibet in sua diœcesi mandet & faciat publicari: ut ad notitiam deveniant singulorum, & ut temporibus suis & casibus eis subditi valeant se juvare.

XXI.

Statutum autem primum de concessa indulgentia & aliud quod incipit, *Item quia curati publicantes in vulgari*, nec non XI. quod incipit, *Quoniam aliqui suis finibus non contenti*, &c. XVIII. quod incipit, *Quod quidam suæ salutis immemores* & XIX. & XX. & XXI. sequentia, item XXIV. quod incipit, *Item statuimus excommunicatos judices*, etiam XXVII. & XXVIII. quod incipit, *Item, ne relicta in testamentis*: & XXX. quod incipit, *Item, cum nullo jure patiatur ratio*. Et aliud quod incipit, *Item, statuimus quod domini seculares*. Item, aliud quod incipit, *Quia nonnulli S. Matris Ecclesiæ*. Et aliud quod incipit, *Quod quæcumque personæ*. XLIII quod incipit, *Quod statuta secularium*. LVII. quod incipit, *Item cum in jure cautum existat*. Et LVIII. immediate sequens, nec non LXVIII. quod incipit, *Item, statuimus quod quicumque contra ecclesiasticas consuetudines*, &c. In ecclesiis parochialibus dicta statuta per sex dies dominicos publicentur; quod diœcesanus quilibet fieri faciat in sua diœcesi cum effectu.

XXII.

Postremo cum reverendi patres nostri prædecessores præfati in primo statutorum in sancto Rufo editorum, in quo fit mentio de missa beatæ Mariæ Virginis, in qualibet die sabbati celebranda, singulis ad dictam missam venientibus vere pœnitentibus & confessis x. dies de injunctis sibi pœnitentiis in-

A dulserint, ut libentius ad veniendum animentur fideles. Alios vero x. dies nostrum quilibet indulgemus eisdem. Statuto autem x. edicto per eosdem dominos prælatos, quod incipit, *Item statuimus quod ex quo* volumus, quod in sententia interdicti tantummodo metropolitani vel ejus officialis, ut forma ipsius statuti continet, requiratur; in aliis autem ut in sententiis excommunicationis & suspensionis ordinarius addendo quod sit in . . . . requirentes episcopi, quom populus adire maluerit, B aut metropolitanus aut ejus suffraganeus audiri vel requiri faciat officialem eorum seu convincinum episcopum, seu ejus officialem, dum tamen sit in provinciis supradictis. XVIII. statutum quod incipit, *Item, cum quidam suæ salutis immemores*, ordinamus addendo, quod nisi idoneis personis ad solvendum censum vel canonem fiat alienatio prædicti census vel canonis. In statuto autem XVII. quod incipit, *Item, sub pœna excommunicationis præcipimus ne quis a pa-* C *trono*, &c. post verba, *non petita*, quæ in fine sunt posita, volumus addi, *& obtenta*, ac præsentis auctoritate concilii ordinamus. Pari modo adjungimus statutum prædictum XXXIV. quod incipit, *cum statuta secularium ecclesiarum seu personas ecclesiasticas non attingant*, quod prælati & alia persona ecclesiastica in suis locis in quibus habitant, blada, vina, & victualia quælibet pro victu eorum & suorum dumtaxat familiarium provehere seu immittere, extrahere pro libito non vexentur: nec D non etiam statutum LIV. prædictum quod incipit; *Item, quod priores ecclesiarum*, præsentis auctoritate concilii addimus ordinando post verba, *In sex mensis*, quæ in fine posita totiens quotiens per mortem vel aliud beneficium vacare contingeret quod ad cetera tam præsens quam alia præsenti statuto contenta in præfatis aliis in sua manentibus firmitate & forma, volumus tamen quod propter dictam additionem statuto XVIII. prædicto sententia excom- E municationis aliqualiter includatur.

XXIII.

Abusio circa publicationem excommunicatorum.

Item cum quædam in præfatis abusio intervenerit; quod dum contigerit personam aliquam ad creditorum vel aliorum instantiam excommunicationis sententia innodari, & in sententia ipsa eam decedere; non propterea cessat talium publicatio, & per cappellanos cu-

ANNO CHRISTI 1365.

ratos excommunicationem continuè in ecclesiis publicari: nos talem abusum tollere cupientes, provincialis auctoritate concilii ordinamus, & statuendo precipimus, talem excommunicationem non debere de cætero publicari; sed si creditores voluerint, recurrant ad heredes talium defunctorum.

XXIV.

Item, cum in dictis statutis provincialibus in S. Rufo hactenus celebratis, quæ ut rite facta approbamus, fuit quoddam inter alia statutum de rotis Judeorum faciens mentionem, quod minime observatur: præsentis auctoritate concilii ordinamus, quod quilibet diœcesanus in duos menses ab hodie in antea computandos, statutum ipsum in sua diœcesi faciat inviolabiliter observari, censura ecclesiastica quomodolibet compescendo.

XXV.

De sepultura.

Item, cum prohibeantur a jure mortuorum corpora, irrequisitis cappellanis curatis parochialis ecclesiæ, alibi quam in cœmeterio dictæ ecclesiæ, sepeliri: ordinamus præsentis auctoritate concilii, quod corpus aliquod provinciarum & diœceseon prædictarum nullatenus ad sepeliendum portetur, nec sepeliatur in aliqua non parochiali ecclesia, vel ejus cœmeterio, nisi requisito primitus cappellano curato ecclesiæ, de cujus parochia defunctus erat, qui si crucem parochialis ecclesiæ primus associare velit, expectetur.

XXVI.

Pro dispensationibus nihil exigendum.

Item, cum in dispensationibus, quas contingebat aliquoties fieri super bannis quæ debent intervenire in contrahendis matrimoniis, pro sigillo per aliquos exactio excessiva fiebat: ordinamus statuendo auctoritate præsentis concilii, ne super bannis hujusmodi faciliter dispensetur: sed si dispensari contingat, nihil volumus recipi pro sigillo. Si vero contractum matrimonium clandestine fuerit; * obtentum recipiatur quod diœcesano videbitur: ut reprimantur a talibus alii: & quod recipietur exinde, in pios usus publice & notorie convertatur. Pro sigillo vero litterarum tonsuræ & ordinum unus grossus argenti: & pro sigillo litterarum collationum beneficiorum & permutationum sex grossi recipiantur dumtaxat, & nihil janitor & cubicularius præsumat petere vel recipere a prædictis.

* f. oblatum.

XXVII.

Pœnas exigendæ ab excommunicatis redeuntibus ad ecclesiæ gremium.

Pœnas in quodam ex provincialibus statutis per dictos nostros prædecessores in S. Rufo editis expressas contra illos qui post sententiam excommunicationis redire non curant ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ, dictum statutum sequentes, volumus exigi ab eisdem ordinariis hujus auctoritate concilii in pios usus & notorie convertendas.

XXVIII.

De absolutione prælatorum excommunicatorum.

Item, statuimus, ac etiam præsentis auctoritate concilii ordinamus, quod si forsan, quod absit, casu aliquo auctoritatis & ordinationis seu statutorum per nos seu dictos nostros prædecessores editorum, nos seu aliqui nostrum aliquam excommunicationis, interdicti, suspensionis sententiam incurrerit: dum tamen malitiose aut ex contemptu hoc fieri non contingat, nostri vicarii generales ab hujusmodi sententiis possint & valeant nos & quemlibet nostrum absolvere, quandocumque casus huiusmodi contigerit evenire, committentes eisdem nostras quilibet super hoc vices nostras.

XXIX.

Item, addimus in dictis casibus, ubi dispensatio vel absolutio non reperiretur, in ordinatione præsentis concilii aliis reservata, episcopi pro suæ dispensationis arbitrio, juxta negotii qualitatem & personæ conditionem, provideant, & dispensent, aut per reconciliationis seu dispensationis remedia remittant culpabiles ad suum vel aliquem alium de prædictis metropolitanis, ut magis videbitur expedire, & sic illius saluti de cujus ageretur excessu, pensatis tam negotii quam personæ circumstantiis, magis crediderint opportunum.

XXX.

Quæ quidem statuta & ordinationes lecta & publicata fuerunt in choro cathedralis ecclesiæ civitatis Aptensis, ubi domni metropolitani provinciale concilium celebrabant cum dominis episcopis eorum suffraganeis, præsentibus supra scriptis, ac cum aliorum suffraganeorum ab-

ANNO CHRISTI 1365.

absentium & capitulorum supra scriptorum procuratoribus, anno a Nativitate Domini M.CCC.LXV. indict. III. die XIV. mensis Maji, pontificatus sanctissimi in Christo Patris & DD. URBANI divina providentia papæ V. anno III. Dictis dominis metropolitanis, ac eorum suffraganeis & procuratoribus prædictis, in edenda dicta statuta & ordinationes ibidem unanimiter congregatis, & concorditer assistentibus, nec non venerabilibus viris dominis Petro Olivarii operario & canonico Aptensi, Remundo *Crolle* decretorum doctore, priore Tarasconensi, Avenionensis diœcesis; Remundo Gaufridi de Castellana Aquensi præposito, Artaudo de Meylano Forcalquerii præposito, & Remundo Vencientii, sacrista Tholonensi, & pluribus aliis, ac magistro Joanne Portanerii Tolonensis diœcesis, Joanne Stambrinos de Mamdris Lingonensis, & Remundo *Darios* Auxitanensis diœcesis, publicis apostolica auctoritate notariis ad præmissa etiam & singula præsentibus & specialiter vocatis. Qua quidem publicatione facta, dicti domini archiepiscopi metropolitani habentes, & repræsentantes dicta statuta & ordinationes pro publicatis, voluerunt & mandaverunt, quod per me Joannem de Stagno notarium publicum instrumentum quibuscumque petentibus & volentibus fieret in publicam formam vel alia de prædictis instrumenta tot quot habere voluerint.

Ego vero Joannes de Stagno clericus Mimatensis diœcesis, publicus apostolica auctoritate notarius, statutorum & ordinationum præmissarum ordinationi privilegiorum concessioni prohibitionum & monitionum ac mandatorum publicationi, ac omnibus & singulis supradictis cum sic per dominos memoratos, ut præmittitur, fierent & agerentur, una cum prænominatis testibus & pluribus aliis præsentibus interfui.

LITTERÆ CONCILII APTENSIS

Indulgentias visitantibus ecclesiam S. Mariæ Sanionis concedentis.

UNiversis & singulis Christi fidelibus nostrarum provinciarum & diœcesum subditis PHILIPPUS miseratione divina patriarcha Jerosolymitanus, GUILLELMUS Arelatensis, BERTRANDUS Ebredunensis, JOANNES Aquensis archiepiscopi, PETRUS Regentis, JOANNES Carpentoracensis, JOANNES Vasionensis, JOANNES Auraycensis, JACOBUS Tricastinensis, GUILLELMUS Massiliensis, RAYMUNDUS Aptensis, GIRALDUS Sistaricensis, BERTRANDUS Digoensis, GUILLELMUS Tholonensis, PETRUS Senecensis, LAURENTIUS Niciensis, STEPHANUS Venciensis, eadem gratia episcopi, Aptæ in generali concilio congregati salutem in Domino & bonis operibus abundare. Rex pacificus, splendor paternæ gloriæ, qui sua universum illuminat ineffabili claritate, de summis cælorum ad ima mundi descendens, pro nobis redimendis peccatoribus, in sacratissimo utero virginali incarnari dignatus est, humilians se, ut suos exaltaret milites Dei Filius Dominus JESUS CHRISTUS. Propter quod ad promerendam facilius desiderabilem divinæ propitiationis abundantiam, intercessionibus sanctorum gloriosius ... veneratur & honorificentius populus ad eamdem. Sane cupientes ad devotam supplicationem & humilem vicarii perpetui ecclesiæ B. Mariæ Sanionis, Aptensis diœcesis, & nonnullorum nobilium hominum de universitate dicti loci; in qua ecclesia plurimæ reliquiæ veræ crucis existunt, frequenter a fidelibus & peculiari reverentia honorentur, ut in illa Deum quærere fideles Christi eo studeant devotius, & anhelent frequentius, quo in illa fructus uberiores horreis cælestibus inferendos, se percepturos noverint ad salutem & eleemosynam facientibus animabus purgatorii, de omnipotentis Dei misericordia, & gloriosæ Virginis ejus matris, & beatorum apostolorum Petri & Pauli meritis, & intercessionibus patronorum nostrorum, omniumque cælestium civium & meritis, confidentes in sacro generali concilio provinciali supradicto, nos patriarcha, archiepiscopi, & episcopi præfati, & quilibet nostrum omnibus vere pœnitentibus confessis, quibus possumus & debemus, qui dictam ecclesiam Beatæ Mariæ Sanionis & causa visitationis visitaverint in festivitatibus singulis inventionis & exaltationis S. Crucis, & per octavas, & ipsis animabus purgatorii dictæ ecclesiæ Sanionis manus porrexerint adjutrices, pro singulis festivitatibus inventionis & exaltationis S. Crucis, & cujuslibet earum, quibus visitaverint, & cuilibet danti ... eleemosynam, quilibet nostrum XI. dies de injunctis pœnitentiis, tenore præsentium misericorditer relaxamus. In cujus rei testimonium præsentes litteras fieri fecimus & sigillorum nostrorum appensione muniri. Datum & actum Aptæ in hujusmodi sacro provinciali & generali concilio, die tertia decima Maji, anno a Nativitate Domini M.CCC.LXV. indictione III. pontificatus sanctissimi in Christo Patris Domini Domini nostri URBANI divina clementia papæ V. anno tertio.

CON-

ANNO CHRISTI 1366 1367.

AGENNENSE CONCILIUM

A Turonensi archiepiscopo

Anno 1366. habitum.

Ex Supp. Mansi t. III. pag. 608.

AGennensis concilii nihil ferme ultra nomen superest; id vero innotescit ex codice quem Montfauconius Biblioth. M. SS. tom. 2. pag. 801. inter manuscripta bibliothecæ regiæ accenset; contineri enim in eo affirmat litteras vernaculas archiepiscopi Turonensis super concilio Agennensi anni 1366. *Lettres de l'Archevesque de Tours sur le fait du concile d'Angers l'an 1366.*

EBORACENSE CONCILIUM

A Joanne archiepiscopo & suffraganeis

habitum anno 1367.

ADDITIO.

An. 1367. Affert Wilk. t. III. p. 72. Ex MS. Cott. Vitellius D. 5. fol. 142. 6. & ex. MS. penes ep. Assaven.

Joannis Eboracensis archiepiscopi constitutionibus addendum aliquid suggerit novissimus Anglicanorum conciliorum editor Wilkins, ex quo accessiones illæ hic dantur.

Casus reservati archiepiscopo Eboracensi

Et quia tam rectores, quam vicarii, quam presbyteri parochianos suos ad confitendum passim admittere perpendimus, inter crimina, & crimina, quæ sint enormia, & quæ levia, non distinguentes; cum tamen in nonnullis casibus incurratur irregularitas, in aliis vero licet irregularitas non contrahatur, absolutio tamen sedi apostolicæ specialiter reservatur, & nonnunquam nobis permittitur, seu conceditur absolutio in eisdem, majora crimina, quæ nobis & pœnitentiario nostro retinemus, faciemus in brevi, Deo dante, dilucide apparere, ut in casibus, in quibus absolutio pertinet ad nos, confitentes absolvimus; in aliis vero ad sedem apostolicam transmittimus eosdem, pro absolutione, sicut convenit obtinenda.

Primus casus est in eo, qui peccat contra fidem. Secundus est in eo, qui peccat contra naturam; & maxime cum brutis. Tertius casus in eo, qui peccat homicidium committendo. Quartus est in eo, qui peccat contra Deum, vel aliquem sanctorum, publice blasphemando. Quintus est in eo, qui peccat contra ecclesiam, violenter frangendo, aut ecclesiasticas immunitates seu libertates violando. Sextus est incestum committendo. Septimus est adulterium notorium committendo. Octavus est falsum testimonium perhibendo, & sic perjurium committendo. Nonus est in committendo simoniam. Decimus est in committendo sortilegium. Undecimus est in illis, qui faciunt conjurationes & conspirationes contra prælatos suos. Duodecimus est incendium perpetrando. Decimus tertius est contra votum licitum & honestum veniendo. Decimus quartus est in parentibus, qui liberos suos opprimunt. Decimus quintus est in iis, qui sanctimoniales corrumpunt. Decimus sextus est in eo, qui in clericum, vel personam religiosam quamcumque manus injecit violentas, vel cum potest, eos a violenta manuum injectione non defendit; vel qui clericum inimicum detinet, licet manum non injiciat, ut forte ponendo eum custodiæ, vel infra domum aliquam includens. Decimus septimus est in eo, qui per se, vel per alium litteras alicujus domini falsaverit, seu hujusmodi falsarios foverit, seu eos defenderit. Decimus octavus est in eo, qui hujusmodi litteras ab alio falsatas habuerit, & scienter talibus usus fuerit. Decimus nonus est in archidiaconis, decanis, plebanis, præpositis, cantoribus, & aliis clericis personatus habentibus, necnon presbyteris legem vel physicam audientibus, nisi infra duorum mensium spatium destiterint omnino. Vicesimus est in eo, qui participat in crimine propter crimen suum, cum excommunicato. Vicesimus primus est, qui sponte, & scienter participat cum excommunicato a domino papa in divinis officiis. Vicesimus secundus est in illis, qui ecclesiis, sacerdotibus, & eorum possessionibus exactiones, seu onera indebita imponunt, nisi moniti destiterint. Vicesimus tertius in usurariis publicis, & in his, qui ab eis oblationes recipiunt, vel eos ad ecclesiasticam sepulturam admittunt. Vicesimus quartus est in illo, qui celebrat, vel alias in ordine officiat, excommunicatus majori excommunicatione, vel suspensus, aut interdictus ab homine. Vicesimus quintus in clerico, qui accedit ad judicium principis secularis, contempto judice ecclesiastico. Vicesimus sextus in clerico, qui bigamiam contraxit. Vicesimus septimus in clerico non ordinato ministrante. Vicesimus octavus in clerico per saltum ad ordines promoto. Vicesimus nonus in eo, qui ordinem furtive suscepit. Trigesimus est, si se fecerit quis in eodem ordine iterum ordinari. Trigesimus primus est in eo qui fecerit iterum baptisari. Trigesimus secundus, si ad subversionem fidei adhæserit hæreticis, & in contemptum ecclesiæ se ab eis fecerit baptisari, vel ordinari. Trigesimus tertius est in ordinato extra quatuor tempora, vel alias illicite, & ante dispensationem obtentam ministrante. Trigesimus quartus casus est in illo, qui suspensus est

ANNO CHRISTI 1367.

est a divinis officiis a canone, & sic suspenso divina celebrante. In casu, in quo summus pontifex sibi dispensationem reservat; in casu illius canonis, qui incipit: *De sen.* & 2. videlicet libro VI. *Cum etenim*. Et in casu canonis, qui incipit sic: *Cum medicinalis*: quorum uterque est concilii Lugdunensis. Trigesimus quintus est in eo, qui in sententia excommunicationis ordines suscepit. Trigesimus sextus est in illis, qui de domibus, manseriis, seu grangiis, vel locis aliis archiepiscoporum, episcoporum, vel aliarum personarum ecclesiasticarum, contra ipsarum voluntatem, vel custodum rerum earumdem aliquid auferunt, vel consumunt, injuriose contrectant. Trigesimus septimus est, & ultimus in iis, qui publice perpetraverint delicta enormia, unde tota civitas, urbs, villa, vel patria commoveatur, pro quibus publica pœnitentia fuerit injungenda. In iis igitur excessibus, & aliis, qui majoribus annumerantur, nobis, vel nostro pœnitentiario, præterquam in mortis articulo, mitti volumus delinquentem. Litteras autem gratis concedi præcipimus pœnitenti, & ut liqueat, qualis pœnitentia fuerit, & pro quo crimine sit injuncta, pœnitens litteras a pœnitentiario referat ad mittentem, qui pœnitentiam a pœnitentiario injunctam non remittat; sed nec in pœnam pecuniariam, si forsan corporalis injuncta fuerit, sed nec alias quoquo modo commutare præsumat sub pœna suspensionis ab officio, quam ipso facto incurrat, si secus egerit, donec nostram meruerit gratiam obtinere.

ANNO CHRISTI 1367.

CONCILIUM EBORACENSE

A Joanne archiepiscopo, cum suffraganeis celebratum, anno Domini M.CCC.LXVII.

TITULI CAPITUM.

1. *De negotiationibus, placitis sæcularibus, & ludis in ecclesia non faciendis.*
2. *De vitandis in ecclesia excessibus tum in vigiliis sanctorum, tum in defunctorum exequiis.*
3. *De stipendiis presbyterorum.*
4. *De nutricibus parvulos suffocantibus.*
5. *De persolvendis decimis.*
6. *De alienationibus & donationibus non faciendis in fraudem ecclesiæ, regis, & creditorum.*
7. *De habitu ecclesiasticorum.*
8. *De causis matrimonialibus.*
9. *De matrimoniis clandestinis.*
10. *Ut præmissæ constitutiones promulgentur & observentur.*

Ex Coffartii Append. Tom. XI.

PRÆFATIO.

Joannes permissione Divina Eboracensis archiepiscopus, Angliæ primas, &c.

OFficii nostri debitum exequimur, dum ea quæ decus ecclesiæ provehunt, & salutem respiciunt animarum, necnon excessus & abusus subditorum restringunt & reprimunt, salubriter ordinamus.

CAPUT PRIMUM.

De negotiationibus, placitis sæcularibus, & ludis in ecclesia non faciendis.

VOlentes itaque quibusdam erroribus & abusibus, quos in ecclesia invalescere cernimus, pro viribus obviare; in primis exemplo Christi, qui sanctam ecclesiam, domum suam peculiarem, non negotiationis sed orationis domum voluit nominari, nolens negotiationes, in quibus quilibet nititur proximum suum decipere, ibidem exerceri, ementes & vendentes ejecit de templo, ne domum suam facerent domum fraudis & speluncam latronum; firmiter inhibemus, ne quis in ecclesiis, aut earum porticis, seu cœmeteriis, vel aliis locis sacris, diebus Dominicis & festivis, sorum rerum venalium teneat, vel mercatum, nec ullam in eis negotiationem exercere præsumat; nec etiam placita sæcularia teneantur in eisdem, nec in ipsis fiant luctationes, vel ludi, qui causam vel occasionem patrare poterunt peccati, dissensionis, odii, sive pugnæ; sed quilibet catholicus illuc reverenter accedat ad orandum, & peccatorum veniam humiliter implorandam.

II. *De vitandis in ecclesia excessibus, tum in vigiliis sanctorum, tum in defunctorum exequiis.*

Et quia sæpe contingit, quod quidam in sanctorum vigiliis conveniunt in ecclesiis, qui Divinis ibidem deberent vacare obsequiis, vel in exequiis defunctorum oraturi, conversi in sensum reprobum, ludis noxiis, & vanitatibus, & quandoque pejoribus, intendunt. Deum & sanctos, quos se venerari simulant, graviter offendentes; & in defunctorum exequiis de domo luctus & orationis, domum risus faciunt & excessus, in animarum suarum periculum perquam grave: districtius inhibemus, ne aliqui venientes ad hujusmodi vigilias, & exequias, præsertim in ecclesiis, hujusmodi ludos aut turpitudines, vel alia in er-

ANNO CHRISTI 1367.

errorem vel peccatum ducentia; faciant vel exerceant quovis modo; sed studeat quilibet sic veniens humiliter & devote facere, propter quod hujusmodi vigiliæ & exequiæ fuerunt ordinatæ. Omnibus & singulis rectoribus, vicariis, & aliis quibuscumque beneficia ecclesiastica obtinentibus, firmiter injungentes, quatenus insolentias & excessus hujusmodi, in suis ecclesiis, cœmeteriis, & locis condedicatis, per suspensionis & excommunicationis sententias, fieri & exerceri canonice inhibeant & compescant, sub pœna viginti solidorum, quos ab ipsis rectoribus, vicariis, & beneficiatis, quoties & quando circa executionem hujusmodi constitutionis, in præmissis vel aliquo præmissorum, ipsos contigerit negligentiam commisisse, fabricæ ecclesiæ nostræ cathedralis volumus applicari: ac perpetratoribus dictorum excessuum, ingressus ecclesiæ, cujus honestatem polluere nitebantur, sit eo ipso penitus interdictus; & ipsis ad audiendum Divina officia, & sacramenta ecclesiastica percipiendum, aditus non pateat in eadem, quousque satisfecerint de commissis.

III. *De stipendiis presbyterorum.*

Item quia in casibus, quibus per jura prius edita sufficienter providetur, promulgatione novarum constitutionum, seu jurium non est opus: nos statuta synodalia temporibus prædecessorum nostrorum promulgata, recensentes, invenimus in eisdem, per constitutionem quæ incipit: „ Item stipendia presbyterorum unius anni taxanda quinque „ marcarum, in ditioribus tamen ecclesiis, juxta ipsorum facultates sibi „ volumus uberius provideri; “ & per constitutiones bonæ memoriæ VVilielmi de la Zouche, immediate prædecessoris nostri, de presbyterorum stipendiorum salariis, de cappellanis ad serviendum curæ animarum, de aliis ministris assumendis, bene & rationabiliter provideri: ipsas ordinationes, seu constitutiones, ex abundanti innovamus, districte præcipientes, quod secundum vim, formam & effectum earumdem, inviolabiliter observentur; & ut constitutiones synodales veras habeant in futurum, quarum tenores tales sunt.

1. Willelmus, permissione Divina &c. Pastoralis officii tunc debitum credimus exercere, dum subditorum nostrorum utilitati, vigilanti studio prospicimus, pariter & quieti. Sane considerantes nuper, & diligentius attendentes, difficultates & excessus, quos cappellani stipendiarii, super convectione & perceptione stipendiorum suorum annualium, propter defectum & caritatem cappellanorum hujusmodi, & existentium his diebus, & impediverunt hactenus & fecerunt, ac impediunt & faciunt in præsenti; volentesque & diligentius affectantes, difficultates & excessus hujusmodi refrænare, ac etiam moderare, quantum cum Deo poterimus in hoc casu, ut sic utilitati subditorum nostrorum, cappellanos hujusmodi stipendiarios conducere volentium, valeat provideri; ac excessus & difficultates hujusmodi, quatenus nobis possibile fuerit, extirpentur: de jurisperitorum consilio nobis assistentium, ac deliberatione præhabita pleniori, ordinandum duximus, & etiam statuendum, quod omnes & singuli cappellani, tam retroactis temporibus ordinati, quam etiam in posterum ordinandi, infrascriptis stipendiis, sub pœna annotata inferius, sint contenti. Videlicet, quod quilibet cappellanus, etiamsi parochialis esse debeat, ultra summam sex marcarum, in pecunia numerata, vel valore ejusdem summæ in aliis rebus, pro stipendio suo annuali, a quoquam non percipiat quovis modo. Quæ quidem stipendia, consideratis considerandis, præsertim caritate cappellanorum sic durante, sufficientia existere dinoscuntur. Inhibentes universis & singulis cappellanis hujusmodi, ordinatis & ordinandis, ne quisquam eorum, sub pœna suspensionis a celebratione Divinorum, per unum annum, ultra summam sex marcarum prætaxatam, pro suo annuali stipendio, percipere præsumat aliqualiter in pecunia, vel valore. Si fecerit, dictam suspensionem, ipsum sic percipientem incurrere decrevimus ipso facto.

2. Universis insuper rectoribus, & singulis ecclesiarum prælatis, vicariis, & aliis quibuscumque personis ecclesiæ, cappellas, cantarias, oratoria, hospitalia, seu beneficia ecclesiastica quæcumque infra nostram diœcesim obtinentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna quadraginta solidorum, eleemosynæ nostræ applicandorum, similiter inhibemus, ne in ecclesiis, cappellis, cantariis, hospitalibus, seu aliis beneficiis suis hujusmodi quemquam cappellanum stipendiarium Divina celebrare permittant, nisi nomine stipendii sui annualis de summa VI. marcarum hujusmodi contentaret. Quibus omnibus & singulis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna consimili, inhibemus, ne quemquam cappellanum hujusmodi stipendiarium, de cætero ad celebrandum Missas, anniversarias, seu peculiares in ecclesiis, cappellis, cantariis, oratoriis, hospitalibus, aut locis ecclesiasticis quibuscumque dictæ nostræ diœcesis, aliqualiter admittant, seu celebrare permittant, priusquam ecclesiis parochialibus locorum hujusmodi, de cappellanis parochialibus, pro stipendiis prætaxatis, primitus sit provisum. Et, ne ordinationes, inhibitiones, & statuta nostra hujusmodi, per non usum, sed abusum, effectu careant & vigore: volumus & ordinamus in his scriptis, quod in singulis synodis Paschæ, & S. Michaelis, in ecclesia nostra Eboracensi celebrandis, ac aliis temporibus opportunis, annis singulis, inquisitio fiat & habeatur diligens & exacta; ad effectum, ut premissa non observantes, pœnis infrascriptis, & aliis, prout expedire videbitur, canonice puniantur. Per præsentes tamen ordinationes & statuta nostra, quæ, propter instantem caritatem cappel-

ANNO CHRISTI 1367.

pellanorum, emittimus, & facimus publicari, constitutioni synodali, super perceptione stipendiorum cappellanorum conductitiorum, pridem editæ & promulgatæ, non intendimus, nec volumus derogare.

IV. *De nutricibus parvulos suffocantibus.*

Item, cum ex eo, quod mulieres, & nutrices parvulorum, quos enutriunt, in lectis suis incaute juxta se collocant, provenit frequens & dolenda nimis oppressio, seu suffocatio hujusmodi parvulorum, & sic inde procedit mortis occasio, unde vitæ consumptio sperabatur: inhibemus, ne patres, vel matres, nutrices, aut alii quicumque custodiam parvulorum habentes, ipsos secum in lectis ponant, vel cubiculis suis, sed sorsum in cunabulis, vel aliis locis securis, ubi timor suffocationis hujusmodi non supererit, illos collocent, vel faciant collocari; seu lac ipsis parvulis ministrando, somnum super ipsorum cunabula arripiant quoquo modo.

V. *De persolvendis decimis.*

Item, licet Deus & Dominus, cujus est terra & plenitudo ejus, gratiosa dispensatione universa disponens, plebi suæ terram colendam concesserit & regendam, reservando decimas frugum, & operum suorum . . . . . pro sacerdotibus & Levitis ad ministrandum in ecclesiis in sortem Domini præelectis; virtute cujus Divinæ reservationis, rectores ecclesiarum & personæ ecclesiasticæ, decimas garbarum, & rerum aliarum, infra commissas sibi parochias existentium, libere percipiunt, & eas per eadem loca, de quibus & per quæ Domini prædiales novem partes hujusmodi garbarum cariant, libere & licite cariarunt, & per alios cariari fecerunt, & in possessione, vel quasi, libertatis hujusmodi, fuerunt dicti rectores & personæ ecclesiasticæ per tempus, cujus contrarii memoria non existit, pacifice, continue & quiete. Quidam tamen sanctæ matris ecclesiæ filii degeneres, & ingrati, factam eis cælestem gratiam de novem partibus minus debite ponderantes, per exquisitas malitias & impedimenta nituntur personas ecclesiasticas, Christi ministros, in libera perceptione decimæ partis diversimode impedire. Quidam enim ipsas decimas libere percipere, & eas per vias & itinera, per quæ cariari consueverant, * abduci, & per longos circuitus & nocivos, eos malitiose cariari compellunt: quidam etiam garbas expositas, & signatas pro decima, non permittunt a suis terris cariari, quamdiu in illis quicquam de bladis remanet eorumdem, ac ipsas decimas a suis & aliorum bestiis scienter & fraudolose conteri tolerant & consumi; ac ipsos rectores ad ordinandum de hujusmodi decimis non permittunt, in Divinæ majestatis offensam, violationem notoriam ecclesiasticæ libertatis, ad dictorum rectorum & personarum ecclesiasticarum damnum non modicum & gravamen, ac aliorum perniciosum exemplum. Capientes igitur, prout ex officii nostri debito astringimur, contra malitias & injurias hujusmodi, in Dei & ecclesiæ suæ contemptum nequiter irrogatas salubriter providere: præsenti oraculo firmiter inhibemus, ne quis, cujuscumque fuerit conditionis, status, aut gradus, ecclesiarum rectores, seu alias personas ecclesiasticas, eorumve servientes & ministros, quo minus decimas garbarum, fœni, & aliarum rerum quarumcumque, sibi & ecclesiis suis pertinentes, ubicumque & quandocumque obvenientes, absque consumptione animalium, & alia quacumque diminutione earumdem voluntaria & damnosa, integraliter & libere possint percipere, apprehendere, & per omnia loca, per quæ novem partes cariantur, & consueverant cariari, & vehiculis commodius cariari, abducere, & de illis, pro suæ voluntatis arbitrio, disponere impediant vel perturbent, nec impedire vel perturbare faciant, vel procurent, sub pœna excommunicationis majori, contra omnes & singulos contravenientes, quam ipsos incurrere volumus ipso facto.

VI. *De alienationibus & donationibus non faciendis in præjudicium ecclesiæ, regis, & creditorum.*

Item, corruptela pessima, per quorumdam versutias & calliditates adinventa, in nostris diœcesibus & provincia . . . . . quod quidam viri ecclesiastici, prælati, & alii quos ordo clericalis includit, & nonnulli laici, dum mortis periculum approximare recogitant, universa bona sua, seu quotam eorum, tam immensam inter vivos donare, seu aliquo modo alienare præsumunt, quod nedum ecclesia, sed rex, & alii creditores, quibus hujusmodi alienantes, dum vixerint, fuerunt ex variis causis astricti, & efficaciter

* Deest prohibere.

ANNO CHRISTI 1367.

citer obligati, suis actionibus & persecutionibus sunt exclusi: uxores & liberi de portione bonorum, de consuetudine seu jure eis debitorum, irremediabiliter defraudantur. Nonnulli etiam talibus ægrotantibus in extremis assistentes, hujusmodi alienationes fieri malitiose suadent, & temere inducunt, eosque a libera voluntate testandi, versuta sapientia, nequiter & callide avertunt. Ex quibus solita & legitima testamenti factio transiit ut plurimum in abusum ecclesiarum, juribus & [a] persecutionibus aliorum prædictorum indebite seu malitiose derogatur. Unde provida deliberatione provincialis concilii, in domo capitulari ecclesiæ nostræ Eboracensis celebrati, prohibitum extitit sub præcepto, ne hujusmodi alienationes seu donationes, quocumque colore vel ingenio, fierent in futurum. Et quia, ut docet experientia, generalis prohibitio legis, malitiæ deditos a mali . . . . . executione non revocat, nisi specialis pœnæ formidine propentius compescantur: nos præsentis auctoritate synodi, omnes & singulos hujusmodi donationibus seu alienationibus consilium præbentes, auxilium, vel favorem, in nostra diœcesi, ingressum ecclesiæ interdicimus ipso facto. Donantes insuper, & sua bona in nostra diœcesi prædicta taliter alienantes, propter sui gravitatem excessus, ecclesiastica careant sepultura. Fraudis seu malitiæ in hoc casu eo facto probatur intervenisse conventum, quoties aliqui omnia bona sua, quocumque titulo, ut præmittitur, alienant inter vivos; vel tam immensa quantitate, quod ecclesiis, regi, creditoribus, uxori & liberis, satisfieri non poterit de residuo, sicut juris ratio exigeret, & consuetudo, si hujusmodi alienatio facta taliter non fuisset.

a) Forte, prosecutionibus. H.

VII. *De habitu ecclesiasticorum.*

Item cum omnis jactantia lasciviæ corporalis, a sacro ordine fieri debeat aliena: penitus a sacris canonibus & sanctis patribus provide prohibetur, sub pœnis gravibus & censuris, ne viri ecclesiastici, in sacris ordinibus constituti, potissime sacerdotes, quorum gestus laicis, quibus esse debent exemplum & forma vivendi, facile trahitur in exemplum, vestes deferant non nimia brevitate ridiculosas, vel notandas, nec in calceamentis quærant gloriam, vel decorem: sed in statu mentis, & habitu corporis, Deo & hominibus studeant complacere, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestas intrinseca valeat ostendi: dum tamen nihil in eis pateat, quod oculos vel aspectum intuentium offendat. Nam, secundum scripturas, incompositio corporis, qualitatem indicat mentis: & ex habitu forte indecenti, is qui gestat, vilis apparet, ac corda videntium pro facilitate judicii scandalizat. Nonnulli tamen, ut famæ & facti evidentia manifestat, & clerici in sacris ordinibus & sacerdotio constituti, propriæ dignitatis immemores, & officii, ac ordinis clericalis honorem temere prosequentes, contra sacras constitutiones & pœnas in eisdem ordinatas; vestes publice deferre præsumpserunt deformiter decurtatas, medium tibiarum suarum, seu genua nullatenus attingentes, ac contra decentiam, & clericalis seu sacerdotalis ordinis honestatem, ad jactantiam, & suorum corporum ostentationem, & morum dissolutionem, absque rationabili causa & honesta, sic deferre, et eis uti publice et communiter in dies non desistunt, in animarum suarum periculum, ordinis clericalis et ecclesiæ Dei grave scandalum, aliorumque Christi fidelium exemplum perniciosum. Volens igitur hoc sacrum provinciale concilium, insolentiis hujusmodi, et animarum periculis obviare: pœnas quascumque sive censuras in hujusmodi constitutionibus, canonibus, et statutis, quomodolibet ordinatas, contra hujusmodi delinquentes decrevit et statuit quomodolibet exequendas.

VIII. *De causis matrimonialibus.*

Item, quia nonnulli archidiaconi, decani, abbates, et alii viri ecclesiastici, jurisdictionem ecclesiasticam et cognitionem causarum matrimonialium se habere prætendentes, causas matrimoniales, quæ inter cæteras causas per discretos judices diligentius tractari deberent, et maturius terminari, personis simplicibus et imperitis examinandas et definiendas, modernis temporibus indistincte, contra canonicas sanctiones, et sanctorum patrum instituta, committere non verentur; hujusmodique personas insufficientes et quandocumque laicos, in officiales, commissarios, seu custodes, cum potestate de hujusmodi causis matrimonialibus cognoscendi, præficere præsumunt, in animarum suarum grave periculum, et reipublicæ præjudicium, perniciosius deputare;

ANNO CHRISTI 1367.

tare; ipsique officiales seu custodes, ut præmittitur, deputati, personis aliis insufficientibus & imperitis, interveniente nonnumquam notabili pecuniæ quantitate, ad cognoscendum inter certas personas de causis matrimonialibus hujusmodi, & easdem terminandum, committunt indebite vices suas, ut sic, tam officiales, quam custodes prædictos, per se & suos insufficientes commissarios, ut præfertur, in & de causis matrimonialibus, & divortii, nedum cognoscere, sed etiam sententias injustas, & multipliciter indiscretas, quas definitivas sententias asserunt . . . . præsumunt & periculosius promulgare, ex quibus nedum gravia scandala, sed etiam plurima in dies provenire pericula animarum comperimus. Nos Joannes archiepiscopus, de consilio suffraganeorum nostrorum, & cleri nostri, in concilio nostro provinciali congregatorum, volentes hujusmodi scandalis viam præcludere & in quantum cum Deo possumus, periculis obviare, sanctorum patrum vestigiis, & sacris canonibus inhærentes, universis & singulis archidiaconis, decanis, abbatibus, præpositis, & aliis viris ecclesiasticis quibuscumque, nostrarum civitatis, diœcesis, & provinciæ Eboracensis, jurisdictionem ecclesiasticam obtinentibus, & eorum officialibus, spiritualitatum hujusmodi custodibus deputatis, seu deputandis, interdicimus, & firmiter inhibemus; ne videlicet, ipsi archidiaconi, decani, abbates, præpositi, seu alii supradicti, aliquos in officiales, seu custodes hujusmodi, cum potestate de causis matrimonialibus, vel divortii quoad fœdus, cognoscendi, præficere vel deputare, seu eis vices suas in hac parte committere præsumant; vel ipsi officiales, seu custodes, ad cognoscendum in vel de causis hujusmodi, aliquibus vel alicui, aliis seu alii, quam viris idoneis, providis & fide dignis, habentibus juris peritiam, vel saltem competens exercitium, de causis hujusmodi judicandis, committant, seu aliquis eorum committant quomodolibet vices suas, seu per seipsos alibi, quam in capitulis per eosdem celebrandis hujusmodi causas definitivas decidant: sed publice in eisdem capitulis pronuncient, quod duxerint statuendum, vel sub pœna, quoad ipsos archidiaconos, decanos, abbates, præpositos, & alios viros ecclesiasticos, quocumque nomine censeantur, jurisdictionem seu potestatem sibi vendicantes, hujusmodi officiales sive custodes deputandos, suspensionis ab officio; & quoad hujusmodi officiales, vices suas in præmissis aliis insufficientibus committentes, & quoad hujusmodi commissarios insufficientes, & eas scienter admittentes, & de causis hujusmodi cognoscentes, majoris excommunicationis sententiam. Quas quidem pœnas præsenti constitutione, ut præmittitur, promulgatas, omnes & singulos qui præsenti constitutioni vel statuto, scienter, ignorantia affectata & crassa seu supina, contraire præsumpserint, & eam cum effectu non observaverint, prout superius distinguitur & plenius declaratur, incurrere volumus ipso facto.

ANNO CHRISTI 1367.

IX. *De matrimoniis clandestinis.*

Item quamvis matrimonia clandestina, ex quibus animarum & corporum pericula solent sæpissime provenire, sacri canones, utpote sic contrahentibus & reipublicæ damnosa, prohibeant, & ea fieri sub pœnis gravibus interdicant: nonnulli tamen illicita pluries matrimonia occulte contrahere callide machinantes, ut non arguantur eorum opera mala, lucem fugiunt, tenebras affectantes, absque editione bannorum rite & licite præmissa, matrimonia per cappellanos Dei timorem & legum prohibitionem temere contemnentes, solemnizare facere, non absque gravi ecclesiæ scandalo & periculis animarum, procurant damnabiliter & præsumunt: pœnitentias contra hujusmodi matrimonia contrahentes, celebrantes, & interessentes, latas & promulgatas, minime formidantes. Nos igitur, archiepiscopus prælibatus, de consensu suffraganeorum nostrorum, & cleri nostri prædictorum, hujusmodi cappellanorum ac personarum sic contrahentium & aliorum solemnizationem hujusmodi indebite procurantium, temeritatem & audaciam, pœnarum aggregatione reprimere cupientes: prohibemus, sub pœna excommunicationis majoris, superius annotatis, quam omnes nostrarum civitatis, diœcesis, & provinciæ prædictarum, qui huic nostræ constitutioni contraire præsumpserint, incurrere volumus ipso facto, ne quis presbyter sæcularis vel regularis, cujuscumque conditionis extiterit, matrimonium clandestine celebrare, vel eidem interesse præsumat; sed, quotiescumque matrimonium solemnizandum fuerit inter aliquas personas, in ecclesiis, seu cappellis parochianorum ipsorum contrahentium, fiat edi-

ANNO CHRISTI 1367.

editio bannorum, & publice proponatur edictum per tres dies solemnes, competenti termino præfinito, ut infra illum terminum, qui voluerit & valuerit, impedimentum opponat, & presbyter nihilo minus investiget, utrum aliquod impedimentum obsistat, aut quisquam appareat reclamans in hac parte, seu quomodolibet contradicens. Quod si apparuerit contra copulam contrahendam contradictio, vel probabilis conjectura: contractus nullatenus celebretur, sed interdicatur expresse; donec quid fieri debeat super eo, per judicem in hac parte competentem legitime fuerit declaratum, vel alias de superiore ordinare * licentia, cum contrahere volentibus, quoad temporum interstitia & bannorum editionem fuerit dispensatum. Quorum omnium absolutionem, quos in pœnas hujusmodi, vel earum aliquam incidere contigerit, præterquam in mortis articulo, quoad impedimentum hujusmodi, nobis in nostris civitate, diœcesi, & personis earumdem, & nostris suffraganeis in suis civitatibus, & diœcesibus, vel superioribus nostris, specialiter reservamus. Sententias vero, seu pronunciationes, in causis quibuscumque matrimonialibus vel divortii, contra præsentis constitutionis tenorem quomodolibet promulgatas, decernimus irritas & inanes: easque omnino suis viribus vacuamus, ut nulla sententia, ab hujusmodi personis prolata, nomen habeat sententiæ vel effectum. Salvis semper constitutionibus bonæ memoriæ Otonis, apostolicæ sedis dudum in Anglia legati, de hujusmodi causarum cognitione provide promulgatis, & aliis quibuscumque constitutionibus, canonibus & statutis, super præmissis editis, quibus non intendimus in aliquo derogare, sed ea volumus & cupimus observare.

a) Forte superioris Ordinarii. H.

X. *Ut præmissæ constitutiones promulgentur & observentur.*

Et ne ordinationes, constitutiones, & inhibitiones nostræ super omnibus præmissis, per non usum, seu abusum, effectu, quod absit, careant: volumus, ordinamus, & omnibus subditis nostris, sub pœna prædicta mandamus in his scriptis, quod in singulis capitulis, in singulis decanatibus celebrandis, in civitatibus, & aliis locis, & temporibus opportunis, præmissa omnia et singula legantur, et solemniter publicentur per decanos; et quod annis singulis, super præmissis inquisitio fiat et habeatur diligens et exacta; ad effectum, ut præmissa non observantes, pœnis suprascriptis, et aliis, prout videbitur expedire, canonice puniantur. Et, ne rectores, vicarii, et alii subditi nostri de clero et populo, præmissorum ignorantiam prætendere valeant in futurum; injungimus omnibus et singulis rectoribus et vicariis, in virtute obedientiæ, et sub pœnis prædictis, quod ipsi, et eorum singuli, veras copias de omnibus præmissis, infra duos menses a tempore primæ publicationis earumdem eis factæ, habeant et recipiant, et ea omnia et singula in omnibus et singulis articulis observent, ac parochiis et subditis suis, singulis diebus Dominicis, publice intiment et exponant, b sicut pœnam ultionis canonicæ voluerint evitare.

b) Forte si pœnam. H.

In quorum omnium testimonium, sigillum nostrum fecimus his apponi. Datum apud Thorp juxta Eboracum, quoad consignationem, penultimo die mensis Septembris, Anno Domini M.CCC.XLVII. * & consecrationis nostræ xv.

* Cor. LXVII.

G. C. Provinciale hoc esse concilium, constat ex cap. 7.8.9. Esse autem celebratum anno Christi M.CCC.LXVII. ex eo habemus, quod adscriptus sit annus XV. consecrationis Joannis archiepiscopi, qui sedere cœpit anno M.CCC.LII. Itaque levi mutatione litterarum pro LXVII. in Anglicana editione scriptum erat XLVII.

Ad finem concilii additur modificatio capitis X. in hunc modum.

Statutum modificatum in concilio provinciali.

Sciendum est, quod istud statutum postea in uno alio concilio provinciali fuit modificatum, & restrictum, ut non incurratur excommunicatio, nisi in certis casibus: videlicet quod contrahentes, scientes legitimum impedimentum, etiamsi in bannorum editione nihil objiciatur, sunt excommunicati. Item contrahentes, absque editione bannorum, matrimonium solemnizari facientes sunt excommunicati, ac etiam presbyter solemnizans. Item ubi contrahentes faciunt solemnizari matrimonium, ubi objectum est impedimentum in editione bannorum ipso impedimento prius non discusso, sunt excommunicati. Item, compellentes cappellanum per metum solemnizare matrimonium clandestinum. Item cappellanus, non edens banna per tres dies solemnes, & matrimonium solemnizans, vel postea apparet impedimentum. Item, contrahentes contra interdictum ecclesiæ. In istis casibus sunt excommunicati ipso facto, & non in aliis.

CON-

CONCILIUM VAURENSE

A trium provinciarum episcopis celebratum, anno Domini MCCCLXVIII.

Ex MS. codice illustrissimi Franc. Bosqueti Monspeliensis episcopi, cujus copiam nobis humanissime fecit. Prævias tamen epistolas habemus ex una St. Baluzii V. Cl. editione inter concilia Galliæ Narbonensis.

Urbani PP. V. litteræ ad Petrum Narbonensem archiepiscopum, de celebrando provinciæ suæ concilio.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Narbonensi, salutem & apostolicam benedictionem.

SAcrorum canonum testatur auctoritas, quod olim sancti patres, tam Romani pontifices quam alii ecclesiarum prælati, curam solertem super gregem Dominicum exercentes, de celebrandis conciliis, in quibus de extirpandis vitiis & plantandis virtutibus tam in clero quam in populo, ac de conservanda libertate ecclesiastica, de statu quoque ecclesiarum & piorum locorum dirigendo, salubriter agebatur, fuerunt plurimum studiosi, ex iisque status ecclesiasticus in spiritualibus & temporalibus multum crevit. Sed, proh dolor! succrescente paulatim prælatorum desidia, omissaque continuatione conciliorum hujusmodi, pullulant vitia, crescit indevotio populi, præfata libertas minuitur, cultus Divinus negligitur, irrogantur a laicis clero gravamina, & in temporalibus bonis ad Divinum deputatis obsequium sentitur non modicum detrimentum. Optantes igitur quod tantis malis in tua provincia per salubrem tuam ac tuorum fratrum providentiam occurratur, fraternitatem tuam apostolicæ sollicitudinis studio excitamus, ac requirimus, & hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus concilium tuæ provinciæ, in quo de iis quæ pro laude Dei ac utilitate ecclesiarum & piorum locorum, necnon cleri & populi, fuerint utilia & opportuna, provida examinatione tractetur & provideatur, quam cito comode poteris, studeas convocare; nobis de convocatione hujusmodi, cum ea feceris, & demum de gestis in eodem concilio rescripturus, ac tu & suffraganei tui favorem apostolicum, in iis in quibus id tum reputabitis utilem, fiducialiter postuletis. Datum Avenioni VII. Kal. Decembris pontificatus nostri anno tertio.

Ejusdem epistola ad Petrum archiepiscopum Narbonensem & Gaffredum Tolosanensem, quibus eis permittit ut concilium suarum provinciarum simul celebrent.

An. Ch. 1364.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Narbonensi, & Tolosanensi archiepiscopis, salutem & apostolicam benedictionem.

EX parte vestra fuit nobis expositum, quod in convocatione concilii provincialis suffraganeorum vestrorum, super quo celebrando cuilibet vestrum nuper direximus scripta nostra, intenditis, quam cito commode poteritis, nostris jussionibus obedire: sed ex certis causis, nobis pro parte vestra expositis, cupitis cum nostro beneplacito dictum concilium invicem celebrare. Nos igitur, votis vestris hujusmodi benignum præbentes assensum, quod dictum concilium in loco de quo vestræ circumspectioni videbitur, insimul celebrare possitis, & ad ipsum locum vestros suffraganeos, non obstante quod eorum aliqui extra suam convocentur provinciam, convocare, tenore præsentium consentimus, & vobis tribuimus facultatem. Datum Avinioni V. Idus Martii, pontificatus nostri anno tertio.

An. Ch. 1365.

Petri archiepiscopi Narbonensis epistola ad Gaucelinum episcopum Magalonensem, qua eum evocat ad concilium Vaurense.

Petrus miseratione Divina sanctæ primæ sedis Narbonensis archiepiscopus & primas, venerabili fratri Gaucelino eadem gratia episcopo Magalonensi suffraganeo nostro, vel ejus vicariis generalibus in ipsius absentia, salutem & sinceram in Domino caritatem.

INter assiduas curas & sollicitudines quæ ministerio nostro incumbunt, de salubri statu ecclesiarum & monasteriorum nostrarum civitatis, diœcesis, ac provinciæ, necnon & gregis nobis commissi, sollicite cogitare nos convenit, ut in ipsis vigeat tranquillæ beatitudo quietis, pacisque, salutis, & libertatis gratia matriatur; & quæ in eisdem non absque dispendio ministrorum & cultus detrimento Divini servare novimus, per appositionem congrui moderaminis in melius reformemus: & tandem * officii nostri debitum in actibus dirigendis, veritatem imitantes, lucem amantes, libenter evitare nodosæ ambiguitatis * volucrum anhelamus, illamque semper in nostris ordinationibus servare cautelam intendimus, ut de ipsis proveniat commodum, adeo quod aliis non immineat detrimentum. Cum igitur pro quibusdam arduis negotiis civitatem, diœcesim, & provinciam nostras, necnon & libertatem ecclesiasticam tangentibus, super quibus ad debitam provisionem & reformationem una vobiscum & aliis suffraganeis nostris intendimus, concedente Altissimo, interponere sollicitudinis nostræ partes, præsertim cum tangatur communiter status ecclesiarum & monasteriorum, aliorumque piorum locorum nostrarum civitatis, diœcesis, & provinciæ prædictarum, provinciale concilium ordinavimus & determinavimus convocandum, videlicet die XXVII. mensis Maji proxime futuri, in qua erit vigilia Pentecostes, apud civitatem Vaurensem, in ecclesia cathedra-

* f. juxta off.

* f. involucrum.

ANNO CHRISTI 1368.

drali. In quo etiam intererunt, & una nobiscum provinciale concilium hujusmodi celebrabunt, reverendissimi in Christo patres domini, Arnaldus Auxitanus, & Gaffredus Tolosan. Archiepiscopi, seu eorum vicarii generales, ad hæc speciale mandatum habentes, cum omnibus ipsorum dominorum archiepiscoporum & cujuslibet ipsorum suffraganeis, eorumque capitulis, abbatibus, collegiis, prioribus, decanis, archidiaconis, atque præpositis, & clero universo suarum civitatum, diœcesum, provinciarum, etiamsi sint exempti, cum de negotiis atque dubiis fidem catholicam tangentibus habeamus pertractare. Ac etiam quia hoc provinciale concilium, nos & ipsi domini archiepiscopi, in loco & ecclesia Vaurensi prædictis celebrabimus de communi concordia & conscientia, beneplacito ac etiam expressa voluntate atque mandato sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Urbani Divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ summi pontificis hodie præsidentis, ac etiam licentia super hoc ab eo, quoad convocationem exemptorum, nostrum trium archiepiscoporum, nostrorumque suffraganeorum & cæterorum dictarum provinciarum congregationem sive unionem, & vos aliosque suffraganeos, nostrosque alios subditos dictæ provinciæ, extra eamdem convocandi, nobis aliisque dominis archiepiscopis supradictis, tam vivæ vocis oraculo, quam litteratorie cum bulla, ista vice specialiter attributa. Ea propter vos tenore præsentium monemus ac etiam exhortamur, ut una nobiscum die ac loco prædictis, in dicto provinciali concilio Deo præside celebrando, ad quod concilium præfatos diem & locum cum diebus sequentibus, quos ad hoc continuare vel prorogare contigerit; vobis & aliis præcite & peremptorie assignamus, personaliter comparere curetis, vosque ad id præsentium tenore citamus. Mandantes vobis insuper, quatenus interim citetis & peremptorie, tam auctoritate apostolica quam nostra, tempore congruo omnes & singulos abbates, priores, decanos, archidiaconos, atque præpositos ecclesiarum collegiatarum & monasteriorum regularium & etiam sæcularium, & alias personas ecclesiasticas, regulares & sæculares, exemptas & non exemptas, cujuscumque status, ordinis, & conditionis existant, etiam Cluniacensis, Cistercientis, Præmonstratensis, Carthusiensis, Grandimontensis, sanctorum Benedicti & Augustini, aliorumque ordinum hic non expressatorum, quos habere volumus pro expressis, ut personaliter; conventus vero, capitula, collegia vestrarum civitatum & diœcesum, per procuratores idoneos ad hoc legitime & specialiter constitutos, cum sufficienti & speciali mandato, in ipso provinciali concilio compareant dicta die, inibi continue moraturi, donec ea quæ in dicto concilio tractanda fuerint ad honorem Dei, provisionem ecclesiarum & monasteriorum, profectum animarum, & utilitatem subditorum provinciæ antedictæ, per dicti concilii providentiam finem debitum sortiantur. Ne vero dicti abbates, priores, decani, archidiaconi, & præpositi, etiam exempti ut supra, & alii vestri subditi, quos præsens tangit seu tangere potest negotium, qui debent & consueverunt in dictis conciliis interesse de usu, consuetudine, vel de jure, ignorantiam valeant quovis modo prætendere de præmissis: præsentes nostras litteras seu earum transumptum in forma publica conscriptum, in vestra ecclesia, & alibi ubi expediens vobis videbitur, interim sæpius & frequenter publicare & denunciare curetis. Ut autem superfluitatum & pomparum inanium jactantiam præcludamus: vobis tenore præsentium inhibemus, sub virtute sanctæ obedientiæ injungentes, ne ultra decem equiturus & duos saumerios sive gerulos pro vobis & vestra familia adducatis, cum ad dictum provinciale concilium venietis; abbatibus vestræ diœcesis, etiam exemptis, injungentes ex parte sedis apostolicæ atque nostra, quod ultra quinque equitaturas ad plus, & unum saumerium seu gerulum, secum adducere non præsumant, cæteri vero qui venire voluerint, cum paucis & moderatis expensis veniant: si vos, abbates prædicti, & etiam alii, reprehensionis nostræ aculeos de inobedientia voluerit evitare. Reddentes præsentes litteras portitori sigillo vestro impendenti sigillatas, in signum receptionis earum. De omnibus vero & singulis præsentationibus, publicationibus, atque citationibus, quas fieri facietis, volumus quod faciatis recipi, & ex causa, unum vel plura publica instrumenta. Datum in castro de Claromonte nostræ diœcesis die XXVIII. mensis Aprilis, anno Domini MCCCLXVIII. Ita facimus. P. Narbonensis.

Ejusdem epistolæ ad cæteros episcopos provinciæ Narbonensis, quibus eos evocat ad concilium Cum responsionibus quorumdam

PEtrus &c. ven. f. I. eadem gratia episcopo Carcassonensi &c. *ut in superiore*. Datum ut supra.

Reverendissimo in Christo patri & domino domino P. miseratione Divina primæ sanctæ sedis Narbonensis archiepiscopo & primati, domino suo præcarissimo.

Reverendissime pater & domine præcarissime Humili recommendatione præmissa, noverit vestra paternitas reverenda, me die datæ præsentium vestras litteras cum reverentia recepisse, promptum & paratum me offerentem facere & complere, quæ in ipsis vestris litteris continentur. Paternitatem eamdem, quæ mihi præcipiat quæ grata, conservet Altissimus in longævum. Scriptum Carcassonæ die VI. Maji. Per vestrum I. episcopum Carcassonensem.

Petrus &c. ven. f. I. Nemausensi eadem gratia episcopo &c. *ut in superioribus*. Datum ut supra.

Petrus &c. ven. f. P. eadem gratia Episcopo Elnensi &c. *ut in superioribus*. Datum ut supra.

Petrus &c. ven. f. J. eadem gratia episcopo S. Poncii Thomeriarum &c. *ut in superioribus*. Datum ut sup.

Petrus &c. ven. fr. A. eadem gratia Lodovensi episcopo &c. *ut in superioribus*. Datum ut supra.

Reverendissimo patri in Christo ac domino, domino P. Divina providentia primæ sedis Narbonensis archiepiscopo & primati.

Reverendissime pater ac domine, per latorem præsentium duas vestras, litteram unam videlicet clausam, & aliam apertam, sigillo vestro magno impendenti sigillatam, cum qua decet reverentia recepimus; quas, Deo duce executioni demandabimus, ut tenemur. Et insuper, juxta votum vestrum, idem V. lator unum flo-

re-

ANNO CHRISTI 1368.

renum habuit pro labore. Statutum vestrum in agendis Altissimus dirigat & conservet. Scriptum Lodovæ die IX. mensis Maji.

Totus vester Ay. suffraganeus episcopus Lodovensis.

Petrus &c. ven. f. B. Uticensi episcopo suffraganeo nostro &c. *ut in superioribus*. Datum ut supra.

Reverendissimo in Christo patri & domino, domino P. Dei gratia archiepiscopo & primati sanctæ & primæ sedis Narbonensis, dominoque suo præcarissimo.

Reverendissime pater, vestras litteras recepi decima die Maji, cum ea qua decuit reverentia in absentia domini mei Uticensis episcopi, qui est absens a civitate Ucetiæ; est tamen infra diœcesim, in quodam castro suo, ex causis nunc silentio commendandis, quandoque vestræ reverendissimæ paternitati explicandis. Significo autem vestræ paternitati reverendissimæ, quod vestras litteras & contenta in eis, ut diligentius potero, executioni fideliter demandabo. Præsentium etiam portitori, tradi feci unum francum & duos florenos auri, de quibus scripsistis. Reverendissimam paternitatem vestram, cui me humiliter recommendo, conservare dignetur Altissimus, cum multiplicatis progressibus in sancto regimine ac sanctæ ecclesiæ Narbonensis per tempora peroptata. Scriptum Ucetiæ die XI. Maji.

Vester humilis servitor Blancus Duriane prior S. Baudilii prope Nemausum, vicarius generalis ac officialis Uticensis.

Petrus &c. venerabilibus ac religiosis, & prudentibus viris præposito & capitulo Magalonensi &c. Datum ut supra.

In eumdem modum scriptum est capitulis Nemausensi, Helenensi, sancti Pontii Thomeriarum, Biterrensi, & archipresbyteris Narbonesii & Termenesii Narbonensis diœcesis, mutatis mutandis.

CONSTITUTIONES EDITÆ

in concilio Vaurensi.

INcipiunt novæ constitutiones editæ in concilio Vaurensi anno infrascripto, præsidentibus ibidem reverendissimis in Christo patribus & dominis, dominis, Petro Narbonensi, & Gaffredo Tolosano, Dei gratia archiepiscopis, & Philippo eadem gratia abbate Soricinii, vicario generali reverendissimi in Christo patris domini Arnaldi eadem gratia archiepiscopi Auxitani, ab eodem ad infrascripta potestatem habente.

TITULI CAPITUM.

1. *De fide catholica; & ut laici de articulis fidei & aliis ad capessendam æternam salutem necessariis cum diligentia informentur.*
2. *De pœna vocatorum ad concilium provinciale, non comparentium.*
3. *De episcopis, qualiter procuratorem mittere debeant, si juste fuerint præpediti.*
4. *De janitoribus concilii, ubi debeant permanere.*
5. *Qualiter supplicans concilio, concilium exire debeat, quousque vocetur.*
6. *De synodis, singulis annis celebrandis.*
7. *Qualiter abbates subditi, vocati ad synodum, venire debeant.*
8. *Ut rectores curam animarum habentes ad synodum venire teneantur.*
9. *De constitutionibus in concilio provinciali alias editis, in synodis recitandis.*
10. *De conservatoribus & delegatis, abutentibus litteris domini nostri papæ.*
11. *De abutentibus litteris apostolicis in diversis casibus.*
12. *De bannis exortis & præmizationibus factis contra libertates & consuetudines ecclesiæ.*
13. *Ne prælati vel aliæ personæ ecclesiasticæ bona ecclesiarum vacantium, nisi privilegio, vel consuetudine, aut de jure, præsumant occupare.*
14. *De non contrahendis colligationibus, vulgariter societates nuncupatis, & de pœnis eorumdem.*
15. *De impeditoribus electionum & postulationum, & qualiter puniantur.*
16. *Ne super pacifica possessione beneficii ecclesiastici impedimentum inferatur.*
17. *Ne quis dignitates aut alia beneficia præsumat occupare.*
18. *Ut beneficiorum incompatibilium pluralitas debeat evitari.*
19. *Quod negligentia inferioris in acquirendis & retinendis beneficiorum suorum juribus per ordinarium suppleatur.*
20. *Ne ignorans grammaticam præsentetur, aut ad ordines dignetur promoveri.*
21. *Qualiter leprosi a sanis separentur, & qualiter ex signis eorum cognoscantur.*
22. *Ne sine litteris suorum superiorum, alienigenæ presbyteri ad Divina admittantur.*
23. *De non erigendis altaribus in præjudicium diœcesanorum, & eorum pœna.*
24. *Ut falsi & ficti, qui se asserunt apostolos, evitentur.*
25. *Sine licentia ordinarii, de causis matrimonialibus archidiaconi non cognoscant.*
26. *Ut gratis causæ apud ordinarios examinentur, consuetudine tamen super hoc observata.*
27. *Ubi, & penes quos, causæ matrimoniales debeant agitari.*
28. *Ne suffraganei impediant quo minus ad metropolitanum libere appelletur.*
29. *Ut domini temporales ordinarium non impediant ut ubi voluerit cognoscat: & de pœnis eorumdem.*
30. *De impeditoribus nunciorum exequentium mandata curiæ ordinariorum, & qualiter puniantur.*
31. *Qualiter ad requisitionem ordinariorum, excommunicati debeant in aliis diœcesibus publicari.*
32. *Ut nullus in sacris, aut beneficiatus, in curia sæculari ad officia publica nec privata admittatur; & de pœnis eorumdem.*
33. *Qualiter persona ecclesiastica, dans consilium contra libertatem ecclesiasticam, puniatur.*
34. *Ne beneficiatus pro laico contra ecclesiam advocatus existat.*
35. *Quomodo qui per vim aut metum se absolvi faciunt, alia censura arceantur.*
36. *Ne judices temporales, clericos in actionibus per-*

ANNO CHRISTI 1368.

personalibus ipsis respondere compellant, nec de censura, an justa vel injusta sit lata, cognoscant: & de pœnis eorumdem.

37. *Ne ad publica officia excommunicati publice admittantur.*

38. *Qualiter capti clerici per temporales, curiæ ecclesiasticæ remitti honeste debeant, & sine ulla innovatione facta in personis captorum. Contra facientes pœna hic contenta puniantur.*

39. *Prorogatio jurisdictionis in invasores & occupatores ecclesiasticorum bonorum, & sententiam exercendo.*

40. *Super causis mere spiritualibus, aut de jure vel consuetudine ad forum ecclesiæ pertinentibus, judex ecclesiasticus cognoscat, sæcularis judex arceri possit.*

41. *Quod de omnibus contractibus, tam vassallaticis, quam emphiteotecariis, duo fiant publica instrumenta.*

42. *Ne apud creditores instrumenta emaneant, postquam eis fuerit satisfactum, pœna contra eos imminente.*

43. *Vassalli ecclesiæ, vel emphiteotæ, in alium transferendo res vassallaticas, in contractu exprimant qualiter ab ecclesia teneant. Quod si omittant dicere, pœna excommunicationis puniantur.*

44. *Super juramento præstito a laico, ut ipse & ejus hæredes coram judice ecclesiastico pro ejus observatione valeant conveniri.*

45. *Quomodo juramentum præstitum moniti servare per judicem ecclesiasticum teneantur: & qualiter contra eos processum existat.*

46. *De cappis portandis per canonicos ecclesiarum cathedralium & collegiatarum in Divinis officiis.*

47. *Quomodo se habeant in vestibus portandis in ecclesia dignitatem habentes.*

48. *De familiaribus & scutiferis episcoporum, in vestibus portandis, quales portare teneantur.*

49. *Ne personæ ecclesiasticæ temporalem jurisdictionem habentes, malefactores receptent.*

50. *Qualiter canonici in eorum ecclesiis residentes, juxta eorum gradum officiare teneantur: & si non faciant, qualiter puniantur.*

51. *Plena provisio, in quo statu debet succedens in beneficio ecclesiam retinere.*

52. *De distributionibus percipiendis quotidianis, interessentibus in Divinis.*

53. *Quomodo & per quem bona ecclesiastica vacantia custodiantur, prælato decedente.*

54. *Pœna imposita contra occupatores bonorum ecclesiæ, sede vacante.*

55. *Quomodo clerici & laici puniantur, qui sede vacante, bona ecclesiæ saisiri faciunt, aut præsumunt.*

56. *Per quos, administratores ecclesiæ vacantis eligantur, & qualiter in administratione se habeant, plene providetur.*

57. *Baiuliviæ & scribaniæ ad prælatos spectantes, ad voluntatem, non ad vitam, conferantur.*

58. *Bona ecclesiæ quæcumque ad sigillum cujuscumque domini temporalis minime obligentur.*

59. *Ne quis bona clericorum in eadem sacram deposita sub banno ponere præsumat.*

60. *Quomodo & qualiter ordinarii in exequendo ultimam voluntatem habere se debeant, & quem processum in ejusdem habeant exercere.*

61. *Prælati in vita vel in morte, ecclesiæ cui præfuerint, certam cappellam, ad summam designatam hic, relinquant.*

62. *Curati in suorum parochianorum voluntatibus ultimis, si commode vocari possint, assistant. Et qualiter notarii in manifestando dictas ultimas voluntates habere se debeant. Et per quem legata incerta & quomodo distribuenda existant.*

63. *Super sepultura inter duas ecclesias orta dissensione, qualem processum habeat exercere ordinarius.*

64. *De corporibus defunctorum eorum ecclesiis presentandis, si consuetudo habeatur.*

65. *Quam portionem curati ecclesiarum habere debeant in deposito funere, quousque alibi in electa sepultura tumuletur.*

66. *Mandatur ut decretalis* Super cathedram *penitus observetur.*

67. *Ne religiosi aut alii prædicent, quo minus a solutione decimarum aliquis retrahatur.*

68. *Cuicumque liberum existit domos aut horrea locare pro decimis recondendis, & eas arrendare libere, & pro arrendatoribus fidejubere, prohibitione dominorum temporalium non obstante: gravi pœna contra eos imminente.*

69. *De quibus rebus vera decima exsolvatur, consuetudine quavis non obstante.*

70. *Ut nullus res decimandas abinde extrahat, quousque decimantes fuerint convocati ad effectum.*

71. *Qualiter infideles ad baptismum admittantur.*

72. *Quomodo regulares apostatantes puniantur, & etiam dantes eisdem consilium aut juvamen.*

73. *Quomodo exempti, in prioratibus non exemptis delinquentes, per ordinarios puniantur.*

74. *Religiosi mendicantes ad aliam religionem non mendicantem assumpti, prohibetur prælatus pensiones eis assignare; pœna prælato eidem imminente.*

75. *Si curati ecclesiarum sustentari de redditibus suarum ecclesiarum non valent, percipientes decimas per ordinarios compellantur, ut abunde sustententur.*

76. *Laici qui jus patronatus in ecclesiis parochialibus habere se asserentes, eas tenent occupatas, dimittere easdem teneantur, & per ordinarios ad hoc compellantur.*

77. *Ut nullus per sæcularis alicujus potentiam ad beneficium ecclesiasticum admittatur.*

78. *Ad Divina celebranda præsentatus, non admittatur, nisi ordinarii licentia petita & obtenta.*

79. *De contributione expensarum inter beneficiatos fienda pro legatione ordinariorum, aut pro litigio subsecuto.*

80. *Pro juribus ecclesiarum pauperum defendendis, per clerum ejus diœcesis contributio fiat.*

81. *Licitum sit presbytero celebrare volenti, cuicumque presbytero confiteri, si proprii confessoris præsentia non assistat.*

82. *Ne sacerdos celebrare præsumat cum suo filio illegitime procreato.*

83. *Clericus, cum superpellicio indutus, sacerdoti celebranti deserviat in obsequio Divinorum.*

84. *Parochiani utriusque sexus, Dominicis diebus & festivis integras debent audire Missas.*

85. *Qualiter eucharistia & chrisma diligenter custodiantur, & qualiter renoventur; & de pœnis contra non facientes.*

86. *Quomodo fontes baptismales custodiantur, & claudantur; & ad quem clausura fienda eorumdem pertinere dinoscatur.*

87.

ANNO CHRISTI 1368.

87. *De indulgentiis concessis corpus Christi associantibus, cum infirmis asportatur.*

88. *Qualiter novæ reliquiæ venerentur: & antiquæ extra vasa minime ostendantur.*

89. *In diebus jejunii vel abstinentiæ, carnes non comedantur: pœna contra facientes imminente.*

90. *Diebus sabbatinis ab esu carnium abstineant clerici, nisi in necessitatibus, aut in die a jure excepto.*

91. *Omnes utriusque sexus parochiani ecclesiarum moneri debant ut ecclesias adificent, aut reparent; & qualiter in ecclesiis ruralibus, diebus Dominicis, ibidem celebretur; & qui eleemosynas dederint, indulgentiam consequantur.*

92. *Exempti oratoria non erigant sine licentia ordinariorum petita & obtenta.*

93. *De pœna eorum qui ab immunitate ecclesiarum vel a domibus episcoporum, ad easdem profugientes abstrahunt, mutilant, aut vulnerant, aut impediunt quo minus libere exire possint.*

94. *Qualiter clericus, clericum in judicio sæculari convocans, puniatur.*

95. *Qualiter temporales domini puniantur, qui subditos eorum prohibent ne victualia aut necessaria clericis ministrentur.*

96. *Contra libertatem ecclesiasticam quovis modo acquisitam facientes, & personis ecclesiasticis & eorum bonis onera imponantes, submissionemque facere coactæ procurantes, pœna hic statuta puniantur.*

97. *Personæ ecclesiasticæ bladia & vina sua portare ubi volunt possint, statuto laicorum non obstante; pœna statuentibus imminente.*

98. *Ne personis ecclesiasticis per temporales justitia denegetur: alias, censura ecclesiastica puniantur.*

99. *Bona personarum ecclesiasticarum, quæ ab ipsis tenentur, ad collectas per laicos imponendas per eos minime quovis modo compellantur.*

100. *Hospitalibus, pro eorum bonis pauperibus deputatis, quod aliqua indictio seu quæsta minime imponatur.*

101. *Dominis temporalibus pœna infligitur, prohibentibus ne decimæ exsolvantur.*

102. *Ut officiales dominorum episcoporum, & eorum locatenentes, ab omni injuria præserventur.*

103. *Non valet statutum laicorum ne decimæ exsolvantur, aut in ecclesia non differatur, aut in ultima voluntate aliquid relinquatur.*

104. *Qui nuncios curiarum ecclesiasticarum impediunt quo minus libere mandata curiæ exequantur, gravissime puniantur.*

105. *Bona quæcumque ad personas ecclesiasticas & ad loca pia pertinentia deprædari, occupari, invadi, rapi, impediri, detineri, pignorari, plagiari, inquietari, perturbari, per dominos temporales non debent; & facta statuta contra libertates ecclesiæ & earum aliquas observantias, nullius efficaciæ consistere debent; nec quamvis indictionem dictis bonis imponere debent. Et modus procedendi rigorosus contra tales hic expresse repetitur.*

106. *Prohibentur temporales domini manum apponere in bonis ecclesiasticis seu personarum ecclesiasticarum quibuscumque, nec ea arrestare & bannire posse; & ad jura ecclesiarum & locorum, ejusdem sit extensio. Hæc continet constitutio.*

107. *Si pro injuria illata prælatis ecclesiarum, & personis ecclesiasticis, contingat fieri collecta, indictio pro ejusdem injuriæ persecutione: modum contribuendi, & per quos fiat exactio, indicit præsens constitutio.*

108. *Contra diffidantes personas ecclesiasticas, & earum bona, & guerram hostiliter eisdem facientes: ad non faciendum hac constitutione arceantur.*

109. *Gaudere volentes constitutionibus præsentis concilii, eos ipsis subesse volumus & jubemus.*

110. *Clandestina matrimonia extra diœcesim contrahentes sine licentia rectoris, excommunicentur, & alias extraordinarie puniantur.*

111. *Personæ de ecclesiis cathedralibus vel collegiatis ad studium mitti debent theologiæ vel juris canonici: & ipsis negligentibus, ad superiores sic mittendi sit translata potestas.*

112. *Quod Judæi signa portare debent, ut a Christianis dignoscantur.*

113. *Christiani liberos Judæorum nutrire non debet, nec alias cum ipsis habitare.*

114. *Ad Judæos Christiani non recurrant pro medicina quacumque eorum capienda, nisi maxima necessitas imminneret.*

115. *Christiani prohibentur adesse in matrimoniis & sepulturis Judæorum.*

116. *Clerici & laici prohibentur herbas & alia venenosa dare in mortem alicujus, aut ut abortivus paritur.*

117. *De adulteris & concubinariis.*

118. *Incendiarii & raptores publici sint excommunicati, & careant ecclesiastica sepultura.*

119. *Non revelantes instrumenta publica vel alia documenta ad ecclesias pertinentia, tenentur pœna hic contenta.*

120. *Qui usuras solvere aut repetere prohibent, excommunicati publice nuncientur.*

121. *Qualiter contra exemptos & privilegiatos suis privilegiis abutentes procedatur.*

122. *Quomodo procedatur contra capientes episcopum aut prælatum, aut eorum occisores, & dantes in præmissis consilium vel juvamen.*

123. *Convenientibus ad Missam beatæ Mariæ in diebus sabbatinis, indulgentia est concessa.*

124. *Omnibus Christianis provinciarum antedictarum & diœcesum, orantibus pro domino nostro papa, est indulgentia concessa.*

125. *Quod quæstores quicumque sine litteris ordinariorum minime recipiantur, nec ad prædicandum admittantur.*

126. *Ut ordinarii in casibus reservatis deputent idoneos confessores.*

127. *Indulgentia conceditur dicentibus quinquies* Pater noster, *& septies* Ave Maria, *cum campana trahitur pro præmissis.*

128. *Qui contemptum ecclesiæ, excommunicationis sententias & interdicti vilipendunt, usurpando sibi sacerdotale officium, sententias fingentes per eos ferri posse in Dei vilipendium, & censuræ ecclesiasticæ opprobrium, pœna hic contenta afflingantur.*

129. *Lata sententia excommunicationis vel interdicti, requisitus ordinarius ab illo eas faciat inviolabiliter observari.*

130. *In cessatione Divinorum, capitulum* Alma mater *observetur.*

131. *A dominis temporalibus, excommunicati, ad unitatem ecclesiæ, per ordinarios requisiti, redire compellantur. Domini temporales requisiti, negligentes, vinculo excommunicatio-*

ANNO CHRISTI 1368.

nis astringantur: & excommunicati, tempore quo Divina celebrantur, ab ecclesia exire teneantur.

132. *Excommunicati ad manus osculum non admittantur, nec in potu pariter, nec in cibo.*

133. *Confirmatio constitutionum a prædecessoribus archiepiscoporum editarum.*

PRÆFATIO.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi, Amen. Ad futuram rei memoriam. In cohærentibus sibi propinquitate locali archiepiscopatibus seu provinciis, solemnium communio statutorum decenter inducitur, opportune quoque ac utiliter custoditur. Honestati namque congruum esse dinoscitur, ut sicut provinciæ ipsæ sunt eorumdem quodammodo confinium mutua confrontatione participes, sic earum incolæ in . . . . . legitimis observandis sint conformes. Insuper si effectus utilitatis inspicitur, ex ipso paris disciplinæ consortio, dum multis una regiminis proponitur forma seu ratio, quædam inter eos similiter vivendi subsequitur habitudo; hincque procedunt facilius gubernacula præsulum, & felicius profecit conditio subditorum. Ea propter nos Petrus Narbon. & Gaffredus Tolosan. permissione Divina archiepiscopi, & Philippus eadem permissione abbas Soricinii, vicarius generalis reverendissimi in Christo patris domini Arnaldi Dei gratia archiepiscopi Auxitani, ad infrascripta specialem ac plenariam habens a præfato domino archiepiscopo Auxitano potestatem, illius summi pastoris atque rectoris instructi exemplo, qui, prout ex oraculo prophetici sermonis colligitur, *habitare facit unius moris in domo*, subditorum saluti prospicere, ac extirpatis vitiis virtutes inserere, sanare languida, sana servare, quantum Divina clementia nobis præstante conceditur, juxta pastoralis commissi nobis officii debitum, cupientes: de infrascriptorum reverendorum fratrum coepiscoporum & suffraganeorum nostrorum præsentium, ac procuratorum suffraganeorum nostrarum provinciarum absentium infrascriptorum, consilio & assensu; videlicet nos P. Narbonensis archiepiscopus prædictus, una cum reverendis in Christo patribus dominis H. Biterrensi, I. Carcassonensi, A. Alectensi, & generalibus vicariis & procuratoribus dominorum, S. Agathensis, G. Magalonensis, A. Lodovensis, I. sancti Poncii Thomeriarum, I. Nemausensis, B. Uticensis, & P. Elnensis, eadem gratia episcoporum suffraganeorumque nostrorum, ad hoc idoneis & personaliter constitutis: nosque Gaffredus Tolosanus archiepiscopus prædictus, una cum reverendis in Christo patribus, dominis, R. Vaurensi, G. Appamiarum, & G. Lumbariensi, Dei gratia episcopis, & generalibus vicariis & procuratoribus Dominorum A. patriarchæ & administratoris ecclesiæ Montisalbanensis, P. Rivensis, P. sancti Papuli, & P. Mirapicensis, gratia etiam prædicta episcoporum, suffraganeorum nostrorum, ad infrascripta legitime constitutis: nosque etiam Philippus Abbas Soricinii, vicarius generalis reverendissimi in Christo patris domini Arnaldi Auxitani archiepiscopi prædicti una cum reverendis in Christo patribus, dominis, B. Convenarum, B. Tarviensi, G. Vasatensi, P. Olorensi, & Oddo Lascurrensi, Divina gratia episcopis, & generalibus vicariis & procuratoribus dominorum I. Aquensis, P. Lectorensis, P. Coseranensis, E. Baionensis, & I. Aduranensis, gratia prædicta episcoporum, suffraganeorumque ecclesiæ Auxitanæ, ad infrascripta legitime constitutis & sufficienter comparentibus: in ecclesia cathedrali Vaurensi provinciæ Tolosanæ, tam auctoritate & de mandato sanctæ sedis apostolicæ, quam nostra ordinaria, provinciale concilium celebrantes, prorogata primo jurisdictione de loco ad locum per nos P. Narbonensem & G. Tolosanum archiepiscopos ac Philippum abbatem Soricinii generalem vicarium domini A. archiepiscopi Auxitani supradictos, nostrosque suffraganeos, præsentibus vicariis & procuratoribus supradictis hac vice consentientibus, ad honorem & laudem summæ & unicæ Trinitatis, ac præcelsæ & gloriosissimæ beatæ Mariæ Virginis matris Dei, totiusque collegii supernorum, morum reformationem, coertionem quoque ac correctionem ex essuum ac etiam delictorum, & nostrarum & subditorum nostrorum animarum profectum, & statum ecclesiasticum salubriter conservandum, illius invocato præsidio qui est mentium illustrator, sacro approbante concilio ad infrascripta edenda, seu eorum aliqua innovanda, reformanda, & declaranda, prout inferius continetur, duximus procedendum. Ante omnia verumtamen protestati, quod per huiusmodi subsequentia nostra statuta, alias rationabiliter edita in nostris provinciis supradictis abrogare nequaquam intendimus, nec ipsis etiam derogare: nisi quatenus infrascriptis nostris statutis reperirentur contraria vel adversa, seu per contrarietatem vel aliter obviare.

CAP. PRIMUM.

De fide catholica, & ut laici de articulis fidei, & aliis ad capessendam æternam salutem necessariis, cum diligentia informentur.

QUoniam, sicut apostolica tradit auctoritas, *sine fide impossibile est placere Deo:* idcirco sine fide omnis hominis labor est vacuus. Fides namque, ut Augustinus ait in libro de fide ad Petrum, est bonorum omnium fundamentum: fides est humanæ salutis initium: sine hac nemo potest ad filiorum Dei numerum pertinere: sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam gratiam justificationis consequitur, nec in futuro vitam possidebit æternam. Unde summopere iis quibus committitur Dominici gregis custodia vigilandum est, & maxima sollicitudine providendum, quatenus fides integra, sine ullo perfidiæ vitio, ab omnibus custodiatur sollicite. Et est nobis etiam per consequens laborandum, ne in nostris provinciis possit se abusus aliquis subrepere hæreticæ falsitatis. Ignorantia quippe legis Divinæ, & imperitia credendorum, qua turpiter propter nonnullorum ecclesiasticorum incuriam laici simplices involvuntur, & sacerdotes ministros verbi, quibus incumbit alios de fide instruere, reprobationi justissimi Dei reddit obnoxios, juxta illud Prophetæ testimonium: *Quia tu scientiam repulisti, ideo ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi*: & ipsos subditos ad bonum facit ignavos & tepidos, & interdum tanquam incautos precipitat in diversa pericula & errores. Sic Dominus ipse conqueritur alibi in Scriptura dicens: *Periit populus meus, quia non habuit scientiam*. Ut igitur tam perniciosæ ignorantiæ & in

Heb. 11.

Osea 4.

Isa. 5.

ANNO CHRISTI 1368.

in rectoribus & in subditis occurramus, & per nos ac per fratres nostros suffraganeos parari valeat deinceps Domino plebs perfecta, atque in nostrarum provinciarum civitatibus & diœcesibus doctrina vigeat salutaris: in primis hujus præsentis concilii auctoritate statuimus, & nihilo minus sub pœna excommunicationis præcipimus, quatenus universi & singuli rectores ecclesiarum, in aliqua provinciarum nostrarum consistentium, diebus Dominicis & festivis in suam parochiam ex more ad Divina conveniant, ipsos parochianos suos & subditos, sicut opportunum fuerit, & secundum gratiam ac sufficientiam unicuique a Domino datam, de ipsius fidei nostræ principiis sive articulis, de decem præceptis Divinæ legis, de septem peccatis mortalibus, & si qua sunt alia quorum sit cognitio necessaria ad salutem, non simul quidem de omnibus, sed alternatim & seorsim prout tempus & locus & capacitas auditorum exigent, diligenter instruant & informent. Id ipsum circa ægrotos seu decumbentes servari volumus: ut si videlicet per inquisitionem sacerdotum, quam fieri volumus semper antequam eis sacra communio ministretur, ignorantes in præmissis fuerint deprehensi, ibidem familiariter & peculiariter, præcipue de articulis fidei, & de septem peccatis mortalibus, de quibus eos distincte confiteri necesse est, instruantur: ne forte, si cum ignorantia vincibili eorum quæ scire tenebatur, migret aliquis seu obeat, talem comprehendat Apostoli illa sententia: *Ignorans ignorabitur*: id est, reprobabitur, cum pro tenebris ignorantiæ interioribus, quas propter negligentiam passus est in hoc mundo, in futuro examine in exteriores abyssi tenebras detrudetur. Si quis autem curatus seu rector hoc salubre statutum nostrum præterierit, seu implere & executare neglexerit, aut alias quocumque modo, temerario ausu eidem restiterit: cum de hoc legitime constiterit, ultra indignationem Dei, quam profecto pro tali contemptu incurrerit, volumus & jubemus ut per locorum ordinarios pœnis aliis, sicut plus aut minus meruerit, contemptor hujusmodi percellatur. Sed & nos ipsi, cum ad aliquam ecclesiam nobis subjectam, gratia visitandi, nos, ut est solitum, venire contigerit: informationem & inquisitionem diligentem de præmissis facere intendimus; & id ipsum pari voto fieri volumus per nostros suffraganeos, cum eos contimiliter ecclesias sibi subditas contigerit visitare. Ut autem, sicut habemus in votis seu desiderio, hæc nostra sanctio & constitutio perpetuo ritu & competentius observari valeat & impleri, & ne videamur nostris subditis imponere grave jugum: decrevimus, stilo pleno, breviterque, atque dilucide tradere doctrinam quamdam & summam illorum in quibus volumus, ut prædiximus, plebes nobis subditas informari: ut ipsis rectoribus & curatis dicendorum tradatur per nos forma & regula, & etiam ut non sit necesse pro implendo hoc nostro statuto librorum numerositatem evolvere, cui brevitas per nos hic ex dictis doctorum & sanctorum collecta, offert quod quæritur sine labore. Comprehendimus ergo intentionem nostram sub certis limitibus: & sanctorum patrum vestigiis inhærentes, pronunciamus unicuique fideli, postquam ad annos discretionis pervenerit, fore necessarium ad salutem, posse scilicet & inquirere quid sit sibi credendum, quid diligendum, quid expectandum. Tria enim quædam sunt, ut tradit Augustinus, quibus Deus recte colitur, & per quæ ad Deum, velut quibusdam mentis pedibus, pervenitur: videlicet fides, spes, caritas. Per fidem dirigimur in credendo, per caritatem regulamur in amando, per spem in laboribus consolamur. Primum itaque doctrinam tradimus de credendis, quæ sunt, articuli fidei, & ipsa sacramenta legis novæ. Nam in his duobus, sacramentis videlicet & articulis, tota Christianæ religionis & ecclesiæ universalis structura fundatur. Deinde loquemur de virtutibus & vitiis eis oppositis; de donis & beatitudinibus, quæ prioribus correspondent. Demum in explicatione præceptorum Decalogi, per quæ explicatur caritas, finiemus. De iis omnibus ergo, propter rectores minus eruditos, aliqua in medium proferamus: & primum de fide, secundum cujus mensuram præcipit Apostolus unicuique sapere. Fides igitur virtus quædam est, qua creduntur quæ non videntur. Nam cum Paulus dicat: *Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium*: hoc veraciter dicitur credi, quod non valet videri. Unde August. Credimus, inquit, ut cognoscamus; non cognoscimus, ut credamus. Quid est enim fides, nisi credere quod non vides? Neque tamen istud de omnibus intelligendum est, quæ non videntur: sed de iis tantum quæ credere, ad religionem pertinet Christianam, sive quæ credenda Scripturæ sacra proponit, & ecclesia catholica docet. Verum quia latitudinem sacræ Scripturæ simplicibus, & in aliis studiis & negotiis occupatis, scire non erat possibile, ad quam tamen intelligendam, secundum plus & minus, pro differentia officiorum & statuum, superiores in ecclesia obligantur: idcirco, ut fides eorum quæ ab omnibus explicite, vel saltem pro magna parte, credi & cognosci oportet, haberetur in promptu, ipsi primi ecclesiæ fundatores apostoli, ipsa credenda, quæ in diversis locis sacræ Scripturæ sunt tradita & sparsa, collegerunt breviter in unum locum. Et ista collectio, Apostolorum Symbolum appellatur. Et distinxerunt in ipso quatuordecim articulos fidei: quorum septem sunt pertinentes ad Divinitatem, alii septem ad Christi humanitatem. Septem igitur sunt de Deo secundum se; & septem alii de Deo, ratione humanitatis assumptæ. Qui omnes in istis quatuor versibus continentur:

Unum crede Deum, Patrem, Filium, quoque Flamen,
Qui creat & recreat homines, quos salvificabit.
Conceptus, natus, passus, descendit ad ima,
Surgit, & ascendit, veniet discernere cunctis.

Primus ergo articulus de pertinentibus ad Divinitatem, est de unitate Divinæ essentiæ. Non enim sunt plures dii, sed unus est solum Deus. Et ideo dicimus: *Credo in unum Deum*. Et hunc ipsum articulum insinuabat clara voce veteris legis exordium, ubi dicit: *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est*. Tres sequentes articuli sunt de Divinis personis. Nam Christiana religio cum unitate Divinæ essentiæ tres personas fatetur. Est ergo articulus secundus de persona Patris: *Patrem omnipotentem*. Tertius est de persona Filii: *Et in Jesum Christum Filium ejus*. Quartus de persona Spiritus sancti: *Credo in Spiritum sanctum*. Tres sequentes sunt de effectibus ipsius Dei. Est ergo quintus articulus de creatione omnium rerum:

1. Cor. 14.

Heb. 11.

Deut. 6.

ANNO CHRISTI 1368.

Creatorem cœli & terræ. Sextus est de effectu gratiæ, sive dono. Propter quod dicitur: *Credo sanctam ecclesiam catholicam, communionem sanctorum, remissionem peccatorum*. Septimus est de effectu gloriæ: *Carnis resurrectionem, vitam æternam*. Articuli autem pertinentes ad naturam a filio Dei assumptam, sunt etiam septem. Primus pertinet ad conceptionem ipsius Christi: *Conceptus est de Spiritu sancto*. Secundus ad nativitatem: *Natus ex Maria virgine*. Tertius ad passionem: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus*. Quartus ad descensum ad inferos: *Descendit ad inferos*. Quintus ad resurrectionem: *Tertia die resurrexit*. Sextus ad Ascensionem: *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris*. Septimus est de adventu ad judicium: *Inde venturus est judicare vivos & mortuos*. Aliqui tamen computant secundum numerum Apostolorum duodecim, qui istos fidei articulos distinxerunt: sed prima distinctio melior est, quæ accipitur secundum numerum credendorum. Porro, quia in isto symbolo Apostolorum sunt quædam breviter valde exposita: ideo ad ejus explanationem symbolum Nicænum, quod diffusius de articulis prædictis exequitur, additum est. Et rursus quia in isto symbolo Nicæno adhuc quædam implicite continentur, quæ propter insurgentes hæreses oportuit amplius explicari: additum est symbolum Athanasii, quod incipit: *Quicumque vult salvus esse, &c.* Proinde symbolum Apostolorum silenter & secrete dicitur quotidie in Completorio, & in Prima: quia fuit editum tempore quo nondum erat fides catholica propalata. Alia autem duo publice in diebus Dominicis & festivis, quando major ad ecclesiam congregatur populus, decantantur: quia fuere edita tempore fidei propalatæ. Symbolum quidem Nicænum post evangelium cantatur in Missa, quasi evangelicæ fidei expositio. Symbolum Athanasii de mane solum cantatur in Prima: quia fuit editum tempore quo maxime fuerunt depulsa & detecta nox atra & tenebræ hæresum & errorum. licet autem ante adventum Christi in virginem, sufficeret laicis simplicibus de articulo Trinitatis & Incarnationis habere fidem implicitam in fidem majorum, & pro illo tempore sufficeret explicitam fidem habere quia Deus est, & quod credentibus in se remunerator est, quod semper etiam secundum Apostolum oportet credere omnem accedentem ad Dominum: isto tamen tempore gratiæ revelatæ, tam majores quam minores tenentur credere explicite Trinitatis articulum, & Incarnationis mysterium, & aliorum articulorum de quibus dictum est, præcipue eorum de quibus in ecclesia communiter solemnizatur, & qui publice proponuntur; sicut sunt articulus Passionis, Resurrectionis, & hujusmodi. Et hoc intelligimus quantum ad ipsorum articulorum substantiam, secundum quam homo ipsos articulos distincte cognoscit: non quantum ad ea difficilia quæ continentur in articulis, & vim veritatis ipsorum, per quam possunt ab hæreticorum impugnatione defendi. Nam quantum ad talia, sufficit simplicibus de omnibus articulis habere fidem implicitam, id est, in talibus credere quod credit ecclesia. Et ita accipienda videntur verba quorumdam magistrorum loquentium de materia ista. Majores autem istam explicationem totaliter in via ista scire non possunt. Tenetur tamen unusquisque tantum scire, quantum pertinet ad officium suum. Post articulorum doctrinam, consequens est de sacramentis novæ legis tractare. Est autem sacramentum, invisibilis gratiæ visibilis forma: ita ut ejus imaginem gerat, & causa existat. Fuerunt autem sacramenta aliqua necessaria semper humano generi, postquam incurrit peccati morbum: non quia sine sacramentis Deus hominem sanare non posset, sed quia per illa magis congrue fit hominis reparatio. Quod sic patet. Humanum enim genus, ex quo primus homo peccavit, circa sensibilia corruptum fuit; quantum ad cognitionem, quia, circa ista sensibilia, humana mens implicita, in Dei cognitionem surgere non valebat; item quantum ad affectionem, quia eis, quasi summis bonis, Deo postposito, inhærebat; quantum ad actiones, quia eis inordinatissime utebatur. Necessarium ergo fuit ad peccatorum curationem, ut homo ex sensibilibus in spiritualia cognoscenda proficeret, contra primum; & ut [a] effectum, quem circa illa habebat, in Deum referret, contra secundum; & eis ordinate & secundum Divinam institutionem uteretur, contra tertium. Proinde necessaria erat sacramentorum institutio: & propter eruditionem, dum homo in ipsis per id quod foris visibili specie cernitur, ad invisibilem virtutem agnoscendam, quæ intus est, eruditur, quantum ad primum: & propter humiliationem, dum homo in sacramentis, rebus sensibilibus, quæ natura infra ipsum sunt, ex præcepto creatoris, subjicitur, quantum ad secundum: & propter exercitationem, dum in sacramentis homo circa signa sensibilia in Dei honorem occupatur, quantum ad tertium. Igitur, ex quo fuit morbus peccati, sacramentorum fuit necessaria medicina. Omittendo autem ad præsens sacramenta antiqua atque legalia, quæ cessaverunt adveniente Christo, sicut umbra adveniente Sole recedit: de solis sacramentis legis novæ loquamur, quæ sunt septem: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Unctio extrema, Ordo, Conjugium. Baptismus, esse dicitur sacramentum fidei; Extrema unctio, spei; Eucharistia, caritatis; Ordo, prudentiæ; Pœnitentia, justitiæ; Matrimonium, temperantiæ; Confirmatio, fortitudinis. Baptismus est directe contra culpam originalem, Pœnitentia contra culpam actualem mortalem, Extrema unctio contra culpam venialem, Ordo contra ignorantiam, Matrimonium contra concupiscentiam, Eucharistia contra malitiam, Confirmatio contra infirmitatem. Nil ergo aliud est sacramentum, quam illud in quo, sub tegumento rerum visibilium, Divina virtus salutem nostram secretius operatur. Porro sacramenta instituere, quæ ex sui institutione & sanctificatione contineant invisibilem gratiam, competit soli Christo: qui solus potestatem excellentiæ sibi retinuit, potestatem ministerii Apostolis & cæteris succedentibus dedit. Quæ igitur instituta sunt ab Apostolis & successoribus eorumdem, ut benedictio aquæ & panis, consecrationes virginum & altarium, & cætera hujusmodi: non sacramenta proprie, sed sacramentalia dici debent. Omnia ergo sacramenta novæ legis Christus per semetipsum immediate instituit. Aliqua tamen, præcipue Confirmationem, & Extremam unctionem, per Apostolos promulgavit: sicut de Confirmatione patet in Actibus Apostolorum XIX. capitulo, & de Extrema unctione, Jacobi quinto. In iis sacramentis quædam fiunt ad decorem & solem-

[a] *Lege*, affectum. H.

ANNO CHRISTI 1368.

lemnitatem sacramenti, quædam vero pertinent ad sacramenti substantiam. De substantia cujuslibet sacramenti sunt, forma verborum præscripta, certa materia, & minister. Verbi gratia, materia baptismi est aqua elementaris; forma, *Ego baptizo te in nomine Patris*, &c. Minister est sacerdos aut alius in necessitate baptizans. Horum sacramentorum, Matrimonium & Ordo, sunt voluntatis. Alia sunt necessitatis, ut suscipiantur aliquando, vel in re, vel in voto. Præcipue autem Baptismus est necessarius omnibus, & parvulis & adultis, ex quo fuit a Domino institutus, & alia contra peccatum originale remedia cessarunt. Est enim Baptismus contra vulnus originale: sine quo, secundum sanctos, in filiis hominum nemo unquam conceptus est, præter Christum. Pœnitentia vero iis est necessaria, qui per aliquod mortale peccatum vestem innocentiæ, quam in Baptismo acceperant, amiserunt: & ob hoc secunda post naufragium tabula appellatur. Si etiam aliquis, cum opportunum & congruum est, vel propter ordinationem ecclesiæ, vel propter periculum mortis, omitteret Eucharistiam, Confirmationem, aut Extremam unctionem suscipere; nec defectus ministri, aut alius necessitatis articulus, sed contemptus religionis solum, ista sacramenta excluderet: non dubium, quin talis contemptus induceret gravem culpam. Necessarium ergo, ut diximus, est cuilibet adulto, ista sacramenta aliquando in vita sua suscipere, vel in re, vel in voto. Horum etiam sacramentorum aliqua sunt, quæ in eodem homine iterari non debent; scilicet Baptismus, Confirmatio, Ordo: alia possunt iterari. Prohibemus autem districte, ut nullus cum remorsu peccati mortalis sacramentum quodcumque præsumat suscipere, aut etiam ministrare. Veremur enim, ne propter hunc abusum, quo polluti & indigni ad sacra passim istis temporibus novissimis plures accedunt, clades multas Deus judex Justus in nationes Christianorum immittat. Proinde dicit Deus ad antiquos legis illius Mosaicæ sacerdotes: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum*. Et rursus: *Sacerdotes qui accedunt ad Deum, sanctificentur, ne percutiat eos*.

Levit. 11. Exod. 19.

Postquam de articulis fidei & sacramentis disseruimus: de virtutibus theologicis & moralibus est loquendum. Virtutes theologicas Paulus apostolus tres enumerat. Sunt autem, spes, fides, caritas. Virtutes morales, quæ cardinales dicuntur, sunt quatuor: de quibus philosophi gentium multa subtilia & utilia satis dixerunt. Sunt autem, justitia, fortitudo, prudentia, temperantia. Justitia, secundum Augustinum, est in subvenendo miseris, prudentia consistit in præcavendis insidiis, fortitudo in perferendis molestiis, temperantia in coercendis delectationibus pravis. Cuilibet harum virtutum, sequendo eruditos quosdam, etiam fidei nostræ homines, partes has assignavimus. Species quidem justitiæ, sive partes, sunt istæ: religio, pietas, gratia, vindicatio, observantia, veritas. Vel, si magis libet sic dici, partes justitiæ sunt, obedientia respectu superioris, disciplina respectu inferioris, æquitas respectu præmii, fides & veritas respectu omnium. Partes fortitudinis istæ sunt: magnificentia, fiducia, patientia, perseverantia. Prudentia distribuitur in memoriam præteritorum, & intelligentiam præsentium, & providentiam futurorum. Porro partes temperantiæ sunt, castitas, & sobrietas. Castitas refrænat delectationes quæ sunt secundum tactum. Quia virtute nihil in ecclesiasticis viris præclarius fulget. Ipsa enim sola cum fiducia Deo potest animas præsentare. Sobrietas restringit delectationes quæ sunt secundum gestum. Quia igitur actus harum virtutum, quas diximus, sive ipsarum opera, huic mortali vitæ sunt necessaria, utpote quia per ipsas in præsenti bene & recte vivitur, & in futuro æternæ vitæ bravium possidetur: ideo etiam, per rectores & alios verbi Divini ministros, volumus in ecclesiis nostrarum provinciarum de iis laicos commoneri, & ad hæc opera virtuosa congruis inductionibus invitari. Sicut autem dictæ virtutes perficiunt hominem, ut in humanis humano modo, id est rationali, se habeat; ne, sequendo scilicet abrupta vitiorum, a dignitate humanæ naturæ decidens, bestialiter vivat: ita dona Spiritus sancti ad bene operandum perficiunt hominem supra homines, id est, modo quodam Divino, & supra humanum gradum. Hæc dona, juxta sacras Scripturas, consimiliter septem esse asserimus, quasi septem sanctificationes fidelium mentium: quæ Isaias Propheta ostendens ea fuisse in Christo, enumerat in hunc modum: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini*. Quamquam enim unus sit Spiritus Domini, qui est cum Patre & Filio unus consubstantialiter Deus, quasi aliquod eorum flamen: multi tamen sunt spiritualium donorum meatus, quibus Spiritus ipse sanctus omnem supereminens creaturam, mentis nostræ arcana vegetat & infundit. Quocirca alma mater ecclesia, horum donorum semper fœcunda spirituali pinguedine, in hymno quem in ejusdem Spiritus sancti honorem concrepat, inter cætera, hæc septem dona in ipsum refert, cum dicit: *Tu septiformis munere, dextræ Dei*, &c. Dicimus autem & credimus, hæc septem dona communiter a tota profluere Trinitate. Indivisa quippe sunt opera Trinitatis ad extra. Verum consuetudo est sacri eloquii, interdum appropriare uni personæ, quod proprie & verissime dicitur de utraque: sicut Patri attribuitur potentia, Filio sapientia, bonitas Spiritui sancto. Et tamen una & indivisibilis est potentia, & sapientia, & bonitas in iis tribus; sicut una Deitas, una essentia, & natura. Quemadmodum autem, sicut superius assignavimus, septem sacramentis correspondent septem virtutes, tres theologicæ, & quatuor cardinales; & rursus septem dona, septem virtutibus: ita septem donis correspondent septem petitiones orationis Dominicæ: quarum tres primæ sunt, quibus æterna poscimus: quatuor ultimæ sunt, quibus ea petuntur, quæ tantum sunt in hac vita. Et ita in illis continentur omnia bona homini necessaria. Iis etiam septem petitionibus septem illæ beatitudines, de quibus loquitur Salvator in Evangelio, adaptantur: ubi pauperes spiritu, mites, esurientes & sitientes justitiam, misericordes & mundicordes, pacificos & lugentes, beatos esse astruit & affirmat. Demum quoniam, sicut dicit Scriptura, bonorum laborum gloriosus est fructus, nec sunt labores aliqui digniores, quam qui in donorum spiritualium agro latissimo exercentur: eapropter istis septem donis illi fructus honestissimi congruunt, quos distinguit ad Galatas scribens Apostolus in iis verbis:

Isa. 11.

Fru-

ANNO CHRISTI 1368.

Galat. 5.

Fructus autem spiritus est, caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, benignitas, bonitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Verum quia eidem dono, habenti plures fructus respondent: ideo non sunt tot dona, quot fructus.

Cæterum, quoniam ex dono unico pietatis proficisci videntur illa pietatis officia, quibus defectibus proximi subvenimus, & opera misericordiæ appellantur: congruum judicamus, ad eruditionem simpliciorum, de iis etiam non præterire. Assignantur autem in sacro canone septem corporales hujusmodi eleemosynæ, & septem spirituales. Per illas quidem, proximorum defectibus corporalibus; per alias, defectibus spiritualibus subvenitur. Septem corporales eleemosynæ sunt isto versu contentæ:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Visito, scilicet infirmum. Poto, scilicet sitientem. Cibo, scilicet esurientem. Redimo, scilicet incarceratum. Tego, scilicet nudum. Colligo, id est, recolligo, sive recipio hospitem. Condo, id est, sepelio mortuum. Et licet Dominus in evangelio, ubi misericordiæ opera commemorat, quibus homo a damnatione & auditione mala in die judicii liberatur, & regnum ecclesiæ meretur, non computet mortui sepulturam: tamen in aliis Scripturæ locis, talis eleemosyna commendatur. At vero eleemosynæ spirituales continentur hoc versu:

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Consule, id est, doce ignorantem, & dirige dubitantem. Unde in hoc duplex spiritualis eleemosyna intelligitur, doctrina, & consilium. Castiga delinquentem. Solare, id est, consolare tristem. Remitte delinquentibus in te. Fer, id est, porta infirmitates & gravamina aliorum. Ora pro omnibus.

Adhuc septem dona Spiritus sancti non solum in nobis omnia illa septenaria virtutum, beatitudinum, petitionum, priorum operum exigunt, vel efficiunt; quin etiam septem spiritibus immundis, id est, septem vitiis capitalibus adversantur. Verbi gratia. Quippe contra superbiam timor est, qui ad humilitatem inclinat. Contra invidiam, quæ nescit proximo compati, donum militat pietatis. Contra avaritiam aciem instruit donum scientiæ: cujus est bene conversari cum hominibus, unicuique quod suum est reddendo, sed avaritiæ opponitur. Contra acediam fortitudo decertat. Contra iram, quæ agit præcipitanter omnia, est donum consilii. Contra gulam, quæ intellectum hebetat, donum est intellectus. Contra luxuriam, donum est sapientiæ, nam gustato spiritu, desipit omnis caro. Ex quibus liquet septem esse peccata mortalia principalia: quæ sunt, superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia. Comites sive filiæ superbiæ sunt, sævitia, inobedientia, impatientia, imprudentia, sæcularis pompa, inanis gloria, jactantia, hypocrisis, nonitatum præsumptio. Comites avaritiæ, quæ radix omnium malorum est, sunt, rapacitas, tenacitas, contemptus fidei, proditio, fallacia, fraus, perjurium, inquietudo, & contra misericordiam cordis obduratio. Luxuriæ comites sunt, ventris ingluvies, vestis & lecti mollities, somni resolutio, coitus delectatio, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, disperatio futuri. De ira procedunt, audacia, faciei mutatio, imprudentia, injustitia, lites, contumelia, blasphemiæ, terror, clamor, & indignatio. De gula procedunt, inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensuum. De invidia veniunt, dolor de bono alterius, gaudium de malo, sive afflictio in prosperis proximi, exultatio in adversis. Acedia, quæ est quoddam tædium boni, habet comites, ignaviam scilicet & torporem de omni mortali peccato. Quod tenetur memoria, necessarium est corde confiteri: & ore, nisi articulus necessitatis confessorem excluderet, confiteri. Neque enim confessor debet esse promptus ad facile judicandum de aliquo quod sit mortale peccatum, nisi sit in dictis scripturæ vel sanctorum expressum.

Superest modo de præceptis Divinæ legis eloqui. Licet enim totam legem impleat caritas ipsa, qua Deum propter seipsum diligimus, & proximum propter Deum: tamen hæc dilectio per decem præcepta decalogi explicatur: quæ ita distribuuntur, ut prima tria pertineant ad Deum, scilicet ad cognitionem ejus & reverentiam, & dicuntur præcepta primæ tabulæ. Reliqua septem dicuntur præcepta secundæ tabulæ, & pertinent ad proximum. Præceptum primum itaque est: *Non habebis Deos alienos:* quo omnis infidelitas, omnis hæresis, omnis superstitio prohibetur. Secundum est *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, quod est dicere, secundum litteram: Non jurabis pro nihilo nomen Dei. Tertium verò est: *Memento ut diem sabbati sanctifices:* ubi præcipitur diei Dominicæ & festivitatum in ecclesia solemnium observantia. Quartum est: *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Porro parentes sic honorandi sunt, ut eis reverentia merita exhibeatur, & necessaria ministrentur. Quintum est: *Non occides:* ubi, secundum litteram, actus homicidii prohibetur; secundum spiritum vero, omnis injusta percussio, & voluntas etiam occidendi. Sextum est: *Non mœchaberis*, id est, ne cuilibet miscearis, excepto fœdere matrimonii. A parte enim, ut Augustinus ait, totum intelligitur. Nomine igitur mœchiæ, omnis illicitus concubitus, illorumque membrorum illegitimus usus, prohibitus debet intelligi. Septimum præceptum est: *Non furtum facies:* ubi furti nomine intelligi voluit omnem illicitam usurpationem rei alienæ; sicut sunt, furtum, usura, rapina, sacrilegium, & cætera hujusmodi. Octavum est: *Non loqueris contra proximum falsum testimonium:* ubi crimen perjurioſi mendacii & perjurii prohibetur. Nonum præceptum est: *Non desiderabis uxorem proximi tui.* Decimum est: *Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, &c.* Neque putet aliquis præceptum de non concupiscendis rebus proximi, unum esse cum eo quo dicitur, *Non furaberis;* & præceptum de non concupiscenda uxore, unum esse cum eo quo dicitur, *Non mœchaberis*, nam in illis duobus præceptis, non furandi, & non mœchandi, ipsa opera notata sunt, & prohibita. In his vero extremis, concupiscentia tantum. Hæc decem præcepta in his versibus concludentur.

Unum cole Deum, nec jures vana per ipsum.
Sabbata sanctifices, & venerare parentes.
Non sis occisor, fur, mœchus, testis iniquus.
Vicinique rerum, resque caveto suas.

Summa igitur hujus doctrinæ, quam in hac constitutione nostra, pro simplicium eruditione, sacro dictante concilio, inseri fecimus & voluimus, & quam frequenter relegere jubemus,

ANNO CHRISTI 1368.

mus, & habere etiam penes se omnes nostrarum provinciarum presbyteros & rectores, hæc est. Diximus enim, quod articuli fidei pertinentes ad deitatem, sunt septem. Articuli pertinentes ad Christi humanitatem sunt septem. Virtutes theologicæ, cum cardinalibus, totidem. Sacramenta ecclesiæ totidem. Dona Spiritus sancti totidem. Petitiones in Dominica oratione contentæ sunt totidem. Beatitudines totidem. Vitia capitalia totidem. Præcepta legis sunt decem. In articulis fidei est, ut fideles ad petendum dona altissimi dirigantur, & illuminentur. In precibus sive petitionibus est, ut dona hæc impetrentur. In vitando peccata, & implendo præcepta est, ut beatitudines consequamur. Hæc sunt igitur, in quibus volumus diligenter nostrarum provinciarum populos informari, præcipue in articulis fidei, peccatis mortalibus, & præceptis. Hæc omnia & singula cum omni veneratione a laicis suscipienda præcipimus, quibus non est permissum de quibuscumque ad fidem catholicam spectantibus disceptare. Sicut autem volumus rectores nostrarum provinciarum atque diœcesum huic doctrinæ & prædicationi insistere; ita ipsos, & cunctorum ordinum clericos, scholares, vel religiosos, per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi, & quo possumus affectu paterno monemus, ut his maxime temporibus, quibus crebrescentibus cladibus guerrarum & pestilentiarum, & cæterarum adversitatum, vicinum futuri judicii diem timere possumus & debemus, non tam verbo quam vita & operibus satagant prædicare: exemplo illo commoniti, quo legimus, quoniam cœpit Dominus primo facere, post docere. Nam illos rectores ac ecclesiasticos viros, quorum mala vita doctrinæ bonæ non consonat, sugillat ac reprobat Dominus in Evangelio. De iis etiam beatus Gregorius ita scripsit: *Sunt nonnulli qui solerti cura Divina præcepta perscrutantur: sed quæ intelligendo penetrant, vivendo conculcant. Quia docent quod prius non opere, sed meditatione didicerant; & quod verbis docent, moribus impugnant. Sicque fit, ut cum pastor per abrupta graditur, in præcipitium grex sequatur.*

Greg. Pastoral. c. 1.

II. *De pœna vocatorum ad concilium provinciale non comparentium.*

Verum quia quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari: præsentis concilii sanctione statuimus, ut episcopi omnes Narbonensis, Auxitanensis, Tolosanensis provinciarum, de cætero ad sui metropolitani concilium veniant, prout decet, nisi causa necessaria & urgentissima excusentur. Et quicumque episcopus, ab archiepiscopo suo vocatus, hujusmodi constitutionis transgressor fuerit, ipso facto pœnam juris incurrat.

III. *De episcopis, qualiter procuratorem mittere debeant, si juste fuerint præpediti.*

Cum, testante Sapientia sententia, *solus sit, ubi multa consilia*, copiam sani consilii nequaquam coarctari expedit, sed extendi. Idcirco sub virtute sanctæ obedientiæ episcopis prædictis injungimus, ut cum ipsi episcopi venire ad ipsa concilia personaliter fuerint legitime impediti, quo minus ad ea venire non possint, procuratores constituant viros discretos alios ab illis qui per eorum capitula, & capitula versa vice alios ab illis, qui per episcopos fuerint constituti.

ANNO CHRISTI 1368.

IV. *De janitoribus concilii, ubi debeant permanere.*

Item statuimus, quod quandocumque provinciale concilium vel synodum infra aliquam dictarum provinciarum celebrari contigerit, janitores, aut quivis alius officialis, quorum præsentia in concilio vel synodo memoratis nequaquam necessaria seu opportuna existit, extra januam maneant.

V. *Qualiter supplicans concilio, concilium exire debeat, quousque vocetur.*

Item, quod si contigerit aliquem prælatum, seu canonicum cujusvis metropolitanæ, cathedralis, aut collegialis ecclesiarum de dictis provinciis, seu alium quemcumque, circa negotium aliquod ipsius ecclesiæ nobis supplicare, idem supplicans, supplicatione sua proposita, recedere ac exire de concilio teneatur, dum concilium deliberabit atque discurret super admittenda vel non admittenda petitione hujusmodi supplicantis.

VI. *De synodis, singulis annis celebrandis.*

Ad memoriam reducentes statuta patrum, in quibus præcipitur ut semel in anno per episcopos synodalia concilia celebrentur: sacro approbante concilio statuimus, ac in virtute sanctæ obedientiæ suffraganeis nostris præcipimus, ut singulis annis, per se, vel per idoneos viros si ex causa necessaria fuerint impediti, dicta synodalia concilia habeant celebrare.

VII. *Qualiter abbates subditi, vocati ad synodum, venire teneantur.*

Cum non passim quilibet sint admittendi vel deputandi ad ardua, sed industria in talibus sit diligentius exquirenda: præsentis auctoritate concilii duximus statuendum, ut archiepiscopi & episcopi, abbates eis subjectos ad synodos suas per censuram ecclesiasticam venire compellant. Vel si forsan legitimo impedimento detenti fuerint, quo minus personaliter ad illa accedere non possint: procuratores destinent ad talia expertos, idoneos, & discretos, & de eorum ordinibus sibi sufficientes existant.

VIII. *Ut rectores curam animarum habentes ad synodum venire teneantur.*

Statuimus insuper, quod omnes clerici curam animarum habentes, ad synodum veniant cathedralis ecclesiæ, in cujus civitate vel diœcesi commorantur: occasione minus legitima vel consuetudine aliqua non obstante. Alioquin per suos ordinarios, ad eorum arbitrium, pœna debita castigentur.

IX. *De constitutionibus in concilio provinciali aliis editis, in synodis recitandis.*

Item, quod annuatim in singulis ecclesiarum cathedralium dictarum provinciarum nostrarum, in synodo, omnes constitutiones hujus concilii, & aliorum in dictis provinciis hactenus celebratorum, quæ quidem constitutiones nequaquam fuerint per hoc concilium revocatæ, & qui-

ANNO CHRISTI 1368.

quibus per concilium ipsum derogatum non sit, publice recitentur, ne quis per ignorantiam excusare se valeat ab observantia earundem.

X. *De conservatoribus & delegatis, abutentibus litteris domini nostri papæ.*

Conc. Avenion. ann. 1326. c. 9.

Statuimus, ut judices, conservatores, delegati, & subdelegati, qui scienter ad loca notorie distantia vel non insignia partes citare præsumunt, quique auctoritate litterarum apostolicarum, contra aliquem, citando, vel alias, procedunt ad instantiam alicujus, nisi sibi constiterit illum, ad cujus instantiam procedunt, eum re vera, vel ipsius procuratorem esse, qui in litteris apostolicis hujusmodi continetur, sententiam excommunicationis incurrant ipso facto. Si quis vero super rebus dotalibus litteras apostolicas impetraverit, & illarum auctoritate aliquem vel aliquos, cum quibus ratione dotis non habet aliquid quæstionis, fecerit fatigari: auctoritate præsentis concilii, eadem excommunicationis sententia, qua superius a nominata, novérit se ligatum. Illi vero qui falso se crucesignatos asserunt, cum non sint, & sic tamquam crucesignati litteras apostolicas impetrant, per quas alios fatigant laboribus & expensis, eadem excommunicationis sententia sint ligati.

a) *Lege*, nominati. H.

XI. *De abutentibus litteris apostolicis in diversis casibus.*

Quia per abusum litterarum apostolicarum multi vexantur & affliguntur laboribus & expensis: in prædicto concilio statuimus, quod tam clerici quam laici, cujuscumque conditionis aut status existant, qui litteris apostolicis abutuntur, vel litteris legatorum apostolicæ sedis, videlicet utendo falsis litteris scienter, vel qui litteras nomine suo vel ecclesiæ suæ impetratas aliis eiusdem nominis tradunt pro adversariis fatigandis, & qui eas ad sic utendum recipiunt, & qui litteris in forma, *ea quæ* de bonis, utuntur, contra quos de jure, secundum formam ipsarum, dictæ litteræ non procedunt, vel non possunt extendi, aut litem non habent, & idem de litteris, *post iter arreptum*, vel aliis litteris apostolicis seu rescriptis quibuscumque, sententiam excommunicationis incurrant: & etiam judices, qui scienter aliquos sic faciunt per suas litteras fatigare. Et hanc eamdem excommunicationis sententiam incurrere volumus illos, qui ad loca æquivoca aliquem citari faciunt, ut malitiose & fraudulenter vexent & decipiant sic citatum laboribus & expensis: & illos, qui litteras apostolicas, vel delegatorum sedis ejusdem contra jura scienter & dolose ad futuras trahunt controversias, quæ nondum fuerunt tempore impetrationis exortæ.

XII. *De bannis editis & præconizationibus factis contra libertates & consuetudines ecclesiæ.*

Conc. Aven. ann. 1326. c. 55. & ann. 1337. c. 63.

Statuimus, quod quicumque contra ecclesiasticas consuetudines, libertates, seu observantias antiquas, statuta, banna, prohibitiones, vel præconizationes, aut præcepta scienter fecerint, aut fieri procuraverint aut servari, seu facientibus vel servantibus in hoc consilium vel opem directe vel indirecte præstiterint, per diœcesanos locorum, aut officiales vel procuratores eorum, præsentis auctoritate concilii moneantur, ut infra quindecim dies tempore monitionis hujusmodi numerandos, statuta, banna, prohibitiones, præconizationes, & præcepta hujusmodi cum effectu debeant revocare, ad consimilia numquam ulterius processuri. Alioquin excommunicationis sententia, quam ex nunc in ipsos ferimus, sint ligati.

ANNO CHRISTI 1368.

XIII. *Ne prælati vel aliæ personæ ecclesiastica bona ecclesiarum vacantium, nisi privilegio, vel consuetudine, aut de jure, præsumant occupare.*

Hac insuper provida constitutione perpetuo valitura statuimus, quod nullus omnino prælatus, abbas, prior, vel patronus, clericus, vel laicus, cujuscumque conditionis, vel status, vel dignitatis, ordinis, vel religionis existat, bona ecclesiarum vacantium, metropolitanæ vel suffraganeæ, abbatiæ, prioratuum, vel alterius cujuscumque monasterii, vel ecclesiæ, seu beneficii, officii, vel administrationis ecclesiasticæ, vel per provisionem, aut mortem, vel resignationem; aut mutationem, vel absolutionem, aut alias quoquo modo vacantium, capere per se vel per alium, aut occupare vel usurpare præsumat, nisi sibi de jure vel privilegio aut consuetudine hoc liceret. Quod si fecerit, ipse excommunicationis sententiam incurrat ipso facto.

Conc. Aven. ann. 1326. c. 24. & an. 1337. c. 25.

XIV. *De non contrahendis colligationibus, vulgariter societates nuncupatis: & de pœnis earundem.*

Item, quia ex pravo abusu in quibusdam provinciarum nostrarum partibus inolevit, quod nobiles plerumque, & interdum alii, colligationes, societates, & conjurationes faciunt tam canonicis, quam humanis legibus interdictas, semel in anno, sub confratriæ nomine, se in loco aliquo congregantes, ubi congregationes, conventiculas, & colligationes faciunt, & pacta juramento vallata ineunt, quod se adversus quoscumque, præterquam dominos suos, ad invicem adjuvent, & interdum se omnes veste consimili, cum aliquibus signis exquisitis vel characteribus, induentes, unum majorem inter se eligunt, cui jurant in omnibus obedire, ex quibus justitia offenditur, mortes & damnationes * sequuntur, pax & securitas exulantur, innocentes & inopes opprimuntur, & ecclesiæ ac ecclesiasticæ personæ, quibus tales oppido sunt infesti, in personis, rebus, juribus, & jurisdictionibus injurias diversas & damna plurima patiuntur, nos volentes iis ausibus pestiferis & conatibus perniciosis exemplo * occurrere, & de remedio possibili providere, & a peccato subditos nostros, prout ex pastorali incumbit officio, cohibere; auctoritate præsentis concilii omnes conventiculas, colligationes, societates, & conjurationes, quas confraternitates vel confratrias appellant, ab olim factas per clericos vel laicos, cujuscumque gradus, status, dignitatis, vel conditionis existant, necnon prædictas conventiones, ordinationes, & pacta inter eos inita & habita, irritamus, dissolvimus, & cassamus, & cassas & cassa, irritas & irrita, nuntiamus. Decernentes omnia juramenta super observandis prædictis præstita, aut illicita aut temeraria: nullum teneri volumus ad observantiam eorumdem:

Conc. Aven. ann. 1326. c. 25. & an. 1337. c. 43.

* *al.* deputationes

* *al.* exemplo

ANNO CHRISTI 1368.

dem: a quibus juramentis eos etiam relaxamus, ut tamen pro incauto sacramento a suis confessoribus pœnitentiam suscipiant salutarem: auctoritate prædicta prohibentes eisdem, sub excommunicationis pœna, quam venientes in contrarium, postquam præsens statutum in ecclesiis, quarum sunt parochiani, fuerit per duos dies Dominicos publicatum, incurrere volumus ipso facto, quod occasione prædictarum colligationum, societatum, conventionum, & juramentorum ab inde in antea simul non conveniant, hujusmodi confraternitates non faciant, alter alteri non obediat, nec præstet adjutorium nec favorem; nec vestes, signa rei jam damnatæ præbentes, deferant, nec se confratres, abbates, priores prædictæ societatis appellent; quinimmo, infra decem dies a tempore dictæ publicationis, unusquisque alios, quantum est in eo, a prædictis juramentis relaxet, & se nolle de prædicta societate ulterius existere publice protestetur. Prohibemus etiam, quod amodo tales conjurationes, conspirationes, conventiculæ, etiam sub nomine confratriæ, non fiant. Alioquin & de facto attentatas cassamus & irritamus; & facientes & attentantes, excommunicationi, a qua nisi per suum ordinarium, præterquam in mortis articulo, nullatenus absolvantur, volumus subjacere. Per hoc autem confraternitates olim in honorem Dei & beatæ Mariæ, & aliorum sanctorum, & pro subsidiis pauperum introductas, in quibus conjurationes & juramenta non intervenerunt hujusmodi, non intendimus reprobare.

XV. *De impeditoribus electionum & postulationum, & qualiter puniantur.*

Conc. Auscitan. ann. 1300. c. 1.

Irrefragabili constitutione sancimus, ut quicumque electionem, postulationem, præsentationem, seu quamvis aliam provisionem canonicam de beneficio, vel dignitate, administratione ecclesiarum, injuste impediunt, patenter vel clam, & cuncti qui per se vel alios gravare præsumpserint electores, postulatores, provisores, præsentatores, in personis & beneficiis vel aliis bonis suis ecclesiasticis, monasteria, aliaque loca pia, consanguineos, vel bona prædictorum, pro eo quod rogati seu alias inducti eum pro quo rogabantur seu inducebantur, eligere, seu præsentare, vel postulare, aut ei providere noluerint, sint excommunicationis vinculo ipso facto innodati. Et ultra hoc si clerici vel regulares fuerint, sint ipso facto per annum fructibus beneficiorum quæ obtinent privati. Et si laici fuerint, prædictam excommunicationis sententiam incurrant: a qua non possint, præterquam in mortis articulo, nisi ab eorum ordinario, satisfactione præhabita, absolvi.

XVI. *Ne super pacifica possessione beneficii ecclesiastici impedimentum inferatur.*

Conc. Auscitan. ann. 1300. c. 8.

Statuimus, quod quicumque malitiose seu fraudulenter procurat impedimenta fieri super pacifica possessione obtinenda beneficii sibi collati, vel impedimentum appositum repellere desinit negligenter, ultra pœnas a jure scriptas, excommunicationis sententia sit ligatus.

XVII. *Ne quis dignitates aut alia beneficia præsumat occupare.*

Hujus sacri concilii edicto statuimus, quod si quis beneficium, cui cura imminet animarum, propria auctoritate vi occupaverit, seu se scienter intruserit in eodem, ipso jure privatus existat beneficio quod cum cura simili primitus obtinebat. Item, si quis voluntate propria violenter dignitates, personatus, aut quæcumque alia beneficia ecclesiastica occupare præsumpserit: eo ipso privatus existat jure, si quod sibi competebat primitus in eisdem.

Conc. Auscit. an. 1300. c. 4. & 5.

XVIII. *Ut beneficiorum incompatibilium pluralitas debeat evitari.*

Cum singula officia singulis sint committenda personis, & unum officium vix digne valeat aliquis adimplere: observari præcipimus, ut nullus cujuscumque ecclesiæ canonicus, regularis vel secularis, duos personatus, aut duas dignitates, vel præposituras, seu administrationes, aut duo officia aut eorum alterum cum reliquo insimul & præbenda, in eadem ecclesia obtineat, vel jam obtenta retinere præsumat: consuetudine aliqua, etiam juramento vallata, non obstante, cum dicenda sit potius corruptela. Nec aliqui monachi, vel religiosi alii, pluribus prioratibus vel ecclesiis curam animarum habentibus, etiamsi cura eadem non per ipsos, sed per presbyteros ad eorum præsentationem per episcopos institutos, præesse præsumant, absque dispensatione sedis apostolicæ speciali: nisi forte unus ex eis vel ab alio dependeat, vel ad invicem sint annexi. Et si secus factum fuerit, irritum sit: & transgressores eo ipso sint inelligibiles, & tamquam ambitiosi, ab utroque penitus repellantur.

Conc. Auscit. ann. 1300. c. 11.

XIX. *Quod negligentia inferioris in acquirendis & retinendis beneficiorum suorum juribus, per ordinarios suppleatur.*

Item statuimus, quod quæcumque ecclesiasticæ personæ jurisdictioni nostræ subjectæ, cujuscumque conditionis, dignitatis, vel præeminentiæ existant, in quacumque nostrarum provinciarum, jura & deveria quæcumque, usibus & consuetudinibus ipsarum ecclesiasticis beneficiis, abbatiis, prioratibus, personatibus dignitatibus, & officiis debita, viriliter omnibus remediis, quibus se juste juvare acquirendo ac retinendo poterunt, & retineant, & requirant: adeo quod non possint de negligentia per superiores redargui vel puniri. Et si dictæ personæ in jamdictis negligentes fuerint vel remissæ, earum superiores possint earumdem supplere defectum, ac exigere, acquirere ecclesiis, & potere antedicta.

XX. *Ne ignorans grammaticam præsentetur, aut ad ordines dignetur promoveri.*

Quoniam illi sunt ad honores ecclesiasticos promovendi, qui moribus, ætate, & scientia pollere noscuntur: statuimus, prohibentes, ne ad sacros promoveantur ordines, nisi personæ quæ grammaticam sciant, seu Latinis verbis loqui valeant competenter. Illi vero ad quos, ratione dignitatum vel personatuum quos obtinent, competit examinare clericos, & ad ordines

ANNO CHRISTI 1368.

nes præsentare, propensius caveant, si hujusmodi cupiunt honore gaudere, ne defectum super hoc patientes scienter ad ordines audeant præsentare. Potestatem autem dispensandi super iis ex causa, & quatenus a jure permittitur, per hoc non intendimus episcopis interdictam.

XXI. *Qualiter leprosi a sanis separentur, & qualiter ex signis eorum cognoscantur.*

a) *Lege*, affectu. H.

Licet compassivæ miserationis [a] effectu diligendi sint, fraternæque caritatis brachiis sint complectendi Christicolæ, quos Divino judicio corporalis lepræ morbus exulcerat: tamen quia morbus ipse contagiosus existit, & serpit in sanorum corpora per contactum; nos volentes eorum communionis periculo præcavere, statuimus ut leprosi hujusmodi a sanis Christicolis maneant sequestrati, nec communes intrent ecclesias, neque forum, aut macellum, vel tabernas, sive alia loca sanis communia, nec pannos portent virgatos seu coloratos, nec pilos, aut comas, nec sepeliantur cum sanis; signaque in vestibus deferant, per quæ a sanis patenti differentia cognoscantur per diœcesanos ordinanda, quodque per ordinarios compellantur ad observantiam præmissorum.

XXII. *Ne sine litteris suorum superiorum, alienigenæ presbyteri ad Divina admittantur.*

Conc. Marciac. ann. 1326. c. 8.

Statuimus etiam, quod ordinariis clericos aut religiosos quoscumque, de alienis & remotis diœcesibus se ad suas diœceses transferentes, ad Divina officia publice non admittant, sine suorum litteris prælatorum.

XXIII. *De non erigendis altaribus in præjudicium diœcesanorum, & eorum pœna.*

Item statuimus, quod si aliquis clericus, religiosus, vel laicus, in aliqua provinciarum nostrarum, absque licentia diœcesani sui, altare de novo ædificare, vel aliquam jurisdictionem de novo sibi usurpare præsumpserit, in ordinariorum vel ordinarii locorum seu loci præjudicium vel gravamen: ipse clericus, religiosus, vel laicus, auctoritate nostra, & præsentis concilii, ex tunc, quasi ex nunc, sit excommunicationis sententia innodatus.

XXIV. *Ut falsi & ficti, qui se asserunt apostolos, evitentur.*

Cum quidam, qui se dicunt apostolos, & religiosos se fingunt, extiterint suis exigentibus demeritis per sedem apostolicam excommunicationis vinculo innodati, & postmodum per orbem vagabundi in multis malis fuerint deprehensi, sintque periculosi homines circa fidem: volumus, & etiam ordinamus, quod ubicumque inventi fuerint, capiantur, & diœcesanis, in quorum diœcesibus capientur, remittantur examinandi, corrigendi, & etiam puniendi.

XXV. *Sine licentia ordinarii, de causis matrimonialibus archidiaconi non cognoscant.*

Conc. Marciac. ann. 1326. c. 4.

Statuimus insuper, quod nullus archidiaconus de causis matrimoniorum vel sponsaliorum cognoscere, vel circa ea censura ecclesiastica uti valeat, sine mandato sui archiepiscopi vel episcopi speciali. Et si quid præsumptum fe-

A cus fuerit, viribus careat ipso facto: nisi de præscripta legitima consuetudine aut privilegio aliud sit obtentum.

XXVI. *Ut gratis causæ apud ordinarios examinentur, consuetudine tamen super hoc observata.*

Statuimus, & ordinamus, atque præcipimus, quod quilibet nostrum archiepiscoporum, episcoporum, atque officiales nostri, & clerici quicumque dictarum provinciarum nostrarum ordinariam jurisdictionem habentes, gratis causas examinent, sententias sponte proferant, nullam inde pecuniam recipientes: salvo eo B quod pro justitia, ratione dominationis, debetur. Notarius autem salarium pro labore percipiat temperatum.

XXVII. *Ubi, & penes quos, causæ matrimoniales debeant agitari.*

Ut animarum periculum evitetur, statuimus ut nullus nostrum archiepiscoporum, & in virtute sanctæ obedientiæ universis episcopis nostrarum provinciarum præcipiendo mandamus, ne causas matrimoniales ad eorum forum spectantes sub generali vel speciali commissione audiri vel decidi permittant, nisi per illos qui statuta canonum non ignorent, & peritiam habeant judicandi, in civitatibus vel locis insignibus, ubi haberi potest copia peritorum. Alias, processus sit irritus & inanis. Per hoc tamen receptionem testium extra loca prædicta, ubi oportuerit, non intendimus prohibere.

XXVIII. *Ne suffraganei impediant quo minus ad metropolitanum libere appelletur.*

Cum honor debitus superioribus ex obedientia & reverentia debeatur, & omnis ordo confundatur ecclesiasticus, si sua unicuique jurisdictio non servetur: statuimus, ut suffraganei ecclesiarum nostrarum, eorumque officiales, & D vicarii, ipsis suffraganeis agentibus in remotis, appellantes vel recurrentes ad nos seu nostras curias, quarum jurisdictio ad nos pertinet de consuetudine vel de jure, non impediant quomodolibet, vel perturbent; nec judicent, statuant, præcipiant aliquid; nec fatigent eorum subditos aliquatenus per se vel alios, quo minus nostra vel curiarum nostrarum seu commissariorum nostrorum mandata in præmissis libere exequantur.

Conc. Marciac. ann. 1326. c. 17.

XXIX. *Ut domini temporales ordinarium non impediant ut ubi voluerit cognoscat: & de pœnis eorumdem.*

Cum in jure cautum existat, archiepiscopos E & episcopos in totis suis diœcesibus jurisdictionem ordinariam obtinere, & in quolibet loco suarum diœcesum non exempto, per se vel alium, posse pro tribunali sedere, causas audire spectantes ad forum ecclesiasticum, & personas ecclesiasticas, cum earum excessus exegerint, capere, & carceribus mancipare, aliaque omnia & singula ad sua spectantia officia libere exercere; & nonnulli domini temporales, judices, seu officiales eorumdem, libertatem ecclesiasticam, sacrorumque statuta canonum offendere, in animarum suarum grande periculum,

Conc. Aven. ann. 1326. c. 42. & ann. 1337. c. 54.

ANNO CHRISTI 1368.

lum, non verentur; personas ecclesiasticas, quas in diversis locis nostrarum civitatum vel diœcesum ac provinciarum, suis excessibus & delictis exigentibus, per suos ordinarios capi & carceri mancipari contigerit, interdum de carceribus extrahunt violenter, impediendo quominus de eorum delictis ac excessibus per judices ecclesiasticos, ad quos pertinet, exhiberi libere valeat justitiæ complementum: nos obviare damnandis ausibus, jusque servare super iis in eisdem civitatibus & diœcesibus ac provinciis cupientes, hoc præsenti approbante concilio statuimus, quod omnes & singuli temporales domini, judices, vel officiales eorum, qui talia de cætero in eisdem provinciis & civitatibus vel diœcesibus præsumpserint attentare, ipso facto excommunicationis sententiam incurrant, eorumque terræ & loca, infra decem dies postquam super hoc fuerint requisiti, extunc ecclesiastico subjaceant interdicto, donec reis, spoliatis carceribus plenarie & libere restitutis, & ordinario, cujus jurisdictionis sunt, emendam præstiterint condecentem.

XXX. *De impeditoribus nunciorum exequentium mandata curiæ ordinariorum, & qualiter punientur.*

Conc. Marciac. ann. 1326. c. 7.

Si quis nuncios seu executores nostros, seu suffraganeorum, seu officialium nostrorum, eorumque missos per nos vel eos, pro convocandis conciliis, synodis, citationibus, vel executionibus, de causis ad forum ecclesiasticum spectantibus, faciendis quibuscumque, indebite per se vel alium vel alios, clam vel palam impediverit, arrestaverit, litteras eisdem abstulerit, fregerit, deleverit, vel occultaverit, percusserit, vel in præmissis vel aliquo præmissorum dederit consilium, auxilium, vel favorem: eo ipso sit excommunicationis vinculo irretitus. Et si dictam excommunicationis sententiam, per sex dies ex tunc immediate sequentes, animo indurato sustinuerit absque satisfactione competenti, locus cum parochiis, in quo dicti excessus seu alter eorumdem commissi fuerint, eo ipso, ecclesiastico subjaceat interdicto: quod interdictum rector observet, mandato superioris non expectato.

XXXI. *Qualiter ad requisitionem ordinariorum, excommunicati debeant in aliis diœcesibus publicari.*

Conc. Aven. ann. 1326. c. 6. & ann. 1337. c. 7.

Item statuimus, quod ex quo per propriam civitatem & diœcesim, lata per prælatum aliquem excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententia fuerit publicata & ibidem exigente rebellione ac inobedientium duritia, per x. dies extiterit solemniter & publice aggravata, licitum sit eidem prælato, hujusmodi auctoritate concilii, cæteros episcopos & prælatos requirere ut dictas sententias, quarum tenores & causas declaret in scriptis, in suis districtibus servent & faciant observari, publicent & faciant diebus ad hoc congruentibus publicari. Et prælatus super hoc requisitus obtemperare teneatur.

XXXII. *Ut nullus in sacris, aut beneficiatus, in curia sæculari ad officia publica nec privata admittatur: & de pœnis eorumdem.*

Conc. Aven. ann. 1326. c. 26. & ann. 1337. c. 31.

Ut nullus clericus habens curam animarum, vel in sacris ordinibus constitutus, possit esse de cætero in judiciis sive causis in curia sæculari advocatus, procurator, syndicus, vel actor, pro aliquo laico, nisi in casibus in jure expressis, vel judex etiam, vel baillivus, in exercenda jurisdictione domini temporalis. Quod si monitus, infra mensem non destiterit, extunc, talis si beneficiatus fuerit, beneficiis suis, auctoritate præsentis concilii, quamdiu persteterit in præmissis, suspendatur: non beneficiatus vero, a liminibus ecclesiæ arceatur, quamdiu persteterit in præmissis.

XXXIII. *Qualiter persona ecclesiastica, dans consilium contra libertatem ecclesiasticam, puniatur.*

Conc. Aven. ann. 1326. c. 25. & ann. 1337. c. 30.

Item, quod quælibet personæ ecclesiasticæ, regulares vel beneficiatæ, vel in sacris ordinibus constitutæ, sæcularium forte principum curias & consilia frequentantes, majores vel minores vel mediæ, cujuscumque dignitatis, ordinis, conditionis, vel status existant, si scienter contra ecclesiasticam libertatem, in præjudicium alicujus ecclesiæ, vel prælati, aut rectoris ecclesiæ, consilium vel favorem aut juvamen ecclesiasticæ libertati contrarium dederint, darive procuraverint, publice vel occulte, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto. Si vero dictam sententiam per annum sustinuerint animo indurato, sint eorum beneficiis ipso facto privati: & si beneficia non obtinent, ab officio sint ad triennium suspensi.

XXXIV. *Ne beneficiatus pro laico contra ecclesiam advocatus existat.*

Cum ecclesia una sit, unum Deum prædicet atque colat, & omnia quæ ipsa ecclesia habet, sit unum patrimonium crucifixi, quilibetque clericus beneficiatus, qui de ipso patrimonio vivit, ipsam non impugnare, immo defendere teneatur: idcirco præsenti constitutione statuimus perpetuo valitura, quod nullus beneficiatus, in aliqua causa quam clericus aliquis contra aliquem laicum ratione sui beneficii habeat, agendo vel defendendo in judicio ecclesiastico, vel etiam sæculari, laico contra clericum, nisi in casibus in quibus permissum est clerico coram sæculari judice postulare, impendat patrocinium in judicio vel extra, publice vel occulte, advocati seu procuratoris officium exercendo. Facientes contrarium, fructibus beneficiorum suorum per annum sint privati: medietate applicanda ordinario, & alia fabricæ dictæ ecclesiæ per ordinarium exigenda.

XXXV. *Quomodo qui per vim aut metum se absolvi faciunt, alia censura arceantur.*

Quicumque judices ecclesiasticos ordinarios, delegatos, vel subdelegatos, absolutionis vel relaxationis cujuslibet excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiarum beneficium impendere vi vel metu compulerint, per locorum ordinarios excommunicati publice nuncientur: & dictum absolutionis vel relaxationis

ANNO CHRISTI 1368.

nis beneficium, denuncietur publice aliquatenus non tenere. Et sic absolutiones vel relaxationes obtinentes, excommunicati vel interdicti denuncientur publice sicut prius. Eadem excommunicationis sententia ligari volumus quoscumque, qui consimili modo bajulos temporalitatis ecclesiæ, seu consules, vel quoscumque alios temporales officiales, quoquo modo vexant, ut citius absolutionis beneficium consequantur.

XXXVI. *Ne judices temporales clericos in actionibus coram ipsis respondere compellant, nec de censura, an juste vel injuste sit lata, cognoscant; & de pœnis eorumdem.*

Conc. Aven. ann. 1326. c. 9.

Item, quod nullus dominus temporalis, judex, seu delegatus ejusdem, cujuscumque conditionis, status, aut dignitatis existat, clericum aut personam ecclesiasticam aliquo modo coram se super criminalibus vel personalibus citet vel citari faciat, seu quoquo modo distringat: exceptis causis feudalibus, in casibus a jure concessis. Quod si fecerit, & in hoc perstiterit, & infra VIII. dies se non correxerit, & quod incaute præsumpserit, non relaxaverit: ex tunc excommunicationis sententiam incurrat. Similem pœnam excommunicationis, partes, ad quarum instantiam trahuntur, incurrant, ad judicium sæculare advocantes. Item, quod de excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiis, scilicet an juste latæ fuerint vel injuste, vel de aliis causis spiritualibus vel ecclesiasticis, seu ad forum ecclesiasticum de jure vel antiqua consuetudine & observantia spectantibus, se nullatenus intromittant, nec judices ecclesiasticos vel personas super iis recurrentes ad illos in hujusmodi quomodolibet impediant vel perturbent, nec super prædictis dent auxilium, consilium, vel favorem. Alias prædicta excommunicationis sententia sint ligati: & locus ubi contra statutum hujusmodi per supradictos judices, bajulos, consules, officiales, & quemvis alium temporalem, aliquid factum fuerit, ecclesiastico subiaceat interdicto. A qua quidem sententia irretiti, eadem nullatenus absolvantur, nec interdictum relaxetur hujusmodi, nisi satisfactio prius facta fuerit, vel impensa. Et locus ubi contra constitutionem præsentem aliquid fuerit per temporales officiales ordinatum, eo ipso, ecclesiastico sit suppositus interdicto, donec omnia cum effectu fuerint revocata.

XXXVII. *Ne ad publica officia excommunicati publice admittantur.*

Conc. Aven. ann. 1326. c. 16. & an. 1337. c. 20.

Hujusmodi insuper concilii sacra & perpetuo valitura constitutione sancimus, quod nulli publice excommunicati, in judices, consules, rectores, bailivos, potestates, assessores, vel notarios, aut ad quævis officia publica, assumantur quomodolibet, nec etiam admittantur. Et si de facto admissi fuerint, sententiæ per tales, vel eorum aliquem, & quicumque processus per eos vel eorum auctoritate in judicio vel extra habiti, & munimenta coram ipsis vel per ipsos facta, sint nulla & nulli, ac irrita & irriti eo ipso. Et quicumque, cujuscumque dignitatis, conditionis, aut status existam, si tales excommunicatos ad aliquod hujusmodi officiorum scienter assumpserint, vel assumptos per alios approbaverint vel confirmaverint: similem incurrant excommunicationis sententiam ipso facto.

ANNO CHRISTI 1368.

XXXVIII. *Qualiter capti clerici per temporales, curiæ ecclesiasticæ remitti honeste debeant, & sine ulla innovatione facta in personis captorum. Contra facientes pœna hic contenta puniantur.*

Conc. Aven. ann. 1326. c. 19. & an. 1337. c. 17.

Quia malitiis hominum est occurendum, nos attendentes quod nonnulli domini temporales, senescalli, vicarii, & alii sæcularium curiarum officiales, prout comperimus, manus temerarias ad capiendum clericos passim & indifferenter aliasque personas ecclesiasticas incuriaiter, & eo modo quo possunt turpius, ad majorem confusionem ecclesiæ, extendere non verentur; quin immo ipsos suis carceribus mancipant, & ibidem nonnunquam eos radi faciunt totaliter vel tonderi, & mutare habitum cogunt, seu etiam permittunt, confingentes tales clericos non fuisse, vel non esse in possessione clericatus, seu quasi, in suarum periculum animarum, & enervationem ecclesiasticæ libertatis: prohibemus ne a quocumque talia vel similia de cætero attententur; & talia attentantes, seu facientes, cujuscumque status, gradus, conditionis, vel dignitatis existant; sive sint laici, sive ecclesiasticæ personæ, sæculares vel etiam regulares, excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto. Si vero flagrante crimine capi eos contigerit: ipsos, quam citius poterunt, ad curiam ecclesiasticam ducant, & eos restituant sine fraude. Si tamen de nocte talis ceperint, debeant in crastinum, sine retentione rerum suarum, vel læsione personarum, sine requisitione alia reddere eos curiæ supradictæ; nec eis liceat aliquid a captis hujusmodi dono vel gratia sub colore aliquo extorquere, vel recipere gratis data. Et si in civitate, castris, vel villis, captionem hujusmodi fieri contingat: adducant ipsos, quam citius poterunt, ad ecclesiasticam curiam, vel transmittant sub fida custodia, & expensis ipsius curiæ moderatis. Quod si secus egerint, vel in fraudem aliquid super hoc attentaverint: eadem sententia involvantur. Et si clericum detentum de loco ad locum mutaverint: omnia loca illa tamdiu sint & remaneant interdicta, donec clericum captum cum rebus suis diœcesano restituerint, & de injuria irrogata ad arbitrium diœcesani satisfecerint competenter.

XXXIX. *Prorogatio jurisdictionis in invasores & occupatores ecclesiasticorum bonorum, & sententiam exercendo.*

Conc. Aven. anno 1326. c. 19.

Cum quanto quis passus injuriam in majori statu existit atrocior injuria judicetur, & ideo sit cautius & uberius providendum: igitur si cui nostrum archiepiscoporum & episcoporum vel ecclesiarum nostrarum, seu nostrorum familiariorum clericorum, in personis vel rebus fuerit injuria vel violentia irrogata, sicut posset quilibet ex nobis archiepiscopis & episcopis & nostris officiariis & vicariis, ac vicem gerentibus & locatenentibus, procedere de jure, consuetudine, vel statuto, contra injuriatores, violatores, & turbatores hujusmodi, si in propria diœcesi facta essent: sic etiam possint, si extra propriam diœcesim & provinciam, duo tamen in-

ANNO CHRISTI 1368.

infra nostras provincias sint commissa, simpliciter, & de plano, & sine strepitu & figura judicii, citare, informationes recipere, inquirere, diffinire, declarare, & omnem jurisdictionem & censuram ecclesiasticam exercere, ad satisfactionem sufficientem & debitam obtinendam. Per hæc autem non intendimus, quod ordinario præjudicium generetur, quin etiam ex officio possit procedere ad pœnam debitam imponendam, ac etiam ad faciendum satisfieri injuriam passis, si ab eis fuerit requisitus. Et ut prædicta omnia roboris obtineant firmitatem: nos omnes archiepiscopi & episcopi, & procuratores episcoporum absentium, super iis plenam & expressam concedimus facultatem. Noc obici valeat contra tales processus, quod extra territorium jus dixerit sic procedens: quia, quo ad præmissa & quælibet præmissorum, jurisdictionem nostram & nostrum cujuslibet, vicissim inter nos omnes in nostrorum singulos prorogamus, vices nostras nobis ad invicem, & dictarum provinciarum, civitatum, & diœcesum singulis cujuscumque nostrum officialibus & locatenentibus, præsentibus & futuris in solidum committentes: universisque nostris subditis injungentes, ut in præmissis sic procedenti pareant & intendant. Quod nisi fecerint, possit procedens per censuram ecclesiasticam animadvertere in eosdem. Et nihilo minus, si nos archiepiscopi aut episcopi sic procedentes, requisiti, prætermiserimus suas in hac parte justas requisitiones aliquatenus exaudire, aut id super quo requisiti fuerimus, non curaverimus infra quindecim dies perducere ad effectum: requisitus, eo ipso per unum mensem auctoritate præsentis concilii a pontificalibus sit suspensus: statuto hujusmodi per decennium, & post per aliud sequens decennium, nisi interim revocatum fuerit, valituro. Ita tamen, quod per hoc, sic procedenti in aliena civitate vel diœcesi, nullum jus aut jurisdictio in posterum ex longinquitate temporis, vel post statutum proximum terminum, acquiratur.

XL. *Super causis mere spiritualibus, aut de jure vel consuetudine ad forum ecclesiæ pertinentibus, quo minus judex ecclesiasticus cognoscat, secularis judex arceri possit.*

Conc. Aven. ann. 1326. c. 35. & ann. 1337. c. 55.

Cum nonnulli temporale dominum obtinentes, seu sæcularis justitiæ potestatis gerentes officium, jurisdictionem sanctæ matris ecclesiæ subvertere vel minuere exquisitis astutiis moliantur: nos eorum malitias ultione canonica reprimere cupientes, approbante præsente concilio statuimus, inhibendo, ne qui in foro ecclesiastico litigantes seu litigare volentes super causis mere ecclesiasticis, sive quæ ad forum ecclesiæ de antiqua & approbata consuetudine & hactenus observata pertinere noscuntur, ad desistendum compellant, seu alias quoquo modo procurent per ipsorum, vel parentum, consanguineorum, seu rerum eorum, vel personarum hujusmodi captionem, modisve aliis quibuscumque. Si vero contra facere præsumpserint, excommunicationis sententiæ, auctoritate præsentis concilii, se noverint subjacere.

XLI. *Quod de omnibus contractibus, tam vassallaticis, quam emphiteotecariis, duo fiant publica instrumenta.*

Statuimus insuper & perpetuo ordinamus, quod de omnibus contractibus, tam vassallaticis quam emphiteotecariis, rerum ecclesiasticarum, infra nostras provincias deinceps duo fiant necessario publica instrumenta per alphabetum divisa: quorum unum penes se habeat dominus ecclesiasticus, & alterum vassallus seu emphiteota.

XLII. *Ne apud creditores instrumenta remaneant, post quam eis fuerit satisfactum, pœna contra eos imminente.*

Cum nulla juris patiatur ratio, quod bis idem debitum exigatur: nos volentes materiam exigendi bis idem debitum, & vexationes indebitas, quantum possumus, amputare: statuimus, quod nullus creditor, Christianus vel Judæus, postquam sibi fuerit integre de debito satisfactum, possit nec debeat instrumentum vel mandamentum soluti jam debiti retinere: nisi forsitan creditor ad aliquam cautelam vellet instrumentum prædictum vel mandamentum in præsentia solventis cancellatum & ruptum penes se conservare: ac etiam apocham, si petatur, teneatur facere de soluto. Creditor autem si, postquam per debitorem soluto debito fuerit requisitus, restituere vel rumpere & cancellare non curaverit instrumentum vel mandamentum prædicta: si Christianus fuerit, eo ipso, auctoritate præsentis concilii, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto. Eamdem excommunicationis sententiam incurrere volumus creditores Christianos, qui in animarum suarum detrimentum bis idem debitum in totum vel in partem exigere nituntur. Si vero Judæi fuerint, a participatione fidelium sint exclusi.

Conc. Aven. ann. 1337. c. 55.

XLIII. *Vassalli ecclesiæ, vel emphiteotæ, in alium transferendo res vassallaticas, in contractu exprimant qualiter ab ecclesia teneantur. Quod si omittant dicere, pœna constitutionis puniantur.*

Quia quidem suæ salutis immemores, tenentes ab ecclesiis castra, villas, domos, terras, nemora, vel prata, seu quavis possessiones, in emphiteosim, vel sub certo feudo, dominio, senhoria, censu, servitio, pensione, vel præstatione quacumque, plerumque illas & illa vendunt, permutant, vel donant, seu alias ignorante domino distrahunt, nulla de emphiteosi, feudo, dominio, senhoria, censu, servitio, pensione, vel præstatione, quod ab ecclesia teneatur, habita mentione: quinimmo interdum ipsas seu ipsa, tanquam ab omni censu, servitio, & pensione, vel minori parte, seu quovis alio jure ecclesiis debito, liberas, alienant: nos tam saluti talia volentium attentare, quam indemnitati ecclesiarum providere volentes, statuimus, quod quicumque tenens ab ecclesiis nostris, vel aliis personis ecclesiasticis nobis subjectis, castra, villas, domos, possessiones, vel alias res immobiles, seu loca, vel jura, cum ad venditionem, donationem, permutationem, seu quamvis aliam aliena-

Ibid. c. 5.

ANNO CHRISTI 1368.

nationem eorum vel earum duxerit procedendum, de feudo, emphiteosi (etiamsi canon vel pensio propterea non solvatur) censu, servitio, dominio, vel senhoria, pensione, seu quavis alia præstatione eisdem ecclesiis debitis, etiamsi in alienatione de jure vel consuetudine non sit illius a quo tenentur requirenda scientia vel consensus, plenam & expressam debeant facere mentionem. Alias, si aliquid prædictorum in toto vel in parte ecclesiis debitorum in contractu vel alienatione hujusmodi celaverint, vel scienter omiserint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto. Eamdemque pœnam incurrat notarius, qui sine expressione hujusmodi jurium, de contractu scienter vel fraudulenter faciet instrumentum.

XLIV. *Super juramento præstito a laico, ut ipse & ejus hæredes coram judice ecclesiastico pro ejus observatione valeant conveniri.*

Conc. Marciac. ann. 1326. c. 22.

Si qui laici, principaliter vel fidejussorio nomine, super contractibus, vel alias, juramento corporaliter præstito, vel fide interposita, se obligaverint: ut possint super hujusmodi contractibus coram ecclesiastico judice conveniri, ad cujus forum, ratione juramenti, vel interpositionis fidei, causæ & causarum hujusmodi cognitio noscatur sine dubio pertinere. Et idem statuimus de heredibus, & ab eis causam habentibus & habituris, super hac observantia. In contrarium facientes, vel venientes, vel quoad hoc jurisdictionem ecclesiasticam perturbantes, vel forum ecclesiæ vel litigantium super hoc impedientes, pœnæ excommunicationis volumus, auctoritate præsentis concilii, subjacere.

XLV. *Quomodo juramentum præstitum moniti servare per judicem ecclesiasticum teneantur: & qualiter contra eos procedendum existat.*

Ibid. c. 15.

Statuimus insuper, ut quicumque transgressores juramenti manifeste fuerint deprehensi, ad mandatum nostrum seu suffraganeorum, aut officialium nostrorum, vel eorum alterum *, aut judicum sedis apostolicæ competentium, prout ad quemlibet talium jurisdictio noscitur pertinere, in ecclesiis eorum publice denuncientur perjuri. Qui si admoniti, satisfacere noluerint: extunc excommunicentur, candelis extinctis, & pulsatis campanis, singulis diebus Dominicis & festivis; denuncientur infames, nec ad testimonium aut ad actus legitimos admittantur, neque in foro pœnitentiæ, præterquam in mortis articulo, absolvi valeant, nisi a nobis vel suffraganeis nostris, prout eis subsunt, vel ab illo seu illis qui a nobis seu ipsis super hoc mandatum habuerint speciale. Et nomina talium per rectores in ecclesiis conscribantur. Et hoc statutum frequenter in ecclesiis cathedralibus & parochialibus præcipimus publicari.

* Corr. alterius.

XLVI. *De cappis portandis per canonicos ecclesiarum cathedralium & collegiatarum in Divinis officiis.*

Statuimus quod abbates, priores, præpositi, decani, & archidiaconi, & alii quicumque in dignitatibus constituti, ac canonici cathedralium vel collegiatarum ecclesiarum sæcularium vel regularium, infra ecclesias suas & claustra, ad Divina officia & processiones, a festo omnium sanctorum usque ad sabbatum Paschæ, A deferant cappas nigras: exceptis diebus, quibus cappis sericis solent uti. Alioquin in choro superiori vel majori non sedeant, nec in processionibus inter cappatos incedant, sed eos præcedere teneantur.

XLVII. *Quomodo se habeant in vestibus portandis dignitates in ecclesia habentes.*

Statuimus & statuendo præcipimus, ut omnes & singuli, dignitates & personatus obtinentes nostrarum provinciarum, vestes superiores clausas deferant & honestas: nisi eos contingeret equitare, vel alias justa causa subesset, per quam qualitatem prædictam deberent ratio- B nabiliter immutare. Nec capucia deferant botonata, nec beccas longas: & strictas manicas supertunicales tales deferant, quod non possint de inhonestate notari.

XLVIII. *De familiaribus & scutiferis episcoporum in vestibus portandis, quales portare teneantur.*

Insuper statuimus, & statuendo præcipimus, ut omnes & singuli episcopi, & prælati, & aliæ personæ ecclesiasticæ beneficiatæ nostrarum provinciarum, quantum in eis fuerit, faciant, ut nullus familiaris ipsorum, sotulares deferat cum polanis, nec vestes, nimia brevitate no- C tandas, sed in tali & tam convenienti longitudine, quamdiu erunt in eorum servitio, quod de honestate potius commendari valeant, quam de inhonestate reprehendi.

XLIX. *Ne personæ ecclesiastica temporalem jurisdictionem habentes, malefactores receptent.*

Cum summum bonum sit in terris justitiam colere, cujus cultus [a] extra sustentationem malefactorum & bannitorum multipliciter impenditur: statuimus sacro concilio approbante, quod nulla persona ecclesiastica sustineat malefactores vel bannitos in locis suis, in quibus justitiam obtinet temporalem. Si vero contra D fecerit, arbitrio sui ordinarii puniatur.

a) Forte, ex sustentatione . . . impeditur H

L. *Qualiter canonici in eorum ecclesiis juxta eorum gradum officiare teneantur: & si non faciant, quomodo puniantur.*

Volentes officium Divini cultus pro viribus ampliare: statuimus, quod quilibet residens intitulatus in ecclesia cathedrali vel collegiata, sæculari vel regulari, habeat in hebdomada sibi assignata officiare ecclesiam in ordine in quo fuerit constitutus: scilicet presbyter Missam dicere, diaconus evangelium, & sic de aliis. Et prædicta habeant executioni mandari per deputandum vel deputatum per eorum su- E periores, qui ecclesiis præsunt supradictis. Et si in iis dicti inferiores non obedierint prælatis suis, vel illis qui per eos fuerint deputati: per subtractionem præbendæ unius septimanæ, vel ut prælato suo videbitur, puniatur: alias nihilo minus plus vel minus legitime puniendus, prout pravitas vel inobedientia meruerit delinquentis. Super prædictis vero, conscientiæ ordinariorum aut eorum superiorum committitur, quod dispensare valeant, si ipsis ordinariis videbitur faciendum.

LI.

ANNO CHRISTI 1368.

LI. *Plena provisio, in quo statu debet succedens in beneficio ecclesiam retinere.*

Conc. Aven. an. 1326. c. 52. & an. 1337. c. 61.

Statuimus, quod si contingat quemquam ecclesiam aliquam suam quomodolibet dimittere sine morte, juxta æstimationem legitimam & ejusdem ecclesiæ facultates, relinquat ibidem in bonis mobilibus tantum, quod personæ necessariæ ipsi ecclesiæ & domui ejusdem, inde possint vivere usque ad novos fructus, & commode sustentari, & onera eidem ecclesiæ interim incumbentia supportare, & animalia aratoria, & ornamenta ecclesiæ, & supellectiles consuetas: quodque successor quilibet omnia ornamenta ecclesiastica, & universam domus supellectilem in pannis & aliis, in illo statu conservet, & meliori, si poterit, ac reddere teneatur in quo recipiet ecclesiam supradictam.

LII. *De distributionibus percipiendis quotidianis interessentibus in Divinis.*

Conc. Aven. ann. 1337. c. 50.

Cum laborantibus in vinea Domini diurnus debeatur denarius, & negligentibus seminare in benedictionibus messis temporalis juste debeat denegari: auctoritate præsentis concilii statuimus & etiam ordinamus, ut nullus canonicus cathedralis seu collegiatæ ecclesiæ, seu alii clerici perpetui beneficiati in eisdem ecclesiis, cujuscumque dignitatis aut conditionis existant, etiam prætextu alicujus assumpti officii, vel etiam servitii colorati, distributiones quotidianas, quæ solis horis canonicis interessentibus dari debent, recipiat, nisi in eisdem horis personaliter intersit, aut occasione dicti officii & pro negotiis capituli utilibus, omni fraude cessante, fuerit personaliter occupatus, seu infirmitate detentus; quacumque donatione, remissione, vel gratia contra hæc nullatenus valitura.

LIII. *Quomodo & per quem bona ecclesiastica vacantia custodiantur, prælato decedente.*

* *sic.* jux ant. can.

Cum non sine gravi peccato, quod scum non est possit aliquis retinere, * antiquum canonem: hoc hujusmodi placiti ad memoriam reducentes, sacro approbante concilio statuimus, quod post mortem archiepiscopi, aut episcopi, vel alterius prælati provinciarum nostrarum, vel alicujus earumdem, bona ejus ecclesiastica ad manus aliquorum fide dignorum perveniant, secundum quod in ecclesia defuncti de consuetudine est observatum. Vel si consuetudo cessat, duo eligantur fide digni, si præerat defunctus collegio vel conventui, aut ab episcopo diœcesano, vel ejus locumtenente, si defunctus collegio vel conventui non præerat, qui bona recipiant supradicta; & infra x. dies, tales administratores, seu procuratores, adhibito tabellione publico, & testibus ad hoc specialiter convocatis, conficiant de omnibus rebus defuncti mobilibus, & immobilibus, & se moventibus inventarium. Et si per negligentiam hoc fuerit omissum, prædicti procuratores ad duplum teneantur. Si vero prædicti administratores, vel aliquis alius, de bonis prædictis aliquid invaserit, vel rapuerit, vel temerit fraudulenter; & legitime admonitus, bona sic retenta sine diminutione non restituerit; præsentis auctoritate concilii se noverit excommunicationis sententia innodatum. Admonemus autem archiepiscopos, episcopos, & alios prælatos provinciarum nostrarum, ut in eorum vita, si commode fieri poterit, vel rebus prædictis confici faciant inventarium, & illud cum diligentia observari.

ANNO CHRISTI 1368.

LIV. *Pœna impœsita contra occupatores bonorum ecclesiæ sede vacante.*

Statuimus, ut quæcumque capitula, conventus, collegia, & singulares personæ ecclesiarum cathedralium, collegiatarum, sæcularium & regularium, vacantia bona ipsarum indebite occupaverint in eorum dispendium & jacturam, eo ipso excommunicationis sententiam incurrant, si singulares personæ extiterint. Si autem universitas, tunc ad duplum rerum sublatarum teneatur.

Conc. Aut. seu. ann. 1300. c. 8.

LV. *Quomodo clerici & laici puniantur, qui sede vacante bona ecclesiæ saisiri faciunt, aut præsumunt.*

Hoc consulto prohibemus statuto, ne patroni aut quicumque alii sæculares, ecclesias vacantes occupent, saisiant, seu saisire aut occupare faciant. Quod si contrarium præsumpserint attentare, excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, & illa vice eorum filii, & quicumque alii, ad eorum instantias ad obtinendum dictas ecclesias sint inhabiles penitus & indigni. Et si de facto, quod absit, conferantur eisdem: collocatio hujusmodi sic præsumpta, nullius sit penitus momenti, nisi ex antiqua consuetudine & laudabiliter approbata hoc competat eisdem.

Conc. Nugarol. an. 1315. c. 8.

LVI. *Per quos, administratores ecclesiæ vacantis eligantur, & qualiter in administratione se habeant, plene providetur.*

Ut ii quibus administratio bonorum archiepiscopalis vel episcopalis dignitatis competit sede vacante ex consuetudine vel statuto, vel qui ad hoc per capitulum eliguntur, sciant se solam administrationem & custodiam dictorum bonorum habere: statuimus, ultra remedia jam provisa, quod ille qui administrationem hujusmodi exercebit, ad palatium seu hospitium episcopale, nisi de expresso consensu capituli, se non conferat ad morandum, nec de cartulario, seu archivo, vel alio loco ubi teneantur privilegia, instrumenta, seu regestra, libros, seu alias scripturas abstrahat, nisi ipsis pro dicta administratione indiguerit: & tunc de consensu capituli, & præsentibus duobus vel tribus canonicis per ipsum capitulum deputatis, vel aliquo de principalioribus officialibus vel cappellanis dicti defuncti, una cum duobus vel tribus rectoribus vel vicariis, curatis, vel aliis probis sacerdotibus civitatis vel diœcesis ejusdem: & statim cum ipsis non indiguerit, ea in loco unde abstracta fuerint restituat vel reponat: nec pro ejus expensis aliquid de dictis bonis recipiat vel expendat, nisi ipsum pro negotiis ipsius dignitatis oporteat de consensu capituli & extra suum domicilium proficisci. In quo casu dumtaxat, quamdiu circa expeditionem dictorum negotiorum extiterit, possit moderatas expensas recipere & habere. Et teneatur futuro ipsius ecclesiæ prælato de tota dicta administratione, quam citius poterit commode, fidelem reddere rationem. Et quicquid apud ipsum, ratione reddita, repertum fuerit su-

ANNO CHRISTI 1368.

superesse, necnon privilegia, instrumenta, regestra, libros, & scripturas alias, quæ, seu quas, de chartulario seu archivo vel alio loco abstraxerit, nisi jam restituerit, ut est dictum, integre & realiter restituat infra mensem. Illi vero qui hactenus privilegia, instrumenta, regestra, libros, & scripturas alias, quæ seu quas de dictis chartulario, archivo, vel alio loco abstraxerint, vel penes se retinuerint scienter, aut tunc habuerint, infra duos menses dicto prælato restituant. Alioquin, nisi restitutionem hujusmodi fecerint de prædictis, excommunicationis sententiæ se noverint subjacere: statutis & consuetudinibus contrariis non obstantibus quibuscumque. Sane quia frequenter archiepiscopi & episcopi, ex privilegio sedis apostolicæ testantur etiam de bonis intuitu ecclesiæ acquisitis, vel alias, quantum eis a jure permittitur de bonis suis ordinant vel disponunt: caveat dictus administrator, & etiam capitulum diligenter, quod executionem testamenti, vel ordinationem, seu dispositionem factam canonice, non impediant vel perturbent, nec aliquid scienter, malitiose vel dolose occupent vel faciant occupari de bonis prælati defuncti, sed ea libere permittant executoribus testamenti prælati defuncti. Alias, si qua de bonis ipsius prælati defuncti, ut prædicitur, præsumant occupare, vel hactenus præsumpserint, & infra mensem ex quo fuerint requisiti, plenarie non restituerint executoribus supradictis: ipso facto sententiam excommunicationis incurrant: Et quoniam ut plurimum successor prælati defuncti, qui condidit testamentum, petit de bonis defuncti provisionem usque ad novos fructus, ex quo semper sequuntur litigia, & dicta bona in litigiorum anfractibus expenduntur: nos volentes hoc evitare, decernimus, quod si successor archiepiscopi vel episcopi aut cujuslibet prælati collegiatæ ecclesiæ, vel rectoris, vel vicarii perpetui ecclesiæ parochialis, fructibus post mortem prædecessoris sui collectis & postea colligendis contentus esse noluerit, sed provisionem de bonis sui prædecessoris petierit, computentur fideliter omnes fructus, redditus, & proventus dictæ dignitatis, vel parochialis ecclesiæ, totius anni, quo vacavit, qui annus incipiat in festo B. Joannis Baptistæ, & dividantur inter defunctum & successorem, pro rata temporis illius anni, quo quilibet præfuit dictæ dignitati vel ecclesiæ, & ipsius onera supportavit. Hoc autem extendi nolumus ad alia beneficia, cum eadem obtinentes non habeant tot onera supportare: sed servetur in eis quod est de jure statutum, vel consuetudine approbatum. Hujusmodi vero provisionem ad rectores vel vicarios perpetuos ecclesiarum parochialium extendi non intendimus, in civitatibus, diœcesibus, vel provinciis, ubi aliud de statuto vel rationabili consuetudine est obtentum.

LVII. *Baillivia & scribania ad prælatos spectantes, ad voluntatem, non ad vitam, conferantur.*

Statuimus, quod nullus nostrum archiepiscoporum vel episcoporum, nec prælatus, seu capitulum alicujus ecclesiæ cathedralis vel collegiatæ, de aliqua provinciarum nostrarum, vel aliqua singularis persona de ipso capitulo, baillivias, scribanias, seu alia officia, ad nos seu dignitates vel beneficia nostra spectantia, possit de cætero alicui personæ concedere ad ejus vitam, sed ad beneplacitum dumtaxat concedentis seu concedentium eorumdem.

LVIII. *Bona ecclesiæ quæcumque, ad sigillum cujuscumque domini temporalis minime obligentur.*

Volentes ecclesiarum indemnitatibus providere: statuimus, quod aliquis prælatus vel clericus beneficiatus, cujuscumque status vel conditionis existat, bona dignitatis vel etiam beneficii sui obligare sub sigillo regis vel alicujus domini temporalis non præsumat. Et si contra faceret, eo ipso excommunicationis sententiæ ipsum decernimus subjacere.

LIX. *Ne quis bona clericorum in ædem sacram deposita sub banno ponere præsumat.*

Denunciari præcipimus publice excommunicatos, universos & singulos dominos temporales, judices, & alios quoscumque, qui apud ædes sacras deposita bona ecclesiarum vel ecclesiasticarum personarum, arrestaverint, saisiverint, vel occupaverint, & qui arrestari, saisiri, vel occupari mandaverint, & qui talia occupata, saisita, seu arrestata receperint, & qui in prædictis scienter dederint publice vel occulte consilium, auxilium, vel favorem, excommunicatos ex nunc ut ex tunc haberi volumus ipso facto.

LX. *Quomodo & qualiter ordinarii in exequenda ultima voluntate habere se debeant, & quem processum inde habeant exercere.*

Periculosæ negligentiæ perversæque heredum malitiæ, defunctorum, & eorumdem ultimarum voluntatum executorum, occurrere cupientes, & ut piæ voluntates defunctorum, effectum debitum sortiantur: nos, sacro approbante concilio, statuimus, ut tam nos archiepiscopi & successores nostri, quam venerabiles fratres nostri episcopi provinciarum nostrarum, & cujuslibet eorumdem, & eorum successores, visitationis officium exercendo, & alias quandocumque nobis vel eis videbitur expedire, possimus super executionibus testamentorum, circa relicta ad pias causas inquirere & procedere ex mero & puro officio, absque libelli oblatione & litis contestatione, & absque strepitu & figura judicii, simpliciter & de plano, ipsaque negotia, veritate cognita, decidentes, voluntates ultimas defunctorum executioni debitæ demandare: cum nil cautum * hominibus debeatur, quam ut extremæ voluntatis liber sit stilus, & liberum, quod postea non redit, arbitrium: eademque forma possit servari super usurarum restitutionibus faciendis. Et licet hæc fuissent jam a jure permissa: volumus, quod præsens statutum non tantum futura negotia, sed & præterita, & adhuc pendentia complectatur.

* Corr. tantum.

LXI. *Prælati in vita vel in morte, ecclesiæ cui præfuerint, certam capellam hic relinquant, ad summam designatam.*

Cum ob honorem Dei & cultus Divini, ecclesiæ, maxime cathedrales, pulcris pollere debeant ornamentis, idcirco sacro approbante concilio statuimus, quod quilibet nostrum archiepis-

ANNO CHRISTI 1368.

piscoporum & episcoporum provinciarum nostrarum, in vita sua unam cappellam integram de pulchris pannis & nobilibus, ecclesiæ cui præfuerit, vel centum florenos auri pro eadem emenda relinquere teneatur. Et ad hoc sint ejus bona, quæcumque habuerit dicto tempore, obligata.

LXII. *Curati in suorum parochianorum voluntatibus ultimis, si commoda vocare possint, assistant. Et qualiter notarii in manifestando dictas ultimas voluntates habere se debeant. Et per quem legata incerta & quomodo distribuenda existant.*

Conc. Avenn. 1326. c. 3. & ann. 1337. c. 24.

Ne relicta in testamentis vel aliis ultimis voluntatibus, causa emendæ, vel ad pias causas eleemosynæ, vel restitutionis certæ aut incertæ, forsitan occultentur: statuimus, ut presbyter parochialis interesse rogetur ordinationi testamenti, si haberi poterit: & quod notarius, qui receperit testamentum aut aliam ultimam voluntatem, infra octo dies a die obitus numerandos, prælato, vel officiali, aut presbytero parochiali, copiam illius articuli, ubi quævis eleemosyna piis est usibus deputata, vel emenda seu restitutio facienda, sub pœna excommunicationis, quam ipso facto, si requisitus reddere negaverit, incurrat, facere fideliter teneatur. Si vero testamentum per suum presbyterum receptum fuerit; quod presbyter, omnium legatorum piorum in dicto testamento factorum copiam clausulæ vel clausæ seu ordinario, seu ejus officiali, infra præfatum VIII. dierum terminum, sub excommunicationis pœna, mittere teneatur. Et ille vel illi cum heredibus vel executoribus testatoris ordinare festinent, quod emendæ non occultentur, & eleemosynæ sic relictæ, vel restitutiones hujusmodi, non pereant ad tempus magnum, vel modicum, aut forte perpetuo. Adjicientes insuper, quo incertæ restitutiones nulli per aliquem, præter diœcesani licentiam, præbeantur; nec distribui præsumantur alibi, quam ubi prælatus duxerit ordinandum, etiamsi contrarium a testatore dictum esset: nisi testator, executoris vel executorum suorum arbitrio faciendam restitutionem & distributionem hujusmodi ordinasset. Quo casu, executores a tempore mortis, ubi tempus restitutionis vel distributionis non esset testamento insertum, alias ab illo expresso tempore computandum, infra sex menses debeant fideliter defuncti exequi voluntatem. Quod si non fecerint: extunc diœcesani restitutiones & distributiones incertas faciant, intentionem defuncti, quantum poterunt, imitantes. Executores autem prædicti, ut magis habeant materiam fideliter exequendi: de distributionibus & de restitutionibus prædictis, diœcesano reddere teneantur rationem. Ad hæc autem adjicimus & mandamus, quod presbyteri in synodis venientes, prælato suo vel officiali ejus, in scriptis testatorum & executorum nomina, & quantitatem hujusmodi præsentare *. Cum in eo, in quo alicujus interesse rationabiliter tangitur, ejus vocatio debita requiratur: volumus insuper & inhibemus, quod in distributionibus legatorum, quorum divisioni seu executioni habent interesse episcopi de consuetudine vel de jure, vocari debeant episcopi, seu locatenentes ipsorum: quibus equidem non vocatis, nulla præsumatur fieri distributio de legatis. Et si facta fuerit, heredi vel successori, vel illi cui relictum est, nulla ex tali distributione libertas acquiratur.

* *Adde ex conc. Avenn. in virtute obedientiæ teneatur. Atque sic definit canon 20. Avenionensis. Cætera, quæ hic sequuntur, efficiunt canon. 21. Avenn.*

ANNO CHRISTI 1368.

LXIII. *Super sepultura inter duas ecclesias orta dissensione, qualem processum ordinarius habet exercere.*

Si super electione sepulturæ alicujus defuncti dubium inter duas ecclesias, vel alias, inter partes oriatur: ad ordinarium vel officialem illius, sub cujus jurisdictione defunctus degebat tempore mortis ejus, protinus recurratur: qui summarie, & absque figura & strepitu judicii, de dubio cognoscat hujusmodi; & antequam corpus defuncti tradatur ecclesiasticæ sepulturæ, si possit absque onere * & scandalo reservari, breviter diffiniat quæstionem prædictam: & quod deinde diffinierit, non obstante appellatione, executioni debitæ demandetur. Si vero causæ cognitionem, vel propter officialis absentiam, decisionem dicti dubii, differri contingat, & cadaver hujusmodi absque scandalo inhumatum nequeat reservari: si in parochia sua hujusmodi obierit, in eadem; si vero in alia, in ipsa, absque ipsarum partium præjudicio, sub commenda tumuletur, quousque dictum dubium fuerit terminatum. Si qui autem in præmissis contradictores extiterint aut rebelles, recipiendo ipsum corpus, alibi deportando sepeliendum, dando auxilium, consilium, vel favorem: loca, eo ipso, ecclesiastico subjaceant interdicto, a quo nullaterus liberentur, quousque ad cognitionem ordinarii de præmissis satisfactionem fecerint competentem. Necnon præcipimus sub excommunicationis pœna, quam contrarium facientes incurrere volumus ipso facto, ut nullus, cujuscumque conditionis aut status existat, dictum funus, antequam cognitum fuerit apud quam ecclesiam tumulari debeat, dictum corpus sic injuriose receptum sequatur, seu concomitare præsumat. Eamdemque sententiam incurrere volumus quemcumque asportantem per se, vel per alium, pannum seu pannos aureos sericos, vel tortitia, ad locum funeris sic recepti, ut præfertur. Adjicientes insuper: quod si illi qui ante cognitionem prædictam corpus receperint, asportaverint, seu asportari fecerint, per se vel alium, sive dantes super hoc auxilium, consilium, vel favorem: si fuerint religiosi mendicantes, eo ipso, ab auditione confessionum in omnibus nostris provinciis ac diœcesibus propriis, & publica propositione verbi Dei perpetuo sint exclusi.

Conc. Marciac. ann. 1326. c. 22.

* al. de loco.

LXIV. *De corporibus defunctorum, eorum ecclesiis præsentandis, si consuetudo habeatur.*

Ut honor debitus matrici ecclesiæ per ejusdem parochianos & subditos observetur, in qua consueverunt cæleti pabulo refici, dum vivebant, & juxta Apostolum sint consolationis socii, qui fuerunt passionum: statuimus, quod quicumque extra parochialem suam ecclesiam elegerit sepulturam, ejus corpus, ante ipsius sepulturam, si in sua parochia vel extra decesserit, vel illud ad ipsam deportari contigerit, matricis ecclesiæ solemniter præsentetur, si hoc de consuetudine vel de usu habeatur; & eidem reddatur de funeralibus debitum, prout de jure vel in parochia decedentis est fieri consuetum. Contrarium vero facientium loca, ipso facto, ecclesiasticæ

Conc. Marciac. ann. 1326. c. 24.

ANNO CHRISTI 1368.

ecclesiastico subjaceant interdicto: & transgressorum nomina per rectores locorum ordinariis intimentur, ut interdicti sententiam observari faciant, & prout justum fuerit, aggravari.

LXV. *Quam portionem curati ecclesiarum habere debeant in deposito funere, quousque alibi in recta sepultura tumuletur.*

Desiderabiliter affectantes ut parochiales ecclesiæ, quæ maternos imitantur affectus, piis in Domino suorum defunctorum parochialibus iuribus non fraudentur: declarando statuimus, quod per illos apud quorum ecclesias seu cœmeteria defunctos ipsos extra loca obitus transferendos deponi continget, de funeralibus & legatis eisdem parochialibus respondeatur ecclesiis, ac si in ipsis, in quibus corpus est depositum, sepulturam perpetuam elegissent.

LXVI. *Mandatur ut decretalis* Super *cathedram penitus observetur.*

Conc. Marciac. ann. 1326. c. 27.

Volentes inter prælatos & rectores ecclesiarum quæstionis & scandali materiam amputare: ut inter eosdem pacis tranquillitas vigeat, & fervor caritatis existat, præcipimus observari constitutionem editam per bo. mem. dominum Bonifacium papam octavum, quæ incipit: *Super cathedram præeminentiæ pastoralis*: innovatam per se. rec. dominum Clementem papam quintum in concilio Viennensi. Si qui vero religiosi contra dictam constitutionem malitiose venerint, & eidem in omnibus & per omnia non obtemperaverint: eo ipso ab auditione confessionum in omnibus nostris provinciis ac diœcesibus propriis, & publica propositione verbi Dei, perpetuo sint exclusi; donec, satisfactione præhabita, ab altero nostrum archiepiscoporum, in cujus civitate vel diœcesi transgressores dictæ constitutionis moram traxerint, vel a suffraganeis, in quorum civitate vel diœcesi transgressiones prædictas fecerint, de consilio tamen sui metropolitani, vel diœcesani, relaxationem super præmissis meruerint obtinere.

* al. custodiam.

LXVII. *Ne religiosi aut alii prædicent quo minus a solutione decimarum aliquis retrahatur.*

Conc. Marciac. ann. 1326. c. 30.

Præcipimus etiam publicari, quod nulli religiosi, vel alii, in sermonibus suis, confessionibus, aut aliis actibus, de cætero talia præsumant proponere, quæ audientium animos a decimarum, vel aliarum rerum, ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, seu aliis piis locis debitarum solutione retrahant, vel circa id corrumpant: immo verbo & opere informent eosdem, ut ad solutionem prædictorum promptæ voluntatis animo sint attenti. Si autem contrarium fecerint: ab auditione confessionum & publica propositione verbi Dei nostris provinciis perpetuo sint exclusi.

LXVIII. *Cuicumque liberum existit domos aut horrea locare pro decimis recondendis, & eas arrendare libere, & pro arrendatoribus fidejubere, prohibitione dominorum temporalium non obstante, gravi pœna contra eos imminente.*

Cum in nonnullis partibus provinciarum nostrarum, locorum dómini temporales ecclesiasticis utilitatibus invidentes, non permittant quod personæ ecclesiasticæ, quæ inibi decimas percipiunt, emant seu alio titulo acquirant & habeant domos, seu horrea, vel cellaria, in quibus decimales redditus congregentur aut conserventur; prohibeant etiam subditis suis, & diversis modis eos trahant, ne dictis personis ecclesiasticis, aut ementibus ab eis, domos, horrea, aut vasa ad hoc locent, commodent, vel concedant: quod quidem facere moliuntur, ut personæ prædictæ dictos redditus eisdem dominis seu aliis vendere pro minimo compellantur: & arrendare suis hominibus & subjectis & aliis, sub magnis multis & minis, fructus ecclesiasticos & reditus & decimas non permittunt, & ne aliquis pro arrendatore fidejussor existat: nos indemnitati ecclesiarum providere volentes, & abusum hujusmodi in Divinæ legis offensam præsumptum penitus de ipsis provinciis extirpare, sacro approbante concilio, locorum & provinciarum nostrarum ordinariis præcipiendo mandamus, quatenus, locorum domini & rectores, postquam pro parte personarum ecclesiasticarum inde legitime requisiti fuerint, deliquerint in præmissis, vel aliquo prædictorum, sententiam excommunicationis, quam obsequia hujusmodi subtrahentes incurrere præter juris sententiam volumus, contra ipsos dominos & quoscumque talia facientes, studeant publicare, ac eorum exigente contumacia per censuram ecclesiasticam aggravare. Et si infra octo dies non revocaverint cum effectu, cum damnis inde secutis: locus ubi inhibitiones factæ fuerint, subjaceat ecclesiastico interdicto, ipso facto; a quo minime relaxetur, nisi præcedente satisfactione condigna.

LXIX. *De quibus rebus vera decima exsolvatur, consuetudine quavis non obstante.*

Cum decimæ & primitiæ ex ordinatione Divina ecclesiis debeantur: statuendo præcipimus ut possessores terrarum, vinearum, virgultorum, pratorum, aliarumque possessionum cultarum, statim ex eis collectis fructibus, & fœtuum animalium quorumcumque, ex quo materno non indigent nutrimento, novem sibi partibus retentis, decimam partem immediate subsequentem integre de prædictis, nullis inde primitus deductis tributis, censibus, expensis, arreragiis, seu servitiis aliis, necnon de omnibus aliis bonis, ecclesiis, quibus debentur, ecclesiastica censura per locorum ordinarios compellantur; contraria consuetudine qualibet, quam tollimus, non obstante: nisi de consuetudine majorem partem ecclesia recipiat, cui per præsentem constitutionem non intendimus derogare. Idem de primitiis prædictorum de jure vel consuetudine debitis præcipimus observari. Si vero aliquid prædictorum fructuum vel fœtuum, ad dominos, emptores, servitores, mercenarios, vel quoscumque alios, non decimatorum seu non primitiatorum transierit: ecclesia, seu rector, solutionem decimarum & primitiarum, a quo maluerit eorumdem, poterit vendicare. Uno tamen solvente, alter remaneat liberatus.

ANNO CHRISTI 1368.

LXX. *Ut nullus res decimandas abinde extrahat, quousque decimantes fuerint convocati cum effectu.*

Ex plurimorum, ad quos decimarum perceptio pertinere dignoscitur, & frequenti querela suscepimus, quod nonnulli prædiorum possessores, non vocatis nec certificatis iis qui ad colligendas decimas per eos ad quos spectant, extiterunt ordinati, per se fructus dividunt, & pro libito partiuntur, ex quibus insequi possunt fraudes & perditio fructuum. Quibus pro posse obviare volentes, sacro præsenti approbante concilio statuimus, ut nullus, cujuscumque status seu conditionis existat, qui ad præstationem teneatur decimarum fructus, qui sunt recolligi consueti, dividere aut partiri præsumat, seu alias a prædio extrahere in quo creverint dicta blada, vel alibi asportare, nisi certificatis primitus præsentialiter levatoribus decimarum. Et ad hoc per excommunicationis sententiam per locorum ordinarios arceantur: contrario usu, seu consuetudine aut observantia aliqua, non obstantibus.

LXXI. *Qualiter infideles ad baptismum admittantur.*

Insuper statuimus, ut cum infideles ad ecclesiam causa percipiendi baptismatis venerint, diebus aliquibus per rectorem ecclesiæ conserventur, ut cognoscant utrum in tenebris ambulent, vel in luce. Et si perseveraverint in proposito baptizandi, eisdem baptisma ulterius non negetur.

LXXII. *Quomodo regulares apostatantes puniantur, & etiam dantes eisdem consilium aut favorem.*

Statuimus, quod monachi vel canonici regulares professi, qui relicto habitu ad sæculum redierint, & voto rationabili sunt adstricti, nisi infra mensem ad claustrum redierint, & votum suum curaverint adimplere, suis beneficiis sint privati, ac apostatæ, tanquam excommunicati, ab omnibus evitentur, & excommunicati denuncientur diebus Dominicis & festivis: & moneantur & excommunicentur conversantes cum eisdem, ac dantes eis consilium, auxilium, vel favorem.

LXXIII. *Quomodo exempti, in prioratibus non exemptis delinquentes, per ordinarios puniantur.*

Conc. Marciac. ann. 1326. c. 36.

Religiosi vero & monachi, quibus ne a quoquam interdici, suspendi, vel excommunicari valeant, a sede apostolica est indultum, si ad aliqua loca pia, vel etiam prioratus, ordinariis subjectos, destinati fuerint per superiores suos, ut regant ipsos, vel ut proprii ipsorum locorum ministri seu monachi resideant in eisdem quamdiu morantur in illis, ratione eorumdem locorum seu prioratuum, non solum in prædictis, sed in aliis, possint, si deliquerint, a suis ordinariis puniri, prout justitia suadebit.

ANNO CHRISTI 1368.

LXXIV. *Religiosi mendicantes ad aliam religionem non mendicantem assumpti: prohibetur prælatus pensiones eis assignare; pœna prælato eidem imminente.*

Cum nonnulli mendicantes, ad ordinem non mendicantium transeuntes, ob ambitiones, ad honores, beneficia, vel pensiones libenter appetant se transferri, ut facilius possint prædictorum aliquod obtinere, nolentes in ea vocatione, in qua vocati sunt, juxta dictum Apostoli, permanere: proinde nos speciali constitutione duximus statuendum, quod prædictis quondam mendicantibus in ordine non mendicantium persistentibus pensiones aliquæ in pecuniis, bladis, vel rebus aliis quibuscumque, a prælatis ipsorum nullatenus assignentur. Quod si factum in contrarium fuerit, nullum esse decernimus ipso facto. Contrafacientes vero prælati, pensionem aliquam assignando, pensiones prædictas infra annum repetant. Quod si dictas pensiones infra annum cum effectu non duxerint repetendas: extunc episcopi quilibet dictorum prælatorum, pensiones prædictas possint & valeant mensæ suæ propriæ applicare. Præsentem vero constitutionem nedum ad futura extendi volumus, sed ad præterita & præsentia mandamus.

Conc. Auscit. ann. 1308. c. 5.

LXXV. *Si curati ecclesiarum sustentari de redditibus suarum ecclesiarum non valent, percipientes decimas per ordinarios compellantur, ut abinde sustententur.*

Provideri præcipimus per locorum ordinarios, quod ubi rectores & vicarii de redditibus suarum ecclesiarum nequeunt commode sustentari, nec alia incumbentia onera supportare, tantum de decimis suarum parochiarum eisdem rectoribus per quoscumque percipientes easdem, tam exemptos quam non exemptos, faciant assignari, quod exinde commode possint sustentari, & episcopalia jura solvere, & alia incumbentia eis onera supportare: ita quod religiosi, exempti & non exempti, de terris & possessionibus per eos acquisitis hactenus, & amodo acquirendis, decimas integre solvant illis ecclesiis, quibus possessiones eædem & terræ fuerunt primitus decimales. Super iis enim est ipsis ordinariis, nisi de rebus exemptis agatur, jurisdictio attributa.

Conc Marc. ann. 1326. c. 34.

LXXVI. *Laici qui jus patronatus in ecclesiis parochialibus habere se asserentes, eas tenent occupatas, dimittere easdem teneantur, & per ordinarios ad hoc compellantur.*

Quia in aliquibus locis provinciarum nostrarum, seu alicujus seu aliquarum ex eis, laici parochiales ecclesias, occasione juris patronatus, quod in eis habere se asserunt, vel alias, detinent occupatas: præsentis auctoritate concilii monemus hujusmodi laicos, ut infra duos menses dictas ecclesias omnino dimittant, per locorum ordinarios seu alios ad quos pertinet, libere disponendas. Alioquin tam illi qui dictas ecclesias detinent, quam qui postea detinere præsumpserint, noverint se excommunicationis sententiæ subjacere: non obstante contraria consuetudine aliqua, quæ dicenda est potius corruptela. Per hoc tamen nolumus ha-

ANNO CHRISTI 1368.

hentibus jus patronatus, quoad illud, in aliquo A derogare.

LXXVII. *Ut nullus per secularis alicujus potentiam ad beneficium ecclesiasticum admittatur.*

Item statuimus, quod clerici seculares vel regulares, qui per potentiam vel impressionem cujuscumque secularis personæ se per patronos ad ecclesiastica beneficia procuraverint præsentari, aut ipsa sibi conferri, provideri, vel eligi ad eadem, aut ad hoc litteras, nuncium, vel mandatum impetraverint, aut fecerint impetrari, seu tali præsentationi, collationi, provisioni, vel electioni consenserint, aut eas seu earum aliquam habuerint, excommunicationis B sententiam eo ipso se noverint incurrisse.

LXXVIII. *Ad Divina celebranda præsentatus non admittatur, nisi ordinarii licentia petita & obtenta.*

Statuimus insuper quod nullus clericus præsentatus vel institutus in parochiali ecclesia de aliqua dictarum provinciarum a clerico vel laico, in eadem administrare præsumat, donec a diœcesano episcopo curam in eadem ecclesia receperit animarum: quacumque contraria consuetudine non obstante, quæ potius dicitur corruptela. Quicumque autem contrarium fecerit: ipso facto, jure quod habet vel habere C credit in ipsa ecclesia, sit privatus ea vice potestate data diœcesano removendi institutum seu etiam præsentatum. Nihilo minus statuentes quod institutus & confirmatus per episcopum, nullo casu valeat ab alio quam ab episcopo removeri.

LXXIX. *De contributione expensarum inter beneficiatos facenda pro legatione ordinariorum, aut pro litigio subsecuto.*

Item statuimus, quod si archiepiscopus, vel episcopus, vel aliquis rector alicujus ecclesiæ, civitatis, vel diœcesis alicujus provinciæ, expensas necessarias fecerit in legationibus & nun- D ciis sedis apostolicæ: expensæ illæ solvantur de communi distributione ecclesiarum civitatis & diœcesis, infra quas dictæ expensæ fuerunt factæ. Et istæ expensæ solvantur semel in anno. Et in una vel duabus synodis colligantur: nisi per sedem apostolicam, quæ ecclesiæ solvere debeant, fuerit ordinatum.

LXXX. *Pro juribus ecclesiarum pauperum per clerum ejus diœcesis contributio fiat.*

Conc. Mare ann. 1326. c. 35.

Quoniam frequenter, propter paupertates ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum, multa insurgunt incommoda ecclesiis & personis ecclesiasticis, sive in agendo, sive defendendo E non valentibus prosequi jura sua: sacro approbante concilio statuimus, quod ad arbitrium diœcesani vel officialis sui, de communi contributione expensarum & sumptuum totius diœcesis, in quo casus sive necessitas hujusmodi evenerit, in prosecutionibus juris sui ecclesiastici provideatur eisdem, & officiales sint eis favorabiles in justitia exhibenda.

ANNO CHRISTI 1368.

LXXXI. *Licitum sit presbytero celebrare volenti, cuicumque presbytero confiteri, si proprii confessoris præsentia non adsit.*

Ut Missæ cum puritate conscientiæ celebrentur, & ne propter defectum confessoris eas omitti contingat: indulgemus, quod quilibet presbyter, volens Missam celebrare, licite possit cuilibet presbytero idoneo sua confiteri peccata, & absolutionis beneficium recipere ab eodem.

LXXXII. *Ne sacerdos celebrare præsumat cum suo filio illegitime procreato.*

Item statuimus & etiam ordinamus, quod presbyter cum proprio filio spurio Missam non audeat celebrare; nec ipse vel alius calices, vestimenta, vel paramenta, aliaque quæ Divino cultui sunt deputata, Judæo vendere, vel pignorare, vel aptanda seu reficienda tradere, quacumque ex causa præsumat.

LXXXIII. *Clericus cum superpellicio indutus, sacerdoti celebranti deserviat in obsequio Divinorum.*

Statuimus præcipiendo quod rectores ecclesiarum Missas in suis ecclesiis celebrantes, saltem unum clericum superpellicio indutum, qui sibi ministret in obsequio Divinorum, necessario habere teneantur.

LXXXIV. *Parochiani utriusque sexus Dominicis diebus & festis integras debeant audire Missas.*

Ut honor debitus parochialibus ecclesiis observetur, & animarum periculis obvietur, salubriter duximus statuendum; quod parochiani diebus Dominicis & festivis ad suam parochialem ecclesiam veniant, Missas integras audituri. Et si per duos Dominicos dies continuos Missas in dictis ecclesiis, legitima causa cessante, non audiverint: extunc habeant parochiales presbyteri commonere * non venientes, se revelaturos in ecclesiis nominatos, postea excommunicandos.

Conc. Mar. clac. ann. 1326. c. 16.

* al. commonitari

LXXXV. *Qualiter eucharistia & chrisma diligenter custodiantur, & qualiter renoventur: & de pœna in contrarium facientes.*

Omnes ministros ecclesiarumque rectores provinciarum nostrarum exhortamur in Domino, eis nihilo minus in virtute sanctæ obedientiæ injungendo, ut in cunctis ecclesiis sibi commissis eucharistia & chrisma sub clavibus fideliter conserventur, ne inde possint sortilegia exerceri; & quod ipsa non exponant supellectilibus, vasis, archis propriis, aut aliorum; & ad habendum calices argenteos studeant, & vasa ministerii, vestimenta, pallas altaris; necnon & ipsa corporalia tam nitida & munda teneant, ne alicui sint horrori, & ut potius Dei basilicæ quam domus laicæ videantur. Minus enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ non decent & in profanis. Si autem propter ingruentem necessitatem aliqua vasa vel supellectilia in ecclesiis conservanda poni contigerit, necessitate cessante ab ecclesiis ea expellantur. Transgressores prædictorum, ordina-

Ibid. c. 44.

tio-

ANNO CHRISTI 1368.

riorum arbitrio puniantur. Item huic constitutioni adjiciendo statuimus, quod prætati presbyteri & rectores circa renovationem Eucharistiæ taliter se exhibeant diligentes, quod de xv. in xv. diebus habeant dictam Eucharistiam ad longius renovare, ne ex negligentia hujusmodi mandati nostri scandala sequi possint. Inobedientes vero per suos ordinarios pœna condigna volumus castigari.

LXXXVI. *Quomodo fontes baptismales custodiantur, & claudantur: & ad quem clausura fienda eorumdem pertinere dinoscatur.*

Cum non deceat sacramentalia illa, per quæ spiritualium munditiarum consequimur puritatem, materialium sordium contagionibus inquinari: statuimus, ut singuli parochialium ecclesiarum rectores, in quibus fontes hujusmodi sunt fundati, eos sic claudi clavibus faciant, & clausos teneri, quod nullus ad illos sordibus patere possit accessus, ne temeraria manus ad immundam contrectationem extendere se valeat commode. Et ut per hujusmodi statuti observantiam, illius quod inibi percipitur crescat reverentia sacramenti: viginti quinque solidorum Turonensium pœna seu mulcta puniri volumus quoslibet hoc agere contemnentes, & quod hujusmodi pecunia in opus ecclesiæ, vel in alios pios usus ad diœcesani loci arbitrium convertatur. Intentionis tamen nostræ non existit, quod dictus rector cooperturam seu clausuram dictorum fontium suis sumptibus facere teneatur, nisi consuetudo in contrarium hoc haberet. Quam quidem consuetudinem volumus observari.

LXXXVII. *De indulgentiis concessis corpus Christi associantibus, cum infirmo asportatur.*

Conc. Aven. 1326. & ann. 1337. c. 1.

Si propter Christum sanctis ejus reverentia impendi præcipitur: quanto magis colendum est veneratione præcipua sacratissimum corpus ejus, qui sanctos sanctificat, ac caput est sanctorum omnium & corona! Hoc utique corpus, quod ipse solus pro nostra reconciliatione in ara crucis hostiam obtulit Deo Patri, quotidie in ecclesiasticis aris, pro vivis & mortuis in illius passionis memoriam immolatur. Statuimus igitur & inhibemus, quatenus omnes & singuli priores, rectores, atque vicarii ecclesiarum, nostrarum provinciarum, civitatum, & diœcesum, parochianos suos, præsertim in Missarum solemniis, inducere studeant, ut hujusmodi sanctissimo corpori, cum per presbyterum defertur infirmo in viaticum ministrandum, reverenter assurgant, illudque devote sequantur, ac cum luminarium adhibitione honorent. Et ut ad hoc alliciantur vehementius spiritualium stipendiis præmiorum: omnibus qui corpus ipsum sequentur sine lumine, diurno tempore, vel nocturno, x. dies; omnibus vero, cum luminaribus dictum sacratissimum corpus sequentibus, vel luminaria mittentibus, do die, xx. de nocte vero, xxx. dierum indulgentiam de injunctis eis pœnitentiis, dummodo vere pœnitentes & confessi infra xv. dies existant, misericorditer relaxamus.

LXXXVIII. *Qualiter novæ reliquiæ venerentur, & antiquæ extra vasa minime ostendantur.*

Ut sanctorum reliquiæ in majori habeantur honore, ac ne Christianorum simplicitas variis decipiatur figmentis, sicut occasione quæstus in plerisque locis fieri consuevit: observari præcipimus, ut antiquæ reliquiæ omodo extra capsas vel vasa nullatenus ostendantur, nec exponantur venales. Inventas autem de novo nemo venerari præsumat, nisi a Romana ecclesia fuerint approbatæ. Nec quæstori alicui permittatur portare reliquias, crucem, vel capsas, nec publice in ecclesia prædicare ultra suarum continentiam litterarum, propter falsa quæ quandoque interferunt, nisi de ordinariorum licentia speciali. Et si contra præsumptum extiterit ab ipsis, debite puniantur.

Conc. Mar. clac. ann. 1316. c. 41.

LXXXIX. *In diebus jejunii vel abstinentiæ, carnes non comedantur: pœna contra facientes imminente.*

Gulositatis excessum debito moderamine reprimere cupientes: sacro approbante concilio prohibemus districtius, sub pœna excommunicationis & maledictionis æternæ, ne aliquis, cujuscumque status vel conditionis existat, in diebus jejuniorum per ecclesiam indictorum, & præcipue in Quadragesima, carnes comedat, nisi necessitate cogente. Confessores autem religiosi, si exempti non sint, vel sæculares, si præterquam in casu necessitatis alicui licentiam dederint vescendi carnibus diebus prædictis, sententiam eamdem incurrant, graviori coertione per suos ordinarios, si eis videbitur, castigandi.

XC. *Diebus sabbatinis ab esu carnium abstineant clerici, nisi in necessitatibus, aut in die a jure exceptato.*

Cum, sacra Scriptura testante, plura recipientes a Domino, versa vice ad plura reddenda ex gratitudinis debito teneantur; cumque deceat ecclesiasticos viros, præsertim sacris insignitos ordinibus, aut beneficia ecclesiastica obtinentes, in domo Domini, in cujus sortem adscripti sunt in modo vivendi laicos excellere, ut laici eorum exemplo proficiant, non autem ex ipsorum corruptis moribus deformentur: statuimus, quod clerici beneficiati, aut in sacris ordinibus constituti, exnunc singulis diebus sabbati, ob reverentiam B. Mariæ Virginis gloriosæ, a carnium esu abstineant; nisi ex causa necessitatis, super qua comedentium conscientiæ relinquatur vel nisi ea die festum Natalis occurrat. Statuti vero hujusmodi transgressores, pro quolibet die sabbati quo fecerint contra illud, per unum mensem ipso facto ab ingressu ecclesiæ sint suspensi.

Conc. Aven. ann. 1337. c. 5.

ANNO CHRISTI 1368.

XCI. *Omnes utriusque sexus parochiani ecclesiarum moneri debent, ut ecclesias ædificent, aut reparent: & qualiter in ecclesiis ruralibus, diebus Dominicis, ibidem celebretur; & qui eleemosynas dederint, indulgentias consequantur hic expressas.*

Conc. Marciac. ann. 1326. c. 43.

Cum præsens & visibilis ecclesia militans, triumphanti cælesti civitati Hierusalem non immerito comparetur, & locum ubi sacratissimum corpus Domini nostri Jesu Christi conficitur & servatur, & nostræ reconciliationis ad Dominum instrumenta, videlicet sacramenta ecclesiastica, ministrantur, pro offensis & culpis populi recurrentis ad supplicandum Divinæ majestati specialiter deputatum, in quo & delictorum venia confidentius impetratur, inter cætera, firmo fundamento ac expletis * ædificiis communiri deceat, ut Deo gratus existat, inspicientibus & ingredientibus sit devotus & placidus, & confidentius * alliciat, reficiat, & informet: facto approbante concilio statuimus, ut episcopi, abbates, prælati, rectores ecclesiarum, & religiosi quicumque provinciarum nostrarum, in suis admonitionibus, prædicationibus, confessionibus, & alias ubicumque, quantumque commode poterunt, clericos, plebes, & populos inducant attentius, & informent, quod cum ecclesiæ ordinatis subjectæ, constructione, reparatione, emendatione, & ornamentis ecclesiasticis indiguerint, ad prædicta facienda & habenda, de bonis sibi a Deo collatis contribuant & eleemosynas conferant competentes. Ordinarii autem locorum provideant, quod ecclesiæ rurales quæ eis subsunt, taliter reparentur, quod in eisdem in diebus festivitatum sanctorum vel sanctarum, quorum vel quarum sunt vocabulo insignitæ, & etiam aliis diebus Dominicis & festivis, prout est fieri consuetum, decenter valeant Missæ celebrari, rectores, parochianos, & subditos eorumdem, ad præmissa omnia, si necesse fuerit, compellendo; constituentes nihilo minus dicti rectores aliquos parochianos, illarum collectarum operarios & executores, qui ad præmissa complenda sint fideles, solliciti, & attenti. Ut autem omnes & singuli ad præmissa promptius & facilius inclinentur, omnibus vere pœnitentibus & confessis, tam qui prædictas pias eleemosynas & caritativa subsidia erogaverint, quam religiosis & aliis, qui alios ad hæc facienda induxerint, xx. dies de injunctis eisdem pœnitentiis, de omnipotentis Dei confisi clementia, misericorditer relaxamus. Suffraganei vero provinciarum nostrarum in suis diœcesibus concedant etiam alios xx. dies, vel plus vel minus, prout eis videbitur faciendum.

* *al.* expolitis.

* *al.* confidentiores.

XCII. *Exempti oratoria non erigant sine licentia ordinariorum petita & obtenta.*

Ibid. cap. 37.

Observari præcipimus ut ordinarii in suis diœcesibus, religiosis exemptis non permittant construere oratoria seu cappellas in locis non exemptis, sine ipsorum ordinariorum licentia speciali: nec in ipsis constructis dicti exempti celebrent vel faciant celebrari Divina, neque tempore interdicti in locis etiam exemptis, nisi prout eis a jure vel speciali privilegio est concessum: ac si contra fecerint, per episcopos compescantur. Et si conservatores ipsorum exemptorum propter hoc in Ordinarios aliquas sententias tulerint: tanquam a jure revocatæ nullatenus observentur.

ANNO CHRISTI 1368.

XCIII. *De pœna eorum, qui ab immunitate ecclesiarum, vel a domibus episcoporum, ad easdem confugientes abstrahunt, mutilant, aut vulnerant, aut impedient quo minus libere exire possint.*

Ibid. cap. 11.

Insuper statuimus, quod quicumque eum seu eos qui confugerint ad ecclesiarum, vel archiepiscopalium seu episcopalium domorum tutelam, ibidem vulneraverint, mutilaverint, interfecerint, & victualia eis subtraxerint, vel ne habere aut dari eis valeant impediverint per se, vel alium, seu alios; aut custodes, ne exinde exire possint, quoquo modo posuerint, incenderint, seu inde eos extraxerint violenter, præterquam in casibus a canonibus permissis, per ordinarios antea declaratis, & extractos vulnerare, seu mutilare, aut eis ultimum inferre supplicium præsumpserint, aut quicumque prædicta aut aliquid prædictorum fieri præceperit, aut procuraverit, seu consilium vel opem adhibendo hujusmodi sceleribus perpetrandis, deliquerit, excommunicationis sententiæ subjaceat ipso facto. Adjicimus insuper statuendo, quod quicumque de cætero culpabiles quoquo modo inventi fuerint in præmissis, vel aliquo præmissorum, quotusque plene satisfecerint ecclesiis violatis, & illis quorum interest, Christiana careant sepultura, etiamsi in articulo mortis ab excommunicationis sententia super prædictis a quoquam fuerint absoluti. Et loca, ubi talia perpetrata fuerint, subjaceant ecclesiastico interdicto, donec competens præstita fuerit emenda.

XCIV. *Qualiter clericus, clericum in judicio sæculari convocans, puniatur.*

Conc. Nugarol. ann. 1390. c. 5.

Insuper statuimus, quod quicumque clericus vel religiosus, cujuscumque ordinis, conditionis aut status existat, qui clericum vel religiosum super actione personali, vel super crimine, in judicium evocari vel citari fecerit coram judice sæculari, scienter, vel malitiose, sententiæ excommunicationis subjaceat ipso facto: & vocato sic citato, ei de interesse satisfacere teneatur.

XCV. *Qualiter temporales domini puniantur, qui subditis eorum prohibent, ne victualia aut necessaria clericis ministrentur.*

Statuimus insuper, quod quicumque temporale dominium obtinentes, interdixerint subditis suis, ne prælatis, aut clericis, aut personis ecclesiasticis quidquam vendant, aut ab eis vel gentibus suis emant aliquid, neque ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibeant, cum talia fieri præsumantur in derogationem ecclesiasticæ libertatis, denuncientur & publicentur ipso facto excommunicationis vinculo innodati. Si autem communitas vel universitas quorumcumque locorum, contra prædictas personas quoquo modo in prædictis deliquerint: tamdiu eo ipso subjaceant ecclesiastico interdicto, quoutque per eos fuerit plenarie satisfactum. Circa hoc autem, constitutionem felicis memoriæ domini Alexandri papæ IV * præcipimus observari.

* cap. *Quia nonnulli.* De immun. eccl. l. in 6.

XCVI.

ANNO CHRISTI 1368.

XCVI. *Contra libertatem ecclesiasticam quovis modo acquisitam facientes, & personis ecclesiasticis & eorum bonis onera imponentes, submissionemque facere coacte procurantes, pœna hic statuta puniantur.*

Conc. Nugarol. ann. 1195. c. 10.

Ad evitandum periculum animarum, & ecclesiarum indemnitatibus provinciarum nostrarum & cujuslibet earumdem providendum: omnes & singulos utriusque sexus, cujuscumque dignitatis, conditionis, aut status existant, qui contra ecclesiæ libertates, immunitates, jura, jurisdictionem, & privilegia ejusdem, sive consistant in spiritualibus, sive in temporalibus, modis quibuscumque acquisita, vel contra laudabiles consuetudines erga ipsas ecclesias pia devotione fidelium introductas venire nituntur, ipsa, vel eorum aliquid, per se vel alium, usurpando, occupando, infringendo, aut ipsis ecclesiis & personis ecclesiasticis onera præsertim gravia imponendo, aut contra premissa vel aliquod eorumdem, statutum, ordinationes, pacta, promissiones inter se, clam vel palam, directe vel indirecte, vel faciendo super consiliis, auxiliis, expensis, sumptuum contributione, vel alias quoquo modo ad invicem factis vel faciendis, perpetuo vel ad tempus, necnon & omnes & singulos, cujuscumque dignitatis, conditionis, aut status existant, qui prælatos, ecclesias, monasteria, capitula, collegia, vel conventus, seu alias personas ecclesiasticas, ad submissiones sibi faciendas bonorum mobilium seu jurium ipsarum ecclesiarum, hactenus compulerint, quocumque quæsito colore seu modo, seu alias quomodolibet, nisi, infra duos menses a tempore publicationis constitutionis hujusmodi numerandos, prædicta revocaverint cum effectu, & de prædictis satisfecerint ecclesiis competenter, & ipsa jura in pristina reduxerint libertate, vel de cætero personas ecclesiasticas ad hujusmodi submissiones, ut præmittitur, faciendas coegerint; & quoscumque dantes in prædictis, vel aliquo prædictorum, consilium, auxilium, vel favorem: singulares videlicet personas, excommunicationis; collegia vero & universitates, interdicti sententiis, ipso facto decernimus subjacere. Prælati vero, religiosi, clerici, & personæ ecclesiasticæ, qui vel quæ præsentem constitutionem, & alia jura super hoc edita, non servaverint, pœnas supra inflictas a juribus ipso facto noverint incurrisse. Præsentem autem constitutionem, per diœcesanos in suis synodis semel, & per rectores ecclesiarum in suis ecclesiis quolibet anno præcipimus publicari.

XCVII. *Personæ ecclesiasticæ bladia & bona sua portare ubi volunt possint, statuto laicorum non obstante, pœna statuentibus imminente.*

Conc. Aven. ann. 1326. c. 34.

Item cum statuta sæcularium ecclesias aut personas ecclesiasticas non astringant: statuimus ut sæculares, cujuscumque dignitatis, conditionis, aut status existant, qui prætextu statuti contra juris formam vel alias quovis modo editi, ne bladum, vinum, & quæcumque alia bona ex fructibus, redditibus, seu obventionibus ecclesiasticorum provenientia, extrahantur de terra, castro, villa, vel quod certo pretio vendantur, clericos vel ecclesiasticas personas astringere, aut super angariis, aut perangariis, aut aliis quibuscumque (cum nec in eis, nec in eorum bonis aliquam habeant potestatem) coarctare seu impedire quoquo modo, directe, vel indirecte, præsumpserint, excommunicationi subjaceant ipso facto: & locus ubi hoc per dominum loci, vel universitatem ejus, aut eorum conniventia vel permissu, attentatum fuerit, ecclesiastico subjaceat interdicto: nisi moniti, infra mensem emendaverint, & de perpetratis satisfactionem exhibere studuerint competentem.

ANNO CHRISTI 1368.

XCVIII. *Ne personis ecclesiasticis per temporales justitia denegetur: alias censura ecclesiastica puniantur.*

Statuimus, ut nulli temporale dominium vel jurisdictionem aliquam obtinentes, vel etiam exercentes, voce, præconio, vel aliter, prohibeant ne clericis vel personis ecclesiasticis redditus vel alia eis debita minime exsolvantur, aut justitiam eisdem clericis & personis de suis debitoribus seu malefactoribus facere denegent, vel mandent denegari, vel eosdem clericos seu personas ecclesiasticas banniant, seu banniri mandent. Contrarium vero facientes excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto, postquam constiterit de præmissis. Eamdem sententiam incurrere volumus dantes in præmissis consilium, auxilium, vel favorem: præcipientes, tales per locorum ordinarios, quousque de injuria & damno satisfecerint competenter, excommunicatos publice nunciari.

XCIX. *Bona personarum ecclesiasticarum, quæ ab ipsis tenentur, ad collectas per laicos imponendas per eos minime quovis modo compellantur.*

Ad æternam rei memoriam. Quoniam frequenter contingit, quod nonnulli judices sæculares, consules, jurisdictionem exercentes, potestates, bajuli, ac domini temporales, cognoscere * quod ecclesiæ, clerici, ac personæ ecclesiasticæ, pro terris, domibus, & possessionibus quas tenent, in talliis & collectis ac exactionibus laicorum solvere & contribuere teneantur, indebite & injuste, & contra canonicas sanctiones; ipsasque ecclesias, clericos, aut personas ecclesiasticas talliare, ac pro hujusmodi talliis, collectis, ac exactionibus compellere, & contra eadem ecclesias, clericos, aut personas ecclesiasticas, executionem & compulsionem facere temere, violenter, & injuste, & contra libertatem ecclesiasticam moliuntur, de facto læpissime, tam bona mobilia quam immobilia ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum occupando, vendendo, distrahendo, & alias multipliciter occasione præmissorum molestando: idcirco præmissa omnia & singula fuisse & esse temeraria, violenta, injusta, & iniqua, & contra libertatem ecclesiasticam attenta, decernimus, & declaramus: statuentes & ordinantes, quod talia attentantes, & in iis dantes auxilium, consilium, opem, operam, juvamen, vel favorem, palam & publice, vel occulte, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant. Civitates vero, villas, castra, & alia quæcumque loca, in quibus præmissa facta fuerint seu commissa, se aliquid prædictorum attentatum, ecclesiastico supponimus interdicto, donec de offensa Deo & suæ ec-

* Hic aliquid deest.

ANNO CHRISTI 1368.

ecclesiæ & parti læsæ integraliter & sine fraude fuerit satisfactum,

C. *Hospitalibus, pro eorum bonis pauperibus deputatis, quod aliqua indictio seu quæsta minime imponatur.*

Item, quod domini sæculares, vel quicumque alii, cujuscumque gradus, dignitatis, seu conditionis existant, hospitalia usibus deputata pauperum, occasione cavalcatarum, talliarum, quæstarum, nec aliarum illicitarum exactionum, quocumque nomine appellentur, nec onerare nec molestare præsumant. Alioquin, si desistere & emendam præstare noluerint, vel si de cætero contra fecerint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

CI. *Dominis temporalibus pœna infligitur, prohibentibus ne decimæ exsolvantur.*

Conc. Aven. ann. 1326. c. 35. & ann. 1337. c. 36.

Item, quod domini temporales, baillivi, seu officiales, & locorum consules, & alii hoc procurantes, clericos & ecclesiarum rectores non impediant, quo minus decimæ ipsis, prout ad eos pertinet, per parochianos suos reddantur fideliter & solvantur: nec eisdem parochianis inhibeant quod non solvant. Alioquin, si contra fecerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant: a qua minime absolvantur, nisi prius satisfacto parti læsæ de damno & interesse.

CII. *Ut officiales dominorum episcoporum, & eorum locatenentes, ab omni injuria præserventur.*

Conc. Aven. ann. 1326. c. 44. & ann. 1337. c. 50.

Ut illos, quos Dei timor a malo non revocat, saltem coerceat severitas disciplinæ: præsenti concilio duximus statuendum, quod si persona, cujuscumque conditionis, status, seu ordinis existat, infra domos archiepiscopales vel episcopales nostrarum civitatum, diœcesum, ac provinciarum, vel alibi ubicumque per nos, vel suffraganeos nostros, aut eorum officiales, & loca eorum tenentes, seu nostrum vel eorum aliquem, aut aliquos, causæ judicialiter audientur, aliquem facto graviter vituperaverit, seu ei injuriam irrogaverit, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto, & altas puniatur prout æquitas suadebit.

CIII. *Non valet statutum laicorum ne decimæ exsolvantur, aut in ecclesia non offeratur, aut in ultima voluntate aliquid relinquatur.*

Conc. Aven. ann. 1326. c. 36. & ann. 1337. c. 42.

Hac perpetua constitutione statuimus, quod laici, cujuscumque gradus, conditionis, vel dignitatis existant, vel universitas statuentes vel ordinantes in se, vel inter se, vel præconizare facientes, vel subditis suis mandantes, quod non præstent decimas ecclesiis, vel non offerant, vel in ultimis suis voluntatibus quidquam non relinquant eis, vel rectoribus earumdem, vel quod laudabiles consuetudines ecclesiæ in spiritualibus infringant, aut aliud æquipollens, directe vel indirecte, tacite vel expresse, quomodolibet injungente, ipso facto excommunicationis sententiam incurrant: a qua, antequam emenda competens præstita fuerit, minime absolvantur. Universitas autem ecclesiastico subjaceat interdicto.

CIV. *Qui nuncios curiarum ecclesiasticarum impedient quo minus libere curiæ mandata exequantur, gravissime puniantur.*

Cum justitiæ jus suum cuilibet tribuenti, & ministris ipsius, ac rei publicæ plurimum detrahatur, si processus ipsorum ministrorum, iniquorum contingat machinationibus impediri: nos volentes talium, justitiæ cultum impedire nitentium, ausus temerarios timore disciplinæ ecclesiasticæ cohibere, provisione præsentis concilii duximus statuendum, quod si quis, cujuscumque conditionis aut status existat, delegatos, subdelegatos, commissarios, nuncios, aut executores nostros, aut suffraganeorum nostrorum, officialium, vicariorum, seu eorum locatenentium, seu vicemgerentium, aut litteras & alias scripturas judiciales, nostras, vel suffraganeorum, vicariorum, & officialium prædictorum, deferentes, seu hac occasione, verberare, capere, detinere, occultare, carceri mancipare, vulnerare, interficere, aut mutilare, vel litteras vel scripturas prædictas auferre, seu eas rumpere, cancellare, seu alias destruere quoquo modo, vel ablatas celare, seu deferentes compellere ad frangendum, vel, ut eorum verbis utamur, ad manducandum hujusmodi litteras vel scripturas, aut qui prædicta seu aliquod prædictorum fieri procuraverint, aut facientibus dederint auxilium, consilium, vel favorem, excommunicationis sententiæ subjaceant ipso facto: a qua, nisi prius judici curiæ, cujus auctoritatem contempserint, & passo injuriam, & cæteris quorum interest, prout excessus exiget atrocitas satisfecerint, nullatenus absolvantur. Et loca ubi talia commissa fuerint seu perpetrata ecclesiastico subjaceant interdicto, quousque de injuria & de damnis datis integre fuerit ecclesiæ & parti læsæ satisfactum.

Conc. Aven. ann. 1337. c. 18.

CV. *Bona quæcumque ad personas ecclesiasticas & ad loca pia pertinentia deprædari, occupari, incendi, rapi, impediri, detineri, pignorari, gagiari, & inquietari, & perturbari, per dominos temporales non debent; & facta statuta contra libertates ecclesiæ, & earum aliquas observantias, nullius efficaciæ existere debent, nec quamvis indictionem dictis bonis imponere debent. Et modus procedendi rigorosus contra tales hic expresse reperitur.*

Quoniam insolens & effrenis presumptio multos a rectitudinis calle abducit in devium, ac a justitiæ limite sic avertit, quod elati de suæ certa præsumptione potentiæ, sibi putant fore licitum quidlibet, insipientique animo, Dei timore ex oculis relegato, in sortem ipsius electos ecclesiasticos viros, irreverenter quandoque, potius immaniter, persequuntur: est igitur persecutoribus hujusmodi, & eorum fautoribus, justæ provisionis obice resistendum; ne appetitus noxius, nulla justitiæ correctione repressus, prospiciens temporaliter tantum sibi, adversus alios valeat impunitæ rapacitatis licentia libere debacchari, præcipue cum multis grassantibus, opportunum exemplum existat, ne plurimorum opera & ope suffulta malitia periculosius invalescat. Hac igitur consultissima sacri concilii ordinatione statuimus, quod quecumque sæcularis ecclesiasticave persona, nobilis seu ignobilis, utriusque sexus, cujuscumque vero præminentiæ, dignitatis, ordinis, officii, con-

ANNO CHRISTI 1368.

conditionis, aut status existat, quæ in quavis civitate seu diœcesi alicujus nostrarum provinclarum, ausu temerario, cum armis vel sine armis, per se vel alium, invadere, rapere, seu deprædare, capere, occupare, impedire, detinere, pignorare, seu gagiare, vel inquietare, vel perturbare ecclesias, aut cappellas, seu earum cœmeteria, vel hospitalia, reclusoria, & leprosarias, religiosasve seu pias domos, aut loca, possessiones, jurisdictiones, vel alia jura quæcumque, ad archiepiscopos, episcopos, abbates, priores, clericos, vel ecclesiasticas personas, sæculares vel regulares, aut eorum aliquos, communiter vel divisim pertinentia, seu villas, castra, census, tresena, laudimia, acapita, retropita, portionaria, leudas, pedagia, molendina, piscarias, paxerias, sive reclausas, aut archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, priorum, decanorum, præpositorum, archidiaconorum, & aliorum inferiorum prælatorum, collegiorum, capitulorum, rectorum, & priorum, clericorum, vel ecclesiasticarum personarum prædictarum, animalia, seu bona quæcumque, immobilia aut mobilia, quorum quidem bonorum mobilium valor sexaginta solidorum monetæ currentis summam excedat, seu contra libertates generales vel speciales ecclesiasticas, aut eorum privilegia, vel consuetudines legitime probatas, aut observantias, quomodolibet edere, vel facere quævis statuta, seu banna, vel præconizationes, aut novitates, seu impedimenta quæcumque præstare, aut contributiones, seu expensas, solutiones per laicos communiter vel particulariter faciendas, ad relevandum universitates, seu eos qui modis prædictis vel infrascriptis libertates ecclesiasticas prædictas infringere non verentur, sive quibuslibet ex dictis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, præpositis, archidiaconis, & aliis inferioribus prælatis, capitulis, conventibus, rectoribus, prioribus, clericis, vel ecclesiasticis personis, sæcularibus vel regularibus, directe vel indirecte, violentias aut molestias irrogare, seu eis, vel alicui earumdem, super bonis ecclesiarum, & personarum, quæstas, aut tallias, impositiones, angarias, sive parangarias, novitates, aut onera quælibet aliqualiter imponere, sive domos ecclesiarum, seu clericorum, aut personarum ecclesiasticarum, occasione quacumque claudere, sigillare, crucem eis affigere, sive ipsas firmare; aut eorum bona quæcumque bannire, seu vias novas aliquas ubilibet adinvenire vel facere, per quas ecclesiæ vel earum bona in pedagiis antiquis, sive leudis, aut aliis quibuslibet juribus, possint in aliquo pejorari seu minui, aut itinera, vias, seu stratas publicas, vel privatas, infra limites territorii vel districtus locorum, villarum, sive castrorum ecclesiasticæ jurisdictionis auferre, usurpare, vel sibi quomodolibet appropriare, attribuere, seu applicare, vel eorum terminos arctare præsumpserit, seu attentaverit per suam potentiam, seu per violentiam, aut malitiam, sive prædicta vel aliquod prædictorum mandaverit, seu in ipsis vel ipsorum aliquo dederit auxilium, consilium, vel favorem, publice vel occulte: quæ omnia, & eorum quodlibet attentari seu fieri mandaverit, vel ratum habuerit, districtius prohibemus, nisi infra sex dies a die transgressionis hujusmodi prohibitionis nostræ, super quo in hac parte quocumque præmissorum modorum perpetrato seu commisso excessu re ipsa, vel per consilii, auxilii, ac favoris impediverit præstationem, super iis emendam aut revocationem debitam, vel alias, prout exegerit rei qualitas, læsis satisfecerit competenter, excommunicationis sententiæ subjaceat ipso facto. Cujus quidem excommunicationis sententiam volumus, ac statuimus, per loci ordinarium, vel per ejus officialem, seu vicarium, aut ejusdem officialis seu vicarii locatenentes, cum ei, seu eis, de præmissis excessibus, vel eorum aliquo, summarie & de plano fuerit facta fides, ex mero ipsius officio, & sine strepitu & figura judicii declarari, & [a] irretitas easdem facere per diversas ecclesias dictarum provinciarum, in quibus ei seu eis expedientius videbitur, tam generaliter quam etiam nominatim, excommunicatos publice nunciari, & sententiam ipsam, prout personarum ligatarum eadem contumacia seu protervia exegerit, aggravari. Super quibus, eisdem ordinariis, ac officialibus, vicariis, ac locumtenentibus, auctoritate præsentis concilii plenam concedimus & attribuimus facultatem. Et si forsan comes, vicecomes, senescallus, baro, judex, capitaneus, castellanus, vicarius, bajulus, consules, ac quicumque utriusque sexus, cujuscumque status, dignitatis, præeminentiæ, seu conditionis existant, aut eorum locumtenentes, officiales, seu servientes, in præmissis vel eorum aliquo culpabiles fuerint, & animo indurato per xv. dies in excommunicatione perstiterint: civitas, castrum, villa, vel locus, ubi fuerint; ecclesiastico subjaceant interdicto. Statuentes insuper, quod quamdiu principales personæ, videlicet hujusmodi malefactores, raptores, deprædatores, in aliqua civitate, vel castro, vel alio particulari loco, sive in parochiæ alicujus limitibus fuerint, si in civitate, castro, aut loco, seu parochia, de prædictis hujusmodi maleficiis, rapinis, seu deprædationibus, sit publica vox vel fama, sine requisitione qualibet cesset penitus a Divinis. Quod si super præmissis publica vox & fama ibidem minime habeatur: tunc ad requisitionem ordinarii loci, vel ejus officialis, hujusmodi cessatio fiat. Si vero universitas deliquerit in prædictis, vel aliquo præmissorum: illi qui ad id universitatem eamdem vel singulares personas ipsius induxerint, instigaverint, commoverint, seu eis vel eorum cuiquam in præmissis vel præmissorum aliquo*, singulares personæ; quæ in aliquo culpabiles fuerint, nisi infra xv. dies emendam fecerint, seu præstiterint competentem, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant. Universitas etiam ipsa, nisi damnum, casu quo de ipso satisfactum non fuerit, infra xv. dies emendaverit, ecclesiastico subjaceat interdicto. Item quod dicti raptores & deprædatores nullo modo a suis ordinariis absolvantur, nisi satisfactione præmissa. Et si in mortis articulo fuerint absoluti, eorum corpora minime tradantur ecclesiasticæ sepulturæ: donec per eorum heredes, seu alios eorum nomine, fuerit integre damnum passis satisfactum. Item excommunicamus omnes illos qui hujusmodi malefactores excommunicatos, postquam in eorum parochialibus ecclesiis per tres dies Dominicos excommunicati fuerint denunciati, receperint ad habitandum in dicta parochia, seu receptos sustinuerint, vel cum eis communicaverint, aut habitationem eis præbuerint, vel eos scienter receptaverint, vel fecerint quo minus tales per illos ad quos pertinet, absque superioris mandato

[a] Forte, irritas. Sed videtur aliquid hic deesse. H.

* Dec. opem dederint, aut quid simile.

ANNO CHRISTI 1368.

dato minime excommunicati nuncientur: delinquentium absolutio cuilibet episcopo in sua diœcesi auctoritate sacri concilii sit commissa. Volumusque quod omnes illi, qui de cætero tales raptores vel spoliatores ecclesiasticæ tradiderint sepulturæ, & qui ad hoc dederint auxilium, consilium, & favorem, sint ipso facto excommunicati, donec de condigna satisfactione fuerit satisfactum. Si vero religiosi fuerint mendicantes, in omnibus nostris provinciis nullus nostrorum subditorum pro confessione ad eos accedat, nec aliquis ad prædicationem verbi Divini ipsos admittat, nec veniat: contrarium facientes sententia excommunicationis innodando. Simili excommunicationis sententia innodamus, qui prædam clericorum, ecclesiasticarumve personarum, & religiosorum, ac omnium prædictorum, scienter & voluntarie receperint in eorum castris sive locis, vel scienter ab eisdem emerint; & quod castra illa vel loca, in quibus fuerit dicta præda detenta, quamdiu ibi fuerit, vel si fuerit alienata vel consumpta, & etiam suburbia & continentia ædificia, subjaceant ecclesiastico interdicto, quousque de damno dato fuerit plenarie satisfactum, quo satisfacto cesset dictum interdictum. Volumus autem quod officiales foranei, & alii quicumque commissarii ad hoc specialiter deputati, processus contra tales facere possint; & quod nos archiepiscopi & suffraganei nostri, ac nostri vel eorum vicarii generales, vel speciales officiales, cum ad partis requisitionem proceditur, prædictum interdictum seu cessationem indicere valeamus. Si vero ex nostro procedamus officio: tunc nostro relinquatur arbitrio, an in totum, vel in partem, servemus eamdem. Item volumus quod facta restitutione rapinæ, vel alias satisfacto, & sine fraude, dictum interdictum sive cessatio relaxetur. Et ut nos, & suffraganei nostri, circa observantiam istius constitutionis nos exhibeamus favorabiles & benignos. prohibemus vicariis & officialibus nostris, & suffraganeorum nostrorum, ne pro cautæ cognitione seu processu faciendo contra malefactores hujusmodi, aliquam pecuniam prætextu salarii vel laboris exigant, seu recipiant; nec eo prætextu quia salarium non habent seu recipiunt, differant scienter procedere, cum fuerit procedendum: alioquin suspensi sint ab officio & Divinis. Postquam autem contra aliquem vel aliquos ipsas constitutiones duxerint publicandas, eosque ut excommunicatos fecerint evitari: contra eos, exigente contumacia, requisiti procedant, quilibet contra suos subditos, ex suo puro & mero officio per centuram ecclesiasticam aggravando: nec tales malefactores seu eorum receptatores absolvant, donec de damnis & injuriis propterea irrogatis satisfactum fuerit competenter. Imponantque absolutis, sub virtute præstiti juramenti, talem pœnitentiam pro commissis, quod pœna docente cognoscant, quantum excesserint in commissis. Quam pœnitentiam si forsan peragere contempserint, in præsentem sententiam reincidere decernimus, & reincidisse pronunciari decernimus & jubemus. Qui vero eos aliqualiter absolverit nisi ut præmissum est: ad interesse illorum qui taliter damnificati fuerint, teneatur. Statuimus insuper, quod quandocumque aliquis nostrum archiepiscoporum, episcoporumque suffraganeorum nostrorum, seu nostri vel eorum vicarii, aut officiales, seu vicem gerentes eorumdem, per alterum ex prædictis requisitus fuerit, ut denunciet illum seu illos excommunicatum vel excommunicatos, contra quem seu contra quos ipse facit dictam constitutionem servare: quod dictam constitutionem sine alia inquisitione observet & faciat observari, & statim mandet illum vel illos excommunicatum vel excommunicatos publice nunciari; ut infra octo dies, die qua talis requisitio facta fuerit minime computata, & alias quam cito commode fieri poterit, considerata locorum distantia, observet & mandet observari per alios, omni appellatione & exceptione cessantibus. Quod si præmissa, ut prædicitur, contempserint adimplere, Divinam sentiant ultionem. Cumque personæ merito rebus debeant præponi, & majori privilegio gaudere: idcirco hoc sacro approbante concilio statuimus, quod præter & ultra pœnas in capitulo, *Si quis suadente diabolo*, contentas, in locis ad quæ occisores, mutilatores clericorum & personarum ecclesiasticarum, & capientes eosdem, pervenerint, cesserur penitus a Divinis, donec ad arbitrium sui ordinarii satisfecerint de commissis. Loca etiam in quibus clerici seu personæ ecclesiasticæ captæ detinebuntur ibidem, cessent penitus a Divinis. Præterea quoque quia scientes & consentientes pari debeant pœna damnari: omnes receptatores eorum, dantesque in præmissis consilium, auxilium, vel favorem, qui occidunt, vel mutilant, aut capiunt clericos vel personas ecclesiasticas, excommunicationis sententia innodamus. Si vero prædictorum criminum & excessuum patratores, excommunicationis sententias per sex menses sustinuerint animis induratis, quod absit: statuendo ordinamus, quod a quibuscumque feudis vassallaticis vel aliis, quæ tunc tenebunt ab ecclesiis nostrarum provinciarum & diœcesum, ipso facto sint privati, & ecclesiis a quibus dicta feuda tunc tenebant, libere revertantur.

CVI. *Prohibentur temporales domini manum apponere in bonis ecclesiasticis, seu personarum ecclesiasticarum, quibuscumque, nec ea arrestare & bannire posse: & ad jura ecclesiarum & locorum, ejusdem sit extensio. Hæc continet constitutio.*

Quoniam aliqui, suis finibus non contenti, falcem in messem imponunt alienam, & non attendentes quod in personas ecclesiasticas laicis nulla est attributa potestas, penes quos non imperandi manet auctoritas, sed potius necessitas obsequendi, jura & bona prælatorum, personarum atque locorum ecclesiasticorum, incorporalia, immobilia, mobilia, & se moventia temere arrestare, bannire, vel manui laicali submittere, illaque capere indebite non verentur: nos volentes præsumptionibus hujusmodi atque nequitiæ, congruæ provisionis antidotum adhibere, præsentis concilii sanctione statuimus, quod quicumque utriusque sexus, cujuscumque status, conditionis, præeminentiæ, aut dignitatis existant, qui per se vel alium, directe vel indirecte, de cætero processerint seu procedi fecerint ad hujusmodi arrestationem, bannitionem, submissionem, vel captionem quorumcumque jurium, locorum, ac bonorum, prælatorum ac ecclesiasticarum personarum prædictarum, aut eorum vel ejus ad quos vel ad quem hujusmodi jura sive bona

ANNO CHRISTI 1368.

na pertinent seu pertinet, legitimas rationes sive defensiones juxta juris formam audire vel auditas admittere recusaverint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrant: a qua non possint absolvi præterquam in mortis articulo, nisi de damno & injuria læsis vel læso satisfactum fuerit competenter. Et si, satisfactione hujusmodi non præmissa, in mortis articulo absoluti fuerint, corpora eorumdem ecclesiasticæ sepulturæ non tradantur: donec per ipsorum heredes, vel per alium eorum nomine, læsis aut læso fuerit satisfactum. Quod si hujusmodi sententiam per VII. dies induratis animis duxerint tolerandam, personæ ecclesiasticæ consistentes in aliqua ex provinciis antedictis, ista loca, in quibus dicti excommunicati, pro tempore degerint seu fuerint, absque alio superioris mandato a Divinis tamdiu cessent, donec dicti excommunicati, ut præmittitur, per se vel alios de commissis hujusmodi satisfecerint competenter. Similesque ac pares prænas incurrere volumus omnes hujusmodi concilii transgressores seu violatores, aut alterum eorumdem, ad præmissa vel præmissorum aliquod scienter præstantes auxilium, consilium, vel favorem.

CVII. *Si ex injuria illata prælatis ecclesiarum, & personis ecclesiasticis, contingat fieri collecta indictio pro ejusdem injuriæ prosecutione: modum contribuendi, & per quos fiat exactio, indicit præsens constitutio.*

Quoniam instructione apostolica caritatis fundamento suffulta salubriter edocemur, piæ participationis juvamine onera proximorum una cum illis tamquam communia supportare: hoc sacro concilio approbante statuimus, quod si qua persona de quavis provinciarum nostrarum, utriusque sexus, cujuscumque status, conditionis, aut dignitatis extiterit, aliquibus vel alteri ex nobis archiepiscopis, vel ex nostris suffraganeis, aut ex nostris, seu eorumdem suffraganeorum, officialibus, ac domesticis, familiaribus, nostræ jurisdictioni subditis, vel cuiquam inferiori prælato sæculari vel regulari, seu cuicumque ecclesiasticæ personæ, in aliqua dictarum nostrarum provinciarum dignitatem, personatum, administrationem, officium, vel perpetuum beneficium, seu locum ecclesiasticum obtinenti, per se aut alium, directe vel indirecte, publice vel occulte, actionem, injuriam, & enorme seu grave damnum violenter intulerit, aut quævis jura seu bona incorporalia & corporalia, immobilia seu mobilia, vel se moventia, ad aliquem eorumdem spectantia, ab ipsorum jurium, seu bonorum occupatore seu occupatoribus, raptore vel raptoribus, & vel eis in vitium damnabiliter succedendo, scienter recipere, & de injuriis seu damnis hujusmodi læsis seu læso competentem emendam impendere, aut restitutionem vel satisfactionem seu recompensationem idoneam facere recusaverit super hoc legitime requisitus; & propterea ipsos læsos seu læsum persequendo, hujusmodi damna seu injurias oporteat pro suo interesse judicialiter experiri: omnes prælati & ecclesiasticæ personæ de civitate & diœcesi illorum vel illius, quem vel quos propterea oporteat hujusmodi subire litigium, in expensas litis, post dimidium annum a die qua lis ipsa inchoata fuerit numerandum, vel ab ipsius litis oxordio faciendas, si forsan dictorum læsorum vel læsi notabilis impotentia forsitan id requirat, contribuere teneantur, donec hujusmodi litigium legitima concordia sopitum fuerit vel diffinitum, sive calculo terminatum, & hujusmodi concordia seu sententia debitum extiterit sortita effectum. Tales * autem pecuniarum summæ in hujusmodi subsidium convertendæ, ac ejus partium singulares * imponendarum singulis debentibus contribuere ad eamdem, si prosecutor litigii archiepiscopus fuerit, ipsum cum uno ex suffraganeis suis; si vero episcopus, archiepiscopum suum; in cæteris vero casibus, scilicet quando nec archiepiscopus nec episcopus litem principaliter seu interesse proprium prosequuntur, loci ordinarios præsentis provisione concilii taxatores & impositores esse volumus & etiam ordinamus; eorum quemlibet in Domino exhortantes propensius, & sub interminatione Divini judicii districtius obsecrantes, quatenus omni privato affectu postposito, juxta exigentiam sumptuum litis, & ecclesiasticarum suppetentium facultatum, præfatæ summæ, ad quarum contributionem omni modo impotentes volumus aliquatenus teneri, taxatione provida & congrua moderentur. Insuper omnes & singulos, de quorum contributione prædictum est, tam exemptos quam non exemptos, ad solvendum partem eis de subsidio contingentem collectoribus, quos per præfatos taxatores & impositores secundum ordinationem superius annotatam in suis civitatibus & diœcesibus deputatos volumus, compellendos: non exemptos videlicet, per censuram ecclesiasticam; exemptos vero, auctoritate dicti concilii; decernendo, si ad id contribuere animo contradixerint pertinaci, fore indignos simili perceptione subsidii; ac statuendo illud eis ex tunc penitus denegandum similibus casibus, quantumcumque illo ardue indigerent; nisi forsitan interim a pertinacia resiliendo, hujusmodi realiter persolverint, seu contribuerint partem eos de dicto subsidio contingentem. Necnon singuli dictorum taxatorum & impositorum non exempti prædicti, ab excommunicationis sententia, si quam propter hujusmodi solutionis defectum forsan incurrerint, possint ab ipsis ordinariis, si satisfecerint, absolvi.

* *Corr.* talis

* *for.* singulatim, *vel* singulariter.

CVIII. *Contra diffidantes personas ecclesiasticas & eorum bona, & guerram hostiliter eisdem facientes: ad non faciendum hac constitutione arcentur.*

Ad reprimendam audaciam perversorum, clericos & personas ecclesiasticas diffidantium, seu procurantium diffidari, [a] eorum occasione, homines, vel loca eorum: sacro approbante concilio statuimus & etiam ordinamus, quod omnes & singuli, clericos seu personas ecclesiasticas diffidantes, seu diffidari procurantes, aut eorum occasione contra homines, vel loca ipsorum, vel prædictos clericos, seu personas ecclesiasticas, præcedente vel non præcedente diffidamento quocumque, guerram facient, seu eosdem clericos, aut personas ecclesiasticas, vel homines, sive dicta bona ipsorum, per modum guerræ seu hostilitatis, aut alias cum turba, seu hominibus coadunatis, ex proposito damnificaverint, necnon omnes & singuli qui eis circa prædicta dederint auxilium, consilium, vel favorem, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, & eorum terræ ecclesiasti-

[a] *Lege*, aut eorum. H.

ANNO CHRISTI 1368.

co subjaceant interdicto. Volentes & etiam statuentes, quod hujusmodi statutum & ordinatio locum habeat etiam contra eos, qui prædictos guerrificantes seu malefactores in locis suis receptaverint, sive defensaverint, publice vel occulte.

CIX. *Gaudere volentes constitutionibus præsentis concilii, eos ipsis subesse volumus & jubemus.*

Item quia non est ferendus qui lucrum amplectitur, onus autem subire recusat: sacro approbante concilio statuimus, omnes personas nobis subditas, exemptas & non exemptas, cujuscumque status vel conditionis existant, qui ex præfatis constitutionibus commodum recipiunt seu recipere possunt, subjacere & esse subiectas ipsis constitutionibus, si deliquerint in iis quæ in his constitutionibus continentur, & contra tales personas juxta tenorem constitutionum esse rigide procedendum.

CX. *Clandestina matrimonia contrahentes sine licentia parochialis ecclesiæ rectoris, excommunicantur, & alias extraordinarie puniuntur.*

Conc. Aven. ann. 1326. c. 48. & ann. 1337. c. 58.

Statuimus, quod quæcumque persona, quæ pro matrimonio clandestino celebrando diœcesim suam exiverit, & ibi ipsum matrimonium contraxerit sine licentia proprii sacerdotis, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, & ut excommunicatus evitetur, & publicetur, donec ad arbitrium diœcesani, ecclesiæ parochiali satisfecerit, in cujus injuriam hoc præsumpserit, & absolutionis beneficium meruerit obtinere.

CXI. *Personæ de ecclesiis cathedralibus vel collegiatis idoneæ ad studium mitti debent theologiæ vel juris canonici, & ipsis negligentibus, ad superiores sic mittendi sit translata potestas.*

Quia viris litteratis ecclesia in suis actibus noscitur indigere: provide duximus statuendum, quod de qualibet metropolitanarum & cathedralium ecclesiarum, provinciarum nostrarum, per episcopum & capitulum duæ personæ docibiles, seu doctrinæ capaces, ad theologiæ vel juris canonici studium transmittantur. Et cum per tempus sufficiens ad mittentium arbitrium studuerint in altera de facultatibus antedictis, ad propriam revertantur ecclesiam: & duæ aliæ ad hujusmodi studium destinentur, non obstante ipsarum ecclesiarum vel alicujus earumdem contraria consuetudine vel statuto. Quod si mittere personas prædictas cessaverint per sex menses: ex tunc, ea vice, potestas eligendi & mittendi easdem, ad ipsarum immediate superiores prælates devolvatur. Et idem in aliis conventualibus locis vel collegiatis ecclesiis de aliqua dictarum provinciarum, ubi saltem sunt decem personæ, (in religiosis vero, serventur eorum apostolicæ consuetudines, tanquam collegium videlicet habentes prælatum) præcipimus observari. Quod autem quantum ad capitula & collegia hic dicitur, intelligi volumus salvis statutis ecclesiarum, in quibus hæc personarum missio ad immediatum antistitem noscitur pertinere. Personæ vero prælatæ in dicto studio existentes, nihil amittant, nisi sint illa quæ interessentibus Divinis officiis dari consueverunt. Idoneis vero de facili licentiam dare teneantur. Alioquin superior eorumdem, licentiam dare eis teneatur.

CXII. *Quod signum Judæi portare debent, ut a Christianis dinoscantur.*

Præterea ut Judæi, quos a professoribus fidei Christianæ, internæ perfidiæ secernit impietas, etiam a Christicolis in exterioris habitus differant qualitate: statuimus & decernimus, quod Judæi masculi a XIV. annis & supra, deferant extra domos suas in superiori veste in pectore signum rotæ, cujus rotunditas in quantitate sit trium vel quatuor digitorum. Mulieres autem Judææ a XII. annis & supra, cornalia deferant.

CXIII. *Christiana liberos Judæorum nutrire non debet, nec alias cum ipsis habitare.*

Indecens penitus ac honestati absonum reputantes, ut personæ catholicæ fidei titulo insignitæ Judæis serviant, quos propria culpa subjecit perpetuæ servituti: statuimus, sacrosancto concilio approbante, quod nulla mulier Christiana de aliqua provinciarum prædictarum, audeat habitare cum Judæis, aut filios vel filias eorum nutrire vel lactare. Et quæcumque contra hujusmodi inibitionem nostram, postquam monitæ fuerint super hoc, præsumpserint facere, decernimus eas ex tunc excommunicationis sententia subjacere: ita videlicet, quod cum hoc diœcesano aut rectori loci illius, ubi mulieres super hoc culpabiles inventæ fuerint, extiterit nunciatum, per jam dictum diœcesanum aut rectorem ecclesiæ parochialis earum, ipsæ mulieres excommunicatæ nuncientur; & tanquam excommunicatæ ab omnibus evitentur. Et ne ipsæ mulieres de facili in excommunicationis laqueum incidere valeant ipso facto: volumus & mandamus, quod præsens statutum per diœcesanos & rectores ecclesiarum seu ecclesiasticorum locorum, in quibus Judæi morantur, semel annis singulis publicetur.

CXIV. *Ad Judæos Christiani non recurrant pro medicina quascumque eorumdem capienda, nisi maxima necessitas imminerat.*

Conc. Aven. ann. 1337. c. 69.

Item, quia inter Christianos, non sine fidei catholicæ opprobrio, adeo invaluit perniciosus abusus, ut ii qui Judæorum fœtidos actus & opera abhorrere deberent, ad ipsos Judæos, qui se physicos vel chirurgicos asserunt, pro medicamentis, immo verius nocumentis, indifferenter recurrant: idcirco præsentis constitutione concilii statuimus & etiam ordinamus, ut nullus de cætero Christianus nostrarum provinciarum, civitatum, & diœcesum, cujuscumque sexus, status, & conditionis, ac dignitatis existat, in infirmitate sua vel alias, Judæorum quemquam physicum vel chirurgicum pro aliquibus infirmitatibus, cujuscumque conditionis aut qualitatis sint, medicinam seu medicamen suæ curæ recipere ab eo audeat, requirat, vel requiri faciat, seu alias quovis modo recipiat: nisi patienti imminerat periculum, & Christiani periti medici, physici, vel chirurgici, haberi commode in prædicto periculo copia non valeret. Interdicentes Judæis utriusque sexus; ut in curandis infirmitatibus Christianorum nullatenus se audeant immiscere. Quod si fecerint, Christianorum eis communio subtrahatur, & Chri-

ANNO CHRISTI 1368.

Christiani ad eos in præmissis recurrentes, arbitrio sui ordinarii puniantur.

CXV. *Christiani prohibentur adesse in matrimoniis & sepulturis Judæorum.*

Quoniam abusus quidam abominabilis nomini Christiano in locis aliquibus, ut audivimus inolevit, videlicet quod Christiani aliqui in Judæorum circumcisionibus aut sepulturis interesse præsumunt, causa honorandi eosdem; & ex cautis præmissis, in eorum conviviis cum eis comedere non verentur, ac in dictis circumcisionibus compaternitatis vinculum, quod nefas est dicere, contrahere cum eisdem: nos volentes abusum hujusmodi, si quis in nostris, quod absit, forsan existat provinciis vel eorum aliqua extirpare, prædicta & quodlibet prædictorum fieri de cætero prohibemus. Si qui vero contra hanc prohibitionem fecerint, temporalis metu pœnæ arbitrio sui ordinarii punientur.

CXVI. *Clerici & laici prohibentur herbas & alia venenosa dare in mortem alicujus, aut ut abortivum projiciatur.*

Conc. Aven. ann. 1326. c. 18.

Ut quicumque alium toxicare, vel opem ad hoc vel consilium dare, vel in necem alterius toxicum dictare seu vendere, aut alias ministrare præsumpserit, vel herbas mortiferas in mortem vel abortivum cujusquam dederit, eo ipso excommunicationem incurrat. Et si clericus beneficiatus fuerit, sit ille privatus beneficio, ipso facto, & ab ordine quem susceperat degradetur. Et nisi purgatus de præmissis sit, a tali vel simili suspicione probabiliter infamatus, & ex verisimilibus præsumptionibus & perspicuis indiciis apud bonos & graves notatus: ad honorem & dignitatem ecclesiasticam nullatenus admittatur. Et nihilo minus ad detentionem personæ honestam, prout requiret personæ status & sceleris immanitas suadebit, ad inveniendam veritatis certitudinem, sicut superioris discretioni visum fuerit, procedatur.

CXVII. *De adulteris & concubinariis.*

Excommunicamus etiam omnes concubinarios publicos & manifestos.

CXVIII. *Incendiarii & raptores publici sint excommunicati.*

Statuimus, quod incendiarii & raptores publici excommunicati sint, & tanquam excommunicati vitentur, & ecclesiastica sepultura careant; nisi per se vel per heredes satisfactionem fecerint vel emendam.

CXIX. *Non revelantes instrumenta publica, vel alia documenta ad ecclesias pertinentia, tenentur pœna hic contenta.*

Quoniam pontificalem decet solertiam, rerum ecclesiasticarum ita curam gerere, & subditorum commoda vestigare, ut ecclesiastica libertas incorrupta persistat, & singulorum status jugiter servetur illæsus: iucirco nos callidis quorumdam machinationibus obviare volentes, statuimus, quod quicumque privilegia, instrumenta, & alia ecclesiastica munimenta, ad ecclesiam & personam ecclesiasticam seu quemlibet alium pertinentia retinuerint, nisi infra xv. dies a tempore scientiæ hoc revelaverint illi vel illis ad quos prædicta instrumenta, privilegia, vel munimenta noverint pertinere, si indebite & scienter retinuerint, cujuscumque status vel conditionis existant, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto: a qua non possint absolvi, nisi prædicta instrumenta, privilegia, ac munimenta restituerint, & de damnis & interesse satisfecerint parti læsæ de præmissis. Præsens autem statutum a rectoribus seu vicariis nostrarum provinciarum præcipimus quater in anno diebus Dominicis, dum Missæ solemnes celebrabuntur, publicari.

ANNO CHRISTI 1368.

CXX. *Qui usuras solvere * aut repetere prohibent, excommunicati publice nuncientur.*

* *sententia subiecti canonis exposcit hæc aut similia verba Qui solvere jubent, aut repetere prohibent.*

Cum utroque jure contractus usurarii reprobati existant: præsenti concilio, ob animarum salutem, statuimus, ut quicumque officialis, sive judex, ad solvendum usuras, vel quod non repetantur solutæ, scienter judicare seu ordinare præsumpserit, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto. Injungentes insuper in virtute sanctæ obedientiæ omnibus & singulis ordinariis provinciarum nostrarum, ut si constiterit aliquos officiales vel judices infra eorum jurisdictionem contra prædicta fecisse, quæ in præsenti concilio sunt salubriter statuta, eosdem ut excommunicatos faciant publice nunciari, ut sic prædicti judicandi officio excludantur, & ad reconciliationis gratiam facilius inducantur.

CXXI. *Qualiter contra exemptos & privilegiatos suis privilegiis abutentes procedatur.*

Conc. Aven. ann. 1326. c. 29. & an. 1337. c. 23.

Dolentes referimus, quod nonnulli religiosi, hospitalarii, & Cistercienses, & alii, tam privilegiati exempti, de privilegiorum sibi forte aut ordini suo indultorum prærogativa temere confidentes, excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententias ab ordinariis vel officialibus ipsorum rationabiliter promulgatas observare non curant; quinimmo in contemptum clavium excommunicatos, suspensos, & interdictos hujusmodi, ad Divina recipiunt, aut interdum in donatos vel confratres contra mentem Lateranensis concilii admittunt, receptatorum in hac parte genus pessimum imitantes, sine quibus delinquentes in iis & similibus diu forsitan non laterent. Sed nec iis contenti, domos conventuales alterius ordinis quam sui, eisdem ordinariis lege diœcesana subjectas, & a sui fundatione jurisdictioni prælatorum, salva regula sui ordinis seu disciplina, suppositas, tam prænominati quam cæteri religiosi, etiam non exempti, nec privilegiati vendicare sibi & prælatis quasi furtim, succedente postmodum violentia, subtrahere moliuntur; sicque de suis indulgentiis seu privilegiis confidentes, alios fidentius in jure suo molestant, ita quod auctoritate, immo temeritate propria, nunc in vestimentis ovium venientes, nunc sæculari fulti potentia, violenter per se vel alium possessiones vel quasi domorum hujusmodi, aut rerum & jurium ad eos spectantium, & cum armis aliquotiens invadere & occupare ac tenere contendunt, in prælatorum præjudicium, scandalum, & gravamen illius ordinis, cujus dicta bona maxime ab initio erant, & cui ab antiquo subesse consueverunt, & ejusdem læsio-

ANNO CHRISTI 1368.

sionem. Cum igitur tales & tam enormiter excedentes, & notorie delinquentes, receptatoribus non impares, immo improbis raptoribus nequiores, perinde ut alios, jura censeant puniendos: nos, quantum animadvertere [a] ipsos possumus, & a jure nobis permittitur, & maxime si de privilegiis suis non vellent copiam facere requisiti, volentes, ubi eos indulta sibi privilegia non defendunt, correctionis & reformationis officium exercere, & effrænatam ambientium cupiditatem reprimere cupientes: statuimus & concorditer ordinamus, ut tales & similes in præmissis tam enormiter delinquentes, & tam notorie excedentes, nisi destiterint, & saniori ducti consilio congruenter infra VIII. diei ex quo fuerint requisiti, revocare seu emendare distulerint, una cum illis qui se ad eos sic ligatos conjunxerint, & eis qui translationem hujusmodi attentaverint, & exinde monasteria, domosve conventuales, res, & jura hujusmodi, occupare seu invadere cum armis vel sine armis præsumpserint; necnon & omnes qui eis ad hoc opem vel operam præstiterint, aut ut sic occupata scienter detineant, consilium vel juvamen præbuerint, non solum excommunicationi subjaceant ipso facto, sed etiam cum ipsis prælatis non deferant, sed potius vilipendant eosdem, prælati e contra, quamdiu sic fecerint, & autu temerario eis vel officialibus eorum in præmissis restiterint, in privilegiis vel aliis juribus suis tueri eos vel defendere minime teneantur. Dignum est enim ut qua mensura mensi fuerint, in eadem remetiatur eisdem: ut ignorantes ignorati, & contemnentes sentiant se contemni. Qua enim fronte prælatorum implorabunt auxilium, qui committere non formidant in ipsos? Statuimus insuper & præcipimus & communiter ordinamus, ut singulares personæ, tam suimet quam ipsius conventus, dictam translationem taliter fieri procurantes, ab illius domus seu conventus consortio penitus & in perpetuum excludantur, vitam suam alibi sub arcta pœnitentia sui superioris arbitrio finituri. Circa translationem autem singularum personarum, ad arctiorem forte regulam transire cupientium, nihil per hoc intendimus extra formam a jure traditam immutare.

[a] *Forte*, in ipsos. H.

CXXII. *Quomodo procedatur contra capientes episcopum aut prælatum, aut eorum occisores, & dantes in præmissis consilium vel juvamen.*

Quoniam exempla præterita timere nos admonent in futurum: hujusmodi sacri concilii auctoritate statuimus, ut quicumque instigante diabolo, per se vel per alium interfecerit, vel vulneraverit, vel ceperit, aut percusserit aliquem archiepiscopum aut episcopum, omnibus feudis aut rebus & beneficiis, quæ ab ecclesiis quibuscumque alicujus provinciarum nostrarum, tempore sceleris obtinebit, ipso facto sit perpetuo privatus, & ea pleno jure ecclesiis, a quibus prædicta obtinuit, applicentur: nec descendentes ab eodem malefactore, usque ad quartam generationem, ad gradum aliquem ecclesiasticum promoveantur, nec aliquod beneficium ecclesiasticum feudale, vel aliud quodlibet, in aliqua provinciarum nostrarum assequantur. Et ne minus vindictæ quam excessus memoria tanti facinoris prorogetur: adjicientes statuimus, quod quicumque prælatus de aliqua provinciarum nostrarum prædictarum, aliquem de prædictis descendentibus ad aliquem ordinem, promovere, vel aliquod beneficium ecclesiasticum seu quodlibet aliud eidem conferre scienter præsumpserit, a collatione illius ordinis, quem scienter contulerit, per biennium sit suspensus. Quicumque autem de prædictis malefactoribus, vel filiis suis, ordinem seu beneficium a quoquam archiepiscopo vel episcopo scienter vel ignoranter receperit, executionem non habeat ordinis sic susceptí, & collatio ejusdem beneficii sit irrita ipso jure, & ea vice per proximum superiorem de illo beneficio ordinetur. Si vero aliquem de prælatis inferioribus, vel principalem vicarium, seu officialem supradictorum archiepiscoporum vel episcoporum, ausu temerario quisquam interficere, mutilare, vel capere præsumpserit: tam ipsi, quam eorum filii, incurrant pœnam expressam superius ipso facto, proviso quod eis feudis & possessionibus tantummodo sint privati, quæ ab ecclesiis, quarum personas sic læserint, modo quolibet obtinebunt. Salvo eo quod alias super hoc in canonibus continetur. Et prælatus, qui tales malefactores, vel filios eorum, ad aliquem ordinem promovere, vel cuiquam talium beneficium ecclesiasticum conferre præsumpserit, a collatione illius ordinis, quem scienter contulerit, per annum noverit se suspensum, & collatio hujusmodi sit irrita ipso jure, & ea vice de beneficio ipso per superiorem proximum ordinetur. Quicumque autem de prædictis malefactoribus vel filiis suis a quoquam episcopo scienter vel ignoranter ordinem receperit, executionem non habeat ordinis sic susceptí, nec beneficii collatio valeat, ut est dictum: salvis tamen omnibus pœnis canonicis, quibus per hanc constitutionem non intendimus in aliquo derogare. Hanc autem constitutionem & statuta salubriter, per diœcesanos quoslibet provinciarum nostrarum singulis annis in suis synodis & diœcesibus præcipimus publicari: & nihilo minus ut ii qui predictas pœnas incurrerint, in synodis nuncientur nominatim.

CXXIII. *Convenientibus ad Missam beatæ Mariæ in diebus sabbatinis, indulgentia est concessa.*

Insuper attendentes quod ecclesia militans frequentibus adversitatum insultibus quatitur, & circumstantibus sæculi turbinibus agitatur, & quod propterea ad sustentationem ipsius ecclesiæ superna præsidia sunt suppliciter imploranda, præsertim mitissimæ cælorum reginæ, quæ a pacifico rege, quem genuit & peperit illabata, compos est omnia impetrare: statuimus, & communiter ordinamus, quod Missa ipsius beatissimæ virginis, additis collectis *Ecclesiæ tuæ Deus*, & *Deus a quo sancta desideria*, in die sabbati, si festum novem lectionum non impediat, alioquin in alia vacante feria sequentis hebdomadæ vel ejusdem, pro prospero, pacifico, & tranquillo statu ecclesiæ ipsius, & inimicis ad cor pœnitens revocandis, in singulis provinciarum nostrarum ecclesiis solemniter celebretur. Et ut ad conveniendum ad Missam hujusmodi Christi fideles, spiritualium munerum allicientibus donativis, ferventius animentur: omnibus vere pœnitentibus & confessis accedentibus ad eamdem, decem dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus.

CXXIV.

ANNO CHRISTI 1368.

CXXIV *Omnibus Christianis provinciarum antedictarum & diœcesum, orantibus pro domino nostro papa, est indulgentia concessa.*

Conc. Aven. ann. 1326. c. 3.

Item, quoniam universali pastori totum gegem Dominicum sollertiæ suæ commissum dirigendi, fovendi, ac eum a lupinis morsibus præservandi, curis & vigiliis plenum imminet studium: est ei per subditos apud majestatem Divinam, quæ piis fidelium votis benignas aures accommodat, propensis orationum suffragiis assistendum: Nos igitur provida & pia deliberatione præambula, præsentis auctoritate concilii duximus statuendum, quod quicumque Christi fideles de aliqua nostrarum provinciarum civitatum, & diœcesum vere pœnitentes & confessi, devotas orationes effundere curaverint ante conspectum Altissimi, a quo bona cuncta procedunt, ut per suam ineffabilem misericordiam sanctissimum patrem & dominum nostrum papam, qui est vel erit pro tempore, regere ac in suæ pacis gratia conservare ac custodire, fidemque catholicam toto terrarum orbe multiplicare dignetur; quilibet, videlicet nostrum archiepiscoporum per totam suam provinciam, & quilibet suffraganeorum nostrorum per totam suam civitatem & diœcesim, quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus.

CXXV. *Quod quæstores quicumque sine litteris ordinariorum minime recipiantur, nec ad prædicandum admittantur.*

De quæstoribus autem ecclesiarum, hospitalium, vel pontium, alias duximus statuendum, quod sine nostris vel episcoporum litteris non recipiantur, & tunc ad prædicationem non admittantur, sed ad expositionem ipsorum tantum quæ in nostris vel episcoporum litteris continentur. Et si prædicare præsumpserint, capiantur, si de jurisdictione ecclesiæ existant.

CXXVI. *Ut ordinarii in casibus reservatis deputent idoneos confessores.*

Cum natura humana propter sui fragilitatem prona sit ad gravia committenda, quorum remissio est solis episcopis reservata, & ipsi episcopi super præmissis quotidie adiri non possint: statuimus, quod quilibet episcopus provinciarum nostrarum, in casibus sibi reservatis tot confessores discretos instituat, quot secundum statum suarum civitatis & diœcesis necessarios noverit, quibus super ipsis committat plenariam potestatem.

CXXVII. *Indulgentia conceditur dicentibus quinquies* Pater noster, *& septies* Ave Maria, *cum campana trahitur pro præmissis.*

Cum per devotam orationem, non dumtaxat placabilis sit ira Dei, quinimmo, sacra testante scriptura, ejus sententiam sæpius noverimus immutasse: idcirco sacro approbante concilio statuimus & ordinamus, sub pœna excommunicationis, quod singulis & continuis diebus, rectores & curati provinciarum nostrarum, quilibet per se vel alium, circa Solis ortum, pulsent seu pulsari faciant unam campanam per modum & formam quibus trahitur de sero, A quando pulsatur pro *Ave Maria*. Et tunc omnibus & singulis qui pro pace & statu prospero ecclesiæ conservandis, & augmentandis, devote, ob reverentiam & honorem illorum quinque vulnerum per Salvatorem nostrum in ara crucis pro redemptione generis humani receptorum, quinquies genibus flexis orationem Dominicam dixerint, & ad honorem septem gaudiorum quæ de filio suo beata Virgo habuit, septies angelica salutatione, scilicet *Ave Maria*, eam devote salutaverint, de injunctis pœnitentiis triginta dies misericorditer relaxamus.

ANNO CHRISTI 1368.

CXXVIII. *Qui in contemptum ecclesiæ, excommunicationis sententias & interdicti vilipendunt, usurpando sibi sacerdotale officium, sententias fingentes per eos ferri posse in Dei vilipendium, & censuræ ecclesiasticæ opprobrium, pœna hic contenta affligantur.*

Ad audientiam nostram pervenit, quod abominabilis in quibusdam partibus invalescere cœpit abusio, videlicet quod quidam nequitiæ filii maledictionis alumni, non timentes Deum, nec hominem reverentes, cum censuram ecclesiasticam vilipendunt, cumque ad hominum salutem inventam, tamquam venenum, respuunt medicinam, ad interitus festinando perniciem, suis nefandis exemplis in perversitatis ruinam alios damnabiliter seducendo, cum Belial eorum patre, superbiæ sedem sibi ab aquilone constituunt, suosque superiores contemnunt, contra eos rebellionis calcaneum erigentes, tales, cum, ut fertur, adulterinum prælati vel presbyteri confingentes officium, interdictumque sibi ministerium temere usurpantes, dum exigente justitia, per suos superiores excommunicationis subduntur sententiis, vel de suorum superiorum mandatis hujusmodi sententiarum innodati vinculis nunciantur, in superiorum promulgantium & per eos promulgatarum sententiarum contemptum, se parem vel similem in superiores ipsos habere potestatem, contra ipsosque seu denunciatores sententiarum * ipsarum, quantum in ipsis nequitiæ filius est, excommunicationis sententias, versa immo perversa vice, fulminare præsumunt, accensos palearum fasciculos, vel candelas de cepo, seu carbones, aut tisones ardentes in patellis, conchis, sartaginibus, vel similibus vasis vituperabiliter extinguendo. Cum igitur talia in Dei opprobrium & ecclesiasticæ vilipendium disciplinæ redundare noscantur: præsentis concilii ordinatione statuimus, & districtius inhibemus, ne quis clericus vel laicus, cujuscumque ordinis, conditionis, aut status existat, tam perniciosa facto pariter & exemplo, per se vel alium, seu alios, de cætero attentare præsumat. Qui vero hujusmodi statuti transgressor extiterit, & infra triduum emendam exinde non exhibuerit competentem: ex tunc se noverit ipso facto excommunicationis vinculo innodatum. Locus vero ubi hæc vel similia, ipsius loci domino sciente, vel mandante, vel ratum habente, seu, postquam requisitus fuerit ipse seu locum tenens ejusdem, infra sex dies corrigere negligente, præsumpta fuerint, ecclesiastico tamdiu sit & remaneat suppositus interdicto, donec ad mandatum ecclesiæ, quam delinquens offenderit, & prælati, quem irreverenter despexerit, sufficiens & idonea satisfactio ac realis emenda præstita fuerit

Conc. Aven. ann. 1326. c. 3.

a Ms. Ipsorum.

per

ANNO CHRISTI 1368.

per eumdem: quam, cum in talibus non sit relaxanda vindicta, offensus prælatus minime remittere valeat ullo casu. Quinimmo eisdem pœnis illos vel illas volumus subjacere, qui vel quæ talia mandaverint fieri, vel alias opem vel operam aut consilium præbuerint: si tamen rem adeo detestabilem perducere contigerit in effectum. Addito, quod eorum posteri, usque ad secundam generationem, in clericorum collegium nullatenus admittantur, nisi prius, per metropolitanum cum uno suffraganeo, cum ipsis super hoc fuerit misericorditer dispensatum. Si vero clericus beneficiatus, in dignitate, personatu, seu officio constitutus, taliter excesserit: ultra pœnam quæ laico infligeretur, præterea beneficio ecclesiastico, si quod in provinciis nostris obtinet, vel aliquo earumdem, sit ipso facto præsentis concilii auctoritate privatus. Non beneficiatus autem, ad obtinendum beneficium sit ex tunc inhabilis & indignus.

CXXIX. *Lata sententia excommunicationis vel interdicti, requisitus ordinarius ab alio, eas faciat inviolabiliter observari.*

Sententiam excommunicationis vel interdicti latam ab uno, alii denunciari & observari faciant, cum a proferente super hoc fuerint requisiti. Addentes, quod hujusmodi sententiæ excommunicationis & interdicti nonnisi ex justis cautis, & cum magna solemnitate, proferantur.

Conc. Aven. anno 1326. c. [illegible]

CXXX. *In cessatione Divinorum, capitulum* Alma mater *observetur.*

Cum in quibusdam constitutionibus sacri præsentis concilii, & alias, in provinciis nostris sit cautum, quod in certis casibus debeat cessari penitus a Divinis: ejusdem approbatione concilii declaramus, prædictam cessationem debere fieri, prout tempore generalis interdicti per constitutionem felicis recordationis Bonifacii papæ octavi, quæ incipit *Alma mater*, & per alias constitutiones canonicas, est statutum.

CXXXI. *A dominis temporalibus, excommunicati, ad unitatem ecclesiæ, per ordinarios requisiti, redire compellantur: & domini temporales requisiti, negligentes, vinculo excommunicationis astringantur: & excommunicati, tempore quo Divina celebrantur, ab ecclesia exire teneantur.*

Cum utraque jurisdictio, videlicet spiritualis, & etiam temporalis, a principio manaverit ab eodem: evidenti necessitate urgente statuimus, quod domini temporales, judices, & eorum bajuli, & locatenentes, ad requisitionem archiepiscoporum, episcoporum, vel officialium eorumdem, excommunicatos ad petendum absolutionis beneficium, & ad sinum sanctæ matris ecclesiæ revertendum, per bonorum suorum captionem, venditionem, distractionem, & per alia juris remedia, citra pœnam sanguinis, compellant; & nisi infra octo dies, a datæ requisitionis tempore computandos, requisitionem hujusmodi prævenerint cum effectu, nec se legitime excusaverint, iidem requisiti excommunicationis incurrant sententiam ipso facto. Item, quod excommunicati, præsertim postquam denunciati in ecclesiis publice fuerint, non jungant se officiis, nec intrent ecclesias, quamdiu hujusmodi officia celebrantur ibidem. Et illi qui dictos excommunicatos in ecclesiis viderint, dum dicta Divina ibidem celebrantur officia, hoc ipsarum ecclesiarum denunciare rectoribus teneantur, vel locatenentibus eorumdem. Et si excommunicati prædicti, de ipsis ecclesiis exire contemplerint requisiti, ordinariorum arbitrio puniantur, præter alias pœnas a jure introductas. Et si in mortis articulo absoluti fuerint, nihilo minus tamen ecclesiastica careant sepultura, donec de hujusmodi contemptibus ordinariorum arbitrio pro eis satisfactum fuerit competenter. Rectores vero ecclesiarum ipsarum, de talibus transgressoribus & eorum nominibus, infra mensem, ordinarium suum per suas certificare litteras teneantur.

CXXXII. *Excommunicati ad manus osculum non admittantur, nec in potu pariter, nec in cibo.*

Quia jus ecclesiasticæ disciplinæ contemnitur, eo quod excommunicati arctius non vitantur, & quod agitur a prælatis, facile trahitur a subditis in exemplum: dicti concilii approbatione statuimus, quod prælati excommunicatos publice ad manus osculum non admittant, & quod ab ipsis prælatis vitentur, comedendo, bibendo, tam in dando eisdem excommunicatis, quam in recipiendo ab ipsis (nisi prædicti excommunicati, ad dandum eisdem prælatis, ratione procurationis vel census, vel alias legitime ad hoc teneantur) & a dictis prælatis & aliis evitentur secundum mandata judicum, & secundum canonicas sanctiones: ut excommunicati, rubore confusi, ad gremium sanctæ matris ecclesiæ libentius revertantur. Ibid. c. 4.

CXXXIII. *Confirmatio constitutionum a prædecessoribus archiepiscoporum editarum.*

Cum multa sit diligentia per nostros prædecessores provisum casibus, qui solent in nostris civitatibus, provinciis, & diœcesibus evenire, per constitutiones legitimas provinciales, quæ ab aliquibus minus debite observantur: hinc est quod nos, omnes constitutiones provinciales, alias per prædecessores nostros & per nos editas, renovamus, approbamus, easque de fratrum nostrorum consilio & assensu, ex certa scientia confirmamus, ac ipsas præcipimus inviolabiliter observari: nec per ista præcedentia statuta in præsenti concilio facta, aliis statutis & observantiis provincialibus seu synodalibus intendimus in aliquo derogare, nisi in quantum prædictis cessent contraria vel adversa.

In quorum omnium fidem & testimonium præmissorum, nos Petrus Narbonensis, & Gasfredus Tolosanus, Divina providentia archiepiscopi, & Philippus abbas Soricinii, vicariusque generalis domini Arnaldi archiepiscopi Auxitani, supradicti, prædictas constitutiones ad instar publici instrumenti publicari mandavimus per Bernardum de Fabrica, alias de Cornutio, & Joannem Nigri notarios publicos & scribas nostros infrascriptos, & sigillorum nostrorum appensione muniri, ad majorem roboris firmitatem, & certitudinem pleniorem. Et nos siquidem, & reverendi in Christo patres, domini, H. Biterrensis, I. Carcassonensis, A Electen-

ANNO CHRISTI 1368.

ctensis, R. Vaurensis, G. Appamiarum, & G. Lombariensis, B. Convenarum, episcopi suffraganeique nostri supradicti, necnon prædicti vicarii & procuratores absentium aliorum suffraganeorum nostrorum, & in præfato concilio non comparentium, omnia & singula in dictis statutis contenta, rata & grata habuimus atque firma; nisi si & in quantum dominus noster papa vellet ea corrigere, diminui, vel augeri. Actum & datum in dicta ecclesia cathedrali civitatis Vaurensis, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo sexagesimo octavo, & die sexta mensis Junii, indictione sexta, pontificatus sanctissimi in Christo patris, & domini nostri, domini Urbani Divina providentia papæ quinti prædicti anno sexto: præsentibus dominis, Petro de Sortenaco legum doctore, decano sancti Felicis de Caramanno, Tolosanæ diœcesis; Joanne de Karolay magistro in sacra pagina, magistroque majore ac canonico ecclesiæ Narbonensis; Petro Vernhio decretorum doctore, canonico Narbonensi; Petro Villani legum doctore, vicario & officiali Tolosano; & venerabili & religioso viro domino Amelio de Lautreco decretorum doctore, canonico & cancellario Tolosano; Bertrando Ayromeri licentiato in decretis, officiali Narbonensi; Jacobo Maynerii in legibus baccallario, diœcesis Claromontensis; & Guillelmo Siguerii baccallario in decretis, canonico & sacrista ecclesiæ collegiatæ beatæ Mariæ Gissonensis, Urgellensis diœcesis; & pluribus aliis venerabilibus & providis viris, testibus ad præmissa vocatis, requisitis, & rogatis.

Et me Joanne Nigri clerico Morinensis diœcesis, publico apostolica & imperiali ac archiepiscopali auctoritate & ipsius domini Narbonensis archiepiscopi scriba & notario, qui simul cum magistro Bernardo de Fabrica, alias de Cornutio, dicti domini archiepiscopi Tolosani & scriba & notario infrascripto nominando, statutorum sive constitutionum suprascriptorum editioni & ordinationi, dictorum dominorum episcoporum præsentium ac aliorum dominorum episcoporum absentium procuratorum & vicariorum generalium ratificationi, confirmationi, requisitioni, & aliis omnibus & singulis supradictis, dum fic, ut supra leguntur, agerentur & fierent, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque omnia & singula, prout supra scripta sunt, manu mea propria scripsi, & in hanc publicam formam per dictos dominos archiepiscopos & vicarium domini archiepiscopi Auxitani, una cum dicto magistro Bernardo requisitus & mandatus redegi, & signum meum ante subscriptionem appeiui in testimonium præmissorum.

Ego vero Bernardus de Fabrica, alias de Cornutio, clericus Caturcensis, publicus apostolica & imperiali auctoritate notarius, & dicti domini archiepiscopi Tolosani scriba, simul una cum supradicto magistro Joanne Nigri notario publico supradicto, & dicti domini archiepiscopi Narbonensis etiam scriba, prædictorum statutorum sive constitutionum editioni, ordinationi, dictorumque dominorum præsentium episcoporum, necnon aliorum dominorum episcoporum absentium procuratorum, & aliorum vicariorum generalium, approbationi, ratificationi, confirmationi, & requisitioni, & aliis omnibus & singulis supradictis, dummodo fierent & ordinarentur prædicto, una cum prænominatis testibus præsens fui, eaque omnia & singula supradicta in notam communicatis primitus collatione cum dicto magistro Joanne, & ipsis per eumdem magistrum Joannem scriptorem in hanc publicam formam redactis, signumque meum & subscriptionem meam prædictam solitam apposui in fidem & testimonium omnium prædictorum.

ANNO CHRISTI 1368.

Hic ut quæ sedes Rosquettianus, ex quo e mendatione rem habet hanc omissam in editione Lamarnalque supplevit.

INDULGENTIA A PATRIBUS concilii Vaurensis concessa Christi fidelibus, qui manus adjutrices porrigent ad restaurationem cathedralis ecclesiæ Vaurensis.

UNiversis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, visuris, ac etiam audituris, Petrus primas sanctæ sedis Romanæ provisione Narbonensis, Gasfiedus eadem provisione Tolosanensis archiepiscopus, Philippus abbas Soricinii vicarius generalis in spiritualibus & temporalibus reverendissimi patris in Christo domini Arnaldi archiepiscopi Auxitani, Bernardus Convenarum, Petrus Lodevensis, Rorbertus Vaurensis, Hugo Biterrensis, Joannes Caturcensis, Arnaldus Electensis, ... Vasatensis, Guillelmus Lumbariensis, Guillelmus Appamiarum, Otho Lescarensis, eadem provisione episcopi, in civitate de Vauro de auctoritate apostolica & nostra generale concilium celebrantes, salutem in eo qui est omnium vera salus, & veniam delictorum. Quoniam, ut dicit apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepiuri prout quisque gesserit in corpore suo & in corde, sive bonum fuerit, sive malum, & tam præsens & visibilis ecclesia militans, triumphanti cælesti civitati Jerusalem non immerito comparetur, & locum ubi sanctissimum corpus Domini nostri Jesu Christi conficitur & servatur, & nostræ reconciliationis ad ipsum instrumenta, scilicet ecclesiastica sacramenta, ministrantur, tam pro offensis, quam ex culpis populi recurrentis ad supplicandum, [a] diem majestati specialiter deputatum, in quo delictorum venia confitentibus impetratur, [b] & inter cætera firmo fundamento ac expletis ædificiis communiri deceat, ut allicias, reficiat, & informet. Sane cupientes quod ecclesia cathedralis Vaurensis nuper erecta, in qua sacrum generale concilium auctoritate prædicta de præsenti celebramus, & in qua Dominus Jesus Christus salvator & redemptor noster, ad honorem beatissimæ gloriosæ virginis Mariæ, ac gloriosorum sanctorum beati Elani pontificis & confessoris patroni dictæ ecclesiæ cathedralis, beati Albini meritis, & plurimorum sanctorum sanctarumque virginum, pro quibus ad Dei sanctorum & sanctarum ejus honorem & gloriam in dicta cathedrali ecclesia sacra altaria sunt constructa & ædificata, quamplurima miracula operatur, & ejus claustrum de novo opere non modicum sumptuoso reparetur, potissime dicta ecclesia, quæ quotidie a parte fluminis funditur, & subjecta oculis nostris multum indigeat reparatione, libris, vestimentis, & aliis ornamentis Divino cultui necessariis, deceatque cathedralem ecclesiam, potius quam aliæ rurales, majoribus & solemnioribus ornamentis decorare, & dignioribus suffragiis sustentare, & necessitatibus ipsius ecclesiæ spiritualibus remediis subvenire, & saluti animarum, quantum cum Deo possumus, providere, cum ad dictæ ecclesiæ & claustri reparationem & ornamentum propriæ non suppetant facultates, nisi eleemosynis Christi fidelium

[a] Lege divinum. H.

[b] Deo & H.

ANNO CHRISTI 1368.

eleventur. Nos igitur archiepiscopi & episcopi, hujusmodi sacrum generale concilium in dicta cathedrali ecclesia celebrantes, volentes, ad tam pium opus fideles Christi devotius excitare, universis & singulis utriusque sexus, vere tam pœnitentibus quam confessis, qui in festivitatibus Nativitatis Domini, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Annunciationis, Nativitatis, Purificationis, & Assumptionis, Conceptionis, & Præsentationis beatæ & gloriosæ virginis Mariæ, singulorumque apostolorum, commemoratione omnium sanctorum, Joannis Baptistæ, & evangelistarum, beati Albini, sanctarumque Catharinæ, Cæciliæ, Agathæ, & Luciæ virginum, & beati Eliani, cujus vocabulo ipsa ecclesia extitit insignita, & in dedicatione ipsius ecclesiæ, & in vesperis, & pro octavis eorumdem, ipsam ecclesiam devote visitaverint, ornaverint, adornaverint, & ad ædificandum, reparandum, ornandum ipsius ecclesiam, cum suis eleemosynis & necessariis suas manus porrexerint adjutrices, & qui in senitate sui corporis, seu in extremis laborantes, quidquam suarum prædicto operi & dictæ ecclesiæ & claustro legaverint facultatum vel donaverint, de omnipotentis Dei gratia & misericordia, & beatorum Petri & Pauli apostolorum, ac sanctissimæ virginis Mariæ gloriosæ, & omnium sanctorum ejus auctoritate confisi, & nostra & hujusmodi sacri concilii auctoritate & potestate nobis attributa, nos omnes, & singuli, & quilibet nostrum, annuatim perpetuo pro qualibet die quadraginta dies de vera indulgentia & de injunctis sibi pœnitentiis indulgemus, & misericorditer relaxamus. Datum Vauri in hoc sacro generali concilio die III. mensis Junii, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo octavo.

LITTERÆ URBANI PAPÆ V. ad archiepiscopos trium provinciarum, qui concilio Vaurensi interfuerunt.

URbanus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Auxitanensi, Narbonensi & Tolosæ archiepiscopis, eorumque suffraganeis, & dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, præpositis, aliisque ecclesiarum, & monasteriorum prælatis & rectoribus, necnon capitulis & conventibus ecclesiarum & monasteriorum, aliisque personis ecclesiasticis civitatum, diœcesum, & provinciarum Auxitanensis, Narbonensis, & Tolosæ, salutem & apostolicam benedictionem. Ad nostrum pervenit auditum, quod nonnulli ex vobis, quod una via eis sciunt a jure inhibitum, per aliam malitiose agere, & in proprium eorum & suarum ecclesiarum & monasteriorum ac locorum dispendium & gravamen attentare præsumunt. interdum videlicet temporalibus dominis loco subditorum mutuando, seu alia sumpta occasione dando certas pecuniarum summas, quas verisimiliter æstimant se nullo tempore recepturos. Nos igitur volentes vestris & eorumdem ecclesiarum & monasteriorum indemnitatibus providere, & talibus malitiis obviare, vobis & cuilibet vestrum tenore præsentium districtius inhibemus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna, quam contrafacientes incurrere volumus ipso facto, & a qua nullus nisi a nobis & successoribus nostris Romanis pontificibus, præterquam in mortis articulo possit absolvi: mandantes, quatenus hujusmodi mutuas & fraudulentas dationes non præsumatis de cætero facere, sine apostolicæ sedis licentia speciali. Mandamusque vobis fratribus archiepiscopis & episcopis, ut per vos, vel alium, seu alios, hujusmodi nostram inhibitionem & mandatum in vestris cathedralibus & collegiatis aliisque ecclesiis dictarum civitatum & diœcesum, de quibus expedire videbitur, publicetis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis, voluntatis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Viterbii II. Nonas Octobris pontificatus nostri anno septimo.

CONDEMNATIO ERRORUM

Quorumdam per Simonem Langham archiepiscopum Cantuariensem.

Simon &c. dilecto nobis in Christo filio, ... cancellario universitatis Oxonii, salutem, gratiam, & benedictionem.

Ex Tom. II. collectionis Anglicanæ.

SEcundum sententiam salvatoris publicus humani generis inimicus, in agro Dominico zizania seminare non cessat: sed quo magis ut fructificet semen ejus custodes invigilant expurgare, tanto latentius agrum invadit, ut immissum gramen inficiat, & materiam adulterini seminis multipliceet & infundat. Sane licet tanti hostis versutiam præcaventes, ne subintraret agrum nostræ provinciæ, cui disponente Domino præsidemus: tamen ex relatu plurimorum, & querelosis vocibus subditorum, nostris auribus intimatur, quod pedem suum pestiferum apposuit agro nostro, ad destructionem veri seminis Jesu Christi, quod & patres nostri præcipui sapienter rigaverunt, & sacratis scripturarum testimoniis firmaverunt. Nolentes igitur malum semen in altum succrescere, nec radices ejus sine debita decisione a segete extirpare: tam doctorum sacræ paginæ, quam aliorum utriusque juris peritorum multitudinem fecimus congregari; ut disperso semine inquinato, per solertem disputationem granum ventilaretur a paleis, & inexpugnabilibus adductis sanctorum evidentiis, in cunctis subsequentibus articulis doctrina patefieret veritatis. Qualia vero erant semina venenata, quæ inimicus homo in agro Dominico proposuit radicasse, in subsequentibus articulis plenarie continentur.

1. Quilibet viator tam adultus quam non adultus, Saracenus, Judæus, & paganus, etiam in utero materno defunctus, habebit claram

ANNO CHRISTI 1368.

ram visionem Dei ante mortem suam. Qua visione manente, habebit electionem liberam convertendi se ad Deum, vel divertendi se ab eo. Et si pro tunc elegerit converti ad Deum, salvabitur; sin autem, damnabitur. *Error*.

2. Peccatum commissum in hujusmodi clara visione per malam electionem, non est remediabile nec remissibile: & sic pro illo, passio Christi non potest satisfacere quantum ad efficientiam. *Si intelligatur de clara visione viatoris, sicut primus articulus, error*.

3. Stat aliquem adultum sine actu vel habitu fidei Christi in se, de lege communi salvari. *Si intelligatur de viatore adulto, sicut primus articulus, error*.

4. Sacramentum baptismi non est de lege Dei alicui parvulo decedenti requisitum ad salutem æternam. *Si intelligatur universaliter quod nullum sacramentum &c. error*.

5. De quolibet parvulo in utero materno decedente, ac aliis parvulis decedentibus sine sacramento baptismi, est a quolibet catholico dubitandum, an damnetur, an salvetur. *Error*

6. De quolibet parvulo baptizato decedente, an salvabitur seu damnabitur, est a quolibet catholico dubitandum. *Error*.

7. Saracenos, Judæos, ac paganos, adultos & discretos, qui numquam habuerunt, habent, vel habebunt actum seu habitum fidei Christianæ, possibile est de communi lege salvari, intelligendo in sensu composito, & de quolibet tali decedente, an salvabitur, est a quolibet catholico dubitandum. *Error*.

8. Non est possibile de lege communi, aliquem pro solo originali peccato damnari, si intelligatur pro solo originali sine actuali. *Ut proximus articulus sequens, error*.

9. Impossibile est de lege communi aliquem damnari sine peccato actuali ab ipso commisso. *Error*.

10. Gratia juxta communiter ponentes est truffa, eo quod non est possibile aliquem talem esse. *Iste articulus est erroneus, quia male sonat*

11. Aliquis potest ex puris naturalibus mereri vitam æternam. *Error*.

12. Est medium sufficiens in natura ad attingendum finem hominis naturalem, si intelligit per finem hominis naturalem, beatitudinem ultimam & æternam. *Error*.

13. Pro quolibet peccato comisso in statu fidei est remedium sufficiens in natura, per quod redire potest viator ad gradum deperditum per peccatum. *Error*.

14. Pro nullo peccato commisso extra claram visionem Dei, est aliquis juste privandus hæreditate cælesti, sicut nec puer peccans ex ignorantia est hereditate privandus. *Error*.

15. Nihil est nec esse potest malum, solum quia prohibitum. *Error*.

16. Pomum vetitum quod primus parens comedit, non solum fuit malum sibi, quia prohibitum, sed sibi prohibitum quia malum. *Error*.

17. Quocumque effectu signato, oportet quod sit aliqua causa quare Deus vult illum effectum. *Si intelligatur universaliter de omni effectu, quod oportet ponere aliquam causam ex parte effectus: error*.

18. Pater in Divinis est finitus, Filius in Divinis est finitus, & solus Spiritus sanctus est infinitus. *Error*.

19. Solus Pater efficit, solus Filius format, & solus Spiritus sanctus finit quamlibet creaturam. *Error*.

20. Deus non potest aliquid annihilare. *Error*.

21. Deus non potest aliquem immediate punire, eo quod non potest esse tortor. *Error*.

22. Nullus potest peccare appropriate contra Patrem in Divinis, eo quod nullus potest peccare ex impotentia, si peccet ex ignorantia vel malitia. *Error*.

23. Quam necessarius homo est animal, tam necessarius homo est mortalis. *Si intelligatur universaliter pro omni statu hominis, non obstante gratia competente: error*.

24. Quod Christus, beata Maria, & omnes homines beati, adhuc veraciter sunt mortales. *Si intelligatur de lege ordinata: error, quia contrariatur dictis apostoli & sanctorum*.

25. Quod Virgo beata est adhuc peccabilis & damnabilis pro peccato. *Si intelligatur quod ipsa beata virgo non sit facta impeccabilis & etiam indamnabilis per ejusdem gratiam confirmationis finalis beatitudinis ordinatæ: error*.

26. Quod omnes beati, tam Angeli quam homines, excepto Christo, sunt peccabiles & damnabiles. *Si intelligatur, ut proximus præcedens: error*.

27. Quod omnes homines damnati in inferno, sunt reparabiles & beatificabiles. *Si intelligatur quod sunt reparabiles & beatificabiles, non obstante eorumdem finali reprobatione, quorum ignis est inextinguibilis secundum evangelium: error*.

28. Quod omnes dæmones sunt & semper erunt reparabiles ad beatitudinem consequendam. *Si intelligatur ut præcedens: error*.

29. Quod Deus de potestate sua absoluta non posset facere creaturam rationabilem impeccabilem. *Si intelligatur simpliciter sicut verba sonant, quod non posset creaturam rationabilem impeccabilem facere, per naturam nec per gratiam confirmationis: error*.

30. Quod beati sunt mortales, & immortales. *Error secundum intellectum decimi quarti articuli*.

Istos igitur præmissos triginta articulos, de congregato concilio, tam doctorum sacræ paginæ, quam aliorum prudentium virorum, prout quidam expresse ponuntur, & alii modificantur, damnamus & reprobamus, & tamquam erroneos judicamus. Et si quis in futurum sententiam præmissorum articulorum vel doctrinam in hac parte defendere vel approbare præsumpserit, in scholis vel alibi, publice vel occulte: tamquam falsarum opinionum, & novarum superstitionum sectator, ab omnibus evitetur: & præcipimus tam in actibus scholasticis quam in aliis, eosdem articulos ab omnibus evitari, sub interminatione anathematis, quod poterunt formidare non immerito ex certa scientia contrarium facientes. Vobis igitur committimus & mandamus, quatenus premissa omnia & singula sic per nos fuisse acta & gesta in universitate prædicta modo debito publicetis: inhibentes palam & publice omnibus & singulis, quibus videritis inhibendis, ne quis articulorum prædictorum sententiam vel doctrinam defendere vel approbare præsumat in scholis aut alibi, publice vel occulte, sub pœna excommunicationis majoris in contravenientes, mora, dolo, & culpa eorum in ea parte præcedentibus, trina & canonica monitione præmissa, per vos canonice fulminandæ.

Dat. apud Lambeth quinto Idus Novembris, anno Domini MCCCLXVIII. & nostræ translationis tertio.

ANNO CHRISTI 1369.

ANNO CHRISTI 1369.

CONCILIUM CRACOVIENSE IN POLONIA,

ad componendas lites inter Ecclesiasticos & laicos sub Jarozlao archiepiscopo anno 1369. celebratum.

ARBITRATIO JAROZLAI ARCHIEPISC. GNEZNENSIS.

Extat in Libro inscripto *Commune Poloniæ Regni privilegium* &c. edito Cracoviæ ab. 1506.

„ Ad differentiam inter Chazimirum magnum & incolas regni ex una, & Bodzantham Episcopum Cracoviensem partibus ex altera, super decimatione: super interdicto tenendo: raptu decimarum: presbytericidiis: locatione decimarum: decimis ex hortis: decima canapi: interdicto triduano.

Jarozlaus Archiepiscopus Gnez., qui Boguria cognominatur, arbitratus est. Et datum privilegium per Regem, & Archiepiscopum infrascriptum.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

CUm Scriptura testante, omnis ætas, ab adolescentia sit promptior ad malum, & omnis creatura consistat sub vitio, naturaque humana facilius labitur ad delicta: sic etiam quod vitia imitetur. Quamvis cum Domino disponente sibi subditi debeant fore pudici, modesti, justi, ac pacifici, effrenata tamen cupiditas, nisi justitiæ conatus subverteret: tunc profecto concordia, & pax inter homines deperiret. Summum autem bonum in hac vita est justitiam colere, & unicuique quod suum est tribuere. Et propter hoc conditur statutum, seu constitutio, ut humana coerceatur audacia, & inter improbos innocentia securitate lætetur.

Ad idem Rex scribit.

Chazimirus Dei gratia Rex Poloniæ,

Significamus tenore præsentium, quod cupientes, ut subditi nostri in regno nostro degentes, præsertim in Regno Poloniæ, & terris cujuscumque status, & conditionis existant, honeste vivant, alter alterum non lædat, & jus unicuique tribuatur. Præterea de consilio venerabilis in Christo patris, & Domini Jarozlai, sanctæ Gnez. Ecclesiæ Archiepiscopi, nec non prælatorum Palatinorum, baronum, & universorum nobilium nostrorum, & terra Poloniæ, ad perpetuam rei memoriam, statuta edidimus infrascripta, volentes, ut ipsa statuta in prædicta terra Poloniæ, ab omnibus observentur, sicut nostram indignationem, & pœnas contentas in illis volunt, & cupiunt evitare. Requirit enim plerumque audacia perversorum ut non simus sola delictorum prohibitione contenti, sed etiam pœnam delinquentibus imponamus.

Rex assidens arbitranti Archiepiscopo Gneznensi, secum una statuit sic: ut Archiepiscopi scribantur decreta infrascripta.

Ad idem Archiepiscopus scribit suum arbitrarium processum.

NOs itaque Jarozlaus Divina providentia, Sanctæ Gneznensis Ecclesiæ Archiepiscopus in Cracoviensi Diœcesi, in officio visitationis constitutus universis, ad quos præsentes pervenerint, volumus fore notum, quod per Serenissimum principem, dominum Chazimirum, Dei gratia Regem Poloniæ, & patronum nostrum ex una, & dominum Bodzantham, partibus ex altera, fratrem nostrum charissimum Episcopum Cracoviensem, quædam dubitatio, super decimis, & aliis articulis interius contentis, fuisset hincinde suborta. Demum eædem partes, volentes ad calculum concordiæ sine scrupulo conscientiæ pervenire in nos voluntarie, ex certa scientia non per errorem, nec aliquo dolo, vel fraude, circumventi, super infrascriptis articulis, pro se, omnibusque successoribus suis, concorditer consentientes, compromiserunt tamquam in arbitrium compromissariorum, arbitratorem, & laudatorem, diffinitorem, seu amicabilem compositorem dantes, & concedentes nobis liberam, & omnimodam potestatem, & facultatem, ut possimus de plano, & sine strepitu, & figura judicii, super dictis articulis pronunciare, laudare, diffinire, arbitrari, & ordinare, etiam juris ordine conservato qualitercumque, prout nobis melius videbitur expedire. Nos itaque Dei nomine invocato, & consilio sapientum communicato nobiscum, etiam habita deliberatione sufficienti, pro bono pacis, & utilitate Ecclesiæ Cracoviensis, & vigore compromissi prædicti laudamus, atque ordinamus, & definiendo arbitramur, inter Dominum Regem, & Episcopum prædictos.

De raptura decimæ prædialis.

Pro raptu decimæ prædialis alicujus Nobilis, vel pro causa qualicumque rationabili, talis raptor, vel malefactor monitione præmissa excommunicetur. Si vero in excommunicatione per sex menses perstiterit, ex tunc incolæ in eadem Villa degentes, qui tunc tenebantur decimare, excommunicentur cum raptore decimæ ejusdem. Ubi autem uxor alicujus nobilis, viro absente, decimas rapuerit, per censuram ecclesiasticam hujusmodi ad satisfactionem condignam contra ipsam procedatur. Si autem per sex menses in eadem excommunicatione perstiterit, animo indurato, tunc Rinethones in ea-

ANNO CHRISTI 1369.

eadem Villa ubi decima fuit rapta, cum eadem excommunicentur.

De presbytericidio, & Clericidio.

Præterea ubi clericus ordinatus, vel presbyter esset occisus, captus, vulneratus, vel detentus, illius loci Ecclesia, vel Ecclesiæ si fuerint plures a jure sint interdictæ. Et ideo in eisdem divinum officium non debet celebrari, quousque malefactor domino Episcopo tradatur; qui si comprehendi non poterit, tunc habitatores ejusdem loci præstabunt juramentum, quod malefactorem deprehendere non potuerunt nec occasionem effugendi dederunt. Ex tunc Ordinarius tollet interdictum a jure statutum. Et nihilominus malefactor sit proscriptus, & per quemcumque rapi poterit, domino ordinario tradatur, & omnino excommunicetur.

De tempore Decimæ forisandæ.

Item quicumque Dominus Villæ in ipsa Villa sua decimam emere voluerit, ante festum beati Jacobi, cum domino decimæ forisare procuret. Alioquin dominus decimæ decimam vendet libere, impedimento cessante domini Villæ illius.

De decimis seminatorum in hortis.

Ubicunque aratro in horto aratum, vel in campis fuerit, decima plenarie exolvatur, exceptis rappis, papaveris, caulibus, cœpis, allio, & quæ sunt his similia, in horto si quis ligonisando plantaverit, decima ab eo nullatenus recipiatur.

De decima Canapi.

Pro decima Canapi, taliter statuimus, quod quicumque Rinetho arat cum integro aratro, quotcumque boves habuerit, seu equos, det quatuor ligaturas Canapi perati, juxta consuetudinem terræ antiquam. Quicumque cum medio, duas ligaturas dare teneatur. Qui autem non arat, a decima canapi debet esse liber, & solutus.

De interdicto servando.

Super interdicto servando, taliter decrevimus, quandocumque ex casu qualicumque evenerit in civitate Cracoviensi, interdictum ecclesiasticum teneri, & observari, Civitas Razimiria, juxta flumen Visla, eidem interdicto non debet subjacere, & e converso.

De cessatione a divinis, propter excommunicatum.

Statuimus insuper quod ubicumque, vel ad quamcumque excommunicatus a jure vel Ecclesiam seu Civitatem ingressus fuerit, tunc cessetur a divinis: ipso tamen de Ecclesia aut cœmeterio recedente divina licite reserventur, & resumantur.

De interdicto triduano non tenendo.

Inter cetera decernimus, & statuimus expresse, quod interdictum triduanum, quod alias servatur per omnes Ecclesias, propter adventum alicujus excommunicati, ex tunc per quemcumque piam & ex nunc, nullatenus debeat teneri, & observari, ne pluralitas plebis devotæ propter crimen unius obstinati, salutaribus divinis officiis privetur, & sua orbetur devotione. Ubi autem sententia sedis Apostolicæ fuit, cui nos legem dictare non possumus, volumus, quod forma mandati in rescripto posita diligenter servetur & exequatur, clausula de interdicto superius triduano præmisso non obstante.

Finit arbitrarium decretum

Jarozlaus Gneznensis Archiepiscopus.

Bodzantha episcopus Cracoviensis constituit.

Cum excitata erant odia multa & differentiæ inter spirituales & seculares personas dominos diœc. Cracov. tandem compactata erant congesta inter eos in conventione per regem Chazimirum magnum & synodo per Bodsantham episcopum Cracoviensem pro uno tempore Cracov. quarta mensis Junii anno MCCCLXIX. habitis, quibus intererat Jarozlaus Gneznens. archiepiscopus Boguriæ dictus, tunc ex causa illius differentiæ auctoritate metropolitica ac primitiali visitans diœcesim Cracoviensem. Sunt autem compactata infrascripta super decimarum libertate & raptu tempore decimandi, forisandi per Dominos locorum eas emendi, ex aratro percipientes novalium locationes earum progressione &c. Columbationibus visitatione Archidiaconorum super expeditione ad bellum Clericorum secularium ad jus spirituale citandorum, fabrica Ecclesiæ, decima canapi, super interdicto triduano, & simplici, super cessatione a divinis, salariis tabellionum. Item de Ecclesiis in bonis nobilium erigendis, ut infra dequitur.

In nomine Domini. Amen. Noverint universi præsentium notitiam habituri, quod nos Bodzantha divina & apostolicæ Sedis providentia episcopus attendentes, quod Terræ Lublinenses Sieczliechorven. & Lucovien. nostræ Diœcesis per insultum infidelium Thartarorum & Lithuanorum peccatis exigentibus, sint plurimum desolatæ. Volentes itaque ut ad possidendum easdem populus Christianus ferventius invitetur, ad petitionem instantem serenissimi principis Domini nostri Domini Chazimiri, Dei gratia regis Poloniæ illustris, de voluntate & consensu fratrum nostrorum capituli Cracoviensis, omnibus & singulis, qui in terris prædictis se locaverint aut hactenus sunt locati in villis prædictis & possessionibus in quibus ad mensam nostram episcopalem decimæ pertinebant, a solutione decimæ triginta annorum spatio a data præsentium plenam & omnimodam concedimus libertatem, ita tamen quod si libertate durante Dominus præfatus Rex aut procuratores sui vel nobilis quicumque in hortis suis sitis in terris prædictis, decimam a suis Colonis receperit, vel pro suis usibus usurpare voluerit, extunc libertate non obstante decima bonorum eorumdem ad mensam nostram sine conditione aliqua revertatur. In aliis autem bonis, in quibus decima recepta non fuerit, libertas permaneat sicut concessa. Per hanc autem libertatem nostram monachis & clericis etiam secularibus, qui in terris prædictis ratione suorum monasteriorum ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum decimas possiderent, aut possident, nullum volumus præjudicium gene-

nerari, sed ipsorum quilibet circa jus suum permaneat, sicut prius.

ANNO CHRISTI 1569.

Decima sicut ex antiquo de quibusvis locis dabantur, sic danda erunt perpetuo; & de decimis scultetorum.

Ceterum mandamus, annuente Domino nostro domino Regi prædicto, ut ubicumque per totam nostram diœcesim in civitatibus, castris, oppidis, villis, prædiis & possessionibus decimę manipulatim in campis hactenus tollebantur, ibi adhuc eodem modo eædem decimæ in posterum tolli dicunt conditione cujuslibet non obstante. Verum sculteti vel advocati civitatum, oppidorum seu villarum advocatiæ seu scultatiæ suæ quos coluerint propriis laboribus & expensis de quolibet mansorum prædictorum in festo beati Martini, de mense Novembris quatuor scotos grossorum Pragen. pro decima nobis solvent. Sed si plures mansos colere voluerint quam quatuor, aut dictos quatuor vendiderint, locaverint, aut tradiderint ad colendum, de ipsis debent decimam manipulare & dare in campo, prout alii incolæ, quorum vicini sunt, consueverunt solvere.

De tempore decimandi.

Et ne labores hominum propter decimatorum desidiam retardentur, decernimus ut quilibet in octava beati Jacobi ad recolligendum suam decimam vel per se vel per nuncium idoneum sit paratus; alias depositis & relictis in campo quibuscumque manipulis de qualibet quinquagena, frumenta hominum libere conducantur.

De decimis novalium.

In novalibus autem exortis ultra Vislam & citra metas Rustiæ, Hungariæ progressivæ usque ad limites terræ, in quibus huc usque nobis manipulatim decima non dabatur, libertate expleta de quolibet manso parvo sive magno locato sive locando, ferto grossorum Pragen. in festo S. Martini prædictis annis singulis nobis pro decima solvi debent prædiali. Advocati vero & sculteti novalium prædictorum de quatuor mansis advocatiæ vel scultetiæ, seu quos coluerint propriis laboribus, ut præfertur, de quolibet mansorum prædictorum tres scotos grossorum solvatur illi Ecclesiæ pro decima, ubi audiunt divina, ac percipiunt ecclesiastica sacramenta. Sed si plures quam quatuor coluerint, aut aliquis ipsorum aliquid aliis vendiderint, locaverint, seu tradiderint ad colendum, de qualibet ipsorum unum fertonem grossorum sicut & rustici, in festo prænotato, nobis pro decima solvant. Et insuper pro gratia quam eis facimus in solutione decimæ, ut prætertur, idem sculteti vel advocati fertones nostros decimales, in festo S. Martini superius notato, sub juramento fidelitatis ipsorum rusticorum exigere, nobisque vel nostro procuratori intra quindecim dies ante festa immediate sequentes præsentare fideliter & integraliter tenebuntur. Sed tamen ubi in prædictis novalibus nobis ante decima manipulatim solvebatur, adhuc futuris temporibus perpetuo solvi debeat, nec ipsam propter hoc remittimus ad fertones.

De decimis agrorum sterilium circa Dirugiiepoliiæ Czerstbiin versus Miisliimiicze.

Verum quia in districtionibus circa Dirugiiepoliiæ Czerzten. sub ea limitatione Viezt inter viam quæ currit ad Miisliimiicze versus Thrvardoschinor inter Slonagora versus montem qui dicitur Obstorv in Dunaiiecz, & ut intelleximus, quod sunt agri steriles, & frigora magna diutius terram premunt, ita quod pauco tempore anni inibi laboratur; volentes gratiosius cum incolis districtuum prædictorum ordinare, statuimus, quod incolæ prædicti, qui jam ibi locati sunt vel in posterum locabuntur in festo S. Martini prædicti pro decima prædiali, de manso quolibet tres scotos grossorum Pragen annis singulis nobis persolvant; quam pecuniam sculteti locorum prædictorum colligent, nobisque vel procuratori nostro præsentabunt, prout in causa finali superius est expressum, hanc autem solam limitationem de solutione fertorum pro decima in locis superius ita expressis cum domino Chazimiro rege prædicto ordinario permanere, quod deinceps ad civitates, villas, oppida, prædia, possessiones, quoscumque totius nostræ Diœcesis, ubi manipulatim decima solvitur ab antiquo numquam ullo tempore extendatur.

De decimis per nobiles cultis arendatis, aut a Rinethonibus habitis.

Item decrevimus, quod ubicumque aliquis nobilis alteri nobili sibi æquali, necessitate cogente, hæreditatem suam obligaverit & creditor agros coluerit in ea decimam frugum de agris suis solvat illi Ecclesiæ, cui is qui obligavit solvere consueverat ab antiquo, sed si forte labores suos dictus creditor voluerit ampliare repellendo Rinethones & excolendo agros eorum, de agris Rinethonum vel alteri similiter hæreditatem obligaverit, idem ignobilis decimam illiberam cui de jure debuerit, de agris quos colit dare sit astrictus. Præterea ne propter causam decimalem judicem ecclesiasticum de nobilitate nobilem judicare contingat, statuimus, quod ubi quis clericus, petens decimam illiberam ab aliquo qui se dicit nobilem, ipsumque propter hoc ad judicium Ecclesiæ revocaret, volumus, ut causa nobilitatis ejus vel nobis vel officiali nostro per ipsum proposita clipeoque suo & parentela nominatis per nos vel officialem nostrum nullatenus judicetur, sed remittatur ad judicium seculare, ut ibi nobilitatis quæstione primitus expedita doceatur Ecclesia, quo jure talis decima conferri debet circa solutionem decimæ prædialis.

De decimis per progressum habendis.

Demum statuimus & ordinavimus, voluntate & consensu Domini nostri Regis prædicti ad hoc specialiter accedente, quod ubicumque ab antiquis agris progressive quispiam silvas, rubeta vel mericas extirpavit, ille decimam percipiat de novalibus amodo, ad quem antiquorum agrorum decima antiquitus pertinebat. Verum si a dextris vel sinistris ab antiquis agris aliqui incolæ collocati fuerint, extirpaverintque silvas, rubeta vel nemora vel mericas, prædicti incolæ, de agris ipsorum totaliter extir-

tirpatis nobis & nostris successoribus decimam solvere tenentur.

ANNO CHRISTI 1369.

De columbatione.

Insuper volumus, quod columbatio illibere per rectores Ecclesiarum a suis parochianis non exigatur de cetero, sed quod quisque sponte petenti dare voluerit, cum gratiarum actionibus tolli debet.

De visitatione per Archidiaconos.

Prohibemus etiam Archidiaconis, Præpositis & aliis Prælatis nostræ diœcesis jurisdictionem habentibus, ut visitando non excedant eventionum numerum a jure diutius institutum, neque in tempore visitationis pecuniam exigant a subjectis. Rectores quoque Ecclesiarum pro sacramentis ecclesiasticis, quæ gratis ministranda sunt, nil exigant, alias ipsos graviter puniemus.

De expeditione ad bellum Clericorum.

Clerici vero cujuscumque gradus, status vel conditionis existant, bona patrimonialia possidentes ad expeditionem cum domino Rege transeant de eisdem, juxta ejus omnimodam facultatem

De erigenda Ecclesia ad vota nobilium.

Et ut divinus cultus nostris temporibus augeatur, promittimus, quod ubicumque nobiles continuam sustentationem presbytero assignare curaverint, eidem Ecclesiam in bonis suis fundabimus indiate.

De secularibus non citandis ad judicium Ecclesiasticum.

Præterea volumus, quod laici deinceps pro debitis & in aliis causis civilibus per clericos ad forum ecclesiasticum non trahantur, nisi forte sit causa spiritualis vel spirituali annexa, aut debitum fuerit decimale.

De fabrica Ecclesiæ Cracoviensis.

Quod etiam pro fabrica Ecclesiæ nostræ cathedralis medietas redituum, primum a Clericis exigi fuerat consuetum, hinc tenore præsentium ex nunc sit indultum & remissum.

De raptu decimæ.

Item circa præmissa inter sæpedictum dominum Regem & nos statuimus, & ordinamus, quod pro raptu decimæ prædialis alicujus nobilis, vel pro causa qualicumque rationabili, talis raptor vel malefactor, monitione præmissa, excommunicetur. In qua excommunicatione infra sex menses si perstiterit, & tunc incolæ in eadem villa degentes, cum decimare teneantur, excommunicentur cum raptore decimæ ejusdem. Ubi autem uxor alicujus nobilis, viro absente, decimam rapuerit, per censuram ecclesiasticam usque ad satisfactionem condignam contra ipsam procedatur. Si vero infra sex menses in eadem excommunicatione perstiterit animo indurato, tunc Rinethones in eadem villa, ubi decima sit rapta, cum eadem domina excommunicentur.

ANNO CHRISTI 1369.

De presbytericidio.

Præterea ubi Clericus ordinatus vel presbyter esset occisus, vulneratus, captus vel detentus fuerit, illius ecclesia vel ecclesiæ si sunt plures, jure sunt interdictæ, & ideo in eis divinum officium non celebretur, quousque malefactor domino Episcopo tradatur. Qui si deprehendi non poterit, tunc habitatores illius loci præstabunt juramentum, quod malefactorem detinere nequiverunt, nec occasionem affugendi dederunt. Demum ordinarius tollet interdictum a jure statutum: Cum tamen nihilominus malefactor sit præscriptus & per quemcumque rapi poterit, domino ordinario ipsemet tradatur, & excommunicetur.

De decima in loco villæ nobilibus vendenda.

Item quicumque dominus villæ in ipsa villa suam decimam emere voluerit, octo diebus ante festum beati Jacobi & octo diebus postea cum domino decimæ forisfare procuret; alioquin dominus decimæ libere decimam vendat, impedimento a domino villæ cessante.

De decima aratri.

Item ubicumque aratro in hortis vel in campis aratum fuerit decima plenarie exsolvatur, exceptis rappis, papavere, caulibus, raphano & allio & aliis similibus, quæ in hortis suis ligonisando aliquis plantat, decima ab eo de prædictis nullo modo repetatur.

De decima canapi.

Decima vero canapi statuimus, quod quicumque Rinetho arat cum integro aratro, quotcumque equos sive boves habuerit det quatuor ligaturas canapi juxta consuetudinem terræ antiquam. Qui autem cum medio aratro arat, tunc duas ligaturas dare teneatur; qui autem non arat a decima canapi debet esse liberum & solutum.

De interdicto servando.

Item super interdicto servando taliter decrevimus: quod cum ex casu qualicumque evenerit in civitate Cracoviensi interdictum ecclesiasticum teneri & observari, civitas Kasimira, quæ est quasi contigua ultra fluvium Visla, eidem interdicto non debet subjacere; & e converso.

De cessatione a divinis propter excommunicatum.

Statuimus insuper, quod ubicumque vel ad quemcumque locum excommunicatus a jure vel ab homine venerit ad Ecclesiam, vel civitatem ingressus fuerit, tunc cessetur a divinis, ipso tamen de Ecclesia vel civitate jam recedente, divina licite resumantur.

De triduano interdicto.

Inter cetera statuimus & decrevimus expresse, quod interdictum triduanum, quod alias ser-

ANNO CHRISTI 1369.

servabatur, per omnes Ecclesias per adventum alicujus excommunicati, ex nunc per quempiam nullatenus teneri debet, nec observari, ne pluralitas plebis devotæ propter crimen unius obstinati salutaribus officiis divinis & sua devotione orbetur.

De excommunicato in Parochia.

Item etiam volumus, quod propter excommunicatum unum qui venerit ad locum quemcumque parochiani non debeant carere divinis, papali dumtaxat excommunicationis sententia & interdicti obstante.

De salario tabellionum.

Statuimus & præsentibus statuendo ordinamus, ne quis notarius publicus aut privatus curiæ nostræ episcopalis aut diœcesis Cracoviensis prædictæ pro libertate super quacumque re conficienda, seu privilegio super ea conscribenda, ultra sex grossos Pragenses exigendo non recipiat ab indigente quocumque colore quæsito, pro quibuscumque quitationibus vero unum grossum Pragensem. Item pro sententia contumaciæ duos grossos, & pro aggravaminibus subsequendis nullatenus ultra sex grossorum dictorum Pragensium ab indigentibus, & prædicta petentibus exigantur sub pœna excommunicationis, quam ipsos qui præsenti statuto & ordinationibus præmissis contrarium fecerint, subjacere volumus ipso facto. Ut autem prædicta nostra constitutio, ordinatio seu decretum temporibus perpetuis inviolabiliter perseveret, illam conscribi jussimus, nostrique ac capituli supradicti Ecclesiæ nostræ Cracoviensis, sigillorum nostrorum appensione muniri. Actum & datum Cracoviæ XIV. die mensis Junii anno MCCCLXIX. præsentibus & ordinantibus Venerabili in Christo Patre & Domino Domino Jarozlao sanctæ Gnesnensis Ecclesiæ archiepiscopo & honorabilibus viris Dominis Othone Præposito Gneznensis, Joanne decano, Floriano Proposito, Nicolao custode Cracov. Gzveslao Vislicen. & Nicolao Scarbimirien. Præpositis, Canonicis Ecclesiæ cathedralis Crac. prædictæ; nec non & Villrone Sandomirien. Joanne Voiniczien. Zaroyscha Sandeczen. castellanis, Andrea succamerario, & Petro tribuno Crac. & aliis fidedignis.

ANNO CHRISTI 1370.

VITA GREGORII PAPÆ XI.

Gregorius undecimus natione Lemovicensis, antea Petrus Bellifortis vocatus, decimo septimo ætatis suæ anno cardinalis per Clementem sexum patruum suum creatus, virtutum merito, omnium consensu supremum ecclesiæ gradum conscendit tertio Kalendas Januarii, anno Domini 1370. tempore Caroli IV. imperatoris. Hic cum totam Italiam tumultibus occupatam videret, eo cardinalem Gebennensem cum sex millibus levis armaturæ equitum Britonum misit. Quorum adventu cum nihil a tumultuatione recederetur: ipse pontifex confirmato animo, viginti & unam triremes super Rhodano præparari imperavit: aliosque properare se fingens, primo Genuam, inde Cornetum, ac postremo itinere terrestri Idibus Januarii Romam pervenit, anno 1376. qui erat a translatione curiæ Romanæ in Gallias per Clementem facta annus septuagesimus. Hujus transmigrationis causam alii aliam referunt. Platina scribit, quod quidam episcopus familiariter a pontifice reprehensus ob id quod in episcopali sede non resideret, intracto & constanti animo respondit: Et tu qui universalis ecclesiæ omniumque episcoporum caput es, cur ad propriam ecclesiam non redis? eaque responsione motum pontificem reditum maturasse: Gobelinus cap. 73. sextæ ætatis, instinctu & revelatione Dei, quæ sanctæ Brigittæ tunc adhuc Romæ degenti aliquoties obtigerat, perque Alphonsum quemdam eremitam illi secundo insinuata erat, accidisse quod Avenione Romam redierit. Urbem ingressus, incredibili omnium applausu exceptus, præpropere mœnia urbis, ecclesias, aliaque loca quæ ruinam minabantur reparavit. Omnibus autem modis Italiæ quieti & bono publico consulens, legatum ad Florentinos destinavit, qui eos ad pacem ineundam adhortaretur: quibus jussa exequi negligentibus, excommunicationis medelam inflixit. Ad hæc, cum eosdem armis ad id adigere meditaretur, inter Genuenses & Venetos nova dissensio suboritur: quos dum ad unionem reducere tentat, incredibili vesicæ conflictatione impeditus est, ac quinto Kalendas Aprilis anno supra millesimum trecentesimum septuagesimo octavo, magno sui omnibus ingenerato desiderio, obiit, ac in sancta Maria via nova sepultus est, cum sedisset annos septem, menses duos, dies viginti novem.

GREGORII PAPÆ XI.

Constitutio, qua vetat, ne patriarchæ, primates, & archiepiscopi faciant crucem coram se deferri in præsentia cardinalium.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romanus pontifex, beati Petri cælestis claviger successor, vicarius Jesu Christi, cuncta orbis climata omniumque nationum in illis degentium, & præsertim ecclesiasticarum personarum, qualitates & conditiones paterna consideratione discutit & examinat divinitus, & ex officii debito circa earum statum & honores, suadentibus rationabilibus causis, perpensa deliberatione salubriter ordinat & disponit quæ grata in conspectu Divinæ majestatis fore considerat atque credit. Sane nuper ad nostrum pervenit auditum, quod nonnulli patriarchæ, primates, & archiepiscopi, in præsentia venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ec-

Edidit collector Angl. Tom. II.

ecclesiæ cardinalium, apostolicæ sedis legatorum & nunciorum, seu aliquorum ex eis crucem deferri faciunt: propter quod ipsorum cardinalium honori, qui personam nostram repræsentant, derogatur. Nos igitur attendentes, quod cardinales ipsi nobiscum indefessis laboribus universalia ecclesiastica onera sortiuntur, ac in præmissis de opportuno remedio providere volentes: universis & singulis patriarchis, primatibus, & archiepiscopis, auctoritate apostolica tenore præsentium districtius inhibemus; ne in præsentia aliquorum, seu alicujus ex nostris fratribus dictæ sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, prædictæ sedis legatis vel nunciis, ante se crucem deferri faciant vel permittant, privilegiis, indulgentiis, & gratiis ac litteris apostolicis, ipsis vel eorum ecclesiis, sub quacumque forma vel expressione verborum a sede apostolica concessis, vel in posterum concedendis, etiamsi de illis plena & expressa mentio, ac de verbo ad verbum habenda esset de præsentibus (quæ quoad hoc alicui in nullo volumus suffragari) & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nos enim eisdem legatis & nunciis, compescendi per censuram ecclesiasticam patriarchas, primates, & archiepiscopos quoscumque, si contra inhibitionem hujusmodi fecerint, plenam & liberam auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus potestatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Avinioni VII. Kalend. Aprilis, pontificatus nostri anno primo. An.Ch.1371.

EJUSDEM EPISTOLA
Ad Cantuariensem & Eboracensem archiepiscopos.

De celebrando festo S. Augustini sub duplici officio.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Cantuariensi & Eboracensi archiepiscopis, salutem & apostolicam benedictionem.

Decet cunctos Christi fideles, illos in terris summæ devotionis studio venerari, quos omnipotens Deus perpetuæ corona gloriæ in cælo magnificavit: & ibi præcipue ipsorum laudes attollere, ubi per gloriosum laborum suorum fructum majora coruscant insignia meritorum. Hæc itaque attenta consideratione pensantes, decens & congruum reputamus, ut gloriosus confessor beatus Augustinus (qui olim missus per sedem apostolicam ad gentes Anglorum, nondum tunc baptismatis unda renatos, eos de infidelitatis tenebris ad lucem Catholicæ fidei per prædicationis ministerium evocavit, primusque in Anglia erexit ecclesiam) specialiter in illis partibus honoretur: ex hoc namque ibidem populorum crescit devotio, ac ille qui glorificatur in sanctorum consilio, benignius respiciet preces devotorum. Ut igitur ipsius confessoris festivitas, in dictis partibus, quibus, sicut accepimus, vix aut minus in regno Angliæ celebriter colitur, solemnius & devotius veneretur: fraternitati vestræ, de qua specialem in Domino fiduciam gerimus, per A apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus festivitatem confessoris ejusdem in omnibus ecclesiis dicti regni, exemptis & non exemptis, faciatis auctoritate nostra perpetuis futuris temporibus sub duplici officio solemniter celebrari: & nihilo minus in dicta festivitate cessari a mechanicis, & aliis operibus, interdictis in festis duplicibus de more, consuetudine, seu observantia ecclesiarum partium earumdem. Dat. Avinioni pridie Idus Novembris, pontificatus nostri anno quinto. An.Ch.1375.

EJUSDEM EPISTOLA
Ad archiep. Cantuariensem, & episc. Londinensem,

Ut procedant contra Joannem Wycleffum, deque illius erroribus inquirant.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopo Cantuariensi, & episcopo Londoniensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Regnum Angliæ, gloriosum nempe potentia & abundantia facultatum, sed gloriosius pietate fidei, & sacræ paginæ claritate coruscum, consuevit viros procedere Divinarum scripturarum recta scientia præditos, maturitate graves, devotione præclaros, & pugiles fidei orthodoxæ, qui non solum proprios, sed alienos populos documentis instruebant verissimis, & in mandatorum Domini semitam dirigebant. Et sicut ex effectu contingentium temporis antiqui colligitur, dicti regni præsules in specula sollicitudinis positi, proprias excubias exercentes sollicite, non permittebant aliquod oriri erroneum, quod posset inficere oves suas: sed si oriretur zizania ex inimici hominis sparsione, illam protinus evellebant; crescebatque assidue purum triticum in Dominicum horreum inferendum. Sed proh dolor! nunc apparet quod in ipso regno, officio vigiles, negligentia vero desides, non circuiunt civitatem dum hostes ingrediuntur in eam, D animarum thesaurum pretiosissimum prædaturi, quorum latentes ingressus & patentes aggressus prius sentiuntur in Roma, intercapedine longa remota, quam eis in Anglia resistatur. Sane plurium fide dignorum significatione admodum dolenter audivimus, quod Joannes Vvycliff rector ecclesiæ de Lutervvorth Lincoliensis diœcesis, sacræ paginæ professor, urinam non magister errorum, in illam detestabilem vesaniam dicitur temere prorupisse, quod nonnullas propositiones & conclusiones erroneas & falsas, in fide male sonantes, quæ statum totius ecclesiæ subvertere & enervare conantur, quarumque aliquæ, licet aliquibus mutatis terminis, sentire videntur perversas opiniones & E doctrinam indoctam damnatæ memoriæ Marsilii de Padua, & Joannis de Ganduno, quorum liber per felicis recordationis Joannem PP. XXII. prædecessorem nostrum reprobatus extitit & damnatus, non veretur in præfato regno asserere, dogmatizare, & publice prædicare, nonnullos Christi fideles maligne inficiens, ac a fide Catholica, sine qua non est salus, faciens deviare. De quibus sic subortis & non extirpatis, seu saltem eis nulla facta resistentia, quam sciamus, sed transactis seu toleratis conniventibus oculis, * vos aliqui quoque præsules Angliæ, cum debeatis esse columnæ ecclesiæ

* Forte, vos & aliqui. Hæ

clesiæ, dicteque fidei defensores attenti, scilicet quadam conniventia tam negligenter transeundo, non immerito debetis rubore perfundi, verecundari, & in propriis conscientiis remorderi. Quare cum tam perniciosum malum, quod non precisum, seu radicitus extirpatum, serpere posset in plurimos in animabus eorum, quod absit, lethali contagione necandos, nolumus, sicut nec debemus, sub dissimulatione transire: fraternitati vestræ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus receptis presentibus, vos vel alter vestrum, de dictarum propositionum & conclusionum assertione, quarum copiam vobis mittimus sub bulla nostra inclusam, vos secrete informantes, si inveneritis ita esse, præfatum Joannem faciatis auctoritate nostra capi, & carceribus mancipari, ejusque confessionem super eisdem propositionibus seu conclusionibus recipere studeatis: ac ipsam confessionem, & quæcumque dictus Joannes dixerit seu scripserit super earumdem propositionum & conclusionum inductione ac probatione, & quicquid feceritis in præmissis, sub sigillis vestris clausa & nemini revelata, nobis per fidelem nuncium transmissuri: eumdemque Joannem sub fida custodia teneatis in vinculis, donec a nobis super hoc aliud receperitis in mandatis; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII. prædecessoris nostri statutis, in quibus cavetur, ne aliquis extra civitatem vel diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suæ diœcesis, ad judicium evocetur: seu ne judices a sede apostolica deputati, aliquos ultra unam dietam a fine suæ diœcesis evocare præsumant; ac de duabus dietis in concilio generali, ac exemptionibus & aliis privilegiis, constitutionibus & litteris apostolicis Prædicatorum, Minorum, Heremitarum sancti Augustini, & sanctæ Mariæ de monte Carmeli, & aliis quibuscumque mendicantium, vel aliis ordinibus & locis, aut specialibus, quorumcumque tenorum existant; necnon statutis & consuetudinibus eorumdem ordinum & locorum contrariis, per quæ effectus præsentium impediri valeat quomodolibet vel diferri, etiamsi de eis, eorumque totis tenoribus, ac de verbo ad verbum plena & expressa mentio in nostris litteris sit habenda: seu si Joanni prædicto, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, a dicta sit sede indultum, quod personaliter capi, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Dat. Romæ, apud sanctam Mariam majorem XI. Kalend. Junii, pontificatus nostri anno VII. An. Christi 1377.

EJUSDEM EPISTOLA

ad eosdem, ut citent Vvycleffum ad comparendum coram papa.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopo Cantuariensi, & episcopo Londoniensi, salutem & apostolicam benedictionem.

NUper nos non sine gravi cordis turbatione, ex plurium fide dignorum significatione percepto, quod Joannes Vvyclif rector ecclesiæ de Luttervorth Lincoliensis diœcesis, sacræ paginæ professor, utinam non magister errorum, in eam detestabilem vesaniam temere proruperat, quod nonnullas propositiones & conclusiones erroneas ac falsas, & male in fide sonantes, quæ statum totius ecclesiæ subvertere & enervare nituntur, quarumque aliquæ, licet quibusdam mutatis terminis, imitari videbantur pervertas opiniones, & doctrinam indoctam, damnatæ memoriæ Marsilii de Padua, & Joannis de Ganduno, quorum liber per felicis recordationis Joannem papam XXII. prædecessorem nostrum reprobatus extitit & damnatus, non verebatur in regno Angliæ asserere, dogmatizare, & publice prædicare illis, nonnullos Christi fideles maligne inficiens, ac a fide Catholica, sine qua non est salus, faciens deviare. Nos attendentes, quod tam perniciosum malum quod in plurimos serpere poterat, eorum animas lethali contagione necando, non debebamus, prout nec debemus, sub dissimulatione transire: vobis per alias nostras litteras commisimus & mandavimus, ut vos vel alter vestrum de dictarum prepositionum & conclusionum assertione, quarum copiam sub bulla nostra misimus interclusam, vos secreto informantes, si ita esse inveniretis, prædictum Joannem auctoritate nostra capi, & carceribus mancipari faceretis; eum quoque sub bona custodia teneretis in vinculis, donec a nobis super hoc reciperetis aliud in mandatis, prout in dictis litteris plenius continetur. Considerantes itaque quod præfatus Joannes hujusmodi captionem & carcerationem forte præsentiens, posset, quod absit, per fugæ *, latitationis præsidia, dictum nostrum mandatum in gravissimum fidei detrimentum eludere: nos, ne tam damnabiles propositiones & conclusiones indiscussæ, & earum temerarius assertor impunitus, remaneant, in detrimentum gravissimum fidei prælibatæ: fraternitati vestræ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, per vos, alium, seu alios, præfatum Joannem, si per vos capi & carcerari non possit, per edictum publicum proponendum in studio Oxoniensi dictæ diœcesis, & aliis locis publicis, de quibus si verisimilis conjectura, quod ad dicti Joannis notitiam pervenire valeat, & quibus vobis expedire videatur, ex parte nostra peremptorie monere & citare curetis, quod infra trium mensium spatium, a die citationis hujusmodi in antea computandum, ubicumque tunc nos esse contigerit, compareat personaliter coram nobis, super propositionibus & conclusionibus hujusmodi responsurus ac dicturus, & facturus quicquid super eis duxerimus ordinandum, & ordo dictaverit rationis, prædicendo in hujusmodi citationis edicto, quod sive idem Joannes in

* Forte, & Latitationis. H.

in hujusmodi termino comparuerit, sive non comparuerit, nos super præmissis & contra eum usque ad debitam condemnationem ipsius inclusive procedemus, prout ejus demerita exigent, ac nobis secundum Deum & conservationem dictæ fidei videbitur expedire. Volumus autem, & præsentium tenore statuimus, quod prædicta citatio sic facta perinde præfatum Joannem arctet, ac si sibi personaliter insinuata & intimata fuisset: constitutione quacumque contraria non obstante. Diem vero citationis, & formam, & quicquid feceritis in prædictis, nobis per vestras litteras, vestris sigillis munitas, harum seriem continentes, fideliter & quam citius poteritis, intimare curetis.

Dat. Romæ apud sanctam Mariam Majorem, XI. Kalend. Junii, pontificatus nostri anno VII.

EJUSDEM AD EOSDEM EPISTOLA

De eodem argumento.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopo Cantuariensi, & episcopo Londoniensi, salutem & apostolicam benedictionem.

SUper periculosis admodum erroribus quarumdam detestabilium propositionum & conclusionum, ad enervationem totius ecclesiastici status tendentium, quas scriptas in scedula inclusa præsentibus, Joannes Wyclif rector ecclesiæ de Luttervvorth Lincolniensis diœcesis, dictus theologiæ professor, asseritur tam impie quam temere suscitasse, plenius vobis scribimus per alias nostras patentes litteras, quas cum præsentibus destinamus. Volumus igitur & fraternitati vestræ mandamus, quatenus carissimum in Christo filium nostrum Eduardum regem Angliæ illustrem, & dilectos filios nobiles viros natos dicti regis, ac dilectam in Christo filiam nobilem mulierem principissam Aquitaniæ & Valliæ, aliosque magnates de Anglia, & consiliarios regis, per vos & alios magistros & peritos in sacra pagina non maculatos hujusmodi erroribus, sed in fide sinceros & fervidos, studeatis facere plenarie informari, ac eis ostendi quanta verecundia devoto regno Angliæ oriatur exinde, & quod non solum sunt ipsæ conclusiones erroneæ in fide, sed si bene advertatur, innuunt omnem destruere politiam; & requiratis eos astrictissime, quod ad extirpationem tantorum errorum, pro reverentia Dei & apostolicæ sedis, & nostra, ipsorum quoque merito apud Deum, & honore in sæculo, tanquam catholici principes, & pugiles dictæ fidei, omni qua poterunt efficacia, tribuant auxilium & favorem.

Ann. Chr. 1377. Dat. Romæ, apud sanctam Mariam majorem, XI. Kalend. Junii, pontificatus nostri anno VII.

Conclusiones magistri Joannis Wyclif.

1. TOtum genus concurrentium, citra Christum, non habet potestatem simpliciter ordinandi, ut Petrus & omne genus suum dominetur politice super mundum.

2. Deus non potest dare homini pro se & heredibus suis in perpetuum civile dominium.

3. Cartæ humanitatis adinventæ de hereditate olim perpetua sunt impossibiles.

4. Quilibet existens in gratia gratifice & fideliter, nedum habet jus, sed in re habet omnia Dei.

5. Homo potest solum ministratorie dare tam naturali filio, quam imitationis in schola Christi, tam temporale dominium, quam æternum.

6. Si Deus est, domini temporales possunt legitime ac meritorie auferre bona fortunæ ab ecclesia delinquente.

7. Numquid ecclesia est in tali statu vel non, non est meum discutere, sed dominorum temporalium examinare, & posito casu confidenter agere, & in pœna damnationis ejus temporalia auferre.

8. Scimus quod non est possibile, quod vicarius Christi pure ex bullis suis, vel ex illis cum voluntate & consensu suo, & sui collegii, quemquam habilitet vel inhabilitet.

9. Non est possibile hominem excommunicari, nisi prius & principaliter excommunicaretur a seipso.

10. Nemo ad sui deteriorationem excommunicatur, suspenditur, vel aliis censuris cruciatur, nisi in causa Dei.

11. Maledictio vel excommunicatio non ligat simpliciter, nisi quantum fertur in adversarium legis Christi.

12. Non est exemplificata potestas a Christo suis discipulis excommunicandi subditos, præcipue propter negationem temporalium, sed e contra.

13. Discipuli Christi non habent potestatem coacte exigere temporalia per censuras.

14. Non est possibile de potentia Dei absoluta, quod si papa vel alius prætendat se quovis modo solvere vel ligare, eo ipso solvit vel ligat.

15. Credere debemus quod solum tunc solvit vel ligat, quando se conformet legi Christi.

16. Hoc debet catholice credi: quilibet sacerdos rite ordinatus habet potestatem sufficienter sacramenta quælibet conferendi, & per consequens quemlibet contritum a peccato quolibet absolvendi.

17. Licet regibus auferre temporalia a viris ecclesiasticis, ipsis abutentibus habitualiter.

18. Sive domini temporales, sive sancti papæ, sive sancti, sive caput ecclesiæ qui est Christus, dotaverint ecclesiam bonis fortunæ vel gratiæ, & excommunicaverint ejus temporalia auferentes, licet tamen propter conditionem implicitam delicto proportionabili eam temporalibus spoliare.

19. Ecclesiasticus, immo Romanus pontifex, potest legitime a subditis & laicis corripi, etiam accusari.

MANDATUM AUCTORIT. APOSTOL.

Ad cancellarium universitatis Oxon.

Ut inquirat de Wycleffi erroribus, & eumdem citet.

SImon permissione Divina, &c. Et Willielmus eadem permissione Londoniensis episcopus, delegati a sede apostolica cum illa clausula, *Quatenus vos duo, aut unus vestrum, ad in-*

infra scripta specialiter deputati, dilecto pariter venerabilique viro cancellario universitatis Oxoniæ, Lincolniensis diœcesis, ejusve locum tenenti, salutem in Domino, & mandatis nostris, immo verius apostolicis, firmiter obedire. Litteras sanctissimi in Christo patris ac domini nostri, domini Gregorii Divina providentia papæ XI. super eo, quod Joannes Vvyclif sacræ paginæ professor, rectorque de Litterworth, dictæ Lincolniensis diœcesis, in detestabilem vesaniam temere prorumpens, nonnullas propositiones & conclusiones erroneas ac falsas, & male in fide sonantes, quæ statum totius ecclesiæ subvertere & enervare nituntur, non verebatur asserere, dogmatizare, & publice prædicare, illis nonnullos Christi fideles maligne inficiens, ac a fide Catholica, sine qua non est salus, faciens deviare, ut in dictis litteris apostolicis plenius est expressum, nos noveritis cum ea qua decuit reverentia recepisse. Volentes igitur mandatis apostolicis parere pro viribus ut tenemur, vobis in virtute obedientiæ, qua dictæ sedi tenemini, committimus & mandamus, firmiter injungentes: quatenus receptis per vos præsentibus, evocatis ad hoc etiam per vos sacræ paginæ professoribus expertis, rectius & sanctius in fide catholica sentientibus, verbis sophisticalibus terminorum curiosa implicatione penitus prætermissis, de dictarum propositionum & conclusionum assertione, quarum copia inferius inseritur, vos secrete informantes, de omni eo quod in præmissis inveneritis & senseritis, litteris vestris clausis, & sigillo vestro sigillatis, clare, distincte, & aperte in omnibus & per omnia nos reddatis, ut convenit, certiores. Citetis insuper seu citari faciatis peremptorie dictum Joannem, quod trigesimo die juridico post citationem sibi factam, in ecclesia sancti Pauli London. compareat personaliter coram nobis, seu aliis subdelegatis nostris sive commissariis in hac parte, super conclusionibus & propositionibus hujusmodi responsurus, ac auditurus, ulterius quoque facturus, quicquid auctoritate apostolica fieri debeat in hac parte, & ordo dictaverit rationis, prædicentes eidem, quod sive comparuerit in termino prædicto sive non, ulterius contra eum procedetur, prout litteræ apostolicæ in se exigunt & requirunt. Vobis insuper injungimus auctoritate prædicta, quatenus litteras apostolicas in præsentiarum per nos vobis transmissas, sub pœnis in eisdem litteris plenius expressis, in omnibus & per omnia diligenter & fideliter exequamini, juxta vim, formam, & effectum earumdem, certificantes nos aut dictos commissarios nostros seu subdelegatos celerius quo fieri poterit, quid feceritis in præmissis, per litteras vestras patentes, harum & facti vestri seriem plenius continentes.

Dat. apud Otteforde xv. Kalend. Januarii, anno Domini MCCCLXXVII. & translationis nostri Simonis Cantuariensis archiepiscopi supradicti anno tertio.

CONCILIUM PROVINCIALE MAGDEBURGENSE

ANNO CHRISTI 1370.

Anno Christi MCCCLXX. ab Alberto II. Magd. arch. celebratum.

Albertus Dei gratia S. Magdeburg. ecclesiæ archiep. universis Prælatis, Capitulis, conventibus, clero & clericis, ac christifidelibus tam religiosis quam secularibus sexus utriusque per nostram magdeburgensem provinciam venerabilibus constitutis in Domino salutem, ac præsens opusculum gratanter acceptare, lectionis studio frequenti memoriæ commendare, acceptaturique districtius effectuali observantia adimplere.

P. Harthheim Concil. Germ. t. III. pag. 411.

Licet a diversis nostris Prædecessoribus, conciliis diversis celebratis, plurima statuta & diversa provincialia per quæ tam clericorum quam laicorum status resplendet adornatus, vitiis repulsis, scandalis resecatis, & nocivis quibuscumque eminus profugatis, edita & promulgata pervenerunt in lucem. Et quanquam felicis recordationis Borchardus, prædecessor noster novissimus, & tali nomine designatus, omnium prædecessorum suorum & nostrorum, statuta in unum collecta opusculum, sub certis rubricis adunasset, tamen modum & formam quam alii archiepiscopi in suis statutis provincialibus digne servarunt, prætermisit observare, causa congruenti ipsum pro temporis tunc concurrentis dispositione movente. Nos vero ordinem & rubricas positas in constitutionibus S. R. E. quam sequi expedit, quia ex ipsa sola veritas conspicitur, sequi volentes, quia turpis est pars, quæ suo minimæ conformat universo, statuta provincialia prædicti Borchardi, & aliorum prædecessorum nostrorum, & quæ ipsis in hoc præsenti concilio per nos edita, de consensu & approbatione venerabilium fratrum nostrorum & coepiscoporum nostræ provinciæ: Misnensis, Merseburgensis, Nuemburgensis, Havelbergensis, & Brandeburgensis, adjecimus aliis statutis prædecessorum nostrorum immutatis, ac in melius reformatis, aliis etiam penitus resecatis, prout tempus exposcit, & causarum de novo emergentium facultas requirit ordinare secundum rubricas & juxta ordinem in constitutionibus Romanę ecclesiæ observatum, presenti opusculo fecimus inscribere mutatas, ut legentibus provinciæ subditis, qui ad ipsorum observantiam astricti tenentur, facilius sit aditus, & statuta ipsa cum casus ipsorum, vel aliquis eorum in dubium venerit, facultas inveniendi sit. Statuta autem prædecessorum nostrorum quæcumque, & cujuscumque tenoris existant, etiam nostra, prætenti quæ volumine minime reperiuntur inserta, & præsentibus annumerata, volumus habere pro cassatis & rejectis, nec quemquam de nostra provincia ad ipsorum observantiam in judiciis vel extra, in actibus suis, sed duntaxat ad ea quæ in præsenti volumine continentur, fore obligatum.

I. De-

ANNO CHRISTI 1370.

I. *De Summa Trinitate & fide catholica.*

Quæ propter sui exquisitissimam & probatissimam perfectionem, aut clarissimam & lucidissimam veritatem, adjectione vel declaratione ulla non indigent, ad quæ inprimis tanquam principium, medium, & finem salutis omnium, corda, manus & oculos elevamus devoti, nihil aliud est credendum, tenendum vel dicendum, nisi quod Romana credit, tenet, docet etiam piissima, sanctissima & prudentissima mater nostra, ita tamen, ut omnes prælati articulos fidei principales fideliter suos subditos doceant, laicos simpliciter credere sicut ecclesia explicite & distincte. In primis igitur statuimus, ut si aliquis clericus vel laicus, utriusque sexus, cujuscumque dignitatis, religionis vel status existat, ausus sit præsumptione damnabili publice prædicare vel occulte docere, credere, vel tenere, quod sacerdos in mortali existens peccato, non possit conficere corpus Christi, seu sic ligatus non possit solvere, ligare suos subditos a peccatis, pro hæretico & incredulo habeatur. Quem errorem hujus sacri concilii approbatione, damnamus, anathematizamus & penitus reprobamus, cum sacræ scripturæ dicat auctoritas, quod sive bonus sive malus sit minister, per utrumque Deus effectum gratiæ confert; non enim quæ sancta sunt, coinquinari possunt, nec ipsa sacramenta potest hominum malitia profanare. Unde sacerdos quantumcumque pollutus existat, divina non potest polluere sacramenta, quæ purgatoria cunctarum contagionum existant. Licite ergo a quocumque sacerdote ab ecclesia tolerato, divina mysteria audiantur, & alia recipiantur sacramenta ecclesiastica.

II. *De constitutionibus.*

Canonum statuta primum, & demum constitutiones provinciales tam a nostris prædecessoribus, quam a nobis editas & præsentibus insertas, ab omnibus sciri ac inviolabiliter custodiri mandamus sub obtentu jurium, & honorum eorum post præsentem publicationem ignorans ignorabitur, & negligens negligetur. Statuimus, ut præsens libellus de constitutione provincialium in singulis ecclesiis cathedralibus sub sigillo nostro, ac deinde in aliis collegiatis, & conventualibus nostræ provinciæ infra tres menses a publicatione præsentium computandos sub sigillo diœcesanorum sine excusatione qualibet habeatur conscriptus, & in choro jaceat, ut sic patere posset cuilibet legere seu videre volenti. Ut autem communis utilitas in prædictarum constitutionum notitiam luculentam cunctorum deveniat; venerabilibus fratribus & coepiscopis nostris injungimus, & mandamus in virtute S. Obedientiæ, quatenus ipsas mox scribi faciant, ac anno quolibet in singulis eorum synodis injungant toti clero, ubi sic commode fieri poterit, aut alibi legi faciant, & injungant subditis suis, ut eas quilibet sibi procuret, & tenorem earum memoriæ recommendet, & maxime archidiaconis & suis subditis, scilicet ruralibus archipresbyteris & presbyteris hoc injungant. Nos insuper de omnipotentis Dei misericordia & BB. Apostolorum Petri & Pauli ejus auctoritate, nec non Mauritii & ejus Sociorum patroni nostri meritis confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui eas sibi comparaverint, legerint, aut legi audierint, quotiescumque hoc fecerint, quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia relaxamus.

Præsenti statuto sacro approbante concilio, ordinamus & mandamus districte observari, ut quilibet Episcopus cum suo capitulo nostræ provinciæ pro se, ac suis capitularibus, Prælatis, religiosis & secularibus, ac generaliter pro clericis suæ civitatis & diœcesis universis procurent & habeant sine defectu constitutionem felicis recordationis Friderici & Caroli IV. Romanorum imperatorum, quam & nos cum nostro capitulo eo modo servare intendimus, & quantum possumus nostros successores exhortamur sub bulla papali perpetuo durante. Volumus etiam, ut quater in anno quilibet curatus civitatis & diœcesis nostræ provinciæ, videlicet, dominicis diebus immediate quatuor tempora sequentibus, suis parochianis infra missarum solemnia eamdem pronuntiet publicando in lingua Teutonica, & suos parochianos admoneant diligenter, ut sibi caveant, ne in pœnas dictæ Carolinæ incidant laqueati. Volumus autem & mandamus, ut in singulis synodis episcopalibus Prælatis & clericis universis ibidem præsentibus dicta Carolina diligenter publicetur, quam in præsenti statuto in fine volumus de verbo ad verbum adnotari.

III. *De rescriptis.*

Cum secundum legitimas sanctiones, præses provinciæ delegatos principes ad ipsius provinciam declinantes, non debeat ex officii debito sinere ampliùs facere, quam eorum legatio intendat. Attendentes, quod judices delegati a Sede Apostolica, & a Legatis a latere, vel aliis Legatis, conservatores deputati, gratiarum executores, vel ab eis subdelegati judices, subconservatores, vel subexecutores deputati, communiter, vel divisim, potestatem eis habitam & mandatorum suorum fines transcendunt multis modis, & fraudibus exquisitis etiam Bullæ Apostolicæ per nonnullos iniquitatis filios falsificantur, vel etiam alias ipso jure sunt nullæ ... cum ergo processus earum auctoritate fulminati, sunt ipso jure & facto nullæ, nec quis ad earum executionis observantiam tenetur obligatus diversos fulminant processus, limites sui mandati excedentes, locum Ecclesiastico interdicto, seu cessationi generali pro rebus mobilibus, vel pro pecuniaria summa supponentes: unde sacro approbante Concilio statuimus, ut nullus plebanus, seu vicarius, vel quicumque alius clericus, vel prælatus citationem seu processum aliquem a judice delegato Sedis Apostolicæ, vel subdelegato ipsius, vel a legato dictæ Sedis Apostolicæ etiam a latere, gratiarum executoribus, vel conservatoribus, vel ab ipsis communiter subdelegatis, vel divisim sibi directo de citando quemcumque, ponendo, vel trahendo aliquatenus exequatur, nisi fuerint per *vidimus* Diœcesani approbati, pro quo *vidimus* officialis Episcopi, vel alius, qui hoc officium habet exercere non amplius accipiet, quam 3. solidos denariorum communium & in illa diœcesi currentium; contrarium faciens sit ab ingressu Ecclesiæ suspensus, quousque parti sic indebite exationatæ duplum restituat.

Statuimus etiam: rescripta conservatoria papalia litteras gratiarum legatorum quorumcumque, & subdelegationes prædictis officialibus, vel aliis, qui hoc officium gerunt per nostram pro-

ANNO CHRISTI 1370.

provinciam pro examinatione diligenti faciendа, & ut evitetur omnis falsitas, & corruptela, exhiberi debere. Si autem contingit quemquam plebanum, curatum seu clericum etiam in dignitate constitutum, in Civitatibus, & Diœcesibus nostræ Provinciæ, per judices delegatos Sedis Apostolicæ citari, vel vexari pro eo quod sine *vidimus* suæ Diœcesis eorum citationes, & processus alios quoscumque, requisiti spreverint recipere & executioni debitæ mandari, ex tunc Episcopus, cui prædicti plebani, curati, & alii clerici subsunt, & in cujus Civitatibus, & Diœcesibus nostræ Provinciæ sunt Beneficiati, ipsos totius cleri sumptibus, & expensis defendere non tardabit, cum ad ipsum spectet, & suam defendere jurisdictionem teneatur; nihilominus, si Episcopus in præmissis negligens inveniatur, subdito si quæ damna receperit, & expensas fecerit, ad arbitrium nostrum vel nostri in spiritualibus Vicarii sibi plenarie restituat, & cum effectu.

IV. *De Electione.*

Item quamvis provisum sit canonice de illis nondum in sacris ordinibus constitutis, quibus de Ecclesiis Parochialibus providetur, & qui tales Parochiales Ecclesias ea de causa dumtaxat recipiunt, ut eas bonis, & rebus inventis in eisdem mobilibus præcipue (taceamus de alienatione rerum immobilium) possint spoliare, etiam fructus universos primi anni, infra quem deberent ad sacerdotium promoveri recipiunt, in usus suos convertunt minime promoti, dictas Parochiales Ecclesias sic spoliatas, & defraudatas tacite resignando, vel expresse patronis earum, & collatoribus. Volumus autem jus, quod in casu illo providit ad permutantes infra annum sive sint promoti, sive non, prorogari, itaut bona inventa in dotibus Ecclesiarum prædictarum apud ecclesias tales debeant sine qualibet diminutione suis successoribus remanere pro eorum sustentatione. In præmissis vero reperti culpabiles & delinquentes a perceptione beneficiorum quæ obtinent in Provincia nostra volumus esse suspensos, nec fructus ipsorum posse facere suos, nec in utilitatem suam debere convertere, donec ablata Prioti Ecclesiæ cum omni restituant integritate.

V. *De Scrutinio in ordine faciendo.*

Statuimus ad terrorem malefactorum, ut universi Episcopi Provinciæ Magdeburgensis, ac eorum Vicarii, quando volunt, & debent ordines celebrare committant Examinatoribus clericorum examinandorum, sub anathematis interminatione, ut inter cætera perquirenda fideli diligentia perquirant, sub obtentu honoris percipiendi, a singulis ordinandis, Religiosis cujuscumque ordinis, vel secularibus, ut, si Patres, Avi, ac Progenitores eorum, usque ad quartam lineam ascendentem, captivaverint, captivatum detinuerint, occiderint, mutilaverint, proscripserint, banniverint, diffidaverint Clericum in Sacris constitutum, & pro Clerico se gerentem, etiamsi in minoribus fuerit constitutus, & pro tali se gerebat, habitum, & tonsuram deferentem; eum, quem in aliquo præmissorum affectum per aliquem progenitorum suorum usque ad lineam memoratam invenerint, si factum istud sit notorium, vel scitum in loco nativitatis suæ, nullatenus admittant. Prælati vero, vel eorum vices gerentes, quorum interest investire, vel instituere præsentatos, ante vestituram, vel institutionem cum summa diligentia de his quærant, & quos tales invenerint vitio progenitorum laborantes, de quo præscriptum est, nullo modo instituant, vel investiant ad aliquod officium Ecclesiasticum, etiam dignitatem: & si tales quovis modo per negligentiam ordinantium fuerint ordinati, vel per propriam taciturnitatem, cum de hoc constiterit; sint ab ordinibus sic susceptis suspensi, & maneant, donec a suis Diœcesanis dispensationem meruerint obtinere. Instituti etiam in beneficio, vel in claustris professi, vel monasterio oblati, sint ipso facto, jure quod habent in beneficiis, privati: ablati vero, & professi a dictis claustris expellantur, vel saltem suspensi maneant ab Ordinibus sic susceptis, donec Diœcesani sui cum eis dispensaverint, ipsorum meritis, & laudabili eorum conversatione hoc exigente, & cum beneficio institutis etiam Diœcesani, prout viderint expedire, habeant plenam in his potestatem dispensandi. Examinatores insuper, & Prelati, ac eorum vices gerentes, qui secus in præmissis agere præsumpserint in futurum, per suos Superiores immediatos suspensionis sententia percellantur, alias etiam pro tanta negligentia per Diœcesanos suos ordinarios graviter puniendi.

VI. *De Renuntiatione.*

Nullus Ecclesiam vel Beneficium Ecclesiasticum dimittere, vel recipere præsumat, sine Superioris sui auctoritate, qua sub pœna suspensionis, omnibus firmiter inhibemus, etiam quodcumque fuerit, curatum, vel non curatum, quod ea de causa recepit duntaxat, ut sub ipsius titulo ad sacros ordines, & ad Sacerdotium promoveatur. Nam decens est, ut in recipiendo beneficia Ecclesiastica, canonum Statuta observentur, sic & pari modo in dimittendo, & in renuntiando Beneficio, seu Beneficiis Ecclesiasticis, debent Canones observari.

VII. *De temporibus ordinationum.*

Statuimus quod nullus ad examinationem aliquatenus admittatur, nisi ante confiteatur omnia sua delicta idoneo sacerdoti; & quia pauci sunt, qui sua delicta, vel sequelas intelligant delictorum, ideo per discretum confessorem debet instrui ordinandus, & talem seu tales, vicarius episcopi, qui statuta canonum non ignorat, seu alios idoneos pro ordinandis, secundum ipsorum pluralitatem seu paucitatem, tempore ordinationis deputabit, etiam in loco, ubi continget ordines celebrari, vel vicario in pontificalibus, qui ordines celebrabit, si de ejus puritate conscientiæ confisus fuerit, tribuet facultatem ordinandos, quos invenerint repellendos in foro suo, idest: animæ ubi factum est occultum, admoneant, ne quovis modo ad ordinum susceptiones procedant, si autem casus eorum non præstaret eis perpetuum impedimentum, sed esset dispensabilis per Episcopum suum vel Papam, vel per alios sicut archiepiscopum vel per cardinales, certis in casibus eis specialiter reservatis pro dispensatione remittant ad eosdem superiores obtinenda.

VIII.

ANNO CHRISTI 1370

VIII. *De clericis peregrinis.*

Nullus in ecclesia sua ignotum seu peregrinum de alia diœcesi venientem ad celebrationem divinorum in publico præsumat admittere, licet formatas, seu litteras suæ ordinationis exhibeat, nisi & ostendat litteras Diœcesani episcopi, vel ejus vicarii, in cujus diœcesi se petit admitti, in quibus contineatur expresse, quod in ejus diœcesi in spiritualibus habeat licentiam celebrandi, ne ignoti, & de longinquo venientes, qui frequenter sunt apostatæ, criminosi & irregulares in sua temeritatis malitia foveantur, & tribuatur audacia divina profanandi. Contrarium facientes in una marca puri & defæcati argenti pro admissione quaslibet per loci archidiaconum puniantur; si vero archidiaconatus non habeatur, per loci diœcesanum vel ejus vicarium in spiritualibus cujuscumque etiam dignitatis fuerit, abbas præpositus seu decanus, medietatem, reliquam vero medietatem fabricæ cathedr. ecclesiæ convertendam.

IX. *De officio ordinarii.*

Cum quilibet archiepiscopus & episcopus, canone disponente teneatur dominicis diebus singulis & festivitatibus aliis præsertim summis in ecclesia sua populo sibi credito se præsentem exhibere, missam celebrare, verbum Dei proponere, indulgentias dare, unde præcipimus ut quilibet episcopus nostræ provinciæ, maxime in summis festivitatibus, nisi necessitate prohibente, vel causa rationabili excusante, sit præsens in ecclesia sua cathedrali, verbum Dei proponat, vel se præsente per alium idoneum proponi faciat & indulgentiam populo det, missam in eadem ecclesia devotius celebrando.

Post hæc statuimus: ut singuli episcoporum nostræ provinciæ suos carceres habeant juxta ecclesiam cathedralem pro clericis dumtaxat & specialiter. Itaque nullatenus cum furibus & aliis ultimo supplicio deputatis, vel deputandis clerici detineantur, sed in carceribus, in quibus falsarii clerici, vel monachi incorrigibiles & apostatæ, vel alii, qui hoc meruerunt, recludantur perpetuo vel ad tempus, prout eorum exposcerit excessus, ad quod efficacius consequendum aliæ ecclesiæ, si opus fuerit, subsidium conferant & juvamen; episcopus tamen cum suo capitulo carcerem procurabit apud ecclesiam majorem, vel in alio loco congruo, & custodem carceris unum, vel plures, secundum quod opus fuerit, suis sumptibus & expensis, juratos tamen prius, quod fideliter velint præesse incarceratis, & eos custodire diligenter, & humaniter tractare, deputabit, & de expensis nihilominus etiam incarceratis providebit, juxta canonum præcepta, in victu pariter, & amictu.

X. *De officio delegati.*

Qui frequenter injuriati clerici seculares, vel religiosi facultatibus destituti, vel minus idonei, etiamsi eis rerum affluentia favit copiose, vel metu concussi, & tali, qui merito cadere debet in constantem virum, contra suos injuriatores pro justitia consequenda cum satisfactione debita non præsumunt actionem intentare: statutorum nostræ provinciæ etiam executores in civitate, vel diœcesi deputati, ubi clerico, vel religioso injuria illata est, injuriantium potentiam perhorrescentes, contra tales, requisiti per dictos clericos vel ex suo officio procedere, & processus fulminare formidant; ne ergo injuriatores & clericis secularibus seu religiosis injuriam seu violentiam & bonis ecclesiarum suarum in suis juribus & hæreditatibus, familia, consanguineis, nepotibus, vel neptibus inferentes, transeant impuniti, & de suæ temeritatis violentia commodum reportent, gloriantes cum illis, qui lætantur cum malefecerint, sacro igitur approbante concilio, præsenti statuto ordinamus: ut clerus cujuslibet civitatis & diœcesis nostræ provinciæ habeat unum, vel plures procuratores fiscales, quos etiam in locis congruis & securis, ubi tyrannorum potentiam non habeant formidare, Episcopus loci cum consensu sui capituli, Prælatorum, & sanioris partis cleri suæ civitatis & diœcesis deputabit, qui clericorum secularium, religiosorum injuriam, & promotores curiæ, cum clerici injuriati seculares, vel religiosi propter inopiam vel injuriantium potentiam suam justitiam contra injuriantes prosequi non præsumunt, dictorum injuriatorum justitiam coram executore loci Carolinæ, vel Urbaniæ prosequi festinabunt; & requisiti procurent processus juxta statuta nostræ provinciæ cum suis pœnis contra injuriantes, & usque ad satisfactionem congruam promulgari, & per subditos nostræ provinciæ arctius observari: prædicto vero procuratori fiscali seu procuratoribus, episcopus loci, & per quem suo clero fuerit, vel fuerint deputati, eis de expensis, quas in prosecutione injuriatum, & pro injuriatis clericis vel religiosis facient, si injuriati prædictis procuratoribus de stipendio congruo pro suis laboribus, & expensis satisfacere noluerint, seu inopia eos excusante non potuerint, providebit.

Congruum reputamus, & consonum æquitati, quod executores statutorum nostræ provinciæ, sibi debeant, necessitate seu utilitate urgente, invicem suffragari, unde præsenti statuto sanximus: quod quilibet executor, dum super processibus, & sententiis per eum in sua diœcesi factis & habitis, executorem alterius diœcesis super eis publicandis, ac etiam observandis duxerit per suas litteras requirendum, quod idem requisitus, occasione postposita, nisi in necessitate indispensabili se excusare volent, requisitionem admittere teneatur. Si executor in aliqua diœcesi nostræ provinciæ deputatus, executionis suæ ministerium facere negligat, seu deneget conquærenti, & potissimum per procuratorem fiscalem requisitus, ad instantiam injuriam passi seu pro eo: extunc ad Episcopum loci ordinarium in casu hujusmodi recurratur, qui executorem suum pro commissa negligentia corrigat, & ad faciendum debitam executionem compellat, adicientes: quod nec per nos, nec per coepiscopos nostros sententiæ executorum rite & rationabiliter latæ, de facto possint vel debeant revocari, nec eorum officium aliqualiter impediri. Cum statutorum nostrorum remediis intendamus, contra notorias injurias & violentias provide decernimus: quod executores statutorum hujusmodi ad ea, quæ judicialem indaginem exigunt, se nullatenus intromittant, nec ad talia, quæ ordinem judiciarium requirunt suam extendant aliquatenus potestatem, quia in talibus

bus juris & judiciorum ordinem servare juxta canonum instituta expedit & rigorem.

ANNO CHRISTI 1370.

Plerumque tamen id quod notorium asseritur apud executorem notorium non habetur, & ob hoc testes quinque producuntur a parte, ut executori de notorio fides fiat; unde a quibusdam revocatur in dubium, an executor exceptiones propositas contra testes productos ad notorium ostendendum admittere teneatur; & licet super eo diversi doctores sentire diversimode videantur, quibusdam adsentientibus, exceptiones hujusmodi debere admitti, aliis vero affirmantibus, ipsas in casu hujusmodi repellendas. Nos tamen decernimus & declaramus, illi opinioni favore ecclesiarum, & ecclesiast. personarum potius adhærendum, quæ exceptiones tales asserit non esse contra testes hujusmodi admittendas; tales namque ad judicem ordinarie procedentem non autem ad executorem, qui circa notoria intendit, pertinere videntur: nisi exceptiones objectæ adeo forent sufficientes & notoriæ, quod nulla potsent reciprocatione celari, quod discreti executoris arbitrio duximus relinquendum.

XI. *De majoritate & obedientia.*

Sacro approbante concilio statuimus; ut nulli clerici nobilium cappellani in cappellis castrorum dominorum suorum celebrare præsumant, seu conferre sacramenta ecclesiastica, nisi ante episcopo loci, si dictæ cappellæ subsint episcopo immediate, & ad eas habeat instituere: vel alteri plebano, archidiacono, præposito, decano rurali, qui habeat jus in dictis cappellis, manualem obedientiam faciant, & ad synodos veniant, & capitula, certis temporibus & statutis recepturi, & mandata ecclesiastica, & prænicaturi suis domnis & eorum castrensibus, secundum quod fuerit oportunum: cum plebani, in quorum terminis castra consistunt, hoc facere frequenter non audeant propter tyrannidem dominorum. Qui autem ante obedientiam sic præstitam prælatis, ut præmittitur, quibus subsunt immediate, cappellas tales officiare præsumpserint, sint ipso facto excommunicati, & nuntientur per ecclesiarum rectores tanto tempore, quousque satisfaciant & obediant, ut dictum est.

XII. *De his, quæ vis, metus &c.*

Cum obedientia potentissime meritum vitæ conferat, & victimis præferatur, in quibus aliena caro, sed in ipsa propria Deo consecratur, nonnunquam plures Plebani, Sacerdotes, & Clerici hoc minime attendunt, & cum eis superiorum mandata diriguntur, etiam pro executione debita facienda requisiti, tanquam vano metu conculi, & talem allegantes, ipsa mandata seu processus exequi, & debitæ executioni mandare, in suarum animarum periculum contemnunt, pœnas diversas ecclesiasticas frequenter, & legales aliquando ob hoc miserabiliter incurrunt laqueati, & dum pro Christo, & ipsius Sponsa, Sancta matre Ecclesia, cujus stipendio, & Christi patrimonio laute reficiuntur saginati, ex adverso ascendere, ac pro libertatibus conservandis bellare refugiunt: quapropter censura Ecclesiastica contemnitur, nervus disciplinæ Ecclesiasticæ dissolvitur, clavium potestas ludibrio fit & vilescit; sacri hujus igitur Concilii provida deliberatione sanximus dissolentes: ut nullus Prælatorum, Plebanorum, Curatorum, seu Clericorum nostræ Provinciæ debeat se excusare, quo minus requisitus ad executionem mandatorum suorum Prælatorum &c. procedant, & debite exequantur, & ipsi eadem observent, & per suos faciant observari: etiamsi pœnas, & censuras contineant Ecclesiasticas, seu legales, etiamsi metum corporum, & rerum suarum amissionem pro sua allegent excusatione inantea; cum revera quisque Prælatus, curatus & clericus (taceamus de laicis) potius debet omnia mala pati præsentis status, quam malum inobedientiæ incurrere; etiamsi per idoneos testes coram superiore, a quo mandata & processus diriguntur, se offerunt paratos ad probandum hujusmodi metum; in his enim, quæ in non faciendo consistunt, utpote cum mandatur non communicare cum excommunicatis, non celebrare in locis interdictis, aut coram majoris sententiæ excommunicatis, seu aliis hujusmodi, nullus omnino, nec rerum nec corporum, probatus metus, quemquam possit vel debeat excusare a talium observatione firmiter & intrepide exequenda. Quia melius est viam veritatis non agnovisse, quam ut quis post agnitam ab ea discedat ut profanus & idololatra scleratus.

XIII. *De alienatione judicii mutanda.*

Quia plerumque cessiones actionum in fraudem fiunt, aliquando vero pure & simpliciter ex causa legitima vel ex causis statuimus, ut cessiones actionum, quæ justis causis vel causa procedunt, in præsentia ipsorum Episcoporum vel judicum, vel officialis ipsorum, & de licentia eorumdem si subsint legitimæ causæ, fiant; jurent etiam cedentes, quod non simulate sed vere cedunt, alioquin secus stans, decernimus non tenere. Et quia quidam propter potentiam, quidam propter crudelitatem magnam personaliter citari non possunt, quidam etiam qui in castris habitant, ita quod nulla propter eorum tyrannidem citatio ad eos pervenire, vel aditus haberi securus sub in queat; idcirco provida & necessaria deliberatione statuimus, ut contra tales citationis edictum apud parochialem ecclesiam ipsorum publice & legitime proponatur; quod si parochialis sacerdos eos citare non possit, & hoc coram superiore non simplici vel proprio juramento, sed justis probaverit documentis; in cathedrali ecclesia tribus Dominicis diebus continuo citentur in ambone, dummodo citandi infra unam dietam sint a cathedrali ecclesia distantes: alioquin ad tres quindenas solemniter evocentur, & ex tunc contra hujusmodi, ac si personaliter citati fuerint, procedatur, ne ex malitia hujusmodi valeant commodum reportare.

XIV. *De foro competenti.*

Præterea quidam crudeles homines & perversi dum ad forum ecclesiasticum in causis etiam, in quibus habet ecclesia merito judicare & cognoscere ab actoribus evocantur, illius auctoritatis qua dicitur, *qui honorat missum mittentem honorat*, immemores existentes nuntios ecclesiasticorum judicum, citationis, executionis vel alias judiciales & jurisdictionis litteras referentes, verbis quandoque probrosis & diris ver-

verberibus afficientes, quoidam etiam captivos vulnerantes, mutilantes & nonnullos occidentes, alios interdum suis rebus temere & publice expoliantes multipliciter afficiunt, & perturbant, & impediunt citationem & litterarum executionem, & in non modicam ecclesiasticæ libertatis contumeliam & iacturam. Considerantes igitur malitiis hominum non esse aliquatenus indulgendum, hoc sacri approbatione concilii duximus statuendum; ut reus nuntios acta judicialia deferentes per se vel per alium verberans, spolians, vulnerans, mutilans, occidens & captivans, lite etsi non contestata, auctoritate hujus concilii habeatur penitus pro convicto: actor vero in causa reconventionis similia perpetrare per se vel per alium non formidans super instituta contra eum actione amplius nullatenus audiatur, & insuper uterque ac omnes alii qui nomine ac occasione eorum talia præsumpserint, usque ad satisfactionem condignam læso & judicibus summaria cognitione super hujusmodi forefacto præhabita percellantur adeo justis & gravibus pœnis, ut alii metu pœnæ a similibus arceantur: ita etiam quod si tales sint clerici, pœna in captivantes clericos, vulnerantes, mutilantes, verberantes & occidentes promulgatas in statutis nostris provincialibus & prædecessorum nostrorum huic volumini in scriptis quousque ad satisfactionem congruam districtius observetur, pœnis etiam a canonibus, & legibus talibus inflictis, nihilominus rigorose observatis.

Præterea hujus approbatione concilii statuimus, & vobis universis & singulis rectoribus ecclesiarum parochialium, seu vices eorum gerentibus per nostram provinciam constitutis sub pœna suspensionis ab ingressu ecclesiæ præcipimus & mandamus, quatenus omnes tam clericos quam laicos in terminis ecclesiarum vestrarum constitutos, cujuscumque dignitatis, nobilitatis, conditionis aut status existant publice in vestris ecclesiis moneatis, ne jurisdictionem ecclesiasticam, nuntios, mandata nostra seu litteras nostras vel judicum nostrorum etiam nostrorum suffraganeorum & judicum ecclesiasticorum quorumcumque nostræ provinciæ deferentes, verberando, offendendo &c. seu ipsas litteras lacerando, vel quocumque alio modo impedire præsumant; alioquin contrarium facientes sententiam excommunicationis incurrere volumus ipso facto, & excommunicatos nuntiamus, & ab omnibus arctius evitandos singulis diebus Dominicis accensis candelis & pulsatis campanis, cum nobis de hoc per evidentiam facti constiterit, etiamsi aliud mandatum nostrorum judicum seu suffraganeorum nostrorum vel eorum judicum super hoc non receperitis, in vestris ecclesiis publice nuntietis, quousque a sententiis excommunicationum hujusmodi per nos vel judices nostros seu nostros suffraganeos vel eorum judices sicut in civitate vel diœcesi, vel altero eorum excessus hujusmodi commissus reperitur fuerint legitime absoluti. Adjicimus insuper, quod quilibet episcopus in sua diœcesi prout sibi expedire videbitur super statutis hujusmodi valeat dispensare.

Cum laici etiam cujuscumque dignitatis status & præeminentiæ fuerint, de rebus ecclesiæ disponere non habeant, multo fortius Prælatos & clericos, seu quemcumque de personis ecclesiasticis, vel laicum religiosum alicui religioni dedicatum, etiamsi nondum fuerit tacite professus vel expresse, cum tales omnes sint in sortem Domini electi & a seculari potestate & judicio tam in criminalibus, quam in civilibus Christi privilegio exempti, unde universis judicibus secularibus per nostram provinciam constitutis, districtius inhibemus & mandamus, ne quemquam Prælatum tam regularem quam secularem clericum vel laicum religiosum contra ecclesiasticam libertatem ad cujuscumque instantiam laici vel clerici vel ex suo officio ad judicium trahere seculare per se vel per alium procurent, etiam ipsum judicare vel sententiare præsumant: actor vero si laicus fuerit, qui hoc procuraverit cum judice, ambo sint majoris excommunicationis sententia ligati ipso facto, quos sic citatos, & judicis officialis episcopi in synodo episcopali & in propriis eorum parochiis, ac aliis vicinis sic excommunicatos, donec parti citatæ & episcopo loci de hujusmodi excessu satisfactionem præstiterint ad condignum, publice faciant denunciare. Clericus vero, qui sic procuraverit clericum alium ad sui vel alterius instantiam, ad judicium evocare seculare, sit ipso beneficio suo meliori, si plura obtinet, in nostra provincia ipso facto privatus, si vero unum duntaxat, eodem etiam ipso facto sit privatus; si vero nullum beneficium obtinet in nostra provincia, domicilium tamen habens, aut aliunde veniens, hunc excessum committens in nostra provincia, propter quem se subditum nostræ jurisdictioni facit: volumus præsenti constitutione esse inhabilem ad beneficium ecclesiasticum in nostra provincia obtinendum; donec a nobis si hunc excessum commiserit in nostra diœcesi vel civitate, seu a nostris suffraganeis, in quorum civitatibus vel diœcesibus, vel alterius eorum hujusmodi excessus commiserit, satisfactione condigna præmissa fuerit cum eo interim indultum.

XV. *De fide instrumentorum.*

Cum ex eo quod plerique adeo rudes & ignari inveniuntur, quod per se protocolla facere penitus ignorent, & alii se notarios publicos mentientes, conficere instrumenta præsumant, ex quibus incommoda & pericula oriuntur, quibus nos obviare volentes, prohibemus, ne pro notario publice quisque se gerat, vel quævis instrumenta conficiat in nostra provincia vel quisquam eis utatur confectis, antequam de creatione sua loci diœcesano, vel ejus officiali fecerit plenam fidem: contrarium faciens excommunicationis sententiam incidat ipso facto, & instrumenta per eum confecta sint irrita ipso facto, & alias per loci diœcesanum conficiens cum utentibus scienter pœna debita puniatur.

XVI. *De jurejurando.*

Cum legis veteris auctoritas & evangelica veritas invincibilis præcipiat, quod omne verbum in ore debeat stare duorum vel trium. Unde prohibemus omnibus spiritualibus & secularibus judicibus, ne de cætero in judicio in quacumque causa juramentum deferant decisorium reo, adversa parte volente intentum suum per testes probare fide dignos, & hoc potente.

ANNO CHRISTI 1350.

XVII. *De exceptionibus.*

Quoniam exceptio de loco non tuto nonnunquam ad fugam ab opponente confingitur, ut ejus ope evitetur judicium, & conquerens defraudetur; id quod, sicut experientia docuit, plerumque fieri consuevit coram executoribus statutorum nostræ provinciæ; quamvis autem exceptio eadem adeo videatur legitima, quod si repulsa fuerit, licite valeat appellari. An igitur executor statutorum exceptiones hujusmodi teneatur admittere vel repellere, non immerito dubitatur. Unde juxta prudentum consilium ac doctrinam duximus statuendum, quod si quis coram executore, locum ad quem citatus existit, sibi oggerit non securum, idem excipiens ad mandatum executoris debeat exprimere coram eo, quid illo loco securo, quem postulat, velit proponere vel probare, & si tale quid exprimere jussus, contumaciter recusavit, extunc executor in negotio proposito, tali exceptione non obstante, procedere non omittat: si vero aliquid, vel aliqua dixerit exprimendo, executoris relinquatur arbitrio, an super tali aut talibus expressis sit exceptio admittenda, & locus alius securus super expressis & propositis assignandus.

XVIII. *De appellationibus.*

Quia sæpe contingit in causa appellationum ad nos a nostris suffraganeis appellari; statuimus ut si infra duos menses hujusmodi appellantes, prosequi appellationes suas non curaverint; extunc per inferiores judices a quibus appellarunt, in pristinas sententias extrudantur, & tamdiu eisdem ligati publice nuntientur, quousque justa causa cessante, ad appellationum suarum persecutionem redire festinent, vel pareant judicatis.

XIX. *De vita & honestate clericorum.*

Ad hæc quia clerici vagabundi, qui *everbardini* dicuntur, quorum vita Deo odibilis est, clericos & ipsos laicos scandalizant discurrendo per terras, in villis, quæ carent propriis sacerdotibus, celebrare præsumunt, statuimus, ut tales ad mandatum diœcesani vel loci archidiaconi teneantur in custodia carcerali. Contra illos clericos militares & præsertim in sacris constitutos, qui clericali schemate derelicto comam nutriunt, gestantes habitum laicalem, demum post tyrocinia, & actus alios militares, quos interdum exercent, habitum pristinum resumentes ad beneficia priora se admitti impune desiderant, sic terram viis duabus ingredi non verentur. Hoc sacro approbante concilio statuimus, ut apostatantes hujusmodi, si a Prælatis suis & capitulis evocati ad suas ecclesias & præbendas redire voluerint, aliter admittantur, nisi disciplinæ claustralis carcerem tanto tempore sustineant, quanto a suis ecclesiis eos constiterit taliter aberrasse, & sic reversi debent ultimum in choro, capitulo, aliisque actibus locum dumtaxat perpetuo obtinere.

XX. *De cohabitatione clericorum.*

Attendentes quod omnibus Dei ministris, & in ejus sortem sua providentia electis, sit a sacris canonibus præceptum, ut non solum abstineant a malo, sed etiam ab omni specie mali. Unde quoslibet canonicos tam cathedralium quam collegiatarum ecclesiarum nostræ provinciæ, cæterosque beneficiatos hortamur, & in visceribus Christi obsecramus, ne amodo in stuffis venalibus & publicis balnea recipiant, ubi suspectarum personarum præsentia se præbet frequenter scandalose; sed in stuffis suarum ecclesiarum balnea sua faciant, personis suspectis longe exclusis; has autem stuffas in singulis ecclesiis cathedralibus & collegiatis nostræ provinciæ, si non habeantur, volumus ædificari, vel si sunt defectuosæ, infra mensem restaurari, & debitis temporibus calefieri, idque ad minus de quindena in quindenam, deputatis ad hoc continetis & honestis ministris.

Religiosis universis nostræ provinciæ in monasteriis degentibus, quibus urbium locorumque publicorum aditus omnino interdictus est, prohibemus præsenti nostro statuto, ne quis de cætero in stuffa publica, extra septa sui monasterii balnea subire attemptet: præsens etiam statutum ad sanctimoniales nostræ provinciæ, prout concernit religiosis observandum extendimus. Transgressores vero hujus statuti volumus, si canonici sunt, vel beneficiati per suos episcopos pœna debita emendari, si vero religiosi vel moniales fuerint, pœna graviori post carceralem, per suos prælatos præcipimus emendari.

Attendentes insuper, quod scriptum est & dictum præcipue sacerdotibus & clericis universis: *Sancti estote quia sanctus ego sum*. Præcipimus hujus approbatione concilii ut universi in sacris ordinibus constituti studeant caste vivere, quatenus in conspectu omnipotentis Dei puro corde & mundo corpore valeant ministrare. Si quis autem clericorum deinceps visus fuerit incontinentiæ vitio laborare, publice concubinam secum detinendo vel alias a se positam in domo inutriendam aliena post admonitionem canonicam ei per prælatos suos immediatos factam verbo, vel scriptis illam de sua domo non expulerit, vel a se positæ victum & amictum non subtraxerit, officio & beneficio suo privetur; si vero nec sic fautorem libidinis suæ curaverit vitare, quia crescente contumacia, crescere debet & pœna anathematis gladio feriatur. Qui vero concubinas usque ad hæc tempora tenuerunt, ne delictum præterea transeat impunitum, eos sub tali pœna duximus religandos, ut si canonici fuerint, vel beneficiati in ecclesia eorum XL. diebus in claustris suis quadragesimali cibo vescantur. Si autem hoc agere contempserint, præpositis, decanis & capitulis ecclesiarum suarum sub anathemate prohibemus, ne prædictarum fructus ministrent vel ad chorum vel ad consortium eos admittant, nisi digna pœnitentia, de qua premittitur peracta plenarie. De clericis concubinariis ruralibus rigor superius expressus servetur, quorum archidiaconi si eos in suis iniquitatibus confovere, vel eorum dissimulare excessus sciant ab officiis suis suspendendos.

XXI. *De institutionibus.*

Cum frequenter magis a tramite regulæ & statutorum observantia deviare videntur, qui amplioribus privilegiis præfulgent, præsertim hospitalarii fratres de domo Theutonica, sanximus, ne ecclesias parochiales, quas unitas sibi

ANNO CHRISTI 1370.

sibi & incorporatas habent per suos confratres officiare præsumant; sed clericos sæculares & idoneos episcopo sive archidiacono loci infra debitum tempus præsentent, qui istos instituant tanquam perpetuos vicarios in eisdem, ordinata ipsis portione congrua, & jurabunt dicti fratres pro se & suo conventu, quod hujusmodi portionem dicto instituendo per pactum non minuent, vel alias quocumque modo sibi auferent in parte vel in toto, & quod dictum vicarium sic instituendum non procurabunt amoveri cum talis titulum habeat perpetuum in beneficio.

Præterea statuimus, ne religiosi cujuscumque ordinis existant, fines privilegiorum suorum excedant. Si qui etiam religiosorum per donationem vel alium legitimum titulum, jura patronatus aliquorum beneficiorum ecclesiasticorum acquisiverint, talia beneficia propria temeritate suis usibus non usurpent, sed ipsis vacantibus, ad ea sacerdotes idoneos seculares, per quos regi consueverunt, non fratres sui ordinis vel alterius præsentent, nec bona ipsarum ecclesiarum corporalia vel incorporalia, seu libertates quascumque detracta, suis monasteriis seu domibus applicare præsumant, contrarium facientes, auctoritate præsentis constitutionis jure patronatus quod ad ipsa beneficia habuerunt, privari volumus, & jus patronatus ad loci diœcesanum, sine omni exceptione, devolutum volumus. Si quas etiam ecclesias parochiales, infra quarum limites, granges de monasterio habuerint, terras, agros, prata, vel vineas, aut alia bona, de quibus jure decimas solvere tenentur, in decimatione defraudaverint, omnes ipsis ad hoc opem & operam dantes, & ipsorum servitiis intendentes, decernimus ipso facto sententiam excommunicationis incurrisse.

Item cum beneficia ecclesiastica sine diminutione conferri debeant; quidam ecclesiarum patroni, personis idoneis prætermissis tales ad ea præsentent, qui paucis debeant esse contenti, reliquum suis usibus applicando; unde ad hujusmodi mali perniciem extirpandam, statuimus, quod si tales clerici portione debita se spoliare sinentes, ad episcopum suum querelam non detulerint, auctoritate hujus concilii sint ipso facto suspensi, & nihilominus eisdem ecclesiis priventur per Episcopum, & de plebano idoneo provideatur ipsis ecclesiis seu beneficiis. Si vero ad superiorem querelam detulerint, ipse patronum per censuram ecclesiasticam ab hujusmodi molestatione compescat; adjiciendo nihilominus quod si in hoc pertinax patronus extiterit, jure præsentandi sit privatus, & episcopus, ut ante patronatus jure fungatur.

XXII. *De rebus ecclesiæ non alienandis.*

Hoc sacro concilio approbante, districtius inhibemus, ne aliquis Episcopus vel Prælatus Capitulum vel conventus, aliqua bona immobilia ecclesiæ sub pignoribus ponant, aut alienent sine expresso consensu episcopi, & juris solemnitatibus, quæ in hujusmodi alienationibus requiruntur, alioquin factum ipsum decernimus irritum & inane, & episcopi qui hoc fecerint, ab ingressu ecclesiæ suspendendi; alios vero prælatos ab officio & beneficio: personas vero alias excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subjacere.

Item de rebus ecclesiæ, & ornatu, nulli privatæ personæ ad obbligandum aliqua concedantur, & si aliquibus sint concessa, illa infra mensem redimere, & ecclesiæ restituere compellantur. Item statuimus, ut proventus Fabricæ uni vel duabus personis fide dignis committantur, qui eos ad opus ecclesiæ convertantur utiliter, & justam de ipsis reddant rationem. Et quia pauci sunt in singulis ecclesiis, qui prædia & redditus plene cognoscunt; statuimus quod prædia, redditus, & servitutes ecclesiarum, monasteriorum, officiorum beneficiorum etiam laicorum, qui ecclesiæ specialiter obsequuntur, in duobus libris conscribant, & quibus terminis redditus præmissorum sint colligendi, quorum unus ponatur in loco ecclesiæ, vel monasterio tuto, alius vero liber reservetur, ubi privilegia & clenodia reservantur.

XXIII. *De pignoribus.*

Detestanda quorumdam temeritas, qui in causa sua jus sibi dicere contra sanctiones legitimas moliuntur, nonnunquam personis ecclesiasticis exhibet se molestam: cum enim aliquid quæstionis contra personas ecclesiasticas habere proponunt, licet personæ prædictæ ecclesiasticæ paratas se exhibent stare coram suo judice ecclesiastico competente; nihilominus tamen iidem temerarii impignoratores qui vulgo *phanding* dicuntur, frequenter in rebus & bonis ad beneficia dictarum ecclesiasticarum personarum spectantibus, vel ad personas eorum committere non verentur, unde non modica damna & injuriæ oriuntur. Attendentes igitur, quod præmissas invasiones de cætero conniventibus oculis dissimulare non debemus, unde provida deliberatione hujus sacri concilii sancimus, quod quæcumque persona, licet ipsorum advocati vel officiati, quæ hujusmodi phandinge fecerit aut fieri mandaverit, si persona fuerit singularis, ipsam excommunicationis sententiæ majoris, volumus ipso facto subjacere; si requisitus per executorem ex officio suo vel ad instantiam injuriam passi infra xv. dies, res personæ ecclesiasticæ non restituerit integraliter, damna refarciat cum satisfactione de injuriis ea occasione illatis.

. . . . . *lacuna in MS.* . . . . . .

ita ut laicis, quibus tempore interdicti divinorum participatio omnino est interdicta, ea per viam illicitam, lucri & quæstus causa concedatur. Et quia hujusmodi abusionem committentes tam clericos seculares quam religiosos ordinum, vinculo excommunicationis constrinxit, ne ipsi in nostra provincia degentes statuti pœnam non incurrant, volumus & mandamus, prædictum statutum Urbani in singulis synodis nostris ac fratrum & coepiscoporum nostræ provinciæ legi & publicari, ut metu pœnæ ipsius abusum prædictum de nostra provincia extirpemus. Statuimus, ut cum sacramentum Eucharistiæ, quod summa dignum est veneratione, ad infirmum defertur, presbyter nullatenus in calepodiis, sed calceatus incedat, in habitu decenti, superpelliceo indutus, deferens desuper stolam corpusque dominicum decenter ante pectus suum portet, luminariis, cereis ardentibus antelatis, cum campanula continue resonante, & fideles hortamur, ut presbyterum deferentem sequantur humiliter & devote ad in-

ANNO CHRISTI 1370.

infirmum, & de infirmo redeuntem ad ecclesiam: indulgentiam quadraginta dierum ipsis elargiendo.

XXX. *De observatione jejunii.*

Ad hæc etiam prohibemus, ne adultus ordinaria & statuta jejunia præsumat intringere, nec hujusmodi necessaria jejunia prætextu votivi & extraordinarii jejunii violare, quia tale damnum tali lucro Deus nolit compensari. Inhærentes ergo priori concilio, pravam quorumdam consuetudinem reprobamus, qui textam feriam violant, sabbato vel alia die hebdomadæ jejunantes: quod de cætero fieri hujus sacri auctoritate concilii firmiter prohibemus, & præsertim alia jejunia superstitiosa, quibus Deum tentare videntur, vel dum sic jejunant, ut tribus buccellis panis & totidem crevisiæ vel aquæ pro die naturali sint contenti, vel alio modo superstitioso jejunant utque ad visionem syderum more Gentilium & Judæorum. Hæc & hujusmodi similia cum religioni Christianæ sint inimica, hujus sacri concilii approbatione de cætero fieri prohibemus, injungentes confessoribus tam secularibus quam regularibus, ut confitentes sibi ab hujusmodi jejuniis superstitiosis retrahant, districtius eis injungentes, ne talia de cætero faciant, sed ecclesiæ jejunia, quæ Deo sunt accepta, cum omni sinceritate observent.

XXXI. *De Ecclesiis.*

Prohibemus etiam, ut religiosi vel quilibet alii ecclesias de novo fundare, vel fundatas transferre sine Episcopi diœcesani licentia, & sine primarii lapidis benedictione non præsumant, aliter fundata ecclesia diruatur, & is qui fundat sive clericus sive monachus ab officio suspendatur, alia nihilominus pœna juxta superiorum arbitrium puniendus; si vero laicus sit, utque ad satisfactionem excommunicationis vinculo innodetur; item altaria superflua per parochiales ecclesias omnino tollantur, nec aliquid de novo fiat, nisi Episcopo permittente. Excommunicamus & anathematizamus omnes, qui dedicatas Deo ecclesias antu sacrilego profanant, aut inunitiones de ipsis faciunt, & cœmeteria perfodiunt, ossibus mortuorum ejectis.

Ad hæc sacro approbante concilio irritamus omnia statuta & consuetudines, quas civitates vel oppida, consules & quæcumque aliæ personæ contra libertates ecclesiasticas edere adversus canonicas sanctiones præsumunt, & eadem mandamus infra duos menses, post hujusmodi publicationem statuti penitus aboleri. Novas etiam exactiones, quæ vulgo *Ungelt* dicuntur, vel alio nomine nulla civitatum instituat, & ab institutis post hujusmodi edicti publicationem infra mensem desistat, nec mensuras rerum venalium ab antiquo servatas minuere vel immutare præsumat; de servis vero & mancipiis ecclesiarum in civitatibus residentibus, & post mortem eorumdem, ecclesiæ debita jura recipere minime prohibeantur.

XXXII. *De sponsalibus & matrimonio.*

Cum sacramentum matrimonii sit magnum, & omni reverentia & celebritate dignum, sacro hoc approbante concilio statuimus: ne quis laicus cujuscumque etiam conditionis, status vel præeminentiæ fuerint, præsumat aliquis copulare in domibus vel extra ecclesiam. De desponsatis vero statuimus, ut eorum proprii sacerdotes tribus diebus Dominicis, aut aliis festivis diebus tribus a se distantibus, per edictum publice proponantur infra missarum solemnia coram Christifidelibus & parochianis, ut si quis vel si qui sunt, qui inter desponsatos de futuro aliquod impedimentum noverint, illud infra tempus proclamationis in facie ecclesiæ, & consanguineis ipsorum omni studio adhibito, & sine difficultate revelent.

XXXIII. *De Judæis.*

Cum gens Judaica Crucis sit inimica, & nostræ religioni ut rei evidentia multis signis edocuit. Unde sacro approbante concilio statuimus, ut in septimana Dominicæ passionis domos suas & senestras clausas teneant, nec de domibus suis in publicum prodeant, sed ante de sibi necessariis pro illo tempore provideant, ne christiani sacratissimæ passionis memoriam exhibentes, ab eodem Judæorum populo illudantur. Judæos vero contrarium facientes per locorum ordinarios pœnis pecuniariis graviter mulctari, & eorum rebellione exigente, si in præmissis culpabiles reperti fuerint, contra eos brachium invocari seculare.

Insuper districte præcipiendo, præsentis concilii approbatione mandamus, ne provinciæ nostræ comites, barones per se vel per alios, dictis judæis dignitates, officia publica & privata, de cætero regenda committant; cum valde sit indecens filium liberę filio ancillæ subesse debere, & famulari, quod si quæ jam commissa sunt, infra XV. dies post publicationem præsentium revocentur, quæ & nos præsenti concilio revocamus. Insuper nullus Judæus nostræ provinciæ christianos, masculum vel feminam in domibus suis in servitio teneat vel extra, vel in menta, nec in stupa. Inhibemus etiam Christifidelibus universis nostræ provinciæ, ne aliquo tempore infirmantes, seu sani, Judæos medicos ad se advocent, nec medicamina, vel consilia quovis modo ab eis recipiant, contrarium facientes per locorum ordinarios volumus excommunicari, & qui in illa infirmitate decesserint, nisi digne pœnituerint, ecclesiastica careant sepultura.

XXXIV. *De hæreticis & schismaticis.*

Universos canones & statuta prout a sancta matre ecclesia sunt edita, Spiritu sancto docente, qui universum corpus ecclesiæ suo statu regit & vivificat, observare tenemur. Quapropter hujus sacri concilii approbatione tanquam veræ fidei Zelatores præcipimus, & mandamus in omnibus suis capitulis & articulis, ea districtius omni metu ac potentum terrore cessante observari, & potissime per coepiscopos & confratres nostros, eorumque vicarios in spiritualibus ad quos hoc principaliter pertinet, ut ipsi diligenti studio, sollicita cura & toto conatu invigilent, ut hæretici & schismatici in suis civitatibus & diœcesibus reperti penitus exterminentur, frequenter scrutinium contra eos observent, eis debitas pœnas infligendo, & si opus est, pro executione ultimata brachio ad hoc sæculari invocato.

XXXV.

ANNO CHRISTI 1370.

XXXV. *De maleficiis.*

Cum veteri testamento omne genus aruspicum maleficii & incantationis sub pœna corporis fuit prohibitum & interdictum. Unde omnes augurium facientes, masculos & feminas, phytones & phytonissas, maleficos, incantatores præsenti statuto, approbante sacro concilio excommunicamus, & volumus eos ad nos remitti absolvendos, inhibentes sub interminatione divini judicii, ne quis religiosus, curatus, vel sacerdos aliquos in ista causa absolvere præsumat. Si autem tales reperti fuerint, & vere non simulate ad gremium sanctæ matris ecclesiæ redire voluerint, signa pœnitentiæ edentes, B absolutione obtenta per Diœcesanum aut vicarium in spiritualibus, quibus reservata est, nihilominus quia Deum creatorem temptantes sponte idololatriam commiserunt, volumus ut IV. diebus Dominicis nudi pedibus, cum processio fit per cœmeterium, crucem & vexilla antecedant, caputio abjecto: processione finita ante fores ecclesiæ maneant, & post omnes introeant, accedentes chorum illic sic stantes, nudis pedibus non longe retro presbyterum sine caputio cingulum gerentes in collo, totam missam in signum veræ pœnitentiæ audiant.

XXXVI. *De apostatis.*

Contigit aliquoties quod nonnulli clerici vinculo excommunicationis adstricti, vel profani, vel aliter ad divinorum celebrationem indigni, e diœcesi, in qua de his habetur notitia, fugientes, ad diœcesim aliam se transferant fraudulenter, ut sic debitas suorum excessuum pœnas evitent, & divinis se ibidem ingerunt officiis. Cum itaque malevolis non sit indulgendum, præcipimus, ut executor in ea diœcesi, in qua prædicti præsumptores se receperunt, eos per suas litteras denuntiare teneatur, ut Episcopi tales excommunicatos faciant ab omnibus cautius evitandos.

XXXVII. *De raptoribus & clericorum occisoribus.*

Considerantes quod clericorum quorumcumque, præcipue in dignitate constitutorum sive religiosi fuerint, sive seculares, occisoribus seu mutilatoribus, tanti criminis attenta enormitate nondum sit sufficiens pœna per constitutiones prædecessorum nostrorum & nostras, inflicta: sacro hoc approbante concilio præsenti statuto ordinamus & adjicimus, quod ultra alias pœnas, emendas & satisfactiones, prædicti occisores & mutilatores & eorum quilibet, debet tribus diebus dominicis se continue sequentibus, nudatis pedibus & corpore, femoralia dumtaxat habens, in ecclesia cathedrali civitatis & diœcesis illius, in qua clericum occidit vel mutilavit, stare, & sic nudus & discalceatus deferens totam in dorso, & virgam in qualibet manu processionem antecedere, donec circuitu facto sancta processio ecclesiam ingreditur, & ante illam januam, per quam processio ingreditur, subsistet, & duobus ultimis Prælatis vel Canonicis in processione, cuilibet unam virgam præsentabit ad manus, & in signum veræ pœnitentiæ petet se ab eis emendari, qui virgis receptis ipsum pro qualibet vice emendabunt. Nolumus etiam emendam per quemquam debere remitti, nec prædictos facinorosos ad communionem Christi fidelium recipi & admitti, nisi emendam præscriptam in forma sua observaverint, ultra alias emendas & pœnitentias prædictis injunctas a lege vel canonibus. Et hujusmodi constitutionem volumus districtius observari per illos, qui proprios cappellanos, plebanos, seu curatos occidunt vel mutilant, vulnerant, captivant vel detinent captivatos & similiter per vassallos & omnes subditos ecclesiarum & monasteriorum in præmissis delinquentes.

ANNO CHRISTI 1370.

XXXVIII. *De usuris.*

Contra usurarios juxta statutum Lateranensis concilii procedatur, ut si notorius fuerit ipsorum excessus, sine dictinctione qualibet, ecclesiastica carent sepultura. Si quis autem tales sepelire præsumpserit, suis beneficiis spolietur. Excommunicationis sententia singulis diebus Dominicis & solemnibus proferatur in omnes, quicumque usuras de cætero præsumpserint. Hoc priori concilio adjungentes, ut si notorii usurarii demum in ægritudine constituti, absolvi desiderent, nullatenus audiantur, nisi primitus satisfaciant, in quantum possibile fuerit, de usuris.

XXXIX. *De excessibus privilegiatorum.*

C

Ex multorum subditorum nostrorum querelis recepimus, quæ & ipsi quidem dolenter referimus, & experientia didicimus evidenti, quod mendicantium ordinum fratres, suæ institutionis & professionis facti immemores, soli incedere in campis, in civitatibus & in villis, nunc pedestres, nunc in equis, nunc in curribus, aliquando sine habitu, aliquando habitum suæ professionis deferentes, præsumunt, & curatis nostræ provinciæ, quibus deputati terminarii ad supportandum cum eis eorum onera, eorumque subditis facti sint in gravamen: & cum solum in adventu Domini usque ad diem circumcisionis inclusive, & per quadragesimam D usque ad octavam Paschæ, & per festa Pentecostes deberent in locis, ubi terminarii deputati sunt, requisiti & licentiati per curatos in verbo Dei proponendos, & audiendis confessionibus præstare subsidium, suis sanctis moribus populum ad salutis perfectionem incitare; nunc vero privilegiis eis concessis præsumptuose ab ecclesia universali abeuntes, se per totum annum in locis, in quibus terminarii deputati sunt, & in domibus soli cum mulieribus, quas ipsorum *Martbas*, ut eorum verbis utamur, habitare non verentur: ex quibus scandala plurima oriuntur in populo; nunc medicorum officium exercentes, nunc se artifices in diversis artibus mentientes victum per tales abusus quærentes, & quod deterius est in stuffis communibus inter populares balneari non verentur. Unde sacro approbante concilio, præsenti statuto ordinamus: ne quis mendicantium ordinum frater de cætero præsumat solus, etiam in habitu suæ professionis, per quævis loca nostræ provinciæ incedere, vel morari in locis, & domibus, ubi sunt terminarii deputati, ultra tempora præscripta; nec ea exercere, quæ suæ religioni non conveniunt. Contrarium facientes volumus per curatos, in quorum parochiis sunt deputati, ad suos superiores ad manendum in suis claustris remitti, & de cætero

eos

ANNO CHRISTI 1370.

cos pro terminariis minime sustineri. Si autem prædictorum ordinum mendicantium fratribus, sic solis repertis, vel in stufis communibus balneantibus, injuria facta fuerit; volumus eis per executores statutorum nostrorum nostræ provinciæ minime subveniri, nec ipsos ad prædicandum verbum Dei in ecclesiis nostræ provinciæ minime subveniri, nec ipsos ad prædicandum verbum Dei in ecclesiis nostræ provinciæ, vel ad audiendum confessiones, vel ad petendum caritativa subsidia a populo nostræ provinciæ per plebanos & curatos amplius admitti.

Præterea sacri huius concilii auctoritate sub pœna excommunicationis jam latæ sententiæ, mandamus omnibus religiosis, ne subditos plebanorum maxime autem Begghardos, Begginas & inclusos, aut alias ejusmodi personas communicent corpore Domini, aut alia porrigant ecclesiastica sacramenta parvulis & adultis, hoc etiam sub eadem pœna religiosis omnibus firmiter inhibentes; ut cum processiones & solemnes stationes fiunt, quas observat ecclesia generalis, ne populum abstrahant ab eisdem: prædicationes tunc ipsis instaurando: immo in prædicationibus sedulo proponant, quod totaliter tenentur interesse festivitatibus, & quod peccant se ab hujusmodi abstrahendo, & populo exponant quod matricem ecclesiam in præcipuis festivitatibus tenentur accedere, ipsique tunc abstineant ab omnibus allectivis, quibus attrahi posset populus, quominus ad solemnitatem veniat. Interdicimus etiam omnibus religiosis mendicantibus, ne ipsi præsumant facere novas adinventiones in processionibus & aliis, nec diebus Dominicis, aut festivis circuitus faciant per ambitum, & cœmeteria, nisi diebus dedicationum suarum ecclesiarum. Requirimus igitur omnes coepiscopos nostræ provinciæ, ut diligenti cura invigilent, ut mendicantium ordinum fratres in præmissis culpabiles reperti, de tanto temeritatis excessu satisfacere, per districtionem ecclesiasticam compellantur. Executore statutorum hoc efficiente.

XL. *De verborum significatione.*

Parum esset malitiis hominum occurrere per novorum statutorum sanctiones, nisi quilibet ad ipsorum observantiam, prout sui status concernit decorem, justo modo compellatur. Sacro igitur approbante concilio statuentes ordinamus, quod licet status provincialia præsentis opusculi sint ab omnibus subditis nostræ provinciæ debita reverentia, & observantia amplectenda; tamen non omnibus omnia videntur præscripta, sed aliqua Prælatis, aliqua Canonicis secularibus, aliqua curatis & plebanis, aliqua vero Religiosis utriusque sexus. Quapropter volumus & præcipimus ut plebani & curati statuta præsentis opusculi habeant, & frequenter perlegant, & præsertim quæ eis specialiter injunguntur, memoriæ commendent, ne pœnas ipsorum incurrant. Insuper monachi, & ipsorum prælati, & quicumque regulares statuta ipsos concernentia, & per quæ status suæ professionis in decore conservatur, volumus singulis septimanis feria VI. ipsis congregatis in unum, lectione diligenti recitari, & istum modum per præpositos sanctimonialium volumus diligenter observari.

Regula juris.

Omne statutum præsentis opusculi aut continet mandatum aut consilium.

Statutum continens mandatum aut præceptum obligat omnes subditos nostræ provinciæ, quibus dirigitur sub pœna peccati.

Statutum continens consilium licet transgressor pœnam non meretur, tamen personis prodest ipsum adimplendo.

Sicut diversi sunt status hominum nostræ provinciæ, ita oportunum fuit diversa statuta edere, quibus mali retrahantur a noxiis, & boni dirigantur vel instruantur ad opera virtutis.

Omne statutum præsentis nostri opusculi continens præceptum sive affirmativum sive negativum ligat & constringit subditos nostræ provinciæ, quibus dirigitur secundum suam limitationem & adjectas conditiones.

Sanctorum Patrum regulis & statutis, quilibet Christianus regatur in vita verbis & factis, ut sciat & faciat quod acceptum est omnipotenti Deo, qui vivit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

CONCILIUM NARBONENSE.

ANNO CHRISTI 1374. Ex Collectii Append. Tomo. XI.

A Petro archiepiscopo cum suffraganeis & aliis celebratum, die XV. April. anno Domini M. CCC. LXXIV.

Illustrissimi Bosquet Monspeliensis episcopi beneficentia, qui nobis hujus concilii copiam faciebat, Baluziana editio auctaverit.

INDICTIO CONCILII.

Petrus miseratione Divina sanctæ primæ sedis Narbonensis archiepiscopus & primas, venerabili fratri A. eadem gratia Electensi episcopo suffraganeo nostro, vel ejus vicariis generalibus in ipsius absentia, salutem & sinceram in domino caritatem.

INter assiduas curas & sollicitudines, quæ ministerio nostro incumbunt, de salubri statu ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum piorum locorum, nostrarum civitatis, diœcesis, ac provinciæ, necnon & gregis Dominici nobis commissi, sollicite cogitare nos convenit, ut in ipsis vigeat tranquillis beatitudo quietis, pacisque, salutis, & libertatis gratia nutriatur: & quæ in eisdem, non absque dispendio ministrorum, & cultus detrimento Divini, servari novimus, per appositionem congrui moderaminis in melius reformemus. Et tandem * officii nostri debitum, in actibus dirigendis verita-

* f. Et secundum officii de

ANNO CHRISTI 1374.

vitatem imitantes, lucem amantes, libenter evitare nodosa ambiguitatis volucrum * anhelamus: illamque semper in nostris ordinationibus servare cautelam intendimus, ut de ipsis proveniat commodum, adeo quod aliis non inveniant detrimentum.

* f. involucrum.

Cum igitur pro observatione sacrorum canonum, corrigendis excessibus, & reformatione vitæ & morum cleri & populi, ac quibusdam aliis arduis negotiis, civitatem, diœcesim, & provinciam, nostras, necnon & libertatem ecclesiasticam tangentibus, super quibus ad debitam provisionem una vobiscum & aliis suffraganeis nostris intendimus, concedente Altissimo, interponere sollicitudinis nostræ partes, præsertim cum tangatur communiter status ecclesiarum & monasteriorum, aliorumque piorum locorum, nostrarum civitatis, diœcesis, ac provinciæ prædictarum, provinciale concilium ordinavimus & determinavimus convocandum, videlicet die xv. mensis Aprilis proxime futuri, apud civitatem nostram, in ecclesia sancta nostra metropolitana, scientes quod super hoc sumus per sanctissimum in in Christo patrem ac dominum nostrum summum pontificem, dominum Gregorium papam XI. per suas apostolicas & patentes litteras exhortati, immo ab eodem mandatum habuimus speciale & expressum. Eapropter vos tenore præsentium monemus, & etiam exhortamur, ut una nobiscum die & loco prædictis, in dicto provinciali concilio, Deo prævio, celebrando, ad quod præfatos diem & locum, cum diebus sequentibus, quos ad hoc continuare vel prorogare contigerit, vobis præcise & peremptorie assignamus, personaliter comparere curetis: vosque ad id præsentium tenore citamus. Mandantes vobis insuper, quatenus interim citetis & peremptorie, auctoritate nostra, & tempore congruo, omnes & singulos abbates, præpositos, decanos, archidiaconos, archipresbyteros, & priores ecclesiarum regularium & sæcularium, ac etiam administratores, procuratores, & negotiorum gestores aliorum piorum locorum, necnon alias personas ecclesiasticas regulares & sæculares, cujuscumque status, ordinis, religionis, & conditionis existant, qui debent & consueverunt in conciliis interesse de usu, consuetudine, vel de jure, ut personaliter; capitula vero, & collegia, & conventus vestrarum civitatis & diœcesis, per procuratores, syndicos, seu œconomos idoneos, ad hoc legitime & specialiter constitutos cum sufficientia & speciali mandato, in ipso provinciali concilio compareant dicta die: inibi continue moraturi, donec ea quæ in dicto concilio tractanda fuerint, ad honorem Dei, provisionem ecclesiarum & monasteriorum, profectum animarum, & utilitatem subditorum provinciæ antedictæ, per dicti concilii providentiam, finem debitum sortiantur. Et ne ipsi seu alii quicumque, quos præsens tangit seu tangere potest negotium, ignorantiam quovis modo valeat prætendere de præmissis: præsentes nostras litteras, seu earum transumptum in forma publica conscriptum, in vestra ecclesia, & alibi ubi expediens vobis videbitur, interim sæpius & frequenter publicare & denunciare curetis. Præcipientes vobis ulterius, & auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa, ut ante dictum concilium, synodum vestram loco & tempore debitis & honestis celebretis, ad honorem Dei & ecclesiæ suæ sanctæ: in qua de agendis in dicto concilio, super corrigendis excessibus, supplendis defectibus, ac utilitatibus ecclesiasticis promovendis, & aliis necessariis, prout expediens vobis visum fuerit, deliberare & tractare debite valeatis.

ANNO CHRISTI 1374.

Ut autem superfluitatum & pomporum insanium jactantiam præcludamus: vobis tenore præsentium inhibemus, sub virtute sanctæ obedientiæ injungentes, ne ultra decem equitaturas, & duos saumerios sive gerulos, pro vobis & vestra familia adducatis, cum ad dictum provinciale concilium venietis; abbatibus vestræ diœcesis injungentes ex parte sedis apostolicæ atque nostra, quod ultra quinque equitaturas ad plus, unum saumerium seu gerulum, secum adducere non præsumant: cæteri vero qui venire tenentur, cum paucis & moderatis expensis veniant: si vos, & abbates prædicti, & etiam alii, reprehensionis nostræ aculeos de inobedientia volueritis evitare. Reddentes præsentes litteras portitori præsentium sigillo vestro impendenti sigillatas in signum receptionis earum.

De omnibus vero & singulis præsentationibus, publicationibus, atque citationibus, quas fieri facietis, volumus quod faciatis recipi, & ex causa, unum vel plura publica instrumenta.

Datum sub sigillo nostro impendenti & signeto, in castro nostro de Montillis, die prima mensis Februarii, anno nativitatis Christi M. CCC. LXXIV.

Eodem modo scriptum est P. episcopo Elnensi & cæteris suffraganeis.

In eumdem modum scriptum est capitulo ecclesiæ Narbonensis, capitulo ecclesiæ Magalonensis, capitulo ecclesiæ Elnensis, capitulo ecclesiæ Nemausensis, capitulo ecclesiæ Carcassonensis, archipresbyteris, & rectoribus, ac hospitalibus pauperum civitatis & diœcesis Narbonensis, & exemptis provinciæ Narbonensis.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

CONSTITUTIONES PROVINCIALES

editæ in concilio provinciali celebrato per reverendissimum in Christo patrem & dominum, dominum Petrum miseratione Divina sanctæ primæ sedis Narbonensis archiepiscopum & primatem, cum suis suffraganeis, suoque Narbonensi & aliarum ecclesiarum cathedralium capitulis, abbatibus, collegiis, & aliis personis ecclesiasticis, præsentibus, etiam exemptis totius provinciæ vocatis & legitime citatis secundum bullas apostolicas, prout infra, aut eorum procuratoribus legitimis, die xv. mensis Aprilis, cum x. diebus sequentibus & continuis; anno Domini M. CCC. LXXIV. Indictione duodecima, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Gregorii, Divina providentia papæ XI. anno quarto, in ecclesia sancta sua Narbonensi.

CO-

ANNO CHRISTI 1374.

COPIA PRIMÆ BULLÆ

Super concilio provinciali celebrando.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Narbonensi, salutem & apostolicam benedictionem.

LIcet pro observatione sacrorum canonum, corrigendis excessibus, & reformatione morum, præsertim cleri, sit a sanctis patribus institutum quod metropolitani cum suis suffraganeis non omittant provincialia concilia celebrare: quia tamen celebratio hujusmodi fere ubique terrarum, quod dolenter referimus, longis temporibus est negligenter omissa, propter quod idem clerus ab honestate sui primævi status non modicum excidit, multipliciterque in devium declinavit: nos de opportuna reformatione illius cogitantes, non videmus quod hujusmodi reformatio possit citius & efficacius fieri, quam per novas celebrationes conciliorum provincialium prædictorum: ut super observatione antiquorum institutorum, novisque casibus in clero sæpius evenientibus manifestis, in eisdem conciliis opportuna remedia præbeantur. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus provinciale concilium tuæ provinciæ, in quo conveniant tecum suffraganei tui, & alii ecclesiarum & monasteriorum prælati dictæ provinciæ, ad id soliti convocari, infra sex mensium spatium, post præsentationem præsentium tibi seu publice apud ecclesiam tuam factam, studeas in ipsa ecclesia tua, vel alibi infra dictam provinciam, celebrare, ubi per te ac eosdem suffraganeos, de iis quæ erunt ad laudem Dei, ac pro reformatione vitæ & morum cleri & populi, necnon pro necessitatibus & commodis ecclesiarum, aliorumque piorum locorum, provida examinatione tractetur & etiam statuatur, prout tu & idem suffraganei videritis expedire: ad apostolicam sedem pro ejus auctoritate ac favoribus, ubi opportunum fuerit, recursuri. Et ut dicti suffraganei venientes ad hujusmodi concilium, de agendis in eo sint plenius informati: volumus, quod eis mandes ex parte nostra, quod ante ipsum concilium studeant tuas synodos celebrare, in eis super corrigendis excessibus, supplendis defectibus, ac promovendis utilitatibus ecclesiasticis, plenius tractaturi. Secuturis vero annis hujusmodi concilium convoces & celebres, prout in sacris canonibus est statutum. Nobis de convocatione & celebratione hujusmodi, cum eos feceris, ut sciamus si hujusmodi mandato nostro parueris, rescripturus.

An. Ch. 1373. Datum Avinioni II. Kal. Julii, pontificatus nostri anno tertio.

COPIA SECUNDÆ BULLÆ

Ut venire compellantur exempti ad concilium provinciale.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Narbonensi, salutem & apostolicam benedictionem.

DUdum tibi scripsisse recolimus, ut pro observatione sacrorum canonum & moribus reformandis, provinciale concilium tuæ provinciæ celebrare deberes. Attendentes itaque statui dictæ provinciæ expedire, ut ad dictum concilium etiam exempti ipsius convocentur, fraternitati tuæ convocandi auctoritate nostra ad dictum concilium, hac vice duntaxat, omnes & singulos prælatos exemptos ecclesiarum & monasteriorum omnium ejusdem provinciæ, cujuscumque dignitatis, status, & ordinis existant, dilectis filiis abbatibus, prioribus, & prælatis aliis Cistercienſis & Carthusiensis ordinum, duntaxat exceptis, contradictores quoque auctoritate prædicta, appellatione postposita compescendi, non obstantibus exemptionibus, & quibuslibet aliis privilegiis & litteris apostolicis, ac statutis & consuetudinibus monasteriorum & aliorum ordinum quorumcumque contrariis, juramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, etiamsi de eis eorumque totis tenoribus plena & expressa esset in præsentibus mentio facienda, aut si eisdem prælatis, vel alicui seu aliquibus ipsorum, a sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu extra vel ultra certa loca ad concilia hujusmodi evocari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam de indulto hujusmodi mentionem, plenam & liberam concedimus tenore præsentium facultatem.

Datum Avinioni XVI. Kal. Januarii, pontificatus nostri anno tertio. An. Ch. 1, 74

COPIA BULLÆ TERTIÆ.

Quod exempti, etiam ordinis Cistercienſis, ad concilium nostrum provinciale venire compellantur.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Petro archiepiscopo Narbonensi, salutem & apostolicam benedictionem.

CUm tu una cum venerabilibus fratribus nostris tuis suffraganeis, ac aliis prælatis & personis ecclesiasticis tuarum civitatis, diœcesis, & provinciæ Narbonensis, tibi & eisdem suffraganeis subjectis, concilium provinciale de speciali mandato nostro, prout jam incepisti, debeas celebrare, & in hujusmodi concilio de utilitate & bono communi exemptorum, sicut de aliis, tractare debeas & etiam ordinare: nos de circumspectione tua plurimum in Domino confidentes, convocandi ad hujusmodi concilium quoscumque prælatos, & alias personas ecclesiasticas, sæculares & regulares, etiam Cistercienſis ordinis, exemptas, civitatis & diœcesis ac provinciæ prædictarum, ipsosque ad veniendum ad concilium ipsum per censuram ecclesiasticam compellendi, exemptionibus, privilegiis, ac litteris apostolicis, ipsis, aut eorum locis sive ordinibus a sede apostolica vel alias qualitercumque concessis, etiamsi de ipsis, & totis eorum tenoribus esset præsentibus specialis & expressa mentio facienda, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque, fraternitati tuæ auctoritate apostolica plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem. Per hoc autem ipsis prælatis & aliis personis exemptis, eorum exemptionibus & privilegiis nullum alias volumus præjudicium generari.

Datum Sallonii Arelatensis diœcesis, XV. Kal. Julii, pontificatus nostri anno quarto. An. Ch. 1374.

C. O.

ANNO CHRISTI 1374.

COPIA LITTERÆ CLAUSÆ

Missa per dominum nostrum papam super concilio provinciali.

Quod exempti omnino venire teneantur & etiam interesse.

Venerabili fratri nostro Petro archiepiscopo Narbonensi Gregorius &c.

VEnerabilis frater, vidimus &c. Quantum autem ad congregandum provinciale concilium, de quo tuis in scriptionibus subjungebas: placet nobis & quod ad illud exempti B quicumque de dicta tua provincia venire & interesse debeant, legitimo impedimento cessante: super quo tibi fieri jussimus litteras opportunas. Quævis tuæ fraternitatis beneplacita semper nobis notificans confidenter.

Datum Avinioni, die XVI. Decembris.

TITULI CANONUM.

1. *De episcopis, qualem procuratorem ad concilium mittere debeant, si juste fuerint præpediti.*
2. *De janitoribus concilii, ubi debeant permanere.*
3. *Qualiter supplicans concilio exire debeat, quousque vocetur.*
4. *Qualiter abbates subditi, vocati ad synodum, venire teneantur.*
5. *Ut falsi & ficti, qui se asserunt apostolos, evitentur.*
6. *Qualiter ad requisitionem ordinariorum, excommunicati debeant in aliis diœcesibus publicari.*
7. *Baillivia, & scribania ad prælatos spectantes, ad voluntatem non ad vitam conferantur.*
8. *Ne quis bona quæcumque in ædem sacram deposita, sub banno deponere, seu alias intromittere se præsumat.*
9. *Prælati, in vita vel in morte, ecclesiæ cui præsunt, vel præfuerint, certam cappellam relinquant, ad summam designatam.*
10. *Quam portionem curati ecclesiarum habere debeant in deposito funere, quousque in electa sepultura tumuletur.*
11. *De pœna inflicta personis capientibus vel detinentibus clericos, libere non restituentibus eosdem.*
12. *Pœna impedientium episcopum & suos, quin de causis ad forum ecclesiasticum quovis modo spectantibus cognoscat, & super ipsis informationes in quacumque parte diœcesis faciat.*
13. *Ut clerici negotiationes illicitas non exerceant.*
14. *Ut beneficiati animarum curam habentes, Missas celebrare teneantur.*
15. *De blasphematoribus.*
16. *Pœna contra non revelantes blasphematores Dei, beatæ Virginis, & sanctorum, infra XV. dies.*
17. *Pœna contra usurpantes, invadentes, & detinentes bona & jura ecclesiastica, & personarum ecclesiasticarum.*
18. *Licitum sit presbytero, cuicumque sacerdoti idoneo, etiam curam animarum non habenti, confiteri.*
19. *De indulgentiis concessis corpus Christi associantibus cum infirmis portatur.*
20. *Qui nuncios curiarum nostrarum ecclesiasticarum impediunt, quo minus mandata curiæ libere exequantur, gravissime puniantur.*
21. *Contra diffidantes personas ecclesiasticas & earum bona, sive guerram eisdem hostiliter facientes.*
22. *Clandestinum matrimonium extra diœcesim contrahentes sine licentia rectoris parochialis ecclesiæ, excommunicentur, & alias extraordinarie puniantur.*
23. *Quod quæstores quicumque, sine litteris ordinariorum minime recipiantur, nec ad prædicandum admittantur.*
24. *De eligendis personis idoneis ad audiendam rationem de pecuniis receptis a clero.*
25. *Quod puniantur facientes donationes in fraudem laicorum.*
26. *Ut nullus excommunicatum seu interdictum aliquem ad sepulturam admittat.*
27. *Indulgentia orantibus pro domino nostro papa & rege concessa.*
28. *Confirmatio constitutionum a prædecessoribus nostris editarum.*

PRÆFATIO.

INter cunctas sollicitudines, quæ insident cordi nostro, pastorale officium nos astringit, C ut super gregem Dominicum superna dispositione specialiter nobis commissum, illam quæ ars est artium habeamus præcipuam, videlicet curam & regimen animarum: ne illum lupus rapax, serpens antiquus, humani generis inimicus invadat; ejusque sanguis, quod absit, de nostris manibus exquiratur. Quantum enim nobis ex alto permittitur, debemus virtutes inserere, pacem quærere, scandala evitare, jurgiorum materiam amputare, juraque illibata servare, & intelligere super egenum & pauperem: quia oblivio eorum non erit & patientia pauperum non peribit in finem. Voluntarios siquidem labores amplectimur, curis sollicitamur continuis, & assidua meditatione pensamus, D ut juxta creditæ nobis dispensationis officium, subditorum commodis, in quorum prosperitate utique lætamur, jugi, quantum est nobis possibilis, sollicitudinis studio intendamus: ut in extremo & tremendo examine, ante tribunal æterni judicis Jesu Christi filii Dei duplicatum talentum & creditum reportemus, & ad regnum Patris ejus, cum benedictis & grege nobis commisso, pervenire feliciter valeamus.

Igitur nos Petrus miseratione Divina sanctæ primæ sedis Narbonensis archiepiscopus & primas, Sicardus Biterrensis, Petrus Carcassonensis, Joannes sancti Poncii Tomerarium, Arnaldus Electensis, & Hugo Agathensis, episcopi E præsentes, & procuratores venerabilium fratrum nostrorum absentium Petri Magalonensis, Bernardi Uticensis, Joannis Lodovensis, Petri Elnensis, & Joannis Nemausensis, episcoporum, cum venerabili capitulo nostro Narbonensi, in ipsa sancta nostra metropolitana Narbonensi ecclesia provinciale concilium, ut juris & moris est, & antiqui patres statuerunt & sanxerunt, celebrantes, cum procuratoribus aliorum etiam venerabilium capitulorum nostrorum absentium, abbatibus, capitulis, prioribus, collegiis, & aliis plurimis personis ecclesiasticis, exemptis & non exemptis, etiam mendicantibus,

ANNO CHRISTI 1374.

bus, & aliorum ordinum quorumcumque nostræ Narbonensis provinciæ, ad hæc invitatis, vocatis, & legitime citatis, tam auctoritate apostolica, quam nostra metropolitana, constitutiones nostras intra scriptas pro subditorum nostrorum salute animarum, & profectu & quiete ecclesiasticæ libertatis, de ejusdem concilii unanimi consilio & assensu, ad laudem, honorem, & gloriam Divini nominis, facimus, ordinamus, promulgamus, & ducimus promulgandas: quæ, & contenta in eis, per omnes subditos nostros, & alios quoscumque in iurisdictione nostra, & cujuslibet civitatis & diœcesis provinciæ nostræ Narbonensis, habitantes vel existentes, nunc & in perpetuum teneri volumus irrefragabiliter & servari.

CANONES.

I. *De episcopis, qualem procuratorem ad concilium mittere debeant, si juste fuerint præpediti.*

Pres. 11. Ut in Conc. Vaurensi can. 3.

CUm, testante Sapientis sententia, *salus sit ubi multa consilia*, & copiam sani consilii nequaquam coartari expedit, sed extendi: idcirco sub virtute sanctæ obedientiæ episcopis suffraganeis nostris injungimus, ut cum venire * ad ipsa concilia, fuerint legitime impediti quo minus ad ea personaliter venire possint, procuratores speciales viros discretos & habiles destinare procurent. Et idem faciant alii, qui ad dicta concilia consueverunt, debent, & possunt evocari.

* *f.* vocati

II. *De janitoribus concilii, ubi debeant permanere.*

Ut in Conc. Vaurensi can. 4.

Item statuimus, quod quandocumque provinciale concilium intra nostram provinciam celebrari contigerit, janitor aut quisvis alius officialis, cujus præsentia in concilio memorato nequaquam necessaria seu opportuna existit, extra januam maneat: qui per prælidentem eidem concilio deputetur.

III. *Qualiter supplicans concilio exire debeat quousque vocetur.*

Ut in Conc. Vaur. c. 5.

Item si contingat aliquem prælatum, vel canonicum alicujusvis metropolitanæ, cathedralis, aut collegiatæ, ecclesiarum de dicta provincia, seu alium quemcumque, circa negotium aliquod nobis supplicare vel requirere: idem supplicans vel requirens, supplicatione vel requisitione sua proposita, recedere ac de concilio exire teneatur, dum concilium super petitione hujusmodi discutiet atque deliberabit.

IV. *Qualiter abbates subditi vocati ad synodum venire teneantur.*

Ut in Conc. Vaur. c. 1.

Cum non passim quicumque sint admittendi vel deputandi ad ardua, sed industria in talibus sit diligentius exquirenda: præsenti auctoritate concilii duximus statuendum, ut episcopi, abbates eis subjectos, ad synodos suas per censuram ecclesiasticam venire compellant. Vel si forsan legitimo impedimento detenti fuerint, quo minus personaliter ad illas acedere possint: procuratores destineant speciales, expertos, idoneos, & discretos, & de ipsorum ordinibus, si ibi sufficientes existant, cum patentibus & apertis litteris eorumdem.

V. *Ut falsi & ficti, qui se asserunt apostolos, evitentur.*

Ut in Conc. Vaur. c. 24.

Cum quidam, qui se dicunt apostolos, & religiosos se fingunt, extiterint suis exigentibus demeritis per sanctam sedem apostolicam excommunicationis vinculo innodati; & post, dum per orbem incedunt vagabundi, in multis malis fuerint deprehensi, sintque periculosi homines circa fidem; volumus, & etiam ordinamus, quod ubicumque intra nostram provinciam inventi fuerint, capiantur, & diœcesanis, in quorum diœcesibus capientur, remittantur examinandi, corrigendi, & etiam puniendi, ut juris fuerit & etiam rationis.

VI. *Qualiter ad requisitionem ordinariorum, excommunicati debeant in aliis diœcesibus publicari.*

Ut in Conc. Vaur. c. 31.

Item statuimus, quod ex quo per episcopum, vicarium, seu ejus officialem, aut alium per eos seu eorum alterum deputatum, contra aliquem vel aliquos, excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententia fuerit promulgata & publicata; & exinde exigente rebellione ac inobedientiæ duritia per decem dies, extiterit solemniter & publice aggravata: licitum sit eisdem, & ipsorum cuilibet, hujusmodi auctoritate concilii, cæteros episcopos & prælatos, vicarios & officiales eorumdem, requirere, ut ipsius sententias, quarum tenores & clausas declarent in scriptis, in suis districtibus & diœcesibus servent, & faciant diebus ad hoc congruentibus publicari. Et præ-

ANNO CHRISTI 1374

prælati, vicarii, & officiales alii, superiores per hoc requisiti, obtemperare teneantur.

VII. *Baillivie & scribanie ad prælatos spectantes, ad voluntatem, non ad vitam, conferantur.*

Ut in Conc. Vaur. c. 57.

Statuimus quod nullus nostrum, nec prælatus quisvis alius, seu capitulum vel conventus alicujus ecclesiæ cathedralis vel collegialis, provinciæ nostræ, vel aliqua alia singularis persona, etiam de ipso capitulo, vel collegio, seu conventu, baillivias, scribanias, seu alia beneficia ad nos seu dignitates, vel beneficia nostra, vel aliarum personarum ecclesiasticarum, spectantia, possit de cætero alicui personæ concedere ad ejus vitam, sed ad beneplacitum dumtaxat concedentis, vel concedentium eorumdem. Concessio vero in contrarium facta, nullius valoris existat.

VIII. *Ne quis bona quæcumque in ædem sacram deposita sub banno deponere, seu alias intromittere se præsumat.*

Ut in Conc. Vaur. c. 59.

Item universos & singulos dominos temporales, senescallos, officiarios, judices, & alios quoscumque, cujuscumque status, præeminentiæ, vel dignitatis existant, qui bona apud ædes sacras deposita vel reposita receperint, arrestaverint, saisiverint, vel occupaverint, seu banniverint, & qui scienter recipi, arrestari, & saisiri mandaverint, & qui scienter talia occupata, saisita, seu arrestata receperint, & qui in prædictis scienter dederint publice vel occulte consilium, auxilium, vel favorem, auctoritate præsentis concilii excommunicamus, & excommunicatos ex nunc, ut ex tunc, haberi volumus ipso facto, & excommunicatos præcipimus publice nunciari.

IX. *Prælati in vita vel in morte, ecclesiæ cui præsunt, vel præfuerint, certam cappellam relinquant ad summam designatam.*

Ut in Conc. Vaur. can. 61.

Cum ob honorem Dei & cultus Divini, ecclesiæ, maxime cathedrales, pulchris pollere debeant ornamentis: idcirco sacro approbante concilio statuimus, quod quilibet nostrum, scilicet nos archiepiscopus & episcopi suffraganei nostri, in vita unam cappellam integram de pulchris pannis nobilibus, ecclesiæ cathedrali, cui præfuerint vel præsunt, conferre & dare, vel centum florenos auri pro eadem emenda relinquere, teneantur: & ad hoc sint ejus bona quæcumque obligata.

X. *Quam portionem curati ecclesiarum habere debeant in deposito funere, quousque in electa sepultura tumulentur.*

Ut in Conc. Vaur. c. 65.

Desiderabiliter affectantes, ut parochiales ecclesiæ, quæ maternos imitantur affectus, piis in Domino suorum defunctorum parochialibus juribus non priventur: declarando statuimus, quod per illos, apud quorum ecclesias seu cœmeteria, defunctos ipsos extra loca obitus transferendos deponi continget, de funeralibus & legatis eisdem parochialibus ecclesiis respondeatur, ac si in ipsis in quibus corpus est depositum sepulturam perpetuam elegissent.

XI. *De pœna inflicta personis capientibus vel detinentibus clericos, libere non restituentibus eosdem.*

Cum de jure dubium non existat, quin capientes & detinentes clericos, & mandantes capi absque licentia sui judicis ecclesiastici, sint eo ipso majori excommunicatione ligati; & mandantes seu detinentes hujusmodi, peccato peccatum accumulent, cum ipsos captos relaxant, suo judici ecclesiastico remissione non facta: volente peccata hujusmodi cohibere, & indemnitati libertatis ecclesiasticæ & jurisdictionis ecclesiæ providere, inhærentes vestigiis & statutis antiquis prædecessorum nostrorum, & statuta eorum renovantes, volumus & statuimus, quod si dominus temporalis, aut quivis alius jurisdictionem temporalem exercens, requisitus per curatum ecclesiæ, in cujus parochia clericus capietur, vel etiam detinebitur, seu per alium ecclesiastici judicis nomine, libere, nulla facta financia seu compositione, & nil in persona vel habitu hujusmodi clerici immutato, clericum ipsum in habitu & tonsura clericali existentem non restituerit judici ecclesiastico, seu deputato ab eo, ex tunc, absque alterius expectatione mandati, cessetur a Divinis in parochia, in qua hujusmodi clericus capietur, & etiam in qua captus detinebitur: tamdiu & quousque idem clericus plene, decenter, & libere fuerit judici ecclesiastico restitutus.

ANNO CHRISTI 1374.

XII. *Pœna impedientium episcopum & suos, quin de causis ad forum ecclesiasticum quovis modo spectantibus cognoscat, & super ipsis informationes in quacumque parte diœcesis faciat.*

Item cum episcopus in quacumque parte suæ diœcesis jurisdictionem spiritualem habeat, quæ esset delusoria, si non posset in loco quolibet ipsius diœcesis, non exempto, libere exerceri: nihilo minus tamen nonnulli domini temporales, suique judices, ac etiam alii jurisdictionem exercentes temporalem, judices ecclesiasticos impediunt, quo minus jurisdictionem exerceant super causis tam criminalibus quam civilibus ecclesiasticis, quorum correctio, punitio, & cognitio, ad ipsum judicem ecclesiasticum, tam de jure, quam etiam de antiqua & approbata consuetudine, noscitur pertinere, contra salutem animarum suarum jurisdictionem ecclesiasticam impediendo: propter quod sententias contra tales a jure & etiam a statutis provincialibus promulgatas incurrunt. Volentes saluti animarum, & etiam libertati ecclesiasticæ salubriter providere, antiqua statuta super iis alias edita renovantes: excommunicamus tales, ut præmissum est, jurisdictionem ecclesiasticam impedientes, & in præmissis, seu aliquo præmissorum, delinquentes, ac in iis publice vel occulte dantes consilium, auxilium, aut favorem: præcipientes, eos excommunicatos publice nunciari, donec impedimenta hujusmodi amota fuerint cum effectu & beneficium absolutionis meruerint obtinere.

XIII. *Ut clerici negotiationes illicitas non exerceant.*

Item cum indecens & inhonestum sit, & periculosum existat, personis ecclesiasticis officium negotiationis exercere, & eidem inhærere: statuimus & ordinamus ut personæ ecclesiasticæ a negotiationibus illicitis quibuscumque desistant. Quod si non fecerint, ad arbitrium ordinarii sui puniantur: pœnis contra tales in jure expressis, in suo robore permanentibus quibuscumque.

XIV. *Ut beneficiati & animarum curam habentes, Missas celebrare teneantur.*

Item cum secundum jus, ratione officii detur beneficium, & ratione beneficii quilibet Deo servire teneatur; & ut intelleximus, sint nonnulli presbyteri, etiam curam animarum habentes, qui in anno vix unam Missam celebrant, in grande ipsorum animarum periculum & gravamen: idcirco volumus, & præsentis concilii auctoritate statuimus, ut quicumque beneficium cum cura animarum obtinens, & qui in posterum obtinebit, ad minus in mense quolibet semel Missam celebrare teneatur, nisi ex causa sufficienti & legitima excusetur. Per hoc autem non intendimus dispensare cum illis, qui ex institutione suorum beneficiorum, seu ordinatione, ad plurium Missarum celebrationem sunt adstricti.

XV. *De blasphematoribus.*

Item cum peccatum sit laxare linguam in blasphemiam Dei, & redemptoris domini nostri Jesu Christi, sancti Spiritus, beatæque Mariæ semper virginis, & sanctorum; & sint nonnulli, ut intelleximus, qui in Deum Patrem, & in unicum ejus Filium dominum nostrum Jesum Christum, ac Spiritum sanctum, beatamque Mariam semper virginem, seu sanctos ejus, blasphemiam proferre non verentur, quod cedit in ipsorum blasphemantium animarum non modicum periculum & gravamen, & scandalum audientium: idcirco hoc sacro approbante concilio statuimus & ordinamus, ut curati infra nostram provinciam constituti, diebus Dominicis parochianos suos utriusque sexus moneant & exhortentur, ut a blasphemiis abstineant, si indignationem Dei Patris, & ejus Filii domini nostri Jesu Christi, & beatæ Virginis gloriosæ, & ultionem nostram voluerint evitare. Quod si prædictis monitionibus non obtemperaverint, sed in blasphemiam in Deum Patrem, seu ejus Filium, & Spiritum sanctum, beatam Mariam semper virginem, seu sanctos Dei, linguam laxare præsumpserint: ex tunc auctoritate præsentis concilii pœnis juris subjiciantur, quæ per ordinarium ecclesiasticum executioni demandentur. Et si clerici fuerint, ad arbitrium ordinarii acrius puniantur.

XVI.

ANNO CHRISTI 1374.

XVI. *Pœna contra non revelantes blasphematores Dei, beatæ Virginis, & sanctorum, infra* XV. *dies.*

Item cum secundum sanctorum patrum traditiones, juris ordo confundatur, quando sua jurisdictio cuiquè non servatur; & cum secundum jus commune ad nos & suffraganeos nostros in nostris civitatibus & diœcesibus spectet & pertineat cognoscere de blasphemiis, & blasphemos secundum canonicas sanctiones vel alias, prout expediens fuerit, punire: hinc est, quod præsenti sacro concilio approbante, statuimus & ordinamus, ut curati nostræ provinciæ diebus Dominicis moneant, & exhortentur omnes parochianos suos utriusque sexus ad Divina congregatos, ut quicumque qui audiet aliquem seu aliquos, aliquam seu aliquas, linguam suam publice laxantem seu laxantes in blasphemiam Dei, ejusque filii domini nostri Jesu Christi, Spiritus sancti, & beatæ Mariæ semper virginis & sanctorum, blasphemiam & nomen blasphemantis, infra xv. dies a die prolationis blasphemiæ officiali illius diœcesis, seu ejus locum tenenti, in qua blasphemia dicta fuerit, revelet & revelent. Quod si non fecerint, contra scientes & non revelantes, & contra blasphemantes prædictos, & eorum quemlibet, procedetur ut juris fuerit & etiam rationis.

XVII. *Pœna contra usurpantes, invadentes, & detinentes bona & jura ecclesiastica & personarum ecclesiasticarum.*

Vide supra ann. 1351.

Item recolentes, nos dudum in generali & provinciali concilio nostro pridem celebrato Bitteris statutum fecisse subscriptum, negligentiam suffraganeorum nostrorum & eorum vicariorum & officialium redarguentes in hac parte: id præcipimus & mandamus universis & singulis suffraganeis nostris, & eorum vicariis & officialibus, auctoritate præsentis concilii, ut dictum statutum, quod etiam in præsenti nostro sacro concilio renovamus, executioni demandent, & demandari faciant & publicari per cappellanos eis subjectos, quilibet in suis civitate & diœcesi, saltem bis in anno, & circa observantiam ejus invigilent. Cujus statuti tenor sequitur, & est talis

Conc. Bitter. an. 1351. c. 3.

„ Item conciliorum provincialium

A „ per prædecessores nostros Narbonenses archiepiscopos eorumque suffraganeos olim factorum, vestigiis inhærentes, & certa in aliquibus eorumdem contenta, pro qualitate & conditione temporum, prout melius nobis visum est expediens, temperantes, & etiam moderantes: hoc sacro approbante concilio statuimus, & etiam ordinamus, quod quicumque, cujuscumque conditionis aut status existat, qui scienter & temere quascumque res, bona, possessiones aut jura mobilia & immobilia B aut se moventia, quæ tamen mobilia, seu se moventia valorem xx. solidorum monetæ Turonensis communi æstimatione excedant, ecclesiarum sæcularium seu regularium, aut quorumcumque religiosorum seu piorum locorum, sive personarum ecclesiasticarum, invadere, occupare, rapere, aut personas ecclesiasticas, seu earum domos quas inhabitant, invadere, ferrare, seu violenter expugnare vel aperire præsumpserint, C nisi infra VI. dies a tempore invasionis, occupationis, rapinæ, clausuræ, ferraturæ, expugnationis, & aperturæ hujusmodi, satisfactionem & emendam plenariam fecerint de præmissis: si persona singularis fuerit, tam ipsa persona, quam quæcumque alia in præmissis dans auxilium, consilium, vel favorem, excommunicationis; si vero universitas fuerit, interdicti sententias auctoritate præsentis concilii ipso facto incurrant. Quod D si prædicti infra dictos VI. dies satisfactionem de præmissis non fecerint competentem: ex tunc nos ordinarii prædicti, vicarii, seu officiales nostri, & nostrum quilibet in suæ civitate & diœcesi, ubi prædicta attentata fuerint, postquam eis constiterit de præmissis, ubi ea notoria non fuerint, super quo quilibet nostrum ordinariorum, vicariorum, & officialium, cognitor & executor legitimus censeatur, potestatemque habeat cognoscendi, summarie etiam E & de plano, absque strepitu judicii & figura, ubi ex mero officio procedetur. Si vero notoria extiterint: procedendo in eis sicut est de jure in notoriis procedendum, denuncient seu faciant excommunicatos publice nunciari, & etiam interdictos. Et nihilo minus ad requestam diœcesanorum, vicariorum, vel officialium suorum, in quorum diœcesi prædicta

„ com-

ANNO CHRISTI 1374.

„ commissa fuerint, cæteri ordinarii & officiales dictæ provinciæ nostræ, præfatos excommunicatos & interdictos & aggravatos, si aggravati fuerint, in locis suarum civitatum & diœcesum de quibus requisiti fuerint, faciant publice nunciari.

Ut in Conc. Vaur. c. 84.

XVIII. *Licitum sit presbytero, cuicumque sacerdoti idoneo, etiam curam animarum non habenti, confiteri.*

Ut Missæ & alia Divina officia cum puritate conscientiæ celebrentur, & ne propter defectum confessorum ea omitti contingat: indulgemus, quod quilibet presbyter possit, quoties indigebit seu opportunum fuerit, cuilibet sacerdoti idoneo, etiam non curato, sua confiteri peccata, & absolutionis beneficium recipere ab eodem: præterquam de casibus ordinariis reservatis.

XIX. *De indulgentiis concessis corpus Christi associantibus, cum infirmis portatur.*

Ut in Conc. Vaur. c. 87.

Si propter Christum sanctis ejus reverentia impendi præcipitur: quanto magis colendum est veneratione præcipua sacratissimum corpus ejus, qui sanctos sanctificat, ac caput est sanctorum omnium & corona! Hoc utique corpus, quod ipse solus pro nostra reconciliatione in ara crucis hostiam obtulit Deo Patri, quotidie in ecclesiasticis aris pro vivis & mortuis in illius passionis memoriam immolatur. Statuimus igitur & jubemus, quatenus omnes & singuli priores, rectores, atque vicarii ecclesiarum, nostrarum civitatis & diœcesis ac provinciæ, parochianos suos, præsertim in Missarum solemniis, inducere studeant, ut hujusmodi sanctissimo corpori, cum per presbyterum defertur infirmo in viaticum ministrandum, reverenter assurgant, illudque devote sequantur, ac cum luminarium adhibitione honorent. Et ut ad hoc alliciantur vehementius spiritualium stipendiis præmiorum: omnibus qui sanctissimum corpus ipsum sequentur sine lumine, diurno tempore vel nocturno, XX. dies; omnibus vero cum luminaribus dictum sacratissimum corpus sequentibus, vel luminaria mittentibus, de die, XXX. de nocte vero, XL. dierum indulgentiam de injunctis eis pœnitentiis, dummodo vere pœnitentes & confessi fuerint, vel infra quindecim dies inde tunc frequentes existant, misericorditer in Domino relaxamus.

XX. *Qui nuncios curiarum nostrarum ecclesiasticarum impediunt quominus mandata curiæ libere exequantur, gravissime puniantur.*

Ut in Conc. Vaur. c. 104.

Cum justitiæ jus suum cuique tribuenti & ministris ipsius ac reipublicæ plurimum detrahatur, si processus ipsorum ministrorum contingat iniquorum machinationibus impediri: nos volentes talium justitiæ cultum impedire nitentium ausus temerarios timore disciplinæ ecclesiasticæ cohibere, provisione præsentis concilii duximus statuendum, quod si quis, cujuscumque conditionis aut status existat, delegatos, subdelegatos, commissarios, nuncios, aut executores nostros vel suffraganeorum nostrorum, officialium & vicariorum, seu eorum loca tenentium, vel vices gerentium, ut litteras vel alias scripturas judiciales, nostras, vel suffraganeorum, vicariorum, & officialium prædictorum, deferentes, hac occasione verberare, capere, detinere, occultare, carceri mancipare, vulnerare, aut interficere, mutilare, seu litteras vel scripturas prædictas auferre, seu eas rumpere, cancellare, aut alias destruere quoquo modo, vel ablatas celare, seu deferentes compellere ad frangendum, vel, ut eorum verbis utamur, ad manducandum litteras hujusmodi vel scripturas, aut qui prædicta vel aliquid prædictorum fieri procuraverint, aut facientibus dederint auxilium, consilium, vel favorem, auctoritate præsentis concilii excommunicationis sententiæ subjaceant ipso facto: a qua, nisi prius judici curiæ, cujus auctoritatem contempserint, & passo injuriam, ac cæteris quorum interest, prout excessus exegerit atrocitas, satisfecerint, nullatenus absolvantur.

XXI. *Contra diffidantes personas ecclesiasticas & eorum bona, sive guerram eisdem hostiliter facientes.*

Ut in Conc. Vaur. c. 108.

Ad reprimendam audaciam perversorum clericos & personas ecclesiasticas diffidantium, seu procurantium diffidari, eorumque homines vel loca eorum, seu guerram facientium: præsenti sacro approbante concilio statuimus, & etiam ordinamus, quod omnes & singuli clericos aut personas ecclesiasticas diffidantes, seu diffidari procu-

ANNO CHRISTI 1374.

curantes, * aut eorum homines, vel loca, seu * prædictos clericos aut personas ecclesiasticas, præcedente vel non præcedente diffidamento quocumque, guerram facient, seu eosdem clericos aut personas ecclesiasticas, vel homines, sive dicta bona ipsorum, per modum guerræ, seu hostiliter, aut alias cum turba, seu hominibus coadunatis, ex proposito invaserint, damnificaverint, necnon omnes & singuli qui eis circa prædicta dederint auxilium, consilium, vel favorem, auctoritate præsentis concilii excommunicationis incurrant sententiam ipso facto. Et si præfatam excommunicationis sententiam per XV. dies a diffidatione guerræ, & hostili impugnatione, & damnorum datione, satisfactione condecenti non facta, animo sustinuerint seu sustinuerint indurato: ex tunc auctoritate præsentis concilii, in eorum terris cesletur a Divinis, si quas habent in provincia nostra.

a) Lege, aut eorum occasione contra homines, vel loca. H.
* f. addendum, in

XXII. *Clandestinum matrimonium extra diœcesim contrahentes, sine licentia rectoris parochialis ecclesiæ, excommunicentur, & alias extraordinarie puniantur.*

Ut in Conc. Vaur. 1368.

Statuimus, quod quæcumque persona, quæ pro matrimonio clandestino solemnizando parochiam suam exiens, ipsum matrimonium solemnizaverit sine licentia judicis, vel proprii sacerdotis, & qui in præmissis præsentiam suam associando exhibuerit, ipso facto excommunicationis sententiam incurrant, & tamdiu ut excommunicatus evitetur & etiam publicetur, donec ad arbitrium judicis ecclesiastici, presbytero ecclesiæ parochialis satisfecerit, in cujus injuriam hoc attentare præsumpserit, & absolutionem meruerit obtinere.

XXIII. *Quod quæstores quicumque sine litteris ordinariorum minime recipiantur, nec ad prædicandum admittantur.*

Ut in Conc. Vaur. 1368.

De quæstoribus autem ecclesiarum, hospitalium, vel pontium, & aliorum quorumcumque, alias duximus statuendum, & statuimus præsentis concilii auctoritate; quod sine nostris vel episcoporum litteris, aut vicariorum, aut officialium nostrorum, non recipiantur: & tunc ad prædicationem non admittantur, sed ad expositionem ipsorum tantum quæ in nostris vel eorum litteris continentur. Et si prædicare præsumpserint: taliter corrigantur, quod cæteris transeat in exemplum.

XXIV. *De eligendis personis idoneis ad audiendum rationem de pecuniis receptis a clero.*

Item statuimus, & auctoritate præsentis concilii ordinamus, quod in singulis diœcesibus provinciæ nostræ, in hiemali synodo eligantur duo viri ecclesiastici, quibus in sequenti synodo hiemali ratio reddatur de receptis & levatis per thesaurarium episcopi, vel quemcumque alium, ad recipiendum & levandum pecuniam debitam per clerum suæ diœcesis, ratione legatorum, nunciorum sedis apostolicæ, vel alia quavis causa, per ipsum episcopum deputatum, seu etiam deputandum.

XXV. *Quod puniantur facientes donationes in fraudem laicorum.*

Item ad nostrum pervenit auditum, quod nonnulli clerici soluti, & tam in minoribus quam in sacris ordinibus constituti, & etiam religiosi aliqui, sibi procurant donationes rerum immobilium fieri in fraudem, ut bona sic eis donata, ad contributionem talliarum laicorum pro rata non teneantur. Nos igitur talibus fraudibus obviare volentes: hoc sacro approbante concilio prohibemus, ne hujusmodi donationes in fraudem, ut præmittitur, recipiant. Quod si fecerint, volumus & ordinamus, ut per judicem suum ecclesiasticum, cum de prædicta fraude sibi constiterit, ad solutionem talliarum pro rebus eisdem donatis compellantur.

XXVI. *Ut nullus excommunicetur seu interdictum aliquem ad sepulturam admittat.*

Item statuimus, quod quicumque presbyter, cujuscumque conditionis existat, etiam religiosus, nullum tam per statuta provincialia aut synodalia quam per litteras nostras seu suffraganeorum, vel alias excommunicationis sententia innodatum, seu interdictum, postquam sibi de excommunicatione seu interdicto constiterit, admittat ad ecclesiasticam sepulturam sine sui superioris licentia & mandato: vel probetur, ipsum

ANNO CHRISTI 1374.

sum ab hujusmodi excommunicationis seu interdicti sententia fuisse absolutum.

XXVII. *Indulgentia orantibus pro domino nostro papa & rege concessa.*

Item statuimus, quod per quemcumque Christi fidelem provinciæ nostræ, pro statu domini nostri summi pontificis & ecclesiæ universalis conservando, ac etiam domini nostri regis, dicantur singulis diebus duo *Ave Maria*, & unum *Pater noster*. Omnibus autem & singulis dicentibus, vere pœnitentibus & confessis, x. dies de injunctis sibi pœnitentiis in Domino misericorditer relaxamus.

XXVIII. *Confirmatio constitutionum a prædecessoribus nostris editarum.*

Ut in Conc. Vaurens. 33.

Cum multa sit diligentia per nostros prædecessores provisum casibus, qui solent in civitatibus & diœcesibus nostræ provinciæ evenire, per constitutiones legitimas provinciales, quæ ab aliquibus minus debite observantur: hinc est, quod nos omnes constitutiones provinciales alias per prædecessores nostros & per nos editas, approbamus, easque ad fratrum suffraganeorum nostrorum consilio unanimi & assensu, ex certa scientia confirmamus, ac ipsa præcipimus inviolabiliter observari: nec per ista præcedentia statuta in præsenti concilio facta, aliis statutis observatis provincialibus & synodalibus intendimus in aliquo derogare, nisi in quantum prædictis essent contraria vel adversa.

Lectæ fuerunt & publicatæ suprascriptæ constitutiones Narbonæ, in hujusmodi provinciali concilio, quadam die Lunæ, quæ fuit dies XXIV. mensis Aprilis, anno, Indictione & pon-

A tificatu prædictis. In quorum testimonium nos P. archiepiscopus memoratus, præfato nostro concilio approbante, suprascriptas constitutiones per notarium publicum infrascriptum in hanc publicam formam redigi mandavimus, & sigilli nostri appensione muniri. Præsentibus venerabilibus patribus, dominis, Guidone Crassensi, Embrino de Caunis, Stephano de Quadraginta, Pontio sancti Tiberii, Petro Juncellensi, Arnaldo santi Aniani, ordinum sanctorum Benedicti & Agustini monasteriorum abbatibus, Carcassonensis, Narbonensis, Agathensis, Biterrensis, & sancti Pontii Tomeriarum, diœcesium; necnon & venerabilibus ac discretis viris, Guillermo Sigerii

B Baccallario de Piotiano, Petro de Mesergua licentiato in decretis, vicario perpetuo de Faberzano, Raymundo de Franchis in ecclesia sancta nostra, Stephano de Fruinhaco de Fictorio, Raymundo de Colunhacio vicario perpetuo de Perignano nostræ Narbonensis, Raymundo Palomerii de Prata, Elnensis diœcesis, parochialium ecclesiarum presbyteris rectoribus, Bernardo de Brolio presbytero beneficiato in ecclesia sancta nostra Narbonensi, & pluribus aliis, ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Joannes Nigri, presbyter Morinensis diœcesis, publicus apostolica & imperiali, ac ipsius domini mei domini archiepiscopi Narbo-

C nensis & primatis, ac ipsius auctoritate scriba & notarius: suprascriptarum constitutionum ordinationi, lectioni, editioni, publicationi, & omnibus aliis suprascriptis, per prænominatum dominum archiepiscopum & primatem factis; ejus sacro approbante concilio, una cum suprascriptis testibus presens fui: ipsasque de ejus mandato & præfati concilii in notam recepi, publicavi, & manu propria scripsi in duobus pergamenis simul conglutinatis: & signo me signavi in fidem & testimonium præmissorum, una cum ipsius domini mei, domini archiepiscopi & primatis, appensione sigilli.

Sic verum est, prout continetur. *Manu propria.*

D P. Narbonensis.

Datum ut supra.

ANNOTATIO G. C.

Hujus concilii canones ferme omnes sumpti sunt ex concilio Vaurensi trium provinciarum, anno M. CCC. LXVIII. celebrato.

ANNO CHRISTI 1375.

CONCILIUM UNIEJOVIENSE

ANNO CHRISTI 1375.

A Jaroslao Gnesnensi archiepiscopo, cum cæteris Poloniæ episcopis celebratum anno Domini MCCCLXXV

Concilii hujus mentionem Staravolscius facit in conciliorum epitome. Anno, *inquit*, Domini MCCCLXXV. concilium Uniejoviense, tempore Gregorii papæ, episcopi Poloniæ celebrarunt, præsidente Jaroslao archiepiscopo Gnesnensi, in quo, præter reformationem disciplinæ ecclesiasticæ, statutum erat, ut bini grossi de uniuscujusque marcæ proventu sacerdotiorum, in sumptus belli Turcici conferrentur. Pontifex enim metuens Italiæ ab Amurathe imperatore Turcarum quod jam magna strage Bulgaros, Servos, Macedones, & Albanos profligasset: undique subsidia corrogabat, & in Poloniam nuncium Nicolaum episcopum Majoricensem ea de causa miserat.

LU-

ANNO CHRISTI 1376.

LUGDUNENSE CONCILIUM PROVINCIALE

A Joanne archiepiscopo

Anno 1376. habitum.

An. 1376. Ex Gall. Christ. n. edit. t. IV. p. 170.

IN manualibus ecclesiæ Lugdunensis statutis folio 113. hæc nuda mentio de Lugdunensi synodo habetur: *anno 1376. die 3. martii celebratum fuit concilium provinciale in ecclesia majori Lugdunensi per R. dom. Joannem de Talaru decanum Lugdunensem tunc archiepiscopum Lugdunensem.* Nec de concilio isto ultra quidquam scimus.

ANNO CHRISTI 1378.

VITA

URBANI PAPÆ VI.

URbanus VI. patria Neapolitanus, patre Pisano & matre Neapolitana genitus, vir humilis, inquit Theodoricus, & devotus, zelator castitatis & justitiæ, sacrorum canonum doctor peritissimus, ex archiepiscopo Barensi, citra metum Romani populi vel Italum vel Romanum pontificem expetentis, communi omnium cardinalium Romæ degentium suffragio electus est sexto Nonas Aprilis, anno Domini 1378. tempore Caroli IV. & Wenceslai imperatorum. Cardinales conclave egressi omnes jurato deposuerunt, se nullo metu populi obstante eum libere creasse pontificem, quem tanto munere dignissimum omnes dijudicarent. Memorabile est quod de hoc pontifice refert Theodoricus libro 1. capite 1. his verbis: Hic ante ipsius papatum per multos annos me existente cum ipso singulis noctibus, postquam ad cubile suum causa quiescendi ascenderat, coram se in bibliis, quousque dormiret, legi faciebat. Et raro vel numquam tempus aliquod vigilando otiose consumpsit: sed aut studebat, ut prædixi, seu commissa sibi exercebat officia, vel orabat. Et nisi attratus quodammodo per plateas nullatenus incedebat, & incedendo duabus bestiis contentus erat, una mula scilicet super qua ipse, & uno equo super quo ejus familiaris ipsum associans, equitabant. Etiam induebatur cilicio diurno tempore & nocturno, in quo dormiens indutus fuit desuper tunica alba talari de mediocri panno laneo. Ac multum erat patiens tunc temporis in adversis, compatiens etiam, jejunia per ecclesiam indicta tunc sanctissime observabat, necnon per adventum Domini & per Sexagesimam annis singulis jejunabat, & jejunantes similiter necnon bonos religiosos satis amabat. Hæc de Urbano Theodoricus. Initio pontificatus mores cardinalium quorumdam debito pietatis zelo reprehendit. Quam correctionem dum illi non æquo satis animo sustinerent, Roma Anagniam profecti, schismaticum & pseudopontificem, quem Clementem septimum nominarunt, contra eum elegerunt: eaque occasione perniciosissimum schisma, quod non nisi post 36. annos tempore Constantiensis Concilii sedari potuit, exsuscitarunt. Galli & Hispani antipapæ Clementi, Itali vero aliique plures Urbano pontifici vero & legitimo adhæserunt. Cumque Joanna regina Siciliæ, schismatici partes foveret, Urbanus pontifex eam injuriam ulturus, Carolum qui sub vexillis Hungariæ militabat, advocavit, eumque regem Neapolitanum ad exclusionem Joannæ declaravit. Quo facto, Neapolim perrexit, & a rege postulavit ut nepotem suum Capuanum principem crearet. Passus repulsam, Nuceriam se transfert, ibidemque cardinalibus novis declaratis, septem ex prioribus in vincula conjecit, ideo quod in necem pontificis conjurassent. Post, ipsum regem, adhibitis quibusdam juris solemnitatibus, dignitate regia privavit. Commotus rex Carolus, conscripto milite eum Nuceriæ obsedit. Verum per Raimundum comitis Nolani filium, qui cum exercitu supervenit periculo liberatus est. His peractis, Genuam pertransiens, de cardinalibus supra commemoratis dignum vitæ supplicium sumpsit: quo genere mortis, non satis constat. Anno vero expleto, in Etruriam profectus, plurima loca quæ ab ecclesiæ obedientia defecerant eidem restituit. Carolo defuncto, Neapolim proficisci meditatus est ea intentione, ut filios ejus regno exturbaret: sed res ut proposuerat non successit. Proinde re infecta Romam rediit, ibique post morbum 28. dierum obiit mense Octobri, anno Domini 1389. cum sedisset annis 11. & mensibus 4. In sancto Petro sepultus est.

ANNO CHRISTI 1378.

Emendatior ex editione Odorici Raynaldi.

EPISTOLA I.

URBANI PAPÆ VI.

AD ARCHIEPISC. COLONIENSEM EJUSQUE SUFFARGANEOS.

Denunciat Clementem antipapam, ejusque electores cardinales a se excommunicatos, esse vitandos.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopo Coloniensi, eiusque suffraganeis, salutem & apostolicam benedictionem.

NUper cum vinea Domini sabaoth, sancta videlicet Romana ecclesia, ventre doleret, & amaricatis visceribus gravia emittere suspiria cogeretur ex eo, quia filios uteri sui, quos enutriverat, & de infirmis ad culmina dignitatum extulerat, videlicet iniquitatis & perditionis alumnos, Robertum olim basilicæ duodecim apostolorum vulgariter dictum Gebennensem, Joannem olim tituli sancti Marcelli vulgariter dictum Ambianensem, Geraldum olim tituli sancti Clementis vulgariter dictum majoris monasterii, presbyteros, & Petrum olim sancti Eustachii diaconum cardinales, conspiciebat matris ubera spernere, & a rectitudinis tramite deviare, & non solum leges & monita materna despicere, sed eorum matri uterum, quantum in eis erat, viperinis conatibus laniare; & quod ipsi inconsutilem Domini tunicam scindere satagentes scandalorum & schismatum seminaria præparabant, ac famæ suæ prodigi & honoris proprii persecutores effecti, non tantum se ipsos nexibus peccatorum involvere, sed in reprobum sensum ducti, alios secum ad præcipitium trahere conabantur. Nos qui Divina disponente clementia, prædictæ vineæ sollicitudinem & curam gerebamus, prout gerimus, adversus hujusmodi prætergredientes veritatis & fidei rectæ semitam, & prævaricationem addentes, ne eamdem vineam demoliri valerent, in virtute Altissimi de fratrum nostrorum consilio decrevimus exurgendum, & contra ipsos & nonnullos alios eis adhærentes ac faventes inferius nominatos, per infrascriptum modum mediante justitia duximus procedendum.

Siquidem cum prædicti viri nequam, viri nescientes in semitis justitiæ dirigere gressus suos, & timorem Dei præ oculis non habentes, contra nos conspirationes, colligationes & machinationes divertas facere, & in ecclesia Dei schisma & divisionem ponere, ac civitatem nostram Anagniensem & castrum sancti Angeli de Urbe, & nonnulla alia castra, terras, & loca, nobis & dictæ ecclesiæ subjecta occupare & occupari facere, seu illorum occupationibus auxilium, consilium & favorem præbere, præsumpsisent & præsumerent, & insuper, & dictam civitatem & alias terras provinciæ nostræ Campaniæ facilius occupare, & occupata detinere, & alios ad consentiendum eorum iniquis voluntatibus & operibus violenter attrahere possent, magnam multitudinem gentium armigerorum, qui Britones & Valcones nuncupantur, ad dictas civitatem & provinciam venire fecissent, & exinde quamplurima homicidia, sacrilegia, rapinæ, depopulationes, & alia mala ac damna & scelera fuissent subla-

A cuta: nos qui salutem zelabamur illorum, sperantes illos ad eos reversuros, & viam justitiæ repetituros, eos per venerabilem fratrem Petrum episcopum Portuensem, & dilectos filios nostros, Simonem tit. SS. Joannis & Pauli presbyterum, & Jacobum sancti Georgii ad Velum aureum, diaconum, cardinales, pluries per diversos alios probos prælatos ac magnæ auctoritatis viros, ac etiam per litteras nostras iteratis vicibus, ut ad viam veritatis & justitiæ redire, & ab hujusmodi erroribus resipiscere vellent, duximus exhortandos ac etiam requirendos. Sed præfati nequam viri in sua pertinacia & superbia obstinati, post monitiones & exhortationes hujusmodi, contra nos antea in B Urbe per ipsos & alios ad quos spectabat, in papam electos, ac debitis & consuetis solemnitatibus observatis inthronizatos & publice coronatos (quibuscum tamquam cum papa & summo pontifice in Missarum solemniis & consistoriis publicis ac privatis, consulendo & ordinando de statu Romanæ ecclesiæ ac reipublicæ, recipiendo a nobis ecclesiastica sacramenta, ac dignitates & beneficia ecclesiastica pro se & aliis a nobis impetrando, per plures menses tractaverunt) diversos libellos diffamatorios fecerunt, & ad diversos prælatos & principes mundi transmiserunt, per quos asserebant nos non verum papam fore, ac multa mala & enormia de nobis dicere præ C sumpserunt; & tandem in profundum descendentes malorum, & cupientes sanctæ matris ecclesiæ scindere unitatem, in civitate Fundanensi cum quibusdam aliis, quos cum machinationibus & diabolicis suggestionibus ad eorum impium propositum, attraxerunt, congregati in domo iniquitatis filii Honorati Gaitani olim comitis civitatis Fundorum, cum ipsius Honorati auxilio & favore, præfatum Robertum temere eligendos antipapam fecerunt, ipsumque ausu sacrilego papam nominare præsumebant & præsumunt: ipseque Robertus se papam nominare ausu temerario non pavescebat, nec pavescit.

D Præterea cum etiam iniquitatis alumnus Petrus olim archiepiscopus Arelatensis & camerarius noster, dudum diabolico spiritu instigatus, de urbe prædicta ubi nobiscum erat, sine licentia quasi furtive recessisset, & de camera nostra quamplurima jocalia & alias res & bona magni valoris & pretiosa, ad nos & ad Romanam ecclesiam pertinentia, secum asportasset: ad dictam civitatem Anagniensem se conferens cum præfatis sceleratis viris Roberto, Joanne, Geraldo, & Petro olim cardinalibus, diversas colligationes & contra nos conspirationes ordinare & facere, ac ad conducendum dictas gentes armigeras ad dictam civitatem Anagniensem, consilium, & auxilium, & favorem præ E bere; & tam ipsi, quam perditionis filii Jacobus olim patriarcha Constantinopolitanus, Nicolaus olim archiepiscopus Cusentinus, Petrus olim Urbevetanus, Guillelmus olim Urbinas, Petrus olim Montisflasconis, Joannes olim Gebennensis, & Franciscus olim Gayacensis, episcopi; ac Bertrandus olim Ruffini, olim clericus cameræ apostolicæ, ac etiam iniquitatis filii Honoratus Gajatensis olim comes Fundorum, Antonius olim comes Casertanensis, Franciscus de Vico olim præfectus urbis, Joannes de Malestret, Nicolaus Spinellus de Juvenacio, alias dictus de Neapoli, Silvester Bindo, Bernar-

ANNO CHRISTI 1378.

nardus de la Sala, Petrus de la Saga, olim milites, & Guilhonetus de la Sala domicellus, in reprobum sensum dati, præfato Roberto antipapæ adhærere & favere, & eorum linguis transeuntibus super terram os in cælum ponere præsumentes, non fuissent veriti, nec verentur, publice asserere, & per alios asseri & prædicari facere, nos non esse papam & Romanum pontificem, & eorum falsis & confictis mendaciis quamplurima & enormia mala de nobis dicere, & se ab unitate ecclesiæ Romanæ separare, schisma & divisionem, quantum in eis erat, in Dei ecclesia ponere. Et Franciscus de Vico civitatem nostram Viterbiensem, & Joannes de Malestret, Silvester Bernardus, Petrus de la Saga, & Guilhonetus prædicti, cum nonnullis eorum complicibus, dictam civitatem nostram Anagninam, & etiam nonnullas alias terras nostras, Romanæ ecclesiæ, occupare, & tam ipsi quam alii nominati nonnullas alias terras nostras, & Romanæ ecclesiæ occupantibus, & invadentibus, auxilium, consilium, & favorem præbere præsumpsissent, & præsumerent, crimen hæresis, schismatis, læsæ majestatis, & apostasiæ damnabiliter incurrendo.

Et quamvis hujusmodi excessus & scelera essent tunc, prout sunt, adeo notoria, quod nulla poterant tergiversatione celari, ita quod absque alia informatione juste potuissemus animadvertere in eosdem sceleratos viros: non tamen ad cautelam & majorem certitudinem præmissorum, dilecto filio nostro Joanni tit. S. Sabinæ, & bonæ memoriæ Guillelmo tit. S. Eusebii, presbyteris cardinalibus, divisim & successive commisimus, ut se de prædictis informarent, & quæ per informationem hujusmodi reperirent, nobis referre curarent. Et tandem hujusmodi informatione per eos recepta, cum ipsi nobis in consistorio retulissent, se reperisse omnia & singula fuisse & esse vera: nos nequeuntes absque gravi offensa Christi & remorsu conscientiæ tot & tantos excessus & scelera amplius tolerare, adversus præfatos sceleratos viros, in virtute Altissimi, de fratrum nostrorum consilio, ut præmittitur, duximus exsurgendum, & contra ipsos super præmissis procedendum. Ac eis ad hoc legitime citatis, & aliis debitis juris solemnitatibus observatis, per nostram definitivam sententiam decrevimus ac declaravimus, præfatos Robertum, Joannem, Geraldum & Petrum olim cardinales, necnon Jacobum olim patriarcham, Petrum, &c. fuisse, & esse schismaticos & apostatas, & contra nos conspiratores & blasphemos, & tamquam hæreticos puniendos, & reos criminis læsæ majestatis, ipsosque propter præmissa fore excommunicatos & anathematizatos, ac excommunicavimus, & anathematizavimus, ac incidisse in pœnas, & sententias tam a jure, quam ab homine in talia perpetrantes inflictas & promulgatas, ac etiam in pœnas & sententias contentas in processibus felicis recordationis Joannis XXII. & Clementis VI. Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum contra occupatores, invasores, & turbatores terrarum ecclesiæ Romanæ factis, ac etiam declaravimus, dictos Robertum, Joannem Geraldum, & Petrum, olim cardinales, fuisse & esse depositos, & ipsos deposuimus a cardinalatibus dictæ Romanæ ecclesiæ, & ab omni cardinalatus commodo, & honore. *Et infra*. Absolutione ipsorum, præterquam in mortis articulo, Romano pontifici reservata.

His, & nonnullis infra locis, ampliora multa sunt apud Raynaldum.

Insuper decrevimus, quod quicumque aliquem prædictorum scienter præsumerent ecclesiasticæ sepulturæ tradere, excommunicationis sententiæ subjacerent, a qua absolvi non possent, nisi prius propriis manibus extumularent & procul ejicerent ab ecclesiastica sepultura corpora eorumdem. *Et infra*. Qui vero contra præmissa, aut aliquid præmissorum, facerent, seu qui præfatum Robertum, qui se Clementem papam nominat, scienter papam nominarent, tenerent, crederent, seu prædicarent, aut ab eo quascumque gratias, indulgentias, privilegia, aut quævis beneficia peterent per se aut per alium: si personæ singulares, excommunicationis; si vero communitas seu universitas fuerit aut foret, interdicti sententias incurrent eo ipso. A qua quidem excommunicationis sententia aliquis absolvi, & interdicto hujusmodi ab alio quam a Romano pontifice relaxari non posset. Decrevimus quoque fore absolutos a debito fidelitatis homagii seu ligii, & alterius cujuscumque obsequii, omnes & singulos qui eisdem damnatis superius nominatis juramento, obligatione, promissione, vel quacumque firmitate vallato, antea fuissent adstricti; alias etiam pœnas eisdem damnatis infligimus, & a jure inflictas decrevimus in suo robore duraturas. *Et infra*. Datum Romæ apud sanctam Mariam trans Tiberim VIII. Idus Novembris, pontificatus nostri anno primo.

II. AD UNIVERSITATEM PARISIENSEM.

Monet eos, ut pergant sui electionem contra schismaticos eorumque fautores defendere.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis, rectoribus, magistris, doctoribus, scholaribus ac universitati studii Parisiensis, salutem & apostolicam benedictionem.

INter, immo super cæteras studentium universitates, in quibus scientiarum gemma resplendet, vestra Parisiensis velut quoddam sidus radiat, & pulsis ignorantiæ ac erroris tenebris doctrinæ suæ lumine circumlucet. Ex ipsa nempe, velut ex quodam purissimo fonte, semper sani dogmatis rivuli profluxerunt, qui per innumeros alveos pronius discurrentes, falsarum opinionum lumen absterserunt: hujusmodi quidem fontis claritatem, nulla unquam quantumvis impetuosa vis pluviæ turbidavit. Vos itaque, dilectissimi filii, qui ex hoc limpidissimo fonte dulcissimas litteras avido haustu elicitis, congaudemus vobis, & sanctæ Romanæ congratulamur ecclesiæ, cui talia lignna fructus producentia dulcissimos, secus decursus aquarum, in tam ingenuo viridario summus parens rex plantavit: cui diu congaudemus, & exultat spiritus noster, quando intra felicia castra studii Parisiensis tot doctissimos ac magnanimos veritatis & orthodoxæ fidei pugiles intuemur. Gemat hæreticorum pravitas quantum potest, & evacuet contra tam munitissima castra pharetras suas turba schismatica. Nam sunt milites alumni nostri ad resistendum promptissimi, veritatis & fidei thorace muniti, habentes bicipitia spicula, quibus hostium con-

ANNO CHRISTI 1378.

da penetrentur: habent & faces ardentissimas caritatis, quibus illorum machinæ confundantur: habent & scaturientis fontis undas, quibus eorum faculæ protinus extinguantur. Ut nec illud prætereamus, cujus sola recordatione plurimum consolamur, quodque nuper cum ingenti gaudio fide dignorum relatione præcepimus, quemadmodum vos adversus eorumdem hæreticorum atque schismaticorum assertionem subdolam contra nos impudice loquentium, nonnullas sanctas, veras, & saluberrimas, & quales professionem vestram decet, in nostrum, immo memoratæ fidei favorem, & veritatis defensionem, sententias publice tenuistis, & contra quoscumque contrarium profitentes defensastis. Pro quibus universitatem vestram iteratis in Domino laudibus prosequentes, devotionem vestram requirimus & hortamur attentius, ac per aspersionem sanguinis Jesu Christi, cujus in hac parte res agitur, obsecramus, quatenus causam justitiamque nostram toti mundo notoriam, quam dicti pseudochristiani, veri satellites antichristi, obnubilant, ac schisma perniciosissimum in Dei ecclesia suscitare moliuntur, suscipere, immo jam susceptam velitis defensare, tanquam legitimi certatores: & ne inconsutilis veri Joseph tunica lanietur, sub Divinæ potentia dexteræ vos murum inexpugnabilem opponatis, hostiumque multitudinem nullatenus formidetis, sub signis militantes victricibus veritatis: quæ licet quandoque calumniantium fuscatis argumentorum coloribus impugnetur, vinci tamen non potest, & illorum nequit multitudine conculcari. Nihil enim facilius, quam pro veritate bellare: nulli clariores triumphi, nulla pinguiora spolia reportantur, quam quæ veritas defensa pollicetur. Ejo ergo athletæ magnanimi, & veritatis orthodoxæ fidei devotissimi defensores, contra illorum impugnatores & hostes feliciter insurgatis, ut proinde præter æternæ mercedis præmia, humanarumque laudum præconia, nostram & apostolicæ sedis benedictionem & gratiam ac exauditionem in vestris petitionibus, tamquam benemeriti reportetis.

Datum Romæ apud sanctam Mariam trans Tiberim XI. Kalend. Decembris, pontificatus nostri anno primo.

III. AD CAPITULUM ET CLERUM LODIENSEM

Laudat eum, quod Clementem antipapam esse defendat.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, capitulo & clero civitatis Lodiensis, salutem & apostolicam benedictionem.

CUm ineffabili mentis jubilo, Altissimo referimus gratias quas nostra potest infirmitas, ex eo quod, sicut a fide dignis accepimus, largitor omnium bonorum Deus mentium vestrarum oculos illustravit, ut declinatis laqueis quos per mundum, proh dolor! antichristus quasi undique jecit, per veritatis tramitem ambuletis. Pro quo prudentiam vestram dignis in Domino laudibus attollentes, devotionem vestram rogamus per viscera misericordiæ Jesu Christi, quatenus speciem fortitudinis assumentes, litteras, monita vel mandata illius hæresiarchæ, Roberti videlicet, olim basilicæ duodecim apostolorum presbyteri cardinalis, qui Clementem papam VII. ausu temerario nominari se fecit, excelsis & intrepidis animis respuatis, ejusque virulentis & pestilentissimis suggestionibus, quibus, sicut intelleximus, impressionem tumultumque popularem fuisse in canonica electione nostra mendose prætendit; nullatenus intendatis. Quinimmo tantum orthodoxæ fidei zelatores præfatum hæresiarcham, ejusque sectatores qui zizaniam in agro Dominico & cuncto populo Christiano serere non pavescunt, eorumque legatos & nuncios, quacumque dignitate præfulgeant, capere seu capi facere; ac alias persequi, toto mentis desiderio juxta vestrarum virium suppetentiam studeatis: proinde præter nostram & apostolicæ sedis gratiam, & humanæ laudis præconia, & æternæ vitæ præmia merituri. Deo etenim gratias, quod adversariorum nostrorum, qui adversus nos velut testes iniqui insurrexerunt, & in quibus mentita est iniquitas, malitia manifestissime detecta est, ac nostra innocentia nostraque justitia adeo notoria cunctis patet, quod nulla potest tergiversatione fuscari. Testis nobis ille est qui nihil ignorat, quod si sensissemus nos per ostium non intrasse, per horæ spatium non fuissemus ausi in Petri cathedra residere. Sed quia, sicut est toti mundo notorium, & non malitia hostium nostrorum, immo Christi, mentis eorum oculos obcæcasset, ipsum hoc etiam faterentur, prout alias ore & litteris confessi sunt, per evidentia facta manifestaque signa notissimum jam fecerunt, quod per viam sancti Spiritus ad sustinendum universalis ecclesiæ onera nostram imbecillitatem Dominus elegerat. Ideoque deposita formidine, fortitudinis thoracem induentes, decrevimus pro defensione veritatis & fidei catholicæ, sponsæque nostræ, quibuscumque periculis & persecutionibus objicere corpus nostrum: in illo qui in se sperantes non deserit, confidentes, quod ecclesiam suam nunquam derelinquet, sicut nec aliquando dereliquit, licet eam quandoque permittat persecutionum fluctibus agitari. Jam etenim procellulæ quę super cacumina montium se videbantur extollere, incipiunt quietari. Nam post nobis nuper missam de cælo victoriam, qua Britones & Vascones, aliique stipendiarii & præfati hæresiarchæ sequaces, conflicti fuerunt; post deditionem castri sancti Angeli de Urbe, eadem die non sine miraculo secutam: dilecti filii Neapolitani, zelo devotionis accensi, prædictum hæresiarcham, antipapam, & catholicę fidei subversorem, de civitate Neapolitanensi, in qua sperabat in pestilentiæ cathedra residere, cum magno opprobrio fugaverunt. Joanna quoque olim regina Siciliæ, quæ ab illis pestilentissimis viris seducta, per erroris tramitem ambulabat, abjurato errore hujusmodi, nos credit & tenet verum Jesu Christi vicarium, & cælestis clavigeri successorem: de die autem in diem ejusdem Joannæ solemnes nuncios expectamus. Die quoque tertia præsentis mensis, Jordanis de Ursinis de Mareno, qui nos & dilectos filios populum Romanum, cum auxilio sequacium antichristi multipliciter molestabat, illo faciente, in cujus ditione cuncta sunt posita, in spiritu humilitatis rediit ad obedientiam nostram & ecclesiæ prælibatæ. Super iis autem vobis latius explicandis, dilectis filiis Joanni de Dunghem & Joanni Leonis, magistris in artibus & utroque jure peritis, harum latoribus, velitis fidem indubiam adhibere.

Da-

ANNO CHRISTI 1378.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, secundo Idus Junii, pontificatus nostri anno secundo.

IV. AD EPISCOPOS ANGLIÆ.

De festo S. Annæ celebrando.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis & episcopis in regno Angliæ constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

SPlendor paternæ gloriæ, qui sua ineffabili mundum illuminat claritate, pia fidelium vota de ipsius clementissima majestate speranitium, benigno tunc præcipue favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas, sanctorum precibus & meritis adjuvatur. Cum itaque nuper pro parte nonnullorum Christi fidelium in regno Angliæ degentium fuerit expositum coram nobis, quod populus prædicti regni ad beatam Annam genitricem gloriosæ Virginis Mariæ matris Dei, etiam ob reverentiam ejusdem beatæ Mariæ virginis, singularem gerunt devotionis affectum; & pro parte ipsorum Christi fidelium nobis fuit humiliter supplicatum ut ipsius beatæ Annæ festivitatem in dicto regno solemniter & devote celebrari a prælatis, & aliis Christi fidelibus in ipso regno commorantibus, mandaremus: nos hujusmodi piam voluntatem & devotionis affectum prædictorum populorum plurimum in Domino commendantes, & cupientes ipsos Christi fideles Domino reddere acceptabiles, & bonorum operum sectatores; hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestræ præsentium tenore districte præcipiendo mandamus, quatenus prædictam festivitatem beatæ Annæ, annis singulis, perpetuis futuris temporibus devote & solemniter celebretis, & in vestris civitatibus & diœcesibus mandetis, & faciatis per vestros subditos celebrari.

Dat. Romæ apud sanctum Petrum, XI. Kalend. Julii, pontificatus nostri anno quarto.

CONCILIUM GLOCESTRIENSE

A Simone de Sudbury Cantuar. archiepiscopo cum suffraganeis celebratum anno Dom. MCCCLXXVIII.

De salariis presbyterorum.

Hujus concilii extat synodale decretum, editum tomo II. Anglicanæ collectionis in hæc verba.

SImon permissione Divina, &c. Venerabili fratri nostro, domino Willielmo Dei gratia episcopo Londonensi, salutem & fraternam in Domino caritatem. Effrænata generis humani cupiditas, cujus conatus nisi justitia sua virtute reprimeret, ita ex sibi innata malitia excresceret, quod caritas extra mundi terminos exularet. Sane communis ad nos querela perduxit, & magistra rerum experientia manifestat, quod moderni temporis sacerdotes, nostrarum civitatis, diœcesis, ac provinciæ Cantuariensis, adeo jam cupiditatis vitia infecerunt, quod stipendiis rationabilibus non contenti, pro labore salaria vendicant & recipiunt plurimum excessiva. Sacerdotes quoque prædicti sic cupidi & delicati, salariis excessivis hujusmodi sarcinati evomunt, indomiti delirant, & deficiunt, ac eorum nonnulli post ventris ingluviem, & varias carnis illecebras, spumant in libidinem, & tandem in malorum voraginem funditus demerguntur, in virorum ecclesiasticorum detestabile scandalum, & exemplum perniciosissimum laicorum. Et quamquam bonæ memoriæ dominus Simon de Islip, dudum Cantuariensis archiepiscopus, prædecessor noster, dum in humanis agebat, de fratrum suorum consilio & assensu statuit & ordinavit, quod cappellani annalia celebrantes, & cæteri animarum curæ non intendentes, quinque marcis; ecclesiis vero seu cappellis parochialibus & curæ eisdem imminenti officiantes, sex marcis, pro suis stipendiis annuis deberent contentari; in sacerdotes non parentes statuto hujusmodi pœnam suspensionis ab officio ipso facto imponendo: nos tamen temporum qualitate attenta, de fratrum & suffraganeorum nostrorum, XVI. dies mensis Novembris, anno Domini infrascripto, in quadam camera infra septa monasterii apostolorum Petri & Pauli Glocestriæ Wigorniensis diœcesis, propter hoc insimul congregatorum, consensu & assensu, super salariis sacerdotum parochialium & annalium in dictis nostris civitate, diœcesi, & provincia Cantuariensi, de cætero percipiendis, ordinamus & statuimus sub forma inferius annotata.

In Dei nomine, Amen. Nos Simon permissione Divina Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, de consilio fratrum & suffraganeorum nostrorum, statuimus, ut quicumque in nostra civitate, diœcesi, seu provincia Cantuariensi, pro animabus defunctorum annalia celebraturi, septem marcis, aut cibariis & tribus marcis, alii autem qui curæ animarum deservient, octo marcis, aut cibariis & quatuor marcis sterlingorum annuatim contententur: nullatenus ex pacto ultra id percepturi, nisi aliter loci diœcesanus, cum his qui curæ animarum deservient, primitus decreverit fore faciendum. Si quis autem clericus contra hanc nostram constitutionem dando seu recipiendo venire præsumpserit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto: a qua nisi per diœcesanum loci in quo deliquerit, non poterit absolvi. Sententias * vero in dicto statuto nostro contentas, post publicationem ejusdem, juxta canonum exigentiam, contra facientes eidem ligare volumus & involvi. Fraternitati igitur vestræ committimus & mandamus, firmiter

* f. sententiis ..... contentis ..... ligari volumus & involvi.

ANNO CHRISTI 1378.

miter injungentes, quatenus præmissa omnia & singula, in civitate & diœcesi vestris celeriter publicanda, & executioni debitæ demandanda quantocius transmittatis: de die vero receptioni præsentium, executionisque vestræ, ac modo & formæ ejusdem, & quid feceritis in præmissis, nos citra festum Paschæ proximum nunc futurum, certificetis per litteras vestras: injungentes eisdem suffraganeis nostris, ut eorum quilibet de facto suo in hac parte habito, nos citra festum prædictum certificet per litteras suas harum seriem continentes.

Dat. apud Lambheth quoad consignationem præsentium, VI. Kalend. Decembris ann. Dom. MCCCLXXVIII. & translationis nostræ anno quarto.

(1) CONCILIUM BENEVENTANUM

Habitum anno 1378. ad Hugone II. Guidardo Archiepiscopo.

Ex Synodico Bened.

I.

HUgo Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Beneventanus, una cum Venerabilibus fratribus suffraganeis nostris, & Venerabili Capitulo nostræ Beneventanæ Ecclesiæ Concilium Provinciale, & Synodale tenentes, constitutiones, & statuta per ipsos prædecessores nostros retroactis temporibus in suis Provincialibus Conciliis edita, & salubriter ordinata, ne quis prætextu ignorantiæ ab observatione ipsorum se valeat excusare, aut prætextu tardæ publicationis earum forte anderet in desuetudinem abiisse: una cum dictis suffraganeis, & Capitulo nostris de voluntate eorum, consilio pariter & assensu approbamus, innovamus, & ea perpetuis futuris temporibus irrefragabiliter observari volumus, & mandamus. Et quia Pastoralis Officii Nos cura sollicitat, sic utilitatibus subjectorum in illis præcipue, quæ animarum saluti consulunt, sollicite providere, quædam alia statuta, monita salubria, & mandata ad honorem Omnipotentis Dei, totiusque cælestis Curiæ utilitatem pariter, & tranquillitatem totius Provinciæ de novo statuimus, sancimus, & ordinamus de voluntate pariter, & assensu totius Capituli nostræ Beneventanæ Ecclesiæ, & Reverendorum in Christo Patrum Episcoporum suffraganeorum nostrorum infrascriptorum, auctoritateque Metropolitana ab omnibus legi sæpe, & intelligi, diligenterque, & firmiter observari præcipimus, & mandamus, quatenus transgressionem ipsorum, qui inobedientiam incurrerent, castigatione B debita, prout res exegerit, meritis puniemus, nisi forte aliter alicui obviarent supra quod disponere, seu quidquam facere non valemus, tunc volumus pro non statutis haberi.

II.

In primis namque damnamus, & perpetuo reprobamus omnem hæresim, & hæreticam pravitatem extollentem se adversus sanctam Orthodoxam, & Catholicam Fidem in his scriptis C excommunicatos publice nunciamus omnes hæreticos Patarenos Gazatores, pauperes de Ludino, Passaginos, Cesalpinos, Manicheos, Amadistas, Spenonestos, & alios omnes quibuscumque nominibus nuncupentur, & credentes eisdem, ut adeo sint excommunicati, & perpetuo maledicti, & bona ipsorum sint Nobis, & nostræ Curiæ confiscata, & suffraganeorum nostrorum, prout spectat ad Nos, & quemlibet eorumdem.

III.

D Item statuimus, & ordinamus, & sub excommunicationis pœna, & unius augustalis nostræ Curiæ, & nostrorum suffraganeorum dictorum applicanda, quod nullus de Civitate, Diœcesi, & Provincia Beneventana Clericus, sive Laicus, mas, vel femina audeat blasphemare, vel præsumat Deum, Beatam Virginem ejus Matrem, Sanctos, vel aliquem Sanctorum, nec in picturis, & E imaginibus eorum, vel alibi depictis, vel extra injuriam facere aliqualem.

IV.

1. Aliud Concilium habuerat Guidardus mense Aprili ann. 1374. in quo *Librum Provincialem ecclesiæ Beneventanæ*, a se ex præcedentium Conciliorum decretis confarciatum & directum edidit, & a Concilio approbandum curavit. Præfatum *Provincialem* librum in lucem emisit Eminentiss. tunc Cardin. Ursinus, mox Papa Benedictus XIII. in suo Synodico Beneventano pag. 66.

ANNO CHRISTI 1378.

IV.

Item præsenti constitutione monemus una monitione pro tribus, & peremptorie, quod nullus de Civitate, Diœcesi, & Provincia Beneventana cujuscumque status, ordinis, vel conditione * existat, præsumat depingere, seu depingi facere signum, seu imaginem alicujus in Ecclesiis, & locis aliis quibuscumque sub nomine Sancti, qui non fuerit expresse per sedem Apostolicam approbatus, & canonizatus, cum Romana Ecclesia Mater sit fidelium, & Magistra, nec liceat a capite membra * discedere, ne populus exinde novo decipiatur errore, alias in omnes, & singulos in contrarium facientes ex nunc, prout ex tunc excommunicationis sententiam ferimus in his scriptis.

Alias * Conditionis.

Alias * disdere.

Item sacrilegorum nefandam hæresim reputantes excommunicamus sententialiter in his scriptis omnes, & singulos subtrahentes de Ecclesiis, sive Cappellis Civitate, * Diœcesis, & & Prov. Benev. calices, seu libros, vel vestimenta sacerdotalia, seu paramenta Altaris, turribulum . . . . Crucem, candelabra, sive aliquod prædictorum ad divinum obsequium deputatum, & generaliter omnes, & singulos sacrilegos, eorumque participes in crimine memorato. *

Alias * Civitatis

Alias * memorato.

V.

Item præsenti constitutione statuimus, & mandamus, quod nullus de Civitate, Diœc. & Prov. Benev. Clericus, sive Laicus, masculus, vel femina præsumat aliquam speciem divinationis, sive invocationis demonum, vel speciem aliquam maleficii * faci nomine, vel facturæ aliquatenus exercere, nec facere exerceri, nec cum exercitoribus scienter in ipso exercitio * interesse. Omnes autem, & singulos contrarium facientes ex nunc, prout ex tunc in his scriptis excommunicationis vinculo sententialiter invadamus * aliis pœnis a jure statutis per Nos, aut suffraganeos nostros, prout ad quemlibet eorum pertinet nostro, vel eorum arbitrio infligendis spiritualibus, vel pecuniariis juxta personarum qualitates, & . . . . . delictus * in suo robore duraturis. Mandamus nihilominus universis, & singulis Archipresbyteris, Ecclesiarum Pastoribus, Presbyteris, & Cappellanis Civit. Diœc. & Provinc. Benev. sub excom. pœna, quam scienter contrarium facientes incurrere volumus ipso facto, quod singulis diebus Dominicis divinatores, aruspices, & alios supra nominatos in eorum Ecclesiis publice denuncient excommunicationis vinculo innodatos campanis, * extinctis, dum divina officia celebrantur.

Alias * facti.

Alias * fanti.

Forsan * innodamus.

Alias * delictorum.

Adde, & candelis.

VI.

Item addicienter præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis Abbatibus, Archipresbyteris, Ecclesiarum Rectoribus, & aliis superius nominatis sub pœna prædicta excommunicationis, ut crisma, oleum sanctum, & alia sacramenta, seu liquores, ita, & taliter custodire procurent, quod nullus sacramenta ipsa, seu eorum aliquid accipere valeat sine eorum expressa licentia, & permissu; in contrarium autem præsumentes, tam permittentes, quam recipientes excommunicationis sententiam ferimus in his scriptis; volentes, & etiam mandantes expresse eisdem, ut vasa, in quibus sanctum chrisma, & oleum reponuntur, fiant de cætero, & sint de stagno, vel metallo, & non de vitro, ita quod faciliter frangi non possint, nec liquores effundi

VII.

Item denunciamus excommunicatos omnes, & singulos fractores, & molitores Ecclesiarum, & Monasteriorum, & aliorum locorum Religiosorum, & piorum locorum, & omnes & singulos incendiarios, falsarios litterarum Apostolicarum, Archiepiscopalium, Episcopalium, Proditores Apostolicæ Sedis, & Officialium ejus, at * nostrorum, & nostræ Beneventanæ Ecclesiæ, & suffraganeorum nostrorum, & fautores eorumdem, qui omnes tamdiu excommunicationis sententiæ subjaceant, donec ad gremium S. Matris Ecclesiæ veniant, absolutionem, & misericordiam petituri.

Alias * sc.

VIII.

Item statuimus, constituimus, monemus, & ordinamus, quod nullus in Civit. Diœc. & Provinc. Benev. cujuscumque conditionis, & statu * existat per se, vel alium sub quocumque contractus titulo, vel sine contractu, quocumque colore, vel viam * quodcumque ge-

Alias * status.

Alias * via.

ANNO CHRISTI 1378

genus usurarum debent * committere, A vel exercere: alioquin omnes, & singulos contrarium facientes post dies quindecim ex nunc in antea computandos excommunicationis sententiæ sint vinculo innodati, & si per mensem unum in dicta sententia permanserint, teneantur, & puniantur, ultra prædictam pœnam, ad pœnam pecuniariam nostro arbitrio, & ipsorum suffraganeorum infligendam, nostro, * & ipsorum suffraganeorum Curiis applicandam.

Alias * debent.

Alias * nostra.

IX.

Item denunciamus excommunicatos ipso jure omnes, & singulos de Civitate, Diœcesi, & Provinc. Benev. locantes, seu donantes, vel alio quocumque titulo concedentes, scienter usurariis exercentibus, seu volentibus fenus, seu usuras exercere, vel eosdem usurarios permittentes sub quocumque colore in eorum domibus, in quibus habitationem habent, vel jus aliquod aliqualiter habitant. *

Alias * habeant.

X.

Item statuimus, ordinamus, ac etiam una monitione pro tribus, & peremptoriæ omnes, & singulos Notarios, & scriptores Civit. Diœc. & Provinc. Benev. quod nullus testamenta usurarium Civit. Diœc. & Provinc. Benev. contra quos publica forma * laborat, quod usurarii sint, scribant, nullusque Clericus, vel Laicus cujuscumque ordinis, vel conditionis, & status aut dignitatis existat pro teste eorum testamentis interfit, aut eisdem usurariis præstet auxilium, consilium, & favorem in condendis hujusmodi Testamentis, Codicillis, vel quibuscumque ultimum * voluntatibus, nisi satisfaciant prius de usuris perceptis per ipsos. Dictique Notarii, qui scribere hujusmodi Testamenta, tamquam personæ publicæ, nomine quorum interest, stipulentur, & * de satisfaciendo præstent Nobis, & nostris suffraganeis idoneam cautionem. Contrarium vero facientes, dicta monitione præmissa, excommunicationis sententiæ vinculo volumus subjacere.

Alias * fama.

Alias * ultimis.

Alias * etiam.

XI.

Item statuimus, & ordinamus, & sub excommunicationis pœna, quam in contrarium facientes hac nostra canonica monitione præmissa, & una pro omnibus ferimus in his scriptis in detestationem tantæ labis, & criminis, præcipimus, quod omnes utriusque sexus dictos usurarios publicos, & manifestos ubicumque degentes in nostris Civitatibus, Diœc. & Provinc. Nobis, B aut Vicario nostro, suffraganeis nostris, aut eorum Vicariis infra decem dierum spatium revelare, & denunciare procurent.

XII.

Item temeritatem effrenatam falsorum testium reprimentes, excommunicamus sententialiter in his scriptis omnes, & singulos perhibentes, seu producentes falsum testimonium, vel C falsos testes, vel utentes testibus, seu attestationibus quibuslibet, Instrumentis falsis scienter in quacumque Curia Civitat. Diœc. & Provinc. Benev. & nihilominus, præter excommunicationis pœnam prædictam, delinquentes in aliquo prædictorum in nostra Archiepiscopali Curia, nostro, vel aliorum, in quorum Curiis delinquentes reperti fuerint, arbitrio, eorum * decernimus puniendos.

Alias * etiam.

XIII.

Item, ut error symoniacæ pravitatis, & labes ejus funditus extirpentur, monemus sub excommunicationis pœna, & ordinamus, atque statuimus, quod nullus de Civitate, Diœc. & Provinc. Benev. pro aliquo beneficio obtinendo aliquod spirituale ex pacto, vel juramento, vel aliquod temporale, pecuniam, vel aliqua bona promittat, seu donet alicui Episcopo, Abbati, vel * aliquo Domino spirituali, nec non Comiti, Baroni, aliisque personis secularibus, cujuscumque existant præeminentiæ, seu patronis Ecclesiarum quarumcumque, vel suæ familiæ, vel etiam alicui alteri mediatori, vel procuratori, quocumque quæsito colore, vel etiam per aliquam transactionem cujuscumque beneficii Ecclesiastici, seu permutationem, nisi in quantum jura permittunt, supradicti autem sic symoniam committentes, tam dantes, quam recipientes, quam

Alias * alicui.

ANNO CHRISTI 1378.

quam etiam mediatores, ac etiam promittentes, & jurantes sint beneficiis Ecclesiasticis, quæ obtinent, ipso facto privati, & nihilominus sententiam excommunicationis incurrant. Adjicientes nihilominus, & mandantes, quod nullus patronus Ecclesiæ Civit. Diœc. & Provinc. prædictarum cujuscumque status, præeminentiæ, aut conditionis existat, litteras collationis dictæ Ecclesiæ, seu institutionis præsentati ad dictam Ecclesiam seu in posterum præsentandi, penes se retineat, seu habeat quoquo modo. Immo ipsas esse volumus penes institutum prædictum, donec vixerit, & quod nullus patronus Ecclesiæ cujuscumque prædictarum Civit. Diœc. & Provinc. quocumque quæsito colore recipiat, aut recipere possit quotam alienam fructuum, seu redituum ipsius Ecclesiæ ab instituto prædicto, nec aliquod annuum ab hujusmodi præsentato, seu præsentando per eum. Contrarium vero facientes tam dantes, quam accipientes pœnas easdem incurrere volumus ipso facto.

XIV.

Item quia nonnulli ambitionis vitio * furetici viam rectam oberrantes, ut cæci, & ovile per ostium non intrantes, dum beneficia vacant, Dominos temporales, & alios Magnates, & Potentes adeunt, ad prælatos, & alios ad quos spectat collatio, & institutio beneficiorum, ipsorum preces & licentias exigunt, & requirunt importunas; unde contingit, quod prælati ipsi Dominos temporales, & eorum indignationes verentes, sæpe indignis beneficia conferunt, & si non conferunt, & aliter per eos nominatis, ipsorum Dominorum & Potentum odium, & indignationem incurrunt, ex quo, prout sæpe experientia docuit, Prælatorum, & Ecclesiarum non modicum sequitur detrimentum. Nos volentes huic morbo, quod sine symoniæ vitio vix accidit, illam, quam possumus adhibere medelam, præsenti Constitutione in nostris Civitatibus Diœc. & Provinc. prædictarum perpetuo valiturra sancimus, ut quicumque Clericus Civitat. Diœc. & Provinc. prædictarum preces, vel litteras Dominorum, Potentum hujusmodi pro aliquo beneficio obtinendo impetraverit, vel obtinuerit per se, vel alium directe, vel indirecte, quocumque colore, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, & nihilominus, si vi, vel timore compulsus beneficia ipsi conferat, vel alios in eis instituat, declaramus auctoritate præsentis Constitutionis, collationem, seu institutionem hujusmodi non valere, & institutum modo præmisso, tanquam indignum fore penitus amovendum, ipsumque teneri ad restitutionem perceptorum.

Forsitan * Heretici.

XV.

Item præsenti constitutione sub excommunicationis pœna monemus omnes, & singulos Clericos, & laicos, cujuscumque ordinis, status, & dignitatis existant, Civit. Diœc. & Provinc. Benev. qui executiones debent facere testamentorum, & ultimarum voluntatum, vel in futurum debebunt, & tam hæredes, quam quoscumque Successores, & Possessores bonorum decedentium prædictorum condentium testamenta, ut executiones hæredum perficiant infra annum a die mortis, vel conditionis testamenti proximum computandum, decernentes ex nunc hujusmodi executiones elapso anno, vel conditione adveniente, prout jura volunt, ad Nos, & nostram Curiam, seu suffraganeorum nostrorum, & eorum Curias fore legitimum * devolutas, præsenti etiam constitutione monentes hæredes, & executores prædecessores, ut dicto elapso anno de executione ipsa nullatenus intromittant se, nec etiam interim de executione quorumcumque malorum ablatorum incertorum, quovis quæsito colore. Contrarium vero facientes ipso facto excommunicationis sententiæ vinculo innodamus, absolutione eorum Nobis, ac nostris suffraganeis, prout ad Nos, & ipsos spectat, ac nostro, & eorum Vicariis tantummodo reservata.

Alias * legitime.

XVI.

Item monemus sub excommunicationis pœna, quod nullus impediat directe, publice, vel occulte, quocumque quæsito colore, quo minus executiones prædictæ perficiantur in terminis supradictis, alioquin dictam sententiam excommunicationis incurrat ipso facto.

ANNO CHRISTI 1378.

XVII.

Item monemus sub excommunicationis pœna, ut supra, omnes, & singulos Notarios, Presbyteros, & Clericos Civitat. Diœc. & Provinc. Benev. qui testamentis seu ultimis voluntatibus quibuscumque facere * jam, vel ex nunc in antea faciendis pro Notariis, seu scriptoribus, & ubi ipsa scribantur, pro testibus tunc fuerint quod infra mensem unum post mortem illorum, quorum scripserint testamenta, vel alias quascumque ultimas voluntates, seu ut præmittitur, in non scripto pro testibus tunc fuerint, debeant Nobis, aut alteri, cui mandaverimus, aut nostris suffraganeis vel eorum Vicariis, seu aliis quibuscumque mandaverint, nomina testatorum accedentium, & executorum testamentorum ipsorum dare, & assignare in scriptis.

XVIII.

Item monemus, ut supra, omnes, & singulos Archipresbyt. Rectores Ecclesiarum, & Presbyteros, ac Cappellanos, aliosque Rectores cujuscumque Ordinis, vel conditionis existant, nec non omnes, & singulos Notarios, Judices, scriptores, & alios quoscumque tam mares, quam mulieres Civitatis, Diœc. & Provinc. Benev. qui ex nunc intererunt, seu assistent confectioni testamenti, seu testamentorum maris, vel feminæ Civitatum, Diœc. & Provinc. prædictarum, quatenus nullo quolibet quæsito colore, verbo, signo, vel facto impediant, seu turbent, vel aliter fraudulenter instruant, vel doceant facientes, seu contendentes testamenta, ut ipsi testatores aliquam clausulam, seu verbum apponant, vel alias apponi faciant directe, vel indirecte sub quacumque forma verborum, vel per taciturnitatem, seu alio modo quocumque, per quem Nos, & nostra Curia * defraudemur, & defraudentur portione canonica, & aliis juribus Nobis, & eis competentibus, prout jura volunt, & mandant. Contrarium vero facientes excommunicationis sententiæ subjacere volumus ipso facto.

Alias * nostra Curia.

XIX.

Item præsenti constitutione statuimus, & etiam ordinamus, quod nulla persona religiosa cujuscumque cujus * vel conditionis existat, quæ in Civit. Diœc. & Provinc. Benev. in testamentis, seu ultimis voluntatibus pro executore, aut distributore testamentario, alias quocumque nomine nuncupentur, per testatores, vel decedentes fuerin: ordinata de executione testamentorum ipsorum, aut ultimarum voluntatum se audeat intromittere, vel præsumat, aut bona quæcumque eorumdem ad suas manus recipere, vel de ipsis disponere quoquo modo, nisi prius coram Nobis, aut suffraganeis nostris, aut nostro vel eorum Vicariis dederit idoneam cautionem usque ad valorem bonorum per eum distribuendorum de dicta executione fideliter, & legaliter facienda, maxime quia plerique bona ipsorum sibi appropriant, aut de locis, in quibus est executio facienda, se transferunt ad remota, unde voluntates decedentium defraudantur. Contrarium vero facientes excommunicationis vinculo innodamus.

Alias * statui.

XX.

Item quamquam aliorum Doctorum Jure * Canonici sint opiniones diversæ, an dispositio male ablatorum incertorum spectet ad Diœcesanum, vel ad executores testamentorum defunctorum, Nos opinionem illam, tamquam magis juri consonam, & Doctorum plurimorum in hoc concordantium amplectentes, videlicet, quod dispositio male ablatorum incertorum ad Ordinarium, ac Diœcesanum, & Episcopum loci spectet tantum, & non ad executores testamentorum ipsorum, hac perpetua constitutione statuimus, ac etiam ordinamus, quod ipsorum male ablatorum incertorum dispositio, & executio sub quacumque forma verborum dimissorum, etiam si per ipsos testatores prædicta male oblata * incerta ad certos, & determinatos usus deputata sint, vel in posterum deputentur, quas deputationes ex nunc decernimus irritas, & inanes, & nihilominus, etiam si ipsorum executorum per testatores ipsos super dispositione eadem industria eligatur, ad Nos, & Successores nostros, aut suffraganeos nostros, prout ad quemlibet eorum, pertinere, & spe-

Alias * jure.

Alias * ablata.

ANNO CHRISTI 1378.

spectare debeat, atque spectet. Monemus omnes, & singulos executores, & hæredes quorumcumque Testamentorum * qui decesserunt, & in posterum decedent in Civit. Diœc. & Prov. Benev. una canonica monitione pro omnibus & peremptorie, ut de male ablatis incertis qualitercumque dimissis, vel dimittendis in posterum, infra menses duos computandos a die obitus decendentium eorumdem, Nobis, aut suffraganeis nostris, ac nostris, vel eorum Officialibus ad hoc deputatis, vel deputandis satisfaciat, cum effectu disponendis, & exequendis per Nos, vel ipsos suffraganeos nostros, prout Nobis, & ipsis pro salute animarum testatorum ipsorum salubrius visum fuerit expedire. Contrarium vero facientes, dicta monitione præmissa, ipso facto excommunicationis sententiæ decernimus subjacere.

Alias * Testamentorum.

XXI.

Item monemus, ut supra, omnes, & singulos executores, & hæredes, seu successores, & possessores bonorum defunctorum Civit. Diœc. & Provinc. Benev. qui infra annum a die conditi testamenti quartam, seu canonicam portionem Nobis, & episcopis suffraganeis, & nostræ, & eorum ecclesiis prædictarum Civitat. Diœc. & Provinc. de jure debitam non solverunt, quartam ipsam Nobis, & ipsis suffraganeis, clericis, & ecclesiis aliis, quibus tamdem * debent, integraliter debeant assignare, alioquin in contrarium facientes, canonica monitione præmissa, sententiam excommunicationis proferimus in his scriptis.

* Alias

XXII.

Item statuimus, & monemus una monitione pro tribus, & peremptorie, ac etiam excommunicamus, & excommunicatos in his scriptis denunciamus omnes illos cujuscumque status, ordinis, & conditionis existant, qui pecuniam, & alia bona legata, dimissa, & quomodocumque debita, seu relicta in ultimis voluntatibus, & testamentis, Nobis, operi fabricæ majoris ecclesiæ Beneventanæ, ac Prælatis, Clericis, & Cappellanis eorumdem, occupaverint, seu occupata tenuerint, non solvendo illa infra annum a tempore conditi testamenti, & tamdiu excommunicati existant, donec Nobis, episcopis, Prælatis, Clericis, & cappellanis ipsis legatariis satisfecerint cum effectu

XXIII.

Item, quia sunt nonnulli, prout multorum habet observatio, qui terras, prata, pascua, molendinos, silvas, nemora, domos, census, instrumenta, actaregestra, privilegia, & bona alia, & jura ad Nos, & Beneventanam ecclesiam, & ad ejus capitulum, & alias ecclesias Civit. Diœc. & Provinc. Benev. pleno jure spectantia, detinent occupata, seu alias indebite quovis modo, & ea solvere, & restituere negligunt in ipsorum animarum periculum, prædictarumque ecclesiarum præjudicium, & jacturam. Nos indemnitati eorumdem ex cura suscepti regiminis providere volentes, requirimus, & monemus omnes, & singulos occupatores, & detentores hujusmodi, & eorum participes, & scientes, ut infra unum mensem, a die publicationis præsentium in antea computandum, tunc * eis pro monitione canonica, & termino peremptorio assignamus, sub excommunicationis pœna, quam contra detentores, eorumque participes, & scientes si secus fecerint, ex nunc sententialiter ferimus in his scriptis, prædicta resignare, persolvere, & restituere prædictis ecclesiis, vel eis, ad quos eorum gubernatio spectare dignoscitur, ac participes, & scientes debeant revelare.

* Alias quem.

XXIV.

Item excommunicamus sententialiter in his scriptis omnes, & singulos, indebite turbantes, & molestantes possessiones, & bona majoris ecclesiæ Beneventanæ & ejus capituli, & aliarum ecclesiarum Diœc. & Provinc. Benev. tam mobilium, quam stabilium, nec non jurium, redditiuum, censuum, & aliorum proventuum dictæ eccl. Benev. & capituli suprad. & aliarum ecclesiarum, Diœc. & Provinc. suprad. scientes, eorumque participes, & scientes quicumque ad prædicta dederint consilium, auxilium, & favorem.

ANNO CHRISTI 1378

XXV.

Item præsenti constitutione monemus una monitione pro omnibus, & peremptorie omnes, & singulos cujuscumque præeminentiæ, conditionis, & status existant, qui Prælatis, personisque ecclesiasticis, regularibus, & sæcularibus imponunt, imposuerunt, vel imposuerint in futurum onera gravia quæcumque, ipsosque talliant, & collectam eis imponunt, & suorum proventuum dimidiam decimam, vel quamvis aliam pertinentem, aut quotam exigunt, & requirunt, eosque moliuntur subjacere servituti, suæque submittere ditioni, & qui talia imposuerint, vel exegerint a clericis, & personis ecclesiasticis, ipsis invitis, aut apud ædes sacras deposita, seu alia bona ecclesiastica ecclesiarum, ecclesiasticarumque personarum ubicumque in Civitat. Diœc. & Provinc. arrestaverint, sansiverint, seu acceperint, vel arrestari, sansiri, aut occupari mandaverint, aut occupata, sanxita, vel arrestata receperint publice, vel occulte, aut præstaverint in præmissis, & præmissorum quomodolibet, infra quindecim dierum terminum recipiscant *, quem terminum eis pro ultimo, & peremptorio termino assignamus: omnes autem, & singulos contrarium facientes ex nunc, prout ex tunc ipso elapso termino, sententiam excommunicationis incurrant, volumus ipso facto: Universitates quoque, quæ in his culpabiles fuerint, ex nunc, prout ex tunc, ecclesiastico suspendimus Interdicto.

* Alias recipiant.

XXVI.

Item denunciamus, & decernimus eo ipso excommunicationis sententiæ subjacere omnes, & singulos temporale dominium obtinentes, qui in terris eorum suis subditis præcipiunt, atque mandant, ne Prælatis, aut Clericis, vel personis ecclesiasticis quibuscumque vendant panem, & alia obsequia eis præstent, interdicunt, & prohibent, cum talia in derogationem libertatis ecclesiasticæ præsumantur.

XXVII.

Item statuimus, & præsenti constitutione sancimus, quod si quis ausu sacrilego præsumpserit aliqua Instrumenta, vel scripturas, & specialiter de actis, quæ in nostra curia, suffraganeorum nostrorum, & aliorum Ordinariorum Provinc. Benev. ventilantur, furtive, vel malitiose subtrahere, vel doloso modo raguerit, tanquam sacrilegus, & Ecclesiasticæ rei subtractor, eo ipso sit excommunicationis sententiæ innodatus. *

* Alias sententia innodatus.

XXVIII.

Item statuentes monemus in his scriptis pro primo, secundo, tertio, ac peremptorio, ac monitorio termino, & edicto, & una monitione pro tribus omnes, & singulos tam Clericos quam Laicos, cujuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis existant, impedientes, vel impedire in posterum præsumentes, vel fieri facientes, aut mandantes; aut impedientibus dantibus * consilium, auxilium, & favorem, officium nostrum & nostræ Curiæ, & nostrorum Suffraganeorum, & aliorum ordinariorum Provinc. Benev. jurisdictionem, & utilitatem nobis, & eis nostrarum & eorum Ecclesiis debitam de jure, publice, vel occulte, vel impedire volentes directe, vel indirecte, quæ personæ de prædictis sine mora, vel difficultate qualibet se debeant abstinere, etsi contra fecerint, & a prædictis se non abstinuerint, ex nunc prout ex tunc in contrarium facientes excommunicationis sententiam ferimus in his scriptis.

* Alias dantes.

XXIX.

Item quia, sicut ab antiquorum relatione percepimus, sunt nonnulli de præd. Civitate, Diœc. & Provinc., qui contra debitum rationis in præjudicium nostræ Benev. Eccles. & Suffraganeorum nostrorum prædictorum conferunt beneficia, de causis quibuscumque cognoscere, & alia exercere, quæ ad jurisdictionem nostram, nostrorumque Suffraganeorum prædict. legitime pertinere noscuntur, ausu temerario non verentur. Volentes igitur super iis de opportuno remedio providere, hac constitutione in perpetuum valitura sancimus, quod nullus de Civit. Diœc. & Prov. Benev. cujuscumque status, præeminentiæ & conditionis existat, in prædictis Civitatibus, Diœc., & Provinc. talia quomodolibet obtentare præsumat, nisi prædicta sibi a jure, seu speciali privilegio, vel aliqua causa legitima pertinere

ANNO CHRISTI 1378.

nere noscantur, de quibus Nobis, aut dictis Suffraganeis nostris infra duorum mensium spatium fidem sufficientem dare procuret, & plenarie informare. Contrarium vero facientes, quia excessus, & enormitas hoc requirit, excommunicationis sententiam, ac beneficii, quodcumque * obtinent, privationem incurrere volumus ipso facto. Collationem autenticam * quorumque beneficiorum, seu causarum cognitiones, & processus, ac quæcumque pro * quorum, seu qua nostra jurisdictio, seu Suffraganeorum nostrorum valeat impediri, seu lædatur in aliquo, per ipsos hactenus facta, vel in posterum faciendo, omni robore vacuamus, & nullius esse volumus firmitate. *

* Alias quod.

* Alias autem.

* Alias pro quibus.

* Alias dignitatem.

XXX.

Item statuimus, & præsenti constitutione monemus una monitione pro tribus, & peremptorie omnes, & singulos Clericos, & Laicos Diœc. & Provinciæ Benev. cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, vel dignitatis existant, quod nullus præsumat, vel attentet occupare, detinere dignitatum * vel personatum, Ecclesiam seu quodcumque beneficium Ecclesiasticum auctoritate propria per se, vel alium aut possessiones, fructus, redditus, & proventus eorumdem absque institutione canonica, seu collatione Prælati, ad quem dignoscitur pertinere, aut de administratione Abbatiarum, & Ecclesiarum se aliquatenus intromittat, vel de juribus eorum aliquod recipiat absque voluntate, & mandato Rectorum Ecclesiarum illarum, quibus Rectoribus hujusmodi dignitates, personatus, vel benef. concessa fuerint per Prælatos eosdem, etiam si jus aliquod patronatus, vel electionis habeat in eisdem, alioquin in omnes, & singulos supradictos, qui post mensem unum in antea computandum, prædicta, vel aliquod prædictorum accipere, occupare, aut invadere præsumpserint, vel occupata, seu subtracta olim tenuerint, vel teneant absque collatione, & licentia speciali, ut est dictum, & Cappellanos servientes in divinis officiis post mensem unum in antea numerandum in prædictis dignitatibus, personatibus, Ecclesiis, & beneficiis nomine prædictorum, occupatorum, vel detentorum quorumlibet sine licentia speciali, in his scriptis excommunicationis sententiæ vinculo innodamus, præsenti quoque constitutione adjicientes, quod quicumque per Nos, aut suffraganeos nostros, seu alium, ad quem spectat, in Abbatem, Archipresbyterum, Rectoremque confirmatus, seu institutus fuerit, antequam prædictorum Abbatiæ, Archiprebyteratus, ac Rectoriæ, vel alterius beneficii cujuscumque possessionem adipiscatur, litteras nostras, vel aliorum, ad quos spectabit beneficium conferre, nostro, vel eorum sigillatas sigillis *, quod si aliquis eorum contrarium fecerit, confirmationes restitutiones *, & collationes prædictæ sint irritæ ipso jure, & omni jure, per ipsos confirmatos, * institutos propter acquisito eo ipso priventur, nullusque interim tamquam Abbatibus, Archipresbyteris, aut Rectoribus obediat, vel intendat.

* Alias animam.

* Adde obtineat.

* Alias institutiones.

* Adde, &

XXXI.

Item quia nonnulli in Civitate, Diœcesi, & provinc. Benev. beneficia, seu beneficium, ut commodata, detinere noscuntur, quæ ad collationem nostram, aut suffraganeorum nostrorum vel aliorum Ordinariorum noscuntur jure ordinario pertinere, excommunicamus sententialiter in his scriptis tenentes recommendata taliter, seu aliter dicta beneficia, vel eorum aliquod absque justo titulo, vel tenentes unum beneficium curatum, & aliud præsumentes recipere, habens curam eamdem, & non resignantes Nobis, aut illis, ad quos spectant eadem beneficia, & scientes, & non revelantes Nobis, & illis infra mensem unum, a die publicationis præsentium computandum, quem eis pro termino peremptorio, & monitione canonica assignamus, addentes constitutioni prædictæ, quod nihilominus recipientes beneficium cum cura animarum habendo *, & aliud simile beneficium sine dispensatione legitima, sint ipsius beneficiis ipso facto privati.

* Forsan hujusmodi.

XXXII.

Item præsenti constitutione monemus omnes, & singulos de Civitat. Diœc. & Provinc. Benev. Decanatum, Archipresbyteratum, Abbatum *, Prioratum, personatum, vel dignitatem curam animarum habentem annexam, aut Parochiales Ecclesias obtinentes, quod infra annum ex nunc a tempore, quo in antea hujusmodi dignitatum, personatum, & beneficiorum possessionem ha-

* Alias Abbatiam.

ANNO CHRISTI 1378.

buerint, si Archidiaconus, saltim in Diaconum, supradicti vero alii ad Presbyteratus ordinem se faciant promoveri, & nullus promoveatur ad aliquem prædictorum ordinum, vel jam promotus obtineat, nisi vicesimum annum quintum suæ etatis attigerit, vel habuerit, & de legitimo matrimonio procreatus, moribus, & scientia commendatus existat; alioquin contrarium facientes, decernimus, & declaramus prædictis beneficiis, personatibus, dignitatibus, & beneficiis supradictis esse ipso facto privatos.

XXXIII.

Item quicumque in Civit. Diœc. & Provinc. Benev. habet, vel tenet Ecclesiam aliquam curam animarum habentem, seu Ecclesiam Parochialem limitatam, si sit absens a Civit. vel loco, ubi Ecclesia ipsa consistat, teneatur infra trium mensium spatium, post publicationem præsentium, ad ipsam Civitatem, vel locum redire, & post reditum in ipsa Ecclesia in divinis Officiis, temporibus, & horis consuetis, & congruis, ac debitis serviendo personaliter residere, alias, si non redierit, vel si post ipsum reditum cessaverit per mensem in ipsa Ecclesia in dictis divinis Officiis serviendo personaliter residere, decernimus in punto ipso dicta Ecclesia fore privatum, nisi habens prædictam Ecclesiam in majori Beneventana Ecclesia, vel aliis Cathedralibus Ecclesiis nostræ Provinc. in divinis Officiis serviendo faciat residentiam personalem; quo casu in Parochiali Ecclesia, ut hactenus est consuetum, faciat deserviri, nisi de nostra, Suffraganeorum, & aliorum Ordinariorum, & Superiorum suorum mandato, & licentia speciali; quo casu volumus, quod ille, qui dictæ Ecclesiæ deserviet, per Nos, & nostram Curiam, aut Suffraganeos nostros, & eorum Curias approbetur, ne cura animarum committatur minus idoneo; & quod dictus substitutus, seu deserviens, Nobis, aut nostræ Curiæ, vel ipsorum Suffraganeorum, infra unum mensem a publicatione præsentis constitutionis, præsentetur, per Nos, vel eos approbandus, alii quin dicto beneficio sit ipso jure privatus

XXXIV.

Item considerantes, quod propter absentum * beneficiorum nostræ Diœc. & propter licentiam, & dispensationes per Nos, & Prædecessores nostros, seu per Vicarios nostros, & dictorum Prædecessorum de non serviendo in eisdem beneficiis hactenus concessas, in eisdem beneficiis divinus cultus minori cura negligitur, eleemosynæ, & hospitalitates pereunt, edificia dissolvuntur & corruunt, jura, & bona eorumdem beneficiorum indebite usurpantur, & remanent defensa, & multa alia mala sequuntur, prout nos docet experientia, & evidentia facti demonstrat; idcirco omnes licentias, & dispensationes prædictas tam per Nos, quam Prædecessores nostros, vel Vicarios prædictos, seu alios quoscumque auctoritate nostra, vel prædictorum Prædecessorum nostrorum ex quibuscumque causis, & sub quacumque forma, vel expressione verborum hactenus concessas, factas, vel donatas, in hac præsenti Synodo revocamus omnino, & pro revocatis, & nullis de cætero haberi volumus, nisi sint concessæ residentibus in servitio D. N. Papæ vel Dominorum Cardinalium vel in nostro.

* Alias absentiam.

XXXV.

Item hac perpetua, & inrefragabili constitutione sancimus, quatenus singuli Canonici nostræ Beneventanæ Ecclesiæ, ac alii Presbyteri curam animarum habentes, infra Civit. Benev. degentes ad præsens, & qui ibidem in posterum morabuntur, nec non, & singuli Canonici suffraganeorum nostrarum Ecclesiarum, & Presbyteri alii curam animarum habentes, degentes infra Civitatem *, in quibus sunt inter * prædictæ Suffraganeæ, & Cathedrales Ecclesiæ situatæ, & qui ibidem in posterum morabuntur, Nobis tantum, & Ecclesiæ nostræ subjecti, singulis diebus, quibus solemnes Rogationes, Letaniæ; seu Processiones a jure, vel a Nobis, aut a nostris Suffraganeis quomodolibet indicantur, vel etiam indicentur, induti superpelliceis ad sonum campanæ dictæ nostræ majoris Ecclesiæ, seu Ecclesiarum Cathedralium suffraganeorum nostrorum, in dicta nostra Ecclesia, vel aliis Cathedralibus supradictis, vel alibi, si aliud duxerimus, seu duxerint dicti nostri Suffraganei mandandum, convenire personaliter

* Alias Civitates.
* verbum redundans.

ANNO CHRISTI 1378.

ter teneantur, ituri ad locum, & auditurí Letanias, seu Processiones, si, & prout Canonici dictæ nostræ Beneventanæ Ecclesiæ, seu aliorum prædictarum Ecclesiarum duxerint faciendum. Contrarium vero facientes pro quolibet pœna trium carolenorum nostræ Curiæ, seu Suffraganeorum nostrorum prædictorum Curiis applicanda, tenore præsentium fore plectendos *.

* Addo determinus.

XXXVI.

Item statuimus, & etiam ordinamus, quod nullus Archipresbyter, vel Prælatus, seu Rector alicujus Ecclesiæ, vel quivis alius Clericus Civit. Diœc., & Provinciæ Beneventanæ possessiones, & bona suæ Ecclesiæ vendere, alienare alicui audeat, vel locare, nisi manifesta utilitas Ecclesiæ inde appareat, & proveniat, jure * solemnitatibus in contractibus observatis, alias in contrarium facientes, tam dantes, quam recipientes excommunicationis sententiam proferimus in his scriptis, & ipsa locatio, venditio, & alienatio sit, & sint nulla, & nullæ, & ipso jure irritam, et cassam, et ipsam, et ipsas ex nunc suis viribus vacuamus.

* Alias juris.

XXXVII.

Item, quia nonnulli Abbates, tam Regulares, quam Sæculares, atque Capitula, & Collegia, & Archipresbyteri, ecclesiarum Rectores, & alii Clerici, ecclesiasticæque personæ Civitatis, Diœc., & Provinc. Benev. Jurisdictioni nostræ subjecti, Abbatias, vel Ecclesias, seu Beneficia Ecclesiastica obtinentes, cupiditates * vitio laborantes, domos, hortos, vineas, & alia ecclesiastica bona immobilia ad longum tempus locare, in emphiteosim concedere, & alienare absque legitima caussa præsumunt, in ipsius contractus initio recipientes aliquam pecuniæ quantitatem sub nomine pensionis, & postmodum annis singulis recipiunt longe minorem quantitatem sub nomine pensionis, vel census quam ipsorum bonorum, seu possessionum fructus valere noscuntur, propter quæ Ecclesiis ipsis maximum præjudicium generatur. Unde Ecclesiarum indemnitati, & statuta * providere volentes, quamvis super hoc sit satis a jure provisum, hac consultissima constitutione apertius declaramus, quod Abbates tam Regulares, quam Sæculares Archipresbyteri, Ecclesiarum Rectores, & alii Curati, Ecclesiasticæque personæ Civitat., Diœc., & Provinc. Benev., seu ipsorum aliquis domos, apothecas, hortos, vel vineas, seu alia Ecclesiastica bona immobilia locare, etiam ad quinquennium, vel in emphiteosim concedere, permutare, vel alias qualitercumque alienare, etiam in casibus a jure permissis, absque speciali licentia nostra, & consensu expresso, vel Suffraganeorum nostrorum, ut spectat ad eos, nullo modo præsumant ex quinquennali locatione, vel in emphiteosim concessione, vel prolixiori quinquennio, vel * noster, vel eorum consensus accedat, pecuniam nullam recipiant, *nisi sicut tanguntur cum singuli locationis prædictæ* *; contrarium vero facientes in aliquo præmissorum eo ipso excommunicationis sententiam incurrant, & nihilominus pœnam pecuniariam pro nostro, vel ipsorum suffraganeorum arbitrio infligendam non evadant, & locatio, permutatio, & in emphiteosim concessio, vel alias quicumque contractus, qui aliter celebrabitur super bonis Ecclesiasticis supradictis nulla, & nulli ipso jure existant, & nullam obtineant roboris firmitatem, nec pœnæ abitio, vel juramentum, seu aliqua alia obligatio, vel promissio intervenientes in præmissis teneant, vel valeant, sed penitus nullius existant momenti, non intendentes propterea aliis solemnitatibus, quæ intervenire debent in Ecclesiarum rerum alienatione, aliquatenus derogare.

* Alias cupiditas.

* Alias forti.

* Alias nisi.

* Obscura locutio.

XXXVIII.

Item sæpe contingit, quod nonnulli vinculo excommunicationis adstricti, ut Apostatæ, vel irregulares, seu criminosi, & Sacramentorum indigni, patriam, unde de eis habetur notitia, fugientes, in Civitat. Diœc., & Provinc. Benev. improbe * ingerunt celebrationi Missarum, populo præsumunt, non sine gravi offensa Dei, etiam ministrare Ecclesiastica sacramenta. Nos igitur animarum ipsorum periculis obviare, & Christifidelibus, ne decipiantur, succurrere ex officio debito cupientes, sancimus, quod nullus nationis ignotus *, vel forensis, aut alicujus Civitatis, vel Dyœcesis oriundus, quod de quolibet præsumatur, nisi saltem per famam ipsius origo bona, vel competentibus indiciis approbetur, audeat, vel

* Addo se.

* Alias ignota.

ANNO CHRISTI 1378.

vel præsumat in Civit. Diœc., & Prov. Benev. præd. Missam, vel Missas celebrare, nec alicui ministrare Ecclesiastica sacramenta, sine nostra, vel Vicariorum nostrorum, aut Suffraganeorum nostrorum, vel Vicariorum suorum, prout ad eorum quemlibet pertinet, licentia speciali. In contrarium vero facientes excommunicationis sententiam ferimus in his scriptis. Indicamus autem licentiam nullatenus esse de gratia concedendam, nisi de vita, ordinibus, & moribus plenarie fiat fides.

XXXIX.

Item, quia prout ad nostrum pervenit auditum, plerique Canonici Civitatis, Diœcesis, & Provin. Benev. non quæ Jesu Christi sunt quærentes, lucris temporalibus inhærentes in Civit. Diœc., & Provin. supradictis, specialiter in nostra Benev. majori Ecclesia, quæ * ultra septem Missas in eorum Hebdomada in beneficium assecuntur, qui non valentes personaliter servire eisdem, per substitutos minus legitime serviunt, quinimmo deserviunt contra sacrorum Canonum instituta; volentes, prout officii debitum Nos compellit, de salubri remedio providere, monemus omnes, & singulos Canonicos, ac Sacerdotes Civit. Diœc. & Provinc. Benevent. & in eis commorantes, una monitione pro omnibus, quatenus infra quindecim dies a die publicationis præsentium computandos, missas ultra septem numero supradictarum, & ipsorum beneficia in nostris manibus, vel eorum, ad quos spectat, Capitulo, & præsentatis earumdem debeant assignare, & in futurum ultra prædictum numerum, & stipendiis eorumdem privamus, & privatos esse volumus, & decernimus in his scriptis; mandantes nihilominus sub pœna prædicta omnibus, & singulis Clericis nostrarum Civitatum, Diœc., & Provinc. quod hujusmodi Missis * Nobis, aut nostro Vicario, qui pro tempore fuerit, & suffraganeis nostris, aut eorum Vicariis in scriptis notificare, & revelare procurent.

* Verbum redundan.

* Alias missas

XL.

Item monemus omnes, & singulos Abbates, Archipresbyteros, & Laicos Civitatis, Diœc., & Provinc. Benev. ad quos Cappellarum, & Missarum prædictarum præsentatio, seu institutio pertinet, tam in nostra Benev. majori Ecclesia, quam in aliis Ecclesiis prædictarum Diœc., & Provinc. ut de cætero sollicite advertant, ut ne Canonicis Sacerdotibus habentibus Missas plures in ejusmodi, prout superius proxime sit * expressum, conferunt, * & si contra monitionem nostram fecerint, præsentationem, seu institutionem ipsam nullam decernimus ipso facto.

* Alias suis.
* Alias conferant.

XLI.

Item advertentes perpensius, ne defunctorum intentio defraudetur, decernimus, quod non liceat executori alicui testamentario, vel alteri, qui dispositionem, seu commissionem habeat, aliquas Missas facere celebrari, domos, terras, vel possessiones ad hoc specialiter deputatas tenere, certam dando pecuniam Missas celebrantibus supradictas, sed domos, & possessiones prædictas infra unius mensis spatium, a die publicationis præsentium * constitutionis in antea computandum, celebrantibus dictas Missas assignare, nisi per testatorem aliud fuerit ordinatum, de qua ordinatione infra mensem prædictum coram Nobis, vel aliis Ordinariis, aut nostra, vel eorum Curiis executores, & hæredes prædicti fidem facere teneantur; in omnes, & singulos autem contrarium facientes in his scriptis excommunicationis sententiam promulgamus.

* Alias præfatis.

XLII.

Item monemus omnes, & singulos Abbates, Archipresbyteros, & Religiosos quoscumque, & Rectores Ecclesiarum, ac Clericos Civit. Diœc. & Provinc. Benev. cujuscumque ordinis, status, conditionis existant, quod nullus in subscriptis casibus Archipresbyter in ipsis a jure speciali reservatis, videlicet de Hæreticis, Sodomitis, falsis Testibus, & Perjuriis, Incestuosis, Sacrilegiis, * & Monialium corruptoribus, & aliarum Virginum violatoribus, aut de Monialibus egredientibus extra sua Monasteria, contra Decretalem Bonifacii Papæ VIII., & ingredientibus in Monasteriis earumdem, nisi ex causa legitima, & rationabili, de blasphematoribus Dei, B. Virginis, & sanctorum sacrilegis, permutationibus votorum quorumlibet, de excommunicatis majori excommunicatione, de dispositoribus male ablatorum incertorum, de Ma-

* Alias sacrilegis.

ANNO CHRISTI 1378.

Matrimoniis clandestinis, vel contra Interdictum Ecclesiæ factis, de suffogationibus, & oppressionibus filiorum ex proposito, vel casualiter, de incendiariis, de divinatoribus, & detemptoribus bonorum Ecclesiarum, de muliere, quæ de adulterio concepit infantem, quem maritus credit esse suum, propter quem hæredes legitimi hæreditate fraudantur, de mulieribus, & aliis procurantibus abortum, item de illis, qui contradictis sponsalibus cum Sacramento, & non dissolutis, contrahunt cum aliis, & de peccato luxuriæ commisso inter mulierem, & Confessorem suum, vel proprium sacerdotem, & aliis criminibus publicis, qui casus sunt Nobis, & Episcopis reservati, absolvere delinquentem præsumant, vel se de talibus intromittant, sed ipsos ad Nos, aut suos Ordinarios remittant, absque nostro, vel ipsorum Ordinariorum speciali mandato, nisi in articulo mortis, & tunc si copiæ Ordinarii commode haberi non possint, vel possit, & prædicti delinquentes satisfecerint primo ubi tenentur, vel de satisfaciendo præstaverint idoneam cautionem: & nihilominus adjungendo Constitutioni prædictæ statuimus, & ordinamus, quod nullus Religiosus pretextu executionis, vel alterius personæ Civit. Diœc., & Provinc. Benev. audire confessionem præsumat, aut etiam absolvere, vel ligare, nisi Nobis, & nostris suffraganeis, prout ad eos spectet, fuerit præsentatus, & per Nos, & eos approbatus, ut Constitutio Bonifacii VIII. super hoc edita, & per Clementem V. confirmata mandat expresse. Omnes autem Religiosos extra eorum Monasteria, & loca infra dictam Civitatem, Diœc., & Provinciam nostras, confessiones audientes, & contrarium facientes, tamquam in delinquentes in loco Jurisdictionis nostræ, & suffraganeorum nostrorum pœnam a jure statutam incurrere volumus, adjicientes Constitutioni prædictæ, quod nullus vigore, seu auctoritate cujuscumque commissionis per Nos, vel suffraganeos nostros, aut nostrum, vel eorum Vicarios factæ, vel forsitan faciendæ de audiendis Confessionibus, & de potestate absolvendi a prædictis casibus, & aliis Nobis, & eisdem suffraganeis de jure, vel de consuetudine reservatis, se aliquando intromittat, nisi super hoc licentias nostras, aut suffraganeorum nostrorum, seu Curiæ, vel eorum Curiæ habeant, in quibus casus, qui committuntur, distincte, & particulariter sint expressi, alioquin Commissionem prædictam decernimus non valere: Litteras autem, & licentias, quæ super hujusmodi per Prædecessores nostros emanarunt, tenore præsentium revocamus.

XLIII.

Item præsenti Constitutione monemus sub excommunicationis pœna, quam si secus fecerint, incurrere volumus ipso facto, omnes, & singulos Cives Beneventanos, quod decimas tam prædiales, quam personales Ecclesiarum, quarum sunt Parochiani, jure divino debitas, solvant ipsarum Ecclesiarum Rectoribus annis singulis per totum mensem Octobris, & de non solutis, ut tenentur, satisfaciant competenter: mandamus nihilominus sub pœna prædicta omnibus, & singulis Archipresbyteris, Ecclesiarum Rectoribus, & cunctis prædictarum Civitat. Diœc., & Provinc., quod singulis diebus Dominicis in eorum Ecclesiis, cum Divina officia celebrantur, præsentem Constitutionem debeant publicare.

XLIV.

Item præsenti Constitutione monemus pro primo, secundo, tertio, & peremptorio termino omnes, & singulos tam mares, quam mulieres, & Religiosos quoscumque cujuscumque ordinis, status, & conditionis existant Civitat. Diœc. & Provinc. prædictarum, vel domicilium habentes, ac moram trahentes in ipsis, quod ad decimas Clericis, & Ecclesiis dictarum Civitatum, Diœc., & Provinc. jure divino debitas manus extendant per se, vel alios quoquo modo, nec decimas ipsas accipere, invadere, ac occupare præsumant directe, vel indirecte, publice, vel occulte, & si quas occupaverint, illas infra duos menses, a die publicationis constitutionis hujusmodi in ante computandos, restituant Rectoribus Ecclesiarum, & Ecclesiis, quibus debentur decimæ supradictæ, dictique Religiosi de possessionibus eorum, & de fructibus ex ipsis obvenientibus decimam persolvant Rectoribus Ecclesiarum, in quarum Parochiis loca ipsorum Religiosorum, & possessiones ipsæ sunt situatæ, nisi super hoc privilegium exemptionis haberent, de quo infra duos menses ab hodie in antea computandos fidem facere, si voluerint, teneantur, alias in singulos

ANNO CHRISTI 1378.

contrarium facientes ex nunc, prout ex tunc excommunicationis sententiam proferimus in his scriptis, & vigore præsentis constitutionis excommunicationis sententiæ sint vinculo innodati.

XLV.

Item statuentes, ut supra, monemus Abbates, Archipresbyteros, Ecclesiarum Rectores, & Cappellanos Ecclesiarum Diœc., & Provinc. Benev. quarum * quartilias decimarum, mortuariorum, & aliarum obventionum Nobis, & dictæ Ecclesiæ Benev., & aliis Episc. Ordinariis eorum debitam, * integraliter solvant, & satisfaciant omnes singulis Nobis, & Procuratoribus nostris, aut dictis Episcopis, vel suis Procuratoribus per totum mensem Novembris anni cujuslibet sub excommunicationis pœna, quam in contrarium facientes proferimus in his scriptis.

* Alias quarternas.

* Alias debitas.

XLVI.

Item, ut Clericorum actus, & mores, quorum vita aliis debet esse magistra, in melius reformentur, omnes, & singulos Canonicos, Sacerdotes, & Clericos Civit. Diœc., & Provinc. Benev., & commorantes in eis, ludentes ad taxillos, in augustale unum, aut aliquod genus armorum pedites portando per Civitatem, Diœcesim, & Provinc. supradictas, nisi itinerando, in carolenis quindecim carolenorum argenti, nostræ, & ipsorum suffraganeorum cameræ persolvend. decernimus punien- D dos vice qualibet in his scriptis, nisi in casibus a jure permissis: inhibentes nihilominus sub pœna prædicta omnibus, & singulis Clericis in sacris ordinibus constitutis, ut non deferant, nec deferre præsumant capucea buttennata, seu cum buttonibus, sed aliter suta, ut decet, & honeste.

XLVII.

Item præsenti constitutione sub excommunicationis pœna monemus omnes, & singulos Archipresbyteros, & sacerdotes cujuscumque status, ordinis, seu conditionis existant, Civitatis, Diœc., & Provinc. Benev., quod vestes decentes, & congruas portare, & deferre cintas debeant, non apertas, & buttennatas ex parte anteriori, vel cum gironibus circumdatas, vel breves, cum tales vestes * more sæcularibus competant, & non congruis * Ecclesiasticis, & in sacris Ordinibus constitutis.

* Adde de.

ANNO CHRISTI 1378.

* Alias congruent.

XLVIII.

Item sicut percepimus ex testimonio satis digno, sunt plerique Clerici, & Sacerdotes, qui potius luxuriæ relaxatis habenis, quam freno honestatis irriti, * more laicorum per tabernas continuo discurrere non verentur, denigrando modestiam ordinis Clericalis. B Volentes cura pastoralis Officii de salubri remedio providere, omnes, & singulos Canonicos, Sacerdotes, & Clericos bibentes, vel comedentes in aliqua taberna, vel ante ipsam in Civitate, vel suburbiis, nisi itinerando, aut in castris, in quibus habitant, in floreno auri uno vice qualibet dictæ cameræ nostræ, vel suffraganeorum nostrorum applicando, puniendos decernimus in his scriptis.

* Alias irretiti.

XLIX.

Item verentes attentius, quod nonnulli Clerici de Civit. Diœc., & Provinc. Benev. & commorantes in eis, ab alienis Episcopis minus legitime ad sacros Ordines se faciant promoveri, excommunicamus sententialiter in his scriptis omnes, & singulos de Civit. Diœc., & Provinc. suprad. qui subreptitie, præter nostram, aut Vicariorum nostrorum, aut Episcoporum suffraganeorum nostrorum, aut Vicariorum suorum conscientiam in prædictis licentia non obtenta, ab aliquo Prælato se faciant ad aliquem ordinem promoveri, & omnes illos etiam, qui sacrum chrisma, & oleum sanctum, & oleum infirmorum ab alienis Episcopis accipiunt, licentia non obtenta: injungentes nihilominus omnibus, & singulis Canonicis Diœc., & Provinc. præd. ut nullus absque nostra, seu Vicariorum nostrorum, aut suffraganeorum nostrorum, vel Vicariorum suorum licentia, vel aliorum, quibus duxerimus, aut duxerint committendum, primam tonsuram, aut alios minores ordines, aut sacros ordines accipere præsumat, quin primo fidem faciant de susceptis, & litteras testimoniales penes se habere procurent; alioquin contrarium facientes ad dictam tonsuram, & sacros ordines admitti prohibemus, & dictam excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto.

L.

ANNO CHRISTI 1376.

Item, quia insinuatione frequenti nostris est auribus intimatum, quod nonnulli Canonici, Sacerdotes, & alii Clerici Civit. Diœc., & Provinc. Benev. & commorantes in eis in sacris Ordinibus constituti mercantias, tabernas, & alia mercimonia exercere in opprobrium ordinis Clericalis, atque mali exempli perniciem non verentur, monemus omnes, & singulos Canonicos, Sacerdotes, quatenus Tabernam tenere, mercantias, & alia mercimonia exercere ulterius non præsumant. Contrarium vero facientes in uncia auri una carlenorum argenti, ut supra, dictæ Cameræ nostræ, vel suffraganeorum nostrorum applicanda decernimus puniendos. Declaramus autem non includi in constitutione prædicta vendentes vinum, vel grecum, seu fructus Tabernariis, vel aliis Mercatoribus, licet dicti Tabernarii, vel Mercatores dictum grecum, vel vinum vendant, seu vendi faciant ad minutum, & locatores suarum domorum, quamquam Conductores, ipsas Tabernas in eisdem voluerint exercere, dummodo in dictæ Constitutionis fraudem nil fiat.

LI.

Item statuimus, & mandamus, quod nullus de Civit. Diœc. & Provinc. supradictis cujuscumque status, & ordinis existat, nuptias celebret, seu solemnitatem nuptiarum temporibus prohibitis exequatur, videlicet a Dominica Adventus Domini usque post octavam Epiphaniæ, & a Dominica Septuagesimæ usque ad Octavam Resurrectionis Dominicæ, & a tribus diebus Rogationum ante Ascensionem Domini usque ad Octavam diem Pentecostes inclusive, prout jure Canonico constat esse prohibitum. Contrarium vero facientes excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto.

LII.

Item statuimus, & mandamus Abbatibus, Archipresbyter, Prioribus, Decanis, Rectoribus Ecclesiarum Civit. Diœc., & Provinc. Benev. ad quos cura ipsarum Ecclesiarum spectat sub pœna prædicta. quod sæpius moneant publice Populum sibi commissum, dum Missarum solemnia celebrantur in Ecclesiis eorumdem, quod nullus celebret nuptias temporibus prohibitis supradictis, Banna, & alia, ut juris, & moris est, permittant, nec ipsi Presbyteri, seu Rectores, vel Cappellani, & alii supradicti celebrent, seu faciant celebrari Missam, vel Benedictionem solemnem in ipsis sponsalibus, sive nuptiis diebus, & temporibus prohibitis supradictis.

LIII.

Item, quia sicut nobis * manifesta experientia docuit, nonnulli Episcoporum nostræ Beneventanæ Provinciæ suffraganei nostri falcem in messem alienam immittere non verentes, in Castris, & locis nostræ Benev. Diœc., & Provinc. subjectos nostros, nostræ Jurisdictionis, seu aliorum Episcoporum suffraganeorum nostrorum subjectos chrismare, & benedicere præsumunt: ideoque sancimus, quod nullus Episcopus suffraganeus noster, seu quivis alius andeat sine nostra speciali licentia, aut illius Episcopi, ad quem pertinebit, ordinare Clericos Terrarum nostræ Diœc. aut alterius, nec chrismare, seu confirmare pueros utriusque sexus, nec signare, vel aliquod exercere in Civitat. Diœc. seu Provincia nostra prædictis, de his, quæ ad ordinationem, & Jurisdictionem nostram, aut aliorum Episcoporum suffraganeorum nostrorum in terris, & locis prædictis pertinent, atque spectant; quod si contrarium fecerit in præmissis, vel aliquo præmissorum, pœnam a jure statutam vice qualibet, & actu transgressionis prædictæ solvat *in contrarium facientes* * nostræ Curiæ, seu dictorum Episcoporum suffraganeorum uncias decem, in utilitatem convertendas nostræ Beneventanæ Ecclesiæ, aut illius Ecclesiæ, cui erit injuria irrogata, nec credant aliqui se habere licentiam a Nobis, & aliis Episcopis suffraganeis nostris, nisi litteras sigillatas nostro sigillo, vel Curiæ nostræ, aut dictorum Coepiscoporum suffraganeorum nostrorum patenter ostendant; iis vero, qui prædicta exequi in Civit. Beneven. habuerint, sufficiat solo verbo a Nobis, vel Vicario nostro licentiam habuisse.

* Alias ceu

* Verba redundantia.

ANNO CHRISTI 1378.

LIV.

Item multorum insinuatione clamosa didicimus, quod nonnulli pauperes egeni degentes in Civit. Diœc., & Provinc. Benev. propter eorum inopiam pluribus diebus carent Ecclesiastica sepultura; volentes ex nostri officii debito de salubri remedio providere, præsentium tenore requirimus, & monemus omnes, & singulos Rectores Ecclesiarum Civit. Diœc. & Provinc. Benev. Parochiales funerale habentes, quatenus sub excommunicationis pœna, & unius augustalis, quam primum ad ipsorum notitiam pervenerit de morte decedentium prædictorum, *sublato more perpedio*, * statim ad eorum expensas, ut convenit, sepeliri faciant corpora defunctorum in cœmeteriis Ecclesiarum ipsarum: & Canonici, & cæteri Clerici dictarum Civitatum, Diœc., & Provinc. quando ad eorum notitiam pervenerint, vel devenerint, notificare debeant Rectoribus supradictis.

* Forsan *sublata mora, propediem.*

LV

Item statuimus, & ordinamus, quod nullus Clericus in quocumque ordine constitutus, vel Ecclesiastica persona Civit. Diœc., & Prov. Benev. publice concubinam in domo sua propria, vel aliena, suis expensis audeat retinere, ut pollutis manibus Clerici supradicti, quæ sancta sunt, administrent. Immo si qui ipsorum hucusque eas tenuerint, vel retinent, infra decem dierum spatium a tempore publicationis præsentis Constitutionis debeant a se abjicere, & admovere * eas, vel alias deinceps nullatenus amissuri, * quod si prædicti Clerici contra fecerint, Sacerdotes, Ecclesiæ Rector, sive Prælatus qui majori præeminet Dignitate, & ejus exemplo facilius tam Clerici, quam Laici possent ad similia provocari, quatuor unciarum Nobis, & nostræ curiæ, seu suffraganeorum nostrorum, & eorum Curiis applicandarum; Diaconus vero trium unciarum, subdiaconus duarum unicarum, alii vero inferioris ordinis unius unciæ pœnas incurrant, convertendas, & erogandas in pios usus, prout Nobis, & dictis suffraganeis nostris visum fuerit expedire.

* Alias *amovere.*
* Alias *admissuri.*

LVI.

Item statuimus, & ordinamus, quod nullus Sacerdos, Clericus Beneficiatus mulierem habeat in domo suspectam, monentes ex nunc quoscumque habentes, ut a se ipsas abjiciant infra quindecim dies, alioquin, præter pœnas juris, inobedientes in uncia una, danda Curiæ nostræ, & Curiis suffraganeorum nostrorum, in piis usibus convertenda, puniantur: præcipimus sub pœna prædicta omnibus, & singulis Abbatibus, Archipresbyteris Diœc. & Prov. prædictarum, ut dictos Sacerdotes, & Clericos taliter mulieres habentes, & a se non abjicientes, eosdem Nobis, & suffraganeis nostris infra decem dies revelare, & in scriptis tradere, sive assignare nomina eorumdem.

LVII.

Item statuimus præsenti Constitutione, ac una monitione pro tribus, & peremptorie monemus, quod nullus de Civit. Diœc. & Provinc. Benev. cujuscumque status, & ordinis existat, habere nec * uxorem propriam, recipere, debeat concubinam, nec mulieres maritum habentes, debeant aliquibus concubinaliter adhærere, & alias in contrarium facientes, post mensem unum in antea computandum, dicta monitione canonica præmissa, & dicto termino elapso, excommunicationis sententiam proferimus in his scriptis, episcoposque * per singulos Archipresbyteros, & Abbates, & alios Ecclesiarum Rectores, tamquam *pro* * excommunicatos vitari præcipimus ad minus quousque a Nobis, aut suffraganeis nostris, aut Vicariis eorumdem, absolutionis beneficium mereant * obtinere.

* Alias *habens.*
* Alias *ipsosque.*
* Redundat.
* Alias *meruerint.*

LVIII.

Item monemus omnes, & singulos Civitatis, Diœc. & Provinc. Benev. & eis sub excommunicationis pœna mandamus, quam contrarium facientes incurrere volumus ipso facto, quatenus nullus mas, vel femina audeat ingredi Monasterium Monialium, cujuscumque status, ordinis, & conditionis existant, nisi cum legitima, & naturali causa, & cum licentia nostra, vel Vicarii nostri, & suffraganeorum nostrorum, vel Vicariorum suorum, super his prius ha-

ANNO CHRISTI 1378.

habita, & obtenta, quam pœnam omnes Cappellanos, & Procuratores, & alios talia loca fictis coloribus frequentantes sine licentia supradicta petita, & obtenta, incurrere volumus ipso facto.

LIX.

Item statuimus, quod Moniales non comedant extra loca Monasteriorum suorum, nec aliquis de locis, ubi degunt, ad comedendum, vel bibendum casualiter admittat in domo sua, sub pœna unius unciæ, nostræ Curiæ, vel suffraganeorum nostrorum applicanda. Item, quod nullus comedat infra dicta septa, aut bibat sub excommunicationis pœna, quam incurret ipso facto, nisi de licentia nostra, aut Vicarii nostri, & suffraganeorum nostrorum, & eorum Vicariorum, petita, & obtenta.

LX.

Item, quia nonnulli, sicut Nobis attulit plurimorum relatio, se a vetitis nescientes penitus abstinere, prætextu liciti, inhonesta, & inlicita committere quærentes, exquisitis, & conceptis in corde fraudibus, compaternitatem cum nonnullis contrahere satagunt, & cum velata octosatione * eadem inhonesta, & inlicita exercere, sub cujus prætextu, & ficta occasione ad concubinas, seu fornicatorias eorum, quas in occulto detinent, seu detinere proponunt, faciliter, & excusabiliter eis materia, & via frequentius accedendi. * Nos subditis nostris, & maxime Presbyteris, & Clericis Civit. Diœc. & Provinc. Benev. quorum gestus, actus, & mores honestos, & irreprehensibiles esse capimus, * fornicandi, & delinquendi materiam auferre volentes, & dictis fraudibus, & requisitis, quantum cum Deo, & justitia possumus, obviare, hac nostra præsenti Constitutione statuimus, & ordinamus, & sub excommunicationis pœna mandamus, quod nullus Clericus, & Laicus Diœc. & Provinc. Benev. cum fraude, & occasione prædictis compaternitatem cum aliquibus de cætero contrahat, & ut omnis penitus nequitiæ via in eisdem Clericis præcludatur, inhibemus hujusmodi Constitutionis serie Presbyteris, & Clericis Civit. Diœc. & Prov. Benev. prædictarum, ut deinceps compaternitatem modo aliquo cum aliquibus contrahant; nec contrahere præsumant, nisi cum consanguineis, & affinibus ipsorum usque ad tertium gradum inclusive, absque nostra, vel Vicarii, aut suffraganeorum nostrorum, vel Vicariorum suorum licentia speciali, nisi cum exercere voluerint officium debitum baptizandi. Statuentes mandamus, & ordinamus, ut, cum propter multitudinem, & plurimorum compaternitatem contrahentium plurima matrimonia soluerint impediri, & multa enormia, & inconvenientia occulte, & publice pertractari pro fraude, & occasione prædictis * cessantibus, dictæ compaternitatis contractus inter quoscumque *fiendus*, sive in Baptismo, sive in Confirmationis unius compatrini tantummodo penitus * excedat.

* Alias octosatione.

* Alias subministrantur.

* Alias capimus.

* Adde non.

* Adde non.

LXI.

Item cum clandestinus copulæ conjugalis contractus sit a Sacris Canonibus reprobatus, statuimus in hac præsenti Constitutione * ordinamus, sub excommunicationis pœna, * omnes, & singulos Civit. Diœc. & Provinc. Benev. quod nullus deinceps matrimonium contrahat, nec contrahere præsumat, nisi publice, & quod antea per Parochialem Ecclesiæ presbyterum banda, & edicta publica publice proponantur, ut si quis voluerit, seu suaserit aliquod canonicum, & legitimum impedimentum opponere, illud opponat, & dicat coram Nobis, seu Vicario nostro, aut suffraganeis nostris, seu eorum Vicariis, infra competentem terminum, per dictum presbyterum præfigendum.

* Adde, &

* Alias contra.

LXII.

Item statuimus, & mandamus, ac etiam ordinamus, quod quilibet Ecclesiarum Rector, seu Cappellanus Civit. Diœc. & Provinc Benev. Ecclesiæ Parochiali in propria persona deserviens, teneatur singulis diebus Dominicis Missarum solemnia in Ecclesia, cui deserviet, celebrare, sub pœna, per Nos, aut nostros suffraganeos eisdem, nostro vel eorum arbitrio infligenda, præcipientes sub pœna unius augustalis, nostræ Curiæ, seu suffraganeorum nostrorum applicanda, eisdem, ut diebus Dominicis singulis Populo edicant, & proponant nostra salubria monita, & mandata, ut ne per ignorantiam populus ad inlicita prærumpat committenda.

LXIII.

ANNO CHRISTI 1378.

LXIII.

Item præcipimus, & sub pœna excommunicationis mandamus, quod dictis diebus Dominicis dicti Clerici, Abbates, Archipresbyteri, & cuncti Curati diebus Dominicis in Missa populo festa colenda, & jejunia observanda debeant nunciare. Festa colenda, & jejunia vero observanda sunt hæc. Videlicet. Dies Natalis Domini, S. Stephani, S. Joannis Evangelistæ, Innocentium, S. Silvestri, Circumcisionis Domini, Epiphaniæ, S. Antonii Abbatis, Conversionis Pauli, Sancti Blasii Ep. & Mart. Cathedræ S. Petri, Festa SS. Apostolorum, ac etiam Evangelistarum, quatuor Festa B. Mariæ, scilicet Purificatio, Annunciato, Assumptio, & Nativitas, S. Barbati, ac S. Benedicti, & dies Jovis Cœnæ Domini, dies Veneris S. Passionis, festum Resurrectionis Domini cum duobus diebus sequentibus, festum adinventionis S. Crucis, Sancti Joannis ante portam latinam, festum Ascensionis Domini, Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, festum Corporis Christi, Nativitas S. Joannis Baptistæ, S. Mariæ Magdalenæ, vinculâ S. Petri, transmigratio * Domini, sive S. Salvatoris, S. Laurentii, S. Joannis Baptistæ, exaltatio S. Crucis, S. Michaelis, omnium Sanctorum, S. Martini, S. Catharinæ Virg., festum cujuslibet Sancti, & Sancti Patroni, seu Patronorum Parochialis Ecclesiæ in Parochia illa, si, & prout alias ubi, & ibi est fieri consuetum. Item alia festa, quæ infra Civitatem, Diœc. & Provinc. consueverunt ab antiquo coli, & per populum observari, dicta festa colenda absque mercatis, & alio servili opere, cum devotione, & reverentia præcipimus observari: in aliis vero festis nullus Curatus præcipiat abstinere.

* Aliàs transfiguratio.

LXIV.

Item, quia nonnulli excommunicationis vinculo innodati, claves Ecclesiæ contemnentes, in excommunicatione ipsa persistere non verentur, & eam indurato animo sustinere, quod grave est, & periculosum exemplum, ne ipse contemtus transeat impunitus, præsenti Constitutione statuimus, ac etiam ordinamus, quod quicumque de Civitate, Diœc., & Provinc. Benev. fuerit sententia excommunicationis adstrictus, & in excommunicatione ipsa per quindecim dies duxerit permanendum, nisi in mortis articulo, nullatenus absolvatur, donec idonee, & legitime caveat de adimplendo pœnitentiam, per Nos, & suffraganeos nostros, aut de nostro, vel eorum mandato sibi nostro, vel eorum arbitrio infligendam, vel alias in floreno uno, si per quindecim dies tantum in excommunicatione ipsa perstiterit: si vero uno mense in excommunicatione ipsa animo indurato duxerit persistendum, ipsum in florenis duobus, & sic per consequens duplicando, decernimus puniendum, ad alia etiam si opus fuerit processuri, quæ sibi cedant ad pœnam, & aliis ad terrorem.

LXV.

Item, quia multoties Angelus Sathanæ in lucis Angelum se transformat, & mentes fidelium simplicium prætextu liciti consuevit ad inlicita, & nefaria retorquere, præsenti Constitutione monemus, statuimus, & mandamus, quod de cætero nullus Civitat., Diœc., & Provinc. Benev. cujuscumque gradus, status, ordinis, & conditionis existat, quocumque quæsito colore, vel causa aliqua, novam regulam, Congregationem, observantiam, sive sectam, nisi illam, vel illas, quæ per S. Romanam Ecclesiam, quæ est Mater omnium, & Magistra, fuerint approbatæ, aliquo modo tenere, invenire, nec etiam observare præsumat: in omnes autem, & singulos contrarium facientes, excommunicationis sententiam ex nunc, prout ex tunc ferimus in his scriptis, & nihilominus contra eos ad pœnas alias procedemus, & per suffraganeos nostros procedere * mandamus, juxta qualitatem culpæ, & personæ, quæ in hoc delinquens fuerit.

* Aliàs procedi.

LXVI.

Item præcipimus, statuimus, & etiam ordinamus, quod omnes Civit. Diœc., & Prov. Parochiales Presbyteri frequenter moneant plebes suas, quod, juxta statuta Concilii Generalis, omnis utriusque sexus fidelis Christianus Clericus, vel Laicus, postquam ad annos discreptionis pervenerit, omnia peccata sua solus confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam pro viribus studeat

ANNO CHRISTI 1378.

deat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio, ob causam rationabilem ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum, alioquin vivens ab ingressu Ecclesiæ orreatur *, & moriens Christiana careat sepultura; districte in virtute sanctæ obedientiæ mandantes, & præcipientes dictis Parochialibus Presbyteris, ut hanc Constitutionem, in corpore Juris clausam studeant pro viribus adimplere, alioquin contra ipsos durissime procedere * per nos, & dictos suffraganeos nostros.

* Alias arceatur.

* Alias procedetur.

LXVII.

Item dictis Parochialibus Presbyteris nostrarum Civitat. Diœc., & Provinc. statuendo præcipimus, quod nomina omnium suorum Parochianorum eis in anno confitentium, & in quibus in Pascha ad minus, vel alio tempore Sacramentum Eucharistiæ dederint, in scriptis redigere debeant, & Nobis semel saltem in anno, & quanto citius poterunt, Nobis, aut Vicario nostro, seu suffraganeis nostris, aut eorum Vicariis in scriptis dare procurent; alioquin non observantes hanc nostram Constitutionem pœnam unius augustalis, applicandam Cameræ nostræ, seu dictorum suffraganeorum nostrorum, incurrere volumus ipso facto.

LXVIII.

Item, quia sicut ab experto didicimus, plerique Parochiani utriusque sexus, Parochiales Ecclesias contemnentes, ad easdem diebus Dominicis, & festivis peraccedere non curant ad audiendum divina officia, ut tenentur, quinimmo, vel in domibus propriis remanent, ut brutales, aut ad alienas confluunt Ecclesias, in quibusque Sacerdotes Parochiales substinentur, contempto proprio Presbytero, Missas audituri; attendentes talia a jure ordinario deviare, mandamus, instituimus, & ordinamus, quod de cætero talia facere attentant * præcipientes omnibus, & singulis Presbyteris, quod antequam in suis Ecclesiis Missam celebrent, Plebem interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, quos si invenerint, aut steterint, statim ab ipsa abjiciant, & cesserit a divina *, donec ibi fuerit, vel fuerint: quod si exire contempserint, Nobis, aut Vicario nostro, suffraganeis nostris, aut eorum Vicariis denunciare, quamprimum poterunt, procurent, de sua inobedientia justitiam, nostro, seu dictorum suffraganeorum, judicio, recepturus *: dicti autem Presbyteri, si contrarium fecerint, severiter punientur.

* Alias abjiciantur.

* Alias a divinis.

* Alias recaperuri.

LXIX.

Item statuimus auctoritate præsentis Concilii Metropolitani, & ordinamus, quod omnes Sacerdotes Parochiales, & eorum loca tenentes in suis Ecclesiis habeant cartularia, quilibet suum in quo scribant omnia nomina excommunicatorum suæ Parochiæ, & quorum auctoritate, & ad quorum instantiam sunt excommunicati, & eos excommunicatos diebus Dominicis in eorum Ecclesiis nunciare procurent, & cum fuerint absoluti, cartulariis ab illis abradantur. In principio autem cartularii ponatur, & omnibus diebus Dominicis per Cappellanos publicetur hoc, quod sequitur: Denunciamus excommunicatos hæreticos, & fautores eorum. Item detinentes decimas Ecclesiæ minus juste. Item concubinarios, & usurarios manifestos. Si quis vero nostri Statuti contemptor extiterit, nostro, seu dictorum suffraganeorum arbitrio, graviter puniatur.

LXX.

Item, quia tam Sanctorum Patrum, quam Apostolicæ Sanctitatis scriptis, & mandatis instruimur, & sollicitamur de Conciliis celebrandis, in quibus de reformatione, & regimine Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum pro sollicitudine pervigili, & debita tractemus, ac etiam intendamus, de consensu, & assensu, ac voluntate nostri Capituli, & Reverendorum in Christo Patrum, & Dominorum, Dominorum Episcoporum, Abbatum, suffraganeorum, & subditorum nostrorum, hac Constitutione in posterum, & perpetuo valitura, sancimus, ac etiam ordinamus, quod omnes, & singuli tam Episcopi, quam Abbates suffraganei, & subditi nostri prædicti, quam etiam Archipresbyteri, Procuratores, præpositi, & alii Ecclesiarum Prælati Diœc. nostræ Benev. annis singulis, uno die ante festum B. Bartholomæi de mense Augusti ad Civitatem Beneventanam se conferre, & in eadem permanere personaliter teneantur ad Concilium ce-

ANNO CHRISTI 1378.

celebrandum, sub pœna pecuniaria, nostro arbitrio moderanda, provisuri, certaturi, relaturi, & prospecturi, & ordinaturi, divina coadjuvante gratia, ea, quæ reformationem, statum, augmentum, & gubernationem Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum respiciunt, una nobiscum, & Capitulo nostro prædicto, in Vigilia Festi prædicti; quod quilibet ipsorum, si qua forte dubia habuerit, seu sibi infra annum occurrerint, tangentium * sanctum ministerium, vel regimen Ecclesiæ, seu Plebis sibi commissæ, ipse debeat in dicta Synodo in scriptis referre, & super his Nos, vel nostrum Vicarium informare teneantur, ut exinde possit maturius veritas declarari.

* Alias sangenia.

LXXI.

Item statuimus, volumus, & ordinamus, quod Nos, & Successores nostri Beneventani Archiepiscopi, suffraganeorum, & Capituli prædictorum præscriptas Constitutiones possimus interpretari, declarare, vel eis intellectum dare, & corrigere, addere, mutare, & super eis disponere si, & quotiens, & quando, sine juris offensa Nobis, & eis videbitur expedire.

LXXII.

Item, quia introduxit laudanda jure * auctoritas leges, & Constitutiones ab omnibus observari, ne prædictarum nostrarum Constitutionum aliquis prætendere valeat ignorantiam, & quod ad eum non pervenerit, se quomodolibet excusare, requirimus, & monemus omnes, & singulos suffraganeos nostros, ac Rectores Ecclesiarum Civit. Diœc. & Provinc. Benev. Ecclesiam Parochialem habentes, quatenus sub excommunicationis pœna, & etiam quatuor unciarum, infra unius mensis spatium, a die publicationis præsentium computandum præscriptarum Constitutionum copiam scriptam, videlicet manu Notariorum dictæ nostræ Curiæ, aut alicujus alterius, cui duxerimus committendum, penes se habere debeant pro sui, & aliorum magisterio, testimonio, & cautela, & quod quilibet ipsorum Constitutiones ipsas, cum ad prædictum Concilium celebrandum in dicto festo B. Bartholomæi venerit, secum portare debet, & ipsas exhibere, ac demonstrare, etiam in dicto Concilio, coram Nobis; mandantes, & præcipientes eisdem sub pœnis prædictis, quod quilibet Abbates & Ecclesiarum Rectores, & Curati prædictarum Civitat. Diœc. & Provinc. præsentes nostras Constitutiones in eorum Ecclesiis Parochialibus congregato populo ad divina in die Nativitatis Domini, & Pentecostes debeant publicare.

Datum Beneventi sub sigillo D. Archiepiscopi antedicti die 24. mensis Augusti.

* Alias juris.

CONCILIUM COMPLUTENSE NATIONALE

ANNO CHRISTI 1379.

Præside D. Petro Tenorio Archiepiscopo Toletano, celebratum circa annum Domini 1379.

Ex Card. de Aguirre Concil. Hisp. tom. 3. pag. 618.

ANno Domini circiter 1379. Compluti Concilium Nationale celebratum est, præside D. Petro Tenorio archiepiscopo Toletano, ad deliberandum, cuinam parendum esset tamquam vero Pontifici, an Urbano VI an potius Clementi VII. Videtur ea gravissima quæstio tunc in medio relicta, suspensis inter utrumque animis. *Vide Narbonam in Vita Tenorii fol. 35.*

CON-

ANNO CHRISTI 1379.

CONVENTUS EPISCOPORUM

Apud oppidum de Illescas in regno Castellæ Anno Christi 1379.

Ex Eodem Aguirre ibid.

ANno 1379. conventu Episcoporum habitus est apud oppidum de Illescas, præside D. Petro Tenorio Archiepiscopo Toletano, & præsente Henrico rege. Videtur dictus Archiepiscopus in eo Conventu eam sententiam cum maxima Castellanorum parte amplexus, ut licet ob metum a Romanis injectum Urbani electio celebrata vitio extitisset, ob unanimem tamen in eo papali corona solemni ritu cingendo, ac sacros Pontificibus honores illi toties totiesque impensos, prius vitium purgatum fuisse. *Odericus Raynaldus Annal. Eccles. t. 17. ad hunc. an.*

CONCILIUM TOLETANUM

Præside D. Petro Tenorio celebratum anno Dom. 1379.

Ex Eodem Aguirre loco cit. p. 619.

EOdem anno 1379. ad Henricum regem Cordubæ agentem Legati ab Urbano Pontifice venerunt, ut eum Pontificem salutarent, æmulum quasi vitio creatum execrarentur, postulatum. Viris primiariis in consilium adhibitis, de re tanta Toleti in frequentiori conventu dijudicare visum est, quo Joannes regis filius hyematurus venire decreverat. In eam urbem novi a rege Gallo Legati venerunt, Clementis causæ affuturi. Episcoporum & procerum Concilio advocato in re controversa, sui judicii non esse responsum in partem alteram inclinare: facturos quod ecclesiæ judicio decretum esset. Quæcumque in provincia ad Romanos Pontifices pertinerent, integra el fore, qui æmulum superasset. **Mariana** de rebus Hispan. l. 18. c. 2.

CONVENTUS EPISCOPORUM

Apud Burgos.

Ex Eodem Aguirre loco cit.

ANno Domini 1379. Mense Majo Præsulum & procerum conventum Burgis Henricum regem indixisse, ut in schismatis controversia veritatem exploraret, e Petri regis Aragoniæ stirpis principis, qui S. Francisci institutia amplexus hoc tempore sanctitatis opinione florebat, ac pluribus cælestibus visis collustrabatur, monumentis constat: atque etiam ab eodem Petro, qui propheta habebatur, missis Præsulibus orasse, ut divina sibi arcana, quibus cælitus edoctus erat, in vero pontifice dignoscendo aperiret. Pseudo Cardinalis enim Ostiensis, cum cætera ejus vaticinia laudaret, illud, in quo de Urbano agebatur, oppugnabat. Quibus auditis Petrus, qui jam ante Henricum regem litteris hortatus erat, ut in Urbani veneratione constans perstaret, de futuro in Dei ecclesia schismate olim sibi divinitus ostenso, prænunciatoque; tum de Urbani creatione legibus celebrata, aliisque responsum dedit: quod videsis apud Odericum Raynaldum Annal. Eccl. tom 17. ad hunc annum.

ANNO CHRISTI 1380.

MEDINÆ SEU SALMANTICENSIS CONVENTUS

In causa dubii Pontificis Romani, uter admittendus,

Præside Petro de Luna card. & Clementis VII. legato coram Joanne Castellæ rege

habitus anno 1380.

exeunte, & sequentis exordio.

Ex supp. Manii tom. III. pag. 611.

Medinensis conventus & Salmanticensis concilii ita meminit Venetus Labbei editor, tamquam duo fuerint inter se distincti ecclesiastici conventus pro indaganda legitimi papæ veritate celebrati. Reipsa tamen una fuit continuata ecclesiasticorum coitio Medinæ Campestris in diœcesi Salmantina coacta. Hujus vero concilii acta integra servat duplex MS. codex Baluzio notus, quorum priorem in bibliotheca Achillis Harlai; alterum in Colbertina nactus est. Vir iste eruditus omnium illorum actorum indiculum evulgandum duxit, id sufficere ratus, ut historia rerum in eo concilio gestarum cognoscatur. Eodem ego consilio indiculum eundem huc transfero; tum addam integram orationem ab episcopo Faventino ibi recitatam ut ex eodem indiculo constat, & a Martene Anecdot. to. II. pag. 1082. relatam, cum adjunctis Clementis papæ litteris ad eumdem Castellæ regem ex Baluzio Vit. Papar. Aven. to. II. pag. 853. acceptis. Atteniam & alia in eodem concilio disputata, quæ ibi pariter P. Martene repræsentat. Postremam omnium afferam sententiam seu declarationem Joannis Castellæ regis, qua, diligenti consultatione in concilio præmissa, agnoscere se ac sectari Clementis VII. partes profitetur; cui declarationi geminæ accedent ejusdem regis litteræ velut synodica ad Clementem ipsum, pontificem suum illum, patrem & dominum agnoscentis. Sententiam illam ex Harlæano codice dedit Baluzius in Collect. Actor. Vet. ad Vitas Papar. Avenion. to. II. pag. 920. Litteras vero ex Gemmeticensi Codice vulgavit P. Martene Anecdot. to. II. pag. 1136.

SYNOPSIS ACTORUM CONCILII MEDINÆ CAMPESTRIS
Ex Cod. Harlæano.

IN Christi nomine. Amen. Incipit prima pars processus facti & habiti coram serenissimo ac prælillustrissimo principe domino Johanne Dei gratia Castellæ & Legionis rege, ac de ipsius mandato in villa Metinæ *del Campo*, Salamantinensis diœcesis, & super exorto nuper schismate in ecclesia Dei circa electiones duas, unam videlicet de reverendo patre domino Bartholomæo tunc archiepiscopo Barrensi, secundam de reverendissimo patre & domino domino Roberto tunc Cardinale Gebennensi, in summum pontificem per sacrum collegium reverendissimorum patrum dominorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium celebratas, prosequentibus electionem primam reverendo patre Francisco de Urbino Faventino episcopo, & venerabili viro Francisco de Siclenis de Papia legum famoso professore ambaxatoribus ejusdem primi electi, quem sanctissimum dominum Urbanum papam sextum nominabant; secundam vero electionem prosequente reverendissimo in Christo patre & domino domino Petro de Luna S. Mariæ in Cosmedin sanctæ Romanæ ecclesiæ diacono cardinali, asserente se legatum dicti secundi lecti, quem sanctissimum dominum Clementem papam septimum nominabat; nec non ex parte sacri collegii dominorum cardinalium ad informandum dictum regem Castellæ de utraque electione transmissis.

Et est sciendum ante omnia, quod clare memoriæ dominus Enricus rex Castellæ & Legionis, pater & genitor dicti domini regis Johannis, audito olim de electione primi, scilicet Bartholomæi, & subsequenter de Cardinalium divisione seu subtractione ab illo, nec non declaratione facta per eos Anagniæ, quod ille primus non erat papa, demum vero de electione alia per eosdem Cardinales Fundis celebrata de persona secundi, scilicet Roberti, anxius & perplexus idem rex Enricus ex hujusmodi diversitate gestorum, ac dubius quid in hoc casu ancipiti eum sequi aut facere oporteret, propter multa, quæ occurrebant; & quia magni doctores circa hujusmodi negotium diversimode sentiebant, voluit esse indifferens in hac parte, ut etiam liberius inquirens de gesta, ad agnitionem veritatis hujus negotii, cui intendebat, si faveret divina pietas, perveniret. Sed eo, sicut Domino placuit, in sinceritate catholicæ fidei de medio sublato, memoratus dominus Joannes ejus filius legitimus atque hæres & successor in regno pariter & in voto, dum apud civitatem Burgensem solemnes ac generales curias pro sua felici coronatione teneret, ibique fecisset introduci istud negotium in præsentia archiepiscoporum & episcoporum ac nobilium & militarium & quamplurium in sacra pagina magistrorum doctorumque juris canonici & civilis & aliorum multorum etiam litteratorum regni sui; demum consideratis diversis tractatibus & scripturis quæ occasione hujusmodi jam hinc inde emanarant, singulisque in disceptationem deductis; quia tandem occurrebant dubia in mentibus singulorum, eo quod factum va-

variari videbatur hinc inde, & casus certus seu indubitabilis nequibat tunc in materia reperiri; deliberavit idem rex saniori suorum ductus consilio indifferentiam dicti sui genitoris ac cœptum perquirendæ veritatis negotium amplecti, ne, quod absit, de negligentia prosecutionis tam piæ tamque meritoriæ causæ contingeret eum apud supremum judicem argui, ac propter indiscussionem ipsius rei & erorem forsan incurrere circa id quod eligere ac sequi in isto casu deberet. Quapropter rex ipse, antequam ad ulteriora procederet; ambassiatores, nuntiosque suos solemnes in Romam ac Avinionem ad utrumque electorum direxit, quatenus ab eis casus instructionesque suarum electionum requirerent, & ut eorum quilibet nuncios suos sufficienter instructos ad regem præfatum pro conscientiæ illius informatione dignaretur transmittere cum modestia decentique instantia supplicarent, & similiter ab illis personis illarum partium de re gesta notitiam habentibus, cum adhuc recens forte ipsius rei memoria, informationes seu depositiones reciperent sibi fideliter reportandas. Quæ omnia & singula iidem nuntii regii illuc se in apparatu debito conferentes opere compleverunt. Et subsequenter præfati domini electi ad summum, ut præmissum est, pontificium dictos supra & infra designatos nuntios seu legatos ad memoratum dominum Joannem Castellæ & Legionis regem miserunt. Qui ad præsentiam ipsius sigillatim & prout commode valuerunt pervenientes, in primis arengas ac propositiones suas publicas et solemnes super causa adventus sui apud Metinam Salamantinensis diœcesis domino regi fecerunt seu etiam præsentarunt in forma sequenti.

Die igitur veneris XXIII. Novembris anni MCCCLXXX. Petrus de Luna longam orationem habuit sermone Hispanico, quæ postea in latinum versa heic (*nempe in codice illo a Baluzio consulto*) descripta est integra. Contendit autem manifestam fuisse violentiam in electione Urbani, adeoque illam esse nullam ipso jure. Denique obtestatur regem ut justas Clementis partes tueatur.

Deinde die dominica XXV. novemb. Franciscus episcopus Faventinus longissimam orationem habuit pro Urbano, quam in veritates XVII. divisit.

Die Lunæ XXVI. novembris Rodericus Bernardi, quem rex una cum fratre Fernando Iliescas ordinis minorum ejusdem regis confessore, & Alvaro Melendi legum doctore miserat Romam, & Avenionem, ad investigandum & perquirendum veritatem, quis ex duobus esset verus papa, obtulit bullam clausam Urbani, quam episcopus Faventinus circa finem mensis augusti ei tradiderat Romæ de mandato primi electi; quam cum episcopus Faventinus recognovisset eam esse quam tradiderat Roderico, aperta est, & in ea inventi sunt unus sexternio, & unus quaternio continentes casum primi electi, id est, narrationem eorum, per quæ ille ostendere nitebatur se vere & canonice factum esse Papam. Aderant tum in conventu rex ipse Petrus archiepiscopus Toletanus, Petrus Hispalensis, Joannes episcopus Seguntinus, Alfonsus Abulensis, Joannes Giennensis, Fernandus Legionensis, Petrus de Ayala miles, & duo nuntii Bartholomæi. Postea describitur casus sive factum verum & processus promotionis Urbani, illud ipsum mirum, quod editum est apud Odoricum Raynaldum anno 1378. §. 73.

Die XXVII. Petrus cardinalis de Luna attulit in medium unum quaternum papyri sex foliorum, præsentibus rege Joanne, Petro archiepiscopo Toletano, & Petro Hispalensi, Joanne episcopo Seguntino, & Petro Tirasonensi, Petro Fernandi de Velasco camemario majore, & Didaco de Astunenga cubiculario dicti regis. Eodem tempore rex afferri jussit epistolam, quam Clemens VII. ad eum scripserat VII. Kal. junii anno secundo. Primum lecta est epistola illa, deinde casus cardinalium, qui continebatur in dicto quaterno. Incipit autem. *Cum propter falsam assertionem*. Editus est in tomo quarto historiæ universitatis Parisiensis pag. 468.

Sequitur propositio seu relatio, quam die quarta mensis decembris dominus Rodericus Bernardi jussus per prædictum dominum regem castellæ sibi & in hospitio suo fecit in præsentia Joannis episcopi Seguntini & Alvari Martini doctoris in legibus & licentiati in canonibus de his, quæ cum fratre Fernando ordinis Minorum confessore, regio egerat apud Romam, & Avenionem. Deinde præfatus dominus Rodericus Bernardi statim ibidem exhibuit & tradidit in scriptis præfato domino regi dicta testium per eum & ejus socios ambasiatores regios tam Avenioni quam Romæ sub sacramenti præstatione habita & recepta.

Sequuntur nomina eorum, quos dicti ambaxiatores primitus habuerunt & examinaverunt apud Avenionem. Cardinalis Lemovicensis, cardinalis S. Eustachii, cardinalis Vivariensis, cardinalis S. Angeli, cardinalis Majoris monasterii, cardinalis de Vernio, cardinalis de Britannia, cardinalis Cusentinus, cardinalis Pampilonensis, cardinalis Glandatensis, Patriarcha Constantinopolitanus, camerarius secundi electi, archiepiscopus Neapolitanus, episcopus Cathaniensis, episcopus Valentinus olim Marsiliensis, episcopus Firmanus, episcopus Grassensis, generalis Minorum, Poncius Berardi, Gilbertus, Joannes de Baro, Bonifacius de Amanatis, Ægidius Bellemeri, frater Nicolaus Aymerici, Guido de Pruinis, Bindo prior sanctorum, Petrus Rostagni, Joannes de Lodon, Thomas auditor domini Mediolanensis, Bernardus de Virididuno, frater Bartholomeus procurator ordinis Carmelitarum.

Nomina vero eorum qui jurari ac examinari per dictos ambaxiatores deposuerunt apud Romam, sunt hæc. Nardus apothecarius, Guillelmus de Bulla, P. Albucius, Joannes de Paparonibus, Joannes Bolcardi, Jacobus palucii, Antonius de Augusta, Alexius Petri, Franciscus de Fara, Jacobus camerarius, Petrus de Surdis, Guillelmus Tenor, Walterus de Argentina, Buccius Petri, Henricus de Buda, Joannes de Papazaris, Fredus de Canali, Lulius Madalenus. Item cardinalis de Pavia, cardinalis Sistaricensis, frater Nicolaus cardinalis, episcopus Tudertinus, episcopus Castrensis, episcopus Reatinus, episcopus Lucerinus, frater Raymundus de Capua, Nicolaus de Ursinis, Bernardus de Cucurno, Thomas Petra.

Die sexta decembris, quæ fuit festivitas sancti Nicolai, Rex missam per alfonsum episcopum Abulensem celebrari fecit in suis ædibus, illicque præsentibus ex parte Clementis Pe-

ANNO CHRISTI 1380.

Petro de Luna cardinale, fratre Angelo episcopo Pisanensi, Petro episcopo Tirasonensi, fratre Angelo ministro generali ordinis Minorum, & Fernando Petri decano Tirasonensi, Ex parte Urbani Guterio Gomecii cardinale Hispano, Francisco Faventino, & fratre Melendo ordinis Minorum, ac Francisco de Sicilenis de Papia legum doctore, præsentibus etiam Petro Toletano & Petro Hispalensi archiepiscopis, ac Joanne Seguntino, Gundisalvo Calagurritano, & Joanne Giennensi episcopis, legi fecit formulam juramenti, quod dicenda veritate præstare debebant cardinales & alii utriusque partis heic nominati, itemque formulam juramenti quod de ferendo secundum conscientiam judicio præstare debebant episcopi & alii viri, quos Rex delegabat ad causæ istius examinationem. Hi fuere archiepiscopi & episcopi paulo ante nominati, tum etiam frater Alfonsus episcopus Asturicensis, Petrus electus Oxomensis, Fernandus Alfonsi decanus Burgensis, Didacus Fernandi thesaurarius Toletanus, Fernardus de Sanles ordinis Minorum magister in sacra pagina, Fernandus Sancii canonicus Hispalensis, Rodericus Bernardi & Didacus de Currali audientiæ regiæ auditores, frater Joannes Alfonsi de Toleto minister provincialis fratrum Minorum provinciæ Castellæ, Joannes Sancii & Alvarus Martini doctores decretorum, Petrus Fernandi, doctor legum, frater Fernandus de Iliescas ordinis Minorum confessor Regis, Joannes Alfonsi de Palacios licentiatus in decretis, frater Lupus ordinis S. Augustini conventus Toletani, Fernandus Martini archidiaconus de Niebla in ecclesia Hispalensi, Petrus Fernandi archidiaconus de Carrione in ecclesia Palentina, & frater Petrus Prior monasterii de Abiago ordinis beati Hieronymi Palentinæ diœcesis. Hæ formulæ descriptæ sunt in hoc loco, ex Hispanica lingua versæ in latinam.

Die decima mensis decembris rex nominavit quosdam viros insignes ad recipienda dicta testium secundum articulos contentos in casibus utriusque electi, videlicet archiepiscopos & episcopos ante nominatos, & inter hos etiam Alfonsum Abulensem, fratrem Nicolaum priorem Vallisoletanum fratrum Prædicatorum, fratrem Joannem Alfonsi Toletanum ordinis Minorum ministrum provinciale Castellæ, Didacum Fernandi thesaurarium Toletanum, Joannem Alfonsi doctorem in utroque jure, Alvarum Martini doctorem decretorum, Petrum Fernandi doctorem in jure civili, Rodericum Bernardi & Didacum de curiali auditores audientiæ regiæ, Joannem Alfonsi licentiatum in decretis, fratrem Lupum ordinis S. Augustini conventus Toletani, fratrem Fernandum confessorem regis, fratrem Joannem Vitalis ordinis Minorum, & fratrem Petrum de Guadalfajara monasterii S. Bartholomæi de Lupiana ordinis S. Hieronymi, omnes ibidem præsentes. Tum eis data formula juramenti quod excipere deberent a testibus, quæ ex Hispanico sermone versa in latinum heic habetur. Postea attendentes deputati ipsi quod eos simul unum solum testem examinare erat longissimum, & multum temporis perderetur propter multitudinem examinandorum testium, diviserunt se in tres turmas. Quibus sic factis iidem deputati ad receptionem & examinationem testium processerunt a die XXVIII. decembris usque ad principium mensis Maji sequentis.

Sequitur casus primi electi divisus per articulos, is ipse qui supra commemoratus est, sed divisus in articulos CIV. & additiones XXXV.

Postea sequuntur interrogatoria formata & habita circa casum primi electi, super quibus interrogandi, & examinandi erant testes, divisa in articulos LXXIII.

Deinde casus secundi electi divisus per articulos, is ipse qui supra commemoratus est, sed divisus in articulos LXXXIX. & additiones XI.

Postea interrogatoria super quibus interrogandi & examinandi erant testes super casu secundi electi, additis aliquibus articulis datis per cardinalem de Arragonia & aliquibus aliis ex officio, divisa in capita CVII. & additiones XIV.

Post ista omnia describitur bulla facta per dominum Gregorium XI. ante obitum suum, videlicet quod major pars Cardinalium posset eligere papam post obitum suum in & extra conclave, & tempus abbreviare & prolongare pro ea vice. Edita est apud Odoricum Raynaldum an. 1378. §. 2.

Sequuntur depositiones aliquorum cardinalium ac aliorum etiam examinatorum Avenioni mense Majo anni millesimi trecentesimi LXXX. per Rodericum Bernardi, fratrem Fernardum, & Alvarum Menendi doctorem ambaxiatores domini regis Castellæ illuc & Romam missos pro inquisitione veritatis circa materiam dictorum duorum electorum ad summum pontificatum. Sequuntur ergo depositiones Bertrandi cardinalis Glandatensis episcopi Ostiensis, Joannis, cardinalis Lemovicensis, Hugonis cardinalis de Britannia, Gerardi Cardinalis Majoris monasterii, Petri cardinalis de Vernio, Petri cardinalis S. Eustachii, Petri cardinalis Vivariensis, Guillelmi cardinalis S. Angeli, Nicolai cardinalis Cusentini, Petri cardinalis Pampilonensis, Joannis patriarchæ Alexandrini & archiepiscopi Tolosani, Thomæ archiepiscopi Neapolitani, Heliæ Cathaniensis episcopi, Guillelmi episcopi Valentini olim Massiliensis, Antonii episcopi Firmani, Artaudi episcopi Grassensis, Poncii Beraldi correctoris litterarum apostolicarum, Gilaberti secretarii papæ natione Alemanni, Joannis de Baro subdiaconi papæ, Bonifacii de Amanatis legum doctoris, Ægidii Bellameræ auditoris litterarum contradictarum domini papæ, Guidonis de Prohinis olim senatoris Romanorum, Bidoneis prioris sanctorum Joannis de Lodon alias de Narbona presbyteri, Thomæ decretorum doctoris & auditoris cardinalis Mediolanensis, Bernardi de Viriduno licentiati in decretis, fratris Bartholomæi procuratoris generalis ordinis Carmelitarum, fratris Nicolai Eymerici inquisitoris Arragoniæ, fratris Angeli generalis Minorum, Petri camerarii papæ fratris domini cardinalis Lemovicensis, & Petri Rostagni domini loci de sancto Crispino.

Deinde sequuntur depositiones testium receptorum Romæ per Rodericum Bernardi & fratrem Fernandum; scilicet Nardi apothecarii, Guillelmi de Bulla, Petri Albuchii presbyteri, Joannis de Paparonibus canonici S. Petri, Joannis Bolcardi magistri cappellæ domi-

ANNO CHRISTI 1380.

mini papæ Urbani, Jacobi Paulucci civis Romani, Antonii de Augusta canonici ecclesiæ Lateranensis, Fredi de canali ostiarii papæ, Alexii Petri Pauli Henrici civis Romani, Francisci de la Fara doctoris in medicina, Jacobi camerarii cardinalis S. Petri, Petri de Surdis canonici sanctæ Cæciliæ, Guillelmi Tenoris cappellæ domini papæ Urbani, Valcheri de Argentina, Buechii Petri Jacobi, fratris Henrici de Buda pœnitentiarii papæ Urbani, Joannis de Papazaris Bonaventuræ cardinalis de Padua, Nicolai, cardinalis Urbani, Raymulphi cardinalis Sistaricensis, Stephani episcopi Tudertini, episcopi Reatini, Thomæ episcopi Lucerini, Joannis episcopi Castrensis, Lelli Magdaleni civis Romani, fratris Raymundi de Capua magistri generalis ordinis fratrum prædicatorum, fratris Bartholomæi de Cucurno ordinis fratrum Minorum, & Thomæ Petræ canonici Patracensis.

Finitis tandem depositionibus testium utriusque partis, describuntur dubia archiepiscopi Toletani data Alvaro episcopo Zamorensi, qui ibat Niciam ad cardinales Florentinum & de Mediolano. Et mox subjiciuntur responsiones ad dicta dubia domini Toletani scriptæ per manum domini Florentini.

Sequuntur depositiones generales nonnullarum personarum, tredecim numero, quæ de mandato domini regis ac deputatorum prædictorum dederunt per scripturam ea, de quibus recordabantur circa materiam primæ electionis. Eorum nomina hæc sunt. Frater Petrus de Guadalfajara, frater Ferrarius de Vergos ordinis Minorum, Petrus Alfonsi canonicus Hispalensis, Joannes abbas S. Isidori Hispalensis, Rodericus Fernandi portionarius ecclesiæ Hispalensis, frater Alfonsus de Melide tertii ordinis S. Francisci, Garsias electus Aurientis, frater Michael monasterii S. Bartholomæi de Lupiana, Joannes Remigii de Guzman archidiaconus de Alcor in ecclesia Palentina, Alvarus Martini doctor decretorum, Fernandus Gudiel episcopus Legionensis, Alfonsus Fernandi presbyter Hispalensis, & Thomas Gundislavi thesaurarius Compostellanus.

Postea describuntur depositiones in speciali super casu primi electi habitæ & receptæ per dictos deputatos Metinæ a diversis personis medio juramento superius scripto examinatis. Eorum qui speciales depositiones fecerunt hæc sunt nomina. Frater Ferrarius de Vegos ordinis fratrum Minorum, Petrus Alfonsi canonicus Hispalensis, Alvarus Gundisalvi canonicus Cordubensis, Rodericus Fernandi portionarius Eccl. Hispalensis, Joannes Garsiæ decanus Calaguritanus, frater Alfonsus de Melide tertii ordinis sancti Francisci, Garsias Martini electus Aurienfis, frater Michael professus ordinis S. Hieronymi, Joannes Remigii de Guzman archidiaconus de Alcor in ecclesia Palentina, Didacus Martini de Urdunna canonicus Toletanus, Alvarus Martini doctor decretorum, frater Menendus ordinis fratrum Minorum episcopus Cordubens. factus per primum electum, Petrus abbas S. Facundi, Fernandus episcopus Legionensis, Alfonsus Azero Archidiaconus de Metina in ecclesia Salmanticensi, Petrus Roderici canonicus Cordubensis, frater Petrus Cordubensis conventus sancti Bartholomæi de Lupiana, frater Joannes Rodericis episcopus de Neupatras, Franciscus Fernandi cantor Palentinus, Marcus Fernandi abbas de la Vanza in ecclesia Palentina, Joannes Sancii portionarius Toletanus, Garsias Petri de Tassara, Sancius archidiaconus de Guiart in Ecclesia Pampilonensi, Petrus Fernandi archipresbyter de Fita, Joannes Sancii canonicus Hispalensis, Thomas Gundisalvi thesaurarius Compostellanus, Joannes Columbi clericus diœcesis Avenionensis, Fernandus Petri decanus Tirasonensis, Nicolaus Martini archidiaconus Salmantinus, frater Angelus generalis minister ordinis Minorum, Bonifacius de Pistorio, alias de Amanatis, legum doctor, *Ægidius Sancii Munionis* præpositus Valentinus, & frater Angelus episcopus Pisaurensis.

Descriptis depositionibus testium interrogatorum super casu primi electi, ponuntur per ordinem depositiones eorum, qui interrogati fuere super casu secundi electi.

Testes iidem omnino fuere qui interrogati fuerant super casu primi electi.

Sequuntur deinde responsiones publicæ factæ coram rege ejusque toto consilio per cardinalem Hispanum, episcopum Faventinum, & Franciscum de Siclenis de Papia ad casum secundi electi anno MCCCLXXXI. die quarta mensis martii.

Ponuntur postea responsiones Petri de Luna cardinalis, episcopi Pisaurensis, & Bonifacii de Amanatis ad casum primi electi, factæ publice coram rege, ejusque toto consilio.

Finitis responsionibus partium, describitur consequenter intimatio per dominos cardinales facta universis, quod Barensis est intrusus. Incipit sic: *Exigit sanctæ & catholicæ fidei puritas*. Edita est in secunda vita Clementis VII. pag. 542. (apud Baluzium).

Sequitur qualiter cardinales notificant universis, quod dominus Clemens fuit rite & canonice per eos electus & solemniter inthronizatus & coronatus. Incipit. *Quoniam nonnulli intrusionem detestabilem*.

Deinde litteras septem cardinalium suis sigillis sigillatas existentium Avenioni notificantium intrusionem primi electi. Incipit: *Ad vestram notitiam deducimus*.

Tum intimatio & notificatio cardinalium deprecantium universos Christifideles ut Clementi adhæreant. Incipit: *Speculatores a Domino Deo*.

Protestatio domini Bertrandi cardinalis Glandatensis antequam intraret conclave suo sigillo sigillata cum subscriptione notarii. Incipit: *In nomine Domini. Amen*.

Confessio domini Anglici cardinalis Albanensis cum signis duorum notariorum & suo sigillo sigillata. Incipit: *Universis & singulis præsentes litteras inspecturis*.

Instrumentum confessionis domini cardinalis S. Eustachii cum signo & subscriptione notarii & undecim testium. Incipit: *In nomine Domini. Amen*.

Extractiones quædam habitæ a dictis testium per illos de consilio regio; quorum aliqua facere videntur pro libertate electionis primæ, & quædam pro coactione seu impressione.

Sequuntur conclusiones illorum de regio consilio circa dubia & allegata super materia. Subscribunt præter eos alii multi viri docti, & inter hos Martinus episcopus Pampilonensis.

Post

ANNO CHRISTI 1380.

Post premissa vero præfato domino regi Castellæ exhibita, præsentata, & declarata, omnibusque peractis, ut supra per ordinem est expressum, scriptum, & designatum, demum idem dominus rex consilium prædictum pro debito fidei, veritatis, & justitiæ, ac securitate suæ conscientiæ libenter amplectens, volensque agnitam veritatem hujusmodi suis regnicolis universisque Christi fidelibus notam esse, ad civitatem Salamantinam, ubi studium viget generale, cum tota sua curia & sequela se contulit. Et tandem die dominica quæ intitulabatur XIX. mensis Maji anni a Nativitate Domini, millesimi trecentesimi octuagesimi primi, convenientibus ibidem ad ecclesiam cathedralem mane quasi hora prima præfato domino rege cum prælatis, nobilibus, & litteratis, ac notabilibus viris regnorum suorum, qui pro hujusmodi negotii ac rei gestæ perscrutanda & inquirenda veritate de mandato suo fuerunt evocati, præsente quoque ibidem reverendissimo in Christo patre & domino Petro de Luna sanctæ Mariæ in Cosmedin, diacono cardinali A. S. L. & nonnullis aliis prælatis ac litteratis viris diversarum nationum & partium, grandique alia cleri & populi multitudine, qui propter hoc advenerant, celebratisque missarum solemniis, idem serenissimus ac christianissimus princeps & dominus rex, abjecto primo electo, vocato Bartholomeo de Priniano, olim archiepiscopo Barensi in apostolica sede intruso, pro sanctissimo in Christo patre & domino domino Clemente papa septimo canonice electo veroque Jesu Christi vicario se declarans, declarationem suam hujusmodi in scriptis redactam publice & alta ac intelligibili voce legi & recitari fecit; cujus tenor seu forma de verbo ad verbum sequitur & est talis.

Johannes Dei gratia Castellæ & Legionis rex, universis Christi fidelibus salutem & in pastoris notitia non errare.

A solis ortu usque ad occasum &c. *Datur integra inferius.*

„ Et sic absolvitur iste codex, qui in initio, uti supra monuimus, dicitur esse prima pars processus facti & habiti coram rege Castellæ de & super exorto nuper schismate in ecclesia Dei circa electiones Urbani XI. & Clementis VII.

SINOPSIS SECUNDÆ PARTIS ACTORUM

Concilii Medinæ Castrensis,

Ex Colbertino Cod. num. 814.

ADMONITIO COLLECTORIS.

An in codice isto Colbertino ea tantum contineantur acta vel documenta in concilio hoc prolata, vel aliqua alia præter illa, Baluzius nequaquam prodit; sed ita rem exhibet, ac si reipsa omnia ad alteram partem concilii hujus spectent. Verum si rem propius dispiciamus, intelligemus profecto ambos istos codices haud ita inter se continuari, ut prior alteri adjungendus sit; & ambo simul integram actorum concilii complexionem afferant. Nam in altera quædam occurrunt, quæ leguntur in priori, ut oratio Faventini episcopi ad concilium; ex quo discas Colbertinum hunc codicem alio plane consilio scriptum esse, quam ut secundam partem actorum concilii complectatur. Quamquam vero ita rem habere se credo, juvat tamen integrum rerum in eo descriptarum indiculum, prout a Baluzio datur, & hic exhibere.

Primum occurrit tractatus domini cardinalis S. Eustachii de papatu, qui in aliis codicibus vocatur tractatus de facto schismatis & impressionis, scriptus adversus electionem Urbani. In calce vero ita adnotatum est. *Tractatus iste domini cardinalis S. Eustachii fuit inceptus in civitate Fundana provinciæ Campaniæ anno a Nativitate Domini MCCCLXXVIII. de mense Septembris, & completus Avinioni anno sequenti de mense Martii seu Aprilis.*

Littera archiepiscopi Toletani ad cardinalem S. Eustachii, continens dubia super eodem tractatu.

Tractatus Petri de Barreria cardinalis Æduensis factus Parisiis anno a nativitate Domini MCCCLXXIX. seu LXXX. *Serenissimo ac præexcellentissimo principi.* Editus est in tomo quarto historiæ universitatis Paris. pag. 529.

Tractatus domini Joannis tunc abbatis S. Vedasti, nunc episcopi Carnotensis, factus Parisiis anno a nativitate Domini millesimo CCCLXXIX.

Tractatus magistri palatii responsivus ad rationes quorumdam theologorum contra dominum Clementem & pro B. factas, ordinatus Avinioni de mense Maji anno LXXX.

Tractatus domini cardinalis Ebredunensis super materia concilii generalis habendi vel non habendi in negotio schismatis hodie currentis, scriptus de mense Augusti an. LXXX. forte factus eodem aut saltem præcedenti an.

Epistola ecclesiæ ad regem Francorum in causa schismatis, data in inferno vivorum. In fine apposita est hæc nota: *Nihil valet totum, nec principium, nec finis.*

Epistola de facto schismatis ad Ludovicum ducem Andegavensem, composita per magistrum Joannem de Florencia. Scripta ante electionem Clementis.

Factum intrusionis Bartholomæi in papatu traditum per reverendissimos patres dominos dominos Florentinum & Mediolanum cardinales Italicos reverendissimis patribus & dominis dominis Albanensi, Vivariensi, & Eustachii, & S. Angeli cardinalibus in Nicia cum eis constitutis de anno Domini millesimo trecentesimo LXXX. & de mense novembris.

Ambaxiatorum Urbani VI. oratio ad regem Castellæ divisa in XVII. veritates, eadem quæ in codice Harlæano occurrit sub nomine episcopi Faventini.

Allegata domini episcopi Ambianensis (Joannis Rolandi) pro domino Clemente in facto schismatis, coram rege Castellæ.

Pro-

ANNO CHRISTI 1380.

Probata coram rege Castellæ pro parte collegii & domini Clementis contra Bartholomæum intrusum.

Declaratio domini regis Castellæ. Eadem quæ habetur in calce codicis Harleani.

Francisci de Siclenis epistola seu factum pro Urbano ad eumdem regem.

Responsio domini Evvardi de Tremaugen, Britonis natione, domini regis Franciæ ambaxiatoris, juris utriusque professoris, nuntii domini Franciæ regis ad dominum regem Castellæ, facta in Castella apud Medinam del Campo coram dicto domino rege Castellæ consilium pro parte domini Clementis papæ VII. & contra Bartholomæum de Prinhano intrusum in papatu ad dubia quæ sequuntur, anno Domini MCCCLXXXI. de mense aprilis die secunda.

Quæstiones disputatæ coram rege Castellæ inter Petrum de Luna legatum & nuntios apostolicos Clementis VII. ex parte una, & nuntios Bartholomæi antipapæ anno Domini MCCCLXXXI. de mense Martii. Et incepta fuit disputatio die sabbati XXIII. dicti mensis in cappella regis in Metina del Campo diœcesis Salamantinæ, absente rege, & ejus consilio toto præsente. Responsiones factæ fuerunt per Petrum de Luna & per Ægidium Sancii.

Allegationes Bonifacii de Amanatis advocati fiscalis domini papæ factæ coram rege Castellæ & toto consilio apud Medinam del Campo Salamantinæ diœcesis de anno a nativitate Domini MCCCLXXXI. die mercurii XXVIII. Aprilis.

Allegationes Petri de Turi utriusque juris professoris, custodis Lugdunensis, factæ in cappella regis Castellæ tunc absentis apud Medinam del Campo pro parte Clementis VII. contra Bartholomæum intrusum de anno Domini MCCCLXXXI. & de mense aprilis secunda die.

Allegationes, ut dicitur, domini cardinalis de Luna.

Novæ allegationes Joannis de Lignano, seu verius postrema pars secundi tractatus quem Joannes de Lignano scripsit pro Urbano, qui editus est ab Odorico Raynaldo in appendice tomi XVII. annalium ecclesiasticorum.

Rationes Anglicorum, & responsiones ad illas.

Allegationes domini Raymundi Bernardi Flameach factæ coram rege Boemiæ anno MCCCLXXXIII. die XXI. Augusti.

Litteræ Wenceslai regis Romanorum, quibus committit Marchioni Moraviæ vicario suo generali in Italia & ultramontanis partibus potestatem inquirendi quis amborum sit papa & eidem faciat obediri.

Aliæ litteræ ejusdem Wenceslai, quibus eidem vicario committit potestatem reformandi ligam cum rege Franciæ.

Factum verum dominorum cardinalium, *Dudum vacante sede Apostolica*.

Sermo factus super & pro sedatione moderni schismatis per Guidonem cardinalem Pictavensem in synodo Cameracensi anno Domini MCCCLXXXIII. die prima octobris, pontificatus Clementis VII. anno secundo.

Tenor veri testamenti Petri Flandrini diaconi cardinalis S. Eustachii.

Tenor falsati testamenti dicti domini S. Eustachii. Quam falsitatem commisit notarius per plures annos post mortem prædicti domini, & postquam ad Bartholomæum idem notarius se transduxit.

Tractatus Perfecti de Malatestis abbatis Sitriensis vicecancellari Cataloniæ pro Bartholomæo contra Clementem, inscriptus: *De triumpho Romano*; compositus Barcinone anno MCCCLXXIX. die Sacratissima corporis Christi decima mensis junii.

Tractatus Baldi de Perusio contra Clementem VII. Incipit: *Civitas Dei*. Editus in appendice tomi XVII. Odorici Raynaldi.

Tertiæ, & ultimæ allegationes Joannis de Lignano, valde Venenosæ, licet superficiales & non reales existant. Incipiunt: *Quia post completum*. Editæ in calce ejusdem tomi XVII. uti dictum est supra.

Tenor litterarum directarum clero Romano ab anticardinalibus Bartholomæi.

Allegationes cujusdam in facto electionis, in favorem Urbani. Incipiunt; *In quæstione præsenti licet multi valentes*.

ALLEGATIONES ELECTI FAVENTINI,

Nuncii E. factæ coram rege Castellæ.

Legatio ex parte Romani intrusi coram Castellæ & Legionis rege.

Nunc pro declaratione juris domini nostri Urbani aliqua sub brevitate transcurram, quorum quædam apparebunt præparativa, quædam dispositiva, quædam probativa, quædam vero executiva & adminiculativa: ex quibus clare domini nostri justitia apparebit, prosequendo XVII. veritates inferius adnotatas. Rediens ad primum protestor, quod loquar cum qua potero honestate, non ad alicujus infamiam sive odium, nec favorem alterius: & quia quædam quomodo domini cardinales, qui pro duabus partibus & ultra erant Ultramontani, elegerunt Italicum, posset dici quod incomprehensibilia sunt judicia Dei, sine quo nec folium cadit de arbore, tamen persuasive respondet. Ex MS. Collegii S. Hieronymi de Dola, ex Mart. Amed. t. II. pag. 1083.

Prima veritas exortæ divisionis patefacta diversis vicibus in certis locis simul & separatim per diversa colloquia super persona Ultramontanea communionis ac divisionis. Nam mortuo piæ memoriæ domino Gregorio, & separatim diversa colloquia super electione summi pontificis tenentes; tamen propter multas eorum voluntates, de nulla persona Ultramontanæ nationis concordare potuerunt, facientes Ultramontani de se duas partes, quarum una vocabatur Lemovicensis, videlicet episcopus Penestrinensis, cardinales de Agrifolio, Pictavensis, Majoris monasterii, de Veruhio. Et hi quærebant habere papam dominum Pictavensem, vel saltem cardinalem Vivariensem. Alia pars vocabatur Gallicorum, & sub ea erant Gebennensis, Glandatensis, de Britannia, & S. Eustachii, quos sequebatur dominus de Luna & etiam dominus de Ursinis videbatur concurrere. Alii vero Italici stabant in seipsis. Prædicti vero Gallici tendebant habere papam dominum S. Eustachii, qui dominus S. Eustachii quadam vice dictis Lemovicensibus in talia verba prorupit ex parte dominorum Gallicanorum, quod pro certo inter eos

ANNO CHRISTI 1380.

ANNO CHRISTI 1380.

A

eos deliberatum erat, quod illa vice nullo modo haberent papam de natione Lemovicensi, subjungens quod totus mundus erat attediatus de eorum dominio: & ex tunc dicta discordia fuit patefacta: ideoque quælibet pars tenebat consilium ad partem; tractantes cum Italicis. Ecce ergo veritas exortæ divisionis patefacta per multa verba quæ in aliis attestationibus videbitur, ex qua divisione surrexit.

Veritas secunda ..... De subsequuto ordinationis. Nam revera illa pars obtulit se Italicis, dicens quod potius volebant Italicum, quam de natione Lemovicensis. Hoc deducto ad notitiam Lemovicensium, statim cœperunt cogitare viam supplantandi Gallicos, & scientes quod ex eorum vocibus non poterant habere papam de eorum natione vel sequela, concluserunt inter se eligere dominum archiepiscopum tunc Barrensem, propter separatum tunc favorem. Et ex aliis causis insertis in casu serenitatis vestræ transmisso per præfatum dominum nostrum: quod hoc sit verum patet ex publica fama nunc & tunc in curia Romana vigente. Item quia dominus Pictavensis ad hoc requisivit dominum Petri mediante persona domini mei reverendi domini Nicolai de Cremona, nunc episcopi Brigiensis, utriusque juris doctoris, dominorum cardinalium familiaris & socii. Item patet per litteram domini Glandatensis scriptam per tres dies ante ingressum conclavis, cujus copiam debet habere pater meus reverendus frater infans Petrus de Arragonia; & qui hoc indicavit domino de Agritolio, cujus eidem domino nostro, sede vacante, quod super humeros suos in brevi unum imponeretur magnum onus: aliquid & sibi tetigit dominus Gebennensis prope ecclesiam S. Petri; sed expressius hoc dixerunt illi cardinales, qui promotores seu protectores erant dominæ reginæ, qui hoc dictæ reginæ ante ingressum conclavis per suas litteras scripsit; ut in ejus depositione in publica forma videre poterit. Ecce ergo inclinatio dominorum cardinalium fuit in dominum nostrum ante ingressum conclavis, & sic falsum est quod extendunt de coactione vel metu, quoniam coactio est quando quis contra propriam inclinationem invitus traditur. Si quis bene inspiciat, secundum legem & mentem philosophi hoc ostendit.

Tertia veritas superius tacta, videlicet consultæ & fictæ factionis, nam sicut videbitis in supradicto casu, cum Cardinales de Agrifolio & Pictavensis post ingressum conclavis inquisivissent verba domini S. Petri & domini Mediolanensis, & ipsa reperissent tunc disposita in præfatum tunc Barrensem, & facta inter se ipsos computatione quod sufficiebant ad canonicam electionem, & dixisset dominus de Agrifolio aliis dominis hæc verba: Domini, sedeamus statim, quia pro certo credo quod statim eligemus & habebimus papam, cardinalis de Ursinis dixit: Ex quo fonte dedit tale consilium: domini deferamus istam electionem, & deludamus istos Romanos, qui volunt & petunt papam Romanum, & fingamus nos elegisse unum fratrem Minorum Romanum, quem ego nominabo, & induamus eum cappa & mitra, & postmodum loco & tempore faciemus veram electionem. Ecce ergo consulta fictio quæ inspecta fuit. Nam episcopus Prænestinus cum suis sequentibus statim respondit in idolatriam saltem usque in diem declarationis, subjungens esse procedendum ad veram electionem, non obstantibus clamoribus seu pactionibus populorum, de quibus non est timendum. Ecce ergo quomodo fictionem prevenerunt & statim superexit.

Quarta veritas super posita, scilicet celebrata electio. Nam licet dominus Florentinus, qui primam vocem habebat per viam collationis visus fuit vota dominorum cardinalium trahere in Dominum S. Petri, quem ad papatum nominavit. Tunc domini Lemovicenses allegantes dominum S. Petri impotentem ad onera papatus, ex causis in dicto casu insertis, direxerunt vota sua in præfatum dominum nostrum: quibus votis computatis, reperitur est eum habere ultra duas partes dictorum votorum. Tunc arguitur sic; electus est a duabus partibus, ergo verus papa est. Antecedens ipsi concedunt: consequentia probatur per caput *Licet* de elect. Sed ipsi contra dictam electionem timorem allegant, pro cujus exclusione,

Pondero quintam veritatem, scilicet illius electionis occultationem, celebrata namque electione domini nostri præfati, consilium inter se tenuerunt, an esset expediens illam electionem publicare, & concluserunt quod non, & licet dicat quis partis adversæ quod quia populus fremebat, ideo non fuerunt ausi illam publicare, mirabile dictum est hujusmodi, si populo impellente, & propter hoc timentes & ad vitandam mortem elegerunt dominum Barrensem, quod electionem suam non audebant publicare. Quis unquam audivit quod existens in periculo mortis noluit illud evitare? Et quis unquam audivit, quod volentes evitare mortis periculum absconderunt seu celaverunt causam evitationis suæ liberationis. Sed revera ratio occultationis fuit, quod non imaginabantur satisfecisse populo, & per consequens metus quem attentatum per populum prætendunt, non impressit in mentibus eorum, neque eorum arbitrium absorbuit. Et hoc possit esse causæ quantumcumque intrinsecus attentatæ, ut prætendunt sicut probatur, & hi tres deliberaverunt ergo non publicari dictam electionem, & nec facto nec signo publicaverunt. Inferunt pro ipso & non solum, sed adjunctis pluribus aliis prælatis, fingentes ab eis velle habere consilium, & interim fecerunt lætantes in conclavi, mandantes publicari & colligi res suas, & asserunt qui audiverunt, & ut in attestationibus videre poteritis, dominus Gebennensis jocose dicebat inter alios Romanos *Le Velenno*. Interim venerunt prælati pro quibus missum erat: quibus existentibus in palatio, pransi sunt prælati per se, cardinales per se, & sumto prandio convenerunt de novo dicti domini cardinales, & tunc surgit

Sexta veritas, videlicet electionis reiteratio. Nam quidam ex dominis proposuit inter eos hoc modo: Domini aliqui isto mane quando elegimus dominum Barrensem, fecerunt dubium de clamoribus Romanorum: nunc vero nullus clamor potest allegari; quia sunt omnia in quiete. Videamus ergo quid facere volumus. Et tunc quasi omnes seu saltem ultra duas partes ipsum dominum tunc Barrensem elegerunt. In cujus mente potest cadere quod talis raiteratio processerit ex timore? non enim supponit pars adversa impressores quos prætendunt petiisse reiterationem, cum ignorarent pri-

ANNO CHRISTI 1380.

primam fictionem. Processit ergo ista secunda electio ex superabundanti voluntate, per quam ut etiam dixit pater meus dominus Joannes de Lignano, talis indictus est effectus. Quia si prima tenuit, ista secunda sit nulla; quia non potest geminare titulus beneficii in eodem subjecto. De elect. *ut quos duas*. Venit ad declarationem libertatis primi consensus. Si vero prima fuisset nulla, tunc secunda fuit aliqua juxta doctrinam Glossæ in cap. *Auditis*. Cum impressio non plus inficiat quam impressoris intentum sit. Et addendum quod non propter metum dicta reiteratio processit. Pondero quod ut adversantium casus habet, unus ex dominis in reiteratione electionis allegat metum divertere, & subditur in alio casu, quod spreta fuit talis allegatio, & ipsa spreta processit talis dicta reiteratio a duabus partibus & ultra. Non ergo metus fuit in causa hujus actus, pro quo ergo surgit

Septima veritas, scilicet novæ formæ expressionis. Dixerunt quia tam in prima, quam in secunda electione, quod eligebant animo & intentione quod esset verus papa. Causa enim fuit exuberantia voluntatis, quia dixerunt non solum quod esset papa, sed quod esset verus papa: insolitum verbum & ideo sine aliquo conatu metus, nec consilium fictionis datum per dominum de Ursinis sequi intendebant, nec allegationem metus factam per alium ponderarunt: ad quid enim prudentes viri & famosi juris & facti expertissimi hoc dixissent, non capit naturalis imaginatio, cum ut dictum est in proximo, impressores quos prætendunt hoc non petierunt. Verum est quod dominus S. Eustachii in suo confecto casu ponit quod pauci talibus verbis usi sunt, sed tamen quod omnes sic dixerunt patet ex casu dato a Joanne Lignano, qui secundum assertionem partis adversæ saltem fuit duorum Italicorum, ut sic haberet testimon. trium, quod validum est, licet ut opinor, ille casus fuit omnium: sed postquam viderunt sibi ex illo concludi, confixerunt alium casum. Ecce sequitur

Octava veritas exclusiva præsumptæ dictæ fictionis, scilicet, notitiæ, & amicitiæ, copulationis. Fatentur enim dicti adversarii, quod dominus noster erat notus, & familiaris amicus erat, scientificus erat, expertus erat, bonæ conscientiæ. Non est ergo verisimile quod cogitassent tantam delusionem, & sic vituperosam in personam suam. Sed ipsi hoc tolerant hæc dicentes, quod intendebant ipsum religere in loco securo, quasi putarent quod locus sive metus attentatus, sive terrores extranei possent vitiare electionem prædictam in se ipsa liberam, & a libera voluntate procedentem. Et hic est magnus error, ut videtur, quia traditionem talem seu effectum rei gestæ non impedit. Tumultus enim popularis non excludit propterea liberam, canonicam, concordem electionem fieri non posse. Item videte errorem alium; dicunt quia eum intendebant reeligere, & ex alia parte ponunt eum ineligibilem, quia consenserat electioni quam dicunt factam tumultu. Item est hic ponderandum, quod illa talis conditio in diem seu locum per eos, ut dicunt, in mentibus intellecta, non potest plus operari, quam si fuisset expressa: sed certum est, quod uti ubi fuisset expressa per eos nihil fuisset operata, tamquam a jure improbata ut in Reg. *Actus legitimi* de re inter. & de elect. cap. 11. lib. vi. per quod caput apparet quod dicta talia vota conditionalia sive in diem vel locum pro non adjectis haberentur, & ex aliis confessibus penitus remanet electio valida; & non est dubium, quia multi ex dominis cardinalibus fatentur dominum nostrum pure & simpliciter elegisse, & de se ipso pluries, ut audio, confessus est dominus de Luna. Sed concludatur contra ipsos ex

Nona veritate, scilicet adjunctæ simulationis. Nam cum Romani deputati ad custodiam conclavis præsensissent, quod cardinales fecerant rumpi aliqualiter conclave ex parte posteriori, revera ad salvandum quaidam res quas dubitabant in multitudine subripi: dubitantes Romani ne illud fieret propter exitum cardinalium, non facta & non publicata electione, intraverunt per dictam irruptivam satis impetuosi: & tunc dicti cardinales, credentes quod propter impressionem faciendam ad habendum Romanum in papam, retraxerunt se ad cappellam secretam, & cum aliquis consuleret quod confingerent dominum S. Petri electum, & quod sibi facerent reverentiam ut electo, multi eis dixerunt, maxime Dominus de Luna, sicut mihi constat per ea quæ de domo sua emanarunt, quod potius vellet mori quam facere reverentiam non vero papæ, dicens non conflabo vitulum, nec coram Baal flectam genua. Unus est enim & debet esse verus papa & non duo. Et verbo dixerunt illis Romanis quod dominus S. Petri erat electus, sed nolebat consentire: & tunc Romani irruerunt in illum, ponentes eum de facto supra sedem, velut papam, tamen absque exhibitione reverentiæ inde recesserunt & illæsi cardinales prædicti, ut hæc omnia habetis in casu. Ex his pondero duo mirabilia, primum quomodo dicti cardinales, qui dixerunt prius velle mori, quam consentire in illam simulationem, & non verum papam fingere, quamquam essent multis armatis & furenti populo, ut asseritur, circumdati, quando solum voces audiverunt, ut etiam asserunt, tam fortiter timuerunt, quod dominum B. ob timorem mortis elegerunt; alii vero, ut asserunt; alium, scilicet dominum S. Petri electum finxerunt, & populo ostenderunt. Verum, Serenissime Princeps, non est præsumenda tam inanis cautela in hominibus tantæ prudentiæ, tantæque experientiæ. Unde vestra circumspecta prudentia considerare potest quanta sit dictis dominis fides adhibenda, tota repugnantia, & non verisimilia asserentibus. Hunc sequitur

Decima veritas, scilicet solemnis inthronizatio. Hoc est sciendum, quod post simulationem, de qua proxime dixi, quatuor cardinales recesserunt de Urbe ad loca eis confidentissima; sex vero intraverunt castrum S. Angeli fortissimum & inexpugnabile, ut patet toti mundo; sex vero remanserunt in eorum hospitiis, qui sexta die sequenti clam ad palatium ubi erat dominus noster quasi latitans, accesserunt, & cum officiales Urbis jam informassent populum quod dominus S. Petri non erat electus a cardinalibus, sed erat electus dominus archiepiscopus Barrensis, & sic populum placassent, dicti alii sex cardinales, qui erant in castro voluntarie etiam ad dictum palatium venerunt, & convenientes in dicta cappella secreta, omnes isti duodecim vocaverunt ad se dictum

ANNO CHRISTI 1380.

ctum dominum nostrum tunc archiepiscopum B. & ipsum tamquam electum inter se ceperunt, & electionem sibi annunciaverunt, suum postulantes consensum, prout latius habes in casu. Et quomodo dictus dominus noster ab eis voluit certificari, & quid ipsi responderunt audiendo, infra super articulo confessionis. Quibus sic dominum nostrum inthronizaverunt, & Urbanum assumtum publicaverunt. Hæc ergo pondero, quod dicti cardinales voluntarie venerunt, quia cogi non poterant, non enim cogitur qui resistere potest, ut dicit Magister sententiarum lib. II. dist. XLII. Tunc arguitur sic. Duæ partes cardinalium & ultra receperunt dominum nostrum ut electum in papam. Ergo verus papa est. Nam negari non potest, nec per eos negatur; quin saltem aliqui ex eis etiam in prima electione ipsum voluntarie elegerunt, quo præsupposito, sufficit ipsius electi receptio quocumque modo, sive per osculum, sive per inthronizationem, sive per accessionem, ut dicunt doctores, in prædicto capite. *Licet per litteram quæ ibi est, nisi major concordia &c.* Ad quod etiam benefacit glossa, quæ incipit. *Non sicut* in capite *Indemnibus* de election. lib. VI. Prima sola inthronizatio jus pontificativum probat. Nam olim imperatores nominabant papam XLIII. di. *Adrianus*, & cardinales solummodo inthronizabant, & sic est necesse fateri, quod ex ipsa inthronizatione oriebatur jus pontificatus, ut dicit Innocent. in cap. *Quod sicut*, de elect. Quoniam ex nominatione imperatoris non laicus de elect. *Sacrosancta* LXXXXVI. di. *unde quidam*. Et ista ratio est domini Baldi. Surgat ad idem, & fortius solemnis coronatio, quæ fuit

Undecima veritas. Oportet enim fateri, quod solemnitas coronationis supponit pro aliquo in promotione Romani Pontificis. Ita patet ex notatis supra data per Johannem Andream l. VI. & satis videtur adaptare ad investituram, ut sicut investitura, si fit a confirmatore, habet vim confirmationis, si vero a collatore, habet vim collationis, si talem habet potestatem. Hæc est sententia Innocentii in caput *ex ore*, de his quæ fiunt a majori parte capituli. Sed quis dubitat quod creatio spectat ad cardinales, non solum per viam electionis, sed etiam provisionis, quoniam papam non facit modus, sed consensus: quod probatur ex verbis Innocentii & Compostellani, & aliorum doctorum in præallegato cap. dum dicunt sufficere consensum quomodocumque præstitum. Alii dicunt qualitercumque, ut sic in dicta præstatione consensus, & sicut de substantia formæ, ut dicit Innocentius in dicto cap. *quoniam sicut* in fi. de elect. lib. VI. ubi dicunt quod confirmatio scienter facta a confirmatore, etiamsi electio præcedens esset nulla, confert jus prælaturæ, habet vim provisionis, si confirmator talem habet potestatem. Sed cardinales ignorare non poterant, si quis fuerit defectus in electione Domini nostri, quod provenire non poterat nisi ex defectu consensus eorum, ideo sponte, postea inthronizando & coronando totum complevisse verum, & de novo jus pontificatus tribuisse . . . . unde si cardinales dicerent ordinamus quod iste sit papa, vel volumus, quod iste sit papa, papa esset considerandus, & est, quia electio, ut dicunt sapientes, nihil aliud est quam declaratio consensus, &c. Sequitur nunc veritas multiplicis confessionis & fuit

ANNO CHRISTI 1380.

Duodecima veritas circa quam ... pro una maxima: quia confessio deliberata, seu cum intervallo temporis emanata, est quasi irrevocabilis. Nunc videatis, Serenissime Princeps, quot & quales confessiones emanaverunt a dictis cardinalibus. Primo enim cum illi sex existerent in castro S. Angeli dubitantes, ut dicebant, venire ad palatium, manibus propriis scripserunt testificantes dictam electionem canonicam, committentes aliis in palatio existentibus vices suas circa inthronizationem fiendam. Cujus scripturæ copiam habetis in dicto casu. Subsequenter tamen cum ad dictum palatium venissent. & essent XII. congregati, ut dictum est supra, vocato ad se domino nostro in secreto, omnibus exclusis remanentibus, tamen ibi juxta altare quodam reverendo patre episcopo ordinis S. Augustini confessore, & domestico commensali piæ memoriæ domini Gregorii papæ, & quodam alio clerico vocato Poncio, ambobus Galliæ nationis, qui ibi quasi semilatendo remanserant. Videte quid asseritur factum fuisse, nam ex ejus attestationibus videbitis cum dictam Florentinus narrasset electionem de ipso factam & peteret suum assensum, D. noster vertit se ad illos, dicens: Videte cum ista fuerint mihi narrata antequam veniretis, tamen nolui consentire dictæ electioni, nec aliquam novitatem facere, nec volo, donec sim certificatus qualis fuit & est vestra intentio. Et tunc quilibet ex eis per sacramentum voluntarium ponendo manus ad pectus, domino dixerunt quod intentio eorum fuit & erat pure & libere quod esset verus papa, & aliqui addebant, quod post B. Petrum nullus fuit forte ita pure & concorditer electus, subjungentes, quod prostratus ecclesiæ nullo modo differret consentire: quoniam foret valde difficile cardinalibus in aliam personam convenire . . . . . Et attendatis hic, Serenissime Princeps, quod si aliud fecisset in reipsa, cardinales prædicti explicassent domino nostro in tali secreto actu. Nam ipsimet & eorum scripturæ dicunt quod reputaverunt eum bonæ conscientiæ, & talis conscientiæ, quod dictam electionem non acceptaret. Ergo verisimile est, quod ipsi saltem inquirenti & in loco sic secreto veritatem non celassent. Item, Serenis. Princeps, quod etiam per sacramentum confessi sunt pluries, & maxime dominus de Luna super altare S. Petri in consecratione dicti domini nostri, quoniam cum eo tractabant ejus utensilia altaris. Item, si ipsi vel aliqui alii confessi sunt esse in Anagnia, quando jam inchoatum erat schisma, quod potius volebant esse schismatici, quam martyres. Item, Serenissime Princeps, videte eorum confessiones per litteras tam collegiales quam privatas scripturas ad imperatorem, & ad alios principes mundi etiam propriis manibus, & ad eorum amicos & consanguineos, quæ confessiones & litteræ, si non faciunt papam, tamen probant papam esse factum. Dicta etiam singulorum probant factum universorum, si consona sit. Item habetis confessionem & recognitionem illius sancti viri cardinalis S. Petri in articulo mortis, & etiam domini Jacobi de Ursinis, qui non solum expresse, sed etiam tacite est confessus, scilicet quando de suo testamento ab olim facto revocavit dominum S. Eustachii & dominum

ANNO CHRISTI 1380.

num Nicolaum de Neapoli, quos primo deputaverat executores, dicens nunc quod nolebat executores involutos in schismate, nec non & multas alias confessiones tam verbo quam per litteras factas in Anagnia, & per aliquos ex eis postquam per alios publice cœptum erat dicere sedem vacare. Inde clare vestræ Majestati ostendentur. Ad id conquerit multiformis recognitio quæ fuit

Tertia decima veritas. Non enim est dubium, Serenissime Princeps, quin recognoverunt dominum nostrum verum papam, non solum eundo ad consistorium, & ei ut vero papæ obediendo: verum etiam beneficia & gratias pro se & suis impetrando, & ipsa beneficia possidendo. Et mirum est, quod multi ex eis adhuc hodie beneficia tenentes, tamen disputant an sit papa. Multi etiam ex eis indulgentias & gratias spirituales, & pœnitentiales impetraverunt, quibus usi sunt in secreto. Circa quod poteritis videre attestationes cujusdam religiosi Tolosani ordinis Prædicatorum, qui aperte deponit virtute dictarum indulgentiarum confessiones audivisse ab eis, & absolutionem petitam ab eis impendisse. Multos enim & infinitos actus potestis videre, per quos in tribus vel quatuor mensibus continue cum est verum papam recognoverunt. Sed ipsi conantur evadere, dicentes quod isti actus non faciunt papam. Ad quod potest responderi, ut supra, quod si non faciunt papam, ostendunt eum esse factum: quoniam sequentia ostendunt præcedentia. Alias ex talibus actibus concluderetur contra eos expresse idololatria, ut in prima clare dictum est. Præterea si volumus de juris apicibus loqui, ego considero in dictis dominis cardinalibus diversas species actuum. Scilicet proprie & improprie sunt actus, qui consistunt in taciturnitate, seu in non reclamatione, qui non proprie sunt actus, nisi in quantum ex eis elicitur quidam tacitus assensus. Et tunc supposito eorum confecto themate pro non, posset dici quod solus actus taciturnitatis sive non reclamationis non inducunt novam dispositionem, durante prima causa impediente. Quidam sunt actus proprii, qui consistunt in agendo, qui sunt mere voluntarii, & quoad istos non video quod locus metus impediat eorum effectus; cum non plus inficiat metus, quam respiciat. Ideo si metus intuetur, quod citius eligatur, & eligetur Martinus, valet electio, ut superius dictum est. Sed ipsi statim dicent, quod isti actus non sunt collegiales, & sic non formales, ideo non inducunt dispositionem seu purgationem vitii. Ad hoc respondeo primo, quod si non dispositive, saltem præsumtive, ut dictum est supra: unde etiam cum supposito eorum themate eorum fundamentum metus surgat etiam ex præsumtione, per aliam præsumtionem tollitur, ut inferius clare deducam; vel satis probabiliter dici potest quod isti actus voluntarii, licet non formales, sufficiant ad fundamentum nostrum. Nam quod in matrimonio carnali & professionali requiris materiam & formam, scilicet assensum & matrimonii expressionis assensus, &c. Ex quibus constat quod quandocumque quis consentiat in mulierem, aut consentiat profiteri, sive exprimat verba professionalia, nisi sit qui recipiat talem assensum, nec est matrimonium, nec professio; & tamen video, quod si matrimonium vel professio sit in sui forma legitima, quamquam intervenientibus terroribus sufficientibus ad impediendum consensum; & sic visum est vitium in materia, tamen actus, postea voluntarii sufficiant ad matrimonium vel professionem, ut sint isti ultimi actus licet non formaliter trahantur ad primam materiam, in qua in figura apparuit vitium, in materia enim ponderantur allegata cap. *Insinuanter &c.* Nunc succedat veritas pacificæ possessionis Domini nostri, quæ fuit

Quarta decima veritas. Patet enim ex præmissis de pacifica possessione domini nostri super cunctos Christicolas, & etiam super illos qui hodie sibi adversantur, nec negare possunt canonistæ, quin magnus effectus producatur ex possessione etiam in beneficialibus. Nam si existens in possessione cathedræ, sufficit sibi sola possessio cathedræ, &c.

Quinta decima veritas, scilicet de opinione principum, doctorum, & vulgi satis debet constare serenitati vestræ. Novistis enim, qualiter serenissimus imp. Rom. scilicet D. Carolus, & filius ejus D. Wenceslaus rex Romanor. cum omnibus principibus & prælatis Alemanniæ & Bohemiæ, nec non dominus rex Hungariæ, qui semper christianissimus fuit, rex Angliæ, comes Flandriæ, cum cæteris dominis & nobilibus Italicis tenent dominum nostrum Urbanum VI. verum esse papam; exceptis quibusdam paucis, qui eidem potius ex privato odio adversantur, quam ex tituli dubietate. De doctoribus etiam patet. Nam nullum in Italia doctorem agnosco, qui contrariæ opinionis existat; quamquam in Francia sint viri valentes juris periti, non tamen credo eos esse tales. Fons juris in Italia est, non in Francia, suntque dicti Gallici & multi alii circumventi in narratione facti, ex quo jus oritur. Numquam enim in Francia pro domino Urbano fuerunt informationes receptæ. Immo cum ad istum finem illuc destinarentur, quidam valentissimus doctor & miles & advocatus antiquus Romanæ curiæ, nomine dominus Ja. de Ceva, natione Provincialis fuit per partem adversam captus, detentus, nec dum sum libertati plene restitutus, quamquam directo mitteretur ad personam regis Franciæ. Multum enim Serenissime Princeps, ponderanda est opinio seu interpretatio doctorum, nec etiam est spernenda, Serenissime Princeps, vulgi opinio. Nam jurisconsultus illam ponderat. Quid enim vulgus in hac materia sentiat, Vestra Serenitas non ignorat. Et dici solet proverbialiter quod vox populi vox Dei, &c.

De sexta decima veritate, scilicet divinæ revelationis non loquar, dubitarem tanto judicio aperire os meum. Scio tamen a fide dignis multos homines sanctæ vitæ & religionis, mares & feminas revelationem habuisse de hujusmodi veritate; ex quarum qualitate personarum præsumere possumus esse revelationes divinas, quæ omnem legem positivam superant. Ultimo dixi veritatem D. nostri adjuvari ex varietate facti narrationis. Scilicet ab adversariis, ut dixi in prima collatione, & facile posset ostendi maxima varietas in eis, ex qua contra ipsos posset concludi, quoniam varietatem non admittit Prætor, multo minus contradictores.

Decima septima veritas. Quæ probant, immo demonstrant justitiam domini nostri in summi pontificis seu pontificali dignitate, & ut tali obediendum fore absque mentis scrupulosita-

ANNO CHRISTI 1380.

te. Sed unum solvatur, ut dictorum adversantium fundamentum tollatur. Videlicet domini cardinales convenientes Anagniæ, ut asserunt, submiserunt processum electionis domini nostri ratione liberationum Romanis, declarantes ipsam postea nullam existere, velut per impressionem factam, &c. *Subjungit varias juris citationes, quas ne tædium generent consulto præterimus*. Verum, Serenissime Princeps, etiam metum, quem allegant dicti Domini adversarii, & ut Vestra Regalis majestas clare videat injustitiam eorum, consideret quod, prout etiam ex eorum processibus apparet, ponitur magnum intervallum temporis inter electionem primam & secundam domini nostri. Nam prima ponitur facta hora tertiarum vel antea, secunda post prandium, & esset dies jejuniorum, & sic quasi prope horam vesperam. Et tunc dicunt adversarii, cum illa secunda electio quasi completa esset, cœperunt Romani irruere in conclave. Ergo ante non fecerant nisi verba, emittendo voces, ut dicti adversarii ponunt, ex quibus asserunt timuisse, tunc, Serenissime Princeps, quod in materia metus elicitur ex jurium communibus. Nam metus considerari potest duobus modis: uno modo qualis est, alio modo qualiter esse debet. Si enim est talis qualis esse debet in constantem virum illius conditionis & qualitatis, iste metus dicitur justus, id est meticulositas patientis dicitur justa. Si vero non est talis qualis esse debet, ut quia ex actibus inferatur, nullus vel parvus metus surgere, & fragilitas metuentis asserat illum metum transcendisse ante vices, in hoc non sibi asserendum quod allegaret fragilitatem, quæ non debet esse nec præsumitur esse. Nunc, Princeps justissime, dico quod metus verborum non debuit cadere in cardinales, præsertim in toto collegio. Præsumitur enim in eis fortitudo, & debent esse audactissimi. Lex præsumit hoc in militibus sæcularibus, immo certe lex præsumet militem sæcularem non evitare pro republica mortem. Multo fortius arbitrandum est, quod cardinales non sint tam fragiles, quod timeant verba, maxime illorum, qui primo eis nunquam fuerunt loquuti, nisi depositis cappuciis, & cum inclinationibus & reverentiis. Immo præsumendum est, quod inter quæcumque pericula libere eligant, quod ecclesiæ expediens fuerit. Item, illi actus, quos prætendunt factos a Romanis, non fuerunt impressivi, nam voces parum vel nihil imprimunt in subjectum, si constans est, sicut esse debet. Cogitetis si habetis excusatos milites vestros allegantes hujusmodi metum, Impressio enim est, Princeps Serenissime, applicando agentem ad passum, quasi de corpore in corpus: unde non proprie dicitur impressio corporalis, ut ubi corpus non tangitur, animus constantior esse solet & debet vel præsumitur esse. Item sicut dicit Justinianus nuper ex personis dicta pensamus. Sed Romani numquam ante, nec post aliquem cardinalium læserunt, nec unum minimum familiarem, immo sæpe eos reverentialiter tractaverunt, ut supra dixi: in cujus signum dicti cardinales sæpe eis dixerunt, quod non eligerent ad eorum votum, sed prout Deus dederit, & ulterius ipsis videretur. Et posito quod fuerint Romani commoti, instigatio quorumdam fuit hæc, longe ex post facta electione dicti domini nostri, ut superius est dictum. Nec etiam tunc processerunt ad aliquem actum, proximo facto, quia illud est attentare, illud est opprimere. Ex quibus omnibus concludi potest, quod si quis metus fuerit in cardinalibus, fuit & esse debuit levis, & sic vanus, qui nullum actum vitiat, nedum electionem papæ secundum jura. Et si asserunt graviter timuisse, ubi non debebant, non eis de jure credendum. Et hoc etiam posito, non vitiaretur actus sic factus per eos. Videmus in jure, quod non fuit excusata quædam mulier, quæ allegabat metum ortum ex verbis regis Legionum, & propterea credebat non obligari ad professionem quam fecerat. Quomodo cardinales per verba subditorum possunt, a quibus numquam recesserant ipsi, nec similes eis læsionem fecerant: licet dicant adversarii quod occiderunt olim Romani multos Romanos pontifices & martyres Christi; istud fuit tempore quo erant infideles, & sub imperatoribus infidelibus, id est non Christianis. Multi enim in eorum cordibus dubium generant ex qualitate dictorum cardinalium, de quibus asserunt non præsumendum quod a vero capite fidei temere recessissent, & alii quæ ad hæc scirent, aliter respondere. Ego enim pondero quod judicia Dei abyssus multa, ideo incomprehensibiles, & investigabiles viæ ejus. Video enim quod permisit angelum Luciferum longe majoris perfectionis, cum tot millibus angelorum in cælo cadere. Si ergo permisit ruinam in cælo, a fortius in terra. Adam etiam creatus in statu innocentiæ cecidit per peccatum, Dei permissu. Justissimus etiam ille David, ille rex tantus. Item totus populus Israeliticus idololatravit, & ut dixi, omnia ista de justo Dei judicio processerunt. Circa quod possemus considerare ea quæ scribit B. Gregorius ut transumtive habetur de pœnit. dist. 2. *multis*. Et per hæc & informationes quas habetis dignetur Benignitas vestra accelerare declarationem vestræ intentionis sequendo hanc partem veram Domini papæ Urbani. Considerandum etiam quod totum schisma erit sedatum, tota christianitas sequetur eum. Ubi vero, quod absit, aliud eligeretur, pensate quod adderentur ligna ad ignem, & sic fortior erit ignis. Nam principes alii, & alia christianitas, non propterea mutabuntur. Sciunt enim, quod ubi per judicium hoc schisma debeat terminari, illud est judicium concilii generalis, & non aliquorum singularium prælatorum, & interim, ut dictum est supra, deberetur obedientia tenenti cathedram B. Petri apostolorum principis clavigeri æterni regni.

Probata coram rege Castellæ pro parte collegii & domini Clementis contra B. intrusum.

ISta omnia quæ sequuntur probantur pro cardinalibus contra primam electionem. Et primo de confessionibus domini Faventini & domini Francisci constat, quod officiales Romani tenuerunt diversa consilia in capitolio juxta morem, in quibus tractatum fuit, quis modus per eos teneri deberet in electione papæ, quodque custodiam pontium & portarum Urbis, præter portam pontis quæ est juxta castrum habuerunt, nobilibusque Romanis mandaverunt sub pœnis & ad tempus de Urbe recedere. Et præfati officiales Urbis pendentibus decem diebus, qui effluxerunt inter mortem prædicti domini Gregorii & introitum

ANNO CHRISTI 1380.

conclavis, simul adunatis pluries supplicarunt, eosque requisierunt ut eligerent papam Romanum vel saltem Italicum. Item postquam cardinales intraverunt conclave & jam exiverant illi Romani qui cum eis intraverant, postea eodem sero iverunt ad dictos cardinales aliqui de officialibus Urbis, & capita regionum, & petierunt quod darent eis papam Romanum vel Italicum. Item cardinales ante ingressum conclavis fecerunt monitiones & exhortationes dictis Romanis, quod eos tenerent securos, ut possent uti libero arbitrio, allegando quod multa mala possent evenire, si cogerentur ad aliquid contra eorum voluntatem, eosque requisiverunt, quod ordinarent bonum capitaneum ad custodiam burgi sancti Petri, cum certo numero gentis confidatæ dominis cardinalibus, offerentes se velle solvere stipendia dictæ gentis, & quod cardinales hortati fuerunt ipsos Romanos, quod tenerent & ordinarent populum taliter quod scandalum non veniret, & quod abstinerent ab illis consiliis, quæ videbantur esse causa inflammandi populum, & facerent taliter custodiri pontes, vel ipsos tenendo clausos saltem de bona gente in sufficienti numero munientes, quod populus non posset transire ad palatium, & quod domini cardinales dubitantes exposuerunt saltem in effectu eisdem Romanis cum magna fide errores qui poterant sequi ex modis quos tenebant circa ipsos, expresse eis dicendo, quod si propter præmissa, quæ minas & impressionem eis velle facere sapiebant, aliquis in papam eligeretur, non esset verus papa; & quomodo ipsi tendentes, ut curia penes eos remaneret, essent causa eos perdendi. Postquam die introitus conclavis ingredientibus cardinalibus in conclavi, erat platea S. Petri plena & populo Romano & aliis forensibus, & quod magna pars populi Romani erant ibi cum armis, inter quos ille Barrensis cum illis connestabulariis qui fuerant deputati ad custodiam conclavis, ipsique Romani ipsa nocte intraverunt palatium, & diversarum domorum portas ejusdem palatii ruperunt, & palatium hominibus armatis circumdantes & custodientes altis vocibus & reiteratis clamaverunt *Romanum volumus vel saltem Italicum*. Et demum die Jovis sequenti de mane clamores eosdem resumentes & iterantes, campanæ capitolii & S. Petri ipso mane ante prandium pulsatæ fuerunt ad martellum ad rumorem. Ista autem die præfatus Barrensis remansit in palatio, & in cameris papalibus, & fuit ter requisitus per aliquos de dominis, de cardinalibus, qui de Urbe recesserant, ut exiret, & noluit exire. Item die veneris sequenti dictus Barrensis misit per cardinales qui erant in castro, & pro illis qui erant in domibus, & ipsos reiteratis vicibus requisivit quod venirent ad ipsum; & cardinales venire noluerunt, sed illi qui erant in castro miserunt unam cedulam, in qua continebatur quod aliis sex cardinalibus committebant vices suas ipsum inthronizandi, &c. De qua cedula dictus Barrensis non fuit contentus, nec ea pro tunc uti voluit, sed iterum requiri fecit dictos cardinales, qui erant in dicto castro, ut venirent ad palatium, qui venerunt, & ipsum inthronizaverunt more solito. Qui Barrensis postea requisitus pluries Urbem cum dictis dominis cardinalibus exire noluit, & cardinales paulatim venerunt Anagniam, & ipse Barrensis sine aliquo cardinali ivit Tiburim, qui locus

A etiam distringitur per Romanos, ad quem locum ipsos cardinales sæpius evocaret, & ipsi cardinales venire recusarunt.

Ultra prædicta quæ probantur per confessionem, probantur sufficienter articuli qui sequuntur per testes fide dignos, & specialiter per cives Romanos & custodes conclavis, qui fuerunt recepti & examinati in urbe Romana.

Primus articulus est & probatur, quod durante novena exequiarum domini Gregorii, Romani sæpe & sæpius & etiam quotidie, & aliquotiens bis tenuerunt diversa consilia, in quibus fuit deliberatum & determinatum de habendo papam Romanum vel Italicum, & B super hoc Romani & officiales requisierunt ipsos cardinales, ut darent sibi papam Romanum vel Italicum, subjungendo eis minas continentes pericula personarum, nisi facerent.

De custodia pontium & portarum quam Romani habere voluerunt & habuerunt probatur.

Item, probatur quod cardinales sentientes prædicta requisiverunt officiales Urbis quod abstinerent a consiliis & modis quos tenebant circa ipsos quæ impressionem & minas sapere videbantur; alioquin si aliquis eligeretur in papam, non esset verus papa, & ipsi tendentes ut curia penes ipsos remaneret, essent causa eam perdendi.

C Item, probatur quod pendentibus illis decem diebus Romani palam & publice per carrerias etiam audientibus cardinalibus & suis familiaribus dicebant, quod cardinales inciderentur in frusta, nisi sibi darent Papam Romanum vel Italicum.

Probatur etiam quia expellerunt nobiles, & vocaverunt rusticos seu montanarios, quos in magna multitudine Romam venire fecerunt.

Item, probatur quia die Mercurii hora vespertina, quando cardinales intrabant conclave, fuit multitudo populi armatorum & aliorum in platea S. Petri, & infra & extra palatium, altis vocibus clamantium, etiam cum ira *Romano lo volemo, o almanco Italiano*, alias quod omnes inciderentur, vel similia verba in effectu.

Item, probatur quia die Mercurii capita regionum cum aliis intraverunt in conclavi, & advisaverunt cardinales, quod nisi darent papam Romanum vel Italicum & facerent ad voluntatem populi, tantum esset scandalum, quod non possent eos defendere, comminando etiam cardinalibus mortem, nisi satisfacerent populo.

De fractura portarum palatii & quando illa nocte circumdederunt palatium hominibus armatis clamantibus, ut supra, etiam plene probatur.

E Item probatur, quod dicta die Mercurii, qua fuerunt conclave ingressi cardinales, per totam noctem fuerunt continuati clamores Romanorum clamantium *Romano lo volemo o almanco Italiano*, & quod populus sic de mane existens infra & extra palatium & ante conclave, altius & validius quam de nocte & terribiliter incepit clamare. *Romanum volumus vel Italicum*, alias omnes cardinales inciderenus per frusta, & alia verba similia.

Item, plene probatur quod die Jovis de mane ante mediam tertiam fuerunt pulsatæ cam-

ANNO CHRISTI 1380.

campanæ S. Petri & etiam campana capitolii cum martello ad rumorem, & tunc ad signum & sonitum campanarum populus fuit augmentatus, & multi armati ad totas cum tumultu & clamore valido confluebant ad palatium clamando *Romano lo volemo o Italiano*, & quod talis fuit ac tantus & tam terribilis rumor, tumultus & clamor populi modo prædicto clamantis circa palatium cum minis mortis, quod cardinales merito debuerunt timere.

Item probatur quod fuerunt advisati cardinales isto mane ante electionem per custodes conclavis, quod incontinenti se expedirent, & darent populo Romanum vel Italicum, alias quod omnes erant in periculo personarum, & quod tunc cardinales promiserunt Romanis sic furentibus & clamantibus, quod darent papam Romanum vel Italicum.

Item, probatur quod Romani intrantes cum furia deinde conclave, invenerunt aliquos cardinales propter eorum timorem fugientes, quos per violentiam & inhoneste injunctos reduxerunt ad cappellam; & nisi finxissent & dixissent quod eligerent cardinalem S. Petri, quod omnes fuissent occisi.

Item, probatur quod die sequenti, scilicet die veneris de mane B. existens in palatio apostolico, misit pro cardinalibus, qui ante diem confugerant ad castrum S. Angeli, pro aliis cardinalibus, qui in suis remanserant domibus, & reiteratis vocibus fecit eos requiri etiam post cedulam missam per cardin. castri super inthronizatione fienda, ut veniret ad ipsum inthronizandum, Cardinales vero venire noluerunt, & fuit dictum dicto Barrensi, quod in castro S. Angeli dicebatur specialiter per camerarium papæ, quod ipse non erat papa, nec esset, & quod idem B. cuidam episcopo hæc ferenti dixit, Tace non dicas, Ego mando tibi quod amplius non facies verbum de hoc. Et quod ipse archiepiscopus Barrensis misit dicendum Vauderensis, quod nisi facerent cardinales venire ad ipsum inthronizandum, nihil erat factum, & quod ipsi Vauderenses requisierant cardinales existentes in castro sub minis ut venirent ad eum inthronizandum.

Item, probatur quod duo Bauderenses iverunt ad cardinalem de Florentia, & sibi venire recusanti dixerunt, quod nisi veniret esset pejus quam heri. Et illa sic fuerunt dicta domino cardinali die veneris immediate sequenti post diem celebratæ electionis.

Probatur quod si cardinales revocassent in dubium electionem B. & non venissent ad ipsum inthronizandum & coronandum, quod fuissent in periculo personarum.

Item, probatur quod dictus B. post coronationem irrequisitis cardinalibus remisit Romanis injurias quas intulerant ipsis cardinalibus, & absolvit eos propria auctoritate, & non præmissa aliqua satisfactione, dicendo quod quidquid fecerant, fecerant cum vino, & parcendum erat ebrietati.

Item, probatur quod cardinales non potuerunt sine periculo exire Roma post mortem Gregorii ante ingressum conclavis, nec potuerunt publicare Romæ nullitatem electionis, & habuerunt causam rationabilem non declarandi suam intentionem Anagniæ ante declarationem per eos factam.

Item quod illi cardinales, qui se reduxerunt ad castrum S. Angeli jure debuerunt timere obsidionem & tyrannidem Romanorum, si non exivissent ad ipsum electum inthronizandum.

Sequitur in ms. declaratio regis Castellæ data Salmanticæ 13. cal. Junii 1381. in favorem Clementis, quæ edita est apud Baluzium in historia paparum Avenionensium.

DECLARATIO REGIS CASTELLÆ PRO CLEMENTE VII.

JOannes Dei gratia Castellæ & Legionis rex universis Christi fidelibus salutem & in pastoris notitia non errare. A solis ortu usque ad occasum sacri turbinis excitata subversio satis innuit evidenter, quanta malignatus est inimicus in sancto, dum adversus Dominum & adversus Christum ejus pestiferas instruens solitæ iniquitatis insidias, & in nova furentis incendii horrendaque præstigia voraces conflans truculentis machinationibus officinas, divini & humani imperii principatum nephariæ collisionis acerbitate discerpit, & fidei ac religionis integritate fuscata vinculum catholicæ unitatis abrumpit, dum mortiferis errorum sentibus dominica seges suffocata necatur, & totius pietatis humanitate calcata, in matris injuriam devotio filialis armatur. O sordidæ cæcitatis monstruosa ludibria! Ad unius sponsæ complexus geminos vocant dubitata sponsalia, & unius familiæ binos patres conformia duorum pollicentur insignia. Inter pastores adversos unius gregis cura sectatur, fit de cælestis sponsi hæreditate contentio, sponsæ patrimonium hinc inde distrahitur, passim expilatur hereditas, & veri notitia patris a pupillis filiis, proh dolor, ignoratur. O Christiane plebis enervata devotio, præceps impietas, prodigiosa caligo! Quomodo obscuratus est sol, & splendidus veritatis antiqua luciferos currus convertit in tenebras? Ubi fides, ubi religio, ubi lex, & vinculum caritatis? Nimirum ergo Christi cultores, & orthodoxæ fidei strenui sectatores, scilicet reges terræ, hoc videntes admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, stupor apprehendit. His sane strepitibus, his perniciosis clamoribus excitatus gloriosæ recordationis dominus quondam rex Henricus genitor noster illustris, & piæ mentis affectu olim, dum ageret in humanis, solerter attendens quibus esset onusta dispendiis, quantis plena periculis, hujuscemodi ruinis exposita nephandæ pestis calamitas memorata, ne fucatis velata coloribus multorum suspecta loquacitas execrabilem nutriret excessum, ad rei gestæ scrutandæ remedium divinum nobis prælibavit initium: cujus laudanda vestigia sic nobis cælestis dignatio regis imitanda proposuit, ut quem sibi fecit in regni solio & regiæ claritatis culmine successorem, eumdem probaret in fidei zelo, & devotionis sinceritate consortem. Quapropter prædictæ pestis vagabunda piacula intra pectoris clausura non absque amaritudine sollicite revolventes, quanlesve esset exitus paritura diutius neglecta pensantes, præsertim ubi languor arcem capitis occupat, cujus fluxus ad inferiora plerumque membra diffusus, aut ea consumendo depascit, aut male torquendo cruciatu atrociore consumit, illud etiam nihilominus recensentes, quod credulum vulgus non suo judicio sed peregrinis utplurimum vivens rumoribus, per devia sæpe & errorum abrupta convolvitur,

ANNO CHRISTI 1380.

tur, & quasi per tenebras alienis insistens vestigiis periculosas & inexplicabiles superstitiones ingrediens, eo usque passim labendo raptatur, donec suis una cum ducibus in æternæ mortis baratrum obruatur, cum ea sit dignior & officiosa magis frugalitas rei publicæ ac cura splendidior in regnante per quam pacis dulcedo humanis non tantum paratur corporibus, sed salus & quies etiam animabus ad illius laudem & gloriam, per quem reges regnant & cujus ductu omnia præcepta feliciter finiuntur, & cujus cultus nonnisi pacis tempore religiosa devotione disponitur, ad nostræque & fidelium nostrorum ac omnium vere & rite credentium animarum salutem, ad scrutandam grandis causæ scientiam & veri pastoris notitiam consequendam subscripto ordine per omnia procedentes, & breviori quo possumus stilo reperta per nos in præmissis & fideliter declarata narrantes, ea omnibus Christi fidelibus præsentibus aperimus, & quod divinæ lucis veritas sequi nos docuit in præmissis, sinceris vobis affectibus indicamus. Dudum beatæ memoriæ domino Gregorio papa XI. sicut domino placuit vita finito, & ejus obitu sede Romana vacante, tam fama communi quam specialium relatibus litterarum claræ memoriæ domino Henrico regi Castellæ & Legionis genitori nostro illustri tunc in humanis agenti nobisque luculenter insonuit, quod per Reverendissimos in Christo Patres S. R. E. cardinales in urbe tunc degentes, & ad quos summi pontificis spectabat electio, populi Romani Italicum petentis vel Romanum pontificem sibi dari interveniente tumultu, de quo, levi quamvis murmure, erumpens tunc infamia susurrabat, electus fuerat archiepiscopus tunc Barrensis in papam, & per eos subsequenter inthronizatus, & demum solemniter coronatus. Post vero non longi temporis intervallum per litteras dictorum cardinalium, qui, ut asserebant, ob illatas eis violentiam, coactionem, & metum, ac injurias a Romanis, cum cautela secedentes ab urbe, apud Anagniam primum, deinde vero apud Fundanam convenerant civitatem, idem dominus genitor noster divæ recordationis accepit, quod post caritativæ & benignæ monitionis notitiam eidem Barrensi archiepiscopo, ut dicebatur, a cardinalibus ipsis facta contra ipsum ejusque electionem, ut allegabant, per impressionem violenter extortam in dicta civitate Anagniæ procedentes, quamdam suam declarationem publicaverant in præmissis; post quam quidem declarationem subsequenter in dicta civitate Fundorum convenientes in unum ut asserebant, Reverendissimum Patrem cardinalem Gebennensem collegialiter & canonice in summum pontificem elegerant. Ex quarum diversitate rerum & novitate gestorum dictus piæ memoriæ genitor noster attonitus & perplexus, de suorum consilio tutius æstimavit in hoc ancipiti periculo ab utriusque obedientia se subducens indifferenter habere, quam ad alterum eorumdem indiscusso negotio improvide declinare; quamvis pro eliciendo ex hac intricata ambiguitate veritate ad aliquos actus processisset, quos fatali sorte præventus ad optatum non perduxit effectum. At nos, qui sicut eidem regno Deo auctore successimus, sic in iis, quæ ad ejus cultum & reverentiam diriguntur successisse confidimus, quæ per eumdem genitorem nostrum laudabiliter fuerant inchoata ad Dei & ecclesiæ suæ laudem prosequi cupientes, in felicibus nostræ coronationis initiis convocatis & congregatis regni nostri prælatis, proceribus, & divinæ & humanæ legis doctoribus universis, de eorum deliberato consilio paternæ indifferentiæ viam elegimus in præmissis, quo ad usque ipse qui veritas est veritatem nobis propitius aperiret; pro qua suo munere discernenda, ipso teste, de cujus causa tractatur, non pepercimus laboribus & expensis, scribendo principibus Christianis, necnon cardinalibus ceterisque prælatis & aliis singularibus privatisque personis, qui aut interfuerant præmissis, aut specialem de eis notitiam credebantur habere, eos per speciales nuncios effusis precibus & exhortando ut si quid in iis ambiguitatibus & dubiis certi eis forsitam constitisset, nobis communicare amica caritate placeret ad laudem Dei & salutem animarum populi christiani, ceteraque operando, scrutando, inquirendo, per quæ optandum finem per ipsius veritatis callem pure & simpliciter gradientes possemus Deo dirigente contingere. Et ne quicquam de contingentibus videretur omitti, eoque majorem processus nostri gratiam sortiretur, quo principalium personarum assertionibus contingeret communire, ad utrumque dictorum electorum nuntios & ambaxiatores nostros duximus dirigendos, viros utique circumspectos & fideles nostros, ut scisciterentur ab eis prudenter & discrete, & in eorum periculis animarum, in quantum fas erat suarum salva reverentia dignitatum, de veritate & falsitate gestorum, & sic de iis & omnibus dictarum electionum circumstantiis ac juribus utriusque ab ipsis & a quibuscumque eis videretur, ac etiam ubicumque caute & diligenter inquirerent & informari curarent quod per ea in scriptis per eos fideliter redigenda rei gestæ veritatem nobis in posterum aperirent. Qui quidem nuntii nostri ad dictorum electorum se præsentiam conferentes, & eis injuncta diligenter & sollicite adimplentes, exhibita eis & tradita omnia & singula pro parte dictorum electorum informationes & jura, necnon per eos Romæ & Avinioni a fide dignis etiam civibus Romanis & custodibus conclavis ubique reperta, & in scriptis fideli etiam manu redacta, & specialiter a reverendissimis patribus de Florentia & de Mediolano cardin. qui una cum aliis reverendissimis cardinalibus præmissis interfuerant, & indifferenti, ut dicebatur, ambiguitate suspensi ab utroque secesserant, nobis exacta diligentia legaliter detulerunt. Cum quibus nuntiis nostris præfatis fuerunt per dictum primum electum ad nostram præsentiam destinati venerabilis pater Franciscus Faventinensis episcopus decretorum, & Franciscus de Sicleriis de Papia legum doctores, qui quemdam casum sub nominis sui bulla & certa alia scripta dictam causam tangentia ex parte ejus nostræ mansuetudini tradiderunt. Interea autem dictorum de Florentia & Mediolanensis cardinalium apud civitatem Niciæ audientes adventum, quorum ad nos, ut promiserant, sperabamus accessum, ad pleniorem informationem & instructionem super præmissis habendam ab eis oraculo vivæ vocis misimus ad eos venerabilem patrem & decretorum doctor. ac consiliarium & collateralem nostrum episcopum Zamorensem cum certo numero galearum in decenti & debito apparatu, ut, si eis placeret, nobiscum personaliter convenirent ad dandum scientiam salu-

tis

ANNO CHRISTI 1380.

☞ tis nobis & etiam regnis nostris, qui se a promisso ad nos accessu certis rationibus excusantes, informationes suas eidem episcopo Zamorensi dederunt, quas ipse nobis apud Metinam del campo Salamantinensis diœcesis fideliter reportavit, ubi tunc propter hoc convocatis & accersitis regnorum nostrorum prælatis, proceribus, doctoribus, religiosis, & multis magnæ auctoritatis viris nostra serenitas residebat, ubique pro parte secundi electi reverendissimus in Christo pater Petrus S. Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis dictus de Luna ex speciali sibi facta commissione convenerat, præsentibus quoque pro parte primi electi episcopo Faventinensi ac magistro Francisco præfatis, aliisque pluribus pro parte utriusque electorum assistentibus. Quibus omnibus & singulis sic per nos sollicita investigatione collectis, quia ardui negotii magnitudo & assertorum hinc inde diversitas maturum ordinem & repertorum productorumque hinc inde discussionem exactissimam requirebant, scrutatis prius per nos super casibus notis exhibitis pro parte dictorum electorum & cæteris circumstantiis dictæ causæ secreto & sigillatim ac medio juramento conscientiis prædictorum cardinalis de Luna & episcopi Faventinensis ac Francisci, & demum in nostri consistorii ac consilii nostri præsentia super præmissis & aliis nonnullis articulis per eos productis palam & publice interrogationibus & responsionibus a præfatis cardinale & episcopo ac Francisco hinc inde prolatis, dictisque & attestationibus prælatorum, doctorum, & aliorum fide dignorum, qui hujus rei credebantur habere notitiam, sub sacramenti religione & ea qua decuit solemnitate receptis, apertis, & publicatis; disputationibusque & collationibus alternatim inter partes prædictas in dicti nostri consilii præsentia continuatis diebus super punctis ambiguis & toto processu tam in facto quam in jure secutis, prout hæc & alia in processu per nos & consilium nostrum habito latius continentur, & tandem omnibus & singulis dictum negotium tangentibus per memoratos prælatos & religiosos & clericos seculares in theologia magistros, juris utriusque doctores, & alios venerabiles & authenticos ac magnæ auctoritatis viros, totiusque consistorii nostri judicium cum magna maturitate ac summa deliberatione discussis, omnium concordi & unanimi judicio declaratum extitit & conclusum & irrefragabiliter terminatum in eorum conscientiis & periculis animarum, & sub virtute per eos præstiti juramenti dictum Bartholomæum primum electum olim Barrensem archiepiscopum fuisse & esse apostolici culminis invasorem & in apostolica sede violenter intrusum, utpote electum per popularem tumultum & notoriam impressionem ipsis cardinalibus publice illatam per Romanos, secundum vero, videlicet reverendissimum in Christo Patrem dominum Robertum tunc cardinalem Gebennensem fuisse & esse summum verum pontificem, & Christi vicarium, & Petri verissimum successorem, Clementem VII. a Deo electum & gregis sui indubitatum beatissimumque pastorem, & eidem fore tanquam vero papæ ab omnibus obsequendum. Quorum consilium in virtute altissimi læti desideriis amplectentes, & divorum principum progenitorum nostrorum, quorum fidei constantia & illibata devotio erga Deum & ecclesiam suam sincera semper integritate resplenduit, toto mentis affectu & cordis puritate sectantes, & Deo laudes & gratias referentes, qui nobis dedit sui digni vicarii notitiam divina illustratione scrutari, peractis missarum solemniis & Christi nomine invocato, de prædictorum nostrorum consilio in eorum præsentia publice in conspectu cleri & populi hac die & hora infrascriptis præfatum Bartholomæum, sic, ut præfertur, in apostolica sede damnabiliter intrusum respuentes & evitantes, ac sanctissimum in Christo patrem & dominum nostrum dominum Clementem VII. præfatum in verum papam & Christi vicarium ac gregis Dominici directorem devote suscipientes, & ejus obedientiæ inhærentes, omnibus & singulis subditis & fidelibus nostris, declaramus, indicamus, ac etiam publicamus præfatum Bartholomæum fuisse & esse, sicut præfertur, per notoriam impressionem in apostolica sede violenter intrusum; eumque non esse apostolicum sed apostaticum nominandum, nec ei fore obediendum ac quomodolibet adhærendum, præfatumque sanctissimum patrem dominum Clementem fuisse & esse verum papam, Christi vicarium, & Petri verissimum successorem, eidemque devote & humiliter ut vero papæ esse parendum, ipsis omnibus & singulis subditis & fidelibus nostris, cujuscumque status, eminentiæ, seu conditionis existant, districte præcipiendo mandantes, quatenus sub divinæ animadversionis & indignationis nostræ pœna hanc declarationem, denuntiationem, publicationem, & mandatum nostrum præfatum custodiant & totis affectibus studeant observare. De quibus omnibus & singulis ad perpetuam rei memoriam publica instrumenta mandavimus confici & majestatis nostræ bullæ plumbeæ munimine roborari. Præsentibus ad præmissa reverendissimo in Christo Patre Petro de Luna cardinale, nec non venerabilibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, & aliis regnorum nostrorum prælatis, ac etiam magnificis viris comitibus, baronibus & aliis innumerosis militibus & proceribus nostris, clericis quoque tam secularibus quam regularibus in diversis dignitatibus constitutis, magistris in theologia, & juris utriusque doctoribus, cleri insuper & populi ad hoc congregato & interveniente conventu, & multitudine copiosa. Faveat igitur nostris clementia æterna judiciis, & ita nostræ sinceræ devotionis dignetur acceptare primitias, ut quod ad ejus gloriam & laudem ipso inspirante pura mente peregimus, ad omnium fidelium animarum salutem proficere comprobemus, & sic ecclesiæ Dei & toti mundo refarciatur scissa concordia, ut per hoc ad gaudia pervenire mereamur æterna. Datum in civitate nostra Salamantina XIV. Kal. Junii, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, regnorum nostrorum anno secundo.

EPISTOLA CLEMENTIS PAPÆ VII.

Ad Joannem Regem Castellæ.

Ex cod. Harlaeano Baluz. lib. pag. 851.

CLemens episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Joanni regi Castellæ, & Legionis illustri salutem & apostolicam benedictionem. Licet, fili carissime, tuæ celsitudini tam per nuntios, quos sæpe ad eam transmisimus, quam alias plene potuerit esse notum, quod dudum apostolica sede vacante per obitum felicis recordationis Gregorii

ANNO CHRISTI 1380.

gorii papæ XL prædecessoris nostri, qui in urbe decessit, Romanæ ecclesiæ cardinales, de quorum numero tunc eramus, Bartholomæum olim Bartensem archiepiscopum per violentiam & impressionem Romani populi in apostolica sede intrudere coacti fuerunt; quia tamen dilecti filii Fernandus ordinis fratrum Minorum professor confessor tuus, Rodericus Bernandi audientiæ tuæ auditor, ac Alvarus Melendi Legum doctor, ambaxiatores tui, quo pro premissorum veritate præsertim ab illis ex eisdem cardinalibus, qui hic resident, inquirenda, huc novissime destinati, illa quæ circa cardinales eosdem, dum facienda per eos in urbe prædicta Romani pontificis imminet electio, per præfatum populum facta fuerunt, tibi mitti in scriptis postularunt instanter, nos totis desideriis affectantes, ut hujusmodi veritas cunctis Christi fidelibus patefiat, ac hujusmodi votis tuis satisfacere cupientes, ea quæ de violentia & impressione ac intrusione prædictis per nos & cardinales præfatos in civitate nostra Anagniæ deliberatione provida concordata, nostrisque & eorumdem cardinalium propriis subscripta manibus & roborata sigillis fuere, tuæ celsitudini per ambaxiatores eosdem duximus transmittenda, ut per illa & informationes alias quas ambaxiatores prædicti a pluribus & fide dignis personis hic super præmissis recipere potuerunt, tua serenitas informata plenarie amplius de intrusione prædicta nullatenus possit aut debeat hæsitare. Datum Avinioni VII. Kal. junii, pontificatus nostri anno secundo.

COPIA LITTERÆ DOMINO NOSTRO

Papæ Clementi transmissæ super declarationem Hispaniæ, quæ applicuit Avenioni die penultima Maji.

Ex Mart. Anecd. to. II. p. 1098.

BEatissime pater. In primis gratias agentes Deo, sicut sui juris invicta celsitudo meretur, sanctitati vestræ notum facimus per præsentes, quod serenissimus rex Castellæ, ecclesiæ Dei devotus alumnus, vestræ beatitudinis filius, prædilectus, veritatis athleta, ac mirificus triumphator, ista die & hora pro tribunali sedens in suæ solio majestatis, erroris tenebris profugatis, vexillis veritatis erectis, divina luce perfusus, cum indicibili solemnitate procedens recognovit vos verum, certum & indubitatum vicarium Jesu Christi, eccl. suæ sanctæ legitimum sponsum, gubernatorem naviculæ Petri & totius Christianitatis principem & monarcham, promittendo humiliter pro se suoque regno divo obedientiam præcipuam & devotam, draconem illum, & colubrum mortuosum, scilicet Bartholomæum invasorem esse apostolicæ sedis velut apostatam & antichristum, ab omnibus fidelibus repudiandum ac detestandum & fugiendum opere summo. Tanta B. P. fuit solemnitas, tantaque devotio, quum ardenti eloquio & fervente detestabantur iniquum in suis sermonibus labia dicti regis, ut stupefactionis & admirationis jaculo singulorum corda feriret, & in ore cunctorum Clementis nomen tam dulcisono modulo resonabat, adeo ut jubilus laudis eorum audiri poterat in excelsis. Ecce jam, Pater sancte, cuncta tua * dictorum sunt posita, jam subjacet tibi Hispania tota. Jam tua fides divaque potestas nescit occasum, illo pro te rogante, illo superno datore & lumen concedente, qui est interminabilis, & omnium vera lux, & luminum pater, a quo bona cuncta procedunt & derivata consistunt, qui B. vestram protegat, foveat & defendat prospere & longæve ecclesiæ suæ sanctæ. Hodie autem declaratione facta, anticardinalis Palatinus coram rege & omnibus prælatis & baronibus regni juridice in manibus legati renuntiavit diabolo & pompis ejus, abjiciendo cappellum, & insignia legationis quæ receperat ab intruso. Datum Salmanticæ die Dominica in festo B. Yvonis, quod fuit XIX. Maji.

Vestræ beatitudinis humiles creaturæ A. episcopus Pensaurensis, & Bonifacius de A. Amanatis ac devotissimi nuncii.

CONCILIUM PRAGENSE

ANNO CHRISTI 1381.

Anno Christi MCCCLXXXI. celebratum.

Statuta Joannis archiepiscopi Pragensis ecclesiæ archiepiscopi legati apostolici in concilio Provinciali edita.

Joannes Dei gratia sanctæ Pragensis ecclesiæ archiepiscopus, A. S. Legatus, universis Prælatis, Capitulis, Abbatibus, Præpositis, & conventibus quorumcumque ordinum, Plebanis, ecclesiarum Rectoribus, & cæteris Christifidelibus tam Religiosis quam Secularibus per Ratisponensem, Bambergensem, & Misnensem diœceses, legationis jure nobis subditas, constitutis, salutem in Domino sempiternam, & infrascriptorum salubrium mandatorum ac jugi studio & exactis diligentiis frequentiam salutarem.

P. Hartzheim Conc. Germ. t. IV. pag. 524.

GLoriosus Deus & in suis donis semper magnificus, qui sua largiflua bonitate cælestia & terrestria disponens, per suorum incrementa donorum sanctam Pragensem ecclesiam, cujus regimini ipso donante, quamvis immeriti, præsidemus, per singulos gradus prænunciat, dum ipsam per intercessores & merita beatissimorum patronorum Boemiæ de virtute ambulat in virtutem, & nobili prærogativa archiepiscopalis ecclesiasticæ prælaturæ jam dudum sub felicis recordationis domino Urbano papa V. gradum conscendit altioris præeminentiis dignitatis. Sane olim recolendæ memoriæ Arnestus primus archiepiscopus Pragensis prædecessor noster, in sua provincia extirpatis vitiis, volens plantare virtutes, quædam

ANNO CHRISTI 1381.

dam statuta provincialia ad modum & instar decretalium per articulos edidit, & rubricatas, in quibus de reformatione morum in subditis de honestate clericorum & vita ac statu ipsorum, ac etiam de judiciis & contractibus succincte, juridice & pulcherrime sunt statuta, & nedum simplices & juris canonici & civilis notitiam non habentes, verum etiam provecti possent in statutis hujusmodi absque alia revolutione librorum multa tamquam in ortulo colligere salutifera documenta. Nos itaque in partem sollicitudinis superna dispositione vocati, ex injuncto pastoralis officii fructum in domo Domini facere cupientes, attendentes præsertim, quod ratione legationis in omnes ecclesiarum secularium & regularium Rectores, clericos & Prælatos, sine personarum & ordinum differentia & delectu, utpote Apostolicæ Sedis vicariatus jurisdictione paucorum & brevium statutorum, ac cum libello qui de tribus punctis christianæ religionis communiter appellatur (observantiam) ad prædictas Ratisponensem, Bambergensem, & Mindensem diœceses præsentibus duximus extendendam, volentes & in virtute S. obedientiæ districte præcipiendo mandantes, ut domini Episcopi dictarum diœcesium & Abbates copiam eorumdem infra duorum mensium spatium, & infra alios sequentes tres menses omnes & singuli alii Prælati, decani collegiatarum, seu Priores principales conventualium, & regularium ecclesiarum & monasteriorum de cancellaria nostra recipiant & habere cum effectu procurent, alioquin contra eos ad pœnas canonicas, Deo nobis propitio, procedemus. Volentes nihilominus ut in habendo, legendo & reverendo statuta prædicta modus talis per omnia teneatur, sicut in prohemio præfati prædecessoris nostri clarius continetur, præfatique domini Episcopi archidiaconos rurales suarum diœcesium qui forte propter viarum pericula ad hoc sanctum concilium vocati, non sunt adhibendi memorata statuta in omnibus suis punctis & articulis infrascriptis juxta ipsorum arbitrium observantiam cogere studeant. Nos enim intendimus ea, quæ præmisimus auctore Domino ad executionem debitam perducere, & debito effectui mancipare. Prohemium ergo statutorum de quibus supra fit mentio sequitur & est tale: *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Arnestus Dei & Apostolicæ Sedis gratia &c. Rex magnificus, qui facit mirabilia solus &c.*

I. Licet sub rubrica *de Festivitatibus celebrandis* inter alia statutum esse noscatur, quod festum gloriosissimi ducis & martyris Wenceslai debeat celebrari; prout nedum in Pragensi, Olomucensi, & Luthomirensi diœcesibus, verum etiam in regno Daciæ miraculose, ut pia fidelium tenet credulitas, a Christi fidelibus celebratur; quia tamen pœna non est in non celebrantes specialis expressa, possent fortasse clerus & populus Ratisponensis, Bambergensis & Misnensis diœcesum in celebratione hujusmodi esse desides & remissi: idcirco hoc sacro provinciali & legationis nostræ concilio approbante, statuimus & ordinamus, ut dies passionis tantum sanctissimi martyris supradicti, qui suo glorioso triumpho martyrii hanc patriam & alias regiones vicinas multis honoribus sublevat & extollit; qui quidem dies in vigilia diei Angelorum, quæ festum S. Michaelis dicitur, observari consuevit ab omnibus Christi fidelibus diœcesium dictarum annis singulis perpetuis temporibus sub officio duplici, & cum omnimoda abstinentia a serialibus operibus solemniter celebretur, & ejus officium diurnum atque nocturnum cum historia sub nota in cancellaria nostra recipiantur cum effectu; & quia plus timeri solet quod specialiter præcipitur, quam quod generaliter imperatur, omnibus Prælatis, Plebanis & curatis, ac aliis plebium curam gerentibus, quibus datum est proponere verbum Dei, in virtute S. obedientiæ præcipimus & mandamus, quatenus singulis annis aliquo die Dominico vel festivo, diem S. Wenceslai prædicti per se vel plures dies præcedentibus hoc ipsum per se, vel alios plebibus suis insinuent, & injungant.

II. Item ad rubricam de Hæreticis, & Schismaticis duximus adjungendum: dolenter enim referimus, quod in diœcesibus supradictis, prout certa relatione percipimus, insunt hæreses multum pestiferæ, & signanter secta Sarraboytarum & illorum rusticorum Valdensium damnatorum, & quia domini Episcopi, ad quos directe pertinet suas diœceses purgare malis hominibus, in hujusmodi negotio sanctæ fidei sunt negligentes plurimum atque tardi, parcentes fortassis expensis, & inquisitionem hæreticæ pravitatis non habentes; nos de fratrum nostrorum consilio, hoc sacro approbante concilio duximus statuendum, ut prædicti Domini Episcopi contra tales pestiferos per se vel inquisitores instituendos ab eis diligenter invigilent & attendant, ad quod ipsos per viscera misericordiæ Dei, & per sponsionem sanguinis Jesu Christi præsentibus excitamus & invitamus, & nihilominus ipsos in virtute juramenti, quod in sacra episcopali solemnitate præstiterunt, commonemus & ad cor reducimus; ut si in dicto sancto negotio resistentiam aliquam, quod absit, fortassis habuerint, ad nos confidentes refugiant, ut nos videlicet per auxilium & brachium magnifici Serenissimi & invictissimi principis Domini Wenceslai Romanorum & Bohemiæ regis incliti, divina in omnibus gratia præcedente, oportuna remedia adhibere in Domino valeamus, alioquin ipsorum Dominorum Episcoporum negligentiam, Deo nobis auctore, supplebimus, & inquisitionem in dictis Diœcesibus per nos ipsos curabimus deputare.

Item manifestum est, proh dolor! & experientia publica notorium habetur ubique, quod nonnulli fautores Roberti antipapæ Gebennensis, quidam latenter, alii publice prædicant & etiam dogmatizant, Sanctissimo domino nostro Urbano papæ VI. quem constat esse successorem beati Petri, & vicarium Jesu Christi, mordaciter detrahentes, quorum Gebennensis, & sui sequaces iniqui litteras & epistolas ambitione plenissimas præferunt, portant & spargunt. Nos cum præfato Domino nostro, ut membra capiti, & ut filius patri, realiter compati cupientes, statuimus & amodo mandamus, ut omnes episcopi legationis jure nobis subjecti, dictos schismaticos & fautores, litterarum portatores, & dantes eis consilium, auxilium vel favorem, quos scienter, vel de hoc infamatos esse repererint, capiant, & captivari procurent; ipsorumque captivationem infra XIV. dies nobis, vel nostris in spiritualibus vicariis studeant intimare, & in præmissis taliter se habeant, ut a Deo mercedem perpetuam & a Domino nostro summo pontifice

ac

☞ ac nobis ejus vicario gratam vicissitudinem valeant obtinere. Abbates vero Præpositi & Decani, & alii ecclesiarum Prælati, si quos tales cognoverint, ipsos suis episcopis infra VIII. dies postquam sciverint, denuntiare studeant, & eorum nomina, conditiones & loca verbo vel scripto designare.

ANNO CHRISTI 1381.

IV. Præterea intelleximus & nimis graviter portamus, quod in aliquibus Diœcesibus consuetudo talis proreplit, quod locorum ordinarii, ad quos beneficiorum erectio pertinet de consuetudine, vel de jure, beneficia ipsa quæ de novo fundarunt de censibus illicitis, usurariis, & usuras omnino sapientibus erigunt atque creant. Nam ut præfertur, pecunias super certis possessionibus vel pensionibus mutuant fundatores sub conditionibus reemendi. De quibus pensionibus taliter & omnino incestis & pravis beneficia petunt erigi & creari. Nos huic malo & pernicioso obviare volentes, exemplo attendentes præsertim quod hujusmodi erectiones de talibus redditibus vergunt in interitum animarum, & propter vicissitudinem eorumdem nulla sunt stabilitate subnixa, statuimus, ut nullus Christifidelium de talibus redditibus beneficia fundare valeat vel dotare; ordinariis etiam in virtute S. obedientiæ & præstiti juramenti districte præcipiendo mandamus, ut nullus eorum talia beneficia præsumat facere erigi vel creare, sed fundatores ipsorum ab hujusmodi facto sub obtestatione divini judicii studeant divertere. Nos enim si secus factum fuerit, decernimus irritum & inane, volentes, ut prædicti redditus taliter deputati illis, quorum quoad . . . . . existunt, dominium fructibus computatis in sortem reddant, & sine difficultate qualibet assignentur.

V. Item fertur & experientia probatur, quod in dictis diœcesibus monachi quorumcumque ordinum passim & indifferenter ad parochiales ecclesias præsentantur, & per ordinarios instituuntur in eis, propter quod magna pericula occurrunt animarum, & juribus Episcopalibus & Archidiaconalibus plurimum derogatur. Cum ergo illud sit juri communi contrarium, & ab omnibus moribus alienum, statuimus ut nullus Episcopus, vel alius ad quem institutio vel destitutio nostra pertinet quempiam religiosum ad ecclesiam parochialem per secularem clericum regi solitam confirmare vel instituere præsumat; nisi fortassis esset canonicus regularis, aut S. Benedicti ordinis, cum quo posset episcopus dispensare, vel si parochia ipsa per religiosum tanto tempore gubernata fuisset, de cujus contrario memoria hominum nullatenus haberetur.

VI. Item fama referente didicimus, quod monachi & religiosi qui velle aut nolle non habent, aut propter professionem omnino addicaverunt grangias, curias & possessiones temporales, seu castra amicorum, nec etiam aliarum gubernatione reguntur, se temporalibus & secularibus immiscent negotiis in scandalum plurimorum. Nos huic periculoso morbo celeriter occurrere cupientes, omnes Episcopos abbates, & alios ipsorum Prælatos obsecramus in Domino, ipsis nihilominus in remissionem peccatorum injungimus, & in virtute obedientiæ præcipimus & mandamus, officium ipsorum excitantes, ut tales monachos infra duorum mensium spatium a notitia præsentium ad monasterium studeant revocare, & pro excessu præterito pœnitentiam injungere salutarem.

ANNO CHRISTI 1381.

VII. Item sub titulo *de officio ordinarii* talia adjicimus: præsenti cum suspirio & amaritudine cordis dolenter referimus, quod parochialium ecclesiarum rectores, qui diœcesis pastores communi vocabulo nuncupantur, & eorum superiores, quibus visitationis, correctionis, & prædicationis officium competit de consuetudine vel de more, in tantum sunt de neglectu culpabiles, quod fortassis, ut verisimiliter formidamus, de ipsorum manibus subditorum sanguis & animæ requirentur. Nam pro vero didicimus, & hoc ipsum quoque experientia sensuali comperimus, quod eorum subditi usuras, divinationes, sortilegia, interpretationes & alia superstitiosa pariter & nefanda impune & libere exercere præsumunt. Clerici etiam in sacris constituti, & ecclesiarum parochialium regimini præsidentes concubinas publice tenent in domibus, & alias in tonsura, & in habitu taliter inhoneste se gerant, quo fiant in scandalum plurimorum. Nos talibus animarum periculis, quantum est nobis ex alto concessum, obviare volentes, statuimus & apostolica & provinciali auctoritate mandamus, quatenus hi, qui de jure vel de consuetudine visitare tenentur suos subditos, infra tres menses a data præsentium incipiant visitare, visitationem ipsam ea correctione & reformatione studeant sine intermissione qualibet consumare. Provideant, ut populus laicalis oratione Dominica & symbolo sit sufficienter instructus, & quod Sacramenta ecclesiastica ministrentur. Præsertim contra usurarios per denuntiationes ac censuras ecclesiasticas viriliter & intrepide procedere non omittant, alioquin si præfatis quibus competit visitatio per se vel alios non inceperint, ut præmittitur, visitare, ipsos & eorum quemlibet dicto tempore elapso, quod eis pro monitione canonica duximus statuendum . . .

Ut autem nullus ignorantiam præmissorum possit prætendere quovis modo, volumus & mandamus, ut omnes Episcopi, Abbates, Præpositi, Decani, & alii Prælati Diœcesium prædictarum copiam chartæ præsentis infra tres dies in cancellaria nostra recipiant cum effectu. Dat. Pragæ an. D. MCCCLXXXI. Die penultima mensis Aprilis.

CONCILIUM LONDINENSE

A Guillelmo de Courtenay Cantuar. archiepiscopo celebratum adversus Wicleffi errores anno Dom. MCCCLXXXII.

Ex Tomo II. collectionis Anglicanæ.

MEmorandum, quod tam inter magnates quam populares regni Angliæ, fuisset fama divulgata, nonnullas conclusiones hæreticas & erroneas, ac determinationibus ecclesiæ repugnantes, quæ statum totius ecclesiæ, nostræque Cantuariensis provinciæ, & tranquillitatem regni, nituntur subvertere, in diversis locis dictæ nostræ provinciæ generaliter & communiter ac publice prædicatas. Nos Willielmus permissione Divina archiepiscopus Cantuariensis, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, super his certiorari, officiique nostri debitum exercere volentes: quosdam venerabiles confratres suffraganeos nostros, & alios, ac quamplures sacræ paginæ, juris canonici & civilis doctores, & bacallarios, quos famosiores, & peritiores de regno credidimus, & sanctius in fide catholica sentientes, quorum nomina inferius continentur, convocavimus: & XVII. die mensis Maji, anno Dom. MCCCLXXXII. in quadam camera infra septa prioratus fratrum Prædicatorum London. coram nobis & dictis confratribus nostris convocatis tunc personaliter præsentibus, dictis conclusionibus, quarum tenores inferius continentur, publice propositis & lectis distincte & clare, præfatos confratres nostros, doctores, & bacallarios, oneravimus in fide qua tenebantur Domino nostro Jesu Christo, & sicut voluerint coram summo judice in die judicii respondere, nobis super dictis conclusionibus dicerent, & eorum quilibet diceret suum sentire. Et tandem habita deliberatione super premissis, XXI. die ejusdem mensis, convenientibus coram nobis in dicta camera confratribus nostris, doctoribus, & bacallariis prædictis, dictis conclusionibus iterata vice lectis, & clare expositis, de nostro, eorumque omnium communicato consilio, extitit declaratum, dictarum conclusionum aliquas esse hæreticas, & aliquas erroneas, & determinationi ecclesiæ contrarias, prout infra plenius liquet. Et quia per sufficientem informationem invenimus, dictas conclusiones in multis locis dictæ nostræ provinciæ fuisse, ut præmittitur, prædicatas; & certas personas, aliquas illarum tenuisse & docuisse, & de hæresi vehementer & notorie fore suspectas, processus fecimus, tam in genere, quam in specie infra scriptos

Conclusiones hæreticæ, & determinationi ecclesiæ repugnantes.

1. QUod substantia panis materialis & vini maneat post consecrationem in sacramento altaris.

2. Item, quod accidentia non maneant sine subjecto post consecrationem in eodem sacramento.

3. Item, quod Christus non sit in sacramento altaris identice, vere, & realiter in propria præsentia corporali.

4. Item, quod si episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, conficit, nec baptizat.

5. Item, quod si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua vel inutilis.

6. Item, pertinaciter asserere non esse fundatum in evangelio, quod Christus Missam ordinaverit.

7. Item, quod Deus debet obedire diabolo.

8. Item, quod si papa sit præsligiator malus homo, ac per consequens membrum diaboli, non habet potestatem supra fideles Christi ab aliquo sibi datam, nisi forte a Cæsare.

9. Item, quod post Urbanum sextum non est aliquis recipiendus in papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis.

10. Item asserere, quod est contra sacram scripturam quod viri ecclesiastici habeant possessiones temporales.

Conclusiones erroneæ & determinationi ecclesiæ repugnantes.

Errores pernicioſi & damnati.

1. QUod nullus prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius ipsum sciat esse excommunicatum a Deo.

2. Item, quod sic excommunicans ex hoc si hæreticus vel excommunicatus.

3. Item, quod prælatus excommunicans clericum, qui appellavit ad regem & consilium regni, eo ipso traditor Dei est, regis, & regni.

4. Item, quod illi qui dimittunt prædicare, seu audire verbum Dei vel evangelium prædicatum, propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in die judicii traditores Dei habebuntur.

5. Item, asserere quod liceat alicui, etiam diacono vel presbytero, prædicare verbum Dei absque auctoritate sedis Apostolicæ vel episcopi catholici, seu alia de qua sufficienter constet.

6. Item asserere, quod nullus est dominus civilis, nullus est episcopus, nullus est prælatus, dum est in peccato mortali.

7. Item, quod domini temporales possint ad arbitrium eorum auferre bona temporalia ab ecclesiasticis habitualiter delinquentibus, vel quod populares possint ad eorum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

8. Item, quod decimæ sunt puræ eleemosynæ, & quod parochiani possint propter peccata suorum curatorum eas detinere, & ad libitum aliis conferre.

9.

ANNO CHRISTI 1382.

9. Item, quod speciales orationes applicatæ uni personæ per prælatos vel religiosos, non plus prosunt eidem personæ, quam orationes generales, cæteris paribus, eidem. A

10. Item, quod eo ipso quod aliquis ingreditur religionem privatam quamcumque, redditur ineptior & inhabilior ad observantiam mandatorum Dei.

11. Item, quod sancti instituentes religiones privatas quascumque, tam possessionatorum, quam mendicantium, in sic instituendo peccaverunt.

12. Item, quod religiosi viventes in religionibus privatis, non sint de religione Christiana. *Error perniciosus.*

13. Item, quod fratres teneantur per laborem manuum, & non per mendicationem, victum suum adquirere. *Damnatus ab Alexandro quarto.* B

14. Item, quod conferens eleemosynam fratribus vel fratri prædicanti, est excommunicatus, & recipiens.

Nomina confratrum provinciæ Cantuariensis, & aliorum.

Willielmus archiepiscopus Cantuariensis
Willielmus Vintoniensis.
Joannes Dunelmensis.
Thomas Exoniensis.
Joannes Herefordensis.
Radulphus Sarum.
Thomas Roffensis.
Frater Willielmus Bottlesham episcopus Nanatensis, magister in theologia.

Nomina magistrorum in theologia.

Frater Willielmus Syward, prior. (De Ordine
Frater Joannes Parys. (fratrum
Frater Joannes Langley. (Prædicato-
(rum Lond.

Frater Willielmus Folvyle. (
Frater Hugo Karlel. (De Ordine
Frater Rogerus Fryseby. (Minorum. D
Frater Thomas Bernwell.

Frater Thomas Ayshbourne. (De Ordine
Frater Joannes Bankyn. (Augusti-
Frater Robertus Waldeby. (nensium.
Frater Joannes Horninton.

Frater Robertus Glaunvile. (De Ordine
Frater Willielmus Dys. (Carmeli-
Frater Joannes Lovey. (tarum.
Frater Joannes Kyningham.

Dominus Joannes Welles monachus de Ramesy, magister in theologia.
Magister Joannes Bloxham custos aulæ de Merton Oxovii, licentiatus in theologia.

Nomina baccalariorum in theologia.

Frater Robertus Humbleton. (De Ordine
Frater Willielmus Pickweth. (Prædica-
Frater Joannes Lyndlowe. (torum.

Frater Radulphus Wych. (De Ordine
(Minorum.

Frater Joannes Chifeldene. (De Ordine
Frater Joannes Tonifton. (Carmelit.
(

Nomina doctorum juris canonici & civilis.

Magister Joannes Appelby decanus ecclesiæ cathedralis sancti Pauli London.
Magister Joannes Waltham canonicus ecclesiæ cathedralis Eboracensis.
Magister Thomas Baketon archidiaconus London.
Magister Nicolaus Chaddesdene.
Magister Radulphus Gregisyow.
Magister Thomas Stowe.
Magister Joannes Blawnchard.
Magister Willielmus Rocoumbe.
Magister Joannes Lydeford.
Magister Joannes Welbourne.
Magister Willelmus Flaynburgh.
Magister Adam de Mottrum licentiatus in decretis.
Magister Thomas Braundon.
Magister Joannes Prophet, rector ecclesiæ parochialis de Hadesham, Cantuariensis diœcesis, publicus auctoritate apostolica notarius.

Postea dicto xx. die mensis Junii, anno & loco prædictis, coram dicto domino Cantuariensi pro tribunali sedente, præsentibus quampluribus doctoribus sacræ theologiæ, juris canonici & civilis, quorum nomina inferius continentur, magister Nicolaus Hereford & Philippus Rapyngdon canonicus regularis, sacræ paginæ professores, & Joannes Ayshton magister in artibus, & in sacra theologia scholaris, personaliter comparuerunt. Et præfati Nicolaus & Philippus, per dictum dominum Cantuariensem jussi ad respondendum & dicendum plene & plane sentire suum super conclusionibus memoratis, juxta quod idem dominus Cantuariensis, ipsis Nicolao & Philippo eumdem terminum præfixit, ac etiam assignavit: quasdam responsiones per modum indenturæ in scriptis redactas, quarum tenor continetur inferius, dicto domino Cantuariensi tunc ibidem judicialiter tradiderunt, & juxta formam eamdem ad conclusiones hujusmodi responderunt. Tenor vero hujusmodi indenturæ, conclusiones prædictas & responsiones ad easdem continentis, de qua superius memoratur, sequitur in hæc verba.

Protestamur, ut alias, publice in his scriptis, quod intendimus esse humiles & fideles filii ecclesiæ & scripturæ sacræ, ac determinationibus ecclesiæ in omnibus obedire. Et si in aliquo contra istam intentionem verbo vel opere, quod absit, contigerit nos errare: submittimus nos humiliter correctioni reverendi patris & domini, domini archiepiscopi Cantuariensis & totius Angliæ primatis, & omnium aliorum quorum interest corrigere sic errantes. Ita protestatione præmissa ad conclusiones infrascriptas taliter respondemus. E

Quod substantia panis materialis & vini manet in sacramento altaris post consecrationem. Ad sensum contrarium illi decretali, *Firmiter credimus*, concedimus, quod est hæresis.

Quod accidentia non manent sine subjecto post consecrationem in eodem sacramento. Ad sen-

ANNO CHRISTI 1382.

sensum contrarium illi decretali, *Cum Martha*, concedimus, quod est hæresis.

Quod Christus non sit in eodem sacramento identice, vere & realiter in propria præsentia corporali. Licet ista conclusio sit ad verba incompossita & [a] intelligibilia: tamen ad sensum, contrarium illi decretali in Clem. *si Dominum*, concedimus quod est hæresis. Et breviter quantum ad totam istam materiam de sacramento altaris vel quacumque alia, profitemur quod volumus, tam ad verba, quam ad sensum, sentire cum scriptura sacra, cum determinatione ecclesiæ, & dictis sanctorum doctorum.

[a] *Forte*. Inintelligibilia. H.

Quod episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, conficit, nec baptizat. Concedimus quod est hæresis.

Pertinaciter asserere non esse fundatum in evangelio quod Christus Missam ordinaverit. Concedimus quod est hæresis.

Quod Deus debet obedire diabolo. Ad hunc sensum quod Deus in propria persona vel essentia debet obedire diabolo obedientia necessitatis, concedimus quod est hæresis.

Quod si homo fuerit debite contritus; omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis. Concedimus quod est hæresis.

Quod si papa sit præstigiator & malus homo, ac per consequens membrum diaboli, non habet potestatem supra fideles Christi ab aliquo sibi datam, nisi forte a Cæsare. Concedimus quod est hæresis.

Quod post Urbanum sextum non est aliquis recipiendus in papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis. Concedimus quod est hæresis.

Asserere quod est contra scripturam sacram, quod viri ecclesiastici habeant possessiones temporales. Adjuncta pertinacia, concedimus quod est hæreticum.

Quod nullus prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat ipsum esse excommunicatum a Deo. Concedimus quod est error, intelligendo de scientia experimentali, ut sic cum isto salvetur decretum ecclesiastic. XI. q. III. *Nemo episcoporum*.

Quod sic excommunicans ex hoc sit hæreticus vel excommunicatus. Ad sensum conformem priori sensui, concedimus quod est error.

Quod prælatus excommunicans clericum qui appellavit ad regem & consilium regni, eo ipso traditor Dei est, regis, & regni. Concedimus quod est error.

Quod illi qui dimittunt prædicare, seu audire verbum Dei vel evangelium prædicatum, propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in die judicii traditores Dei habebuntur. Intelligendo conclusionem universaliter, ut scriptura & jura intelligunt hujusmodi indifinitas, concedimus quod est error.

Asserere quod liceat alicui, etiam diacono vel presbytero, prædicare verbum Dei absque auctoritate sedis apostolicæ, vel episcopi catholici, seu alia de qua sufficienter constet. Concedimus quod est error.

Asserere quod nullus est dominus civilis, nullus est episcopus, nullus est prælatus, dum est in peccato mortali. Concedimus quod est error.

Quod domini temporales possunt ad arbitrium eorum auferre bona temporalia ab ecclesiasticis habitualiter delinquentibus. Concedimus quod est error, ad hunc sensum, quod possunt legitime sic auferre bona temporalia ecclesiasticorum extra casus limitatos in legibus ecclesiæ & regnorum.

Quod populares possunt ad eorum arbitrium dominos delinquentes corrigere. Intelligendo per posse juris: concedimus quod est error, quod populares non habent potestatem coactivam super suos dominos, sed e contra.

Quod decimæ sint puræ eleemosynæ, & quod parochiani possint propter peccata suorum curatorum eas detinere, & ad libitum aliis conferre. Intelligendo per posse, ut prius, judicum: concedimus quod est error.

Quod speciales orationes applicatæ uni personæ per prælatos vel religiosos, non plus prosunt eidem personæ, quam generales orationes eidem, cæteris paribus. Intelligendo conclusionem universaliter negative, & per speciales orationes factas ex speciali caritate, & generales ex generali; tunc, ad hunc sensum, quod nullæ tales speciales orationes applicatæ uni personæ per privatos oratores, specialius prosunt eidem personæ, quam generales orationes factæ pro eadem & ab eildem, concedimus quod est error.

Conferens eleemosynam fratribus vel fratri prædicanti, est excommunicatus, & recipiens. Intelligendo istam universaliter vel conditionaliter, ut prædictum est, concedimus quod est error.

Quod eo ipso quod aliquis ingreditur religionem privatam quamcumque, redditur ineptior & inhabilior ad observantiam mandatorum Dei. Concedimus quod est error.

Quod sancti instituentes religiones privatas quascumque, tam possessionatorum, quam mendicantium, in sic instituendo peccaverunt. Intelligendo istam reduplicative vel universaliter, concedimus quod est error: ad hunc sensum, quod quicumque sancti instituentes religiones privatas, & cæteri, ex hoc vel sub ratione qua hujusmodi instituebant, peccaverunt.

Quod religiosi viventes in religionibus privatis, non sunt de religione Christiana. Intelligendo istam universaliter, ut prædictum est, concedimus quod est error.

Quod fratres teneantur per laborem manuum, & non per mendicationem, victum suum adquirere. Intelligendo etiam istam universaliter sicut prius, concedimus quod est error.

Hæc, pater reverende & domine, humiliter sunt dicta, cum supportatione vestra gratiosa & correctione benigna, quantum pro nostro modulo & exilitate ingenii sufficimus pro præsenti: honore Divino, veritate fidei, & conscientia recta, in omnibus semper salvis: humilius quo sufficimus supplicantes, quod si aliud vel aliter vestræ discretioni & excellentiæ videatur dicendum, dignetur vestra gratiosa paternitas, per scripturam sacram & determinationes ecclesiæ, aut dicta sanctorum doctorum, nos ut filios informare. Et revera vestræ salubriori doctrinæ, animo promptissimo & obedientissimo volumus consentire. Placeat igitur vestræ paternitati reverendæ hæc dicta, solito benignitatis more, favorabiliter acceptare, cum conclusiones supradictæ numquam erant nostræ, aut in scholis a nobis assertæ, vel in sermonibus publice prædicatæ.

Om-

ANNO CHRISTI 1382.

Omnibus responsionibus dicto domino Cantuariensi datis, iidem Nicolaus & Philippus, eo quod ad sensum & verba primæ conclusionis non responderunt expresse, sed ad contrarium sensum illi decretali, *Firmiter credimus*; interrogati tunc ibidem judicialiter quis esset ille sensus, noluerint illum exprimere. Quæsitum igitur ab eis, juxta sensum ejusdem conclusionis ex parte dicti domini Cantuariensis declaratum, an idem panis materialis in numero, qui ante consecrationem ponitur in altari, remaneat secundum propriam substantiam vel naturam post consecrationem in sacramento altaris, & de vino similiter. Ad hunc vero sensum illi Nicolaus & Philippus dixerunt se nescire pro tunc melius respondere, quia * respondebant, ut præfertur in scriptis.

* Cor. quam

Et quia ad sensum & verba secundæ conclusionis non responderunt plene & expresse, sed ad contrarium sensum illi decretali, *Cum Martha*: interrogati quis esset ille sensus, noluerunt illum exprimere. Quæsitum ergo erat ab eis, juxta sensum ejusdem conclusionis ex parte dicti domini declaratum, num illa accidentia corporalia, quæ ante consecrationem formaliter inhærebant substantiæ panis aut vini, post consecrationem eidem pani aut vino inhæreant, vel etiam in aliqua substantia alia subjectentur. Ad hunc vero sensum dixerunt, se nescire pro tunc melius respondere, quam, ut præmittitur, respondebant in scriptis.

Ad sensum etiam & verba tertiæ conclusionis, quia non responderunt plene & expresse, sed ad contrarium sensum illi decretali in Clementinis, *Si Dominum*: interrogati quis esset ille sensus, noluerunt illum exprimere, erat igitur quæsitum ab eis juxta sensum conclusionis ejusdem, ex parte dicti domini declaratum, an idem corpus Christi numero, quod fuit assumptum de Virgine, sit in sacramento altaris secundum se ipsum realiter, secundum veritatem suæ carnalis substantiæ, & secundum propriam essentiam & naturam. Ad hunc sensum dixerunt se nescire pro tunc melius respondere, quam responderunt, ut præfertur, in scriptis.

Ad sensum insuper & textum sextæ conclusionis, quia non responderunt plene & expresse: interrogati an Deus debeat aliquem modum obedientiæ diabolo, dixerunt quod sic: scilicet obedientiam caritatis, quia diligit eum, & punit eum, ut debet. Et ad probandum quod Deus debet taliter obedire diabolo, obtulit se sub pœna incendii ad quemcumque.

Ad undecimam conclusionem, quia non responderunt expresse. interrogati an prælatus possit excommunicare aliquem existentem in gratia, dixerunt quod sic.

Ad vicesimam conclusionem, quia non responderunt plene, simpliciter, & expresse: interrogati an plus prosint speciales quam generales orationes, noluerunt dicere, nisi quod specialius.

Ad ultimam conclusionem, quia non responderunt simpliciter, nec expresse: interrogati de particulari, an aliquis frater teneatur de suo labore manuali victum suum adquirere, ita quod non liceat vivere de mendicatione, noluerunt penitus respondere.

Subsequenter præfatus dominus Cantuariensis interrogavit omnes doctores prædictos, quid sibi videretur de responsionibus datis, quoad omnes & singulas conclusiones hujusmodi. Qui quidem doctores omnes & singuli singillatim dixerunt, quod singulæ responsiones ad primam, secundam, tertiam & sextam conclusiones, ut præmittitur, datæ, insufficientes fuerunt, hæreticæ & dolosæ: quodque singulæ responsiones, præcipue ad decimam nonam & ultimam conclusiones, ut præmittitur, factæ, insufficientes erant, erroneæ, & perversæ. Unde idem dominus Cantuariensis reputans illas responsiones insufficientes, hæreticas, & dolosas, erroneas, & perversas, prout dicti doctores, ut præmittitur, reputarunt, prædictos Nicolaum & Philippum ex abundanti monuit sub hac forma verborum.

„ Christi nomine invocato, nos Willielmus
„ permissione Divina Cantuariensis archiepis-
„ copus, totius Angliæ primas, & apostolicæ
„ sedis legatus, ac per totam nostram pro-
„ vinciam Cantuariensem inquisitor hæreticæ
„ pravitatis, vos Nicolaum Hereford, & Phi-
„ lippum Reppydong, sacræ paginæ profesſo-
„ res, habentes hos diem & locum de con-
„ sensu vestro expresso ex præfixione nostra ad
„ peremptorie respondendum & dicendum ple-
„ ne & plane sentire vestrum super conclusio-
„ nibus istis ad quas nos referimus, subductis
„ verbis subtilibus & sophisticalibus aut logi-
„ cis, & ad id juratos, monitos atque jussos,
„ quia absque causa rationabili seu legitima
„ quacumque, noluistis, nec vultis, immo re-
„ cusastis & recusatis, ad conclusiones aliquas
„ illarum coram nobis judicialiter, juxta no-
„ stras monitionem & jussionem prædictas,
„ contemptibiliter respondere; verum ad non-
„ nullas illarum hæretice, & ad nonnullas er-
„ ronee, & minus plene respondistis, ex abun-
„ danti monemus primo, secundo, & tertio,
„ ac peremptorie, quod vos plene & plane
„ subductis quibuscumque verbis subtilibus, so-
„ phisticalibus, aut logicis, respondeatis, &
„ quilibet vestrum respondeat ad conclusiones
„ easdem, & ad sensus per nos limitatos, sub
„ pœna quod aliæ hujusmodi conclusiones ha-
„ beantur per vos pro confessatis, & vos super
„ eisdem conclusionibus haberi debeatis pro con-
„ victis.

Qua monitione facta, eo quod præfati Nicolaus & Philippus noluerunt aliter respondere, dictus dominus Cantuariensis in eodem negotio concludebat, ac præfixit & assignavit præfatis Nicolao & Philippo diem eumdem ad VIII. dies, videlicet XXVII. diem dicti mensis, quod compareant coram eodem domino Cantuariensi, ubicumque infra suam provinciam Cantuariensem ipsum tunc esse contigerit, ad audiendum suum in ea parte decretum. Ac subsequenter dictus dominus Cantuariensis præfatum dominum Joannem Ayshton ex abundanti monuit, sub eo qui sequitur tenore verborum.

„ Christi nomine invocato, Nos Willielmus
„ permissione Divina Cantuariensis archiepis-
„ copus, totius Angliæ primas, & apostolicæ
„ sedis legatus, ac per totam nostram pro-
„ vinciam Cantuariensem inquisitor hæreticæ
„ pravitatis, te Joannem Ayshton magistrum
„ in artibus, in sacra theologia scholarem,
„ alias coram nobis judicialiter comparentem,
„ & ad dicendum plenam veritatem super con-
„ clusionibus istis ad quas nos referimus, quas
„ tibi fecimus liberari, tacto libro juratum,
„ ac alias per nos in hac parte legitime mo-
„ nitum atque jussum, & habentem hos diem
& lo-

ANNO CHRISTI 1382.

„ & locum ex præfixione nostra pro termino „ peremptorie ad proponendum causam rationabilem, si quam habes, quare non debeas „ pronunciari hæreticus: & ex abundanti monemus primo, secundo & tertio, ac peremptorie, quod tu plene & plane, subductis „ quibuscumque verbis subtilibus, sophisticalibus, aut logicis, respondeas ad conclusiones easdem, sub pœna quod aliæ hujusmodi conclusiones habeantur per te pro confessatis, & tu super eisdem conclusionibus „ haberi debeas pro convicto.

Qua quidem monitione præmissa, idem dominus Cantuariensis primam dictarum conclusionum legit: & ab eodem Joanne inquisivit quid sentiret de illa, ac super hac diceret votum suum juxta monitionem prædictam. Dictus tamen Joannes Ayshton requisitus frequenter per dictum dominum Cantuariensem, quod in lingua Latina ad interrogata propter astantes laicos responderet: in lingua materna, clamando verba frivola, opprobriosa, & contumeliosa valde, & ad commovendum & excitandum populum contra eumdem dominum Cantuariensem, ut videbatur, sonantia protulit. Nec ad primam conclusionem, nec ad quamcumque aliarum conclusionum hujusmodi, effectualiter vel pertinenter, immo per subterfugia respondebat: dicens frequentius & expresse sicut laicus, quod sufficiebat sibi credere, sicut etiam sancta credit ecclesia. Interrogatus etiam ab eodem domino Cantuariensi super prima conclusione, tangente sacramentum altaris, an post consecrationem remaneat panis materialis, particularis, vel universalis: dixit quod illa materia transcendit intellectum suum, & pro tanto sub illa forma & non aliter voluit respondere: sed inter cætera dixit, quodammodo deridendo dominum Cantuariensem, illud verbum, materialis, ponas in bursa tua si quam habes. Unde prædictus dominus Cantuariensis, reputans responsionem illam ineptam, sicut alii doctores de quibus supra fit mentio reputarunt, cum sit clericus graduatus in scholis, contra eumdem Joannem Ayshton ulterius sic processit. Et quia tu Joannes Ayshton per nos, ut præmittitur, monitus atque jussus, post hujusmodi juramentum præfixum, absque causa rationabili seu legitima quacumque, noluisti nec vis, sed recusasti & recusas, ad conclusiones hujusmodi „ coram nobis judicialiter, juxta nostras monitionem & jussionem prædictas, contemnibiliter respondere: hujusmodi conclusiones „ per te, pro confessatis habemus, & te dominum Joannem antedictum, quoad omnes „ & singulas conclusiones supradictas, habemus „ pro convicto in conclusionibus supradictis. „ Et propterea te Joannem Ayshton, quantum ad conclusiones illas, quæ per nos cum „ deliberatione nonnullorum prælatorum suffraganeorum nostrorum, necnon sacræ paginæ professorum, ac aliorum juris peritorum, juxta canonicas sanctiones, pro hæresim sapientibus & hæreticis sunt damnatæ, „ ac etiam declaratæ, hæreticum fuisse & esse. „ Quantum vero ad conclusiones alias, per vos „ erroneas antea reputatas, & pro erroneis „ damnatas, te errasse & errare pronunciamus, & declaramus sententialiter in his scriptis.

Dicto etiam vicesimo die mensis Junii, anno & loco prædictis, præfatus dominus Cantuariensis, volens, ut asseruit, informari per magistrum Thomam Hilmam in theologia baccallarium, tunc præsentem, & aliqualiter dictum magistrum Joannem Ayshton saventem, de sentire suo super conclusionibus antedictis: eidem Thomæ pro tunc deliberationem, & diem ad respondendum petenti, præfixit & assignavit dictum diem octavum, videlicet XXVII. diem dicti mensis, quod compareat coram eodem domino Cantuariensi, ubicumque infra suam provinciam Cantuariensem ipsum tunc esse contigerit, ad dicendum plene & plane suum sentire super conclusionibus memoratis.

Nomina doctorum præmissis interessentium, de quibus supra fit mentio.

Magistri in theologia.

Episcopus Nanatensis. } Ordinis Prædicatorum.
Frater Joannes Langley.
Frater Willielmus Syvvard.

Frater Joannes Kynynghan, } Ordinis Carmelitarum.
Frater Joannes Lorey.
Frater Petrus Stokes.
Frater Walterus Dys.

Frater Thomas Ayshbourne. } Ordinis Augustinensium.
Frater Bankinus de London.
Frater Robertus Waldeby.

Doctores juris civilis.

Magister Joannes Barnet.
Magister Thomas Baketon.
Magister Joannes Blaunchard.
Magister Joannes Schillyngford.
Magister Joannes Lydeford.
Magister Thomas Sautham.

Potestas regia concessa archiepiscopo, & aliis episcopis, ad arrestandum quoscumque prædicantes hæresim, seu sustinentes conclusiones damnatas.

Richardus Dei gratia rex Angliæ & Franciæ, & dominus Hiberniæ, omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem.

SIgnificante nobis venerabili patre Willielmo archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ primate, per petitionem suam nobis exhibitam, pleno concepimus intellectu, quod quamplures conclusiones sanæ doctrinæ obviantes, & in fidei catholicæ ecclesiæ sanctæ, ac suæ provinciæ subversionem notorie redundantes, in locis diversis infra provinciam prædictam fuerunt palam & publice, licet damnabiliter prædicatæ: quarum quidem conclusionum quædam ut hæreses, cæteræ vero ut errores per ecclesiam damnatæ, habita inde prius bona & matura deliberatione de communi consilio ipsius archiepiscopi, suffraganeorum suorum, quamplurium in theologia doctorum, aliorumque clericorum in sacris scripturis peritorum, fuerunt sententialiter & salubriter declaratæ. Super quo supplicato nobis per ipsum archiepiscopum, ut pro coercitione debitaque castigatione illorum, qui conclusiones prædictas ex tunc prædicare, seu manutenere vellent animo obstinato, dignaremur

ANNO CHRISTI 1382.

mur opponere brachium regiæ potestatis: nos, zelo fidei catholicæ, cujus sumus & esse volumus defensores, in omnibus, ut tenemur, commoti, nolentesque sustinere hujusmodi hæreses aut errores infra terminos nostræ potestatis aliqualiter pullulari: præfato archiepiscopo ejusque suffraganeis, ad omnes & singulos, qui dictas conclusiones sic damnatas prædicare, seu manutenere vellent, clam vel palam, ubicumque inveniri possent, arrestandos, & prisonis suis propriis, seu aliorum, pro eorum beneplacito committendos, in eisdem detinendos, quousque ab errorum & hæresum pravitatibus resipiscant, vel de hujusmodi arrestatis, per nos vel consilium nostrum aliter foret provisum, auctoritatem & licentiam tenore præsentium concedimus & committimus speciales. Mandantes insuper & injungentes universis & singulis ligeis, ministris & subditis nostris cujuscumque status seu conditionis fuerint, in fide & ligiancia quibus nobis tenentur, ne ipsi manutentoribus sive prædicatoribus dictarum conclusionum, sic condemnatarum, aut eorum fautoribus faveant, consulant, aut auxilientur ullo modo, sub forisfactura omnium quæ nobis forisfacere poterunt in eventu; sed potius præfato archiepiscopo, ejusque suffraganeis, ac ministris suis, in executione præsentium pareant, obediant humiliter, & intendant: sic quod debita & aperta publicatio adversus conclusiones prædictas, & eorum manutentores, absque perturbatione fieri valeat, prout pro defensione & conservatione fidei catholicæ fuerit salubrius faciendum. In cujus rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes. Teste meipso apud westm. 12. die Julii, anno regni nostri sexto.

LONDINENSE CONCILIUM

In causa Wicleffistarum

Anno 1382. habitum.

An. 1382. Man sup. to. 3. p. 646.

„ UNicum in causa wicleffiana concilium Londini habitum affert Labbeus; at duo saltem distinxisse oportet si acta omnia, quæ in eadem causa affert wilkins, discutiantur. Aliud enim convenisse constat anno 1382. Junio mense; aliud vero Novembri mense. In priori illo auditi sunt & damnati wicleffistæ quidam; in altero ad hæresim ejurandam admissi sunt, & hæresis prævia academiæ Oxoniensis censura, iterum damnata. Prioris concilii acta quædam ex Spelmanno dedit Labbeus; sed & plura omisit a wilkins adjecta; alterius nulla. Utrique igitur succurrendum nunc mihi est. Post refutatas igitur erroneas impiorum assertiones, judicium hæretic. institutum narrant acta his verbis, quæ in Labbeo desiderantur.

„ Post absolutam de exordio concilii narrationem contextumque hæreticorum vel pravorum dogmatum catalogum, judicii de singulis hæreticis instituti tabula Labbeus exhibet. Cujus judicii initium die xx. junii constituit. Verum & ante eam diem aliæ ejusmodi hæreticorum interrogationes judiciales præcesserunt, quas hic profero ex Wilkins to. III. pag. 158.

Archiepiscopi Cantuar. mandatum episcopo Lond. direct. contra hæreticos.

Ex reg. Courtenus fol. 15. 6.

willelmus, permissione divina archiepiscopus Cantuar. totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, venerabili fratri nostro domino Ruberto, Dei gratia episcopo London. salutem, & fraternam in D. charitatem. Ecclesiarum prælati circa gregis dominici sibi commissi custodiam eo vigilantius intendere debent, quo Lupos intrinsecus ovium vestimentis indutos, ad rapiendum & dispergendum oves noverint fraudulentius circuire. Sane frequenti clamore & divulgata fama, quod dolentes referimus, ad nostram pervenit auditum, quod, licet secundum canonicas sanctiones nemo prohibitus, vel non missus, absque sedis apostolicæ vel episcopi loci auctoritate, sibi prædicationis officium usurpare debeat publice vel occulte; quidam tamen æternæ damnationis filii, in insaniam mentis producti, sub magnæ sanctitatis velamine auctoritatem sibi vendicant prædicandi, ac nonnullas propositiones & conclusiones infrascriptas hæretic. erroneas, atque falsas, ab ecclesia Dei damnatas, & determinationibus sanctæ ecclesiæ repugnantes, quæ statum totius ecclesiæ, nostræque provinciæ Cant. & tranquillitatem regni subvertere, & enervare nituntur, tam in ecclesiis, quam plateis, & quampluribus aliis locis prophanis dictæ nostræ provinciæ non verentur asserere, dogmatizare, ac generaliter & communiter publice prædicare; illis nonnullos Christi fideles inficientes, & a fide catholica, sine qua non est salus, facientes flebiliter deviare. Nos itaque attendentes, quod jam perniciosum malum, quod in plurimos serpere poterit, eorum animas lethali contagione necando, non debeamus, sicuti nec debemus, sub dissimulatione transire, ne sanguis eorum de nostris manibus requiratur, sed illud, quantum nobis ex alto permittitur, extirpare volentes, de quamplurimum fratrum & suffraganeorum nostrorum consilio & assensu, convocavimus plures sacræ theologiæ doctores, ac juris canonici & civilis professores, & alios clericos quam famosiores & peritiores de regno credidimus, & sanctius in fide catholica sentientes, ut super dictis conclusionibus vota sua dicerent & sentire. Verum quia præmissis conclusionibus & assertionibus in nostra, ac eorumdem confratrum nostrum præsentia patenter expositis, & diligenter examinatis, finaliter est compertum, nostroque, & eorum omnium communicato consilio declaratum, quasdam conclusionum illarum hæreticas esse, quasdam vero erroneas atque determinationibus eccl. repugnantes, prout inferius describuntur; fraternitati vestræ committimus & mandamus, in virtute S. obedientiæ firmiter in-

ANNO CHRISTI 1382.

injungentes, quatenus omnibus & singulis fratribus nostris, coepiscopis ecclesiæ Cantuar. suffraganeis, cum ea celeritate, qua poteritis injungatis, prout eis & eorum singulis & vobis injungimus, ut ipsorum singuli in ecclesiis suis & aliis suarum civitatis & diœcesis, vosque vestra & cæteris vestræ civitatis & diœc. ecclesiis, mone nt & inhibeant, moneatis & inhibeatis, prout vos præsentium tenore monemus, primo, secundo, & tertio ac districtius inhibemus, pro prima monitione unum diem, pro secunda alium diem, & pro tertia monitione canonica ac peremptoria unum alium diem assignando, ne quis de cætero, cujuscumque status aut conditionis existat, hæreses seu errores prædict. vel eorum aliquem teneat, doceat, prædicet, seu defendat, aut aliquem prohibitum, non missum, vel alium, de cujus potestate non constiterit, ad prædicandum admittat, aut hæreses seu errores hujusmodi, vel eorum aliquem prædicantem audiat vel auscultet, seu ei faveat, vel adhæreat publice vel occulte; sed statim, tanquam serpentem venenum pestiferum emittentem, fugiat & evitet; sub pœna excommunicationis majoris, quam in omnes & nostris monitionibus non parentes, singulos in hac parte rebelles, lapsis ipsis tribus diebus, pro monitione canonica assignatis, mora, culpa, & offensa suis præcedentibus, & id fieri merito exigentibus, ex nunc prout ex tunc, ferimus in his scriptis, & per singulos confratres & suffraganeos nostros in suis civitatibus & diœc. ac per vos in vestris civitate & diœc. quatenus ad eos, & ad vos pertinet, ex abundanti præcipimus fulminari. Dictos insuper confratres nostros omnes & singulos nostra ex parte per vos hortari volumus & mandamus per aspersionem sanguinis Jesu Christi, & similiter vos hortamur, quod cum juxta sacrorum canonum instituta, quilibet eorumdem in suis civitat. & diœc. hæreticæ pravitatis inquisitor existat, ac vos in vestris similiter existatis, de hujusmodi præsumptoribus sollicite & diligenter inquirant, & inquiratis, ac contra eos juxta officii sui debitum cum effectu procedant, & similiter procedatis, ad laudem & honorem nominis crucifixi, & salvationem fidei orthodoxæ. Dat. in manerio nostro de Ottford. penultimo die Maji, anno Domini MCCCLXXXII. & nostræ translationis primo.

Item, duodecimo die mensis Junii, anno Domini supradicto, in camera fratrum prædicatorum memorat magister Robertus Rygge, cancellarius universitatis Oxon. & Thomas Brightvvell, sacræ paginæ professores, habentes eosdem diem & locum & præfixione dicti reverendissimi patris, domini Cantuar. archiepiscopi, comparuerunt personaliter coram eo præsentibus reverendo in Christo patre, domino willelmo, Dei gratia wynton. episcopo, ac quampluribus doctoribus & bacalariis theologiæ, juris canonici & civilis, quorum nomina inferius continentur. Et primo dictus cancellarius per dictum dominum Cantuar. archiepiscopum examinatus, quid super conclusionibus memoratis sentiret, asseruit publice, & declaravit quasdam conclusionum illarum hæreticas, & quasdam earum erroneas esse, prout alii doctores & clerici, ut præmittitur, declaraverunt; ac subsequenter præfatus Thomas Brightvell, qui super aliquibus conclusionum illarum primitus & pro tunc aliquantulum titubabat, super eisdem conclusionibus, per dictum dominum archiepiscopum diligenter examinatus, finaliter affirmabat & reputabat eas hæreticas & erroneas esse, prout præfatus cancellarius declaravit. Quidam bacalarius nomine ..... super aliquibus conclusionum illarum titubans, finaliter asseruit se sentire super conclusionibus antedictis, sicut dicti cancellarius & Thomas sentiunt, & prout superius declararunt. Unde idem dominus Cant. volens hujusmodi hæresum & errorum periculis obviare, litteras suas patentes tunc ibidem publice lectas, prædicto cancellario tradidit exequendas, quarum tenor sequitur in hæc verba.

ANNO CHRISTI 1382.

Willelmus permissione divina archiepiscopus Cant. totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, dilecto in Christo filio cancellario universitatis Oxon. Lincoln. diœc. salutem, gratiam, & benedictionem ecclesiarum prælati circa gregis dominici sibi commissi custodiam, &c. *ut supra in littera præcedenti usque ad*, prout inferius describuntur. Vobis committimus & mandamus, firmiter injungentes, quatenus in ecclesia beatæ Mariæ Oxon. diebus, in quibus solet ibidem prædicare de consuetudine, & in scholis dictæ universitatis diebus legibilibus, ipsas conclusiones hæreticas, & erroneas, & determinationi ecclesiæ repugnantes, sic, ut præmittitur, damnatas fuisse & esse; quas ex abundanti sic damnatas esse declaramus, clare, plane, & absque terminorum curiosa explicatione, tam in lingua vulgari, quam lingua latina, clero & populo publicetis, & faciatis per alios publicari. Inhibeatis insuper & canonice moneatis, ac inhiberi & moneri faciatis, prout nos, tenore præsentium, inhibemus & monemus, primo, secundo, & tertio, ac peremptorie; quod nullus de cætero hæreses vel errores prædict. aut eorum aliquem teneat, doceat, prædicet, vel defendat, in scholis, vel extra etiam innitendo sophisticæ cavillationi aut Johan. wiseliff. Nicolaum Hereford, Philippum Rappyngdon, canonicum regularem, seu Johannem Ashton, vel Laurentium Bedeman, qui de hæresi vehementer & notorie sunt suspecti, vel quemcumque alium, sic suspectum vel defamatum, ad prædicand. admittat, audiat, vel auscultet, aut eis faveat publice vel occulte; sed statim, tanquam serpentem venenum pestiferum emittentem fugiat & evitet. Et præterea dictos suspectos ab omni actu scholastico, donec suam in ea parte innocentiam coram nobis purgaverint, suspendimus, & sic per nos suspensos fuisse & esse, publice denuncient, ac de eorum fautoribus per omnes aulas universitatis prædictæ faciatis fideliter & diligenter inquiri; & cum de eorum nominibus & personis constiterit vobis, eos omnes & singulos ad abjurandos suos excessus hujusmodi per quascumque censuras ecclesiast. & alias pœnas canon. compellatis, sub pœna excom. majoris, quam in omnes & singulos in hac parte rebelles, & nostris monitionibus non parentes, culpa, dolo, seu offensa suis in hac parte exigentibus, tertia monitione præmissa, quam in hac parte canonicam reputamus, exnunc prout extunc, & extunc prout exnunc, ferimus his scriptis; absolutionem omnium & singulorum, qui hujusmodi sententiam per nos latam, quod absit, incurrerint, nobis specialiter reservantes. Vosque cancellarie, per aspersionem sanguinis Jesu Christi hortamur, quod sic pro viribus laboretis in posterum, ut clerus & populus vobis subjecti, si qui sint a fide catho-

ANNO CHRISTI 1382.

tholica deviantes, ab errore hujusmodi reducantur, ad laudem & honorem nominis crucifixi, & salvationem fidei orthodoxæ. Et quid in præmissis feceritis, ac de modo & forma processus vestri in hac parte habendi, nos, cum pro parte nostra fueritis requisiti, clare & distincte certificetis litteris vestris patentibus, habentibus hunc tenorem.

Dat. in manerio nostro de Lambeth, sub sigillo nostro privato, duodecimo die junii, anno Domini MCCCLXXXII. & nostræ translationis anno primo.

„ Postmodum eisdem die & loco, dictus „ dominus Cant. archiepiscopus cancellarium „ supradictum monuit, sub eo, qui sequitur, tenore verborum:

In Dei nomine, Amen. Cum nos willelmus, permissione divina Cant. archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, de consensu suffraganeorum nostrorum, nonnullos clericos seculares & regulares universitatis studii generalis Oxon. nostræ provinciæ Cant. ac alios sanctius in fide catholica sentientes, ad informand. nos de & super quibusdam conclusionibus hæreticis, & erroneis, in variis locis nostræ provinciæ, in subversionem status totius ecclesiæ, & dictæ nostræ provinciæ generaliter & communiter prædicatis, ac etiam publicatis, fecerimus convocari; habitaque super ipsis deliberatione plenaria, de nostro, suffraganeorum, & convocatorum eorum communicato consilio declaratum fuerit, quasdam ipsarum conclusionum hæreticas, quasdam vero erroneas, & determinationibus ecclesiæ notorie repugnantes, & ab ecclesia damnatas fuisse & esse, quas etiam ex abundanti sic damnatas esse declaramus; ac intellexerimus ex fide dignorum testimonio ac experientia facti, quod tu magister Robertus Rygge, cancellarius universitatis prædictæ, præmissis conclusionibus sic damnatis aliqualiter inclinasti etiam & inclinas, & quem in hac parte suspectum habemus, intendis hujusmodi clericos sic convocatos, & alios nobis in ea parte adhærentes vel faventes, sicut ipsos sic adhærere & favere oportuit, eo prætextu, per dolosas imaginationes tuas multipliciter de facto gravare; te magistrum Robertum, cancellarium prædictum monemus primo, secundo, & tertio ac peremptorie, quod præfatos clericos seculares vel regulares, aut eis præmissis faventes in actibus scholasticis, seu alias qualitercumque ea occasione non graves, impediias, vel molestes, judicialiter & extrajudicialiter, publice vel occulte, seu gravari, impediri, vel molestari facias aut procures, directe vel indirecte, per te vel alium, vel quantum in te est, permittas ipsos sic gravari; quodque nullum permittas de cætero in universitate prædicta hæreses, seu errores prædictos, aut eorum aliquem tenere, docere, prædicare, vel defendere, in scholis aut extra; nec etiam Johannem wycliff, Nicolaum Hereford, Philippum Rappyngdon, canonicum regularem, Johannem Ashton, vel Laurentium Bedeman, qui de hæresi vehementer & notorie sunt suspecti, vel quemcumque alium sic suspectum vel defamatum, ad prædicand. admittas, sed eos, quos ab omni actu scholastico, donec suam in hac parte purgaverint innocentiam coram nobis, suspendimus, sic per nos fuisse suspensos denuncies, sub pœna excommunicationis majoris, quam in personam tuam, si monitionibus nostris hujusmodi non parueris cum effectu, culpa, dolo, seu offenso tuis in hac parte exigentibus, dicta monitione præmissa, quam in hac parte canonicam reputamus, exnunc pro extunc, & extunc pro exnunc, ferimus in his scriptis, absolutionem vero hujusmodi sententiæ excommunicationis, si quam te contigerit incurrere, quod absit, nobis specialiter reservantes.

Decimo octavo die mensis, & anni prædictorum, in camera fratrum prædicatorum prædicti coram dicto domino Cant. archiepiscopo præsentibus quamplurimis doctoribus & bacalariis sacræ theologiæ, juris canonici & civilis, quorum nomina inferius continentur, comparuerunt magister Nicolaus Hereford, & Philippus Rappyngdon, canonicus regularis, sacræ paginæ professores, & Johannes Ashton, bacalarius in theologia; & præstito per eosdem corporali juramento, tacto libro de dicendo sentire suum, super conclusionibus antedictis iidem Nicolaus & Philippus per dictum dominum archiepiscopum, inquisitorem hæreticæ pravitatis per totam suam provinciam in ea parte examinati, singillatim petierunt diem ad deliberand. super conclusionibus antedictis, & ad respondend. eisdem in scriptis, ac sibi copiam conclusionum hujusmodi ministrari; quam copiam iidem Nicolaus & Philippus tunc ibidem lectam publice receperunt. Dictus etiam magister Johannes Ashton similiter examinatus erat, & judicialiter monitus per dictum dominum Cant. virtute juramenti præstiti per eumdem Johannem, quod super eisdem conclusionibus, subductis quibuscunque verbis & disputationibus sophisticalibus, plene & plane diceret votum suum & sentire. Interrogatus insuper per eumdem dominum cant. an vellet habere diem ad plenius deliberand. super suis responsionibus faciend. sicut præfati Nicolaus & Philippus, ut præmittitur, habuerunt; dixit expresse, quod non; sed statim hujusmodi conclusionibus responderet. Dixit itaque pro finali responso ad omnes conclusiones hujusmodi, sub unico contextu, quod sentire suum est in ea parte subticere. Unde præfatus Dominus Cant. reputans eundem Johan. in ea parte suspectum, eum monuit sub hac forma verborum: Te Johannem Ashton, quem super hæresi defamatum reputamus vehementer suspectum, monemus primo, secundo, & tertio, quod infra provinciam nostram Cant. in futur. non prædices publice, vel occulte, absque nostra licentia speciali, sub pœna excommunicationis majoris, quam in personam tuam, si monitionibus nostris hujusmodi non parueris, exnunc pro extunc, ferimus in his scriptis. Et subsequenter, quia idem Johan. interrogatus a Dicto D. Cant. fatebatur se audivisse de publicatione mandati domini Cant. in quo inhibitum erat, ne quis prohibitus, vel non missus, de cætero prædicaret; idem dominus Cant. præfixit sibi diem Veneris prox. futur. videlicet 20. diem dicti mensis, post prandium, ad comparendum coram eo apud Lambeth, vel in eodem loco, ad proponendum quare non deberet pronunciari, incidisse in sententiam excommunicationis, per eum ea occasione in contravenientes latam, eo quod ipse post, & contra inhibitionem hujusmodi prædicavit; & ulterius ad proponendum quare non debeat pronunciari hæreticus, & pro tali per totam dict. provinciam denunciari. Præfixit etiam idem dominus Cant. præfatis

ANNO CHRISTI 1382.

☞ fatis Nicolao & Philippo eosdem diem & locum ad respondendum peremptorie, & dicend. plene & plane sentire suum super conclusionibus memoratis, subductis verbis sophisticalibus & disputationibus, ut præfertur. Nomina vero magistrorum & aliorum præmissorum præmissis interessentium, de quibus supra fit mentio, sunt hæc:

Frater Thomas Bernewel, frater Willelmus Suyard, Willielmus Pyelkorth, bacal. theologiæ; frater Thomas Whateleye sententiarius; frater Laurentius Grenham, lector sententiarum; frater Johannes Leigh sententiarius, frater Johannes Haket sententiarius; de ordine prædicator. London. frater Walterus Dysshe; frater Joannes Kynyngham; de ordine Carmel.; frater Johannes Loveye; frater Thomas Aysshebourune, August. doctor.

Postea dicta die &c. *ut est in editis apud Labbeum*.

„ Judicium hoc hæreticorum eo perducit „ Labbeus ut auditos hæreticos seu de hæresi „ suspectos non vero damnatos constituat. Habeas igitur totam ejus rei prosecutionem ex „ tabulis a Wilkins productis.

Subsequenter die Veneris, dicto videlicet vicesimo septimo mensis Junii, coram dicto reverendo patre domino Cant. archiepiscopo, in capella manerii sui de Orteford, Cant. diœc. pro tribunali sedente, comparuerunt prædicti magister Nicolaus, & Philippus, & Thomas Hilman; quibus idem dominus Cant. eo quod pro tunc sacræ paginæ ac juris canonici & civilis doctorum præsentiam & assistentiam non habebat, dictum negotium tangens, eosdem Nicolaum, Philippum, & Thomam in eodem statu, quo nunc fuerat, usque in diem martis prox. extunc sequent. videlicet primum diem mensis Julii, anno Domini supradicto, continuavit; præfixitque dictis Nicolao & Philippo, ac Thomæ Hilmam eumdem diem, quod compareant coram eo, ubicumque infra suam provinciam Cant. ipsum tunc esse contigerit, ac idem faciend. quod prædicto vicesimo septimo die facturi fuissent, communiter vel divisim. — Quo die martis adveniente, præfatus dominus Cant. in domo capitulari ecclesiæ suæ Cant. ante horam nonam ejusdem diei pro tribunali sedens, præsentibus tunc ibidem, & sibi assistentibus, nonnullis sacræ theologiæ doctoribus quorum nomina inferius continentur, & aliis clericis in multitudine copiosa, prædictos Nicolaum, Philippum, & Thomam præconizatos, diutius expectatos, ac nullo modo comparentes, usque ad secundam horam post prandium ejusdem diei de gratia expectavit, & negotia supradicta in statu suo pristino usque ad horam & locum prædictos continuavit. — Qua quidem hora prædictus Cantuar. assistentibus sibi doctoribus, & clericis supradictis, inquisivit a prædicto magistro Hilman, tunc ibidem judicialiter comparente, quid de conclusionibus supradictis sentiretur. Qui super eis & earum sensibus aliquantulum titubans, tinaliter ad omnes & singulas conclusiones easdem sibi tunc lectas & expositas, sic respondit. „ Omnes & singulas conclusiones istas, per „ dominum meum Cant. modernum, una cum „ consilio cleri sui super damnatas hæreticas „ & erroneas reputo; prout idem dominus „ meus Cant. ac alii doctores theologiæ, ac „ juris canonici & civilis de communicato „ consilio reputarunt, & eas pro hæresibus & „ erroribus, ut præfertur, damnatas, quantum „ in me est, damno, protestans me contra„ rium illarum conclusionum velle tenere & „ affirmare, & in illa fide vivere, atque mori". Dictos vero magistros Nicolaum, & Philippum, præconizatos, diutius expectatos, & nullo modo comparentes, idem dominus Cant. tunc ibidem pro tribunali sedens pronunciavit contumaces, & in pœnam huiusmodi contumaciæ ipsos excommunicavit in scriptis, sub hac forma verborum:

Nos Willelmus, permissione divina Cant. archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, ac per totam nostram provinciam Cantuar. inquisitor hæreticæ pravitatis, magistros Nicolaum Hereford, & Philippum Reppyngdon, sacræ paginæ professores, habentes hos diem & locum ex præfixione nostra, ad audiendum decretum nostrum in negotio hæreticæ pravitatis, præconizatos, diutius expectatos, & nullo modo comparentes, pronunciamus contumaces; & in pœnam suæ hujusmodi contumaciæ ipsos, & eorum utrumque excommunicamus in his scriptis. Nomina doctorum, de quibus supra fit mentio inferius describuntur.

Magister Willelmus Blankpayne,	Magistri in Theologia.
Magister Willelmus Berton, seculares,	
Frater Robertus Yvori prior provinciæ Carmel.	
Frater Philippus Kynyngham,	
Frater Philippus Loveye, Carmelit.	
Frater Willelmus Barnewell,	
Frater Johannes Riddene, Minores,	
Frater Willelmus Bruscunbe, ordinis Prædicat.	
Frater Johannes Court, Ord. August.	
Frater Stephanus Patington,	Bacalarii in Theologia.
Frater Johannes Tompston,	
Frater Johannes Reppys, lector Carmelitæ.	

Apostoli dati ad quamdam frivolam appellationem per magistros Nicolaum Hereford, & Philippum de Reppyngdon, canonicum regularem monasterii Beatæ Mariæ de pratis Leycestr. sacræ paginæ professores se dicentes, interpositam.

IN Dei nomine, Amen. Nos Willelmus, permissione divina Cant. archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, quamdam appellationem prætensam, cujus tenor inferius continetur, per magistros Nicolaum Hereford, & Philippum de Reppyngdon, canonicum regularem monasterii beatæ Mariæ de pratis Leycestr. Lincoln. diœc. professores sacræ paginæ dicentes, & eorum quilibet, & nonnullis gravaminibus prætensis per nos eis & eorum cuilibet, ut asserunt, & asserit eorum quilibet, licet minus veraciter, illatis; ad sedem apostolicam & dominum nostrum papam interpositam, ad quam nos referimus & pro hic

☞ hic inserta habere volumus, in valvis ecclesiæ cathedrali London. nec non ecclesiæ beatæ Mariæ de arcubus London. publice appositam, & affixam, infra tempus juris dand. apostolos, notorie existentem frivolam, & ex frivolis falsisque ac falso fabricatis & confictis, malitiose conceptam, nec non errorem juris in se manifestum continentem, reputamus, & eam ideo refutamus, & eidem non deferimus, & hanc responsionem prædictis magistris Nicolao & Philippo, & eorum cuilibet damus loco apostolorum in valvis dictarum ecclesiarum locis apostolorum testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponen. Dat. London. Domini MCCCLXXXII. & nostræ translationis anno primo.

ANNO CHRISTI 1382.

Mandatum ad denunciand. magistros Nic. Hereford, & Philip. Reppyngdon excommunicatos.

Willelmus, permissione divina Cant. archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, dilecto in Christo filio cuicumque Verbum Dei apud crucem sancti Pauli London. hac instante die dominica prædicaturo, salutem, gratiam, & benedictionem. Cum nos magistris Nicolao Hereford, & Philippo Reppyngdon, canonico regulari monast. beatæ Mariæ Leycestr. sacræ theologiæ doctoribus, & de hæretica pravitate vehementer suspectis, post quasdam responsiones minus plene & impertinenter, hæretice & erronee, per eosdem factas, ad nonnullas conclusiones hæreticas & erroneas in quampluribus locis dictæ nostræ provinciæ communiter & generaliter, ac publice prædicatas & doctas, coram nobis judicialiter comparentibus, præfixerimus certos competentes diem & locum, ad faciend. & recipiend. peremtorie in ea parte, quod ipsius negotii qualitas suaderet; ipsosque propter ipsorum contumaciam, in non comparendo coram nobis eisdem die & loco judicialiter contractam, excommunicaverimus, justitia exigente, vobis committimus & mandamus, firmiter injungentes, quatenus præfatos Nicolaum, & Philippum, eadem die dominica, cum major populi multitudo ad sermonem vestrum loco prædicto convenerit, cruce erecta, candelis accensis, ac in terram projectis, sic excommunicatos per nos fuisse, & esse, publice & solemniter denuncietis. Dat. in manerio nostro de Lambeth decimo tertio die mensis Julii, anno Domini MCCCLXXXII. & nostræ translationis primo.

Mandatum cancellar. univers. Oxon. direct. pro eodem.

Willelmus, permissione divina, &c. dilecto filio, magistro Roberto Rigge, cancellario universitatis Oxon. salutem, &c. Cum nos magistros Nicolaum Hereford, &c. ut supra usque exigente. Vobis committimus & mandamus, firmiter injungentes, quatenus præfatos Nicolaum & Philippum, sic per nos fuisse & esse excommunicatos in ecclesia beatæ Mariæ & scholis universitatis Oxon. publice & solemniter denuncietis. Citetis insuper seu citari faciatis peremptorie præfatos Nicolaum & Philippum, quod compareant & eorum quilibet compareat coram nobis decimo quinto die a tempore citationis hujusmodi, ubicumque nos infra provinciam nostram Cant. tunc esse continget; ad videnda. & audiend. per nos procedi contra eosdem, & eorum quemlibet, super dictis conclusionibus hæreticis, & erroneis juxta formam retroactorum in hac parte habitorum, & negotii qualitatem. De die vero receptionis præsentium, ac citationis vestræ modo & forma ejusdem; & si dictos Nicolaum, & Philippum, vel eorum alterum personali citatione fuerint apprehensi, vel si latitaverint, quominus personali citatione apprehendi poterunt, aut eorum alter sic latitaverit, & de omni eo, quod in hac parte duxeritis faciend. nos citra festum S. Laurentii clare certificetis litteras vestras patentes, harum seriem continentes. Dat. in manerio nostro de Lambeth decimo tertio die Mensis julii anno MCCC. LXXXII. & nostræ translationis primo.

ANNO CHRISTI 1382.

Archiepiscopi Cant. mandatum episcopo London ad denunciand. magistros N. Hereford, & Philipp. Reppyngdon, excommunicatos per provinciam Cant.

Willelmus, &c. venerabili fratri nostro domino Roberto, Dei gratia episcopo Lodon. salutem, & fraternam in Domino charitatem. Cum nos magistri Nicolao Hereford, & Philippo Reppyngdon, &c. prout superius continetur usque justitia exigente. Vobis committimus & mandamus, quatenus præfatum Nicolaum, & Philippum, sic per nos fuisse & esse excommunicatos, & ecclesiis & locis insignibus vestrarum civitat. & diœc. cum populi multitudo convenerit, denunciari publice faciatis. Citantes eosdem, citarive facientes peremptorie, si valeant apprehendi, quod compareant coram nobis aliquo competenti termino, per vos aut vestros auditores præfigendo eisdem, ubicumque nos infra provinciam nostram Cant. tunc esse continget: ad videnda. & audiend. per nos procedi contra eosdem, & eorum quemlibet, super dictis conclusionibus hæreticis & erroneis, juxta formam retroactorum in hac parte habitorum, & negotii qualitatem. Injungatis insuper auctoritate nostra omnibus & singulis suffraganeis nostris, nostræ Cant. provinciæ episcopis, & confratribus, per litteras vestras patentes, harum seriem continentes, quod ipsorum singuli eosdem Nicolaum, & Philippum, per suas civitates & diœc. faciant modo simili denunciari; quodque citent eosdem, seu citari faciant peremptorie, si poterunt apprehendi, quod compareant coram nobis aliquo termino competenti, eis per dictos confratres nostros, vel eorum aliquem præfigendo, ubicumque fuerunt infra provinciam nostrum prædict. ad faciendum, quod superius est expressum; & quod nos certificent, seu ille eorum certificet, qui ipsos, vel eorum aliquem citaverit, aut citari fecerit, citra terminum hujusmodi, litteris suis patentibus, habentibus hunc tenorem. Vosque de toto processu vestro in hac parte habendo, nos citra festum exaltationis S. crucis prox. futur. certificetis per litteras vestras patentes, harum seriem continentes. Dat. in manerio nostro de Otteford penultimo die mensis julii, anno Domini MCCC. LXXXII. & nostræ translationis anno primo.

„ Postmodum vero ex his viris judicio damnatis quidam resipuerunt, cujus rei ex Anglicanis tabulis a Wilkins productis hæc damus gemina documenta.

Re-

ANNO CHRISTI 1382.

Restitutio dom. Ph. Reppyngdon, canonici Leycestr. ad actus scholasticos, per archiep. Cant. facta.

Universis S. Matris ecclesiæ filiis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, Willelmus, permissione divina archiepiscopus Cant. totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis Legatus, salutem in Domino sempiternam. Nuper contra nonnullos in diversis locis nostræ provinciæ de hæretica pravitate suspectos, legitime procedentes, inter cæteros quemdam dominum Philippum Reppyngdon, canonicum regularem domus Leycestr. dictæ nostræ provinciæ, simili modo suspectum, ab omni actu scholastico, donec innocentiam suam in ea parte purgaverit, duximus suspendendum. Ac postmodum propter suam manifestam contumaciam in non comparendo coram nobis certis die & loco, ad quos legitime extitit evocatus, contractam, eumdem excommunicavimus, justitia exigente. Verum quia præfatum Philippum coram nobis in quorumdam confratrum & suffraganeorum nostrorum, ac sacræ theologiæ, juris canonici, & civilis doctorum præsentia judicialiter comparentem, super sibi impositis suam innocentiam allegantem; quosdam etiam conclusiones hæreticas & erroneas alias per nos ac quamplures confratres & suffraganeos nostros, nec non sacræ theologiæ, juris canonici, & civilis doctores, aliosque clericos sanctius in fide catholica sentientes, utpote determinationibus ecclesiæ repugnantes, damnatas, damnasse finaliter, & super eisdem conclusionibus una nobiscum determinasse reperimus; eumdem Philippum de pravitate hæretica non convictum, nec etiam condemnatum, ad actus scholasticos & ad pristinum statum restituimus, & a dicta sententia excommunicationis absolvimus in debita forma juris. Quæ omnia ad vestræ universitatis notitiam deducimus per præsentes sigilli nostri appensione munitas. Dat. in domo fratrum prædicatorum, convent. London. vicesimo tertio die mensis Octobris, an. D. MCCCLXXXII. & nostræ translationis anno secundo.

Restitutio magistri Jo. Asshton ad actus scholasticos, facta per archiepiscopum Cantuar.

Universis S. matris ecclesiæ filiis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, Willelmus, permissione divina Cant. archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, salutem in Domino sempiternam. Licet nuper magister Johannes de Asshton, magister in artibus, & in sacra theologia scholaris, de hæretica pravitate vehementer suspectus, per fungentes officio inquisitoris hæreticæ pravitatis, fuisset ab omni actu scholastico, justitia exigente, rite suspensus, & propter suam manifestam contumciam pariter & offensam coram nobis judicialiter contractas, eo quod certis conclusionibus quibusdam hæreticis, quibusdam vero erroneis, per sacrorum canonum instituta, & nos de quamplurium suffraganeorum nostrorum, ac aliorum sacræ theologiæ, juris canonici, & civilis doctorum, juritque peritorum consilio & assensu damnatis, de quibus extitit graviter defamatus, respondere per nos monitus atque jussus, id facere noluit, sed contemptibiliter recusavit, pro hæretico & errante, ac ut hæreticus atque errans legitime condemnatus; quia tam idem Johannes ad cor reversus coram nobis in concilio prælatorum & cleri nostræ Cant. provinciæ, per nos Oxon. nuperrime celebrato, personaliter comparens omnem hæresim, & præcipue conclusiones prædictas publice anathematizavit, & etiam objuravit, promisitque, tactis corporaliter sacrosanctis, præstito juramento, quod nunquam conclusiones illas, seu earum aliquam pro veris aut vera defenderet vel teneret; sed staret per omnia in ea parte determinationi ecclesiæ catholicæ, atque nostræ; quodque si aliquando contra præmissa aliquid sentire, vel prædicare præsumpserit, severitati canonum subjaceret, prout in forma abjurationis hujusmodi plenius continetur; ac a sententia excommunicationis, quam occasione præmissa incurrerat, a nobis petiit humiliter se absolvi, suoque statui pristino restitui atque famæ. Nos attendentes, quod S. Mater ecclesia nulli claudit gremium redeunti, ipsum a dicta sententia absolvimus in forma juris, eumque ad actus scholasticos statumque pristinum reduximus atque famam; ac ad obstruend. ora loquentium iniqua, has litteras testimoniales sibi concessimus, sigilli nostri munitione corroboratas. Dat. Oxon. vicesimo septimo die mensis novembris, anno Domini MCCCLXXXII. & nostræ translationis anno secundo.

CON-

ANNO CHRISTI 1382.

CONCILIUM OXONIENSE

In causa hæreticorum, qui in Anglia exorti erant, a Guillelmo de Coutenay Cantuariensi Archiepiscopo

Anno 1382. habitum.

An. 1382. Ex eodem pag. 657.

„ ANglicana concilia duo eodem anno A „ 1382. convocata fuisse in causa hæ„ resis Wicleffianæ in Anglia tunc exorien„ tis, superius in præfatione ad concilium „ Londinense anni hujus animadverti. En igi„ tur illud, de quo præfatus sum alterum „ Anglicanum concilium, de cujus convoca„ tione hac dantur ex tab. *Courtenay* fol. 33. a Wilkins to. III. pag. 182.

CONVOCATIO PRÆLATORUM ET CLERI CANTUAR. PROVINCIÆ

In ecclesia conventuali sanctæ Frideswidæ Oxon. ad diem 18. mensis novembris facta.

QUo die post missam & alia sacra, certificatorium domini episc. Lodon. legebatur, ac RRmus causas convocationis prædictæ exponebat, videl. quod pro quibusdam hæreticis, qui nuper in regno pullularunt, penitus extirpandis, pro delictis, & excessibus corrigendis, ac injuriis ecclesiæ sanctæ illatis reformandis, nec non pro aliquo competenti subsidio concedendo, ad vitanda, & repellenda pericula, quæ ecclesiæ, regi, & regno Angliæ notorie imminebant, ipsam convocationem ibidem fieri tunc decrevit.

Dein post varias continuationes XXIV. die mensis novembris, dominus Philippus Reppyngdon, canonicus regularis domus Leycestr. abjuravit omnes conclusiones hæreticas sub eo, qui sequitur tenore verborum. In Dei nomi„ ne, Amen. Ego Philippus Reppyngdon ca„ nonicus ecclesiæ beatæ Mariæ de Pratis Ley„ cestr. Lincoln. diœc. cognoscens veram, „ catholicam, & apostolicam fidem, anathe„ matizo etiam, & abjuro omnem hæresim, „ & præcipue subscriptas hæreses, & errores D „ per sacrorum canonum instituta, & per vos, „ pater reverendissime, damnatas & damna„ tos, reprobatas, & reprobatos, de quibus „ hactenus defamatus sum; easque, & eos, „ ac ipsarum, & ipsorum auctores damno, & „ reprobo, & confiteor esse catholice damna„ tas & damnatos. Et juro ad hæc sancta „ Dei evangelia, quæ in manibus meis teneo, „ ac promitto, me nunquam quorumlibet per„ suasionibus, vel alio modo quocunque con„ clusiones subscriptas, vel earum aliquam „ pro veris aut vera defendere vel tenere; sed „ determinationis S. eccl. cathol. atque vestræ E „ in hac parte per omnia velle stare, sto, & „ stabo, adhæreo & de cætero adhærebo: in„ super & eos, qui contra hanc fidem veniunt „ cum dogmatibus & sectatoribus suis æterno „ anathemate dignos esse pronuncio: quod si „ ego ipse aliquando contra præmissa aliquid „ sentire, aut prædicare præsumpsero, cano„ num severitati subjaceam. Ego Philippus „ Reppyngdon prædictus confessionibus meis præ„ dictis propria manu mea sponte subscribo". In eadem forma verborum magister Johannes Ashton, presbyter, Wygorn. diœc. de hæresi convictus, adjuravit conclusiones prædictas. Alio die frater Petrus Stokes ordinis Carmelit. & alius frater de ordine Minorum, hæreseos accusati, conclusiones contra eos propositas se exercitii, & doctrinæ causa tenuisse, non asseruisse, ajebant. Deinde Henricus Crompe, ordinis Cistercien. conclusionem contra eum propositam, si & quatenus per Urbanum papam V. erat damnata, se nolle tenere ad san- B cta Dei Evangelia juravit.

Postea convocatio hæc ab ecclesia conventuali Frideswidæ Oxon. ad domum capitularem fratrum prædicatorum Lodon. ex auctoritate archiepiscopi etiam de consensu confratrum, & suffraganeorum nostrorum, tunc ibidem præsentium, ex certis, & legitimis causis, nos & dictos confratres nostros moventibus, prorogabatur. Ibi die S. Hilarii per mandatum episc. Lodon. & Winton archiepiscopi commissariorum primum convenerunt, ac aliud subsidium addiderunt illi in priori sessione concessæ, scil. medietatem decimæ de beneficiis C ecclesiasticis Cant. provinciæ ad decimam taxatis, de quo reverendissimus domino regi per certificatorium significavit.

Ad patres in eam synodum coeuntes scriptam arbitror sequentem epistolam vulgatam a VVilkins pag. 171. & una cum litteris illis junctim transmissa est ad patres eosdem sententia contra Joannem VVicleffum ab accademiis Oxoniensibus lata, quam, utpote ad acta hujus concilii pertinentem, statim recito.

Sententia VVillelmi cancellarii universitatis Oxon. contra VVicliff residentem in cathedra.

Willelmus de Berton cancellarius universitatis Oxon. omnibus dictæ universitatis filiis, ad quos præsens mandatum pervenerit, salutem, & mandatis nostris firmiter obedire.

Ad nostrum, non sine grandi diplicentia, pervenit auditum, quod cum omnes hæresum inventores, defensores, seu fautores cum eorum pernitiosis dogmatibus sint per sacros canones sententia majoris excommunicationis damnabiliter involuti, & sic a cunctis catholicis rationabiliter evitandi; nonnulli tamen maligni spiritus repleti consilio, in insaniam mentis producti, molientesque tunicam Domini, scilicet sanctæ matris ecclesiæ scindere unitatem, quasdam hæreses, olim ab ecclesia solemniter condemnatas, iis diebus, proh dolor! innovant, & tam in ista universitate, quam extra, publice dogmatizant, duo inter alia documenta pestifera asserentes. Primo, in Sacramento altaris substantiam panis materialis, & vi-

vini, quæ prius fuerunt ante consecrationem, post consecrationem realiter remanere. Secundo, quod execrabilius est auditu, in illo venerabili sacramento non esse corpus Christi, & sanguinem essentialiter, nec substantialiter, nec etiam corporaliter; sed figurative, seu tropice, sic quod Christus non sit ibi veraciter in sua propria præsentia corporali. Ex quibus documentis fides catholica periclitatur, devotio populi minoratur, & hæc universitas mater nostra non mediocriter defamatur. Nos igitur advertentes, quod assertiones hujusmodi per tempus se deteriores haberent, si diutius in hac universitate sic conniventibus oculis tolerentur, convocavimus plures sacræ Theologiæ doctores & juris canonici professores, quos peritiores credidimus; & præmissis assertionibus in eorum præsentia patenter expositis, ac diligenter discussis; tandem finaliter est compertum, & eorum judicio declaratum, ipsas esse erroneas, atque determinationibus ecclesiæ repugnantes, contradictoriasque earumdem esse veritates catholicas, & ex dictis sanctorum, & determinationibus ecclesiæ manifeste sequentes: videlicet quod per verba sacramentalia, a sacerdote rite prolata, panis, & vinum in altari in verum corpus Christi, & sanguinem transubstantiantur, seu substantialiter convertuntur; sic quod post consecrationem non remanent in venerabili sacramento panis materialis & vinum, quæ prius, secundum suas substantias, seu naturas, sed solum species eorumdem. Sub quibus speciebus verum corpus Christi, & sanguis realiter continentur, non solum figurative, seu tropice, sed essentialiter, substantialiter & corporaliter, sic quod Christus est ibi veraciter in sua propria præsentia corporali; hoc credendum, hoc docendum, hoc contra omnes contradicentes viriliter defendendum. Hortamur igitur in Domino, & auctoritate nostra monemus, primo, secundo, & tertio, ac districtius inhibemus, pro prima monitione assignando unum diem, pro secunda alium diem, & pro tertia monitione canonica ac peremptoria unum alium diem: nequis de cætero, cujuscumque gradus, status, aut conditionis existat, præmissas duas assertiones erroneas, aut earum alteram in scholis, aut extra scholas in hac universitate publice teneat, doceat, seu defendat, sub pœna incarcerationis, & suspensionis ab omni actu scholastico; ac etiam sub pœna excommunicationis majoris, quam in omnes, & singulos in hac parte rebelles & nostris monitionibus non parentes, lapsis ipsis tribus diebus pro monitione canonica assignatis, mora, culpa, & offensa præcedentibus, & id fieri merito exigentibus, ferimus in his scriptis: quorum omnium absolutionem, & absolvendi potestatem, præterquam in mortis articulo nobis, successoribus nostris specialiter reservamus. Insuper, ut homines quamvis non propter timorem latæ sententiæ, saltem propter defectum audientiæ a talibus doctrinis illicitis retrahantur, & eorum opiniones erroneæ sopiantur; eadem auctoritate, qua prius, monemus primo, secundo, & tertio, ac districtius inhibemus, ne qui de cætero aliquem publice docentem, tenentem, seu defendentem præmissas duas assertiones erroneas aut earum alteram in scholis, vel extra scholas in hac universitate quovis modo audiat, vel auscultet; sed statim sic docentem, tanquam serpentem, venenum pestiferum emittentem, fugiat, & abscedat, sub pœna excommunicationis majoris in omnes & singulos contravenientes non immerito fulminandæ, & sub pœnis aliis superius annotatis.

Nomina autem doctorum, qui præsenti decreto specialiter affuerunt, & eidem unanimiter consenserunt sunt hæc.

Magister Johannes Lawndrynæ sacræ paginæ professor & secularis.

Magister Henricus Crompe, albus monachus.

Magister Johannes Chelsam de ordine prædicatorum.

Magister Willielmus Brustoumbe de eodem ordine.

Magister Johannes Shipton de ordine Augustinen.

Magister Johannes Tissington de ordine minorum.

Magister Johannes Lovey de ordine Carmelitarum.

Magister Johannes Welles monachus de Rameley.

Magister Johannes Wolverton de ordine prædicatorum.

Magister Robertus Rygge sacræ paginæ professor & secularis.

Magister Johannes Mowbray doctor in utroque jure.

Magister Johannes Gascoigne doctor in decretis.

Convocatis igitur præfatis doctoribus, ut est dictum, & plena deliberatione habita de præmissis, ex omnium nostrorum unanimi consilio & assensu præsens mandatum emanare decrevimus. In quorum omnium, & singulorum testimonium, sigillum officii nostri fecimus apponi.

Ita prædicta condemnatio publicata est publice in scholis Augustinensium ipso Johanne sedente in cathedra & determinante contrarium. Sed confusus est, ista audita condemnatione. Sed tamen dixit, quod nec cancellarius, nec aliquis de suis complicibus poterat suam sententiam infringere, se in hoc ostendens hæreticum pertinacem. Sed post ad suæ hæresis maiorem manifestationem, & suæ pertinaciæ ostensionem, alias publice a condemnatione cancellarii, & judicio prædicto appellavit, non ad papam, vel episcopum, vel ordinarium ecclesiasticum, sed hæreticus adhærens seculari potestati in defensionem sui erroris, & hæresis appellavit ad regem Richardum, volens per hoc se protegere regali potestate, quod non puniretur, vel emendaretur ecclesiastica potestate. Et post appellationem advenit nobilis dominus dux egregius & miles strenuus sapiensque consiliarius dux Lancastriæ sacræ ecclesiæ filius fidelis, prohibens magistro prædicto Johanni, quod de cætero non loqueretur de ista materia. Sed nec ipse obtemperans suo ordinario, cancellario, nec etiam strenuo domino, incepit confessionem quamdam facere, in qua continebatur omnis error pristinus, sed secretius sub velamine vario verborum, in qua dixit suum conceptum, & nisus est suam sententiam probare. Sed velut hæreticus pertinax refutavit omnes doctores de secundo millenario in materia de sacramento altaris, & dixit omnes illos errasse præter Berrengarium, cujus opinio damnatur de consecratione dist. 2. *Ego Berrengarius*; & ipsum, & suos complices dixit palam fatha-

thanam solutum & potestatem habere in Magistro sententiarum & in omnibus, qui fidem catholicam prædicaverunt.

ANNO CHRISTI 1382.

Epistola XII. Judicum universitatis Oxon. ad synodum cleri Cantuariensis in S. Pauio super libris Johannis VVycliff.

Hæc forte epistola non quidem ad hanc synodum, sed ad præcedentem Londinensem referenda est.

Ex reg. Sudbury f. 76.

Reverendissimo in Christo patri, ac domino suo speciali domino Willelmo Dei gratia Cantuar. archiepiscopo totius Angliæ primati, & sedis apostolicæ legato, aliisque venerabilibus patribus, & prælatis provinciæ Cantuar. universitas studii generalis Oxon. reverentias, & honores debitos, & devotos tam venerando cœtui prælatorum, & ad defensionem percelebrem catholicæ fidei firmiter & feliciter adunari.

Præstantissime Pater & domine. Ab exordio nascentis ecclesiæ Dei, vineæ Sabaoth, quam cælestis agricola, Christus, Dei Filius, suique successores Apostoli in sacro suo sanguine plantaverat, hæretici, qui sub specie pietatis, virtutis, & gratiæ spiritu præsumptionis inflati mature suam ecclesiam Dei spponsam suffodere satagebant. Tales enim doctores doctissimos in honore præcellere contendentes, metaphorica Scripturarum eloquia insanis suis sensibus pertinaciter attrahere cupiunt, innitentes ut plurimum nudo sensui litterali; & sic postpositis, immo spretis mysticis sanctorum patrum dogmatibus, tanquam filii degeneres & perversa viperarum genimina, materna sua viscera degenerando corrodunt, & erumpunt. Tales enim, cum in suis astutis ingeniis plene superare non valeant, temporale secum brachium callide provocant, & pronis ad credendum illicita, quæ delectant, contra statum, & prælatos ecclesiæ, vetita quasi licita prædicant, ut sublatis aut concussis hostiliter fidei christianæ columnis, suos errores, & hæreses facilius introducant. Legimus de Arrio hæresiarcha, ut de cæteris taceamus, quod ipsius suadente consilio omnes prælati catholici regiminis in exilium missi sunt, vix tribus exceptis, qui, divino providente consilio, Arrianæ perversitatis erroribus viriliter obviaverunt. Unde & de eo testatur Hieronymus, *Arrius in Alexandria modica scintilla fuit, quia statim extinctus non fuerat, totum fere terrarum orbem ipsius flamma consumpsit*. Sed prætermissis extraneis, qui faciliter numerari non possunt, ut vicinius accedamus ad proprios: doctor quidam novellus, dictus Johannes Wycliff, non electus, sed infectus agricola vitis Christi, jam infra paucos annos pulcherrimum agrum vestræ Cantuar. provinciæ tot variis seminavit zizaniis, totque pestiferis plantavit erroribus, tot denique suæ sectæ procreavit hæredes, quod, sicuti probabiliter credimus, absque mordacibus sarculis, & censuris asperrimis explantari vix poterunt, & evelli. Ad quantum enim hæc secta novella nobiscum jam nuper invaluit, a vestra, sicut credimus, paternali memoria non recessit: nos tamen ista mala cura vigili ponderantes, vestræ prudentissimæ paternitatis auctoritate suffulti, vestrisque salutaribus, & votivis suadelis & monitis pro viribus obsequentes, per XII. electissimos nostros magistros, & doctores, multos libros & libellos aliosque tractatus & opuscula multa prælibati Johannis longa deliberatione perspeximus, ut multas conclusiones in eis, & quæ nobis videntur, signavimus, signatas excerpsimus, excerptas morose digessimus, & digestas censuimus sacræ doctrinæ contrarias, & per consequens reas igne. Sed cum apud plurimos nostra satis parva sentiatur auctoritas, easdem conclusiones simul & in unum redactas, vestro, pater inclyte, vestrorumque confratrum maturiori examini denuo recensendas offerimus; & per vos, si placeat, ulterius beatissimo patri nostro summo pontifici has iterum cupimus intimari. Scriptum est enim, quod funis triplex de difficile rumpitur: quod congruenter accipitur, si forte commissa nobis auctoritas pro funiculo computetur. Alias autem conclusiones erroneas non paucas, immo fere totidem quot sequuntur, de libello præfati Johannis extraximus, quas, cum non sit ejusdem aut multum cognatæ sententiæ cum his scriptis, illas tanquam superfluas decrevimus hic omitti. Est enim tam auditori, quam lectori fastidium, & opus inutile eamdem sæpe sententiam pueriliter inculcare; & præterea multas alias conclusiones in procedendo collegimus in sterili pugna verborum sustinere sophistice; illas ideo præcepimus extremæ condemnationis sententia fulminari. Rationes autem & causas damnationis conclusionum sequentium in præsentiarum omisimus, eo quod ipsarum falsitatem iis, qui sane sapiunt, cum antiquis doctoribus planam esse convincimus, nec vexare vos duximus pro insanis. Et nihilominus cum plurimæ sint, & longe ipsarum improbatio prolixior fastidium forte gignet inspectori.

Nomina XII. judicum Oxoniensis congregationis in superiori epistola prætactorum.

Magister Willelmus Ufford regens in claustro Carmelitarum.	Doctores in Theologia.
Magister Thomas Claxton regens in claustro prædicatorum.	
Magister Johannes Wittenham de novo collegio.	
4. Magister Joh. Langedon manachus eccl. Christi Cant. postea episcopus Rossensis.	
5. Magister Rob. Gilbert.	Bacalarei in Theologia.
6. Mag. Joh. Luk.	
7. Mag. Rich. Cartisdale	
8. Mag. Ric. Suedisham	
9. Mag. Ric. Fleming. post episcop. Lincoln.	Studentes in Theologia.
10. Mag. Thom. Redbourne post episc. Meneven.	
11. Mag. Rob. Rowdbery.	
12. Mag. Richardus Grasdale	

ANNO CHRISTI 1382.

SYNODUS STRIGONIENSIS

Sub Maria Hungariæ Regina & Demetrio archiepiscopo

Anno 1382. celebrata.

An. 1382. Ex Pateffy Conc. Hungar. to. I. pag. 182.

Ex eodem.

„ JUS antiqua consuetudine assertum Strigoniensi archiepiscopo, ut ad Synodum suam omnem aliarum etiam diœceseon clerum vocaret, convellere nitebatur Valentinus Quinqueecclesiensis episcopus, S. R. E. Cardinalis tit. S. Sabinæ. Rem ferens iniquius Demetrius Strigoniensis archiepiscopus ad Urbanum VI. querelas suas detulit, & ab eo litteras impetravit, inhibentes Quinqueecclesiensi, ne invitanti clerum Archiepiscopo ulterius obsisteret. Ita factum, ut synodus provincialis haberetur, cujus acta P. Peterffy in M. S. cod. collegii Academici Societatis Jesu Tyrnaviæ se nactum testatur. Verum eadem omnino esse comperit cum actis synodi Strigoniensis, quæ ex vitiato codice manca vulgavit; tum & plane congruere deprehendit actis synodi Nitriensis annis 1492. quæ e probato codice dedit integra. Hæc illum ratio persuasit, ut synodi hujus acta omitteret, eorumque loco daret præfationem, qua una acta illa a reliquis discrepabant. Adjecit synopsim aliam decretorum e tabulis Zagrabiensibus derivatam. Idem & mihi pariter usurpo.

FRAGMENTUM PRÆFATIONIS IN ACTA CONCILII STRIGONIENSIS.

Sicut Doctor summus & egregius S. Augustinus testatur in libro de fide Christiana: Catholicam ecclesiam per orbem diffusam tribus modis existere comprobatur; quidquid namque tenetur in illa, aut est auctoritas scripturarum novi, & veteris testamenti, vel universalis Ecclesiæ traditio, aut institutio propria & particularis existit. Auctoritate vero scripturarum totaliter gubernatur: & universali traditione nihilominus regitur ipsa tota; privatis vero constitutionibus & propriis informationibus pro locorum varietate regitur unaquaque. Ea propter nos Demetrius, Dei & Apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Strigoniensis, Aulæque regiæ cancellarius, quæ ad informationem morum, & ecclesiarum nostræ Diœcesis profectum, ad delictorum cohercitionem sunt, prudentum participato consilio, & consensu fratrum nostrorum Dominorum de clero accedente, infrascriptas constitutiones edimus, prout temporum varietate credimus expedire; iptasque in cleri notitiam scriptis præsentibus duximus deferendas, & in hac synodo publicandas: mandantes easdem sub pœnis adjectis inviolabiliter observari, & super illarum observatione omnes & singulas personas ecclesiasticas, jure Diœcesano, primo & secundo & tertio, ac peremptorie admonentes, pœnasque spirituales, ac quascumque alias insertas ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc ipso facto publicantes, & proferentes in his scriptis contra ipsarum temerarios transgressores; constitutionesque ipsas interpretandi, & declarandi, & edendi, ac minuendi, & contra ipsas dispensandi nobis nostrisque successoribus facultate plenarie reservata.

SINOPSIS ACTORUM EJUSDEM CONCILII EX TABULIS ZAGABRIENSIBUS.

Inter acta concilii illud memoria dignum quod archidiaconi, digesto ordine numerum parochorum, animarumque eorum curæ subjectarum inire jussi sint; quem subinde ad Vicarium Generalem Strigoniensem deferrent. Episcopis (a) præterea canon statutus, ut Abbatum, præpositorum, canonicorum, & beneficiatorum suæ Diœcesis indiculum, annis singulis primati sisterent.

(a) Hinc discimus concilium hoc provinciale fuisse.

ANNO CHRISTI 1383.

CAMERACENSE CONCILIUM

In causa schismatis Romani

Anno 1383. habitum.

An. 1383. Ex eodem.

„ SUperius cum de concilio Medinæ Castrensis agerem, indiculum documentorum quorumdam in Colbertino codice descriptorum ex Baluzio dedi: Hæc inter monumenta extare notavi sermonem factum *pro sedando schismate per Guidonem cardinalem Pictavensem in synodo Cameracensi anno Domini MCCCLXXXIII. die prima octobris pontificatus Clementis VII. anno secundo.* (a) Habes hic concilium collectoribus hucusque ignotum; cujus tamen solum nomen superest, neque enim tractatus ille Guidonis Pictavensis, de hoc argumento quod legitur in Anecdotis Martene to. II. pag. 1193. idem esse potest cum oratione hac pro concilio habita, cum Benedicti pontificis meminerit, qui pontifex nonnisi anno 1394. cepit. Integræ tamen orationis hujus defectum utcumque supplent fragmenta ejus quædam apud Baluzium in notis ad vitas paparum Aveionensium to. I. pag. 1106. occurrentia. En unum.

(a) I. sexto

Ad

ANNO CHRISTI 1385.

Ad primam oppositionem seu objectionem de litteris respondeo &c. quod B. illas litteras petiit ab omnibus nobis. Responsum fuit ei, quod numquam de more sacrum collegium notificat per suas litteras electionem Romani pontificis principibus vel aliis, & sic se habet veritas. *Et paulo post*: Ipse tamen hoc non obstante cum omni instantia eas habere voluit; ad quem finem potes bene cogitare. *Et infra*: Immo etiam cum secundum stilum curiæ, quando collegium scribit, litteræ sigillantur solum sigillis trium prior trium ordinum tunc actu duo priores essent Italici, videlicet Dominus Florentinus & de Ursinis, suspicans quod propter nationem, de qua etiam erant, ipsorum testimonia reputarentur suspecta, petiit quod alii duo loco illorum sigillarent. Sed resistentibus Dominis Italicis, non potuit hoc obtinere, licet contristatus fuerit contra unum de Dominis. Satis propter evitandum omnem suspicionem & scandalum quod posset inde suscitari, litteras Domini concesserunt.

ANNO CHRISTI 1385.

Nonne etiam illi adversarii Dei & ecclesiæ falsissima miracula confinxerunt ad simplicem populum magis seducendum? Nonne dixerunt publice, quod Dominus noster papa Clemens statim quando ab intruso recessit, habuit signum talum impressum in facie, & hoc multis regibus & principibus per suas litteras conscripserunt, de hujus contrario per aspectum sui vultus evidens apparet? Nonne publicaverunt publice, quod in prima Missa quam celebravit, corpus Christi aufugit ab altari, cujus contrarium per duo millia testium ut ex testimoniis, qui in electione & coronatione ipsius præsentes fuerunt, manifestissime probaretur?

CONCILIUM SALTZBURGENSE

ANNO CHRISTI 1386.

In causa disciplinæ ecclesiasticæ tempore Dom. MCCCLXXXVI. Pilgrini archiepiscopi celebratum anno sub Urbano papa VI.

ANNO CHRISTI 1386.

TITULI CAPITULORUM

1. *De modo dicendi horas canonicas.*
2. *De absolutionibus impendendis.*
3. *De abutentibus indulgentiis a superioribus super absolutionibus concessis.*
4. *De modo absolutionis impendendæ in casibus dubitabilibus.*
5. *De habitu clericorum.*
6. *De eodem, & differentia habitus majorum ab inferioribus.*
7. *De munda conservatione rerum & vasorum Divino cultui deputatorum.*
8. *Ne mendicantes admittantur sine diœcesanorum licentia & testimonio litterarum.*
9. *De immunitate clericorum, & eorum rerum, ab impositionibus sæcularium dominorum.*
10. *Contra vilipendentes sententias excommunicationis.*
11. *De publicatione constitutionis Bonifacii VIII. contra recipientes pedagia a clericis.*
12. *De occupatoribus beneficiorum, & eorum bonorum.*
13. *De usurariis & eorum pœnis.*
14. *Ne clerici conveniantur coram sæcularibus judicibus.*
15. *Ne ignoti presbyteri admittantur ad Divina.*
16. *De notariis publicis.*
17. *Ut episcopi, prælati, & rectores, habeant quæstiones sigillatim.*

Hæc sunt instituta domini Pilgrini archiepiscopi Saltzburgensis, apostolicæ sedis legati, publicata in provinciali concilio Saltzburgensi, anno Dom. MCCCLXXXVI.

PRÆFATIO.

AD laudem & honorem ac gloriam nominis Dei ac salutem Dominici gregis nobis commissi: nos Pilgrinus Dei gratia archiepiscopus Saltzburgensis ecclesiæ, apostolicæ sedis legatus, Joannes Gurzensis, Fridericus Chiemensis, & Joannes Secoviensis, ecclesiarum episcopi, una cum aliis venerabilibus patribus ac procuratoribus suis, ac coepiscoporum nostrorum, & quorumdam aliorum prælatorum præsentium, nobiscum in hoc sacro provinciali concilio residentibus, ad correctionem excessuum & reformationem morum, diligenti ac matura deliberatione præhabita, infra scriptas constitutiones edidimus salubres & utiles, jure fundatas, æquitati consonas, & per quas subditorum servatur honestas: quas per locorum ordinarios prælatos, archidiaconos, & alios ecclesiarum rectores, per totam nostram provinciam publicari, & sub pœnis in eis contentis præcepimus inviolabiliter observari.

CAPITULA.

I. *De modo dicendi horas canonicas.*

QUia, ut accepimus, clerici diversi diversimode in horis canonicis & Divinis officiis diversum psallendi tenent modum, contra canonica instituta: volentes igitur huic morbo remedium apponere opportunum, districte præcipimus, ut ab omnibus & singulis clericis sæcularibus in psallendo idem modus & ordo in Divinis officiis & horis canonicis observetur, ita quod unusquisque in hoc suæ cathedrali ecclesiæ, sive fuerit regularis, sive sæcularis, rationabiliter se conformet. Si quis hujus constitutionis transgressor extiterit, per loci ordinarium, vel archidiaconum, canonica monitione præmissa,

ANNO CHRISTI 1386.

sa, ab ingressu ecclesiæ suspendatur. Religiosos vero in suis rationabilibus observantiis volumus remanere.

II. *De absolutionibus impendendis.*

Sanctione præsenti sub interminatione maledictionis æternæ districte prohibemus, ne aliqui majori excommunicatione innodatos, aut suspensos, vel in homicidio, furto, sacrilegio, falso testimonio, perjurio, incestu, instrumentorum & litterarum falsitate, & aliis casibus sedi apostolicæ, vel nobis specialiter, vel nostris suffraganeis, aut aliis competentibus judicibus reservatis, quæcumque præsumant absolvere, vel vota commutare. Quod si quis fecerit, ab officio suspendatur, donec pro superiorum arbitrio satisfaciat competenter.

III. *De abutentibus indulgentiis a superioribus super absolutionibus concessis.*

Cum interdum tam a sede apostolica, quam ex speciali indulo, plerisque gratiose concedatur, ut in casibus superioribus reservatis cum sibi subditis dispensare, ac eos absolvere, eisque pro modo culpæ pœnitentiam injungere valeant competentem.

Verum, quia nonnulli indulto hujusmodi abutentes, pœnitentias hujusmodi in pecuniarum proprium & bursalem quæstum vertunt: nos igitur attendentes, quod privilegium meretur amittere qui concessa sibi abutitur potestate: decernimus, hujusmodi indulgentias a nobis concessas, vel in posterum concedendas, post hujusmodi abusum esse nullas, vacuas & inanes: declarantes etiam absolutiones, quas tales abutentes impenderint, similiter fore nullas. Abutentes quoque eo ipso suspendimus a divinis; donec pro qualitate culpæ absolutionis beneficium a suis superioribus meruerint obtinere.

IV. *De modo absolutionis impendendæ in casibus dubitabilibus.*

Volumus, & omnibus ecclesiarum rectoribus districte præcipimus, ut in casibus dubitabilibus, præcipue periculum vel salutem animarum concernentibus, ad superiorem recurrant confidenter; vel saltem peritiores, vel sapientiores studeant super his diligenter requirere. Quod si non fecerint, & ex eorum incuria vel negligentia periculum aliquod emerserit, gravi subjaceant ultioni.

V. *De habitu clericorum.*

Quoniam per decentiam habitus extrinseci oportet clericos intrinsecam morum honestatem ostendere: districte prohibemus, ne aliqui clerici sine capucio capitis, bireto, capello, vel pileo cooperto, in ecclesia, seu alias in publico, præsumant incedere, cum hoc honestatem non deceat clericalem. Quod si quis contra fecerit, per superiorem acriter puniatur.

VI. *De eodem, & differentia habitus majorum ab inferioribus.*

Canonica testatur auctoritas, quod ex majore decore & majoritate ornatuum apparere debeat majoritas dignitatum. Hinc est quod firmiter inhibemus, ne clerici in publico utantur * vario, vel illud deferre præsumant, nisi in dignitatibus fuerint, vel canonici ecclesiarum cathedralium, vel in gradu magisterii scientiæ litterarum fuerint constituti. Adjicientes quoque, ne ipsi clerici, maxime non beneficiati, cincturis, corrigiis, aut peris auri vel argenti ornatum habentibus utantur, aut etiam veste, vel alio habitu indecenti.

* Vide Glossarium du Cangii verbo, *Varius*.

VII. *De munda conservatione rerum & vasorum Divino cultui deputatorum.*

In plerisque ecclesiis mappæ, pallæ altaris, corporalia, & alia vestimenta, ac vasa Divino cultui deputata, tam inculta, tam immunda relinquuntur, ut interdum quibusdam sint horrori, contra statutum concilii generalis. Et licet alias super his tam a viris, quam a legatis sedis apostolicæ, quam etiam a nostris prædecessoribus satis utiliter sit provisum: nos vero repetitis eorum constitutionibus, volentes expressius providere, universis custodibus, sacristis, ecclesiarum rectoribus, præcipimus, quatenus omnia vestimenta, ornamenta & vasa supradicta, per ipsos munda & nitida, & præcipue ecclesiastica sacramenta, sub clausura & fida custodia conserventur. Si quis vero in transgressione hujusmodi statuti culpabilis fuerit, usque ad condignam satisfactionem, ab officio suspendatur.

VIII.

ANNO CHRISTI 1386.

VIII. *Ne mendicantes admittantur sine diœcesanorum licentia & testimonio literarum.*

Quia religiosos, præcipue fratres mendicantes, decet puritatem omnimodam in suis actibus observare: quoniam tamen sæpe divagandi & dissolutionis materiam mutuantur, scandalum aliorum, & tamquam pseudo-prophetæ fabulosis prædicationibus audientium animos plerumque seducunt. Et quamquam invitis ipsarum ecclesiarum rectoribus, ipsi fratres, nisi per eosdem rectores vocati vel invitati ad hoc fuerint, de jure non audeant nec debeant prædicare: volumus tamen, quod nequaquam dicti rectores ipsos invitent vel admittant, nisi de proponendo verbum Dei a suis superioribus licentiam habeant, & de illa sæpe dictis rectoribus faciant plenam fidem. In civitatibus vero & diœcesi, in quibus ipsorum fratrum loca consistunt, ac in locis vicinis, nullatenus ad dictum officium prædicandi, vel ad audiendas confessiones admittantur, nisi * locis diœcesanis canonice præsentati fuerint prius & admissi.

*f. locorum

IX. *De immunitate clericorum & eorum rerum, ab impositionibus secularium dominorum.*

Cum ecclesiæ & ecclesiasticæ personæ, ac res ipsorum, non solum jure civili, quinimmo & canonico & Divino, sæcularium personarum talliis, collectis & exactionibus sunt immunes: nonnulli tamen ecclesiasticæ libertatis & immunitatis æmuli, hujusmodi libertatem offendere moliuntur. Nos igitur ipsorum ausus, quantum possumus, reprimere cupientes, statutum domini Joannis episcopi Tusculani, apostolicæ sedis legati, qui invasores & occupatores & detentores ecclesiasticorum bonorum, vel dantes in his auxilium, consilium, vel favorem, si postquam per ecclesiarum prælatos vel rectores requisiti fuerint, infra mensem non destiterint, vel de damnis datis non satisfecerint, ex tunc subjicit ecclesiastico interdicto, ad hujusmodi exactores, collectores, & talliatores, declaramus extendi, ut extendimus sanctionem præsentem: omnibus ecclesiarum prælatis & rectoribus, sub excommunicationis pœna, districte præcipientes, quatenus hujusmodi statuta inviolabiliter observent, ac nihilo minus singulis annis ter in suis ecclesiis fideli populo studeant publicare.

Conc. Salisburg. ann. 1291. c. 20.

X. *Contra vilipendentes sententias excommunicationis.*

Multi in profundum malorum venientes, adeo ecclesiæ claves & ecclesiasticæ censuræ sententias vilipendendo contemnunt, quod tam incorrigibiles plerique talium facti, in suæ damnationis periculum, in hujusmodi sententiis moriuntur. Quare statutum domini Friderici prædecessoris nostri, quod per omnes civitates & diœceses mandat tales sententias publicari per ecclesiarum prælatos, observari præcipimus, ut sic malignorum perversitatibus obvietur.

Conc. Salisburg. ann. 1347. c. 22.

XI. *De publicatione constitutionis Bonifacii VIII. contra recipientes pedagia a clericis.*

Constitutiones felicis recordationis Bonifacii papæ VIII. editas contra eos qui ab ecclesiis & ecclesiasticis personis, pro earum rebus propriis, quas non negotiandi causa deferunt, vel deferri faciunt, vel transmittunt, suo vel alieno nomine, pedagia vel quidagia exigunt vel extorquent: eosque qui in his culpabiles fuerint, si personæ sint singulares, excommunicationis, si vero collegium, civitatem, vel castrum, vel locum alterius concernit, interdicti sententiæ subjacere: per locorum ordinarios, prælatos, & archidiaconos, ac parochialium ecclesiarum rectores, præcipimus solemniter publicari: quemadmodum etiam in Viennensi concilio est provide constitutum.

Cap. clericis De immun. eccl. in 6.

Clement. Quoniam De immun. eccles.

XII. *De occupatoribus beneficiorum & eorum bonorum.*

Omnibus volumus esse notum, quod tam episcopi, quam alii ecclesiarum prælati, & quæcumque aliæ ecclesiasticæ personæ, qui bona vacantium dignitatum & ecclesiarum quarumcumque sibi subjectarum, seu ad collationem vel præsentationem eorumdem pertinentium, occupant, rapiunt, aut usurpant, vel in suos usus vertunt, ipsi episcopi ab ingressu ecclesiæ; inferiores vero, ab officio & beneficio de jure sint suspensi, donec de occupatis satisfaciant cum effectu: laici vero, sive judices fuerint, aut ecclesiarum patroni, bona hujusmodi rapientes vel usurpantes, juxta statutum felicis recordationis domini Fri-

Concil. Salisburg. ann. 1281. c. 19.

ANNO CHRISTI 1386.

Friderici prædecessoris nostri, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant: in locis vero ad quæ eadem bona delata fuerint, postquam hoc rectoribus ecclesiarum innotuerit, juxta ejusdem statuti tenorem tamdiu cessetur a Divinis, donec de ablatis congrue fuerit satisfactum.

XIII. *De usurariis & eorum pœnis.*

Apud multos ita crimen usurarum invaluit, quod nonnulli *. nullis negotiationibus vel laboribus student intendere, putantes sibi ex hoc licere, quod prælati, vel alii ecclesiarum rectores, in animarum suarum periculum negligunt id corrigere, ac per hoc in majoris damnationis laqueum se immergunt. Nos igitur recolendæ memoriæ domini Joannis Tusculani episcopi, legati sedis apostolicæ, ac aliorum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, qui crimen hujusmodi fuerint specialiter detestati: decernimus eosdem usurarios, postquam per suos rectores trina monitione nominatim moniti fuerint, & infra mensem ipsi ab eadem pravitate non destiterint, eo ipso excommunicationis sententiæ subjacere. Quapropter singulis ecclesiarum prælatis ac rectoribus distincte præcipimus, ut omnes manifestos usurarios moneant & inducant, quatenus ab hujusmodi pravitate intra unius mensis spatium curent studiose desistere, ac de perceptis satisfacere cum effectu. Quod si non fecerint, extunc excommunicati publice nuncientur. Certificentur nihilo minus, quod si hoc crimine sine satisfactione canonica * cautioni de satisfaciendo decesserint, Christiana careant sepultura. Ipsi quoque rectores, & scienter sepelientes eosdem, simili de jure excommunicationis sententia sint ligati. Declaramus insuper manifestos usurarios esse, de quibus est publica vox & fama, & certa sunt indicia & argumenta, quod pecunias mutuant ad usuras, easque recipiunt, vel fructus rei pignoratæ ex pacto vel alias sibi usurpant, vel imbursant, nec computant in sortem pecuniæ pignoratæ.

Concil. Salisburg. an. 1281. c. 23.

* f. vel cautione.

XIV. *Ne clerici conveniantur coram secularibus judicibus.*

Sæpe contingit, quod nedum laici, sed ecclesiarum prælati & alii clerici (quod dolentes referimus) alius alium ad sæcularia trahunt judicia contra canonicas & legitimas sanctiones: ex quo non modicum ecclesiasticæ libertati detrahitur, ac ecclesiæ plerumque in suis juribus & libertatibus grandia dispendia patiuntur. Nos volentes his malis, quantum possumus, obviare: decernimus, quod si prælatus, vel quivis alius clericus, alium prælatum vel clericum, vel etiam laicus quamcumque aliam ecclesiasticam personam, coram sæculari judice trahere vel convenire, aut tractus seu conventus sponte & judicialiter præsumpserit respondere: tam trahentes, quam tracti, ultra pœnas contra tales a jure prolatas, eo ipso se noverint excommunicationis sententiæ subjacere.

XV. *Ne ignoti presbyteri admittantur ad Divina.*

Firmiter inhibemus, ne presbyteri peregrini vel ignoti ad Missarum solemnia celebranda in publico admittantur, nisi per litteras testimoniales, vel canonice de ipsorum ordinatione ecclesiarum prælatis & rectoribus fiat fides.

XVI. *De notariis publicis.*

Placuit nostro sancto concilio, ut nullus se notarium publicum asserens, in officio tabellionatus aliquatenus admittatur, nec credatur ejus instrumento, nisi coram loci ordinario vel ejus officiali de suo officio faciant plenam fidem, cum sæpe ex notariis incognitis & imperitis grandia pericula soleant provenire.

XVII. *Ut episcopi, prælati, & rectores habeant * quæstiones sigillatim.*

* Forte Constitutiones H.

Dudum fuit in nostra provincia constitutum, ut episcopi suffraganei omnes, provinciales constitutiones habeant sigillatim, easque suis subditis, sicut juris est, studeant publicare. Verum, quia hujusmodi statutum, fructum modicum hucusque produxit: nos igitur illud ampliare, & pœnæ adjectione vallare volentes, ne ipsarum ignorantiam ipsi vel subditi prætendere valeant, vel quoslibet allegare; statuimus, & districte præcipiendo mandamus, quatenus omnes & singuli ecclesiarum prælati, archidiaconi, ac parochi ecclesiarum rectores, tam legatorum sedis apostolicæ, quam nostras & prædecessorum nostrorum constitutiones scriptas habeant, quas non habentibus de nostra cancellaria præcepimus

ANNO CHRISTI 1386.

pimus exhiberi, sub petentium tamen sumptibus & expensis. Quod si ipsi prælati & archidiaconi infra sex mensium spatium a data præsentium, rationabili causa cessante, ipsas per se vel alios non receperint, seu habuerint: ipsos & quemliber ipsorum, qui in hoc negligens vel remissus fuerit, eo ipso ab ingressu ecclesiæ suspendimus, donec a suo superiore absolutionis beneficium meruerit obtinere.

Acta sunt hæc Saltzburgi in nostro archiepiscopali palatio, anno Dom. MCCCLXXXVI. pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini, domini Urbani Divina providentia papæ VI. anno VIII. mense Januario.

ANNO CHRISTI 1386.

CONVENTUS EPISCOPORUM

ANNO CHRISTI 1387.

Apud Navarram.

ANNO CHRISTI 1387.

Ex Card. de Aguirre Tom. 3. Concil. Hisp. p. 510.

ANno Domini 1387. in Conventu Episcoporum & procerum apud Navarram, Clementem eo nomine VII. justum videri Pontificem pronunciatum, quod eatenus Aragoniæ exemplo factum erat, incertis, suspensisque principum & populi animis. Regum Galliæ atque Castellæ gratiæ id dari visum est, potiusquam ad veritatis atque æquitatis regulam B fatis expendi. Et extabat a Castellæ rege novum beneficium, redditis Valconi arcibus, quæ in ditione ejus Castellæ præsidiis magno numero obtinebantur: pecunia etiam, quam pater mutuam acceperat condonata. *Mariana de rebus Hispan. l.* 18. *c.* 11.

Ex Aguirre citato.

CONVENTUS EPISCOPORUM

Apud Barcinonem.

ANno Domini 1387. Barcinone in Episcoporum & procerum conventu schismatis causa agitata est diu multumque; Fundana comitia præferenda videri pronunciatum pridie nonas Februarii. Ergo Clemens omnium or- C dinum consensu atque lætitia Pontifex salutatur. Sic Hispaniæ multo maxima pars ejus auspicia sequebatur: novisque accessionibus factio ea vehementius confirmabatur. *Mariana de reb. Hisp. l.* 18. *c.* 11.

CONCILIUM SALTZBURGENSE PROVINCIALE.

ANNO CHRISTI 1388.

Celebratum Anno Christi MCCCLXXXVIII.

ANNO CHRISTI 1388.

Hartzheim Conc. Germ. to III. pag. 737. qui hæc refert ex Hansiz. Germ. Sac. to. II. pag. 404.

HIs ita peractis (*a*) deliberabatur de ferendis in Concilio proximo decretis. Optimum factu visum, ut a Doctoribus conficerentur tabulæ, quibus Episcoporum singuli ceram suam appenderent ante consessum. Id cum in finem excogitatum, uti viritim conventis eo promptior eliceretur consensus verecundia tergiversandi; deinde uti suis ipsi tenerentur sigillis ad excludendum pœnitentiæ locum. Itaque litteræ sanctionum ad singulos circumlatæ. Earum sententiam cum pauci scrutarentur, omnes tamen obsignarunt, excepto Leopoldo Seccoviensi. Ad eum, ubi ventum, nescio quid odoratus, negabat ante signaturum, quam vim litterarum pernosset. Quibus ei prælectis, quum intelligeret anathemate & interdicto se- E riundos de Clericis omnes, qui negotia laicorum Principum tractarent; præterea uti nemo ullus Episcoporum, Parochorum, aut Prælatorum, vel cujuscumque tituli, Provincialium cuiquam honorem feudi impertiat: neve in eo metum aut minas excuset: neque ipsi clientelam obsequium ulli despondeant: qui contra faxit, communione piorum careat. Alia præter hæc erant haud pauca, quæ Seccoviensi parum probabantur. Ille his cognitis ajebat se omnia, quæ viderentur æqua, facturum: illud tamen sibi reputandum esse, ne quid in fraudem Domini sui Ducis decerneret. Ad hoc se primum obstringi officio grati animi adversus eum, a quo adeo habeatur in honore, ut nulli unquam antecessorum suorum gratiæ majores a principibus obtigerint. Ejus consensu sibi opus esse: secus fore ut amissa gratia Principis Ecclesia sua luat. Hic eum Magister Henricus de Traveyach admonebat, si gratiam Principis retinere non posset, par esse, uti eum in gratiam Cleri dimitteret: neque recusandum ei esse pro commodo Archiepiscopi, & ejus Ecclesiæ utramque fortunam pati. Seccoviensis contra minime (inquit) mihi animus est, cuiquam ita deditum esse, ut Ecclesiam meam in exitium præcipitem. Quid quid de me sit; Ecclesiam meam destruere nolo. Ita res mecum habet,

(*a*) *Nempe elevatione corporis S. Vigilii.*

ANNO CHRISTI 1388.

bet, ut levissimus quisque Satellitum Ducis, si A eum faventem habeat, me possit impetere. Ego Ecclesiam tueri meam aque teneor, atque Archiepiscopus suam: quod si velit, ut more subjecti obtemperem, mihique accersam damna, id certe eget meditatu longiore, quam ut illico decerni possit. Hæc eo prædicante, tabellarii vehementer conturbati, bonis primum verbis hortando, monendo postremo terroribus eum obsidebant. Sed ipse nec precibus, nec legum canonicarum objectu, neque carceris interminatione subigi potuit, ut sigillum adpriméret. Hoc tandem unum impetrarunt, ut reciperet, adversus ea, quæ in Concilio respectu Cleri universalis magna seu parva sancirentur, vocem non missurum. Sileret certe, si B nolit assentiri; & alienationem animi ad alios ne vulgaret. Hic Leopoldus Seccoviensis, cujus toties mentio redit, is est, quem Fridericus Archiepiscopus e parochia Foganensi ad insulam vocaverat, probus admodum vir, nisi quod animi elatioris, & præcipitis (ut scribit Hornekius) Alberto idem duci diu charissimus, cujus beneficientia penuriam Ecclesiæ suæ multis nominibus a decessore contractis obæratæ sublevavit. Idem Archiepiscopo suo multis in rebus usui fuit, donec ille pecunias ratam ab eo pendendam (nam erat Vicedominus Leibnizensis) quadringentis marcis taxasset: ex eo namque studium ejus adversus Archiepiscopum refrixit, eodem teste.

Quum itaque dies Concilio præstituta venisset, consedere Patres: coram quibus cantatum sacrum solemne in Basilica Metropolitana. Deinde Episcoporum quidam ascenso pulpito sermonem fecit de laudibus obedientiæ. Post dictionem Archiepiscopus conversus ad Magistrum Henricum de Goff, imperavit, uti de rebus, de quibus tam conventum sit, orationem diceret, prolatis in medium legibus Canonicis, e quarum norma sanctiones conceptæ sint. Is, cum assurrexisset, fecit imperata, & quæ meditatus antea fuerat, explicavit. Archiepiscopus cum suffraganeis de rebus propositis in consilium ibat. Tum recitatum instrumentum sanctionum, id, quod antea circumlatum Episcopi sigillis muniverant. Quum primum tenor litterarum liquidius intellectus est, ibi plerique cohorruerunt, ac tædere cœpit eos rem non ante clarius detectam. At vero jacta jam erat alea: vellent, nollent, suis ipsis Syngraphis tenebantur. Postquam constitutio ad calcem perlecta, solemnibus cæremoniis decretis in transgressores diræ, & imperia Clericis imposita. Aderat his omnibus Abbas Admontensis, qui continuo se Salisburgo subduxit. Soluto Concilio mox omnes abitum properant. Peritis haud erat obscurum, quo statutum illud in Alberti Ducis odium comparatum, postremo evaderet.

C

CONCILIUM PALENTINUM

Sub præsidio Petri de Luna anticardinalis in Hispania, (quæ adhuc isto tempore Clementi antipapæ adhærescebat) celebratum, anno Domini MCCCLXXXVIII. tempore Urbani papæ VI.

Ex archivio Conchensi in Hisp. Extat etiam in Tolet.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De officio ordinarii.*
2. *De cohabitatione clericorum & mulierum*
3. *De clericis conjugatis.*
4. *De rebus ecclesiæ non alienandis.*
5. *De Judæis & Sarracenis.*
6. *De feriis per infidelas colendis*
7. *De adulteriis.*

Hæ sunt constitutiones reverendissimi in Christo patris ac domini, domini Petri de Luna sanctæ Mariæ in Cosmedin sacræ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis, in Hispaniarum partibus apostolicæ sedis legati, vulgariter cardinalis de Aragonia, vel de Luna nuncupati.

PRÆFATIO.

Petrus miseratione Divina sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis, apostolicæ sedis legatus, ad perpetuam rei memoriam.

QUia disponente patre luminum, ex injuncto nobis legationis officio curam gerimus cleri & populi Hispaniarum; circa illa attentis studiis ac studiosis affectibus libenter intendimus, per quæ subditorum mores dirigantur salubriter, & eorum actus devii in melius reformentur: ut sic illi suorum operum mo-

derentur habenas, quod accepti reddantur Altissimo, eisque salus perveniat animarum. Ad D ista igitur, ad quæ serventius nostra aspirat intentio, considerationis intuitum convertens, illustrissimi ac devotissimi principis domini Joannis regis Castellæ, Legionis, & Portugalliæ, nonnullorumque prælatorum regni Castellæ pulsati instantia habita super his cum aliquibus ex prælatis prædictis, & aliis viris providis & discretis, deliberatione matura, & discussione solerti, super quibusdam quæ correctionem & reformationem * agere videbantur, constitutiones infra scriptas edidimus: quas die datarum præsentium in ecclesia fratrum Minorum civitatis Palestinæ, post Missarum solemnia, in præsentia dicti regis, & aliquorum prælatorum dicti regni, clericorum & laicorum circumstante multitudine copiosa, fecimus publicari. Et licet post publicationem hujusmodi non sit necessitas præfatas constitutiones singulorum aurib us inculcare: ne tamen aliquis ab earum E observatione se valeat per accuratam ignorantiam quomodolibet excusare, venerabilibus in Christo patribus, Toletano, Compostellano & Hispalensi archiepiscopis, ac Burgensi. Legionensi, Ovetensi, Carthaginiensi, Palentinensi, Calagurritano, Osomensi, Seguntinensi, Segobiensi, Conchensi, Cordubensi, Gienensi, Zamorensi, Salamanticensi, Abulensi, Civitatensi, Caurensi, Placentinensi, Pacensi, Gadicensi, Astoricensi, Aurienſi, Lucensi, Mindonensi,

* f. correctione & reformat. agere.

Tu-

ANNO CHRISTI 1388.

Tudensi, episcopis, in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus ipsas constitutiones in suis cathedralibus ecclesiis, infra duorum mensium spatium postquam eis fuerint præsentatæ, clericis ac religiosis ordinis cujuscumque, exemptis infra eorum diœcesim existentibus, auctoritate nostra ad hoc specialiter convocatis, & deinde quolibet anno, vel in synodis per eos celebrandis, vel in dictis ecclesiis, semel ad minus solemniter & integraliter faciant publicari, & *earum observantiam dent, in quantum ad eorum spectat officium, operam efficacem. Volumus insuper, quod prædictæ nostræ constitutiones ad observantiam sui ligent omnes archiepiscopos & episcopos supradictos, prout in eis de archiepiscopis & episcopis cavetur expresse, ac personas sæculares quascumque, & ecclesiasticas etiam & religiosas ordinis cujuscumque, exemptas & non exemptas, infra civitates & diœcesim dictorum archiepiscoporum & episcoporum constitutas, post duos menses a tempore publicationis faciendæ in præfatis ecclesiis cathedralibus numerandos.

*f. ad earum obs.

CAPITULA.

De officio ordinarii. Rubrica I.

IN vinea Domini sabaoth cultores immeriti positi, & custodes, sic in culturæ ac custodiæ nos debemus ministeriis exercere, ut ad eadem alios in partes sollicitudinis evocatos sedulo studio excitemus. Extirpandis igitur vitiorum spinis & peccatorum tribulis, quæ superficiem ejus obumbrasse videntur, ac plantandis virtutum germinibus, in quibus Dominus delectatur, totis affectibus intendentes: monemus & hortamur omnes archiepiscopos, episcopos, & alios quoscumque jurisdictionem ecclesiasticam habentes & exercentes, eorumque vicarios, provisores, officiales, & alios ipsorum loca tenentes, quocumque nomine censeantur, ut circa correctionem clericorum conjugatorum & non conjugatorum, in quibuscumque ordinibus constitutorum, cujuscumque dignitatis, gradus, vel conditionis existant, qui crimina vel maleficia commiserint, diligenter observent canonica instituta. Et si crimina commissa, fuerint capitalia, vel talia pro quibus ea perpetrans capitaliter puniendus: officialis, vicarius, provisor, aut quivis alius vicem gerens archiepiscopi, episcopi, vel prælati, aut is ad quem ratione sui beneficii vel officii hoc spectat, vel ejus locum tenens, clericum conjugatum vel non conjugatum, ordinis, dignitatis, gradus vel conditionis cujuscumque, talia committentem absque correctione & castigatione debita non relaxent, absolvant, vel abire permittant, aut castigando, corrigendo vel puniendo remissi aut negligentes existant. Alioquin malitiose deficientes in præmissis, si beneficiati fuerint, a perceptione fructuum & redituum beneficiorum quæ obtinent, sint suspensi per annum, & per idem tempus efficiantur inhabiles ad quodcumque beneficium ecclesiasticum obtinendum. Si vero beneficiati non fuerint, per idem tempus ad obtinendum ecclesiasticum beneficium reddantur inhabiles ipso facto.

II. *De cohabitatione clericorum & mulierum*. Rubrica II.

Speciosus forma præ filiis hominum, & plenus gratia, fons virtutum, gloriosus sponsus ecclesiæ Jesus Christus, inter alia sanctitatis insignia, quibus sponsam ejus inclytam insignivit, gloriosam constituit castitatem, ut in illa, sine qua nullum opus bonum existit, sponsa ipsius & ministri ejus eidem sponso virgini, nato de virgine, vitæ puritate fulgentes devotione supplici deservirent. Sed nonnulli clericorum & religiosorum, famæ suæ & salutis immemores, cum concubinis publice vitam ducunt enormiter dissolutam: super quo bonæ memoriæ Guillermus episcopus Sabinensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis in partibus Hispaniæ apostolicæ sedis legatus, cupiens salubriter providere, quamdam constitutionem provide edidit, quæ antiqui hostis procurante versutia usquequaque non extitit observata. Propter quod nos adversus hujusmodi vitium providere de salubri remedio cupientes, monemus omnes & singulos clericos & tam sæculares, quam regulares beneficiatos, & non beneficiatos, cujuscumque dignitatis, gradus, status, ordinis vel conditionis existant, ne concubinas in domo propria aut aliena publice audeant detinere. Contrarium vero facientes sint inhabiles, dum sic, ut præfertur, tenuerint publice concubinas, & per duos menses sequentes postquam etiam easdem dimiserint realiter cum effectu, ad quoscumque sacros ordines recipiendos, & quodcumque ecclesiasticum beneficium obtinendum, etiamsi beneficium patrimoniale, vel capellania fuerit temporalis: ut sic ordinum receptorum per id tempus careant executione, & collatio beneficiorum eis facta infra dictum tempus, sit nulla, vacua, & irrita ipso jure, si ipsas concubinas tempore receptionis dictorum ordinum, aut collationis beneficii seu beneficiorum eis

Conc. apud Vallemoleti ann. 1322. c. 7.

ANNO CHRISTI 1388.

factæ, vel infra terminum duorum mensium antea tenuerint, ut præfertur. Volumus insuper, quod beneficiorum collatores, in litteris per eos concedendis super collationibus ipsorum beneficiorum, etiam patrimonialium, teneantur apponere clausulam subsequentem, videlicet: Nostræ tamen intentionis existit, quod si tempore collationis per nos de hujusmodi beneficio vel beneficiis tibi factæ aut infra terminum duorum mensium ante, publicus concubinarius fueris, præsens nostra collatio nullius sit roboris vel momenti. Si autem collator prædictam clausulam omiserit, volumus quod collatio beneficii vel beneficiorum, etiam non concubinario per eum facta, sit nulla & irrita ipso jure. Nihilo minus collator, etiam si archiepiscopus vel episcopus fuerit, qui hujusmodi clausulam in litteris per eum concedendis super collatione alicujus beneficii seu beneficiorum, etiam non concubinario facta, non apposuerit, vel apponi fecerit in collatione per se facta, vel per alium vice sui, sit ipso facto ab ejusdem beneficii vel beneficiorum collatione suspensus, & ejusdem beneficii vel beneficiorum collatio ea vice ad superiorem proximum devolvatur. Adjicientes etiam, & insuper statuentes, prout Guillermus episcopus Sabinensis & legatus præfatus statuit: quod quicumque clerici aut religiosi, qui post duos menses a publicatione constitutionis hujusmodi in ecclesia cathedrali, de cujus diœcesi existunt, facienda numerandos, concubinam seu concubinas modo prædicto detinuerint, vel dimissam seu dimissas, aut aliam seu alias admiserint, si beneficiati existant, tertia parte fructuum omnium beneficiorum quæ pro illo tempore obtinent, ipso facto sint privati. Si vero per alios duos menses, prædictos duos immediate sequentes, in eodem crimine continuaverint vitam fœdam, alia tertia parte. Et si forsan Dei timore contempto, per alios duos menses, prædictos quatuor immediate sequentes, in peccato permanserint memorato, reliqua tertia parte fructuum dictorum beneficiorum omnino privati existant. Præcipientes eisdem, quod aliquam partem fructuum prædictorum, postquam ipsa vel ipsis, ut prædicitur, privati fuerint, manus temerarias aliquatenus non extendant. Et si forsan contrarium attentaverint, sub obtestatione extremi judicii prælatis eorum tam diœcesanis, quam aliis, districte

A B C D E

ANNO CHRISTI 1388.

præcipimus, quod ad restituendum quidquid de prædictis tertiis fructuum seu ipsorum aliqua, postquam modo prædicto privati existant, occupaverint, seu detinuerint vel assumpserint, per censuram ecclesiasticam & alia juris remedia ipsos compellere non omittant. Quod si forte prædicti clerici vel religiosi concubinarii, adhuc ad cor non redierint, sed nostrum contemnentes mandatum, se ostenderint tam execrandæ turpitudinis amatores: suis prælatis prædictis & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub animarum suarum periculo, districte præcipimus & mandamus, quod * infra quatuor menses post supradictos sex menses, continue numerandos, transgressores prædicti concubinas præfatas omnino non dimiserint, easdem vel alias ulterius non admissuri, eos beneficiis suis privent, ipsosque in limo peccatorum tam fixos, donec se correxerint, & postea per duos menses, inhabiles esse denuncient ad quoscumque superiores ordines recipiendos, & ad quæcumque beneficia ecclesiastica obtinenda. Volumus etiam, quod si quis de prædictis, postquam beneficio seu beneficiis privatus fuerit modo prædicto manus rapaces extenderit ad dictorum beneficiorum fructus, seu ad aliquam eorum partem, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto, a qua non possit absolvi, nisi de sic occupatis restitutione integra, & beneficii seu beneficiorum quibus privatus fuerit, ut prædicitur, dimissione plenaria, prius factis. Insuper prædictæ ordinationi adjicimus, quod dicti concubinarii qui tempore mortis, vel per duos menses ante, publice, ut præmittitur, concubinas habuerint, sint intestabiles, & bona eorum tam mobilia quam immobilia, etiam patrimonialia, & quæcumque alia, sint confiscata, postquam declaratum fuerit eos publicos concubinarios modo prædicto fuisse, & sic pœnam incurrisse prædictam: & tam ipsi quam ipsæ concubinæ careant ecclesiastica sepultura, nisi per duos menses ante mortem sine fraude ab invicem cum effectu fuerint separati. Quorum bona, etiam patrimonialia, & fructus beneficiorum prædictorum, in tres partes dividantur: quarum tertia pars fabricis ecclesiarum, in quibus beneficiati fuerint vel fuerit; alia vero tertia ordinario diœcesano, reliqua vero tertia pars pro captivis redimendis, qui ab infidelibus detinentur, applicetur, & applicatæ sint ipso facto, postquam de-

* f. si infra.

ANNO CHRISTI 1388.

declaratum hoc fuerit ut præfertur. Quod si forte propter confiscationem & privationem prædictorum fructuum beneficiorum concubinariorum ipsorum viventium ecclesias contigerit Divinis & aliis debitis obsequiis graviter defraudari: volumus quod dictos fructus vel partem eorum, prælatus ad quem spectat, Divinis officiis, ac aliis debitis servitiis dictarum ecclesiarum applicet, prout viderit expedire. Super quo prælatorum conscientiam oneramus. Quæ quidem tertia pars redemptioni prædictæ applicata, per fratres de Mercede & de Trinitate ordinum exigatur & levetur, & per ipsos in dicta redemptione captivorum fideliter dispensetur: de quibus, diœcesanis episcopis, de his quæ in ipsorum diœcesi, prædicta de causa receperint, teneantur reddere rationem. Quod si in hujusmodi dispensatione vel administratione culpabiles reperti fuerint aut remissi, per eosdem diœcesanos auctoritate nostra corrigantur, privilegiis non obstantibus quibuscumque: statuentes nihilominus, quod prædicti ecclesiarum prælati pœnas præmissas diligenter exigant, & per duos viros idoneos, per eos in propriis diœcesibus deputandos, levari & recolligi faciant, distribuendas juxta modum & formam superius ordinatos. Volumus insuper & mandamus, quod prælati in civitatibus & diœcesibus suis testes deputent synodales, qui per diœceses veritatem inquirant super omnibus supradictis, & ea quæ repererint, quam citius potuerint suis prælatis in synodis, quam annuatim propterea celebrari jubemus, vel ipsis in remotis agentibus, eorum vicariis, semel teneantur anno quolibet nunciare, ne iidem prælati excusationem prætendere seu ignorantiam aliquam valeant allegare.

De clericis conjugatis. Rubrica III.

Cum in jure statutum existat, quod clerici conjugati, qui cum unicis & virginibus contraxerunt, si tonsuram & vestes deferant clericales, privilegium obtineant canonis ab Innocentio papa II. editi in favorem totius ordinis clericalis, & pro commissis ab eis excessibus vel dictis non possint a sæcularibus judicibus personaliter, aut etiam pecunialiter condemnari; & nonnulli ex prædictis clericis conjugatis, ut fide dignorum relatione percepimus, tonsuram aut vestes deferant honestati ordinis clericalis minime congruentes: ideo statuimus, quod clericus conjugatus, qui gaudere voluerit privilegio supradicto, tonsuram seu clericam quantitatis inferius descriptæ deferat, vel majorem; & vestem superiorem non virgatam aut bipartitam, quæ tamen usque ad medietatem tibiæ, vel ultra, in longitudine protendatur. Tonsuræ autem formam, ad omnè ambiguitatis tollendum dubium, hic fecimus circumscribi: quam in eadem mensura per singulos prælatos, seu eorum vicarios vel officiales, jubemus imprimi loco utique publico & patenti, in valvis ecclesiarum cathedralium & aliarum majorum ecclesiarum locorum insignium diœcesum earumdem.



De rebus ecclesiæ non alienandis. Rubrica IV.

Execrandæ alienationis abusum, quo prælati & aliæ personæ ecclesiasticæ, maxime in regnis & terris Castellæ subjectis existentes, administrationem ecclesiarum & rerum ecclesiasticarum habentes, loca, vassallos, grangias, & alias possessiones, decimas, primitias, redditus, proventus, & juria, & bona alia ad ecclesias, ordines, monasteria seu alia pia loca quibus præsunt, spectantia, personis sæcularibus sub colore & titulo commendæ, ut per eosdem ab aliorum oppressionibus defendantur, vel aliis confictis causis, propria auctoritate subjiciunt, & tributaria reddunt in perpetuum vel ad tempus, cum sit in Dei offensam, & ecclesiarum, ordinum, monasteriorum & locorum prædictorum, grave damnum, introductum, ac sacris canonibus inimicum, abhorrentes & merito reprobantes, universos archiepiscopos, clericos, abbates, priores, & magistros ordinum militarium, commendatores, & quoscumque eccle-

ANNO CHRISTI 1388.

siarum & rerum ecclesiasticarum administratores, maxime in regnis & terris præscriptis existentes, cujuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis existant, sub excommunicationis pœna monemus & hortamur, ut constitutiones in Lugdunensi & Viennensi conciliis super hoc editas, in commendis jam factis de rebus supradictis perspicue attendant, & diligenter observent: quas commendas super interminatione anathematis de cætero fieri prohibemus. Nos enim, si secus actum seu attentatum fuerit, id decernimus irritum & inane.

De Judæis & Sarracenis.
Rubrica V.

Etsi Christiana religio Judæos & Sarracenos ex eo non debeat abjicere, quia nostri conditoris imaginem constat eos habere; quia tamen ex eorum frequenti communione, experientia docente novimus, damna corporibus, & animabus fidelium pericula & scandala plurima provenisse: deliberatione provida statuimus, ut Judæi & Sarraceni inter Christianos, vel Christiani inter Judæos vel Sarracenos, domos, hospitia, seu alia receptacula in quibus habitent, nullatenus permittantur habere: sed in civitatibus & locis ubi certæ limitationes sunt, eisdem Judæis & Sarracenis deputatæ, reducantur ad eas, & infra ipsas constituant habitationes suas. Ubi vero Judæi & Sarraceni prædicti ad habitandum non habuerint hujusmodi limitationes seu terminos deputatos, limitentur & assignentur eisdem partes aliquæ in civitatibus & locis prædictis a Christianorum habitationibus separatæ, infra quas reducant se, nec extra prædictam limitationem permittantur quomodolibet commorari; nisi forte sint aliqui Judæi & Sarraceni mercatores, vel alii quæcumque officia aut opera mechanica exercentes, seu merces vendentes, quos pro hujusmodi operibus exercendis & mercibus vendendis, in plateis vel in aliis locis publicis civitatum & locorum ubi existunt, permittimus habere operatoria, tentoria, tabularia seu boticas: dum tamen intra loca eis deputata, vel in posterum deputanda, domos seu habitationes principales cum filiis & uxoribus teneant, ad quas se de nocte reducant. Christiani autem, qui intra limitationem Judæis vel Sarracenis assignaram vel assignandam habitare præsumpserint: si infra duos menses a die publicationis præsentium factæ in ecclesia cathedrali civitatis vel diœcesis ubi moram trahunt, se ad commorandum inter Christianos reducere non curaverint, ad id per censuram ecclesiasticam compellantur. Judæis vero & Sarracenis, si infra dictum terminum duorum mensium ubi limitatio est facta; vel postquam dictæ limitationes de ordinatione & voluntate domini regis, vel cujuscumque alterius domini ecclesiastici vel temporalis civitatis vel loci, factæ fuerint, se ad easdem reducere noluerint vel neglexerint, Christianorum communio subtrahatur.

De feriis per infideles colendis.
Rubrica VI.

Cedit in opprobrium religionis Christianæ, quod Judæi & Sarraceni inter Christicolas habitantes, diebus Dominicis & festivis mercimonia vendere, & artificia ac mechanica opera exercere publice non verentur. Cum autem hoc in Divinæ majestatis offensam non sit a Christi fidelibus aliquatenus tolerandum: ipsis Judæis & Sarracenis, ne mercimonia vendere, aut qualitercumque artificia, seu opera mechanica exercere præsumant diebus Dominicis & festivis, qui per Christianos coluntur, districtius inhibemus, & ad id compelli per locorum ordinarios ac judices sæculares, sub quorum jurisdictione Judæi & Sarraceni vivere dignoscuntur, per subtractionem communionis fidelium, & alias pœnas temporales, auctoritate qua fungimur, præcipimus & mandamus. Quod si sæculares judices negligentes fuerint in præmissis, ad hoc per censuram ecclesiasticam compellantur.

De adulteris. Rubrica VII.

In paradiso voluptatis, ubi primum parentem creaverat creator omnium gloriosus, matrimonium hac lege instituit, ut sic vir per consensum legitimum feminæ jungeretur, quod duobus existentibus in carne una, aliam personam quæ unitatem divideret, superaddere non liceret. Hanc unitatem nonnulli conjugati, Dei timore postposito, deturbantes, sicut equus & mulus quibus non est intellectus, concubinis se commiscere in suarum animarum damnationem publice non verentur. Contra quos præfatus Guillermus episcopus Sabinensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ

ANNO CHRISTI 1388.

ecclesiæ cardinalis statuit & ordinavit, ut quicumque conjugatus concubinam publice detinere præsumeret, & insuper non conjugatus, qui concubinam infidelem præsumet detinere, tam ipsi quam ipsæ, eo ipso sententiam excommunicationis incurrent. Nos vero dictam constitutionem innovantes, tam prædictos, quam conjugatos, qui cum adulteris publice commiscentur, & ipsos adulteros, prædictæ excommunicationis sententiæ decernimus subjacere. Volentes insuper, quod, nisi adulteri & alii suprascripti præfatas concubinas, vel conjugatæ dictos adulteros, per duos menses ante eorum vel earum obitum dimiserint, & se ab eisdem sine fraude separaverint, etiamsi tempore obitus sui vel antea fuerint a dicta excommunicationis sententia absoluti, nihilo minus tam ipsi quam ipsæ careant ecclesiastica sepultura.

Datum Palentiæ sub sigillo nostro pendenti, IV. Nonas Octobris, Indictione 11. pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Clementis Divina providentia papæ VII. anno 10. & a nativitate Domini 1388. Istæ constitutiones fuerunt publice denunciatæ in ecclesia fratrum Minorum Palentinorum die 4. mensis Octobris, anno a nativitate Domini 1388. Indictione 11. pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Clementis Divina providentia papæ VII. anno decimo, præsentibus rege, archiepiscopo Compostellano, Ovetensi, Legionensi, Calagurritano, Palentino & Zamorensi episcopis, & cleri & populi multitudine copiosa.

PANORMITANUM CONCILIUM

Provinciale.

An. 1388.

Anno 1388. habitum.

Mansi Sup. to. III. pag. 666.

Constitutiones facta, & ordinata in concilio provinciali per Rev. in Christo patrem D. D. Ludovicum (1) Archiep. Panormitanum de consilio, & assensu Rev. D. Matthæi ep. Agrig. (2) Francisci quondam ep. Mazarensis, (3) & D. Ludovici de Guidicefacio in dicto concilio locumtenentis DD. Antonii (4) Melevitani, celebrato in Urbe Panormo, cum consensu, & assensu sacræ regiæ (5) Majestatis die X. Novemb. XII. indictione An. Dom. MCCCLXXXVIII.

Capitula de pertinentibus ad divinum cultum.

Extrusum est Panormi in libro de quo in notis.

In primis ordinamus, quod omnes clerici beneficiati, infirmitate corporali non gravati, veniant ad omnes horas omni die: canonici vero in ecclesiis cathedralibus teneantur venire in omnibus diebus dominicis, & feriis duplicibus, & semiduplicibus ad missam & primas & secundas vesperas: ad matutinum vero in dictis diebus veniant, quando commode poterunt interesse, supra quo eorum conscientiam oneramus: si quis vero ipsorum canonicorum defuerit prædictis diebus (in) aliqua dictarum horarum, videl. missæ & vesperarum, ipso facto sit privatus communia (a) unius mensis, & applicetur servientibus canonicis: cæteri vero clerici & sacerdotes inferiores, si defuerint die aliquo, seu hora, puniantur per eorum diœcesanos secundum quod eis secundum Deum videbitur expedire, plus vel minus secundum rationem defectus, & cogant ipsi diœcesani clericos in aliis ecclesiis sine cura beneficiatos servire ecclesiæ cathedrali secundum proportionem redditum cujuscumque.

De redditibus canonicorum, & clericorum non servientium, in ecclesia expendendis & distribuendis inter personas servientes.

Item statuimus, & ordinamus, quod redditus & proventus canonicorum, & clericorum non servientium, & residentium, saltem per tres partes anni, qui non fuerint actu in studio generali theologiæ, decretorum, seu legum, per diœcesanos ipsorum expendantur, & distribuantur inter personas idoneas, quæ servierint ecclesiæ in divinis officiis in supplementum dictorum non residentium, seu non servientium, ut jura canonica mandant, ita quod redditus canonicorum absentium præsentibus, & servientibus applicentur, si ibi fuerint canonici servientes: redditus vero aliorum clericorum non canonicorum absentium aliis clericis servientibus tribuantur ad arbitrium ipsorum episcopi.

Capitula de pertinentibus ad honestatem, & vitam clericorum, quod clerici non teneant concubinam.

Item ut in omnia honeste, & secundum Deum fiant in clero totius nostræ provinciæ Panormitanæ, prohibemus universis, & singulis totius nostræ provinciæ clericis cujuscumque status, aut gradus existant, tenere concubinam seu fornicariam mulierem publice in domo propria, vel aliena: qui vero contrarium fecerit, a suo diœcesano a divinis officiis, & beneficiis ecclesiasticis suspendatur, taliter suspensus restitui non possit, nisi dumtaxat fornicaria muliere primitus a suo remota consortio, & injuncta pro delicto pœnitentia salutari: qui vero sic suspensus a divinis præsumpserit divina & ecclesiastica ministrare sacra, aut divinis in ecclesia officiis interesse, tamquam irregularis effectus omnibus beneficiis ecclesiasticis expolietur, prout jura canonica mandant.

Quod

ANNO CHRISTI 1288.

Quod clerici non intrent in tabernam in locis & terris, in quibus habitant, & de prohibito ludo taxillorum.

Item prohibemus omnibus clericis, beneficiatis, seu in sacris ordinibus constitutis intrare tabernam ad comedendum in locis, & terris, in quibus faciunt residentiam, nec ludant ibi ad aleas, vel taxillos, aut inhoneste in nuptiis laicorum chorizent, sub pœna unciæ unius persolvendæ diœcetano suo.

De prohibita portatione armorum per clericos.

Item prohibemus omnibus clericis nostræ provinciæ arma portare publice, vel occulte in terris, in quibus resident: quod si contrarium fecerint, per suum diœcetanum ab officio, & beneficio suspendantur; & quibus hæc pœna non competit, careant tertio moniti privilegio clericali.

Quomodo clerici habeant portare capillos, barbam, & coronam.

Item mandamus omnibus clericis nostræ provinciæ beneficiatis, & non beneficiatis, canonicis, rectoribus, & aliis quacumque dignitate fulgentibus, quod portent capillos usque ad aures tantum, & non infra aures, pertonsos, barbamque rasam, vel tonsam, & coronam portent in capite congruentem, magnam: qui vero contrarium fecerit in aliquo præmissorum, tertio monitus a suo diœcesano suspendatur ab administratione sacramentorum, & cui hæc pœna non competit, tertio monitus careat privilegio clericali.

Confirmatio prædictorum capitulorum.

Capitula suprapposita sunt prædecessorum nostrorum scilicet Rev. Patris arch. Matthæi, (b) & Episc. Rogeri Mazar. & Agrig, quæ in nullo immutamus; sed ea de novo confirmamus ac varietate temporis suadente, modificamus, & addimus, & alia de novo facimus, prout licet, quia quæ de novo emergunt &c.

De habentibus duos canonicatus.

Capitulum prædecessorum nostrum quod incipit: *Item statuimus* &c. volumus penitus observari in canonicis unius Ecclesiæ tantum: in aliis vero canonicis duarum Ecclesiarum, si Metropolitanæ fuerint, & suffraganeæ per tres partes anni serviant metropolitanæ, & per residuum suffraganeæ; ubi vero habuerint duos Canonicatus in Ecclesiis inferioribus metropolitanæ per dimidiam partem anni deserviant uni, & per aliam partem alteri.

Quod nemo retineat maritatam in domo sua.

Capitulum quod incipit: *Item quod omnia honeste*, & volumus penitus observari in non maritatis: in maritatis quidem volumus, quod si quis temeritate propria præsumpserit in domo sua retinere, ab officio, & beneficio fore suspensus, quam volumus ipso facto incurrere, si post viginti dies a tempore publicationis præmissorum statutorum de domo propria non expulerit.

Quod canonici & clerici quotam eis contingentem habeant in distributionibus cotidianis secundum merita eorum.

Item quia secundum jura canonica qui altari servit de altari vivere debeat, qui ad onus eligitur, a mercede repelli non debeat, statuimus & ordinamus, ut tam Canonici, quam Clerici nostræ majoris ecclesiæ Panormitanæ Metropol., quam quarumcumque aliarum ecclesiarum nostræ Provinciæ secundum eorum meritorum exigentiam de distributionibus cotidianis quotam eis contingentem recipere debent, quod arbitrio eorum superioris relinquatur.

Quod nullus Clericus assumat Cappellaniam, nec Missam sine licentia superioris.

Item quod nullus Sacerdos audeat assumere cappellaniam, nec missam de continuo vel ad certum tempus ut Cappellanus celebrare in aliquo loco exempto, nec in Collegio sæcularium sine expressa licentia sui superioris, & contrarium faciens, sit ipso facto a Divinis suspensus.

Quod quilibet beneficiatus saltem semel in hebdomada celebret, vel celebrari faciat in suo beneficio.

Item quod quilibet clericus beneficiatus saltem semel in hebdomada debeat per se, vel per alium in dicto beneficio, quantumcumque minimo, Missam celebrare, & in casu, quo stabiliter in dicto beneficio celebrare, vel celebrari facere non posset, prout est dictum, celebret, vel celebrari faciat in majori Ecclesia, vel Parochia, infra cujus limites extiterit prædictum beneficium, & si beneficium abundaverit in fructibus, pluries teneatur celebrare arbitrio superioris: & qui præmissa adimplere negligerit, privetur fructibus dicti beneficii, & contribuantur alicui idoneo Sacerdoti pro prædicta celebratione.

De recipiendis Ordinibus.

Item quod nullus ordinatus in minoribus ordinibus seu sacris debeat ad ordines prædictos recipi, nisi per eosdem ordinatos litteræ eorum ordinationis in eorum testimonium ostendantur; & recipientes contra tenorem hujus constitutionis, arbitrio sui superioris puniantur.

De non percipiendis fructibus Ecclesiæ, nisi prius habitis litteris Episcopalibus, & per executorem habeatur possessio.

Item quod nullus promotus per ordinarium ad aliquam dignitatem, canonicatum, vel beneficium cum cura, vel sine cura debeat se miscere, vel administrare, seu fructus Ecclesiæ ad quam est promotus, percipere, nisi prius habitis litteris episcopal:, & per exequutorem datum in suis litteris, habeat possessionem, & contrarium faciens ipso facto a dignitate, canonicatu, vel beneficio sit suspensus. Quod stante clerico per annum in habitu laicali non deferente tonsuram clericalem, beneficio privetur. Quod si quis clericus beneficiatus, quan-

ANNO CHRISTI 1288.

quantumcumque de cætero monitus non fuerit, in habitu laicali per annum permanserit, vel tonsuram clericalem non detulerit, aut canonicas horas, seu officium divinum, & nocturnum Dominicæ dicere neglexerit, aut se secularium negotiis immiscuerit a divinis obsequiis se totaliter abstinendo, ipso facto, sit beneficio, vel beneficiis suis privatus, & Prælatus talia beneficia retinere possit, & valeat legitime conferre tamquam beneficia vacantia.

De non procurandis negotiis sæcularium per clericos sine licentia superioris.

Quod nullus clericus audeat, nec valeat sine licentia sui superioris negotia alicujus secularis procurare: quod si quis contrafecerit, ab officiis, & beneficiis suspendatur.

Quod nullus clericus vendat vinum manibus propriis.

Item nullus clericus publice in domo sua, vel aliena manibus propriis vinum vendat ad minutum, nec etiam volentibus bibere in eodem loco, per alium vendi facere audeat; & contrarium faciens ab officio, & beneficio suspendatur.

De prohibita conjuratione contra prælatum.

Item quod nullus clericus cujuscumque gradus, vel conditionis existat, faciat conjurationem, vel conventiculum, seu conspirationem per se, vel per alium facere præsumat contra eorum prælatum, vel ejus ecclesiam, vel aliam personam ecclesiasticam, quod ipsorum respiciat incommodum in persona, vel rebus sub pœna excommunicationis, quam volumus ipso facto incurrere; nec per alium absolvi, quam per nostrum Metropolitanum.

De prohibito exercitio mercantiarum, & emptionum vel venditionum ad tempus.

Item quod nullus clericus cujuscumque gradus, status, aut conditionis existat, debeat mercantias exercere, nec emere, vel vendere res aliquas ad tempus plusquam communiter valent, vel similiter valituras, & contrarium facienti actio in prædictis contractibus denegetur.

De modo indumentorum portandorum per clericos.

Item quod nullus clericus cujuscumque gradus debeat indumenta rubra, vel viridia apportare, nec cappucceos de scarlato, nec subtilares cum punta (*d*), nec corrigias de argento, nec annulos, nisi quibus ex dignitate competit, sub pœna amissionis rei prohibitæ.

De exemptione clericorum.

Item quod nullus clericus, qui se exemptum existimaverit, privilegio exemptionis gaudere possit, nisi illud per ordinarium, vel ejus metropolitanum, sicut justum videbitur, fuerit approbatum.

De non discedendo sine litteris dimissoriis.

Item quod nullus clericus, cujuscumque gradus, status, vel conditionis existat, egrediatur extra regnum sine litteris dimissoriis, sub pœna privationis beneficiorum ipsorum: non beneficiati autem sui superioris arbitrio puniantur.

Quod nemo petat beneficium vacaturum, nisi corpus decedentis sit prius sepultum.

Item quod nullus clericus per se, vel per alium, nomine suo vel de sua scientia, & voluntate petat beneficium vacaturum, nisi prius corpus decedentis traditum fuerit sepulturæ; qui si beneficiatus extiterit, perdat fructus beneficiorum suorum per annum; si vero beneficiatus non fuerit, sit per sex menses a divinis suspensus.

De non impediendis redditibus alterius beneficialis.

Item quod nullus clericus, cujuscumque status, vel conditionis existat, debeat occupare, seu occupari facere, vel impedire redditus vel proventus beneficii alterius beneficialis quocumque modo vel occasione sub pœna privationis beneficiorum suorum; si beneficialis non fuerit, sui superioris arbitrio puniatur.

De non sepeliendis defunctis in cimiteriis religiosorum mendicantium sine permissione parochialis ecclesiæ.

Item constituimus, & ordinamus, quod cappellani, & ecclesiarum rectores non permittant Religiosos mendicantes quoquo modo funera, seu defunctos in eorum cimiterio sepelire sine permissione ecclesiæ parochialis, ac maxime pueros minores decedentes intra annum, consuetudine aliqua allegata in contrarium non obstante, sub pœna arbitraria; & si dicti Religiosi contrarium facere præsumpserint, dicti cappellani recursum habeant ad ordinarios, qui debeant procedere contra tales Religiosos, prout erit juris opportunum.

Quod quando quis sepelitur in Ecclesia de jure non cimiteriata, tres partes ceræ acquirantur parochiali ecclesiæ.

Item quod si aliquis de disciplina elegerit sepeliri in ecclesia eorum non de jure cimiteriata, quod tres partes ceræ portatæ in funere, quomodocumque portentur, acquirantur ecclesiæ Parochiali, cujus defunctus extiterit Parochianus; reliqua vero pars attribuatur cappellano servienti ecclesiæ, in qua eliget sepeliri, reservato jure cathedralis ecclesiæ, jure vel consuetudine introducto. Si quis huic constitutioni transgressor extiterit, sui superioris arbitrio puniatur.

De quarta parte legatorum ad pias causas episcopis acquirenda.

Item quod de omnibus legatis ad pias causas, quomodocumque, vel qualitercumque, & in quibusque casibus, factis, debeatur quarta episcopis, ubi jure, vel consuetudine solvitur, non

ANNO CHRISTI 1388.

non obstante statuto, seu constitutione a quibuscumque cujuscumque gradus, status, & conditionis existant, quas volumus per istud capitulum irritari, & nullas censeri: & contrarium facientes, seu observantes, arbitrio sui superioris puniantur.

De non donandis, & concedendis ad emphyteusim, vel ad longum tempus bonis ecclesiarum.

Iten. quod nullus clericus, seu rector alicujus ecclesiæ, & etiam abbas, seu abbatissa, audeat, nec debeat inconsulto suo prælato ad emphyteusim concedere bona suæ ecclesiæ, vel monasterii, nec etiam ad longum tempus scilicet quinquennium locare; & contrarium faciens puniatur arbitrio sui superioris, & talis concessio sit de jure nulla.

De reparandis ecclesiis per beneficiales.

Item quod quilibet clericus, seu persona ecclesiastica debeat reparare ecclesias suas, & etiam reficere, ac earum bona secundum competunt facultates dictorum beneficiorum, nec permittere ipsas ad ruinam pervenire, & si ejus culpa seu negligentia aliquod prædium ruinam passum fuerit, per superiorem cogatur ad reficiendum tale prædium sui culpa dirutum, & alias ad arbitrium sui superioris puniatur.

Quod canonici in minoribus ordinibus constituti infra annum debeant ad sacros ordines promoveri.

Item quod nonnulli canonici tam in nostra Panormitana ecclesia, quam in aliis suffraganeis ecclesiæ nostræ in minoribus instituti ad sacros ordines promoveri contempserint, & sic per eosdem in nullo dictis ecclesiis deservitur; statuimus, ut de cætero unusquisque canonicus dictarum ecclesiarum infra annum, postquam possessionem sui canonicatus & præbendæ pacifice fuerit adeptus, debeat ad sacros ordines promoveri; & illi qui nunc in dictis ecclesiis in minoribus ordinibus sunt constituti, debeant post celebrationem præsentis capituli infra menses sex ad sacros ordines promoveri; alias si præmissa adimplere neglexerint, seu noluerint, ipso facto perdant fructus præbendæ suæ, quousque ad sacros ordines promoveantur.

De non revelando id quod in capitulo ordinatum & dictum fuerit.

Quod nullus canonicus quod in capitulo fuerit ordinatum, vel capitulariter dictum, audeat extra capitulum revelare: quod si qui contrafecerit, per hanc constitutionem decernimus fructibus canonicatus per annum fore privatum; & qui denunciaverit illum revelantem secreta capituli, habeat tertiam partem dictorum fructuum, & credatur dicto denunciantis cum unico teste tantum.

Sequens concilium fiat secunda dominica mensis novemb. XIV. indictione anni proxime futuri.

Ludovicus Dei, & Apostolicæ sedis gratia Panormitanus Archiepiscopus, licet immeritus, venerabilibus abbatibus, Prioribus, archipresbyteris, archidiaconis, canonicis, præpositis, & ecclesiarum rectoribus, necnon presbyteris, diaconis, subdiaconis, & aliis clericis universæ nostræ provinciæ salutem in Domino, qui est salus simul vivorum, & mortuorum.

Cum virtutes nobis naturaliter ignotas ætas in tantum tenetur corrumpere, quod nisi fuisset scientia divinitus inspirata, non immerito homo sine privaretur Deifico; & quia propter hominum varias imaginationes dilucide ipsarum nodus nequit perfecte decidi, attendentes nos esse ex injuncto nobis officio adstrictos curis solitis maxime clericorum, & eorum scandala, in quantum possumus removere, quoniam ad hoc positi sumus, ut subjectorum corrigamus errores, & de ipsis in districto judicio tenemur reddere rationem: assistentibus nobis reverendis, & in Christo patribus suffraganeis episcopis Matthæo Agrigentino, & Francisco Magarensi, necnon & domino Ludovico Dejudicefacio, vicegerenti episcopi Melevitani, ac de eorum consilio congregata synodo, prout nobis jure injungitur, constitutiones juribus papalibus non dissonas, sed effectu consonas edere non omisimus; quas in provincia nostra per clericos in eadem existentes, ut supra, observari mandamus, pœnis inferius adnotatis: mandamus Rev. suffraganeis nostris ut in suis synodis prædictas constitutiones debeant publicare, quas synodos ab isto die infra sex menses præcipimus celebrari.

Datum Panormi in nostro Archiepiscopali Palatio anno domini 1388. X. mensis Nov. XII. indict.

ANT. MONGITORIS V. CL.

NOTÆ.

Constitutiones &c. per Patrem Eminum Dominum Ludovicum Archiep. &c.

Hoc concilium diu M. S. vagavit, ejusque meminere constitutiones Synodales cardinalis Jannettini ab Auria an. 1634. part. 3. cap. 10. pag. 106. Martini de Leon & Cardenas part. 3. cap. 7. pag. 118. & Jacobi de Palafox part. 2. cap. 7. pag. 129. Demum in lucem emisit P. Joannes Maria Amatus in libro inscripto de *Principe Templo Panormitano* edito Panormi anno 1728. lib. 13. cap. 2. a pag. 429. ad 436.

(1) *Ludovicum* &c. Ludovicus Bonitus Archiep. Panormitanus qui ecclesiæ Panormitanæ præfuit ab an. 1383. ad 1392. Ex Pirro in Not. eccl. Panorm. pag. 159. De eo plura in nostra Bibl sect. 42. pag. 18.

(2) *Matthæi episcopi Agrigent.* Matthæus Fugardus Panormitanus episcopus Agrigentinus. Pirrus in not. pag. 196.

(3) *F. Episcopus Mazariensis.* Franciscus de regno Ord. Prædicat. episcopus Mazariensis. Pirrus in not. Magar. pag. 508.

(4) *A. Episcopi Melevitani.* F. Antonius episcopus Melitensis. Pirrus in not. eccl. Melit. pag. 595.

(5) *Sacræ Regiæ Majestatis.* Mariæ Siciliæ Reginæ. Ex eodem Pirro in Chronolog. regum Sic. pag. 79.

(a) §. 1.

(a) §. 1. *Ipso facto sit privatus communia &c. communia &c.* Distributio Choralis a præsentibus acquirenda.

ANNO CHRISTI 1388.

(b) §. *Capitula supraposita &c. Archiep. Matthei.* Matthæus Ursinus archiep. Panormit. qui præcessit Ludovico Bonito ab an. 1371. ad an. 1380. Ex Pirro in not. eccl. Panorm. pag. 158.

(c) Rogerii Mazarien. &c. Rogerius a ..... Ord .. Min. episcopus Agrigentinus ab an. 1327. ad 1382. Pir. not. Mazar. pag. 108. Ex his colligitur aliud concilium coactum anno 1327. vel 1373. hoc enim in temporis spatio vacabat ecclesia Meliten. ideoque in hoc præcedenti Concilio episcop. Meliten. non interfuit.

(d) §. *Item quod nullus clericus &c. debeat indumenta rubea apportare &c. nec sutilares cum punctis &c.* Calceos acutos vocat Innocentius III. cap. 15. de vita, & honestate clericorum.

ANNO CHRISTI 1389.

CONCILIUM PROVINCIALE APUD S. TIBERIUM

ANNO CHRISTI 1389.

Anno Domini MCCCLXXXIX. celebratum.

Ex Martene Ancd. Tom. IV. Ex Crassa tabulis.

VEnerabile concilium provinciale de mandato reverendi in Christo Patris & domini domini nostri Narbonensis archiepiscopi celebratum anno millesimo trecentesimo octogesimo nono, die vicesima sexta Julii, cum aliquibus diebus sequentibus, congregatum in loco S. Tiberii Agathensis diœcesis, in quo interfuerunt venerabiles, & profundæ scientiæ viri domini infra scripti, videlicet pro dicto domino archiepiscopo concilium mandante, & capitulo ejusdem, venerabilis & circumspectus vir dominus Joannes *Picorlati* licentiatus in decretis, vicarius generalis & locum tenens dicti domini archiepiscopi Narbonensis; Item pro domino episcopo Biterrensi dominus Petrus *Cisrebani* licentiatus in legibus, sacrista Biterrensis; Pro domino Magalonensi capitulo & clero, dominus Bartholomæus *Squivorie* licentiatus in decretis, & bacalaureus in legibus, vicarius & officialis Magalonensis; & dominus Pontius de Saldairaco camerarius, & bacalaureus in decretis; pro domino Carcassonensi, capitulo, & clero ejusdem, dominus Amymericus *Apperati* canonicus, & sacrista ecclesiæ Carcassonensis; Pro domino Electensi dominus Jacobus *de Bax* licentiatus in decretis, prior major, vicarius & officialis ejusdem; Pro domino Agathensi, capitulo, & clero ejusdem, dominus Joannes Fau ..... licentiatus in decretis, & officialis ejusdem; Pro domino Lodovensi, dominis capitulo, & clero; dominus Joannes *Mas* in legibus licentiatus, vicarius, & Guillelmus de Rocasello canonicus Lodovensis; Pro domino Nemausensi, capitulo, & clero dominus Bernardus *Marchesii* canonicus, operarius Nemausensis; Pro domino sancti Pontii Thomeriarum, capitulo & clero, dominus Matthæus de Fardeto canonicus S. Felicis Legotersii, infirmarius S. Pontii; Pro domino Uticensi, capitulo, & clero, dominus Martinus *Martousii*, bacalaureus in decretis, viceofficialis Uticensis, Valneolarum; Pro domino abbate S. Tiberii dominus Raimundus *Auriveletii* infirmarius dicti monasterii; Pro domino Abbate Villæ-longæ dominus Petrus *Salmerii* vestiarius S. Tiberii; Pro domino priore de Cathiano dominus Guillelmus Natalis eleemosynarius de Cassiano; Pro domino abbate de Quadraginta dominus B. de Conchis; quibus insimul congregatis, per dominum Vicarium Narbonensem quinque sunt proposita.

I.

Rex Narbonam veniens quomodo suscipiendus.

Primum, de modo servando super receptione domini nostri Regis cum declinabit ad partes istas in suo ingressu civitatum & locorum dictæ provinciæ, per quæ transibit. Super quo puncto fuit conclusum per dictum concilium, quod cum omni honore & reverentia in civitatibus & locis, per quæ transibit, recipiatur per dominos prælatos eorumdem, si præsentes existant, cum toto eorum clero; vel ipsis dominis prælatis absentibus, per majores ecclesiarum cathedralium & aliarum, & alios clericos processionaliter honeste, & laudabiliter recipiatur.

II.

Secundo fuit propositum per dictum dominum vicarium de incæniis, donis, vel muneribus fiendis domino nostro regi per clerum dictæ provinciæ in suo jucundo adventu, si universaliter nomine totius provinciæ vel particulariter fierent. Super quo fuit conclusum per dictum concilium quod universaliter nomine totius cleri dictæ provinciæ nulla fiant munera dicto regi; si vero prælati, vel aliæ personæ ecclesiæ, civitatum, & locorum, per quos transibit, particulariter de provisionibus suis dare voluntarie voluerint, faciant quod eis videbitur.

III.

Mittendi ad papam ut ecclesiastica gravamina medentur.

Tertio fuit propositum per dictum dominum vicarium de mittendis quibusdam notabilibus personis ad dominum nostrum papam, ad supplicandum suæ sanctitati, quod non dignetur amplius concedere impositiones, nec alia gra-

ANNO CHRISTI 1389.

gravamina super personis ecclesiasticis capto termino, ad quod tempus dictus dominus noster concesserat, quod expirabit in Aprili proxime venienti; nec non ad quærendum remedia ab ipso domino nostro super nonnullis gravaminibus quatenus spiritualitatem tangunt, & per ipsum remedium apponi potest. Quæ gravamina in rotulo continentur. Et ad supplicandum eidem quatenus dignetur recommendare ecclesias & personas ecclesiasticas totius provinciæ Narbonensis domino nostro regi in suo jucundo adventu. Super quo fuit conclusum per dictum concilium, quod ad dictum dominum nostrum papam pro præmissis explicandis accedat dominus episcopus Sancti Pontii; & si nolit, vel non possit accedere, dominus abbas sancti Policarpi; & in ejus defectu dominus abbas Villæ-longæ; & cum altero eorumdem accedat dictus dominus sacrista Biterrensis. Pro stipendiis vero eorumdem fuit ordinatum per dictum concilium, quod dicto domino episcopo sancti Pontii dentur pro singulis diebus octo floreni; alteri vero dictorum dominorum abbatum tres floreni; & dicto domino sacristæ duo floreni quamdiu in dicto viagio essent.

IV.

De redimendis privilegiis ecclesiasticis.

Quarto fuit propositum per dictum dominum vicarium de redimendis quibusdam privilegiis per inclytos bonæ memoriæ LUDOVICUM & PHILIPPUM reges Francorum clero & nobilibus concessis, ac per modernum dominum nostrum regem confirmatis; quæ sunt valde utilia toti clero, & sunt in depositum penes dominum RAIMUNDUM GOMBAUDI militem de Biterris, ex causa centum quingenta Francorum, quos petit vicecomes Narbonæ. Super quo fuit conclusum per dictum concilium, quod dicta privilegia omnia redimantur. Et licet clerus solverit totum quod debebat, & tantum restet per nobiles, determinavit dictum concilium, quod si nobiles noluerint solvere, quod clerus illam summam restantem, vel majorem, si de illa possit concordari cum dicto vicecomite solvat; dictaque privilegia ex post publicentur & executentur taliter quod personæ ecclesiasticæ ipsis indigentes se possint juvare. Et fuit commissum per dictum concilium dominis vicario & sacristæ Biterrensibus, quod super redemptione eorumdem intendant apud dominum vicecomitem.

V.

De recommendis scripto gravaminibus ecclesiasticis.

Quinto fuit propositum per dictum dominum vicarium, quod cum plura & diversa gravamina inferantur ipsi clero per officiales & curiales regis & quosdam alios sæculares, quod illa quæcumque sint ponantur per clerum singularum diœcesum in scriptis, & demum quod remedia opportuna petantur a domino nostro papa, in quantum ipsum tangit, & per ipsum potuerit remediari, & a domino nostro rege & ejus consilio in partibus istis degente, & quod ita fiat, determinavit concilium.

VI.

De pecuniis a clero exigendis ad prosequenda ecclesiastica negotia.

Item, cum tertium, quartum & quintum capitulum per dictum dominum vicarium proposita demandari non possint executioni sine pecuniis, fuit conclusum & ordinatum per dictum concilium, quod indicatur in tota provincia Narbonensi unum tallium de mille francis incontinenti levandum, & in singulis diœcesibus exigendum pro quota sua, prout per dictum concilium extitit ordinatum, videlicet.

VII.

Primo videlicet dominus Narbonensis cum suo clero totius diœcesis 280.. dominus Biterrensis 135.. dominus Magalonensis 110.. D. Uticensis 40.. dominus Agathensis 65.. dominus Electensis 60.. dominus Carcassonensis 125.. dominus Nemausensis 70.. dominus Lodovensis 60.., dominus S. Pontii 65.. super prosecutione negotiorum quæ debent apud regem, vel concilium suum, in partibus istis finiri, conclusum est, quod committatur procuratori cleri ad prosequendum dicta negotia, videlicet dicto domino sacristæ Biterrensi ad vadia duo floreni pro dieta quando vacabit extra civitatem Biterrensem. Qui quidem procurator juravit in manibus dicti domini vicarii bene & fideliter se habere.

VIII.

De receptore pecuniarum.

Item fuit ordinatum, quod in Narbona sit unus receptor generalis pecuniarum pro prosequendis negotiis commu-

ANNO CHRISTI 1189.

munibus totius provinciæ, videlicet dominus Joannes Narbonesii licentiatus in decretis, habitator Narbonæ, cui alii levatores singularum diœcesum, ad mandatum suorum superiorum, pecunias necessarias ministrabunt; & quod dictus receptor teneatur interesse in singulis conciliis provincialibus, & reddere rationem de administratis; cui satisfiet de labore prout erit rationis.

IX.

De habendis litteris regis.

Item fuit ordinatum, quod habeantur quædam litteræ regis impetratæ cum aliis, per dominum Narbonensem, quas dictus dominus vicarius Narbonensis promisit suffraganeis communicare, continentes rationem consuetudinum, usus & stili introductorum per nonnullos officiarios, in præjudicium libertatis ecclesiasticæ.

X.

Item fuit ordinatum, quod habeantur quædam litteræ regiæ quæ sunt penes dominum S. Pontii continentes multa utilia pro clero.

XI.

Item, habeatur copia quarumdam litterarum regiarum quas habet dominus Lodovensis, ut obtineantur similes pro tota provincia.

XII.

De advocato Parisiis habendo.

Item, videtur concilio fore expediens, quod constituantur Parisiis advocatus & procurator pro prosecutione negotiorum totius provinciæ Narbonensis.

XIII.

De celebrando concilio provinciali.

Item fuit ordinatum, quod supplicetur domino Narbonensi, quod singulis annis celebretur concilium provinciale.

XIV.

De confirmatione prædictorum.

Item fuit ordinatum, quod dominus vicarius obtineat litteram a domino Narbonensi, quæ corroboret & confirmet omnia superius ordinata per concilium.

ANNO CHRISTI 1189.

XV.

Item, quod dominus Narbonensis scribat domino sancti Pontii, ut velit accedere ad curiam Romanam.

XVI.

Item, quod dominus Narbonensis scribat domino nostro papæ, ut habeat clerum provinciæ Narbonensis commendatum, in quibus suffraganei subscribant.

XVII.

Item, quod tertia pars tallii sit levata per totum mensem Augusti.

ROTULUS GRAVAMINUM DE QUIBUS SUPRA.

I.

Et primo, quod licet de consuetudine approbata & diutius observata clericus possit trahere laicum coram officiali ecclesiastico, & præsertim in actione personali; nihilominus dicti officiales regis prædicta impediunt & perturbant, inhibendo judici ac etiam parti sub certa pœna.

II.

Item, impediunt ne laicus sacrilegus, propter violentam manuum injectionem temere in personam ecclesiasticam, respondeat coram judice ecclesiastico, & per ipsum pecunialiter.

III.

Item, recipiunt in burgesia clericos solutos, & impediunt quominus judex ecclesiasticus ipsos puniat & corrigat.

IV.

Item, impediunt ne burgensis pro piis & ecclesiasticis causis, vel alias, juramento, vel bona fide interveniente, trahatur aliquo modo coram judice ecclesiastico, nec permittunt corrigi de criminibus per dictos burgenses commissis ante burgesiam, ipsis in burgesia existentibus.

ANNO CHRISTI 1389.

A

V.

Item, capiunt temporalitatem, & temporalia bona dictorum prælatorum, & aliarum personarum ecclesiasticarum, absque causæ cognitione, parte non vocata, & aliquoties litigiosa informatione non præcedente.

VI.

Item, capiunt & incarcerant, & omnem jurisdictionem exercent in locis, in quibus prælati & aliæ personæ ecclesiasticæ habent jurisdictionem omnimodam dictis dominis prælatis, & personis ecclesiasticis, aut eorum officialibus penitus irrequisitis.

B

VII.

Item, impediunt ne cessetur a divinis pro clericis captis quos restituere nolunt.

VIII.

Item, requirunt carceragium a prædictis clericis per eos captis.

IX.

Item, si contingat clericum conjugatum in habitu & tonsura incedentem, vel solutum capi per judicem ecclesiasticum, statim impetrabitur a curia regia littera, ut vel talem restituat, vel certa die compareat coram judice sæculari portaturus secum informationes una cum processu.

C

X.

Item, si quis obligatus bona fide, vel juramento interveniente, si obligatus citetur, & præcenseat ipsum trahi coram judice ecclesiastico, ratione bonę fidei, vel juramenti, intimabit hoc judici regio, qui injunget trahere volenti, vel trahenti, sub certa pœna, ne ipsum trahat coram judice ecclesiastico.

D

XI.

Item, si quis in testamento pro anima sua aliquid ecclesiæ reliquerit, prætendit judex sæcularis locum esse præventioni.

E

XII.

Item, morantur notarii & servientes regis in propriis locis prælatorum, & personarum ecclesiasticarum, ubi habent omnimodam jurisdictionem officiandi ibidem.

XIII.

Item, judices, commissarii, & servientes regis sæpissime faciunt præconisationes & pignorationes in subditos prælatorum pro talliis sive debitis, sine officialium prælatorum requisitione.

XIV.

Item, prætendunt judices regis, quod nullus alius judex potest cognoscere de criminibus servientium, talliatorum & aliorum officialium regis, nec consilium universitatum, vel suorum propriorum officialium.

XV.

Item, commissarii & notarii facientes executiones in terris prælatorum, sunt inhumaniter excessivi in salarii exactione.

XVI.

Item, quod communitates tallias magnas imponunt in propriis locis prælatorum & subditorum eorumdem, & alia onera sine eorum requisitione faciunt, in magnum eorum præjudicium, & jurisdictionis læsionem.

XVII.

Item, prædictæ communitates, consules, sive syndici contra juris dispositionem imponunt onera ecclesiasticis personis, & earum bonis quibuscunque.

XVIII.

Item, officiales regis non permittunt personis ecclesiasticis jurisdictionem habentibus, capere eorum auctoritate clericos delinquentes, nisi ipsis vel eorum curiæ prius requiratur.

XIX. Item,

ANNO CHRISTI 1389.

XIX.

Item, si persona ecclesiastica emerit ut persona privata, vel alio justo titulo acquisiverit aliquas possessiones, compelletur amortisare, vel solvere, seu contribuere talliis universitatum.

XX.

Item, si ecclesia habeat aliquas possessiones in emphiteosim, si postmodum retineat, petunt amortisationem.

XXI.

Item, si ecclesia diminuerit census aliquarum possessionum pro eo quod possessiones sunt deterioratæ, petunt amortisationem.

XXII.

Item, si contingat aliquem in sua ultima voluntate aliquas possessiones relinquere pro cappellis fundandis, in quibus possessionibus rex nihil recipit, sed ecclesia tantum, per gentes regis petitur amortisatio.

XXIII.

Item, gravantur viri ecclesiastici, quia solvunt impositiones, quartam vini, gabellam salis, & plura alia a jure prohibita, & prætendunt habere causæ cognitionem, & de facto volunt habere juramentum ab ipsis.

XXIV.

Item, si contingat vendere aliquibus beneficiatis percipientibus qualibet die tertia quotam vini, exinde petitur quarta pretii, ac si in taberna vendetur.

ANNO CHRISTI 1390.

EXCOMMUNICATIONES

LATÆ A NICOLAO BERUTO EPISC. TARVISINO

Die Jovis Sancti anno 1390.

Ex Archivo Tarvis.

FRater Nicolaus Berutus ord. Prædicatorum Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Tarvisinus universis, & singulis prælatis, & Clericis cujuscumque præeminentiæ vel status existant, salutem in eo, qui est omnibus vera salus. Pastoralis cura sollicitudinis nobis divinitus injuncta compellit nos invigilare animarum remediis subjectorum eorumdem pro periculis obviare. Sane cum nonnulli a jure communi in excommunicationis sententiam incidant ipso facto, & aliqui ex constitutionibus Reverendissimi in Christo Patris Domini Guidonis Cardinalis olim Apostolicæ Sedis Legati in partibus Lombardiæ, & aliqui ex constitutionibus provincialibus, & sinodalibus: Ea propter casus aliquos duximus exprimendos. Et volentes sequi vestigia, quæ in hac die jovis sancta observat sancta Romana Ecclesia, præsentes litteras nostras dictos casus aliquos continentes in missarum solemnis coram Clero, & populo fecimus publicari, & ex notitia earum boni peccare recusent, & mali ignorantiam prætendere non valeant de præmissis.

In primis singulares personæ, quæ pedagia & guidagia ab Ecclesiis, seu personis Ecclesiasticis aut rebus suis propriis, quas non causa negotiandi deferunt, exigunt, vel extorquent suo nomine, vel etiam alieno, excomunicationis; collegia, universitates Civitatis, Castri, vel loci, interdicti sententias ipso facto incurrunt.

Item, injicientes manus violentas in clericos cujuscumque ordinis.

Item, omnes hæretici utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, & fautores, & receptores & defensores eorum, ac credentes.

Item, illi, qui scienter ad invicem contrahunt matrimonia in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, constitutione canonica interdictis, aut cum monialibus, & etiam religiosi, moniales, & clerici in sacris ordinibus matrimonia contrahentes.

Item, illi impii Christiani, qui contra ipsum Christum, & populum Christianum Sarracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt galearum.

Item, omnes clerici, qui occupant beneficia sine competenti institutione illius, ad quem pertinet.

Item, omnes clerici, qui blasphemant Deum, beatam Virginem, vel aliquem Sanctorum.

Item, omnes clerici, qui sine licentia Episcopi Thesaurum, vel alia bona Ecclesiæ suæ pignorant, vendunt, vel alienant.

Item, omnes moniales, quæ absque licentia Episcopi monasteria sua exeunt.

Item, quicumque Clericus Religiosus, seu secularis, cujuscumque conditionis existat, monasteria, claustra monialium intrare sine licentia episcopi præsumpserit.

Item, quicumque denegaverint solvere Ecclesiis,

ANNO CHRISTI 1390.

clesiis, & earum Rectoribus decimas, vel quartesias.

Item, Sacerdotes, qui non recepta sufficienti cautione, manifestis usurariis & non assignatis libris usurarum, sine Episcopi, vel ejus Vicarii dederint Ecclesiastica Sacramenta.

Item, layci occupantes quoquomodo Ecclesiam.

Item, quicumque detentores, & occupatores jurium, & privilegiorum Ecclesiarum.

Item, omnes Clerici Concubinarii, qui post monitionem in Concilio, vel alias generaliter, vel specialiter factam de ipsis non tenendis, ipsas non dimiserint intra tempus in constitutionibus Domini Legati contentis.

Item, tenentes plura beneficia incompatibilia in eadem Ecclesia, vel alibi, ubicumque sine dispositione (sic) legitima.

Item, tenentes parvulos in lecto, qui sint ann. minores.

Item, multi alii, ut in certis juris articulis continetur, quos omnes & singulos declaramus, & denunciamus fore excommunicatos, juxta morem, & ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris omnium & magistræ.

Millesimo trecentesimo nonagesimo, indictione tertia decima, die jovis ultimo mensis martii, qui est dies Jovis sancta in missarum solemniis Tarvisii in Ecclesia Cathedrali, dum populi multitudo affuit copiosa, præsentibus sapiente Viro Domino Aldigerio de la Turre legum Doctore, sapiente Viro Domino Andrea de Soncino Decretorum Doctore, Ser Covolato Not. condam Gerardi de curte de Summoncio, Nicolao not. condam ser Bartholomæi de Crespano notarii, ser Bonfrancisco condam ser Guidoti de Adelmario testibus, & aliis. Circumspectus Vir Dominus Presbyter Zammatheus Mansionarius Ecclesiæ Tarvisinæ de mandato suprascripti Domini Episcopi Tarvis., has præsentes litteras publice alta voce legit, & publicavit in Missarum solemniis coram ipso Domino Episcopo Tarvisino, Clero, & toto populo tunc adstantibus ad Altare majus ipsius Ecclesiæ, & de ipsa publicatione dictus Dominus Episcopus tunc mandavit mihi not. infrascripto, ut scribere debeam publicum instrumentum.

Et ego Bartholomæus quondam ser Mathæi de Villa Civis, & habitator Tar. not. publ. imperiali auctoritate, & tunc Nos, & officialis Episcopalis curiæ Tarvisinæ prædictus interfui, & de mandato dicti Domini Episcopi hæc omnia scripsi, legi, vidi, & publicavi, signo, & nomine meis solitis roboravi.

VITA

BONIFACII PAPÆ VIII.

VULGO IX.

Bonifacius hujus nominis juxta vulgi opinionem IX. Petrus antea vocatus, natione Neapolitanus, ex illustrissima Tomacellorum familia oriundus, communibus omnium suffragiis anno ætatis suæ 45. ut probabilius observavit Panvinius, quam Platina, ad pontificatum ascitus est IV. Nonas Novembris, anno 1389. tempore Wenceslai imperatoris. Omnem populi Romani gubernandi rationem soli papæ reservavit. Clemente antipapa mortuo, cardinales schismatici Petrum quemdam de Luna in ejus locum fecerunt, & Benedicti XIII. nomen imposuerunt. Perusii, inter nobiles & populum magna suborta est discordia, ad quam extinguendam pontifex eo se contulit: sed vel parum vel nihil effecit. Nam populus furore percitus, eo plus minus nobiles crudeliter occidit. Hac injuria Bonifacius se læsum sentiens, Assisium concessit, & per legatos Galeotio duci persuasit, ut Mantuam obsidione solveret. Jubilei anno appropinquante, Romani suis precibus apud pontificem institerunt, ut ad Urbem reverteretur. Quod ut facilius impetrarent, Banderesios destituerunt, eorumque loco Malatestam Pisaurienſis domini filium senatorem delegerunt. Ad Urbem pontifex reversus, arcem sancti Angeli munivit, mœniaque & turres restituit, & sic paulatim dominatu Urbis potitus est. Annus Jubilei 1400. cum incredibili hominum affluentia celebratus est. Paulo ante Romam venerat presbyter quidam cum certo hominum numero, quos Blanchos vocabant: quem tamquam hæreticum exuri mandavit. Annatarum imponendarum primus auctor fuit: ex quibus cum ærario ecclesiæ plurimum accesserit, bellique contra infideles suscipiendi expeditio promta fuerit, non citra temeritatem Theodoricus a Niem simoniæ avaritiæque crimina pontifici optimo impingit. In regnum paternum restituit Ladislaum, privatione qua Carolus exutus erat, plane annullata. Anno Domini 1405. ipsis Kalendis Octobris morbo calculi afflictus, ex hoc mundo migravit, ac in sancto Petro sepultus est, cum pontificatum 14. annis, & 9. mensibus administrasset. Parentibus quos secum habebat, nimium indulgens, aliquantulam fortasse reprehensionem meruit.

BONIFACII PAPÆ IX. EPISTOLA.

Ex Hard. Concil. Tom. 7.

PRO ECCLESIA PARISIENSI.

Bonifacius episcopus, servus servorum Dei Ad perpetuam rei memoriam.

Digna nos provocat ac excitat ratio, legitima animarum causa movet; ut inter ceteras orbis ecclesias, quibus nos præstitit benigna clementia Salvatoris, Parisiensem ecclesiam favoribus prosequamur eximiis, & statum ejus votivum & prosperum vigilantibus studiis intendamus. Non enim de nostri sacrario pectoris oblivio damnata subripuit, quin potius tenaci memoria retinemus, quod ejusdem ecclesiæ copiosa benignitas nos olim, dum in mi-

Ex veraſo apographo, quod est in Bibliotheca Parisiensi Societatis JESU.

ANNO CHRISTI 1290.

minoribus ageremus, de ipsius honorabili gremio exsistentes fovit, ac tractavit, ut filium maternis pavit & refecit uberibus, respersit gratiis, beneficiis honoravit. Ideoque non immerito illam intra caritatis viscera gerimus, & specialis favoris affluentia confovemus: Apostolicæ sedis partes solertius adhibendo, ut ejusdem status ecclesiæ honoris multiplicis incrementa suscipiat, felicibus fulciatur eventibus, & successibus prosperis fecundetur: ut ipsa quasi per condignæ retributionis officium in nobis gratiosum patris affectum per effectum inveniat, quæ anteactis temporibus nostro dulcia matris ubera gustui propinavit. Sane considerantes attentius, & inter claustra pectoris sollicito revolventes, quod in præfata Parisiensi ecclesia, in qua, (prout nobis hactenus in illa præsentibus proprius indicavit aspectus, & facti experientia revelavit,) copiosus & laudabilis canonicorum, & aliarum personarum numerus in illa degentium, ad Dei laudem & gloriam jugiter conservatur; necessaria, utilis, & fructuosa quamplurimum fore dignoscitur Decani, Cantoris, & Cancellarii corporalis sedulaque præsentia; consideratis & discussis his attentius, quæ ad eorum officia noscuntur pertinere. Pensantes etiam, quod ecclesia supradicta, favente illo a quo bonorum omnium dona manant, facilius & commodius poterit in spiritualibus & temporalibus incrementa suscipere; si personæ dignitates seu personatus in eadem ecclesia obtinentes, etiam ipsi prioribus soleant rutilare virtutibus, & altiori clarere cumulo meritorum, residentiam inibi faciant personalem: Apostolica auctoritate statuimus & etiam decrevimus, ut Decanus, Cantor, & Cancellarius ipsius Parisiensis ecclesiæ, qui pro tempore fuerint, residere continue in ecclesia ipsa personaliter teneantur; quodque de hoc in suæ institutionis initio nihilominus in Capituli Parisiensis præsentia præstent juramentum; & quod etiam contra hujusmodi statutum & ordinationem nostram litteras vel privilegia quælibet ab Apostolica sede, vel Legatis ipsius, per se vel alium aut alios nullatenus impetrabunt: nec utentur privilegiis vel indulgentiis quibuscumque, personis quibuslibet, ecclesiasticis, vel sæcularibus, cujuscumque conditionis, præeminentiæ, dignitatis aut status, a præfata sede concessis hactenus, vel in posterum concedendis, indulgemus tamen Decano, Cantori, Cancellario supradictis, ut per duorum mensium spatium, annis singulis, liceat extra præfatam ecclesiam Parisiensem, ad promotionem suorum negotiorum, libere commorari, de quotidianis distributionibus ejusdem ecclesiæ nihil percepturi. Tempus vero quo decanum, Cantorem, & Cancellarium prælibatos, pro capituli sæpefati negotiis, de ejus licentia speciali, fortassis abesse contigerit ab ecclesia memorata, in eadem residentes computentur, ipsique distributiones percipiant & habeant supradictas. Nec liceat prænominatis Decano, Cantori, Cancellario simul per duos menses eosdem, ab ecclesia ipsa quomodolibet se absentare: sed aliquo eorum absente, reliqui resideant interim in eadem. Ut autem hujusmodi statutum & ordinatio nostra robur obtineant perpetuæ firmitatis; nos auctoritate prædicta irritum & inane decernimus quidquid contra ea vel contra eorum alterum a quocumque contigerit attentari. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostri statuti, ordinationis, concessionis, inhibitionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, xv. Kalend. Januarias, pontificatus nostri anno secundo.

ANNO CHRISTI 1290.

„ Ego N. Cantor hujus honorabilis ecclesiæ „ Parisiensis, juro ad hæc sancta Dei evange- „ lia, & promitto vobis dominis meis Decano & Capitulo Parisiensi obedientiam, reverentiam & honorem exhibere; jura, libertates, franchisias, exemptiones, privilegia, statuta, consuetudines, & observationes ipsius ecclesiæ, & immunitatem claustri specialiter observare, secreta Capituli tenere, necnon ordinationem Bonifacii Papæ super residentiam, ad quam teneor, quam impræsentiarum legi, observare; & quod sum de legitimo matrimonio procreatus, liber & immunis ab omni jugo servitutis.

Anno Christi 1290.

Die Lunæ. decima quarta Octobris, 1414.

„ Pro parte domini regis Ludovici, qui „ super hoc scripsit Capitulo litteras credentiæ „ per dominum de Cruce militem ejus Cambellanum, & magistrum Joannem Balardi „ decanum Cenomanensem, requisiti sunt domini dare licentiam D. Cantori Parisiensi „ nuper recepto, pro vacando negotiis ipsius „ regis erga dominum nostrum Papam, & in „ Italia, ubi dictus rex habet multum negotiari, propter mortem [a] Landissei sui adversarii novissime defuncti; & eis absentibus „ a Capitulo, visus est tenor bullæ Bonifacii, „ quatenus domini super hoc adversarent, quid „ fieri posset: & postmodum vocati sunt ipsi „ nuncii regis, quibus ostensus est etiam tenor dictæ bullæ: declarando eisdem, quod „ domini capitulantes nullam habebant potestatem dilationem dandi, seu dispensandi „ cum dicto domino Cantore, obstante decreto bullæ.

[a] *Pro Lassal.*

CON-

ANNO CHRISTI 1391. ANNO CHRISTI 1391.

CONCILIUM LONDINENSE

A Willielmo de Courtenay Cantuariensi archiepiscopo cum suffraganeis celebratum anno Domini M. CCC. XCI.

Contra presbyteros stipendiarios.

Synodale dictat Willielmi archiepiscopi decretum tom. II. Anglicanæ collectionis in hæc verba.

Willielmus &c. Venerabili fratri nostro domino Roberto Dei gratia Londinensi episcopo, salutem &c.

CUm secundum legem Divinam, ex qua sanctorum patrum manarunt postmodum instituta, non liceat alicui terminos transgredi alienos, nec in alterius messem mittere falcem suam: gravem profecto censentur committere culpam viri ecclesiastici, & præsertim in sacerdotali ordine constituti, qui Christi fidelium oblationes, cætera quoque emolumenta & commoda, ad rectores seu vicarios ecclesiarum, in quibus ad Divinorum celebrationem de ipsorum licentia sunt admissi, spectantia, absque eorumdem conniventia auferre, & in usus proprios convertere non verentur: non attendentes, quod in rebus hujusmodi, nedum furti, sed & sacrilegii crimen contrahitur; ac inde proditori qui loculorum Dominicorum fur extiterit, subtractores seu invasores rerum ecclesiasticarum merito comparantur.

Quapropter felicis recordationis dominus Robertus Wynchelsey, quondam Cantuariensis archiepiscopus, prædecessor noster, hanc avaritiæ pestem omni volens qua potuit vigilantia extirpare, in concilio suo provinciali deliberatione provida statuit & matura: ne presbyteri stipendiarii, aut alii sacerdotes, propriis sumptibus, seu alias sustentati, in provincia nostra Cantuariensi Divina officia celebrantes, oblationes denariorum, perquisita tricennalia, seu aliquam certam quotam, præsertim oblationum pro corporibus mortuorum præsentibus, a rectoribus vel vicariis ecclesiarum in quibus celebraverint non obtenta licentia, acciperent ullo modo; nec in præjudicium rectorum vel vicariorum prædictorum, aut eorum vicem gerentium, quomodolibet asportarent. Quodque presbyteri hujusmodi, aliquo die Dominico, vel alio festivali, postquam ad celebrationem Divinorum per eos ad quos pertinet fuerunt sic admissi, coram rectoribus, seu eorum vicem gerentibus, si vicarii ibi desint, alioquin coram ipsis vicariis & locorum parochianis, intra Missarum solemnia, sacrosanctis Dei evangeliis inspectis, præstent publice juramentum, quod ecclesiis parochialibus, vel cappellis, in quibus Divina celebrantur, eorumque rectoribus, seu vicariis, aut ipsorum loca tenentibus, seu aliis quorum interest, circa oblationes, portiones, obventiones denariorum, perquisita tricennalia, vel alia jura, quocumque nomine censeantur, nullum inferent præjudicium seu jacturam; immo, quatenus ad ipsos attinet, ecclesias & personas præfatas in præmissis singulis indemnes penitus conservabunt; quodque odia, scandala, rixas, aut contentiones inter rectores & parochianos nullatenus suscitabunt, nec fovebunt aliqualiter suscitata, sed concordiam & amorem nutrient, quatenus attinet ad eosdem. Prohibuit insuper dictus noster prædecessor, & prohiberi voluit, & etiam interdici, ne presbyteri supradicti Divina præsumerent in ecclesiis hujusmodi celebrare, priusquam præstiterint sub forma hujusmodi juramentum, si rectores, seu vicarii, aut cæteri supradicti, voluerint & petierint sic jurari. Et si dicti cappellani, coram judice competente, super violatione juramenti præmissi, per probationes legitimas, seu quia diffamati, & super hoc legitime evocati ad judicium, canonice nequiverint se purgare, fuerint convicti: statuit, quod inde penitus sint amoti, nec ad Divinorum celebrationem alicubi admittantur in provincia antedicta, quousque super crimine perjurii sic commissi, cum eisdem fuerit canonice dispensatum. Item quod non audiant confessiones aliquorum parochianorum ecclesiarum vel cappellarum in quibus Divina celebraverint, nisi in casu licito & permisso: quodque Matutinis, magnis Missis, Vesperis, & aliis Divinis officiis, debitis horis, induti superpelliciis, de quibus sibi expensis propriis providebunt, cum cæteris earumdem ecclesiarum clericis & ministris, in Divini cultus adjutorium & augmentum in ipsis debeant ecclesiis interesse: nec eis in navi ecclesiæ in qua admissi fuerint, ut præfertur, seu in cæmeterio, aut aliter in campo, liceat tunc vagari. Et si super his, per eos quos ecclesiis tunc præesse contigerit, commoniti fuerint & correpti, cervices suas contra ipsos propterea non erigant, nec tumidos se ostendant: Quodque correptiones hujusmodi occasione contra rectores, vicarios, seu vices gerentes hujusmodi, qui in insolentiis suis eis assistant, ipsosque foveant, nullatenus commovebunt: sed his omnibus supradictis se exhibebunt humiles, reverentiam debitam quoque impendent. Dicti vero presbyteri dictis Dominicis diebus & festivis, vel si corpus alicujus defuncti affuerit, demum post lectum majoris Missæ evangelium, Missas suas incipiant, & non prius: nisi de licentia rectoris, vel vicarii, aut alterius vices gerentis, specialiter præobtenta. Presbyteri quoque præfati rectoribus vel vicariis ecclesiarum vel cappellarum ubi celebraverint, non detrahant: sed discant cum Psalmista ponere custodiam ori suo. Item quod tabernas, spectacula, aut alia loca inhonesta, seu ludos noxios & illicitos, non frequentent: sed more sacerdotali in habitu se habeant & in gestu, ne ipsorum ministerium, quod absit, vituperio, scandalo seu despectui habeatur. Rectores quidem & vicarii, seu loca gerentes prædicti, cum

ANNO CHRISTI 1391.

cum benignitate debita præfatum recipiant in-A ramentum, ac præsentium retineant copiam sibi ipsis.

Nos vero attendentes statutum prædictum, quamvis [a] proinde sancte & salubriter editum, per rectorum & vicariorum incuriam & desidiam in dissuetudinem abiisse, veluti antiquatum: statutum hujusmodi, quantum ad omnia & singula præmissa in eodem contenta, de consilio suffraganeorum nostrorum, ac cleri nostræ provinciæ Cantuariensis pariter & assensu, *in concilio nostro provinciali nuper London celebrato*, ex certa nostra scientia innovamus, ipsumque inviolabiliter futuris temporibus volumus, & in virtute obedientiæ præcipimus observari. Et ne qui ignorantiam prætendere valeat præmissorum, dictum statutum in singulis diœcesibus nostræ Cantuariensis provinciæ, per locorum diœcesanos, seu ipsorum auctoritate & mandato, annis singulis saltem semel volumus publicari. Quocirca fraternitati vestræ committimus & mandamus, quatenus præmissa omnia & singula, per dictum prædecessorem nostrum in concilio suo provinciali pie statuta, ac per nos in nostro provinciali concilio, ut præmittitur, innovata, in vestris civitate & diœcesi publicetis, ipsaque per singulos nostros suffraganeos & confratres debite publicanda, auctoritate nostra etiam demandetis: vosque vestros, singulique suffraganei nostri & confratres prædicti suos subditos quoscumque ad observationem omnium & singulorum præmissorum compellatis canonice, & compellant. Ad quæ facienda, vobis & dictis suffraganeis & confratribus nostris singulis, tenore præsentium committimus vices nostras, cum cujuslibet cœrtionis canonicæ potestate. De diebus vero receptis & exceptis præsentium cum clausula certificandi citra festum Purificationis B. Mariæ, &c.

Dat. in Manerio nostro de Croydon XXVIII. die mensis Aprilis, anno Domini MCCCXCI. & nostræ translationis anno decimo.

[a] *Forte*, provide, sancte &c. H.

ULTRAJECTENSE CONCILIUM

ANNO CHRISTI 1392.

In quo causa cognita monachi cujusdam sacrilegi,

Anno 1392. habitum.

Ex sup. Mans. To. III. pag. 674.

„ MOnachus quidam scelestus episcopum se, C
„ nulla licet consecratione initiatum ge
„ rebat, idque muneris sibi apostolicarum litte
„ rarum, quas ipse fabricaverat, auctoritate
„ delatum jactabat. Fraude hac usus, sacerdotes
„ plures, aliosque minores clericos sacris ordi
„ nibus consecraverat, donec tandem Floren
„ tius episcop. Ultrajectensis, cujus se suffra
„ ganeum dicebat, rem subodoratus, ad Ro
„ manum pontificem detulit, eoque mandante
„ reum detrusit in carcerem; tum septem ad
„ hibitis episcopis judicium solemne instituit.
„ Judicium istud synodum appellat Raynaldus
„ in continuatione Baronii ad annum 1391.
„ quare locum hic suum meretur; totamque
„ ejus historiam hanc exhibeo ex vetusto MSS. D
„ codice Ultrajectino, vulgatam a Matthæo in
„ Analectis to. 3. pag. 281. nov. edit.

Anno Domini CIↃ CCC. XCII. ultima die septembris, quidam Jacobus ordinis fratrum minorum presbyter, de Ducatu Juliacensi oriundus, fuit in civitate Trajectensi super quoddam solarium in medio *Noede* de lignis erectum verbaliter & actualiter per modum infrascriptum degradatus pro eo, quod ipse sibi usurpando per quasdam litteras confictas apostolicas, quas falsavit, titulum & nomen episcopi Lavacensis in diœcesi in suffraganeum episcopi Trajectensis assumptus, aliquamdiu & antea per decem annos in Trevirensi, Maguntinensi, & Argentina diœcesibus ordines minores & majores, cæteraque episcopalia celebrare & exercere præsumpsit. Post degradationem vero fuit relictus tamquam laicus Sculteto & Scabinis Trajectensibus ibi præsentibus, & eum in suum serio recipientibus. Et per eorum sententiam in eodem loco præsidente domino Florentio episcopo Trajectensi fuit idem Jacobus addictus ignis cremationi in cacabo prope dictum solarium inferius parato. Tandem tamen per gratiam fuit ereptus de cacabo, & capite in eodem loco truncatus.

Constitutis igitur domino Florentio prædicto, aliisque sex episcopis subscriptis, & singulis eorum indutis pontificalibus ac sedentibus in solario supradicto, magister Arnoldus Po vice ac de mandato eorum in dictum Jacobum talem sententiam promulgavit.

In Dei nomine Amen. Florentius de Wevelichoven Dei & apostolicæ sedis gratia episcopus Trajectensis, nec non eadem gratia fratres Arnoldus episcopus Capitoliadensis, Wenemarus episcopus Symboliensis, Hubertus episcopus Yppusensis, Bertoldus episcopus Lindienensis, Andreas episcopus Mysconiensis, & Jacobus Sareptensis conjudices in negotio infrascripto. Præsidente rationis imperio in animo judicantis sedet in examine veritatis pro tribunali justitia, & quasi rex in solio judicii rectitudo, de cujus ore procedit gladius bis acutus. Cujus etiam aspectu terribili propriæ voluntatis dissipatur arbitrium. Noxius appetitus absque personarum delectu sub iuris regula limitatur. Hæc enim fuit æterni prudentia judicis, de cujus vultu recta judicia pendent, ut judices constituerentur in orbe, qui justitiam diligant, filios hominum judicent, & pro modo culpæ feriant delinquentes. Sane cunctis inauditam seculis scelerum immanitatem tuam, qui caput es scandali, & petra offensionis, non sine grandi cordis mœstitia attendentes, & tuam infaustissimam temeritatis audaciam, quæ nimirum cælum perturbat, & terram tremere E facit, crebris suspiriosisque angustiis recensentes cogimur, ut contra te ad debitæ, quam meruisti animadversionis vindictam, exigente justitia, procedamus. Christi igitur nomen invocato pro tribunali & solum Deum præ oculis habentes, communicato nobis virorum prudentium & jurisperitorum consilio plurimorum,

quia nobis per tuam confessionem & alias evidenter & legitime constat, quod tu litteras apostolicas falsasti & titulum pontificalis apicis temerarie & fallaciter usurpare, & tibi ascribere, & perquam plurimis hominibus ordines minores & majores conferre, chrismata conficere, ecclesias, cappellas & altaria consecrare & reconciliare, in frontibus confirmare, cæteraque pontifici dumtaxat incumbentia exercere, sub falso & per te confecto episcopali titulo in Treverensi, Maguntinensi, Argentina, & Trajectensi diœcesibus, aliisque locis, per decem annorum curricula & ultra, quumque episcopus non esses, nec sis de facto, in tuæ & multarum grave periculum animarum, totius catholicæ & universalis ecclesiæ contemptum frontose & damnabiliter præsumpsisti. Licet etiam per diutina satis tempora nos Florentius episcopus Trajectensis, antedictum tibi spatium pœnitendi in carceris nostri custodia reservato dudum piæ clementiæ motu duxerimus indulgendum, quatenus etiam altissimum, quem tam graviter tuis nefandis reatibus offendisti, placare studeres, & ipsius misericordiam devotis crebrisque precibus lacrimosis assequi posses, tu tamen nesciens ad cor reverti & pœnitentiæ agere dignos fructus, quamvis diutius exspectatos, indurato corde & obstinato animo tempora pœnitudinis tibi per nos misericorditer, ut antefertur, indulta, quod dolenter referimus, usque in tempus præsens in tuæ salutis dispendium parvipendere nullatenus horruisti. Idcirco nos Florentius aliique coepiscopi superius nominati propter & ad actum præsentem convocati specialiter & præsentialiter congregati, secundum ea quæ vidimus, audivimus, & cognovimus, cognoscimus, atque scimus, te ad eumdem legitime citatum ab omnibus ecclesiasticis ordinibus & officio sacerdotali tamquam litterarum Apostolicarum falsiarium, sacramentorum ecclesiasticorum abusorem & hostem, animarum fidelium vastatorem, ac sacrorum canonum transgressorem perpetuo degradamus, deponimus & privamus, teque actualiter degradandum, & demum degradatum curiæ sæculari relinquendum & legitime citra mortis periculum puniendum fore in his scriptis finaliter condemnamus.

Post prædictam sententiam in eum præsentem latam seorsim ducebatur degradandus, & vestimentis sacerdotalibus induebatur, & ferendo calice cum vino & patena cum hostia in manibus suis, ac si debuisset missam solemniter celebrare, reducebatur coram Episcopo Trajectensi, qui detrahendo sibi insignia sacerdotalia, videlicet calicem cum patena ac clasulam & stolam, utebatur his verbis: *in remotione planetæ auferimus tibi vestimentum & insignia sacerdotalia, teque honore sacerdotali privamus.* Quo facto Episcopus in continenti in signum deletionis sacerdotalis cum vitro exunxit leviter citra sanguinis effusionem loca manuum, quæ fuerant inuncta, ducens tractum cum illo vitro a pollice dextro per indicem sinistrum. Deinde fecit secundum tractum a pollice sinistro per indicem dextrum, sicut moris, quum Episcopus aliquem in sacerdotem inungit. De hac ratione seu tonsione manuum notatur in tertia parte specul. tit. de accu. §. secundo loco verb. *degradandum*. Talis tamen ratio in decreto degradationis de pœnis lib. VI. non præcipitur, nec etiam prohibetur, sed dumtaxat fit mentio de ratione vel tonsione capitis ut not. ib. Jo. Andr. super verbo: *radatur*, in novella.

Quo completo, iterato secessit ad partem & induebatur habitu diaconali, scilicet dalmatica & stola pendente super humerum ejus sinistrum, ut moris est diaconum vestiri, & sic ferendo codice Evangeliorum in manibus suis repræsentabatur coram Episcopo prædicto, qui hæc sibi contrahendo dixit: *In remotione planetæ auferimus tibi vestimentum & insignia diaconalia, teque honore diaconali privamus.*

Post hoc abiit iterato seorsum & induebatur tunica subdiaconali & manipulo in sinistro ejus brachio apposito, & ferendo in manibus suis codicem epistolarum reducebatur coram Episcopo, & tunc etiam sibi addebatur calix vacuus cum patena in manu, quia illum in collatione ordinis subdiaconalis de manu ordinatoris accepit. Quo facto Episcopus sibi hæc detrahendo præmisit hæc verba: *In remotione planetæ auferimus tibi vestimentum & insignia subdiaconalia, teque honore subdiaconatus privamus.* Privatus supradictis insignibus, ut prius, secessit ad partem, cingulum deponendo, & albam exuendo, & indutus superpellicio clericali ferendo in manibus suis candelabrum cereo extincto, & ampullam coram Episcopo fuit repræsentatus, & Episcopus ei abstulit candelabrum cum cereo & ampullam: & immediate post hoc exuit eum superpelliceo, quo induerat eum ordinator in collatione primæ tonsuræ, & pronunciavit in hæc verba: *Auctoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ac nostra tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus, ac exuimus te omni ordine & privilegio clericali.* Deinde Episcopus incœpit cum forcipe tondere parumper capillos capitis sui. Et postea barbitonsor illud cum novacula perfecit; ita quod in eo nullum remanserit vestigium tonsuræ vel clericatus.

Postremo his peractis induebatur habitu laicali, & relinquebatur judici seculari, ut in suum forum cum reciperet cum protestatione, quod pœnam sanguinis ei non infligeret, quia hoc Episcopo petere non licet, ut patet ex cap. *ne cleric. vel mon.* c. *sententiam*, & de crim. *adls.* c. *ad audientiam*. Ideo supplicabant Domino Trajectensi, & ejus sculteto illi sex Episcopi prædicti, aliique Prælati ibidem præsentes, quod citra mortis periculum dignarentur circa eum sententiam moderari juxta decretum *novimus* de verb. sign.

ANNO CHRISTI 1392.

ANNO CHRISTI 1392.

CON-

ANNO CHRISTI 1394. Ex Collectii Append. Tom. XI.

ANNO CHRISTI 1394

CONCILIUM PARISIENSE

Ad sedandum schisma, a rege Carolo VI. convocatum IV. Non. Febr. anno Domini M. CCC. XCIV.

Ex historia Ms. Caroli VI. Francorum regis, editum a D. Luca Dacherio Tomo VI. Spicilegii.

DUm sic ad habendum pacem in ecclesia sancta Dei, tempus legatos mittendo & remittendo teritur: Rex non immemor promissorum, ex cunctis oris Franciæ prælatos ecclesiasticos, & de studiis solemniores doctores, apicibus regiis evocavit, ad festum instantis purificationis beatæ Mariæ diem dicens, ut sciretur qualiter horrendum schisma sopiretur. Ad latius conferendum super hujusmodi negotio tam arduo, regale palatium assignavit, statuens ut spectabilis vir dominus Arnaudus de Corbeia cancellarius suus, cæterique alii notabiles de consilio suo, quoties possent, ibidem interessent.

Quamvis ad centum & quinquaginta prælatos, qui omnes jure tituli residentiæ, domicilii principalis, vel jurisdictionis spiritualis, in regno consistebant, mandatum regium pervenisset: multi tamen antiquitatis, vel infirmitatis causa, aut occasione penuriæ rei familiaris, excusationem miserunt.

Qui autem mandato regio paruerunt, hic sequuntur: videlicet patriarcha Alexandrinus, Carcassonæ, & Hierosolymitanus, sancti Pontii Thomeriarum, ecclesiarum administratores perpetui, ac Lugdunensis, Senonensis, Remensis, Rotomagensis, Turonensis, Bituricensis, & Bisuntinensis, archiepiscopi, qui in congregatione primi merito nominandi sunt. Interfuere & Eduensis, Matisconensis, Lingonensis, Cabilonensis, suffraganei dicti archiepiscopi Lugdunensis; episcopi etiam, Parisiensis, Carnotensis, Aurelianensis, Antissiodorensis, Trecensis, Maldensis, dicti archiepiscopi Senonensis; Catalaunensis etiam, Tornacensis, Morinensis, Atrebatensis, Ambianensis, Noviomensis, Silvanectensis, Laudunensis, Suessionensis, dicti archiepiscopi Remensis; Bajocensis iterum, Abrincensis, Ebroicensis, Lexoviensis, Constantiensis, dicti archiepiscopi Rotomagensis; Cenomanensis, Andegavensis, Redonensis, Nannetensis, archiepiscopi Turonensis; Matisconensis, Anicensis, archiepiscopi Bituricensis, suffraganei; Pictaviensis, Malleacensis, Lucionensis, Condomensis, Petragoricensis, Xantonensis, de provincia Burdegalensi; Aquensis, Lectorensis, Conferanensis, de provincia Auxitana; Magalaunensis, Nemausensis, Vacensis, * de provincia Narbonensi; Appamiensis, Ruvensis, de provincia Tolosana; Valentinensis, Gratianopolitanus, de provincia Viennensi; & Bethlemensis episcopus.

* Cor. Velejensis.

Necnon Cisterciensis, sancti Dionysii, sancti Benigni Divionensis, montis sancti Michaelis, Resbacensis, Fiscamensis, de Lira, sancti Victoris prope Parisios, sancti Georgii prope Rotomagum, sancti Eligii Noviomensis, abbates. Interfuerunt etiam cum prænotatis abbatibus, & prior sancti Martini de Campis, & Rotomagensis, Andegavensis, Remensis, & capellæ Divionensis decani; magistri, Petrus de Alliaco, Guillelmus de Jardino, Ægidius de Campis, Petrus Plo, Joannes Brevis Coxæ; fratres etiam Michael Picquier, & quidam alter, de ordine Minorum, Joannes de Hussaria Prior Augustiniensis Parisiensis; Petrus de Conne prior de Carmelo, Dominicus Herboly de Arragonia, dicti Ordinis de Carmelo, in sacra pagina & decretorum, magistri & doctores. Necnon magistri, Radulphus de Caradoc, Joannes de Matiscone, Geraldus Vagoul, Vitalis de Castro Morono, & ejus socius, ac Petrus Januti de studiis Aurelianensis, Tolosanensis, & Andegavensis, decretorum & legum doctores solemnes; Jacobus Bouy, Jacobus Coston, Guillelmus de Canteris, Robertus de Doms, in curia parlamenti consiliarii regii. Andreas Grangeri, Joannes de Milliaco, Radulphus de Ulmonte, etiam in curia parlamenti causarum patroni. Magistri, Robertus de Freta, Amelius de Biolio, auditores sacri palatii Apostolici, & Guillelmus Bourracery licentiatus in legibus, socius domini episcopi Aniciensis Prior Carthusiensis prope Parisios, prior Cælestinorum Parisiensium; necnon Joannes Capitis, Biterrensis, Joannes Placius, Agathensis, prior prioratuum sanctæ Columbæ de Sanardino & Volvento, Castrensis, Guillelmus Chat, Lemovicensis, Guillelmus Mimeti, Abrincensis, Jacobus de Mauso Guichardo, Ambianensis, cum quodam alio, Mimatensis, episcoporum vicarii & nuncii. Officialis Lugdunensis, Bertrandus Genesse archidiaconus Constantiensis, & quidam religiosus Alemannus de ordine Minorum, viri utique circumspecti, & eminentis scientiæ, etiam præsentes interfuerunt.

Omnes prælati præfati, consensu unanimi, antequam concilium inchoarent, dominum patriarcham Alexandrinum, Simonem Cramandi vocatum, elegerunt, qui pro congregandis consiliis, audiendis rationibus hinc & inde, determinandisque conclusionibus, auctoritate præsideret. Is decretorum doctor famosissimus, subtilis ingenio, claruque eloquentia existens, libenti animo peragendum suscepit negotium: quod tamen antequam inchoari præciperet, magister Petrus de Alliaco, quem Rex ad Papam miserat, reversus est: & super legatione responsionem reportavit. Hanc, quia esset secreta, ignoramus: scimus tamen, quod ad requestam Universitatis, Februarii mensis prima die, in aula regali sancti Pauli publicam audientiam adeptus, prolixe, elegantissimoque sermone protulit quæ in substantia sequuntur.

Primo namque Regem, & prosapiam regalem multis laudibus extollendo, allexit ad audientiam. Et cum vias & motiva epistolæ Universitatis venerandæ serie tenus recitasset: conclusit in finalibus, quod via cessionis erat non modo

ANNO CHRISTI 1394.

modo a suppositis Universitatis, immo & a cunctis fidelibus, tamquam brevior, lucidior, & expedientior, eligenda. His peractis, jubente domino patriarcha, quotquot prælati Parisiis convenerant, die sequenti in cappella regalis palatii Missam solemnem celebrari fecerunt: ibique Spiritum sanctum, in arduis semper coadjutorem optimum, dignum duxerunt devotissime * inchoare.

* Corrige, invocare. H.

Sequenti igitur die, cum dominus patriarcha Alexandrinus præsidens, requisivisset omnibus assistentibus, quatenus per juramenta sua jam prælata, Deum solum habendo præ oculis, dicerent in hac parte quæ sibi conscientia dictaret interrogati super hoc sigillatim & singulariter fuerunt octoginta & septem ex illis qui convenerant, qui per viam cessionis eundum, & non aliter, concluserunt. Inde abhinc & usque ad diem XVIII. sua colloquia continuantes, multa ad instructionem nunciorum mittendorum tetigerunt, quæ scriptis & sub instrumento publico redigi mandaverunt, & quæ sequenter dignum duxi litteris commendare.

Quæ facta fuerunt in concilio prælatorum.

IN instrumento prædicto habebatur: Sequuntur illa, quæ pro instructionibus dominorum ducum & aliorum consiliariorum suorum, quos Rex intendit mittere in Avinionem ad dominum Papam & dominos cardinales, quæ unanimi omnium consensu conclusa & deliberata fuerunt.

Habeantur primo pro repetitis excusationes, protestationes, & correctiones dominorum: præsupponantur inde orationes, processiones, Missæ, prædicationes, cum aliis piis operibus, quæ tamen non sufficiunt. Supponatur etiam credentia exposita mense Octobri per nuncios apostolicos domino Regi missa, & responsio tunc eis facta, & causa propter quam Rex mandavit prælatos regni sui, plures abbates, doctores, magistros, religiosos, & alios nobiles viros, ut Regi præberent consilium super requisita per Papam. Tangantur in brevi, qualiter de præcepto Regis, ante dictum tempus prælatis assignatum, materia per plures dietas fuit notabiliter & diffuse cum magna maturitate pertractata, tangendo vias omnes quæ reperiri poterant ad unionem, cum motivis ad easdem, dubiis in contrarium respondendo, & solutionibus eorum, & quæcumque in præsentia domini cancellarii Franciæ, & quorumdam notabilium de consilio Regis, & deputatorum universitatis Parisiensis.

Post adventum prælatorum recitata fuerunt eis in effectum, quæ prius disputata, prolocuta & tractata fuerant: ut quilibet eorum clarius deliberaret. Et inde de præcepto Regis examinatæ sunt opiniones singulorum per juramentum. Opinio modica loquentis fuit, & est hæc in effectu: quod primo ad viam facti nullatenus est procedendum, quoniam in infinitum periculosas induceret guerras, & dissensiones regum & regnorum, per quam etiam forsan jus habens in papatu succumbere posset: & si per hanc viam altera partium obtineret, de facto non esset finis schismatis, neque catholicorum corda sedata essent. Non enim propter hoc crederent, illum qui victoriam obtinuisset, esse verum papam. Via reductionis intrusi, regum, principum, prælatorum, & populi suæ obedientiæ, ad obedientiam domini Benedicti, non videtur possibilis: propter istorum obstinationem, schismatis diuturnitatem, promotiones prælatorum, & aliorum ecclesiasticorum virorum: & quod credendum est, principes partis adversæ in hac materia æqualitatem * velle servari, maxime cum jam sit notorium ubique, tres vias per Universitatem apertas, esse satis æquales ad honorem utriusque partis. Et si Romanus intrusus simpliciter renunciare vellet (quod non est credendum) non ob hoc præfati obedientiæ suæ vellent obedire domino Benedicto: sicut si dominus Benedictus solus renunciaret, Rex & ejus subditi non obedirent intruso.

* Lege vellent. H.

Quantum ad tres vias per Universitatem apertas, quia aliqui duxerunt sufficere de præsenti consulere Regi, quod eas notificet Papæ, sic quod unam earum eligat, vel aliam viam meliorem, aut æque bonam: videretur loquenti, quod ad præstandum Regi per suos prælatos fidele consilium, & per Regem Papæ, si una via illarum trium, vel aliqua altera, inter cæteras melior, expedientior, & brevior appareat, illa sit Regi consulenda, & per Regem, si melius in suo consilio non reperiat, Papæ exhortando est consulenda: quoniam aliter consilium esset incertum, & frustra forent prælati congregati, quoniam per epistolam Universitatis illæ tres viæ satis sunt notoriæ. Si Papa, qui vult uti consilio Regis, interrogaret eius nuncios, quæ via de tribus aut quatuor sibi consuleretur, & consiliarii Regis non eligerent unam viam: verisimile videtur, quod illos oporteret ad Regem remitti, vel ad ipsum remittere pro certificatione viæ per ipsum consulendæ, per quæ sequeretur circuitus, in hac materia requirente celeritatem, propter animarum periculum, & alia inconvenientia tollenda, summe vitandus. Licet via concilii generalis de jure præcedere videatur: non est tamen de præsenti consulenda, propter ipsius difficultatem nimiam & prolixitatem, sicut patet per rationes communes: specialiter, quoniam oporteret vocare partes & audire, dominus Benedictus haberet omnes prælatos suspectos partis adversæ, quos reputat schismaticos & excommunicatos, similiter intrusus de prælatis obedientiæ domini Benedicti: jura partium numquam essent discussa. Et si papatus adjudicaretur uni, non ob hoc sibi jus adjudicaretur, nec crederetur esse talis per subjectos partis adversæ, sicque non haberemus unionem.

Similiter & fortius, per viam compromissi, licet per commissarios uni adjudicaretur papatus, sequerentur etiam inconvenientia supradicta. Esset etiam difficultas maxima super consiliariis eligendis & conveniendis. Videretur etiam, quod hæc materia tam spiritualis de vicariatu Jesu Christi, potestate clavium solvendi atque ligandi, & cura cunctarum fidelium animarum, in compromisso vel arbitrio cadere non posset. Et si Benedictus & intrusus compromittentes, cederent ex nunc prout ex tunc Esi compromissarii mediarent: talis cessio conditionalis non valeret. Quoniam sicut consensus papatui post electionem canonicam debet esse purus & simplex, non recipiens conditionem extrinsecam: sic etiam renunciatio debet esse pura ac libera, sine conditione quacumque, specialiter extrinseca: quia si apponeretur, vitiaret actum cessionis, & esset Regi verecundum, prælatis, & concilio, viam unam offer-

ANNO CHRISTI 1394.

offerre domino Benedicto & collegio, vel etiam intruso, sive illa esset sola, sive cum aliis viis, quæ via non esset rationabilis, & de jure sustinenda. Nec est verisimile, quod dominus Benedictus, aut intrusus, viam cessionis ponerent in compromisso: quia magis esset eis honestum libere cedere, quam per arbitrorum sententiam. Item arbitrorum sententia non parit actionem, nisi fuerit omologata, nec esset superior eorum quo * posset executio * finem requiri. Et licet aliqui dicerent, viam istam compromissi per aliquas rationes posse sustineri: tamen quia posset in dubium revocari (materia vero celeritatem desiderat) omnes viæ dubiæ resecari debent, exclusis disputationibus & argumentis, amplectendo viam claram, brevem, schismatis sedativam, conservativam æqualitatis utriusque partis, per quam conscientiæ valeant pacificari.

* Cæt. a quo.

Sane super eo opinatur quidam, quod eligatur aliqua via differendi, donec dominus noster Benedictus nunciis regiis exposuerit unam bonam viam per ipsum deliberatam, quæ regi & toti mundo placere debebit. * Nec est verisimile, dominum nostrum propter electionem melioris sibi consulendæ debere turbari, consideratis suis sanctis propositis, virtutibus, intentionibus, juramentis, per ipsum & alios de collegio in sua creatione præstitis: immo commendatos habere debebit, tamquam fideles, prælatos & alios in isto concilio congregatos.

* Hic nonnulla desunt, cum facile perspici possit, tum etiam monuit Balusius, qui integriorem Codicem a se visum testatur, sed lacunam, qua de causa nescio, reliq. Barre, in nova edit. Dacheriana.

Est etiam notandum, universitatem per modum consilii, non determinationis, unam viam elegisse: si vero prælati non eligerent & regi consulerent viam saniorem, jam videretur inter prælatos & universitatem divisio quædam. Et si, quod absit, ex fideli consilio, secundum conscientias, & per juramentum regi præstito, vel præstando, dominus noster moveretur, vel permitteret scandalum sequi aut inconveniens, quod nullatenus credi vel dubitari debet: maximum onus esset suis conscientiæ & honori. Tendimus enim ad redintegrationem & conservationem status & honoris summæ dignitatis papatus, & universalis ecclesiæ, sicut in nostris consecrationibus juramus: ad quæ tenetur adstrictus plus sine comparatione, quam homo vivens. Nos enim prælati suæ personæ sumus obligati solum ratione suæ dignitatis, per consequens magis dignitati quam personæ: quia propter quod unumquodque tale, & illud magis est. Debemus igitur honorem & commodum dignitatis præferre personæ.

Concludendo & eligendo per modum oppositionis & consilii, solum attenta deliberatione religiosorum ordinis Carthusiensis & Cælestinorum, & universitatis Parisiensis, & quia necesse est ecclesiæ sanctæ Dei, sub periculo desolationis ejusdem, istud detestandum schisma brevius quam fieri poterit extirpari, & ecclesiam uniri; nec viæ prætactæ, vel aliæ quæ imaginari valeant, sunt sufficientes ad veram unionem, pacem firmam, & concordiam animarum: præter viam cessionis utriusque partis, istam viam satis congruam quasi instinctu Spiritus sancti elegit, & regi consulit, per nuncios solemnes domini regis, domino Benedicto consulendam, ipsum & ejus collegium ad hanc omnibus modis cum honore & reverentia decentibus exhortando. Exponendo tamen domino nostro primitus alias vias prætactas, causas propter quas non approbantur de præsenti, & causas propter quas cessio cuilibet videtur eligenda.

In casu vero quod sic dominus rex cum dominis de genere suo, & aliis de consilio suo, sic deliberaverit: modus persequendi & procedendi posset esse talis; videlicet, quod in consistorio publice nuncii regis regratiarentur domino nostro & cardinalibus de bonis intentionibus suis, de nunciis solemnibus per papam missis domino regi, significarent etiam in genere bonam intentionem domini regis, diligentiam per ipsum adhibitam circa materiam, convocando suos prælatos & alios nobiles viros, & quod cum universitate habuit consilium, & quod nuncios misisset ad papam ad sciendum ipsius intentionem, & viam per ipsum deliberatam, prout ipse se daturum per suos nuncios regi significavit. Demum aperte & secrete nuncii regis poterunt loqui cum domino nostro, relinquentes ejus arbitrio, si prius voluerit eis viam per ipsum deliberatam aperire, vel audire viam ex parte regis consulendam. Et quicumque primus aperiat viam, si viæ sunt concordes, in nomine domini: si vero clare pateat nunciis regis, viam papæ, non ita convenientem sicut viam regis, vel quia eligere vellet viam compromissi, seu concilii generalis, ipsas vias impugnent secundum suas instructiones, per media prætacta, & alia satis congrua. Sed si via per papam exponenda, quæ foret alia de tribus prætactis, concilii, compromissi, vel cessionis, revocaretur in dubium, an esset melior vel æque bona (quod est incredibile, seu multum difficile) super hoc rex esset consulendus, & ejus beneplacitum expectandum. (a)

(a) Hic certe nonnulla deliberata, quæ a te in altero Cod. reperta fuit, monet Baluz. Idem ibid.

Restat modus executionis & prosecutionis, in casu, quo dominus noster viæ renunciationis consentiret, scilicet significare per ipsum dominum nostrum & regem regibus & principibus obedientiæ suæ, deinde per ipsum regem & alios reges principes prædictos, non autem per D. Benedictum, regibus & principibus partis adversæ, quoniam ipsius significationem gratam non haberent. Nec primo via cessionis est intruso significanda: quia principibus obedientiæ suæ malignari posset. Credendum est autem, principes & prælatos suæ partis tantum unionem desiderare, & quod ad ipsam toto posse præfatum inducent: qui si consentire refutaret, censeretur notorie fovere causam injustam, possentque contra ipsum remedia reperiri subtractionis obedientiæ, vel alia remedia juridica, tunc principibus consulenda. Nec videntur principes illius obedientiæ congregandi, donec aliqua via certa sibi significetur.

Non est enim verisimile, quod ipsi sub incerto convenire vellent, & etiam congregarentur. Credendum est, quod ipsi non deliberarent, nisi postquam forent ad sua regna reversi, consilium habituri tunc cum suis prælatis, clericis, & notabilibus viris, prout observat rex dominus noster.

Si diceretur, quod alii principes nuncios suos mittere possent ad regem, ut scirent deliberationem ipsius, & suis dominis referrent, &c. Respondeo quod attenta magnitudine materiæ, securius exponeretur principibus aliis per nuncios regis, quam per alios, brevius etiam posset factum expediri.

Postquam principes alterius obedientiæ viæ prædictæ consenserint, & ad consentiendum eum-

ANNO CHRISTI 1394.

eumdem intrusum & suos anticardinales induxerint: appropinquarent se partes in duabus civitatibus convicinis, in limitibus duarum obedientiarum situatis, & illuc conveniant aliquir domini temporales potentes utriusque partis, cum prælatis & litteratis viris, tam ad conservandum partes & collegia libere & secure, quam etiam ad pertractandum ea quæ pro complemento negotii complenda restabunt: videlicet de absolutionibus, dispensationibus, revocationibus, confirmationibus, & creationibus de novo, in quantum fuerit opus, cardinalium, prælatorum, & aliorum beneficiatorum; necnon bona reconciliatione & pacificatione partium, cum dependentiis & connexis. Quibus omnibus concordatis, convenirent ambæ partes cum collegiis in eadem civitate completuræ pertractata: nec fieri possent ista per procuratorem, propter cautas multas quæ satis patere possent intuenti.

Tractetur etiam ante renunciationem de modo & forma electionis summi Pontificis. Videtur autem scribenti, ad vitandum odia cardinalium utriusque obedientiæ, qui sunt partes contrariæ: minus affectato, quælibet pars pro capite suo, cum aliis pluribus causis magis expediens, & populo cujuslibet partis placens, quam pro illa vice Benedictus & intrusus de consensu collegiorum ordinarent VII. vel IX. compromissarios, probos viros, non suspectos, extra collegia, qui sine præjudicio cardinalium pro hac vice potestatem haberent eligendi, præstarent fortissima juramenta de fideliter eligendo de collegio vel extra, favore vel odio Aquibuscumque seclusis: & quod pro hac vice sufficeret, electum voces majoris partis compromissariorum habere. Sin autem ad hoc cardinales induci non possent, expediret eligere numerum certum utriusque collegii: qui ad electionem omnes admitterentur, & recluderentur in conclavi secundum formam juris; hoc addito, quod sufficeret majorem partem convenire.

Nec obstat si dicatur, per istam viam conjunctionis collegiorum, plures erunt Italici, quam aliarum nationum, sicque habebimus Papam Italicum, & sic Italici ex suo delicto, videlicet intrusione, præmium reportabunt. Quoniam apud Deum non est acceptio personarum: & est similiter comparatione melius habere Italicum (utinam sanctum) quam ecclesiam manere laceratam. Et si percipiant Italici, quod cæteræ nationes * ad habendum unum de suis: ipsi nitentur in contrarium, ex quo schisma novum posset suboriri.

* Hic aliquid deest.

Dubitaverunt quidam, quod si via cessionis publicetur, dicent adversarii, dominum Benedictum hanc viam consentire propter dubium sui juris: & quod Rex non tantum sibi favet, quia non est regnicola, sicut favebat domino Clementi cum multis aliis, &c. Respondeo, quod in quacumque via supervenient multa, quæ non omnes prævidere valent: sed ex quo cfere per omnes hæc via cessionis reputatur sanctior, & utilior, est prosequenda, sub spe quod omnibus ecclesiæ pacem diligentibus placebit, & quod optatum sortietur effectum, quod annuat Altissimus. *Hæc monachus S. Dionysii.*

AD PARISIENSE CONCILIUM

ANNO CHRISTI 1395.

Anno 1394. *seu melius* 1395.

ADDITIO.

Mansi Supp. to. III. pag. 678.

„ ANtequam tradam concilii hujus acta suffiora, quam quæ hucusque exhibita „ sunt in collectione Labbeana, juvat hic nonnulla in antecessum notare. Concilium istud „ convenit anno primo pontificatus Benedicti „ XIII. cœpitque die Purificationis B. M. V. „ II. Februarii, quæ omnia temporis argumenta præbent publicæ tabulæ de rebus in „ eo gestis scriptæ, & inferius vulgandæ. Cum „ vero Benedictus cœperit anno 1394. septembri mense, qui post eam diem proxime successit, Februarius mensis annum 1395. præfert, eoque transferendum est concilium ex „ anno 1394. cui a Labbeo illigatur.

„ Concilium vero istud Labbeus dedit ex Spicilegio Dacherii acceptum haustumque ex „ historia MS. Caroli VI. Francorum regis. „ Meminit vero auctor historiæ illius *instrumenti* cujusdam de rebus tunc decretis manu regiorum tabellionum exarati, ex quo „ sua desumpsisse testatur. Hoc ipsum instrumentum hic refertur ex Martene, cui addimus datas tunc legatis ad pontificem destinatis jussiones a rege; quas jussiones ex iis „ deductas constat, quæ in concilio isto stabilita sunt. Omnia vero habet Martene Vet. „ Mon. to. VII. pag. 437. & 438.

INSTRUMENTUM

Per quod dominus noster papa misit erga dominum nostrum regem episcopum Avinionensem & dominum Petrum Blavi ambassiatores suos, ut dictus dominus noster rex suos solemnes ad præfatum dominum nostrum papam mitteret ambassiatores.

IN nomine Domini Amen. Per hoc publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quod cum SS. in Christo pater & dominus Benedictus divina providentia papa tredecimus, pontificatus sui anno primo, videlicet paulo post assumptionem suam ad summi pontificatus apicem, misisset, ut dicebatur, ambassiatores suos, nuncios speciales, scilicet reverendum in Christo patrem dominum episcopum Avinionensem, & dominum Petrum Blavi legum doctorem ejusdem domini nostri papæ referendarios, ad serenissimum principem & dominum nostrum dominum Carolum Dei gratia Francorum regem; qui quidem ambassiatores seu nuncii ex parte ipsius domini nostri papæ requisierunt, ut dicitur, præfatum dominum nostrum regem, quatenus ipse vellet mittere suos sole-

ANNO CHRISTI 1395.

solemnes nuncios ad eumdem dominum nostrum papam, ad finem, quod cum ipsius domini nostri regis bono consilio via inveniri, per quam cito posset in ecclesia pax & unio haberi, & schisma incessanter dolendum, quod jam per sexdecim annos & ultra duravit, sedari penitus & aboleri valeret; præfatusque dominus noster rex super hoc matura deliberatione præhabita, mandasset seu scripsisset archiepiscopis, episcopis, aliisque pluribus prælatis & personis aliis ecclesiasticis, magistris in theologia, doctoribus utriusque juris, litteratis, expertis & notabilibus sui regni, ut in festo Purificationis B. M. V. nuper præterito ad ipsum Parisiis interessent, & cum ipsis negotio mature digesto, posset suos ambassiatores instructos, prout negotii qualitas exigebat, ad eumdem dominum nostrum summum pontificem destinare. Postmodumque idem dominus noster rex hujusmodi domini nostri pontificis laudabile propositum in mente revolvens, & illud ad effectum, ut citius fieri posset, & non sine magnis & sanctis deliberationibus & considerationibus deducere ferventer affectans, ordinaverit, quod prælati & plures alii tam de suo consilio, quam alii viri licentiati, valentes, famati, & scientifici Parisiis existentes pendente termino seu die ad quem alii erant mandati, congregarentur in palatio suo regio Parisiis, ad conferendum super hujusmodi facto seu negotio diligenter, & quod spectabilis vir Arnaldus de Corbeya miles cancellarius suus Franciæ, & certi alii notabiles viri de consilio suo, quoties commode possent, ibidem interessent: ipsique prælati & alii plures, & quandoque dicto domino cancellario, & certis aliis de consilio ipsius domini nostri regis, ac nobis notariis publicis infra scriptis præsentibus, fuerunt congregati super hujusmodi materia, seu negotio conferendo, deliberando, & adjuvando, prout cuilibet melius & sanctius videbatur; nec non subsequenter die dicti festi purificationis & diebus subsequentibus usque ad præsentem diem decimam octavam mensis Februarii, in dictorum dominorum prælatorum & aliarum personarum in hujusmodi congregatione præsentium, quæ semper facta fuit in dicto palatio domini regis Parisiis in camera sua viridi, fuerunt sicut de die in diem successive veniebant.

Reverendissimi patres & domini, domini patriarchæ Alexandrinus, Carcassonæ, & Jerosolymitanus, S. Ponii Thomeriarum ecclesiarum perpetui administratores.

Archiepiscopi.

Lugdunensis.
Senonensis.
Remensis.
Rothomagensis.
Bituricensis.
Et Bisuntinus.

Dicti archiepiscopi Lugdunensis episcopi.

Eduensis.
Matisconensis.
Lingonensis.
Cabilonensis.

A *Dicti Senonensis archiepiscopi episcopi.*

Parisiensis.
Carnotensis.
Aurelianensis.
Antissiodorensis.
Trecensis.
Meldensis.

Dicti archiepiscopi Remensis episcopi.

Cathalaunensis.
Tornacensis.
Morinensis.
B Attrebatensis.
Noviomensis.
Laudunensis.
Suessionensis.

Dicti archiepiscopi Rotomagensis episcopi.

Bajocensis.
Abrincensis.
Ebroicensis.
Lexoviensis.
Constantiensis.

Archiepiscopi Turonensis episcopi.

C Cenomanensis.
Andegavensis.
Redonensis.
Nannetensis.
Mimatensis.
Aniciensis.

Archiepiscopi Bituricensis suffraganei. De provincia Burdegalensi.

Pictavensis.
Malleacensis.
Lucionensis.
Condomiensis.
Petragoricensis.
D Xantonensis.

De provincia Auscitana.

Aquensis.
Lectorensis
Conseranus.

De provincia Narbonensi.

Magalonensis.
Nemausensis.
Uticensis.

De provincia Tholosana.

E Apamiensis.
Rivensis.

De provincia Viennensi.

Valentinensis.
Gratianopolitanus.
Et Bethleem episcopi.

Nec

ANNO CHRISTI 1395.

Nec non abbates.

Cisterſienſis.
S. Dionyſii.
S. Remigii.
S. Benigni Divionenſis.
Montis S. Michaelis.
Resbacenſis.
Fiſcanenſis.
De Lyra.
S. Victoris prope Pariſios.
S. Georgii prope Rothomagum.
Jumetenſis.
S. Eligii Novionenſis, abbates.
Ac prior S. Martini de Campis.
Rothomagenſis.
Andegavenſis.
Remenſis.
Et capellæ Divionenſis decanus.
Magiſter Petrus *Dailly*.
Guillelmus de Gardino.
Ænidius de Campis.
Petrus *Plaoulf*.
Johannes Brevis coxæ.
Fratres Michael *Piquier*, & quidam alter de ordine Minorum.
Johannes de Huſtaria prior Auguſtinenſium Pariſienſium.
Petrus de Corruo prior B. Mariæ de Carmelo Pariſienſis.
Dominicus Herbolii de Aragonia dicti ordinis B. Mariæ, in ſacra pagina & decretorum magiſtri & doctores.
Nec non magiſtri Radulfus de *Karadoc*.
Johannes de Matiſcone.
Geraldus *Bagoul*.
Geraldus de Caſtro Morono & ejus ſocius, & Petrus Januti de ſtudiis Aurelianenſi, Tholoſano, & Andegavenſi, decretorum & legum doctores ſolemnes.
Jacobus *Coſſon*.
Guillelmus de Cauteriis.
Robertus de Donis in curia parlamenti conſiliarii regii.
Andreas Grangerii.
Johannes de *Melly*.
Radulfus de Ulmonte etiam in curia parlamenti cauſarum patroni.
Magiſtri Robertus de Freta.
Amelius de Brolio auditores ſacri palatii apoſtolici.
Et Guillelmus Bonnaterii, licenziatus in legibus, ſocius domini epiſcopi Aniciensis.
Prior Carthuſienſium Pariſienſium.
Prior Cæleſtinorum Pariſienſium.
Necnon Johannes Capitis Bituricenſis.
Johannes Plaonis Agathenſis.
Prior Prioratuum S. Columbæ de Savardino & de Volvento Caſtrenſ.
Guillelmus Muneti Abrincenſis.
Jacobus de Manſaugia *Chido* Ambianenſis.
Quidam alius Mimatenſis; epiſcoporum vicarii & nuncii officialis Lugdunenſis.

Bertrandus Geneſte archidiaconus Conſtantienſis, & quidam religioſus Almannus de ordine Minorum, magiſtri, viri litterati, & juris periti... & noſtrum notariorum prædictorum, præſtito ante omnia a ſingulis prænominatorum juramento de dando fidele conſil. in hac materia dicto domino noſtro regi, ſecundum eorum conſcientias & diſcretiones, antequam fuerint requiſita ſingulorum vota, fueritque materia repetitis vicibus ſolemniter diſcuſſa, & poſt hujuſmodi diſcuſſionem opiniones petitæ, & per unumquemque, paucis exceptis, certa die, immo certis diebus, ſecundum quod materia ipſa repetebatur, ſua opinio dicta fuiſſet. Hinc eſt quod in noſtrum notariorum prædictorum præſentia, præfatis dominis patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, & aliis perſonis ſupradictis, in camera viridi prædicta congregatis, & ſuper materia ſeu negotio hujuſmodi ſuam opinionem dicentibus, quia pro majori parte domini prædicti adhærebant opinioni unius dictorum dominorum, quæ erat in ſcriptis, & quædam alia opinio quæ per quemdam alium dominum tangebatur etiam in ſcriptis, fuit dictum, quod ambæ opiniones ſic in ſcriptis redactæ, alta voce & intelligibili legerentur: quibus lectis & intellectis, præfatus reverendiſſimus in Chriſto pater dominus patriarca Alexandrinus ibidem præſidens requiſivit omnes aſſiſtentes, quatenus ipſi per juramenta ſua jam præſtita, Deum ſolum habendo præ oculis, dicerent in hac parte quod conſcientia ſibi dictaret. Quo audito, ipſiſque dominis ſedentibus, & propter hoc congregatis & interrogatis ſuper præmiſſis ſingulariter & ſigillatim, fuerunt octoginta ſeptem ex ipſis, qui unanimiter tenuerunt opinionem contentam in cedula ſuper huc tradita, cujus opinionis articulus, omiſſis cauſa brevitatis aliis in ipſa cedula contentis ſequitur in hæc verba: concludendo & eligendo per modum opinionis & conſilii ſolum, attenta deliberatione religioſorum ordinis Cartuſienſis & Cæleſtinorum & univerſitatis Pariſienſis, & quod neceſſe eſt eccleſiæ ſanctæ Dei ſub periculo deſolationis ejuſdem, iſtud deteſtandum ſchiſma brevius quam fieri poterit extirpari, & eccleſiam uniri, nec viæ prætactæ aut aliæ quæ per ſcribentem imaginari valeant, ſint ſufficientes ad veram unionem, pacem firmam & concordiam animarum, præter viam ceſſionis utriuſque partis, iſtam viam ſatis communem, quaſi Sancti Spiritus eligit & regi conſulit per nuncios ſolemnes domini regis domino Benedicto conſulendam, ipſum & ejus collegium ad hanc omnibus bonis modis cum honore & reverentia decentibus, exhortando, exponendo tamen domino noſtro primitus alias vias prætactas cauſas, propter quas non approbantur de præſenti, & cauſas propter quas ceſſio utriuſque videtur eligenda. In caſu vero quo ſic dominus noſter rex cum dominis de genere ſuo, & aliis de conſilio ſuo ſic deliberaverit, modus ſignificandi & proſequendi poſſet eſſe talis, videlicet quod in conſiſtorio publice nuncii regis regratiarentur domino noſtro & cardinalibus de bonis intentionibus ſuis, & nunciis ſolemnibus per papam miſſis domino regi; ſignificarentur etiam in genere bonam intentionem domini regis, diligentiam per ipſum habitam circa materiam, convocando ſuos prælatos & alios notabiles viros, quorum & univerſitatis Pariſienſis habuit conſilium, & quod nuncii regis miſſi ſunt ad papam, ad ſciendum ipſius intentionem & viam per ipſum deliberatam, prout ipſe ſe dicturum per ſuos nuncios regi ſignificavit. Demum ad partem & ſecrete nuncii regis loqui potuerunt cum domino noſtro, relinquentes ejus arbitrio, ſi primo voluerit eis viam per ipſum deliberatam aperire, vel audire viam ex parte regis conſulendam, & quicumque primus viam aperiat, ſi ſunt concordes

des in nomine Domini. Si vero clare pateat nuncii regis, vel quod eligere vellet viam compromissi, seu concilii generalis, istas vias impugnent, secundum suas instructiones, per media prætacta & alia satis communia; sed si via per papam exponenda foret alias de tribus prætactis concilii, compromissi vel cessionis, revocaretur in dubium, an esset melior vel æque bona, quod est incredibile seu multum difficile. Tunc super hoc rex esset consulendus, & ejus beneplacitum expectandum. Præterea si dominus noster elegerit viam concilii vel compromissi, aut unam aliam viam quam cessionis, quæ non videtur ita fructuosa, sicut renuntiatio, post discussionem materiæ & inductionem aliquorum dominorum cardinalium, qui plus ad factum aspiciuntur, exponerent nuncii regis domino nostro Benedicto semper cum reverentia & honore, quod ex quo melior & brevior via quam cessionis non referretur regi, crederent quod rex viam sibi consultam per omnes vias & modos rationabiles & honestos sibi consultos & consulendos, usque ad effectum finalem penes reges & principes & subditos utriusque partis prosequeretur, si melior & brevior reperiri non posset.

ANNO CHRISTI 1395.

Item, fuerunt viginti duo, qui in toto tenore dictæ cedulæ non bene concordabant cum præfatis octoginta septem, quorum unus tradidit unæ cedulam manu sua scriptam: qua lecta, eidem cedulæ decem & novem ex ipsis viginti duobus potius quam primæ suprascriptæ adhærebant. Duo vero alii ex ipsis viginti duobus, ambo episcopi, dixerunt expresse, quod dictæ secundæ nullatenus adhærebant, cujus cedulæ tenor sequitur.

(a) Hanc cedulam per manus episcopi Xanctonensis traditam in consilio alibi legimus in eodem MS. *Martene*.

(a) Ad principale quæsitum, quo quæritur quid regi, principi & domino nostro consulo per eum domino nostro papæ consulendum pro breviori, honestiori, & faciliori modo unionis habendæ in universa Dei ecclesia, Deus cujus causa agitur, judicet scribentem; si aliter loquatur quam credit, & sentiat, negotio de quo agitur profuturum. Est igitur iste modus secundum eum, qui in pauco, aut nullo differt a modo aliorum saltem effectualiter. Sed quia ducendi sunt non trahendi, a quorum voluntate principaliter hoc dependet, est eis mos gerendus, præsertim cum nihil de specialibus obmittitur. Mittantur ergo solemnes ambassiatores ex parte regis domino nostro, & si sit possibile, domini patrui, aut alter ex eis, quoniam illis fas erit magis negotium accelerare, & illis verisimiliter dominus noster se effusius aperiet, & cum illi sint viri litterati & timentes Deum, habentesque rectum zelum causæ hujus, qui secum deferant, tacitis nominibus opinantium, effectualiter quæcumque hic gesta; fiatque in consistorio publico proposito stans in general. terminis regratiatoria, exhortatoria & oblatoria auxilii & favoris, postmodumque ad partem coram illis, de quibus domino nostro placuerit, petatur ab eo apertio viæ seu viarum, quas in hac materia dominus noster, ut asseritur, dicit se habere: quibus per eum apertis, si conveniat in via grata ambassiatoribus regis secundum instructiones illis datas, benedictus Deus, tunc ad executionem illius, absque hoc, quod per hæc verba ultra hic redire oporteat, incipiat manum apponere juxta ea, in quibus ibidem invicem concordabunt. Sin autem, quod non opiner, viam dominus non aperiret, vel saltem non factibilem aut nimis longam, vel aliter cum regiis ambassiatoribus & litteris per eos portatis non conveniret, tunc aperirent domino nostro omnia hic tacta, & vias exprimendo, quæ via habet plures sequaces, contando omnes vias in mundo, totum sine expressione personarum; & convenientia cujuslibet viæ & inconvenientia etiam exprimendo in quo resedit universitas, & in quo major pars hujus concilii. Et si dominus noster reduceretur cum ambassiatoribus, bene quidem, aliter tunc per D. card. quæ tanguntur, & alios de quibus videretur, honestiori tamen & secretiori modo quo esset possibile, & in terminis concilii, seclusa omni etiam artasione causativa sibi tangi facerent, etiamsi opus esset, addendo quod dominus noster ad viam brevem & factibilem se disponeret, quia rex erat propositi non ultra in hoc diffidio schismatis remanere; & si tunc non haberetur optatus finis, de cujus contrario credo esse certus, redirent ambassiatores ad regem, qui per convocationem secundam concilii, vel alias, ut materia exigit, provideret. Hoc tamen non admitto, quod si dominus noster offerret viam factibilem & bonam, licet non illam de qua essent ambassiatores per regem onerati, quod antequam redirent, hoc nunciarent regi & ejus expectarent responsum, an videretur, an via per dominum nostrum aperta, licet esset alia, regi esset accepta, qui in via rationabili decenter dominum nostrum papam præsertim in hac materia sequi deberet.

ANNO CHRISTI 1395.

Quibus sic actis, prædicta die decima octava Februarii, præfati domini prælati & personæ accesserunt ad præsentiam prædicti domini nostri regis, in domo sua S. Pauli Parisiis existentis, in camera parlamenti bassa, ubi ipso domino nostro rege sedendo in solio suo regio, assistentibus sibi dominis ducibus Bituricensi & Burgundiæ patruis, Aurelianensi germano Barbonii avunculo, comite Augi constabulario, dicto *Bancicaut* marescallo, domino Johanne de Vienna admiraldo, Guichardo Dalphini magistro balistariorum, multisque comitibus, baronibus, militibus, cambellanis & personis aliis de consilio dicti domini regis, præfatus dominus, dominus Patriarcha Alexandrinus in præsentia omnium prædictorum alte & intelligibiliter retulit regi omnia supradicta. Qua relatione sic facta, ante & posthac pluries prædictus dominus patriarcha de omnibus prædictis, dum modo prædicto fierent & dicerentur, petiit a nobis notariis prædictis fieri publicum instrumentum unum vel plura, ad opus ipsius & omnium quorum interest vel interesse poterit in futurum, & etiam præfatus dominus noster rex petiit sibi fieri de hujusmodi relatione publicum instrumentum. Acta fuerunt hæc Parisiis, anno, diebus, locis, & præsentibus quibus supra.

Et ego Johannes de Bordis in utroque jure Baccalaureus archidiaconus Parisiensis, publicus auctoritate apostolica notarius, congregationibus, discussionibus, cedularum traditionibus, relationi factæ per dictum dominum patriarcham Alexandriæ dicto domino nostro regi & omnibus aliis, dum fierent & dicerentur, prout in præsenti instrumento suprascripto continetur, præsens fui, exinde ipsum instrumentum alicna manu scriptum signo meo manuali signavi, & in eo me subscripsi, & hic rogatus & requisitus in testimonium præmissorum. *Bordes*.

ANNO CHRISTI 1395.

Et ego Gunterus Colli domini nostri regis secretarius, publicus apostolica & imperiali auctoritate notarius, congregationibus, discussionibus, cedularum traditionibus, relationi factæ per dominum patriarcham Alexandrinum dicto domino regi & omnibus aliis, dum fierent & dicerentur, prout in præsenti instrumento suprascripto continetur, fui præsens, & hoc ipsum instrumentum alia manu scriptum signo meo secretariatus manu mea signavi, & me subscripsi hic super hoc requisitus & rogatus in testimonium præmissorum. *Gontier.*

INSTRUCTION BAILLEE' PAR LE ROY NOTRE

Scire à messeigneurs les ducs de Berry, de Bourgogne, & d' Orleans, & autres ses conseillers & serviteurs, lesquelx il envoye presentement devers nostre saint Pere pour le fait de la paix & union de l' eglise universelle.

Ex Mart. Vet. Mon. t. VII. P. 41[illegible]. Ex MS. Bibl. regiæ.

PRemierement sera recitè que le schisme de l'erreur qui est en l'eglise a moult longuement durè par l'espace d'environ dix-sept ans, & que moult de grands perils des ames, maux & inconveniens en grant leison de nostræ foy chrestienne s'en sont ensuis, & se pourroient ensuir, si nostre mere sainte eglise n'estoit ramenée à vraye union.

II.

Item, que notre saint pere le pape Clement du tempus du roy Charles, que Dieu pardoint, & depuis à envoyé plusieures fois ses messagers solemnels devant luy, & aussy devers le roy nostre sire qui est à present, en leur priant, que eux voulissent mettre en peine, & travailler à oster le schisme, e mettre sainte eglise en paix; & que eux y ont grandement labourrè par devers les autres rois, princes, & seigneurs de la chrestienté, neantmoins dure encore ce schisme, & est moult enraciné; & que plus dureroit au temps à venir, de tant plus seroitil difficile à appaisier, & si bievrement remede n'y etoit mis, il seroit grand peril, qu'il fut perpetuel que Dieu ne vueille, ainsy que est la division de l'eglise Grecque & de l'eglise Latine.

III.

Item, que le roy a tousiour respondu & fait respondre aux messages, qui sont devenus par devers luy de par nostre saint pere Clement, & de par nostre saint pere qui est à present, comme il est en veritè, que c'est le fait du monde qu'il a plus à coeur, que de mettre paix & union en sainte eglise, en suivant les voyes de ses predecesseurs, & qu'il y veut exposer sa personne, les seigneurs de son lignage, sa chevance, & y faire tout ce qu'il pourra.

IV.

Item, que il est asses tost apres la creation de nostre saint pere Benoist, il envoya devers le roy ses messages solemnels, monsieur l'evesque d'Avignon, son mareschal, & messire Pierre Blau, qui dirent au roy entre les autres choses, que nostredit saint pere avoit accepte cet estat & son election, principalement pourtant faire en son temps, au plaisir de Dieu, que le schisme cessat, & que l'eglise fut en paix, & qui'il estoit tout pret sans aucun delay d'entendre à l'union de l'eglise par toutes voyes possibles & honestes, qui seroient avisées, & qu'il avoit toute sa fiance au roy & à nosseigneurs ses onces & freres, plus qu'en autres princes de la chrestienté; & supplioit au roy, qu'il luy pleust envoyer ses messages solemnels par devers luy, & par eux luy faire scavoir son intention sur cette matiere, & qu'ils fussent de telle auctorité, & si prouchain de lui, & tellement instruits, que quand ils seroient par dela, notre saint pere par le bon avis & deliberation d'eux & des seigneurs cardinaux du college pust conclure en cette matiere, sans qu'il fallust les messages retourner par devers le roy.

V.

Item, que asses tost apres le roy en sa presence fist respondre ausdits messages, qu'il se vouloit exposer & travailler en ce fait, comme dessus est dit, & qu'il envoyroit volontier ses messages pardevers nostre dit saint pere pour la maniere qu'il avoit requis, & que quand monsieur de Bourgogne son oncle és marches de Bretagne seroit retournè, il auroit avis quiex messagers il envoyroit devers le pape, & aussi sur ce que'il les chargeroit pour lui dire.

VI.

Item, que pourceque cette matiere est la plus grande qui pust estre, & que le roy & nosditis seigneurs l'ont tant à cuer que plus ne peuvent, & quæ sur ce le roy vouloit avoir & bon & grand conseil, & a mandè les prelats de son royaume, plusieurs abbez, prieurs, maistres en theologie, docteurs, deputez des etudes de Paris, d'Orleans, d'Angers, & de Toulouse, & plusieurs religieux des ordres de Chartreux, des Celestins, des Mandians, & autres sages hommes, & aussi a voulu avoir la deliberation de l'universitè de Paris, & ainsy la fait scavoir à nostre saint pere.

VII.

Item, qui environ la journée assignée aux prelats pour venir devers le roy, qui fust a la Chandeleur, nostre saint pere envoya derechef ses messages pardevers le roy, les dessusdits evesque d'Avignon, & Messire Perre Blau, & l'evesque de Tirasson, lesquiex ont encore suppliè moult instamment au roy qu'il luy plust avancer l'allée de ses messages pardevers le pape; & outre que le pape pour la sedation du schisme avit advisè une bonne voye & brieve, qui seroit plaisante au roy, & à tout le monde, & la quelle il diroit aux messages du roy, quand is seroient pardevant luy, & non à autres personnes.

VIII.

Item, que ces assemblées & consultations qui ont estè faites du commandement du roy, tant par les prelats & autres, qui ont esté avec eux, comme dist est, & aussi quant au fait

ANNO CHRISTI 1395.

fait principal par l'université de Paris, aussy comme le roy sceut par le rapport que luy a esté fait, plusieures voyes ont esté touchées & ouvertes par maniere d'avis & d'opinion tant seulement, non pas par maniere de determination, mais pour donner conseil au roy, a ce que le roy peust chargier ses messages pour faire exposer par eux son intention & advis au pape, ainsy qu'il l'a requis.

IX.

Tous ont deliberé, que pour avoir la grace du saint Esprit en la protestation & bonne conclusion de ce fait, est necessité d'avoir recours à Dieu par devotes oraisons, messages, predications, processions, aumosnes, & autres oeuvres precises, * combien qu'il ne suffise pas. Mais avec ce faut proceder à querir & elire la plus convenable & plus brieve voye pour mettre paix en sainte eglise.

* f. pieuses ou precieuses.

Prima via facti.

X.

Entre les voyes qui ont esté ouvertes a esté touchié de la voye de fait, c'est à sçavoir que l'intrus, ses anticardinaux, & tous ceux qui tiennent sa partie & son obeissance fussent contraints par la puissance du roy à venir à la verité, & a l'obeissance de notredit saint pere pape Benoist, le quel le roy, les seigneurs, le clergé, & le peuple de son royaume tiennent fermement & sans doute estre vray pape & vicaire de notre Sauveur JESUS CHRIST, & que ès temps passez plusieurs des roys predecesseurs du roy nostre sire ont bouté hors du saint siege de Rome les intrus, & remis le vray pape en son siege, & contraint par une voye de fait les rebelles luy obeir, que ce seroit l'honneur du roy de le faire par cette maniere.

XI.

Responsio viæ facti.

Neantmoins il semble aux dessus dits, que cette voye n'est point à conseiller au roy, à nostre saint pere; car elle seroit tres perilleuse, & avec les guerres que le roy a de present, il prendroit guerre à toutes les autres nations, qui sont de l'obeissance de l'intrus. Pourquoi d'inconveniens se pourroiient ensuir, que c'est sans nombre, & si pourroit aucun pour nos pechez par la puissance de nostre Seigneur, & pour nous punir, que nostre saint pere, qui a bonne & vraye justice, succomberoit, & que l'intrus obtiendroit; & supposé que par la voye de fait & de guerre l'intrus & tous ses anticardinaux fussent morts ou pris, & que nostre saint pere Benoist fust par le roy mis en son siege a Rome, ne seroit pas pour ce le schisme ostè, ny l'eglise en union. Car ja pour ce les nations d'Allemagne, d'Angleterre & d'Italie, d'Hongrie & autres, ne croiroient ja en nostre saint pere Benoist: mais diroient que a tort, par force & contre raison occuperoit l'eglise, & seroit le schisme plus fort qu'il n'est de present, & n'est pas pareil le schisme qui est en l'eglise aux schismes qui ont estè du temps passè. Car lors il etoit clair & evident, que l'un etoit intrus, combien qu'il fut soutenu de fait par aucun seigneur; mais à present combien que la partie de l'intrus soit fausse, toutesfois est-elle grandement colorée & fondée sur diverses ecritures & raisons, & soutenue par plus grand nombre de clercs notables, qu'il n'en a en l'obeissance de nostre saint pere Benoist; & si est certain que au commencement du schisme les deux clercs furent eleus par tout le college des cardinaux, ce qui n'est pas escrit.

ANNO CHRISTI 1395.

XII.

Secunda via est reductionis.

Une autre voye qui a esté touchiée esditte assemblées, est de reduction, c'est à sçavoir, que par bonnes exhortations & demonstrations de la justice de nostre saint pere Benoist, par messages & escritures, les roys, princes & seigneurs, le clergé & le peuple de l'obeissance de l'intrus fussent ramenés à la verité & obeissance de nostre saint pere Benoist, laquelle voye fut commencée au temps de nostre saint pere Clement, par la quelle plusieurs roys & royaumes vindrent à son obeissance, comme ce royaume, les roys de Castille, d'Aragon, de Navarc, d'Ecosse, & leurs sujets, & sembleroit que si le roy procedoit encore & y perseveroit, qu'il y pourroit bien profiter.

XIII.

Repulsio ejusdem.

Cette voye ne semble pas possible, ny à conseiller au pape, pour ce que le schisme est trop fort enraciné, & a duré trop longuement, & que durant icelui les intrus de Rome ont pourveu de fait tous les prelats, presque tous & autres gens d'eglise, qui tiennent obeissance de l'intrus, & sont aussi fort obstinez les roys, princes, prælats, les clercs & laïs de son obeissance, & leur erreur, comme les roys & autres seigneurs, les clercs & les laïs de l'obeissance de notre saint pere Benoist, sont fermes & constans en sa bonne justice, & qui plus est à present les nations estranges, Anglois, Allemands & autres sont tellement obstinez, que eux ne voudroient point oüir la verité de nostredit saint pere par messages, ny par lettres, aussi peu comme le roy & ceux qui tiennent la verité de nostredit saint pere Benoist voudroient oüir l'iniquité.

XIV.

Et outre supposé que l'intrus de Rome & tous ses anticardinaux par exhortations ou autrement se declarassent à l'obeissance de nostredit saint pere Benoist, qui n'est pas à croire que jamais se pust faire, ja pour ce les nations dessus nommées d'Allemans, d'Anglois & autres n'obeiront à nostre saint pere Benoist, mais feroient par elections de leurs prelats un nouvel intrus, comme si nostredit saint pere Benoist & tous ses cardinaux se declaroient à l'obeissance de l'intrus de Rome, ja pour ce les roys, les princes, les prelats & le peu-

peuple de son obeissance ne croiroient audit intrus, ni ne lui obeiroient.

ANNO CHRISTI 1351.

XV.

Tres via contenta in epistola universitatis Parisiensis.

Item, és assemblés qui ont esté faites dernierement sur cette matiere, ont esté reprises, les trois voyes autrefois ouvertes par l'université de Paris, contenant en une epistre, qui par elle fut baillée au roy depuis la saint Jean dernierement passée, de concile general, de compromis, & de cession.

XVI.

Via concilii generalis.

Quant à la voye de concile general, il sembleroit que ce fut la plus raisonnable de droit, car és faits concernans la foy ou l'estat de l'universelle eglise, comme est le schisme, le pape est sujet au concile, & en peut le concile juger & determiner. Si le jugement étoit donné par le concile general, chacun y obeiroit, & si est à croire que la sentence seroit juste & raisonnable, & que Dieu ne souffriroit qu'en ce fait qui touche la foy, le concile general errast; & supposé qu'il errast, chacun en seroit excusé en sa conscience, en obeissant en la sentence, & dient aucunes ecritures anciennes que autrefois a ainsy esté fait.

XVII.

Reprobatio quo ad præsens propter prolixitatem.

Cette voye quant à present ne semble point à conseiller pour plusieurs raisons, l'une que pour la division de l'eglise, ou concile n'y aroit point de chef, ou il y en aroit deux pour les deux obeissances, l'un nostre saint pere Benoist, & l'autre intrus, qui seroient contraires ensemble, & si l'en vouloit assembler les prelats & clercs notables de la chrestienté, ce seroit trop difficile de les assembler, & si sont ceux de la partie de l'intrus en plus grand nombre la moitié, ou les deux parts, & si faudroit appeller & ouir les deux parties en leur fait & raisons, ceux qui tiennent la vraye obeissance de nostredit saint pere soutiendroient sa justice, ceux de l'obeissance de l'intrus soutiendroient la sienne; & dient aucuns qu'il y auroit des faits contraires, si n'y auroit point de fin: & s'il avenoit que sentence fut donnée, il pourroit avenir qu'elle seroit pour l'intrus, ce non obstant ceux de l'obeissance du pape Benoist; ou pourroit avenir qu'il seroit adjugié, que l'un ny autre n'y aroit point de droit, si demeuroit l'eglise en grand erreur & sans chief, & outre par la sentence du concile qui seroit donnée pour l'un d'eux, il n'auroit pas droit acquis en la dignité de pape, s'il n'y avoit droit paravant, & tousjours pourroient dire ceux qui paravant n'y croyoient pas, qu'ils ne seroient point appaisiez de leur consciences; & si nostre saint pere elisoit celle voye du concile, l'intrus pourroit dire, qu'il repute tous les prelats, clercs, & autres de l'obeissance de nostredit saint pere excommuniez, schismatisques, privez de tous estats, & qu'ils ne devroient avoir voix au concile, & les tiendroit pour suspects; & pareillement pourroit dire nostre saint pere de ceux de l'obeissance de l'intrus.

ANNO CHRISTI 1395.

XVIII.

Item, qui est fort à noter en toutes les voyes ouvertes en cette matiere. Il est à croire qu'il y faudra garder egalité, & l'honneur de chacune des parties, & des roys, princes, & autres seigneur, qui ont tenu l'un & l'autre obeissance, & s'il estoit determiné par le concile pour l'intrus, il s'ensuivroit que le roy, & tous ceux qui ont tenu l'obeissance de nostre saint pere Clement eussent erré, qui seroit grand reproche au roy. Car il n'est pas trouvé que aucun de ses predecesseurs errast oncques au fait de la foy; & s'il estoit sententié pour pape Benoist, les autres nations se tiendroint pareillement injuriées, & pour ce n'est-il point a croire que jamais le concile en osast ou pust determiner.

XIX.

Via compromissi continens in se cessionem videtur eligenda, quia mitior quam concilii generalis, & non tam præcisa, quam via cessionis.

La voye de compromis, c'est à scavoir que les deux parties du consentement de leurs colleges se soumissent en arbitrage ou ordonnance d'aucunes bonnes personnes qu'ils eliroient, lesquels eussent puissance de mettre paix en l'eglise par toutes voyes que ils pourroient adviser, & par la voye de cession, si bon leur sembloit, & que dés maintenant chacun renoncast à son droit, s'il estoit ordonné par les arbitres, que ainsy deust estre fait, semble de premiere face bien amiable & raisonnable. Car à cette voye les parties devroient estre assez enclines, pour ce que elle n'est pas si rigoureuse que la voye du concile general, & n'est pas si dure, ny si precise, comme seroit la voye de renonciation ouvrir de prime face, & si seroit bien brieve si les parties la vouloient consentir.

XX.

Non videtur consulenda propter rationes tactas in reprobatione concilii generalis.

Neantmoins à la partie la plus grande de ceux qui ont esté ensembles, cette voye ne semble pas à conseiller. Car il semble à plusieurs, que la dignité de pape, qui est chose pure spirituelle du vicaire de Jesus-Christ, ayant puissance de lier & absoudre, & qui à la cure des ames de tous chrestiens, ne peut cheoir en compromis au arbitrage, ni en paction, comme convenances ou obligations quelconques; & si auroit tres grande difficulté à elire les arbitres: chacun eliroit personnes à luy favorables, & ne se pourroient les arbitres accorder; car chacun voudroit soutenir se partie, & s'en ensuivroit les inconveniens dessus touchiez en la voye de concile general. Car il faudroit appeller les parties, ouïr leurs faits & raisons, & ne pourroit la sentence des arbi-

ANNO CHRISTI 1395.

arbitres attribuer droit à celuy qui ne l'auroit paravant. Et si l'une des parties obtenoit sentence des arbitres, les roy, princes & autres de l'obeissance de la partie adverse, ne croiroient point en celuy qui auroit sentence pour soy, & ne luy obeiroient point, pourquoy tousiours tenroient le schisme, & ne seroient point les consciences appaisiées.

XXI.

Ad idem non videtur consulenda, quia ex quo oporteret per compromissum frustra essent arbitri, & sic esset circuitus.

Item, si le compromis enclouoit en soy la voye de cession, qui seroit de necessité, comme dist est, il n'est point à croire que les parties le voulsissent consentir, & si feroit un circuit superflus de faire compromis, puisqu'il faudroit venir à cession, & est à presumer que chacunes des parties, s'il le falloit faire, aimeroit mieux & deliberament & de sa franche volonté, que par ordonnance des arbitres, & que ce seroit plus grand merite à Dieu, & plus grand honneur au monde. Et disent aucuns, que si en faisant le compromis, chacunes des parties renonçoit à son droit, si les arbitres l'ordonnoient, cette renonciation ne seroit pas valable, & que la renonciation devroit estre simple, pure & absolue, ainsy comme l'acceptation, & aussi la sentence des arbitres ne pourroit estre executée, car elle ne causeroit point d'action fors de la peine, si elle y estoit apposée, & si n'y auroit point de souverain, qui en fit droit ny execution.

XXII.

Ad idem non videtur consulenda, quia orirentur disputationes.

Item, supposé que cette voye de compromis & de cession par condition se pust soustenir, & que les arbitres peussent jugier du droit des parties, ou de la cession, toutesfois plusieurs le pourroient ramener en doute, mesmement ceux de la partie de l'intrus, & semble pour le bien de la paix & d'union, que l'on ne doit point conseiller par quelconque voye la discussion du droit des parties, qui seroit impossible, ny voye quelconque qui chiet en doute ou disputations; mais doit estre conseillée la voye plus claire, plus brieve, plus egale, tant d'un costé comme d'autre, & par la quelle les coeurs & les consciences soient du tout appaisiées.

XXIII.

Per omnia referent papæ, quæ facta & dicta fuerint.

Aucuns ont touchié que sans conseiller par maniere ou d'opinion acune voye particuliere toutes les voyes qui ont esté ouvertes en ces assemblées, les raisons pour les fonder, & les doutes au contraire, fussent rapportées à nostre saint pere, afin qu'il eust bon avis & consideration sur tout avec nos seigneurs les cardinaux, & que l'on s'en rapportast à sa discretion, qu'il eust la meilleure de voyes qui auroient esté ouvertes, ou autre meilleure, si elle avoit esté avisée, & que ce seroit plus garder son honneur, qui doit bien estre gardé en cette maniere, & qu'il en seroit plus enclin à condescendre à toute bonne voye, & que l'on ne pourroit plus dire, qu'il ait esté reduit à elire aucune voye particuliere, mais l'auroit esleu de son mouvement mesmement: car, comme dit est, les derniers messages du pape ont dit au roy, que le pape advise un tres bonne voye, qu'il dira aux messages du roy, quand ils seront pardevers luy.

XXIV.

Ce non obstant, il a semblé que ceux qui ont esté mandez par le roy pour cette cause, & qui ont fait serment de le loyaument conseiller, luy doient conseiller la voye qui leur semble la meilleure, la plus brieve, la plus appuissante, & que autrement eux ne se acquitteroient pas bien envers luy, ni le roy envers le pape & l'eglise mesmement. Car de toutes les voyes qui ont esté touchées, il n'y en a aucune, qui leur semble convenable quant a present à la plus grande partie de trop loing de ceux qui ont esté ensemble, fors celle qui cy aprés sera declarée, si feroit contre leur conscience de conseiller au roy les autres pour les faire monstrer au pape en general, si un ne luy disoit toute la verité du conseil; c'est à sçavoir qu'elles ont bien esté ouvertes, mais elles ne semblent pas souffisantes, & les causes pourquoy. Et outre, le roy pour neant auroit mandé ses prelats, se il ne sçavoit leurs advis de la meilleure voye, mesmement que il y a plus de demy an que par l'epitre dessus ditte baillée par l'université de Paris, les voyes ont esté ouvertes, & les raisons servans à icelles; la quelle epitre est toute notoire. Et avec ce si le pape demandoit aux massages du roy, la quelle de toutes les voyes sembleroit au roy la meilleure, & ils n'en disoient l'advis du roy, le pape pourroit differer jusqu'à temps qu'il eust sçeu sur le certain l'intention du roy, & conviendroit retourner ou renvoyer devers le roy, qui feroit grand delay, en grand dommage de la besoigne, qui requiert celerité, mesmement pour eviter le peril des ames & de consciences, qui est si miserable, que de damnation, si Dieu n'y pourvoit

XXV.

Quod non est verisimile, quod papa sciat aliam viam cessionis æque bonam & brevem.

Et ne doit mouvoir ce que le pape doit une bonne, &c. car s'il la dit meilleure que celle qui est conseillée au roy, qui n'est pas bien à croire Benoist, & s'il ne la dit meilleure, les messages du roy doivent estre instruits sur le certain de la voye qui semble au roy la meilleure, afin que la conclusion y soit prise par delà par l'ordonnance de nostre saint pere; tellement qu'il ne faille point retourner pardevers le roy, qui est ce que nostre saint pere a fait-equerir, si n'est au cas qui cy aprés sera declaré.

XXVI.

ANNO CHRISTI 1395.

XXVI.

Quod consulendum sit papæ, quod eligat viam cessionis, tamquam meliorem & breviorem, &c.

Item, que aprés que toutes les voyes que ceux, qui ont esté assemblez par plusieures journées pour cette matiere ont pû adviser, ont esté grandement ouvertes, & debattues, consideré que ce doulereux schisme a trop duré, & qu'il est chose necessaire à l'eglise, que brievement il prenne fin, autrement il seroit taillé d'estre perpetuel; ils ont esté d'opinion plus de trois parts de conseiller au roy, qu'il conseille & exhorte nostredit saint pere par les messagers qui seront envoyez devers luy, elire la voye de renonciation, pourveu que l'intrus de Rome pareillement renonce, & non autrement, & que aucune autre voye ne leur semble souffisante pour plusieures raisons.

XXVII.

La premiere: car de toutes les autres voyes qui ont esté touchées s'ensuivroient grands inconveniens, & ne seroit pas le schisme appaisié, ni sainte eglise en paix, comme dessus est dit; & par la voye de renonciation cessent tous inconveniens, & s'en peut brievement ensuir la vray paix de l'eglise, l'appaisement des coeurs & des consciences, egalité gardée, & tous esclandes ostez; à cette voye se descendent continuellement, comment meu du S. Esprit, ceux qui longuement y ont pensé, comme l'université de Paris, les religieux dessusdits & autres personnes devotes, les clercs, theologiens & decretistes.

XXVIII.

La seconde: car aucuns qui sentent de l'intention de l'intrus & de ses anticardinaux, & aussi des rois & princes de son obéissance, disent qu'ils sont enclins à la voye de renonciation de chacune des parties, & non à autre, & ne doivent point douter ni differer les parties à renoncer chacun à son droit pour la paix de sainte église, qui autrement ne se peut faire, mais y sont tenus; car le bon pasteur doit exposer son ame & sa vie pour la paix & conservation de ses sujets, desquiex il a le gouvernement, & doit plus vouloir renoncer à son estat, que souffrir la desolation de sa dignité pour eschiver l'esclande de la Chrestienté, qui autrement ne peut être appaisié. Et si comme les prelats sujets de notre saint pere, sont tenus de droit renoncer à leurs prelatures pour eschiver l'esclande de leur pueple, par plus forte raison tant nostredit saint pere comme l'intrus, sont tenus de renoncier à leurs estats pour la vraye union de la Chrestienté, & celle voye doivent conseiller tous les sujets de l'une obeissance & de l'autre. Car eux doivent avoir plus de regard à la réintegration & conservation de la dignité du pape, & à l'honneur de sainte église, que à l'honneur ou estat de l'une partie, ni de l'autre, comme personnes privés, attendu que les sujets ne sont tenus à la personne du pape, fors que pour raison de sa dignité.

XXIX.

La tierce si est: que l'on dit assez communement, que vivant notre saint pere Clement, nostre saint pere qui est à present, lors cardinal de la Lune, etoit de cette opinion, & que apres son retour de la legation qu'il fit en France, il le dit à nostredit saint pere en la presence des cardinaux, qu'il n'y avoit point d'autre voye souffisante, que la cession; depuis le trepas de nostredit saint pere Clement, quand nos seigneurs les cardinaux furent assemblez au conclave pour faire leur election, chacun d'eux promit & jura, si comme l'on dit communement, que s'il avenoit qu'il fût elû, il mettroit peine a la paix & union de l'eglise par toutes voyes qui sur ce lui seroient conseillées, jusq'a renonciation incluse. Et depuis que nostredit saint pere fust elû, il l'a aussi dit à plusieures personnes, & l'a escrit à pleusieurs de ses amis tant en France, comme ailleurs, & dient aucuns qui sont venus d'Avignon de nouvel, qu'il a preschié publiquement, & qu'il persevere en ce saint propos sans variation aucune, en demontrant sa prudomie, & que ce qu'il disoit etant cardinal, procedoit de vraye entention.

XXX.

La quarte: que combien que les assemblées dessusdites aucuns en bien petit nombre ayent fait doute de conseiller simplement la voye de renonciation, & ayent touchié de faire ouvrir a nostre saint pere toutes les voyes advisées, sans en ellre aucune, & aucuns d'eux & tres-peu ayent esté enclins à la voye du concile general, ou du compromis, toutesfois ont eux declarez comme tous, que leur intention estoit que le concile ou les arbitres ordonnassent finablement, que chacune des parties renonçât, & que à cette voye falloit il venir, & que les parties fissent leur devoir & grande charité, s'ils offrissent cette voye de leur mouvement sans induction; & par consequent tous tiennent que c'est la meilleure & la plus brieve. Pourquoi s'ensuit, que sans aucun circuit, elle est conseillée au roy, & que le roy doit chargier ses messages de la conseiller à nostre saint pere par la forme & maniere qui sera cy-apres declarée. Car le delai peut être cause de la perdition des ames sans nombre, & pourroit avenir, que l'une des parties mourroit, ou autres empêchemens surviendroient, que l'on ne pust voir à present.

Quod domini nec alii nuncii regis non faciant supplicationem papæ.

XXXI.

Soient bien recors les ambassadeurs du roy, & chacun d'eux, quand il seront en Avignon, du serment qu'ils ont fait, quand ils se chargerent de cette legation, qui est telle qu'ils ont promis & jure solemnellement, que eux ne feront ni feront faire aucune supplication ou requeste pour eux, ni pour quelconque cause ou besoigne que ce soit par voye directe ou oblique, à nostredit saint pere, aux cardinaux, ni à autres, jusques à temps que le fait principal de l'eglise, pour le quel ils sont envoyez par-

par-delà, soit expedié, tellement qu'ils ayent A
ANNO CHRISTI 1395. response sur ce qu'ils auront exposé au pape.

XXXII.

De juramento facto per quemlibet cardinalium in introitu conclavis.

Item, pour ce qu'il etoit tout commun à Paris & ailleurs, que avant l'election de nostredit saint pere, luy & tous les autres cardinaux de son college firent serment solemnel chacun par soy, contenant que s'il avenoit qu'il fût elû, il laboureroit a l'union de l'eglise par le conseil du college & du roy par toutes voyes, jusqu'à renonciation incluse, avec au- B
cuns autres points, & que du serment fût fait instrument; le roy pour estre mieux advisé, des avant la journée de la Chandeleur, ecrit bien affectueusement à nostredit saint pere, & à plusieurs des cardinaux, que la cedule qui fut faite sur ledit serment lui fût envoyée, ou au moins une copie collationnée à l'original & instrumentée, & sembloit au roy & à nosseigneurs ausquiex en fut parlé, que le pape le deust ainsi faire, & y envoya le roy en une cedule enclose dedans ces lettres la forme telle que aucuns disoient être du serment dessusdit.

XXXIII.

Quomodo papa rescripsit dictam schedulam esse confectam, &c. sed fatetur plura secreta fuisse dicta, quæ pandet nunciis regiis.

Item, que apres assez grand delay, & que le chevaucheur eut demeuré quatorze jours en Avignon, nostre saint pere a rescrit par ses bulles au roy, que la dite cedule enclose es lettres du roy etoit feinte, non contenant verité; mais il estoit vray que avant l'entrée du conclave & depuis l'issuë, pleusieurs choses avoient èsté trajectées, & purparlées, & mises par ecrit, qui etoient à tenir secretes pour l'utilité de la besoigne, & que aux messages que le roy envoyeroit par delà, le pape communiqueroit toutes choses comme secretes qu'elles fussent, sans rien celer de son entention, en priant au roy qu'il avançât ses messages, qui fussent tels que le pape leur peust tout ouvrir, & que le roy connoistroit que le pape ne l'a pas fait pour delayer.

XXXIV.

Quod domini habeant supplicare papam, quod tradat eis in scriptis quæ fuerint dicta & promissa in introitu conclavis & in exitu.

Item, semble expedient que les dits ambassadeurs, quand eux parleront à part à nostredit saint pere, comme cy apres sera dit, lui requierent de par le roy les dites escritures faites au conclave par nostre saint pere et le college, pour tout voir et considerer, et mieux entendre la matiere, ainsi comme nostredit saint pere a ecrit au roy.

XXXV.

Item, ont aucuns advisé, que avec les ambassadeurs du roy voisent en Avignon les deputez de l'université de Paris des quatre facultez, pour temoigner leur opinion, ou pour la soûtenir, si mestier est, et repondre aux grands clercs qui sont en cour de Rome, si eux la vouloient impugner, ou conseiller autre voye qui ne fust meillure ou plus brieve. ANNO CHRISTI 1395.

XXXVI.

Quæ dicentur in publico.

Quand les messagers du roy seront devers nostre saint pere, il pourront exposer en public en consistoire, comment le pape a envoyé ses messagers solemnel par deux fois devers le roy, la creance qu'ils luy ont dite, &c. les responses en general que le roy leur faites, & mercieront le pape de ce que ainsi a envoyé devers le roy, & de ce qu'il lui a fait dire, & exposeront la grande affection du roy à la paix de l'eglise, & qu'il veut aidier, conforter & conseiller de toute sa puissance; & que pour cette cause a fait assembler les prelats & plusieurs du clergé de son royaume, & y a envoyé tels seigneurs de son sang, si grands & si prochains de lui, comme ses oncles & son frere.

XXXVII.

C *Quod papa primo aperiat viam, quam dicit se habere æque bonam, &c. & si nolit, aperiat sibi cessionis viam.*

Item, que apres ce que les ambassadeurs du roy auront porté en public & en general à nostredit saint pere, eux lui diront qu'ils desirent à parler a lui secretement & a part en presence de peu de gens, tels qu'il lui plaira: quand ils seront à part, lui pourront dire qu'il a fait sçavoir par ses messagers, qu'il a advisié une tres bonne voye & brieve pour l'union de l'eglise, la quelle il ouvriroit aux ambassadeurs du roy, quand ils seroient pardevers lui, pourveu qu'ils fussent seigneurs de D
telle autorité & si prochains du roy, qu'il leur pust tout dire ainsi comme a la personne du roy; & que s'il lui plût ouvrir la voye, les messagers du roy l'oiront volontiers, & que pour cette cause le roy y a envoyé tels seigneurs comme dit est. Si supplieront au pape, qu'il leur ouvre la bonne voye qu'il a advisée, & toutefois si nostre saint pere vouloit ouvrir premierement l'avis du roy & de son conseil, si en soit fait a son plaisir, combien qu'il semble qu'il vaudroit mieux, que le pape s'ouvrît le premier.

XXXVIII.

E *Si ambæ essent via & eadem quomodo practicarentur.*

Item, s'il avenoit par la grace de Dieu, que la voye advisée par le pape, & celle qui est conseillée au roy fussent tout une, c'est à sçavoir, la cession des deux parties, benoit soit nostre Seigneur, & lors seroit traité de la maniere de la poursuite de l'exécution d'icelle voye, & de l'election d'un seul chief en sainte eglise, comme cy après sera touchié; & si nostredit saint pere avoit meilleure voye, & plus brieve clairement, que la voye de renon-

ANNO CHRISTI 1395.

nonciation, & qu'il n'y est point de doute, la quelle chose ceux qui ont esté assemblez pour cette matiere ne peuvent imaginer, si les ambassadeurs du roy n'en faisoient point de doute, ils l'accepteroient, & avec nostredit saint pere & le college avileroient ensemble comment elle seroit executée. Et si nostredit saint pere élisoit la voye du concile general & du compromis, ou aucune des autres voyes dessus recitées, ou aucune autre voye, qui n'ait point esté ouverte pardeça, qui ne fust pas si bonne, si brieve, ny si appaisante, comme la voye de renonciation, les ambassadeurs du roy la debattront & exposeront tout au long la maniere par la quelle le roy a procedé en cette matiere; & diront les causes & les raisons pour le squelles la voye que nostre saint pere éliroit, puisque ce ne seroit la renonciation ou autre meilleure & plus brieve, ne seroit pas souffisante, en gardant tousjours l'honneur & la reverence, qui est à garder à notre saint pere, & l'exhorteront par toutes bonnes paroles, & par le moyen d'aucun de nos seigneurs les cardinaux, qui sont de cette opinion, comme de condescendre à la voye de cession. Et si finablement ne vouloit condescendre, ni ouvrir meilleure voye & plus brieve, lui pourront, à telle reverence comme dit est, les ambassadeurs du roy dire qu'ils croyent que puisque notre saint pere nommera meilleure voye, le roy voudra perseverer & pourchacier de metre à effet par toutes manieres raisonnables & honnestes la voye qui lui aura été conseillée pardevers les roys, princes, prelats & autres, tant de l'une obeissance, comme de l'autre, ainsi comme il y est tenu, & ainsi sont tous bons Chrestiens, & que nostredit saint pere & les cardinaux y sont encore plus tenus que nul autre. Et en ce cas faudroit retourner les ambassadeurs du roy pardevers luy, & auroit le roy nouvel conseil sur ce qu'il auroit à faire au surplus.

XXXIX.

Modus practicandi viam cessionis

Item, es assemblées qui ont esté faites sur cette matiere du commandement du roy, comme dit est, a esté ouvert par les clercs, theologiens & canonistes, la forme par la quelle de droit divin & canonique, si l'eglise de l'une obeissance & de l'autre perseveroit à la voye de renonciation, elle pourroit estre raisonnablement excutée par l'aide des roys, princes & seigneurs d'une partie & d'autre; toutefois pour la bonne esperance que l'on doit avoir, que nostredit saint pere consentira liberalement la meilleure voye, il n'est pas expedient de present d'en plus avant ouvrir, si à Dieu plaist, il ne sera la necessité.

XL.

Item, si nostredit saint pere ouvroit aucune autre voye, que l'une de celles qui sont cy-dessus touchées, & que les ambassadeurs du roy fissent doute si elle seroit meilleure & plus brieve, ou aussi bonne que la voye de cession, & ne leur apparust pas clairement qu'elle ne fust point souffisante, eux ne l'accepteroient ni refuseroient; mais la feroient sçavoir au roy par leurs lettres ou par l'un d'eux selon leur discretion, pour en avoir la deliberation du roy.

ANNO CHRISTI 1395.

XLI.

S'il plaisoit à nostre Seigneur que notre saint pere ouvrit la voye de renonciation, telle que dessus est touchiée, & que luy & les cardinaux voulsissent traitier avec les ambassadeurs du roy de la maniere de la prosecution, il semble qu'il seroit expedient que hastivement nostredit saint pere & le roy signifiassent cette voye qui ainsi seroit advisée, aux roys, princes, & seigneurs notables de son obeissance, pour avoir leur conseil & leur consentement sur la maniere de la poursuir, afin qu'ils en fuissent mieux content, & que ceux aidassent à l'execution, & ne pussent pas dire que le pape & le roy voulsissent proceder en cette matiere de leur autorité, sans l'avis des autres roys & princes de leur partie. Et si feroit la voye elue par entr'eux de trop plus grande autorité pardevers les autres roys & princes de la partie adverse, que si elle n'estoit elue, fors par le roy & le pape seulement.

XLII.

Item, que au cas dessudit du consentement de nostredit saint pere, pour abreger l'execution de cette voye, est advisé par aucun de nosdits seigneurs qui vont devers le pape, tantost apres son consentement, l'escrivent aux roys de Castelle, d'Arragon & de Navare, en leur priant de par le roy & de par eux, que sur le bon & saint propos de nostre saint pere de renoncier, &c. chacun d'eux ait avis & bonne deliberation, & a ce se veuillent consentir, & leur deliberation le plus hastivement que faire le pourront signifier par leurs messages, ou au moins par leurs lettres contenant le fait tout clairement au roy, afin qu'il en puisse certifier les autres roys, princes & seigneurs de la Chrestienté.

XLIII.

Item, que obtenu le consentement des roys & grands seigneurs de cette obeissance à la voye de renonciation, elle seroit à signifier aux roys, princes & grands seigneurs de la partie adverse es citez d'Italie, pour eux induire par les causes & raisons dessusdites & autres, a consentir cette bonne voye, & à induire l'intrus de Rome & ses anticardinaux à la consentir; & est à presumer que autant ils desirent la paix & l'union de l'eglise, comme font ceux de l'obeissance de nostre saint pere Benoist; & qu'ils induiront leur intrus & son college par toutes manieres à consentir cette voye; & pourront estre advisez les roys & seigneurs de sa partie, que s'il ne la vouloit consentir, eux le doivent reputer comme fauteur & auteur du schisme de l'eglise, & monstreroit evidemment, qu'il n'auroit point de droit au saint siege de Rome, & lui devroient soustraire toute obeissance, & y pourroient estre mis autres remedes de droit.

ANNO CHRISTI 1395.

XLIV.

Item, selon ce que les faits se disposeront en la prosecution de la matiere, le roy en pourroit escrire à l'intrus, & à aucuns de ses anticardinaux, en reprenant les lettres dudit intrus par lui envoyées au roy, par lesquelles il exhorte & induit le roy par plusieures belles causes & raisons, à mettre peine à l'union de l'eglise, & le reprend de ce qu'il a tant attendu, & semble qu'il innue, que le roy devroit estre principal moyen d'appaiser ce schisme, si auroit le roy bonne matiere de luy ecrire la diligence qu'il y a mise, & la voye qui sera advisée pour avoir paix, & de le sommer & requerir, qu'il veuille condescendre, & que s'il ne le vouloit ainsi faire, il montreroit qu'il n'auroit point bonne intention à la paix de l'eglise.

XLV.

Item, disent aucuns que le roy devroit escrire plus especialement à l'anticardinal Reatin de cette matiere; car c'est celui que l'on dit avoir plus grande affection à l'extirpation du schisme. Il est un gran clerc, il est bien puissant, il ne craint point l'intrus, & que si le roy & aucuns autres seigneurs le veulent soutenir, il pourra faire du bien assez.

XLVI.

Et pour ce que aucuns ont touchié que le roy devroit requerir aux autres roys & princes de la partie adverse, qu'ils s'assemblassent en aucun lieu, & que le roy envoyeroit devers eux pour eux signifier la voye qui seroit advisée par nostredit saint pere, & lui & les autres seigneurs de son obeissance; ou qu'ils envoyassent leurs messagers devers le roy, ausquiex la voye desusdite seroit exposée, pour icelle rapporter à leurs seigneurs; il semble qu'il ne seroit pas expedient de faire ainsi: car il n'est pas à croire que si legierement les autres roys & princes assemblassent sans aucune certaineté: & supposé qu'ils s'assemblassent, ne voudroient ils rien deliberer, ni repondre en si haute matiere sans avoir le conseil de leurs prelats, clercs & autres, & pour les assembler & ouir, les conviendroit retourner en leur pays, & passeroit le temps avant que le roy pust estre certifié de leur entention; & si ne souffiroit pas que les dits roys & princes envoyassent leur messages devers le roy, pour sçavoir la voye qu'il auroit advisée pour la paix de l'eglise; car trop plus surement le roy seroit sçavoir par ses messages cette voye aux roys & princes; que par leurs messages mesmement, qu'en la declaration de la voye qui sera elue, & en l'impugnation des autres voyes, & en l'execution de tout le fait sont à exposer moult de difficultez, qui ne sont pas à commettre à gens estrangeres.

XLVII.

Item, si à l'execution des roys, princes, seigneurs, & sujets de l'intrus, il condescendoit à la voye de cession, il semble qu'il faudroit que les parties & leurs colleges s'approchassent es marches des deux obeissances, & que nostre saint pere Benoist & ces cardinaux se transportassent en aucune cité en bonne ville de son obeissance es partie de Piemont, comme pourroit estre la cité d'Ast, ou autre voisine, & que l'intrus & ses anticardinaux se transportassent en aucune cité prochaine à une journée ou à deux, & que aucuns grands seigneurs, tant de l'une obeissance, comme de l'autre, accompagnez des prelats, chevaliers, & de bons clercs se transportassent au pays en tel lieu qu'il seroit advisé, pour tenir les deux parties, & leur colleges en leur franchise & liberté, & pour traiter & accorder entr'elles de plusieures grandes difficultez, qui seront à traittier avant les renonciations des deux parties par especial sur la matiere de l'election d'un nouvel successeur paisible, qui ne fut pas rappellé en doute.

XLVIII.

Et est moult à noter en celle matiere, que toutes les difficultez soient appointées avant la renonciation. Car autrement l'eglise demourroit sans chief & sans pasteur, & seroit aussy grand inconvenient ou plus, que celuy qui est à present.

XLIX.

Item, si les parties ou aucunes d'icelles avant qu'elles s'approchassent, comme dit est, requeroient que les points & difficultez qui seroient à traittier & accorder entr'elles pour avoir paix fussent traittiées, & accordées par procureur d'une partie & d'autres, & qu'elles souffrissent de leur bailler plain pouvoir à cette voye, ne seroit point souffisant ni convenable, tant pour doute des revocations des procureurs, pour ce qu'ils pourroient avoir instructions à part, qu'ils n'oseroient passer; mais est de necessité que les parties & les colleges s'approchent au plus pres que faire se pourra, pour abregier la conclusion, & si pouvoit survenir plusieurs doutes, que les procureurs ne pourront accorder, & s'il les falloit retourner devers les parties, ce seroit trop grand delay; & si est à presumer, que si les parties sont bien approchées, comme dit est, jamais ne s'en partiront sans accord.

L.

Item, il semble que avant le renontiation faudra ordonner que tous soient absous d'une partie & d'autre, & soient faites dispensations d'irregularitez, & d'autres vices, & tous les proces, sentences & fulminations d'une partie & d'autre rappellées & mises au neant, que tous les prelats & beneficiers d'une partie & d'autre demeurent en leur estats, & leur soient leurs benefices confirmez ou conferez de nouvel, & pareillement des cardinaux tant d'un costé comme d'autre; & pource qu'il y a plusieurs eveschiez en division, desquiex l'une partie est obtenue par un qui a titre de l'intrus, pourroit estre ordonné, que celui qui est receu par l'eglise cathedrale & par le chapitre seroit reputé possesseur, & auroit le tout, & l'autre seroit aucunement recompensé. Et quant aux autres benefices, le possesseur ou de la plus grande partie obtiendroit. Et aussy pour ce que

ANNO CHRISTI 1395

☞ que les dits cardinaux du college de nostre saint pere obtiennent aucuns des titres anciens, qui sont à Rome pour les cardinaux, & que les anticardinaux & l'intrus en occupent une grande partie, il seroit pourveu selon la discretion des parties & de leurs colleges, & de ceux qui seroient avec eux assemblez pour celle cause, & pour ce estre advisié devers nostre saint pere.

LI.

Pource qu' il pourroit y avoir grand peril de confirmer, ou de conferer de nouvel les estats des anticardinaux, des prelats, & benefices de la partie adverse, & de rappeller les proces faits contr'eux avant les renonciations, ou cas que l'une des parties trepasseroit, ou que l'intrus en venant contre sa promesse, ne voudroit renoncier, semble que apres les points traittiez & accordez, & iceux mis par ecrit, la conclusion se devroit faire tout ensemble confirmer, & assurer les estats d'une partie & d'autre, & renoncier les deux parties.

LII.

Item, encore avant les dites renonciations devroit l'en traittier & accorder sur la maniere de l'election de nouvel successeur, quand les renonciations seroient faites; & semble a pleusieurs, qu'il seroit expedient pour cette fois, que les parties du consentement des colleges ordonnassent certaines bonnes personnes en nombre non pair, qui ne fussent pas des dits colleges, lesquelles eussent puissance d'eslire pour celle fois apres les renonciations faites; car ceux des colleges sont principales parties, & comme ennemis, & tres haineux ensemble, & est à douter que ceux ne fussent pas sitost bien appaisiez, & que pour les haines & envies d'entr'eux, la grace de Dieu n'y ouvrast point, & pourroit estre ordonné pour abregier, que il souffisit à celui qui seroit esleu d'avoir la plus grande partie des voix des compromissaires, lesquiex compromissaires seroient tres fort serment de l'oyaument proceder à l'election d'aucun du college, ou de dehors, ou de nostre saint pere, ou de l'intrus, si l'un d'eux avoit plus de voix sans faveur, ou haine, sans aucune acceptation de personne. Et si les colleges ne pouvoient estre induit a cette forme, qui attendu le grand nombre des personnes desdits colleges, & les divers nations dont ils sont, qu'ils esleusent certain nombre de personnes de chacun college, comme six ou sept, qui eussent puissance par maniere de compromis d'eslire, & souffise que l'esleu ait la plus grande partie des voix, comme dit est. Et en outre si à cette seconde forme les deux colleges ne pouvoient estre d'accord, que au fort tous ceux des deux colleges procedassent à l'eslection, & fussent mis au conclave sans en partir, & contraints par la forme de droit.

LIII.

Item, que tous les points dessus dits, & autres difficultez non pourveues, qui pourront survenir, traittiées & accordées, les parties & les colleges s'assembleront en une meme cité ou bonne ville, & là seroient mis à execution les points qui auroient esté traittiez, tant de confirmations, reconciliations, renonciations, comme de l'eslection du nouvel successeur.

ANNO CHRISTI 1395.

LIV.

Responsiones ad dubia & objectionum, quæ posset fieri contra modum practicandi.

S'ensuivent les responses à plusieurs doutes faits per aucuns sur la forme de proceder par la maniere que dessus est recitée. Car aucuns disent, que si le roy par la deliberation de son conseil des prelats & de l'université de Paris, veut induire nostre S. pere Benoist à renoncer, ce sera fortifier le schisme, la puissance & l'autorité de la partie adverse, & de ceux de son obeissance, qui diront malitieusement, que le roy ne l'a fait que pource qu'il doute du droit de nostredit saint pere; & pareillement si notredit saint pere le consent, l'on dira que c'est pource qu'il se defie de son droit. Et outre pourroit aucun dire que au temps du pape Clement, qui estoit du lignage du roy & de nos seigneurs, le roy n'eusse pas souffert, que l'on eust parlé de ceste voye de cession, & que pource que nostredit saint pere Benoist n'est pas de son lignage ny de son royaume, il n'a pas si grande affection à lui, & le veut induire à renoncer, &c. L'on peut ainsy respondre, que cette voye procede originaument de nostredit saint pere, la quelle comme saint homme, vertueux & de grande conscience a fait exposer au roy son intention par la maniere dessus dite, en requerant qu'il y avisast toutes les bonnes voyes possibles pour la paix de l'eglise, & que pourceque le roy est conseillé, que si nostre saint pere n'a advisié aucune voye milleure & plus brieve, que celle de la cession, il lui doit conseiller cette voye comme milleure & plus brieve, en esperance ferme que les roys, princes, & obeissance de l'intrus tiendront cette opinion, parquoy le schisme ne sera pas confirmé, mais extirpé.

LV.

Quant à l'autre de ce que nostre saint pere Clement estoit du lignage du roy, & cestui non, &c. Il est assez clair, que ce n'est point la cause, & que le roy & tous ceux de son royaume tiennent aussy fermement pour vray pape nostre saint pere le pape Benoist, que eux firent oncques pape Clement, & autant luy voudroient obeir. Et que au temps dudit pape Clement, il luy sembloit que le schisme pourroit prendre fin pour ramener à son obeissance les roys, royaumes & pays qui n'y estoient pas; & qu'il est vray que le schisme a tant duré, & est si fort enraciné, que cette voye est impossible; & sçait certainement nostre saint pere le pape Benoist, qui a n'agueres esté legat en France, qu'il est ainsi. Car par deux années il a esté à Boulogne, & pardevers les oncles du roy d'Angleterre, & autres grands seigneurs de son conseil, & a escrit & envoyé plusieures fois en Angleterre, & mis toute la peine, qu'il a pu d'estre ouy en Angleterre, pour monstrer la bonne justice de nostre saint pere Clement, à quoi finablement apres plusieures dilations & journées, qui sur ce luy ont esté mises, il n'y a pu estre ouy ni receu, & luy ont respondu les Anglois, qu'il estoient bien

bien informez de la verité & du fait de l'eglise, & qu'ils n'en recevroient point d'autres informations. Et pource que nostredit saint pere scait certainement qu'il faut proceder par autre voye, il s'est offert comme saint prud'homme à toutes autres voyes à luy possibles qui luy seront conseillées; & s'il ne trouve meilleure, ny plus brieve que la cession, le roy par la deliberation de son conseil & de son college la lui doit conseiller.

ANNO CHRISTI 1395.

LVI.

A cette matiere tant necessaire, & qui requiert si grande celerité, nous ne devons point avoir regard aux paroles des haineux ou envieux, mais à l'effect & bien de la besoigne; & si est certain qu'il n'y a quelconque voye à parvenir à la paix de l'eglise, qu'il n'y ait assez de doute & de difficultez, de grands labours & missions, toutefois si faut-il une fois commencier, ou jamais n'en seroit fin, & prendre la voye ou il y a moins de difficulté, par la bonne deliberation de nostredit saint pere, & du college de la poursuir diligemment & au mieux que faire se pourra, en esperance que la conduise & mette a bonne fin.

LVII.

A ce que disent aucuns, que s'il est ordonné que les deux colleges eslisent ensemble, nous aurons pape Italien & sera le roy privé d'avoir pape de son royaume, & de la cour de Rome estant en Avignon, & faudra que la cour s'envoise à Rome, ou en Italie, & en tres grand dommage du roy & de son royaume, & que les Romains & Italiens veue l'impression & violence que eux deux firent apres la mort du pape Gregoire, qui deussent estre privez de cet honneur & de la cour, en auront l'honneur & le profit, veu qu'il y aura plus de la moitié, ou le tiers d'Italiens à faire l'election, que d'aucunes des autres nations; peut estre respondu que l'en ne doit point avoir regard aux nations, ny aux lignages; mais qu'il y ait bonne personne, & qu'il vaudroit trop mieux, sans nulle comparaison, qu'il y eust un bon prud'homme Italien qui fust pape, que plus demeurer en ceste perilleuse division; & seroit moult difficile d'exclure les cardinaux Italiens de leur voix à l'election, s'ils ne le consentoient, & si aucuns font mention d'en debouter les Italiens, ou aucuns d'eux, ils s'efforcent d'en debouter ceux des autres nations.

LVIII.

Aucuns ont touchié que l'election se fit par les anciens cardinaux, qui estoient du temps du pape Gregoire, des estas desquiex n'est d'aucun doute; sur quoy pourra estre traittié quand les parties & les colleges seront ensemble, & y soit advisé selon la discretion de nostre saint pere & du college. Toutes fois il est fort à douter, que les autres qui sont nouveaux, tant d'un costé comme d'autre, ne les voudroient point consentir. Car il leur sembleroit que ce feust de leur honneur & de leur estat. Attendu qu'ils se reputent de telle auctorité, & d'avoir aussy bien leur voix en l'eslection, comme sont les anciens cardinaux; & mesment ceux de la partie de l'intrus ne le consentiroient point, pource que lur costé n'en ce nuls de anciens, & si reputent les anciens autant leur adversaire ou plus assez que les nouviaux. Car ce sont ceux qui procederent à l'eslection de nostre saint pere Clement, & pourroit estre occasion de mettre division entre les colleges; & nous devons tendre à fin d'union, & querir tous les bons moyens a ce convenables, resequer toutes difficultez, qui pourroient estre cause de debats ou de discords.

ANNO CHRISTI 1395.

LIX.

D'autre part aucuns ont trop fait doute, que si nostre saint pere eslisoit la voye de compromis, ou autre voye qui luy semblast aussy bonne ou meilleure que la voye de cession, il y pourroit prendre deplaisance, & s'en pourroit troubler, & s'il ne l'acceptoit, une division s'en pourroit ensuivre en ce royaume contre nostre saint pere, etc. Il semble que ce doute n'est point de luy, & que aucuns ne doyent croire qu'elle pust avenir, car nostre saint pere est plus tenu à pourchacier la paix de l'eglise, que nul autre, & à ce s'est offert, comme dessus est dit, & y persevere comme ses messages afferment; si est à presumer, qu'il se consentira par le conseil du roy à la cession, s'il n'a advisé meilleure voye, & si par le conseiller loyaument pour l'union de l'eglise, il prenoit deplaisance, & que parce s'en ensuissent aucuns inconveniens, que Dieu ne veuille, la charge n'en seroit point au roy, ny à son oncle, mais à ceux qui auroient empeschie ou voulu differer le bon propos de nostredit saint pere.

LX.

Item, soyent advertis nosdits seigneurs ambassadeurs du roy, que si nostre saint pere, ou aucuns des cardinaux ou autres de la cour s'efforçoient de donner charge ou blasme à aucun des prelats, ou de ceux du conseil du roy & de l'université, ou des clercs qui ont esté aux assemblées, tenuës sur cette matiere, en leur imposant qu'ils eussent esté trop durs ou trop rigoureux, & que ceux n'eussent point gardé l'honneur & la reverence qu'ils doivent au pape & au college, ainsy comme deja aucuns ont voulu dire, les dits ambassadeurs les excusent, & deffendent que les dites assemblées ont esté faites du commandement du roy, pour donner plus seurement conseil au pape sur ce qu'il avoit requis & que le roy & nosdits seigneurs tiennent fermement, que ceux qui ont deliberé la voye que le roy conseille au pape pour l'union de l'eglise, l'ont bien & loyaument conseillé selon leurs consciences, & qu'il deplairoit au roy, si aucun pour cette cause vouloit donner charge a ceux qui ont donné ce conseil.

LXI.

Item, il plaist au roy, & aussi de sa grace s'accorde à ses prelats, que sur ce que eux ont à faire aucunes requestes à nostredit saint pere touchant les libertez, franchises & droits de leurs eglises, qui sont de la fondation, & garde du roy, des quels il est protecteur & def-

ANNO CHRISTI 1395.

deffenseur, nosdits seigneurs ambassadeurs du roy soyent instruits des dites requestes, par ceux qui seront envoyez par les prelats pour cette cause devers nostre saint pere, & en suppliant de par le roy & de par eux, & en priant au college, pourveu toutesfois que le fait principal de l'union de l'eglise soit premierement conclu & appointié.

LXII.

Item, qu'ils rescrivent souvent au roy tout ce qu'il pourront besoigner, & luy fassent sçavoir de leurs estats, de celuy de la cour de Rome, & des nouvelles de par delà.

LXIII.

S'ensuit les ecritures que nos seigneurs feront porter.

Premierement les deux epistre de l'université, l'une adressante au pape, & l'autre au roy.

Item, les lettres envoyées au roy par l'intrus.

Item, s'il y a aucunes lettres notables envoyées par aucuns des roys ou princes de l'obeissance de l'intrus, soyent prises & portées.

Item, les bulles de nostre saint pere desquels dessus est faite mention, par lesquels il escrit, qu'il monstrera aux messages du roy tout traittié a sa creation touchant l'union de l'eglise, & aussy la cedule que le roy envoya querir devers le pape, pour sçavoir quelle difference il y a entre icelle cedule, & ce qui fut fait à l'entrée & issuë du conclave.

Item, soit porté en instrument public, qui contiendra, que es assemblées qui ont esté faites du commandement du roy par les prelats & autres clercs notables, ont esté cent & neuf personnes, desquelles les quatrevingt & un ont esté tous d'une opinion, & les autres vingtdeux y ont mis une petite difference, combien qu'en effet & en substance la conclusion soit toute une, si comme par les cedules, qui seront encorporées au dit instrument, pourra apparoir.

CONCILIUM PROVINCIALE ARBOGENSE

habitum anno MCCCXCVI.

ANNO CHRISTI 1396.

Manfi ib. pag. 108. Ex MS. bib. pub. Upsal. n. 19. t. dedit Benzelius in Diar. Vaxstem.

NOverint universi quorum interest, sive interesse poterit quomodolibet in futurum: quod constitutis nobis Henrico D. G. archiepiscopo Upsalensi, Kanuto Lincopensi, Torstano Scarensi, Tordone Strengenensi, Nicolao Arosiensi & Hemingo Wexionensi, eadem gratia ecclesiarum episcopis & consilium provinciale celebrantibus in ecclesia Petri & Pauli apostolorum, diœcesis Arosiensis oppidi Arbogis, anno Domini MCCCXC. sexto, dominica *lætare*, proposita fuerunt coram nobis per procuratores ecclesiarum cathedralium, & aliarum inferiorum ecclesiarum testes synodales, multa & ardua negotia moderno tempore a jure & bono quam diversimode exorbitantia, quorum aliqua in Dei offensam, animarum periculum & gravamen simplicium non est dubium redundare. Et idcirco dispendiis, & effrenatæ cupidini, & malitiæ hominum, qui plus solito nostris temporibus invalescunt, quantum nobis ex alto concessum fuerit, viam præcludere cupientes, hujus venerabilis provincialis approbatione concilii statuimus, & per totam provinciam nostram volumus, & mandamus inviolabiliter observari.

Primo videlicet, quod temporibus a jure prohibitis nullus presbyterorum, sub pœna privationis officii sui sacerdotalis nuptias solemnizare ac celebrare, seu benedicere audeat. Alioquin si secus egerit postmodum celebrandum dominica ut prius ipso facto notam irregularitatis incurrit, a qua non poterit citra sedem apostolicam liberari, adempta episcopis provinciæ Upsalensis, & eorum cuilibet potestate licentiam dandi cuilibet hujusmodi nuptias in dictis temporibus vel eorum aliquo de cætero celebrandi.

secus contra prius.

Prohibemus etiam sub interminatione maledictionis æternæ, ne quis laicorum, cujuscumque præminentiæ, dignitatis, conditionis aut status existat, se in facie ecclesiæ, ad aliquas septimanas, seu dies, ante dicta tempora a jure prohibita, cum desponsata sua benedici faciat ad finem quod postmodum expensas seu solemnitates nuptiarum cum carnis copula in ipsis prohibitis temporibus peragat quoquo jure; & si innotuerit ipsis presbyteris, quod tali intentione, ut prædicitur, se petierint benedici, eorum matrimonia nullatenus benedicat, quia tempora illa ad hæc a sacris canonibus instituta noscuntur, ut homo a carnis illecebris, & seculi voluptatibus abstineat, ut divinis contemplationibus & laudibus liberius vacet.

Item quodam anno bissextili duo dies inter festum S. Petri ad cathedram & festum S. Mathiæ hactenus per totam provinciam uniformiter habeantur.

Item qui Dominica die homicidium perpetraverit, eodem die a carnibus; qui vero sexta feria a piscibus; qui autem die sabbathi a lacticiniis eisdem diebus perpetuo abstinebit. De & super quo per aliquem episcopum non poterit nec debeat dispensari.

Item quod piratæ, raptores, incendiarii, viarum publicarum insidiatores & aggressores violenti, pauperis civitatis *hospitatores*, ecclesiarum & cymiteriorum effractores, & alii immunitatis ecclesiæ violatores sine requisitione et speciali licentia episcoporum, aut suorum officialium in spiritualibus in ecclesiis, et earum cymiteriis, cum decesserint, non poterint sepeliri, nisi juris servato moderamine quod sequitur: Videlicet si ablata restituerint, vel ante mortem emendandi firmam et plenam cautionem præstiterint, cum habuerint unde satis

f. direptores.

satisfaciant. Si vero malitia sua duraverint usque ad mortem et pœnitentiam humiliter postulaverint, nec habuerint unde satisfaciant, vel securitatem emendandi præstant, pœnitentia, et sacramentum corporis Christi non eis negetur. Sed nullus presbyterorum vel clericorum ipsorum eleemosynas vel dona recipere, vel ipsorum sepulturis interesse præsumat, nec funera eorum benedicere, nec super quidquam legere audeat; sed ea, quantum ad sacramentale officium, derelicta dimittat penitus & abjecta. Si qui vero presbyterorum vel clericorum contra hoc facere præsumpserit, officio & beneficio suo privetur.

ANNO CHRISTI 1396.

Item festum sanctæ Birgittæ patronæ nostræ, septima die mensis Octobris solemniter celebretur.

Item presbyteri alienæ diœcesis, & præsertim de extraneis partibus venientes, absque ordinarii vel officialis sui in spiritualibus requisitione & speciali licentia, ad divinorum celebrationem nullatenus admittantur, quia inventum est pluries quod tales peregrini, immo vagabundi clerici, interdum sunt homicidæ vel apostatæ, interdum infames, & nec ordinati & alia irregularitatis nota respersi, se per falsas litteras & commendatitias excusantes, & ideo quicumque curatorum, vel præbendatorum tales vagabundos ad divinorum celebrationem admiserit, & de hoc convictus fuerit, loci ordinario ad unam marcham puri obnoxius erit.

Item nullus episcoporum, aut aliorum inferiorum prælatorum jurisdictionem suam cuiquam laicorum præsumat committere, quamquam ad inventionis ingenium, quia hoc vergit ad enervationem libertatis ecclesiasticæ, & grave periculum animarum.

ANNO CHRISTI 1396.

Item statuta Dn. Sabinensis cardinalis, & copias ex omnibus statutis provincialibus volumus, & in virtute obedientiæ mandamus, quod quælibet ecclesia cathedralis habeat, & ea in synodo episcopus & capitulum coram congregatione clericorum suorum annis singulis, secundum temporis & negotiorum imminentium qualitatem, conjunctim et divisim publice legi, et pro viribus suis inconcusse faciat observari. Quæ etiam statuta ut quilibet Præpositus ruralis totius provinciæ diligenter conscripta habeat, ut semel et pluries coram curatis et clericis in contrata præposituræ suæ legat, seu legi faciat, omni anno.

Item ne originalia privilegiorum libertatis ecclesiasticæ per frequentem motionem maculentur, deturpentur, seu alias per sigillorum ruptionem destruantur, mandamus, ut quælibet ecclesia cathedralis speciale registrum eorumdem privilegiorum habeat, de quibus copiæ eorumdem recipi poterunt quoties fuerit opportunum. Data, intimata et publice lecta fuerunt præsentis paginæ statuta, anno, die, et loco supradictis, sub sigillis nostris.

CONCILIUM LONDINENSE

A Thoma Arundelio Cantuariensi archiepiscopo cum suffraganeis celebratum adversus errores Wicleffi anno Dom. MCCCXCVI.

Anno MCCCXCVI. *ait Valsinghamus*, Papa scripsit regi Angliæ, oravitque ut assisteret prælatis ecclesiæ in causa Dei, et ipsius regis et regni contra Lollardos * quos declaravit non solum proditores ecclesiæ, sed et ipsius regis: rogavitque obnixius ut quos præsules declarassent hæreticos, condemnaret: *Huic Pontifacii mandato in Anglia obtemperatum est. Et in provinciali quidem Londinensi concilio damnatum esse Voicleffi Trialogum discimus, ex opusculo Guillelmi VVindesordi de ordine Minorum theologi, nondum typis edito, cujus hæc clausula est*: Finis tractatus magistri Windesordi, de ordine Minorum, contra errores Wicleffi in Trialogo, qui damnatus est in concilio provinciali Londinensi sub domino Thoma Cantuariensi archiepiscopo, anno Domini MCCCXCVI. *Ex libello VVindesordus jussu Thomæ archiepiscopi octodecim Trialogi errores oppugnavit in Londinensi concilio damnatos: quos ex VVindesordi libro hic repræsentamus.*

* hoc est Wicleffistas.

Articuli excerpti ex Trialogo Wicleffi, et damnati in concilio Londinensi.

I. *Articulus damnatus.*

Manet panis substantia post ejus consecrationem in altari, et non desinit esse panis.

II. *Articulus damnatus.*

Sicut Joannes fuit figurative Elias, et non personaliter: sic panis figurative est corpus Christi, et absque omni ambiguitate hæc est figurativa locutio, hoc est corpus meum: sicut illa in verbis Christi; Joannes ipse est Elias.

III. *Articulus damnatus.*

In capite, *Ego Berengarius*, curia Romana determinavit, quod sacramentum Eucharistiæ est naturaliter verus panis, loquendo conformiter ut prius de pane materiali albo & rotundo.

IV. *Articulus damnatus.*

Definientes parvulos fidelium sine baptismo sacramentali decedentes non fore salvandos, in hoc sunt præsumptuosi & stolidi.

V. *Articulus condemnatus ut erroneus.*

Collatio sacramenti confirmationis non est episcopis reservata.

VI. *Articulus, ut erroneus condemnatus.*

Tempore Pauli sufficiebant ecclesiæ duo ordines

ANNO CHRISTI 1396.

dines clericorum, sacerdos & diaconus, nec A fuit tempore Apostolorum distinctio Papæ, patriarcharum, episcoporum: sed sufficit quod sint presbyteri & diaconi secundum fidem scripturæ, quia superbia cæsarea alios gradus adinvenit.

VII. *Articulus condemnatus in universali suo intellectu.*

Antiqui qui ex cupiditate rerum temporalium, vel spe mutuorum juvaminum, aut ex causa excusandæ libidinis, licet de prole desperem, copulantur ad invicem, non vere matrimonialiter copulantur.

VIII. *Articulus condemnatus ut hæreticus in suo universali intellectu.*

Causæ divortii ratione consanguinitatis vel affinitatis sunt infundabiliter humanitus ordinatæ.

IX. *Articulus condemnatus ut erroneus.*

Hæc verba: Accipiam te in uxorem; eligibiliora sunt pro contractu matrimonii, quam hæc verba, accipio te in uxorem: & quod contrahendo cum una per hæc verba de futuro, accipiam te in uxorem, & post cum alia per hæc verba de præsenti, accipio te in uxorem, non debent frustrari verba prima propter verba secundaria de præsenti.

X. *Articulus damnatus a concilio.*

Isti duodecim sunt procuratores Antichristi ac discipuli Antichristi, Papa, cardinales, patriarchæ, archipræsules, episcopi, archidiaconi, officiales, & decani, monachi, & canonici bifurcati, pseudofratres introducti jam ultimo, & quæstores.

XI. *Articulus pro hæresi condemnatus.*

Numerorum 18. & Ezechielis 44. præcipitur simpliciter negative, quod nec sacerdotes Aaronitæ, nec levitæ habeant partem hæreditatis cum aliis tribubus, sed quod pure vivant de decimis & oblationibus.

XII. *Articulus pro errore condemnatus.*

ANNO CHRISTI 1396.

Non est major hæreticus vel Antichristus, quam clericus qui docet, quod licitum est sacerdotibus & levitis legis gratiæ, dotari cum possessionibus temporalibus: & si aliqui ex prevaricatione in lege Dei sunt hæretici, apostatæ, vel blasphemi, sunt illi clerici qui hæc docent.

XIII. *Articulus, ut hæreticus in suo universali intellectu condemnatus.*

Non solum domini temporales possunt auferre bona fortunæ ab ecclesia habitualiter delinquente: non solum eis hoc licet, sed debent hoc facere sub pœna damnationis æternæ. B

XIV *Articulus ut hæreticus condemnatus.*

Si corporalis unctio foret sacramentum, ut modo fingitur: Christus & ejus Apostoli ipsius promulgationem non tacuissent.

XV. *Articulus damnatus.*

Quicumque est humilior ecclesiæ servitor & in amore Christi quoad suam ecclesiam amabilior, ille tam in ecclesia militante major, & proximus Christi vicarius est. C

XVI. *Articulus pro hæresi condemnatus.*

Ad verum dominium sæculare requiritur justitia dominantis sic, quod nullus in peccato mortali est dominus alicujus rei.

XVII. *Articulus pro hæresi condemnatus.*

Omnia quæ evenient absolute, necessario evenient.

XVIII. *Articulus pro hæresi condemnatus.*

Quidquid papa vel cardinales sui sciunt ex D sacra scriptura deducere clare, illud duntaxat est credendum, vel ad sua monita faciendum: & quidquid ultra præsumpserint, sit tanquam hæreticum contemnendum.

LONDINENSE CONCILIUM

In quo Wicleffi errores damnati

Anno 1396. habitum.

An. 1396. Mansi Supp. to. III. pag. 910.

„ Concilium istud, quamquam Labbeum E „ non latuit; pauca tamen novit ex multis. Id enim ille scivit quæ ex Valsinghamo didicit; nempe Wicleffi errores Patrum „ illorum sententia damnationem subiisse. Dogmatum vero Wicleffi, quæ Patres discusserunt, indiculum exhibet acceptum ex tractatu MS. magistri Windefordi Ord. Min. „ Nec aliud quidquam Labbeus. Igitur cum „ pauca sint & manca quæ scripta ille dedit; „ ex tabulis Arundel. fol. 44. a Wilkins exhibitis ex integro reproducendum est. Attamen nec tabulæ istæ sunt integræ, quare „ de causæ exitu nihil ex illis rescimus; quarum defectum supplet utcumque Valsinghamus & Windefordus, quorum testimonio „ discimus dogmata illa hæretici condignam „ censuram a Patribus tulisse.

CON-

ANNO CHRISTI 1396.

CONVOCATIO PRÆLATORUM ET CLERI CANT.

Provincia 19. die mensis Februarii in ecclesia S. Pauli London.

Ex reg. Arunde l. fol. 44. seq. Ex wilk. to. III. p. 227.

IN hoc concilio provinciali medietas decimæ domino regi concessa est: & 20. die mensis prædicti coram domino archiepiscopo cæterisque episcopis & prælatis comparuerunt personaliter quamplures juris canonici & civilis doctores universitatis Oxon. & ibidem ipsorum & aliorum ejusdem universitatis & facultatis bacalariorum, ac scholarium procurator legitime, ut asseruit, constitutus, quædam gravamina præfatis doctoribus, per cancellarium prædictæ universitatis, ut suggerebatur, illata, ipsi cancellario tunc ibidem proposuit, & inde sibi per dom. petiit de opportuno remedio provideri. Quæ quidem gravamina in hæc verba sequuntur.

Articuli dati pro universitate Oxon. contra cancellarium ejusdem.

In Dei nomine, Amen. Infrascripta gravamina, excessus, & defectus proponit & exponit procurator discretorum virorum doctorum, bacalar. & scholarium facultatis juris canonici, civilis, universitatis Oxon. Cantuar. provinciæ, & ecclesiæ Cant. metropoliticæ immediate subjectæ, & procuratorio nomine pro eisdem in quodam negotio reformationis, declarationis, interpretationis quorumdam dictæ universitatis statutorum & consuetudinum prætensorum, & aliorum gravaminum inferius deductorum, quod coram honorabilissimo in Christo patre & domino nostro, domino Thoma, Cant. archiepiscopo, totius Angliæ primate, & apostolicæ sedis legato, dictæ universitatis ordinario superiori immediato, vertitur & verti speratur. Quæ quidem gravamina & excessus per dictæ universitatis cancellarium, procuratores, & alios eorumdem cancellarii, & procuratorum nomine modernis temporibus plus solito diversis ipsius facultatis personis, doctoribus, bacalariis, & scholaribus, occasione & prætextu statutorum & consuetudinum prætens. ante dict. sunt illata injuste & facta; ac etiam de & super eisdem gravaminibus, idem procurator articulos infrascriptos, dat, facit, ponit, & proponit conjunctim & divisim; reservat eidem facultati, quod eidem liceat ad eosdem addere; ipsosque interpretari & declarare; alios insuper articulos, si oporteat, de novo dare, & præsentes reformare.

In primis exponit, & proponit idem procurator & procuratorio nomine, quo supra, quod jam tarde & in ultimis diebus discretus & religiosus vir, frater Nicol. Faux, monachus monasterii Glaston. ordinis S. Benedicti, Bathon. & Wellen. diœces. S. T. D. ac honorabilis in Christo viri & magistri, mag. Tho. Hendyman, S. etiam theol. doct. universitatis antedictæ cancellarii commissarium se prætendens quamdam schedulam privatam in manibus suis tenens, nullatenus bulla apostolica, sigilloque autentico, aut cujuscumque notarii publici signo subscriptionevo munitam, aut alias de exemptione prætens. infrascript. fide qualitercumque facta in domo congregationis dictæ universitatis, coram multitudine magistrorum regentium inhibi congregatorum, ipsam universitatem, cancellariumque, doctores, magistros, & scholares hujusmodi ejusdem, ab omni jurisdictione, dominio, & potestate quorumcumque archiepiscoporum etiam apostolicæ sedis legatorum episcop. & aliorum ordinariorum quorumcumque inferiorum auctoritate quarumdam litterarum apostolicarum prætens. quarum tenor in schedula ipsa, ut asseruit, continebatur, fuisse, & esse exemptos, & sedi apostolicæ immediate subjectos, omisso juris ordine in ea parte requisito, pronunciavit per decretum & declaravit, in jurisdictionis præfati domini nostri archiep. & dictæ universitatis, superioris ordinariorum, ut præfertur, immediate, quatenus in eodem fratre Nicolao commissario prætenso fuit, enervationem manifestam.

Item. Cum in ipsa universitate agitur aut tangitur de renunciatione litterarum apostolicarum prætensarum, quarum vigore pronunciatio & declaratio, de quibus præfertur per ipsum fratrem Nicolaum monachum extiterant in hac parte quomodolibet vel faciend. nihilominus cancellarius & procuratores moderni, ac cæteri eis in hac parte adhærentes firmiter, cum non sit verum, asserunt; quod non renunciatio hujusmodi eis aut dictæ universitati immediate est in aliquo præjudicativa, pro eo & ex eo, quod ipsa universitas ante litterarum ipsarum prætensarum impetrationem, cancellarius, magistrique & scholares ejusdem, de consuetudine, ut præfertur, præscripta juxta modum pronunciationis & declarationis antedictarum, fuerunt exempti totaliter, & ut præfertur, subjecti. In qua quidem exemptione, vigore & virtute consuetudinis hujusmodi adhuc, ut fatagunt, persistunt, non obstante, quod inter cætera per ipsum expedita & habita, bonæ memoriæ ven. in Christo pater & dominus, dom. Willelmus, quondam Cant. archiepiscopus, dum in rebus ageret humanis, ipsam universitatem tam in capite, quam in membris, per se & suos, quamplura gravamina ibidem revocando, crimina corrigendo, diversos excessus reformando, nonnullasque personas dictæ universitatis ab actibus scholasticis diversimode suspendendo, sua auctoritate metropolitica actualiter visitavit: adeo, quod ad domini nostri archiepiscopi dictæ universitatis ordinarii superioris immediati audientiam vel curiam suam Cant. a certis gravaminibus spiritualibus, per cancellarium modernum, & aliis diversis ipsarum facultatum personis oppressis illat. appellare volentibus, occasione & prætextu consuetudinis prætensæ, præfatus idem cancellarius diversimode impedit injuste; in ipsarum personarum sic oppressarum præjudicium & gravamen.

Item tertio. Inter cætera dictæ universitatis statuta cavetur, quod nullus ad lecturam extraordinariam decretalium in ipsa universitate debeat admitti, nisi jura civilia per triennium, inter cætera juramenta per ipsum admittend. præstand. se juret audivisse, cum viri religiosi, & qui ordine sacerdotum sunt constituti, adeo existunt multipliciter impediti, lecturam quoad ipsam, etiam etsi aliunde omni habilitate in ea parte requisita, laudabiliter vigeant, immediate valeant admitti.

Item quarto. Inter dictæ universitatis etiam statuta continetur, quod licentiatus ad lecturam, de qua præfertur, nullus admittatur, nisi de-

ANNO CHRISTI 1396.

si decretales se juret „complete„ audivisse, etc. Nonquid iste terminus „complete„ debet ita stricte intelligi, se. pro quolibet verbo cujusque capituli libri decretalium prout ipse cancellarius, & cæteri dictæ universitatis magistri regentes in artibus intelligunt, vel in quantum humana fragilitas patitur, sufficiat audientia libri hujusmodi, quod placeat dominationi vestræ pastorali interpretari, declarare, vel aliunde in hac parte statuere & providere, prout eidem videbitur expedire.

Item quinto. Cum aliquis in quacumque facultate sit graduandus, ipse pro tempore assumptionis gradus hujusmodi, de observando statuta, privilegia, & consuetudines ipsius universitatis, corporali adstringitur juramento; tamen ipsa statuta, privilegia, consuetudines, & libertates, seu eorumdem tenor, nullatenus in publicam notitiam deducuntur, seu quadantenus publicantur, aut programmatizantur, sed penes certas personas, libros ipsorum statutorum, privilegiorum, consuetudinum, & libertatum clanculo conservantes, & penes quos libros diversitas, quin etiam adversitas & contrarietates in tenore & serie dictorum librorum reperiuntur; adeo quod ipsis sit juratis ardua eo prætextu intricatio, & eisdem perjuria ignota, pro libito voluntatis libros ipsos conservantium dietim imponuntur, in dictæ universitatis quamplurime perturbationem manifestam.

Item sexto. Inter cætera dictæ universitatis statuta prætensa, expresse continetur, quod LL. doctores ad cancellariatus officium nullatenus assumi valeant, &c. de inferioribus gradibus scholasticis, viz. doctoribus medicinæ, magistri in artibus, & grammatica in nullo in ea parte facta est mentio, quod non obstantibus hujusmodi statutis, doctor LL. qui pro tempore fuerit, ad officium hujusmodi assumi valeat, dum tamen rite eligatur.

Item septimo. Quod doctores legum, qui pro tempore fuerint, ad locum & sedile in superiore loco & summitate cujusdam formulæ, retro, & immediate cathedræ, ubi cancellarius dictæ universitatis, qui pro tempore fuerit, in sermonibus infrascriptis sedere solet, collocatum pariter & situatum, eorumdemque loci & sedilis possessionem juris, & quasi, quæ ante diem dominicam primam Adventus Domini prox. præteritam in temporibus, dum sermo Dei in ecclesia B. M. V. ipsius universitatis proponitur, jure & nomine gradus doctoralis hujusmodi pacifice ab antiquo obtinuerunt, effectualiter restituantur, & cancellarius modernus dicto die dominico, tempore propositionis verbi Dei hujusmodi, ac dum sacra mysteria ibidem agebantur, coram cleri dictæ universitatis congregatione, quemdam providum virum LL. doctorem in ipsis loco & sedili incumbentem & sedentem, in habituque & tonsura clericalibus & doctoralibus notorie ibidem incedentem, ac aliunde juxta juris formam juri parere volentem per vestes inhumaniter protrahendo, & ipsas dilacerando, absque aliquo juris ordine in ea parte prælabito, a loco & sedili hujusmodi violenter expulit, sæpeque ipsum doctorem in præmissis sacrilege spoliavit, & adhuc detinet spoliatum injuste in gradus doctoralis antedicti præjudicium & gravamen.

Quare probatis in hac parte de jure probandis, petit idem procurator nomine, quo supra, pronunciationem & declarationem per ipsum fratrem Nicolaum, commissarium prætensum, temere factas, malas, invalidas, & inefficaces, viribusque, & effectu carere, careque debere, ac pro jurisdictione vestra metropolitica, & exercitio ejusdem pronunciari finaliter & diffinitive & declarari; ac per declarationis & interpretationis vestrarum remedium, quoad difficultatem & impossibilitatem observationis statutorum & consuetudinum, de quibus præfertur, providere, ipsumque doctorem ad locum & sedile, de quibus, ut præfertur, spoliatus extitit, possessionis juris & quasi restituendum pariter & reducendum fore, ac sic realiter restitui effectualiter & reduci. Ulterius in præmissis & ea concernentibus, & præsertim in quantum peccatum indicunt, & scandalum generare noscuntur, per paternitatem vestram fieri, statui, & decerni, quod juris ordo dictaverit, ipsiusque qualitas in se exigit & natura: vestrum officium pastorale in præmissis humiliter implorando ad aliquam probationem superfluam nullatenus se astringens, juris beneficio in omnibus semper salvo.

Super quibus quidem gravaminibus dominus consuluit cum præfatis rever. patribus episcopis & prælatis ac clero, & aliis doctoribus ibidem præsentibus, ac demum dixit se velle, finito primitus provinciali concilio, & habita deliberatione matura super eisdem gravaminibus, de debito remedio providere. Postea vero quia quidam magistri ac bacalarii in artibus universitatis prædictæ, quoddam absurdum exemptionis privilegium, nomine totius dictæ universitatis, ne delinquentium in ipsa per aliquem ordinarium vel metropolitanum crimina corrigantur aut debite puniantur excessus, a Romana curia jam tarde subdole impetrarunt; præfati doctores, ac bacalarii juris canonici & civilis præfatæ universitatis, in multitudine copiosa, in dicta domo capitulari coram domino pro tribunali sedente, & suis coepiscopis ac prælatis hujusmodi personaliter pro seipsis comparentes, & ven. vir mag. Michael Cergeaux, V. J. doctor, omnium juris canonici & civilis doctorum, bacalariorum, & scholarium prædictæ universitatis, ad infrascripta, inter cætera, ut asserunt, procurator legitime constitutus, & nomine procuratorio eorumdem, præfatæ exemptionis privilegio renunciavit oraculo vivæ vocis. Quam renunciationem dominus admisit publice tunc ibidem, cancellario dictæ universitatis inibi tunc præsente. Et quia idem cancellarius nitebatur, ut apparuit, dictæ exemptionis privilegio communiri, officio sui cancellariatus cum strepitu coram domino, episcopis, & prælatis prædictis ex abrupto renunciavit, & a præfato concilio cum verbis contumeliosis recessit. Unde dominus eum ad diem crastinum mandavit per suum juratum nuncium, ad eamdem domum capitularem, super præmissis articulis tractaturum, ad judicium personaliter evocari.

No. de conclusionibus damnata memoria Johannis Wycliff

Subsequenter vero denunciatum extitit domino a nonnullis doctoribus, bacalariis, & scholaribus universitatis prædictæ, quod quidam theologi & magistri ac bacalarii in artibus eius-

ANNO CHRISTI 1396

ejusdem universitatis, qui plures opiniones hæreticas & erroneas scriptas in quibusdam libris sive libellis triologis & supplemento eorum, quos libros sive libellos ac supplementum quidam magister Jo. Wicliff, ut timeo in mala hora natus, dudum, ut dicitur, compilavit, tenent, dogmatizant, ac publice & expresse prædicant & affirmant. Quæ quidem opiniones ex libris sive libellis ac supplemento ejusdem extractæ sequuntur in hæc verba.

In primis, quod manet panis substantia post ejus consecrationem in altari, & non desinit esse panis. Hæresis (est) loquendo de pane naturali.

II.

Item, quod sicut Johannes fuit figuraliter Helias, & non personaliter; sic panis est figuraliter corpus Christi, & non naturaliter corpus Christi. Et quod absque omni ambiguitate hæc est figurativa locutio "Hoc est corpus meum," sicut illa in verbis Christi, "Johannes ipse est Helias." Hæresis est

III.

Item, quod in capitulo, "Ego Berengarius," curia Romana determinavit, quod sacramentum Eucharistiæ est naturaliter verus panis. Error est consimiliter loquendo de pane.

IV.

Item, quod definientes parvulos fidelium sine baptismo sacramentali decedentes, non fore salvandos, sunt in hoc præsumptuosi & stolidi. Error est.

V.

Item, quod collatio sacramenti confirmationis non est episcopis reservata Error est.

VI.

Item, quod tempore Pauli sufficiebant ecclesiæ duo ordines cleticorum, sacerdos & diaconus; nec fuit tempore apostolorum distinctio papæ, patriarcharum, archiepiscoporum, & episcoporum, sed sufficit, quod sint presbyteri & diacones, secundum fidem scripturæ; quia certum videtur, quod superbia Cæsarea alios gradus adinvenit. Error est.

VII.

Item, quod antiqui, qui ex cupiditate temporalium, ex spe mutuorum juvaminum, aut ex causa excusandæ libidinis, licet desperent de prole, copulantur adinvicem, non vere matrimonialiter copulantur. Hæresis est.

VIII.

Item, quod causæ divortii ratione consanguinitatis vel affinitatis sunt infundabiliter humanitus ordinatæ. Hæresis est contra S. scripturam.

IX.

Item, quod hæc verba, "Accipiam te in uxorem," eligibiliora sunt pro contractu matrimonii, quam hæc verba, "Ego accipio te in uxorem," & quod contrahendo cum una per hæc verba de futuro, "Accipiam te in uxorem;" & post cum alia per hæc verba de præsenti, "Accipio te in uxorem," non debent frustrari verba prima propter verba secundaria de præsenti. Error est.

X.

Item, quod isti duodecim sunt procuratores antichristi, & discipuli antichristi, papæ, cardinales, patriarchæ, archipræsules, episcopi, archidiaconi, officiales, & decani, monachi, & canonici bifurcati, pseudofratres introducti jam ultimo, & quæstores. Hæresis est.

XI.

Item, quod numer. XVIII. Deuteronom. XVIII. Ezech. XLIV. præcipitur simpliciter negative, quod nec sacerdotes Aaronici, nec Levitæ habeant partem hæreditatis cum tribubus aliis, sed quod pure vivant de decimis & oblationibus. Hæresis contra S. Scripturam.

XII.

Item, quod non est major hæreticus vel antichristus, quam ille clericus, qui docet quod licitum est sacerdotibus & levitis legis gratiæ dotari in possessionibus temporalibus; & si aliqui ex prævaricatione in lege Dei sunt hæretici, apostatæ, vel blasphemi, sunt illi clerici, qui hoc docent. Error est.

XIII.

Item, quod non solum possunt domini temporales auferre bona fortunæ ab ecclesia habitualiter delinquente; non solum hoc eis licet, sed debent hoc facere sub pœna damnationis æternæ. Hæresis est, si universaliter intelligatur.

XIV.

Item, si corporalis unctio foret sacramentum, ut modo fingitur, Christus & ejus apostoli promulgationem ejus non tacuissent. Hæresis est.

XV.

Item, quod quicumque est humilior ecclesiæ servus & in amore Christi quoad suam ecclesiam amabilior, ille est in ecclesia militante major, & proximus Christi vicarius. Error est sapiens hæresim.

XVI.

Item, quo ad verum seculare dominium requiritur justitia dominantis; sic quod nullus in peccato mortali, est dominus alicujus rei. Hæresis contra S. Scripturam.

ANNO CHRISTI 1395.

XVII.

Item, quod omnia, quæ eveniunt absolute, necessario eveniunt. Hæresis est.

XVIII.

Item, quod quidquid papa vel cardinales sui sciunt ex S. Scriptura deducere clare, illud dumtaxat est credendum, vel ad sua monita faciendum; & quidquid ultra præsumpserint, sit tamquam hæreticum contemnendum. Hæresis est.

Super quibus opinionibus iidem doctores, bacalarii, & scholares juris canonici & civilis, A in multitudine copiosa inibi congregati, per provinciale concilium, in sustentationem fidei catholicæ certam declarationem fieri petiverunt & supplicarunt humiliter, de optimo christianæ fidei defensionis præsidio subveniri. Unde memoratus dominus archiepiscopus, habito tractatu cum dictis confratribus, coepiscopis suis, super prædictis conclusionibus sive opinionibus, demum continuavit convocationem suam usque ad diem crastinum tunc sequentem.

ANNO CHRISTI 1396.

Cætera in registro desunt, spatio ad scribendum relicto.

CONVENTUS AVENIONENSIS

ANNO CHRISTI 1397.

Habitus Avenioni An. 1397. pro asserendis juribus Pontificatus Romani Bened. XIII. ex Cod. MS. Bibliothecæ Eccl. Majoris Lucensis signato Num. 204. & continetur in consilio 97. inter consilia Ægidii Bellameræ.

ANNO CHRISTI 1397.

QUæstiones sequentes fuerunt discussæ Avenioni in Concilio inchoato anno a nativitate Domini 1397. die 2. Mensis Januarii, & continuatæ usque ad diem 17. inclusive ejusdem mensis, in quo intervenerunt DD. Cardinales Pampilonensis S. Angeli; Avenionensis, Xantonensis, Tirasonensis, & Matisconensis Episcopi. Et D. Cardinalis Pampilonensis in principio quæstionis diffus. interfuit; sed D. Xantonensis in primo & duobus ultimis casibus præsens fuit.

Prima quæstio: qualiter intelligitur C. *licet de vitanda* de elect. & præsertim in verbis illis *absque ulla exceptione*, & utrum electio Romani Pontificis celebrata per impressionem maxime notoriam, sit ipso jure nulla. Primo sto cum D. Mariano in his quæ sequuntur: Primum est, quod jura decernentia generaliter electiones per metum, vel impressiones celebratas esse nullas in electione summi Pontificis vendicant sibi locum, tum quia libertas tam animorum ipsorum eligentium, quam ipsius civitatis, propter quam etiam redduntur nullæ electiones, tantum vel magis urget in electione Papalistum, quia actus jure tractabilis citius infectus redditur, quam retractabilis, ut patet ex dissolutis duarum legum ff. *qui*, *& a quibus* l. *generaliter* §. fin. & de condit. & demonst. l. *si fundum a testatore*. Tum quia non reperitur textus istam generalitatem excipiens; tum quia censentur prædicta jura per speciales constitutiones confirmata cap. *in nomine Domini* cum similibus. Secundum est, quod prædicta jura, & maxime cap. *in nomine Domini* per constitutionem *licet de evitanda*, quoad hoc non fuit sublata; tum quia textus dicit in principio adjungendum, & non detrahendum; tum quia Hostiensis, & cæteri Doctores qui utrumque tenent, dicunt illa esse sublata. Ex quibus infertur quod electio Papæ celebrata per impressionem & metum est hodie nulla, sicut antea. Secundo dico, quod licet illa verba *absque ulla exceptione* quamquam valuerint restringere ad exceptiones formam electionis continentes, ut sermones penes subjectam materiam suam interpretationem recipiant; sed tamen quia quasi omnes glossantes, & scribentes referunt dicta verba etiam ad personas eligentium, & electi, non audeo consulere istis dominis, quod in isto intellectu se fundent. II. autem datur intellectus C quod restringantur dicta verba ad exceptionem proprie, & stricte sumptam, idest ob executionem judicialem, & ad actionis & vel intentionis exclusionem judicialiter proponendam; & probatur, ut præcedens, quia ratio dicti cohæret dicto, & restringit dictum, ut l. *& non*, ff. de condit. & demonstr. l. cum *tale*, & in l. *præsumitur* per Bart. in l. 2. ff. de donat §. fin. licet secus notetur ibi in causa donationis, vel legati. Modo ratio assignata in fine cap. *licet* est ista, quia non potest ad superiorem haberi recursus, & sic solum videtur intelligendus ille textus de exceptione, quæ requirit recursum ad superiorem facit, quia juribus correctionis, cujusmodi est illud jus, verba sunt in propria eorum significatione restringenda, sic quod omnia alia censentur omissa. Sed licet iste intellectus sit multum coloratus, & multum favorabilis parti nostræ & salva restrictione verus; in se tamen dubito quod restrictio a mente litteræ non procedat. Et primo quia secundum hoc verba illa *absque ulla exceptione* nullum effectum inducerent; quia sicut post, ita ante illam decretalem ad superiorem non poterat haberi recursus; & ita tunc, sicut nunc, nulli exceptioni locus erat; & tamen hoc est contra mentem Hostiensis, & aliorum enumerantium specialia hujus electionis, qui inter cætera ponunt istud speciale per hanc decretalem specialiter introductum, videlicet quod *absque ulla exceptione* &c. Præterea, quia hoc esset imponere legem verbis, & non rebus, si electo posset extra judicium pro singulis defectibus contradici. Præterea secundum hoc E esset satis vana disceptatio doctorum super illo dubio, an possit excipi de hæresi; quia de judiciali exceptione nullus dubitasset. Intelligi ergo oportet, sequendo mentem plusquam verba, nedum de judiciali exceptione, sed etiam de extrajudiciali contradictione. Et fuit ratio hujus, nam sæpe multis electis, & receptis, plures se opponebant, & contradicebant obedientiam

ANNO CHRISTI 1397.

etiam denegando, vel subtrahendo propter multos defectus personas eligentium, vel electorum, aut formam electionum concernentes, propter quas contradictiones, & discordias tollendas, ultra alias canonicas provisiones, addita est ista provisio, videlicet, *quod absque ulla contradictione*.

Tertius intellectus est, quod prædicta verba *absque ulla exceptione*, referantur solum ad exceptiones concernentes personas eligentium & electi, & ad non concernentes ipsius electionis efficaciam, fundamenta reperies in tractatu D. S. Eustachii. Ultra quæ addere possum, quod si electio deficit in suis substantialibus, nomen electionis habere non meretur; & per consequens ad talem electionem non possunt referri illa verba hic posita, *electus fuerit, & receptus*; nam verba in jure posita sunt intelligenda cum effectu. Sed licet iste intellectus sit coloratus, & applaudet glossis dicentibus non admitti exceptiones in personas eligentium, vel electi; tamen dubito, quod non acceptaretur per omnes, & diceretur magistraliter adinventus ad colorandum partem nostram. Et primo quia iste textus loquitur multum generaliter, & magistraliter universaliter, & nec per istum textum, nec per alium, nec per aliquem de scribentibus, præter dictum Dominum S. Eustachii reperio talem distinctionem hic positam, per quod prima facie videtur magistraliter inventa. Præterea vitia impressionis, & simoniæ ipsam electionem directe non respiciunt, cum etiam in metu fiat electio secundum Philosophum Ethic., nec etiam formam electionis, ut per se patet, sed solum respiciunt personas, & defectus ipsorum eligentium: personæ enim eligentium sunt illæ quæ vim passæ sunt, & forsan vitium seu defectum motui acquiescendo fecerunt contra cap. *sacris*, & cap. *quisquis* & clarius patet in simonia, ubi electores indubitanter vitiose agunt simoniam committendo. Præterea inter casus videtur identitas rationis: ponamus enim quod electus, & electores sint hæretici pertinaces, & sic extra corpus ecclesiæ constituti aut etiam furiosi; numquid electio, quæ peccat in suis principiis essentialibus, quia illi hinc inde omnino incapaces sunt ministeriorum Ecclesiæ, cum extra corpus ecclesiæ fuerint, & esse omnino censentur; & ita videtur carere juribus electionis; & sic identitas rationis utrobique, totalis enim inhabilitas majus est quam particularis, talis enim hæreticus, vel simoniacus ad omnia inhabilis est; sed passus metum nonnisi in eo in quo est passus.

Quartus intellectus est, quod prædicta verba *absque ulla exceptione* ad exceptiones alias legitimas, tamen electionem Papalem nullam reddit, sed electus jam Papa utpote superior, eam cassare potest; nam ista decretalis tollit omnes exceptiones quæ requirunt aditum superioris; sed si est talis quæ reddat papalem electionem nullam, tunc sic electus non est papa, nec apostolicus, sed apostaticus, & ideo sibi non est obediendum tamquam papæ. Sed certe iste intellectus est multum laxus, & saltem quoad exceptiones electionem nullam reddentes, quæ non sunt notoriæ, patitur instantiam, quia si non sunt notoriæ, & maxime dum negantur, aut in proposito, superioris inquisitionem & discussionem requirunt, & per consequens aditum superioris exposcunt.

Quintus intellectus restringit dicta verba *absque ulla exceptione* ad exceptiones alias non legitimas vel legitimas exceptionem nullam non reddentes, vel alias legitimas, & exceptionem nullam reddentes. Sed oculate, & breviter loquendo volo dicere, quod omnis exceptio præter ipsas, quæ electionem nullam reddunt, & notoriæ sunt, tolluntur propter istam decretalem; unde secundum hoc prædicta verba *absque ulla exceptione* ad exceptiones notorias electionem nullam reddentes referuntur. Et est ratio, quia notoria regulariter probatione in causæ cognitione non egent; & ita non videtur in illa aditus superioris esse necessarius. Facit quia propter notoriam impressionem potest contradici electo, ut cap. *in nomine Domini* in fin. Modo eadem ratio videtur esse in aliis exceptionibus notoriis. Et est ratio hujus, quia non est superior, ut hic dicitur; & ideo nec citatio, nec sententia intervenire possunt. Aut ergo compellor obedire notorio apostatico, quod non est dicendum, aut permittitur mihi contradicere, & habeo intentum. Præterea fortificatur, quia aut dices omnes exceptiones notorias præter jurium antiquorum salvationem, absurditatis evitationem esse præservatas, & tunc dico ibi quod magistraliter & ex voluntate loqueris ad palliandum factum tuum, cum non appareat aliqua ratio diversitatis inter istas & illas, & cum ejusdem auctoritatis sint omnes canones.

Sed in oppositum facit, quod notat Compostellanus in cap. *licet*, dicens quod non potest opponi exceptio electo etiam notoria, quia tales exceptiones hic locum non habent propter moræ periculum, & superioris defectum, quia dicit textus: *absque ulla exceptione & aliud speciale &c.* quod tamen alias exceptionem reddit nullam, de consuetud. *cum dilectus*. Præterea quia iste textus inter exceptiones notorias & non notorias non distinguit. Præterea quia exceptio etiam notoria aditum superioris requirit, quia requirit citationem: v. quæst. 1. *Deus omnipotens*, & sententiam *de divortiis porro non in*, cap. *tua de cohabit. cleric.* & etiam quandoque probatur, si negatur notoria per Innocentium in dicto cap. *tua*. Adverte quia quandoque volui dicere, quia in casibus in quibus loquitur cap. *in nomine Domini* videlicet in impressione & metu erat speciale, quod dum factum est notorium, non expectatur citatio neque sententia, sed incontinenti potest & debet, immo mandatur seu præcipitur resisti; sed in aliis quantumcumque notoriis, in quibus non reperitur hoc statutum, oportet expectare consilium, videlicet Concilii Generalis, antequam recedatur ab electo & recepto &c. quia sicut Concilium videtur esse index in causa hæresis ut in cap. *si Papa* XL. dist. & notatur per Archidiaconum in cap. *in fidei* eo tit. in VI. ita in casu nostro ex identitate rationis. Ratio enim in causa hæresis videtur esse ista, quia est hæreticus pertinax, non est Papa, quod secus est in aliis, quia aliter non esset sufficienter provisum adversus discordias. Et si materia adversus quæ istud Concilium voluit providere; nam multi alii defectus quam simonia, & impressiones opponi possent, & dicerentur plerumque multa notoria. Sed iste intellectus adhuc videtur esse scrupulosus. Et primo, quia licet in solis casibus impressionis & simoniæ illa potestas contradicendi & expellendi sit data etiam laicis, tamen reperiuntur alii casus ejusdem & fortioris rationis, puta de

ANNO CHRISTI 1297.

pe notorio hæretico vel Pagano. Præterea quia in omnibus casibus in quibus est notorium talem non esse Papam est identitas rationis, puta quia non Apostolicus, sed apostaticus, ut in cap. *si quis pecuniam* & quia nomen Episcopi sibi indebite usurpavit, ut hic dicitur. Præterea quia ex apposito sequeretur absurditas, videlicet quod contra prohibitionem Apostoli teneremur notorio Hæretico communicare & obedire & participare in crimine criminoso, vel in occupatione Papatus, quod nondum humano, sed juri divino etiam adversari videtur. Et facit quia quando in limine adeptionis Prælaturæ constat de non jure & minus canonica institutione ipsius Prælati, potest sibi per subditos contradici, ut notatur per Inn. *de restit. spol. in litteris*.

Quid dicendum? Breviter dico duo. Primum est, quod loquimur solum de electo & recepto per duas partes; unde dico quod sola electio duarum partium constituit eum Papam; sic intelligo notatum Innocentio super verbo *receptus: tamen ad hoc quod absque ulla exceptione oportet quod a duabus partibus sit receptus*. Secundo dico, quod oportet quod electio & receptio hujusmodi sponte & non per metum & impressionem notoriam fuerint celebratæ. Et est ratio hujus, quia spontanea receptio duarum partium maximam præsumptionem inducit, quod electio fuerit sine vitio celebrata; quam præsumptionem notoria impressio haberet tollere, quia ex malo numquam præsumitur nisi malum. Receptio enim venit in modum executionis electionis præcedentis, & ideo si sit eodem vitio maculata, nihil addit His suppositis dico, quod ratio in fine capituli *licet* posita ibi: *in Romana vero Ecclesia speciale, quia non poterit ad superiorem haberi recursus*, referuntur ad duo dicta proxime præcedentia, videlicet de concordia duarum partium & de remotione omnium exceptionum. De prima enim non est dubium; & de secunda idem sensit Inn. præsertim Compostellanus, dicens propter hoc exceptionem contra electores non admitti. Ex quibus infero, quod illa verba *absque ulla exceptione* & illa in fine posita recipiunt suum intellectum, nam sive in donationibus, sive in legatis, sive in legibus loquamur, quando causa seu ratio est finalis, adhæret dicto, & illud determinat seu restringit *de Donat.* l. fin. & ibi per Bar. & maxime, quando est jus speciale ut in proposito ff. *de pactis*, l. *quod dictum* de jure patr. l. *adigere* §. *quamvis*, & per Johannem Andream in cap. *post translat.* de renuntiat. Et licet in donationibus vel legatis causa donandi, vel legandi in dubio non præsumatur esse finalis, ut per Gloss. ff. de donat. lib. 2. §. fin. tamen causa seu ratio legis præsumitur esse finalis, ut notatur per omnes, & specialiter per Bar. ibi supra. Ex quo infertur, quod ratio hic in fine apposita censetur finalis. Ex quibus omnibus concludo ad propositum, quod verba illa: *absque ulla exceptione*, ad omnes illas exceptiones quæ aditum superioris de necessitate requirunt, & non ad alias referuntur. Nam istud est jus speciale, & habet rationem specialem in fine studiose appositam, *quia non poterit ad superiorem haberi recursus*; quæ præsumitur esse finalis, ut patet ex dictis. Igitur secundum illam rationem in fine positam debet iste textus *absque ulla* determinari & restringi, ut intelligatur de illis quæ requirunt aditum superioris, & non de aliis. Ex quibus plura inferri possunt; & primo, quod omnes exceptiones, quæ electionem nullam non reddunt, sed ad ejus cassationem vel irritationem tendunt, hic sunt sublatæ, quia illæ aditum superioris requirunt. Item ex hoc sequitur quod omnes exceptiones etiam reddentes electionem ipso jure nullam, quæ tamen dubie & non clare seu notorie existunt, etiam per dicta verba censentur esse sublata, quia per declarationem dubietatis aditum superioris etiam exposcunt. Et hoc intelligo sive talis dubietas consistat in jure, ut puta, quia probabile dubium est an jus in tali casu vendicet sibi locum; talis enim juris ignorantia eum non excusat secundum Car. in regulam *ignorantia*. Et est ratio, quia sicut editio, ita declaratio juris pertinet ad superiorem, & sic potest salvari quod scripsit Compost. in cap. *licet* de excom. notor. quia licet excommunicatio sit notoria, tamen satis erat probabile dubium, an jus, unde oritur talis exceptio, in electionibus papæ vendicet sibi locum, & ideo arguitur ibi pro & contra. Licet enim jura de inferioribus ecclesiis loquentia in electione papæ locum habeant; ut prædixi; hoc tamen intelligitur, ubi est identitas rationis, ut in impressione & metu libertatis arbitrii, & ecclesiæ; tamen ubi est diversitas rationis, tunc secus, ut hic probatur. Modo in excommunicatione est diversitas inter Romanam ecclesiam & alias, ut patet ex notatis in dictum caput *licet*; & idem dico regulariter de aliis defectibus & exceptionibus concernentibus personas eligentium vel electi, de quibus potest referri probabile dubium an in electione papali vendicet sibi locum propter similem diversitatis rationem. Et in hoc potest salvari, quod communiter dicunt Gloss. quod exceptio de vitio eligentium, vel electi contra electum a duabus partibus admitti non debet, ut notat LXXXIX. dist. cap. 1. Verum si sint exceptiones concernentes personas eligentium vel electi, quæ sint claræ atque notoriæ in facto & jure, tunc forte de illis potest excipi, ut statim dicam. Item ex hoc etiam infertur, quod quando clarum & notorium existit quod electio papæ fuit per impressionem vel simoniam celebrata juxta ea quæ leguntur in cap. *In nomine Domini*. Hinc non est necessarius superioris aditus, immo auctoritate canonis, licet etiam laicis talem expellere ut dictum caput *in nomine Domini* in fin. Sed quid si sint aliæ exceptiones quam impressionis & metus, electionem tamen alias nullam reddentes, in facto notorias & in jure claræ? numquid in illis aditus judicialis est necessarius, ut sit locus huic decretali & habeant locum illa verba: *absque exceptione?* Breviter istud est majus dubium, quod ego habeam, quia non habeo textum proprium dicentem, quod in aliis liceat auctoritate propria recedere, & tamen in notoriis aditus judiciarius est sæpe necessarius. Certe consulerem nuntiis mittendis ad conflictum, quod non intrarent istum passum, nisi vices argumentorum impellerent eos ad intrandum, quia solum de casu impressionis agendum est de præsenti. Sed quia forsan impelli possent, dico pro eis, quod ubi esset tale notorium, quod nullo modo aditu judiciario egeret, de plano locus esset isti decretali per prædicta. Sed si esset casus in facto notorius & in jure clarus, quod alias aditu judiciario egeret, saltem propter sententiam declaratorum, certe ille casus solus mihi dubius

ANNO CHRISTI 1397.

bius est. Et quia non habeo textum proprium ut prædixi, & quia per hoc relinquetur materia discordiarum & schismatum, sicut ante, sed nihilominus magis consulo, quod nuncii desendant in istis idem esse sicut in impressione & metu, & moveor ista ratione, qua ratio cap. *in nomine Domini* in simonia & impressione loquitur, judicio meo non est specialis, neque positivi juris, sed est ratio generalis & naturalis juris & divini; vult enim generaliter ratio naturalis, quod intruso in prælatura, de quo apparet notorie quod jus non habet, non obediatur per illos, apud quos notorius est, quia illi obediendo participarent crimini criminoso, quæ ratio in omnibus similibus casibus vendicat sibi locum. Et probatur prædicta ratio per A ptata Innoc. de elect. *nihil*, de restit. spol. *in litteris*. Item facit, quia deficiente suffragio juris positivi dictat jus naturale & ejus ratio de facto posse resisti injustitiam inferenti C. de *mitbs* L. *devotum* C. *quando liceat sine judice se vend.* l. 1. & 2. ff. de just. & jur. l. *ut vim*. In hoc enim fundatur materia repræsaliarum, ut patet per Bar. in tract. repræsaliarum. Per quæ solvitur quæstio an possit excipi de hæresi; nam si notorium sit in jure quod error, quod impingitur, est manifeste contra fidem, & notorium sit in facto quod illum ille errorem teneat & in eo pertinaciter permanet, nolens pœnitere neque corrigi, tunc potest de illo excipi; sed si deficiat aliquid ex prædictis, tunc secus. Et patent ista clare ex dictis, & C eodem modo dicitur de simonia intelligendo de illa, quæ est in ipsa electione commissa, quia si non est notoria, non potest excipi ut in cap. prædicto & cap. *si quis pecunia* LXXXIX. dist. Sed si est notoria, secus per proxime dicta. Et idem de exceptionibus aliis concernentibus personas eligentium vel electi; quia si certum est quod electionem nullam reddunt, & notoriæ sunt, tunc opponi possunt; si vero dubium est an exceptiones nullam reddant electionem, vel dubium est factum, de quo insurgunt, tunc per denegationem vel subtractionem obedientiæ opponi non possunt, & hoc vult ista decretalis in verbo *absque ulla*, & sic intelligitur, quod notatur per Glossam in cap. D 1. LXXXIX. dist.

Sed quæres: pone, opponitur quod non est receptus vel electus a duabus partibus; tunc certe dico quod si de facto constet, vel quod est electus vel receptus a duabus partibus, ista contradictio audiri non debet per istam decretalem, & quia non esset judex qui hanc querelam audire posset. Sed si de hoc non constat, puta quia Cardinales incontinenti ab eo recesserunt, & electio negatur facta esse a duabus partibus, tunc potest contradicere omnis, donec appareat quod sit facta a duabus partibus, & forsan etiam donec appareat de exceptione. Opponi poterunt aliæ exceptiones exceptionem nullam reddentes, super quibus forsan debebit Concilium generale, juxta notata per Archidiac. in cap. *in fidei* allegato, quia ille textus in ea parte in qua dicit *absque ulla exceptione* non loquitur nisi de electo & recepto a duabus partibus; & ideo oportet quod de hoc appareat. Verum si apparet quod duæ partes eum recepissent, sibique obedirent, tunc dicerent, quoniam eum electum esse ad duabus partibus, satis putarem eis credendum, & contradictorum repellendum, nisi clare de exceptione appareret, quia non possumus scire aliquid de electione, nisi per Cardinales; & ideo eis solis super hoc credi debet de probat. *tertio loco* C. *de repudiis* l. *ex consensu* etiamsi tertia pars dicat contrarium, quia duæ partes tertiam partem vincunt, ut in cap. *licet*, & quia in dubio majori testium numero & fortius duplo majori credi debet Arg. ff. de testibus l. 3. §. 1. Sed quid si opponitur quod sedes non vacabat, vel quod electores, vel aliqui eorum mortui erant, in tantum quod non remanerent duæ partes, erant privatæ potestate eligendi, aut erant furiosi vel hæretici, vel non erant viri sed mulieres, aut erant pueri, infantes sine discretione, aut jocose aut truffa- B torie, & non ex animo elegerunt, vel qui erat electus erat furiosus, infans, mulier, & similes? Numquid de istis poterit excipi? Videtur quod sic; quia talia omnia aut consensus aut habilitates eligentium vel electi enervant, aut alias illam electionem nullam reddunt; & ita dicit sibi videri Marianus in quodam consilio. Sed breviter non capio nec video quare non debeat dici ut supra, videlicet quod si talia tam in jure quam in facto sint notoria & clara, de illis excipi valeat, & alias non. Et ita fuit per me responsum in quodam consilio. Sed numquid contra electionem a duabus partibus, qui electus tamen non est receptus a duabus partibus, possunt opponi exceptiones etiam non notoriæ, quæ tamen probari possunt? Et certe dico, quod si tales sint exceptiones quæ electionem nullam non reddant, opponi non possunt, quia si electionem nullam non reddunt, Papa efficit. & si papa est a nemine judicari, superiorem quidem habere non potest, & sic non est qui electionem retractare possit. Sed quid si in casu proximo exceptiones sint tales quæ electionem nullam ipso jure reddant, certe videt. quod de illis excipi valeat, quia cap. *licet de vitanda* §. *statuimus* dicit quod ille absque ulla exceptione ab universali ecclesia Romanus pontifex habeatur, & sic copulative duo requirit, videlicet quod a duabus partibus electus fuerit, & quod receptus. Quamquam igitur a duabus partibus D electus sit, non habet locum, quod *absque ulla exceptione &c.* arg. sumpto a contrario litteræ ff. de off. *ejus cui mandat. est jur.* l. p. *hujus rei*; & quia decretalis *licet* ponit jus novum, ut videtur, & duo copulative requirit. Igitur ad existentiam ipsius utriusque veritas est necessaria Instit. de hæred. instit. §. fin. & facit quia in novis edendis juribus casus non expressus habetur omissus c. de appel. l. *præcipimus*, in fine *qualiter autem*. Dico igitur quod sciens veritatem rei, ex tali causa poterit sibi obedientiam denegare juxta notata per Innocentium in cap. *nihil de elect.* & de restit. spol. *in litteris* donec fuerit per ecclesiam in generali Concilio declaratum seu deliberatum, arg. eorum quæ notat Archid. de hæretic. in cap. *in fidei* & Jo. LXXXIX. dist. *si duo*, quia non E est alius qui super hoc deliberare vel ordinare valeat, ita bene possit. Simile XL. dist. *si papa*. Et hoc verum, si eum comitetur infamia, quia alias accusatione opus esset, eo quia electio Cardinalis vim habet confirmationis ut cap. *in nomine Domini* & cap. *licet devitanda* arg. de accus. accedens. & de appel. constitutis, nec est idem infamia ac notorietas, quia notorietas requirit evidentem rei, & veritatis existentiam;

ANNO CHRISTI 1397.

ANNO CHRISTI 1391.

tiam; sed fama solum requirit communem reputationem, ut patet ex notatis per Innocentium in cap. *Tua* de cohabit. cleric.

Sed oppones, quia sic generale Concilium posset adiri tanquam superius in hac causa cujus contrarium dicitur in cap. *licet* in fin. & 3. q. 1. §. *patet*. Sed respondeo & dico, quod non aditur tamquam superius, nec etiam judicialiter; sed ut deliberet quid agendum, & ejus deliberatio tamquam vera juris præsumptio pro veritate ab omnibus observetur. Quia cum non sit locus judicio, saltem est locus deliberationi: modo quod omnes tangit cum omnibus deliberari debet, aut in regula *quod omnes*, & hoc est cum Concilio generali; nam non est verisimile quod Christus in hoc casu Ecclesiam suam dimiserit improvisam, ut notat Inn. de re jud. *ad Apostolica* in fin. modo nec in jure expressa est, nec apparet aliqua provisio in hoc casu; ideo autem permittitur in hoc casu de facto interim resistere, quia interim deficit suffragium juris positivi; & ideo ad jus naturale habetur recursus de justitia & jure l. *cum si*.

Sed numquid in casu nostro, in quo Bartholomeus fuit primo electus, & receptus a duabus partibus, per violentiam, & in quo duæ partes statim quod potuerunt ab obedientia violenta recesserint, & postea C. in loco libero elegerunt, habet locum quod proxime dixi, videlicet quod contra Bartholomeum & Petrinum sibi succedentem in vitium possint prædicto modo opponi exceptiones notoriæ, perinde ac si a duabus partibus receptus non fuisset, videtur quod sic. Primo quia prædicta verba *electus & receptus* habent intelligi absque violentia & cap. *in nomine domini*, & quia ex violenta receptione bona præsumptio, in qua fundatur cap. *licet* non potest eligi, & quia non censetur versum quod non durat versum. Sed in contrarium facit exceptio metus vel violentiæ, non potest opponi nisi sit notoria ut dixi. Tu cogitabis.

Secundo quæritur, utrum possit probabiliter sustineri, quod casui dictorum Cardinalium XII. per eos in Anania recollecto sit credendum. Videtur prima facie dicendum quod sic: pro quo primo supponendum est, quod hic superiorem non habet coram quo judicialiter procedi possit an debeat, ut probat caput *licet* in fin. Ex quo infertur, quod in hac materia non potest recipi informatio judicialis: & per consequens quod ordo judiciarius hic non est necessarius, quia nec possibilis. Præterea nec partis vocatio, quia illa pertinet ad superiorem quem neutra pars in hac materia recognoscit. Secundo suppono, quod conditio testis debet referri ad tempus suæ depositionis C. de testa. l. 1. Tertio suppono, quod quilibet debet & tenetur in hac materia informari aut quærere informationem, & etiam recipere & quantum potest meliorem habere: nam in his quæ respiciunt periculum animæ vel peccatum, videlicet quid agere, seu a quo abstinere debeat, maxime circa ea, quæ ipse tenetur de necessitate juris, si ipse in facto vel in jure dubitet, se informare debet; de facto probatur extrav. in cap. *cum nobis olim*, & cap. *innotuit*. De jure patet ex *de bono* poss. l. 2. Modo quilibet fidelis Catholicus tenetur obedire vero papæ, ut cap. *Si quis venerit*, & discedere ab intruso, cap. *In nomine domini* cum similibus. Igitur quilibet circa hoc in facto vel in jure dubitans tenetur recipere meliorem informationem quam potest; quare suppono, quod habens recipere informationem in facto, debet eam recipere in his qui melius verosimiliter scire debent, & maxime si sint tales qui sint numero sufficientes, omnique exceptione majores, & quibus major debeat adhiberi fides; in Aut. *de Testib.* §. sancimus. Quinto suppono, quod quando quis facit actum licitum & honestum, maxime tenetur, si faciat postea actus alios ad illum de jure consecutivos, non debet sibi imputari maxime ad notam per quam fides sui præcedentis testimonii alias debite exhibiti minuatur; nam qui vult unum maxime licitum & honestum, de jure velle debet omnia quæ sunt de jure consequentia ad illud, ut probant jura communiter. Sexto præsuppono quod cum quis facit actum bonum & de jure licitum licet alteri præjudicialem & gravosum, non tamen animo alterum injuriandi vel lædendi, sed aliter animo bene & recte in cap. licite sibi agendi, & non propter hoc debet diminui ejus fides, videlicet quominus ad credendum sit contra eum, cui est præjudiciale vel gravosum. Patet in judice, qui alias debite fert sententiam contra partem ipsi parti præjudicialem, & gravosam, cui postea propter hoc minus credendum sit, si causa non pendente coram eo juratus deponat *de Testib. cum a nobis*, a contrario & ibi notatum in Glossa 2. & notatur per Henricum. de probat. *quoniam contra*, patet aliud extravaganti de elect. *cum dilecti* §. quia vero. Septimo suppono, quod in casu Dominorum aliqua sunt, de quibus nullus poterat scire, nisi ipsi soli; patet extrav. *de gestis per eum*, in conclave & in aliis eorum Conciliis, in quibus nullum alium admittebant. Alia vero sunt, in quibus alii ferre poterant testimonium: sicut ipsi, sicut illa quæ facta fuerint per Romanos in persona eorum aut aliorum, aut ipsis & aliis audientibus. In rumore & clamore populi quod fuit in ingressu, & juxta portam, & super solarium conclavis, & in pulsationibus campanarum Campitolii & S. Petri & in propositione facta per Romanos coram eis in præsentia multorum, & in Ecclesia S. Spiritus de Urbe. Alia vero sunt de quibus non possunt DD. Cardinales deponere nisi de auditu auditus, vel de auditu visus, & sunt ea in quibus Cardinales non fuerunt præsentes, nec per aliquem sensum corporeum puta visus vel auditus ea perceperunt; patet in his, quæ gesserunt Romani in Conciliis suis in absentia dominorum, & in aliis quæ fecerunt longe a Dominis.

His præsuppositis dico primo: in his quæ non potuerunt sciri per alios quam per dominos Cardinales, & super quibus alii quam prædicti domini non potuerunt deponere, quilibet extra judicium informari, fidem in prædicto casu adhibere debet ut C. de repudiis l. *consensu* §. superplagiis, & de probat. cap. tertio loco. Secundo dico, quod super his super quibus alii poterunt scire veritatem sicut ipsi, & donec appareat contrarium, eorum casui credi debuit, quia sunt numero plures, omni exceptione majores, & in auctoritate cæteris præstantiores. Item quia habent adjumentum a casu, tum Dominorum Italicorum minus susceptorum in hac materia, & a notorietate facti, licet transeuntes a fama divulgata ubique, quod probatione non eget. Tertio dico, quod in aliis de quibus prædicti domini nihil scire possunt, nisi per

ANNO CHRISTI 1397.

ANNO CHRISTI 1397.

per auditum alieni auditus, vel per auditum alieni visus, satis potest eis credi qui ita dici audierint, quod operatur quantum potest operari auditus nobis per auditum alieni visus satis potest ei credi quod ita dici audiverint, quod operatur quantum potest operari auditus hujusmodi ad impressionem faciendam, licet forte eorum depositio de veritate gestorum quoad hoc fidem non faciat. Qualiter autem auditus ille ad fortificationem impressionis juvare poterat, considerari habet ex conditionibus referentium, ex circumstantiis causarum & factorum ac temporum & negotii tunc currentis, & ex modo etiam referendi. Et est etiam advertendum, an sine illis vel de impressione satis constet, quia tota ista materia est arbitraria, quia nulla lege est determinata *de offic. deleg. de causis*. Fateor tamen quod ille casus non potest dici informatio judicialis, sed potius extrajudicialis, talis tamen cui quilibet catholicus potest & debet, saltem donec alias sibi de contrario appareat, fidem adhibere, cum nulla melior nullaque certior informatio extra judicium haberi possit, nec judiciali sit locus ut dictum est. Primo non obstat quod in facto proprio ut patet ex notatis Be. de electione *cum dilecti* in Glos. super verbo *& si tres*, & LXXIX. dist. si duo in Glos. ubi dicitur quia Cardinales non erunt judices in causa ista, quia in facto proprio. Dico enim primo, quod etiam in facto proprio admittuntur, quando alias probationes haberi non possunt, puta super his quæ per ipsos solos gesta fuerunt in conclavi, ut ibi notatum.

Item & super his quæ gesta fuerunt per alios coram eis, ut notatum per Be. in dicto loco, ad instar judicum, quibus creditur de gestis coram eis &c. Præterea hic non tendunt Cardinales ad factum proprium consolidandum, sed ad ipsum potius infirmandum, & sic non habet locum l. fin. & cap. *si Romana* et utrobique notata. Faciunt notata per Bar. ff. de jure fisci l. *de feris* §. *idem decreverunt*, per quod patet, quod procurator admittitur in testem contra dominum, quia non prosequitur, sed impugnat factum suum, nec est causa propria, sed Ecclesiæ, ut cap. *cum insuper*, et cap. *cum nuntius* de testibus, et quia commodum vel incommodum non spectat principaliter ad eos l. 2. §. *in propria* ff. *quando appell. sit*, quia perdiderunt beneficia, et nihil lucrati fuerunt, licet forte eos tangat indirecte arg. Inst. de leg. §. si legatarius. Nec obstat Glos. cap. *si duo*, quia loquitur in casu, quando vota eligentium dividuntur in duos, et quilibet pars suam electionem prosequitur; et sic habet locum lex fin. ff. de testibus. Tertio non obstat variatio, quia eis sibi licuit variare, eo quod factum per eos erat ipso jure nullum, et libertas Ecclesiæ de elect. *nosti de jure jurando*, sicut et quia illa facta fuerunt per metum, qui metus dat justam causam variandi supra *de his, quæ vis metusve causa fiunt* per totum.

Quarto non obstat, quod Cardinales partem aliam prosequuti sunt, & nunc prosequuntur; tum quia tempore quo fecerunt dictum casum, nihil contra partem aliam attentaverunt; tum quia id quod post fecerunt, non censetur attentatum, sed executio juris. Da oppositum; jam nec creditur Apostolis, eo quod Christo partem fecerunt manifestam. Item alia ratio reddi potest, cui concordat D. Varisconensis, quia ad Cardinales pertinet Papam creare, et creatum denuntiare, et ad hoc tenentur ex debito et ex officio, et ideo eis et eorum litteris in hoc credi debet, sicut litteris ordinariorum super his quæ ad eorum officium pertinere creduntur, ne dum de his quæ per eos fiunt, sed etiam de his quæ coram eis fiunt de consuetudine Ecclesiæ generali, inducens notata Innoc. in cap. 1. et 2. *de fide instrum.* ac Joannem Andream et Joannem Cal. in cap. *post cessionem* de probat. cum notat. speculatoris ibidem allegati. Alia ratio etiam induci posset, in qua prædicti Domini convenerunt, videlicet quod per cap. *in nomine Domini*, et per cap. *si quis pecuniam* DD. Cardinales sunt facti executores pœnarum ibidem inflictarum, qui sic possunt invocare modum executionis auxilium humanum, et quod tamquam executores fecerant; et quod per consequens eis credi debet, quia si non deberet eis credi, nec deberet eis humanum auxilium impendi, et sic ille canon careret effectu, et sic si non ut testibus vel denunciatoribus, saltem ut executoribus eis credi debet. Facit, quia judici Ecclesiæ invocanti auxilium brachii secularis tenetur judex ecclesiasticus credere juxta notata de officio ord. cap. 1. Inducit etiam Dominus S. Angeli lecta et notata de App. *sollicitudinem*. Præterea alia ratio per præfatum dominum S. Angeli inducitur, quia cap. *in nomine Domini* super notorietate fundatur, et per illud intruso omnis obedientia denegatur, secundum quod intelligitur cap. *licet* de vitanda, cujus quidem canonis erant executores dicti DD. Cardinales, et ideo illis ad executionem procedentibus credi debet, maxime quia notoria probatione non egent.

Sequitur tertio quæstio principalis, videlicet an ex actibus consecutivis pars alia valeat se juvare.

Hic sunt tres quæstiones; prima utrum possit se juvare pars alia de actibus consecutivis in modum confirmationis seu corroborationis infectæ electionis ex tunc, & quod ab ejus principio valuerint, quæ tunc non valeat. Secunda quæstio, an possit se juvare in modum novæ electionis, seu confirmationis aut purgationis ut & nunc, hoc est ut per dictos actus efficeretur de novo Papa, qui prius Papa non esset. Tertia quæstio est utrum possit se juvare ex illis in modum præsumptionis, videlicet quod impressione non obstante electio ab initio sponte fuerit celebrata.

Ad primam quæstionem dico plane, quod pars adversa non potest se juvare de actibus consecutivis in modum confirmationis &c. ut ex tunc &c; & est ratio quia attento quod electio fuerit ab initio nulla, hoc esset contra veritatem & possibilitatem, & in modum cujusdam retractivæ fictionis, ut de se patet; fictio enim vel ex legis vel principis potestate procedit; immo non est in potestate legis vel Principis ordinare quod tunc valuerit ff. ex *quibus causis majores L. denique*, & ff. *de postliminio reversis* l. 3. §. *facta* licet possit lex vel Princeps ordinare quod ex postfacto sit idem juris effectus, ac si &c. Instit. *quibus modis jus patere potest.* §. si ab hostibus; & credo quod de hac nullus dubitaret, maxime quia in hoc concordant Jacobus, Petrus, Butr. in l. *observare* ff. *de offic. proconsul.* Facit, quia, si fuisset potestas, non aderat intentio; nam actus præsens de natura sui retro non aspicit de constitut. cap. fin.; & tamen operationes agentium ultra intentiones eorum extendi non possunt,

ANNO CHRISTI 1397.

sunt, ut l. non omnis, & cap. cum dilectus. A Facit, quia pro tunc obstante impressione valere non potuisset; arg. ff. de heredi. instit. l. in tempus C. de donat. ante nuptias L. quod sponsus; & videtur casus ff. rem ratam haberi l. ut bonorum.

Ad secundam quæstionem dico, quod nec se potest juvare in modum novæ electionis seu confirmationis ut ex nunc, quia tunc esset necesse, quod ex toto cessaret causa impediens, & quod ex integro superveniret causa confirmans, ut notatum per Barto. ff. de fidejus. leg. si quis pro emptore, & Dim. in regul. non firmatur. Modo non cessabat causa impediens, puta metus, nec supervenit ex integro causa confirmans, quia non fecerunt ea per quæ ad electionem Romani Pontificis procedi consueverunt &c. Et facit, quia consensus metu extortus extensionem non recipit, ut notat Inn. in cap. dispendia in VI. Nec accessorium debet ad se trahere principale de consecra. Eccles. vel Altaris cap. uno in VI. & quia non præsumitur talis animus, dum alia causa faciendi subest ff. de cond. obturpem causam L. si ex stipulatione. Item facit, quia quando de voluntate alicujus quæritur, ejus declarationi in dubio stari debet de instit: Cum venissent, de sententia excommunicationis inter alia; de regulis juris in ambiguis.

Ad tertiam quæstionem dico, quod nec potest se juvare ex illis in modum dictæ præsumptionis. Et primo, quia quamquam aliquæ inducantur præsumptiones, illæ sunt leves, & non sunt claræ neque vehementes; & ideo plenam & directam metus probationem evacuare non possunt per jura communia. Unde de illis præsumptionibus omnibus & earum qualibet potest dici, quod non probat hoc esse quod ab hoc contingit abesse. Secundo, quia quando subest in actu consuetudinario causa aliquid præsumendi quam spontanea &c. illa non præsumitur, ut puta duratio causæ metus C. quod metus causa l. 2. & ibi per Bar. quia, ut dixi supra, consensus meticulosi extensionem non recipiunt. Addebant DD. Cardinalis S. Angeli & Episcopus Matisconensis aliam rationem, videlicet quod per hoc quod Bartholomæus electus per impressionem notoriam electioni & intronizationi consentire & pro tali se gessit, notorie factus fuit ineligibilis, sic quod nec expresse, nec tacite per tales actus potuit postea Papa fieri. Inducunt notata Innoc. in cap. licet de vitanda §. si quis autem in fin; ibi Glos. & quod notat novella in dicto §. si quis autem post Innoc. & Host. Et si opponitur, quod excommunicatio sola non debebat repellere, ut Clem. ne Romani, nec etiam schisma, nec hæresis, cum de hæresi non possit excipi, ut notat Innoc., compos. & Novella in dictum Caput licet; fatetur hoc verum de occultis & de aliunde provenientibus, utpote si excommunicatus esset ex alio facto; sed secus si ex isto facto oriatur excommunicatio vel schisma; & hoc maxime dum factum notorium est, unde oritur schisma; quia tunc revera efficitur ineligibilis, ut notatum per Host. in dictum caput licet. Et ideo de hoc excipi potest, ut patet ex dictis, sicut & de hæresi notoria ut dictum est supra; licet dici posset plus posse puniri schisma prædictum, quam hæresim in casu isto propter majorem frequentiam, ut caput Novatianus & cap. VII. q. 1. arg. l. aut facta ff. de pœnis.

Sed numquid delictum commissum per Cardinales in hoc quod sequuti fuerunt metum Romanorum, & in hoc quod acquieverunt impressioni notoriæ factæ per Romanos eligendo intronizando & obediendo ac sententiis pœnis canonicis, quas propter hoc incurrerunt, Fidem & auctoritatem ipsorum tollant vel attenuent, in tantum quod assertioni suæ, seu casui per eos recollecto, fides non sit adhibenda? Videtur quod sic, quia metus peccatum non tollit secundum Thomam 2. 2. q. CXXV, & in caput sacris quæ metus causa; & tamen possunt repelli a testimonio de testib. testimonium; maxime cum de crimine agitur ut ibi. Puto tamen contrarium, quia licet crimen repellat B a testimonio communi, non tamen ab iis quæ competunt alicubi ex officio, ut notatum 3. q. VII. in summa, & per Novellam in dicto cap. & allegatur XXIV. Q. 1. in proposito denuntiatio cardinalis plus in modum officii, quam testimonii emanavit. In istam rationem convenerunt, primo Dom. Matisconensis; & ultimo D. card. S. Angeli; sed differunt; nam D. Matisconensis dicit, quod ad officium Cardinalis pertinet denuntiare veritatem electionis per se celebratæ, qui non nisi per eos sciri potest; sed D. Cardinalis solum ponderat, quod ad eorum officium pertinet super hoc humanum auxilium in modum executionis invocare, & illi quorum auxilium invocant, tenentur eis credere. Sed dubito aliqualiter, C quia notat Innoc. de officio Archid., hoc verum cum sit, mandans cum causæ conditione & juris ordine servato procedit. Sed dico illud verum, ubi natura materiæ hoc requirit, unde in notorio illud non est necessarium; de jurejurando ad nostram; & maxime ubi legis auctoritate hoc fit, dicto cap. in nomine Domini. Item quod credatur ratione officii probant per conclusionem communem quæ habet, quod litteris ipsorum & aliorum Prælatorum maxime exemptorum in his quæ ipsi faciunt ratione officii, vel quæ coram ipsis fiunt creditur, ut notatur per Innoc. & Hostiensem de probat. cap. 1. & 2. & per Joannem Andream & Jo. Cal. eo titulo post Assonem & D per speculatorem ubi supra. Præterea quia caput testimonium loquitur de crimine accusatione & damnatione dignissimo LXXXI. dist: cap. primo juncto, quod notatur per Novellam in dictum caput testimonium super verbo crimine. Modo Cardinales non contraxerint tale crimen, quia metus culpam attenuavit in eis, ut dictum capit. sacris. Item facit ad hoc, quia propter proprium sanguinem redimendum permittitur quod alias prohiberetur C. de transact. L. transigere C. de his qui sibi mortem conscivverunt L. 1. & 2. Reperio enim, quod constitutus in peccato mortali admittitur ad testimonium de jurejurando cap. sicut nostris, E de Jur. Jur. facit quod notat Glos. in regulam peccatum. In isto motivo condescendit D. Sancti Angeli inducens de jurejurando cap. verum in fin: ubi dicit expresse, quod jurantes per metum, non sunt tamquam pro peccato mortali puniendi. Adducit etiam caput si vero eo titulo, quod nihil dicit de hoc, nec loquitur de peccato mortali; & ita quoad litteram nihil probat, quia mortale peccatum dicitur crimen, quod mortem, idest capitalem sententiam requirit. Præterea nihil facit, quia non loquitur de gerente per metum, sed de violante juramentum, quod ipse per metum persiterat.

Fa-

ANNO CHRISTI 1397.

Fateor tamen quod ad caput *sicut nostris* posset evadi capitale, dicendo quod loquitur de actu capitulari sive notorio & testibus celebrato, quod per alios probari non potest, simile *de probat*: tertio loco, & cap. *venions* de testib.; sed certe istud est divinare; praeterea impugnabat Cardinalis quoad actus voluntarios. Sed dico quod pauci fuerunt Domini, qui illos fecerunt, & quod quasi omnes habuerunt concomitantiam metus, quia quasi omnes fuerunt celebrata vel ad evitandum vel cooperiendum vel palliandum &c. & ad hoc in magis respondebitur. Praeterea, quia executio de qua supra committitur cardinali post electionem & introniza tionem, & etiam postquam exierunt de Urbe, ut praedicto cap. *si quis pecuniam*. Illud enim dicitur quis non posse quod non potest commode ff. *de verbor. signif.* L. *nepos periculo*, & sic postquam elegerunt introniza verunt & obedierunt intra urbem, possunt extra urbem humanum auxilium invocare, & sic eis credi debet, ut supra dictum est; & hoc motivum placuit multum D. Cardinali. Quarto principaliter ad hoc inducebant *D. Guberti* primo, & sic D. Matisconensis secundo, quod istud crimen intrusionis & schismatis seu potius violentiae commissae in Cardinales est crimen laesae majestatis, quia in rempublicam, hoc est in Ecclesiam Romanam & in Collaterales Principis commissum fuit, C. ad Leg. *Juliam majestatis* l. *quisquis*. Modo istud crimen est exceptum, in quo etiam particeps criminis admittitur, ut habetur in cap. 1. de confessis & in cap. 1. de testib. in VI. & per hoc respondetur ad actus voluntarios, & inducebant ad hoc, quod licet alias schismata contra alias ecclesias statim non sapiat in haeresim; tamen schisma commissum contra Romanam Ecclesiam seu contra Romanum Pontificem statim transit in haeresim, quia contra illum articulum *unam Sanctam*, & in hoc dicebant Theologos & Canonistas concordare. Sed de hoc dubito propter cap. *item schisma* 24. q. 3. ubi fit discrimen inter schisma & haeresim, saltem ab initio; & quia neutra pars credit contra articulum, puta duos posse esse Pontifices; immo qualibet pars constanter asserit unicum posse existere, & illum suum esse. Et hoc dico, quia de hoc quod contingit a principio, & cum nullus adhuc Papa esset, nunc agitur; & ideo haeresis hic vix causari posset. Quinto principaliter inducebat D. Matisconensis, quod non agitur hic de crimine saltem criminaliter, pro quo inducebat Cardinalis notabile de electione cap. *querelam*, ubi notatur, quod si petit quis aliquem removeri a beneficio in quo jus non habet, non agitur tunc criminaliter, sed in modum accusationis; sed si petit removeri propter crimen, necessaria est accusatio, vel inquisitio; sed illud non est dictum Novellae, sed Innoc. ut ibi potes videre per Innoc. in Glossa 2. & per Novellam in Glossa 3. Modo cum agitur civiliter, etiam de crimine admittitur criminosus in testem, si sit emendatus, & eum non concomitetur infamia, ut cap. *testim.* extrav. *de Testibus*. Modo solum petitur removeri intrusus, quia jus non habet, & Cardinales non concomitatur infamia; si peccarunt, praesumuntur de crimine emendati; igitur in testes admitti possunt, & si non ut testes, quia sine ordine deposuerunt, tamen ut executores vel denuntiatores eorum per argumentum a minori ad majus, quia difficilius repellitur testis quam judex, cum plures reperiantur judices, quam testes.

Sequitur quarta quaestio principalis: an aliquis possit petere restitutionem ad possessionem eorum, in quorum possessionem fuit praedecessor ipsius.

Praemitto quaedam dubia mota in quodam consilio hac die XVII. mensis Januarii anno a Nativitate D. 1397.

Primum, utrum cap. *in nomine Domini* XXIII. distin. §. *quod si pravorum* ibi ut pura, sincera atque gratuita operentur ex mente effectum dispositionis, & qualiter sic intelligenda.

Secundum: utrum praedictum caput *in nomine domini* §. *si quis contra* &c. intelligatur de electione facta a Cardinalibus; & qualiter intelligantur illa verba ibi posita: *per seditionem vel praesumptionem aut quodlibet ingenium*.

Tertium dubium: quia Archidiaconus & aliis Doctores secundum quosdam ibi dicunt quod ideo ibi intrusus incurrit illas poenas, quia committit excessus illos; tamen quia non apparet quod procuraverit, immo pro eo missum fuit; tum quia cardinales de animis suis nihil sibi dixerunt, nihilque protestati fuerunt, neque sibi prohibuerunt, & tamen poterat esse quod Cardinales de metu non curantes cum liberis animis elegissent.

Quartum dubium: quia fundamus factum nostrum super notorietate impressionis; & adversa pars fundat intentum suum super notorietate actuum consequutivorum tam in factis quam in scriptis sponte gestorum, ac possessionis & obedientiae pacifice sibi exhibitae.

Quintum dubium: quia fundamentum quod inducitur contra restitutionem Bartholomaei est, quia juris auctoritate expulsus est; respondetur enim quod verum esset, si juris ordine servato declaratio facta fuisset, ut notatur per Archidiaconum & Novellam in cap. *Ordinarii* de officio Ordinarii in VI. Et per Novellam in cap. *accepta* de restit. spol.

Sextum: quia aliud fundamentum partis nostrae, quod habet quod posset expelli de facto si possideret; & sic fortius posset sibi restitutio denegari; videtur ruere ex eo, quia si Papa verus incidat in notoriam haeresim, subditi possint ab eo recedere, ut dicto cap. *Anastasius* XIX dist.; & tamen si propter haeresim a Papa recedant clerici, debet ille in primis restitui per Concilium III. Q. VII. *item si*.

His praemissis, ad principalem quaestionem accedamus, & hic pro parte vera, videlicet quod non sit restituendus, sequentia motiva induco. Primum, quia constat de notoria impressione, & sic de notorio non jure ipsius, ut patet ex relatione Cardinalium, & ex evidentia facti; & sic est sibi restitutio denegenda: juxta notata Inn. & Hostiensis de filiis presbyter. const. & de divortiis *significasti*. Nec valet dicere quod sit notorium actus transeuntis, quia transivit impressio ad evadendum Glossam: Innoc. in cap. *significasti* quae loquitur de notorio actus permanentis, quia dicitur notorium permanens etiamsi actus transierit, dummodo maneat effectus illius principalis, ut puta ex adulterio filii gradientis super terram, ut legitur & notatur in Dictum cap. *significasti*. Modo sic est in proposito; quia impressio fuit facta ut haberetur Papa Italicus qui maneret in Urbe, quod hodie durat. Et confirmatur, quia etiam patet ex praedictis duabus

ANNO CHRISTI 1397.

bus Glossis Innoc. quia non datur restitutio ubi petens non posset sine peccato recipere, nec etiam retinere; & idem si ille a quo petitur restitutio absque peccato non posset restituere, de restit. spol. *litteras*. Sic in proposito, quia intrusus non posset sine peccato recipere, nec alii possunt sibi sine peccato adhærere, ut probat cap. *in nomine*; & tamen in prædictis tribus casibus etiam in quacumque alia materia cessaret restitutio etiam de jure communi.

Secundum motivum, quia expulsio justa & omni carens injuria, videlicet juris permissione & auctoritate facta, petitionem restitutionis non admittit; sicut cum Ordinarius juris ordine servato lata sententia quæ in rem transivit judicatam, & notat Inn. & Hostiensis *de restit. Spol. acceptata*; & clarius Archidiaconus de officio Ordinarii cap. *ordinarii* in VI. Et probatur a contrario in cap. cum *quæremus* de restit. spol. Modo intrusus fuit expulsus juris auctoritate, videlicet canonis *in nomine Domini*. Et confirmatur, quia si datur contra expulsum defensio per regulam, *cui datur*, et facit regula, *dolo petit*. Tertium motivum est, quia ratio, cur prohibetur, ne auferatur possessio etiam ei, qui jus non habet, cessat ista; quia potest habere aliquam causam retinendi, propter quam petit audientiam sibi dari C. *si per vim, vel alio modo* L. fin. *de præbend. licet episcopus*; modo dicta ratio cessat hic, ut dicitur in cap. *in nomine Domini*, arg. jurium, quæ dicunt quod cessante ratione legis &c. Præterea si omnis audientia denegatur, quomodo petenti hanc restitutionem audientia concedatur? Certe nequaquam; & notatur per Glossam in d. cap. *in nomine Domini*. In qua Glossa duo motiva proxime præcedentia notantur.

His expeditis, respondeo ad dubia primo mota. Ad primum igitur dico, quod prædicta verba; *pura, sincera, atque gratuita* sic intelliguntur: videlicet quod electio Papæ debet esse pura, & sincera, idest absque venalitate, sine simonia, ut patet super eo: *quia propter*. Item debet esse gratuita, idest absque seditione impressionis, ac violentia celebrata, ut eo cap. & probatur in cap. *si quis pecuniam* LXXXIX. dist. & Glossa in dictum cap. *in nomine Domini*. Præterea dico, quod licet ex proprio sensu prædicta verba solum suppositive loquantur, tamen tam ex sensu contrario, quam ex mente, tam ex præcedentibus, quam ex sequentibus, ut statim dixi recollecta loquuntur, seu intelliguntur etiam dispositive videlicet hoc modo, quod fiat electio in urbe, pura, sincera, & gratuita, si fieri potest nam de puritate, et sinceritate loquitur præcedens §. de gratuita loquitur sequens. Præterea dico, quod per prædicta verba ibi censentur tacite prohiberi, ne fiat in urbe nisi pura; et si non possit sic fieri, fiat extra urbem. Et faciunt communia jura, quæ volumus mentem ex præcedentibus, et sequentibus posse conjecturari, quæ omitto.

Ad secundum dubium dico, quod verba *per seditionem* et posita in dicto §. *quod si quis*, exponuntur per Hostiensem in cap. *licet de vitanda*, cujus verba ibi recitantur per Novellam; et ideo nolo de præsenti aliter ponere os in cælum. Præterea dico, quod ille §. *quod si quis contra* &c. loquitur etiam de electo a Cardinalibus, quia dicit electus & ordinatus, seu intronizatus fuerit; si enim solum dixisset *intronizatus*; sicut dicit cap. *si quis pecunia*, aliquem colorem dubitationis haberet; sed quia dicit *electus*, tollitur dubitatio, quia de electo a cardinalibus solum loquitur. Et ex hoc infero, quod cap. *si quis pecunia* debet etiam intelligi de electo a Cardinalibus, licet Glossa ibi notet contrarium. Vel si intelligas ut Glossa ibi metu illius verbi, *humana gratia*, dic quod ibi suppleri debet prædictus §. *quod si quis contra*.

Ad tertium dubium dico, quod Bartholomæus inexcusabilis fuit, quia vidit impressionem, ut patet in casu Dominorum, & judicare non debuit de occultis, ut *Ecclesia beneficia* cap. 1. & præsertim a tempore quo sibi fuit juratum per Dominos, & maxime a tempore, quo Domini ejus intrusionem declaraverunt C. *de rei vendic.* L. *si fundum*.

Ad quartum dubium dico, quod licet actus consecutivi fuerint notorii, tamen suberat in illis, maxime in collegialibus, eadem causa metus, ut patet ex his, quæ scripsi supra circa tertiam quæstionem principalem.

Ad quintum dubium dico, quod ordo, quem ponit cap. *in nomine domini* est sufficiens arg. *de jurejurando ad nostram*.

Ad sextum dubium dico prius loqui in notorio hæretico, ut patet ex notatis ibi per Archidiaconum, & secundum in occulto, & patet ratio diversitatis ex his, quæ scripsi circa primam quæstionem principalem; sed cave decretalem *non vos* XXIII. q. 5. allegatam in cap. *in nomine domini* super verba *audientia*.

CONCILIUM AD S. TIBERIUM

ANNO CHRISTI 1402.

In Diœcesi Agathensi Provinciale, in quo de præstando a Clero subsidio pecuniario Regi Galliarum est actum.

A Francisco Narbonensi Archiepiscopo, & Suffraganeis Anno MCCCCII. die III. Aprilis Celebratum.

Petrus miseratione divina Utiensis Episcopus dilecto familiari nostro Joanni Morelli Priori de Monasio nostræ Diœcesis salutem in Domino.

Extat in MS. Cod. Lucenti inter Consilia Ægidii Bellanerii Cons. CXXIII.

NUper videlicet anno præsenti D. MCCCCII. die III. Aprilis ad rechestam Christianissimi Principis D. N. Francorum Regis in loco S. Tiberii Agathensis Diœcesis cum RR. in Chr. P.P. & D.D. Francisco eadem gratia Narbonense Archiepiscopo, & Primate, ac Suf-

☞ Suffraganeis, & Clero suæ Provinciæ conveni-
mus, ibique per Venerabilem, & Circumspectum
ANNO CHRISTI 1402. Virum Magistrum Petrum Nepotis licentiatum
in legibus ipsius D. N. Regis, & D. Bituri-
censis Consiliarium, ac Nuncium certa fue-
runt nobis insimul in dicto loco congregatis ex
parte regia exposita, & requisita, super quibus
præhabita deliberatione conclusum fuit, prout
plenius continetur in litteris inde confectis,
quarum tenor sequitur.

Nos Franciscus miseratione Divina primæ
Sedis Narbonensis Archiepiscopus & Primas S.
R. E. Camerarius, Hugo Agathensis, Anto-
nius Magalonensis, Ægidius Nemausensis, Jo-
annes Lodovensis, & Petrus Uticensis Ecclesia-
rum eadem miseratione Episcopi, Suffraganei
nostri Archiepiscopatus una cum honorabilibus
Viris DD. Joanne Teste Bartholomæi Bituri-
censis Episcopi, Michaele de Curia D. Simo-
nis Patriarchæ Alexandrini administratoris per-
petui Ecclesiæ Carcassonensis, & Joanne de
Rupefixa D. Henrici Electensis Episcopi absen-
tium, et Suffraganeorum nostri Archiepiscopa-
tus Vicariis Nuntiis et Procuratoribus specia-
libus; necnon Venerabilibus in Christo PP. DD.
Salvatore S. Ægidii, Antonio S. Policarpi
Ordinis S. Benedicti, et Gulielmo Vallisma-
gnæ Cistercienſis Ordinis Nemausensis, Narbo-
nensis, & Agathensis Diœcesum Monasterio-
rum Abbatibus, Magistro Joanne de Refocato,
& fratre Petro Satoris DD. Crasensis S. Be-
nedicti & Fontis frigidi Cistercienſis Ordinum
Carcassonensis, & Narbonensis Diœcesis mona-
steriorum Abbatum absentium Nunciis, & Pro-
curatoribus, pluribusque aliis Viris Venerabili-
bus Doctoribus licentiatis, & Bacchalariis,
ac diversis aliis personis ecclesiasticis præsentis
Provinciæ Narbonensis ad rechestam Principis
Christianissimi D. N. Francorum Regis in lo-
co de S. Tiberio Agathensis Diœcesis ad in-
frascripta congregatis notum facimus universis,
quod ad nos venit honorabilis, & circumspe-
ctus vir magister Petrus Nepotis licentiatus in
legibus ipsius D. N. Regis, & D. Ducis Bitu-
ricensis Consiliarius cum litteris Regis creden-
tiam continentibus, nobisque ipsius D. N. ex
parte seriosius explicavit quamplurimas expen-
sas, & onera, quas, & quæ idem D. N. Rex
facit, & sustinet pro expeditione nonnullorum
magnorum & arduorum negotiorum sibi quoti-
die, & continue supervenientium, & aliis
quamplurimis, & diversis modis, quos hic ad
plenum describere longum nimis foret, ad quos
siquidem expensas & onera supportandas, &
supportanda proventus de Mauri (*sic*) sæpe di-
cti D. N. Regis minime sufficiebant, propter
quas nos rogavit instanter, ut nos ipsi D. N.
Regi gratiose concedere vellemus, quod gen-
tes Ecclesiæ præsentis Provinciæ Narbonensis
contribuerent ad triennium cum subsidiis, sive
aidis, quæ currebant in Regno, scilicet im-
positionibus, gabellis, & quarto vini, prout et
quemadmodum ultimate concessum extitit in
concilio ibidem super hoc tento. Nos vero at-
tendentes causas supra expositas per magistrum
Petrum præfatum, necnon quod ipse D. N.
Rex pro extirpatione nefandissimi schismatis in
Ecclesia Sancta Dei, proh dolor! urgentis, &
pro unione in ecclesia ipsa procuranda, & ha-
benda complures, & diversos sumptus, & ex-
pensas fecit, & facit continue indefinenter ma-
joresque ipsum speratum subire, quodque si ip-
sius schismatis extirpatio cunctos tangat Chri-
sticolas, ipsius tamen extirpationis prosecutio
viris ecclesiasticis principaliter incumbit, & ut
sæpe dictus D. N. Rex inclinetur amplius ad
prosequendam unionem præfatam sanctissimam,
& servandum, & servari faciendum libertates
ecclesiasticas statu etiam præsentis temporis, &
aliis animos nostros moventibus, ponderatis,
sine tamen præjudicio ipsarum libertatum ec-
clesiasticarum, & quod ad consequentiam trahi
non valeat, inquantum possumus, prædictas im-
positiones, aidas, & quartum vini in Provincia
præsenti Narbonensi modo consimili ad trien-
nium tantum cum omnibus qualitatibus, que-
madmodum ultimate Parisiis in præfato Con-
cilio fuerunt concessæ, concedimus per præsen-
tes præfato D. N. Regi; proviso tamen, quod
præmissa leventur in dicta Provincia tantum,
ut etiam cum in Gallicana Ecclesia levabun-
tur, & quod D. N. Rex mittat nobis super
hoc patentes litteras, quales alias misit Prela-
tis Ecclesiæ Gallicanæ, qui idem similiter
concesserunt, quodque præsens concessio intel-
ligatur facta in locis illis, in quibus solvi
est consuetum, volentes quod electi, seu de-
putandi per nos, seu quemlibet nostrum Ar-
chiepiscopi & Episcoporum, & (in) nostris
diœcesibus ultra potestatem eis dandam per
suum Prælatum super præmissis fungantur, &
potiantur auctoritate hujus nostræ congregatio-
nis super prædictis specialiter celebratæ. In
quorum testimonium præsentes litteras fieri fe-
cimus & sigillorum nostrorum Archiepiscopi,
& Episcoporum appensionibus muniri.

Datum apud S. Tiberium Agathensis Diœ-
cesis die III. Mensis Aprilis an. ab Incarna-
tione Domini MCCCCII. indict. X. subse-
quenter præsentatis nobis litteris Regiis, qua-
rum tenor sequitur, & est talis.

Charles par la grace de Dieu Roy de France a ciunces qui verront cettes presentes lettres, salut &c. *Extant in Conc. Avenionensi inferius ad an.* 1403.

Litteræ desunt.

Le XXV. jour de Octob. l'année de grace MCCCCIII. & de nostre regne le XXIII. Par le Roy, & son gran Conseil.

Nos Franciscus miseratione divina &c. *idem est instrumentum, quod superius recitatur, insertum in litteris Petri Uticensis Episcopi. Tum hæc sequuntur in MS. eod.*

DD. Archiepiscopus, & Episcopi omnes, qui fuerunt in concessione, Abbates S. Ægidii, & vallis magnæ, Officialis Electensis nomine suo, & illorum, ac de mente absentium, & voluntate illorum, qui concesserunt infrascriptas protestationes per instrumentum publicum, per Petrum de Tulia in traditione dictarum litterarum. Primo protestatur quod in ista concessione DD. Archiepiscopus, & Episcopi, Abbates, & alii non intendunt, nec inclusisse DD. Cardinales, & hospitalarios S. Joannis Hierosolymitani, quia Romani Pontifices quando concedebant, illos eximere consueverunt. Item quod si contingeret durante tempore dictæ concessionis per unionem vel alias nos habere Romanum Pontificem, cui obediremus, quod dicta concessio, seu ipsius concessionis effectus ex ejus arbitrio dependeat. Item quod si Rex faceret gratiam, vel volet, seu non permitteret, vel alias qualitercumque im-

ANNO CHRISTI 1401.

posita gabella, seu quantum vini non solvere-tur per personas ecclesiasticas aliarum provinciarum dicti Regni solitarum solvere in similibus concessionibus, quod ipsa concessio habeatur ex tunc pro nunc (non) facta. Item quod ista vice tantum, & de gratia hoc fiat, & ut trahi non possit ad consequentiam, & illis modo forma & tempore quibus Ecclesia Gallicana concessit, & sine præjudicio juris, & libertatis Ecclesiæ Romanæ; & quod Rex super admissione dictarum protestationum suas litteras concederet. Et est sciendum quod antequam D. Archiepiscopus voluerit concedere gentibus regiis Judicem super dictis impositionibus; Rex misit litteras libertatis conservandæ, de quibus in prædictis litteris concessionum fit mentio. Item misit idem D. N. Rex alias litteras patentes per quas attestabatur ecclesiam Gallicanam dictas aidas concessisse; & quod in dicta lingua levabantur. Quibus habitis eisdem concessit judicem sub forma sequenti.

Franciscus &c. dilecto nostro &c. Nuper videlicet anno præsenti MCCCCII. tertia die Aprilis ad rechestam Christianissimi Principis D. N. Francorum Regis in loco S. Tiberii Agathensis Diœcesis cum suffraganeis, & clero nostris convenimus, ibique per venerabilem, & circumspectum Virum Magistrum Petrum Nepotis licentiatum in legibus ipsius D. N. Regis, ac D. Ducis Bituricensis consiliarium, ac nuncium certa fuerunt nobis insinul congregatis ex parte regia exposita, & requisita; super quibus præhabita deliberatione certum dedimus responsum, prout hæc plenius continentur in litteris nostris inde confectis, cujus tenor sequitur.

ANNO CHRISTI 1402.

Franciscus &c.

Subsequenter vero, die videlicet quinta præsentis mensis Octobris præsentatis nobis per prius litteris regiis, cujus tenor sequitur: & est talis.

Charles &c. *Extant in eodem Avenion. Concil.*

Fuimus pro parte Regia instanter requisiti ut ad executionem dictarum litterarum, & in eis contentarum procedendo eligeremus, & deputaremus judicem, seu commissarium in nostra Diœcesi Narbonensi qui contenta, & concessa in dictis litteris, secundum earum tenorem debitę executioni demandaret. Ea propter vos de cujus probitate & scientia confidimus, judicem, seu Commissarium in nostris Civitatibus, & Diœcesis Narbonensi eligimus & deputamus in, & super exequendis contentis, vobisque sic per vos (f. nos) electo, & deputato tenore præsentium committendo præcipimus, & mandamus, quatenus durantibus tribus annis continuis in dictis litteris contentis, & secundum tenorem litterarum Regiarum prima die hujus mensis Octobris incœpti omnia, & singula in superinsertis litteris contenta faciatis, exequamini, & adimpleatis juxta ipsarum continentiam, & tenorem, ad hoc censura ecclesiastica qui fuerunt compellendi compellendo, nihil de contingentibus omittentes; nos enim super universis, & singulis præmissis plenam præsentium tenore vobis concedimus facultatem. In quorum testimonio &c.

ACTA TERTII CONCILII REGIS, ET ECCL. GALLICANÆ,

ANNO CHRISTI 1398.

Anno Christi MCCCXCVIII. Parisiis celebrati, in quo decreta subtractio obedientiæ Benedicto XIII.

Edidit Chastenet in supplemento novæ Historiæ Concilii Costantiensis ex MS. Victorino.

SUper prosequutione unionis ecclesiæ, & executione viæ cessionis per subtractionem totalis obedientiæ, & pro evidentia dicendorum supponitur determinatio Regis, & ecclesiæ Gallicanæ ad viam cessionis tanquam certam, & circumstantiis præsentis schismatis debite consideratis solam dolendæ scissuræ sedativam, & conscientiarum quietativam, cujus rationes & motiva in epistola Parisiensis Universitatis, universis Christi fidelibus directa, ut plurimum continentur.

Supponitur etiam solemnissima requisitio pluries Avenione facta dicto Benedicto per Cardinales omnes, uno excepto, videlicet Martino Pampilonensi, & por DD. Duces Bituriæ, & Burgundiæ Regis patruos, & Ludovicum Aurelianensem ejus fratrem, pro parte ecclesiæ Gallicanæ, ut pro sedatione schismatis, ecclesiæ compatiens, ad cessionem paratum se offerret, eamque viam acceptare dignaretur secundum formam & tenorem cedulæ per eum & alios Cardinales ante ejus electionem juratæ. Supponitur etiam alia solemnis requisitio ad idem facta dicto Benedicto pro parte Regis & ecclesiæ Gallicanæ per ejus solemnes ambassiatores, & etiam ambassiatores Regum Hispaniæ & Angliæ, cum intimatione, quod si non acceptaret, removerentur impedimenta unionis foventia schisma, ut in dictis requisitionibus, & instructionibus dictorum Ambassiatorum plenius continetur. Supponuntur etiam dicti Benedicti denegationes & responsiones ore, scripto, & facto, ut in processu latius apparebit.

His suppositis Rex ecclesiæ compatiens, volensque incœpta debitum finem accipere, tertio convocavit Episcopos, Abbates, Universitates, Capitula ecclesiarum Cathedralium, & plures solemnes Theologiæ, & utriusque juris doctores ad primam diem Maji anno D. 1398. & impedimentis pluribus Regi & ejus patruis & fratri prædictis obvenientibus, usque ad 22. diem negotium dilatum est; in quo Rege necessario absente, & ob hoc deputatis in Concilio præsidentibus Joanne Bituriæ, Philippo Burgundiæ patruis, & Ludovico Aurelianensi fratre Ducibus, causa convocationis per Simonem Cramaut Decretorum doctorem, regis consiliarium, patriarcham Alexandrinum prætacta exposita est, præsentibus una cum dictis Ducibus Rege Navarræ, Carolo Duce Borbonii,

ANNO CHRISTI 1398.

nii, Comite Nivernensi, filio dicti Ducis Burgundiæ, Cancellario Franciæ D. Arnaldo de Corbeja milite, & quedam milite Græco Alexio nomine, ac pluribus militibus & Baronibus Consilii Regis, & prætentibus DD. Archiepiscopis Lugdunensi, Rothomagensi, Rhemensi, Senonensi, Bituricensi, Auxitanensi, Turonensi, Bisuntin. Episcopis Bajocensi, Lexoviensi, Abrincensi, Maclovienſi, Costantiensi, Parisiensi, Carnotensi, Cabilonensi, Morinensi, Arrebatensi, Belluacensi, Ambianensi, Sylvanectensi, S. Flori, Aurelianensi, Andegavensi, Redonensi, Corisopitensi, Trecorensi, Laudunensi, Suessionensi, Lexoviensi, Magalonensi, Condomensi, Convenarum, Petragoricensi, Albiensi, Rodecensi, Pictaviensi, Anicienſi; Trecensi, S. Pontii, aliisque pluribus episcopis, innumerabilibus Abbatibus & prælatis, ac Capitulis, seu procuratoribus eorumdem antedictis, ac Universitatum Parisiensis, Aurelianensis, Andegavensis, Magalonensis. Tolosanæ, Magistris & Doctoribus sacræ paginæ, & utriusque juris in copia multitudine, Rectore Parisiensis Universitatis cum Decanis et Procuratoribus singularum facultatum, nomine Regio dicta causa convocationis aperta, videlicet ad consulendum Regem, an pro executione viæ cessionis facienda sit subtractio particularis obedientiæ, idest pecuniarum, subsidiorum, & provisionis Episcopatuum, dignitatum, ac aliorum beneficiorum per Papam conferri solitorum; an totalis esset obedientia subtrahenda. Ut maturius securiusque quisque possit secundum suam conscientiam judicare, consulereque Regem pro dicti extirpatione schismatis, sex ex una parte viri notabiles pro parte negativa proponenda, scil. quod neutram subtractionem facere licet, decet, & expedit, deputati sunt; qui ut melius materiam ad Papæ beneplacitum aperirent, de ejus amicitia & promotione familiarissimi electi sunt, videlicet Archiepiscopus Turonensis, Amedeus de Brolio decretorum doctor Episcopus Anicienſis, Episcopus S. Pontii similiter decretorum doctor, Abbas S. Saturnini Tholosani doctor decretorum, Fr. Petrus Emilarii Jacobita magister in Theologia Tholosæ, D. Joannes de Costa leg. Doctor Tholosanus.

Pro parte autem altera affirmativa, videlicet quod facienda erat totalis subtractio, aut particularis, defendenda, totidem viri providi & scientifici electi, deputatique sunt, Videl. Simon Cramaut decretorum doctor supra nominatus, habens Episcopatum Carcassonensem in commendam, Johannes Canardi licentiatus utriusque juris disertissimus, hodie episcopus Atrebatensis, Petrus Regis decretorum doctor, Abbas S. Michaelis in periculo maris, Ægidius de Campis de Rothomago, Joannes Brevis-coxæ, et Petrus Ploaul, viri providi, et honesti Doctores in Theologia Parisiens. et in hac materia unionis ecclesiasticæ eruditissimi; eisque ex parte regis dictum est, ut omnes et singuli ex eis dicerent et proponerent omnia, quæ pro eorum positionibus fulciendis facerent, aut quomodolibet facere possent, et ut amplius discuti materiam non oporteret, conclusioque per Regem in materia capi posset ad honorem Dei, et ecclesiæ suæ sanctæ.

Præmissis itaque sicut præfertur dispositis die Mercurii 29. dicti mensis Maji præsentibus supradictis in aula Reformationum super Sequanam in palatio Regis universo cœtu congregato, pro parte negativa declaranda, quod non debebat Benedictus compelli ad cessionem per subtractionem totalem aut particularem, proposuit Petrus Ravati decretorum doctor suprad. Episc. S. Pontii, et qui, ut ab aliquibus asseritur, a Papa instructus, et ad ejus partem seu obedientiam defendendam modis, et diversis mediis, et mirabilibus specialiter missus dicebatur, in effectu proposuit quæ sequuntur, protestando, præmittendo, et concludendo.

Sequitur protestatio Petri Ravati.

In primis protestor, quod omnia, quæ dicturus sum, intendo dicere salva fide catholica, determinatione, correctione, et emendatione D. Benedicti divina providentia Papæ XIII. sacrosanctæ ecclesiæ Romanæ, cum honore et gloria christianiss. principis D. N. Francorum regis, cum honore et reverentia D. Regis Navariæ prætentis, DD. Ducum præsidentium, et aliorum de genere regio, Consilii regii, ac reverendiss. Prælatorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Universitatum, Capitulorum, et omnium aliorum quorumcumque; quoniam etiam in injuriam cujuscumque nihil intendo dicere, nisi in quantum veritas me adstringit, et materia requirit.

Item præmittitur quod D. Clemens VII. fuit verus Vicarius J. C. verus Papa, et verus Episc. Romanus, ut patuit per depositiones juratas DD. Cardinalium, et determinationes Regum Franciæ, Hispaniæ, Aragoniæ, Scotiæ, Prælatorum, Universitatum et studiorum; talisque, quamdiu vixit, fuit habitus, et reputatus, nec est revocatum in dubium. Quo sublato de medio, D. Benedictus XIII. concorditer electus fuit verus Papa per habentes potestatem, talemque D. N. Rex et alii per suos solemnes Ambassiatores reputavit, et reputat. Quo præmisso, de subtractione totali ponuntur tres conclusiones.

Prima conclusio est. In his, quæ non sunt contra generalem ecclesiæ statum, jus naturale, vel divinum, Romano pontifici est obediendum, quamvis sit contra jus positivum, et aliquibus grave et onerosum. Probatur. Patribus carnalibus est obediendum; ad Colos. 3. cap. Ergo fortius spirituali. Ad Heb. XI. cap. facit cap. qui resistit XI. 4. 3. et cap. si Dominus: item, qui non obedierit Principi, morte moriatur. C. si quis, et C. omni de Major. et obedien. Nam et Petrus Clementem instituendo ei præcepit obediri; et contra facientes sunt infames. Ad hoc C. si Dominus. Alleg. Item teste D. Gregorio, peccatum paganitatis qui sedi Apostolicæ obedire contemnit. Item, de necessitate salutis est obedire et subesse Rom. Pontifici. In Extrav. Bonifacii unam sanctam. Nec valet, si diceretur propter bonum licet non obedire, XI. q. 3. C. Non semper, et C. Julianus XV. q. 6. C. Nos sanctorum; quia licet fieret subtractio, non haberemus unionem; et si haberetur, non est facienda, quia regula est Apostoli: *Non sunt mala facienda, ut bona eveniant*; maxime bona dubia. XIV. q. 5. forte. et C. Nequam, et per tot. quæst. Et sic, licet subtractio esset bona, non deberet tale malum committi. Item quia per subtractionem Papam non inclinabimus, sed indurabimus, et incidemus in

ANNO CHRISTI 1298.

in forthus schisma, quia forsan subtractionem A factam non acceptaret. Item ostendemus inclytum memoriæ Carolum regem defunctum errasse. Inimicis dabimus gloriam, et justitiam nostram conculcabimus, et esset adversarium fovere; unde dicerent adversarii nos schismaticos Papæ nostro obedientiam subtrahendo. Item nec prælati, obstante eorum juramento possent huic subtractioni consentire, per caput: Ego N. de jurer. quia jurant Episcopi Papæ esse fideles, et ipsum in Papatu defendere, et manu tenere. Item quia ista subtractio erit contra libertatem canonicam, & sic huic consentiendo erimus excommunicati; cap. Noverint de sent. excom. Item dubitare debemus processus, qui fiunt per Papam in die Jovis S. B Septimanæ, contra abusores et impedientes jurisdictionem ecclesiæ, et alias sententias quas propter inobedientiam ferre poterit. Item quomodo confident Principes in fidelitate nostra, si Papæ non fuerimus fideles, cui principaliter tumus adstricti? Item dubitare debemus sententiam, quæ dicit, quod sunt hæretici, qui Papam caput ecclesiæ non esse dicunt: notat Glos. in C. Nulli fas XIX. dist. ad hoc C. t. XXII. dist. fidem quippe violat, et ei contumax invenitur, qui eum cæteris ecclesiasticis prætulisse non cognoscitur etc.

Secunda conclusio est. Papæ etiam aperte malo in vita et moribus, quamdiu est Papa, obediendum est. Probatur per dictum Apostoli I. Petri 2. cap. *Obedite Præpositis vestris, non solum bonis & modestis, sed etiam discolis.* 2. per dictum Christi Matth. XXIII. *Super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi &c.* sequitur, *quæ dicunt, facite, quæ faciunt, facere nolite.* C. XIX. dist. Item certum est, quod Papatus non perditur, nisi per solam infidelitatem, quia est donum gratiæ gratis datæ, et est conclusio Augustini de Ancona. Sequitur, dato non concesso, quod D. N. Papa esset perjurus, nihilominus ei est obediendum. Patet ex conclusione; quia ex uno solo, scil. hæresi, perditur Papatus. Et probatur, quod non sit perjurus, quia voluit servare quod juramento promisit, ut patet ex responsione tertiæ Bullæ, et secundæ, cum dicit in secunda, et alias in quantum D virtute ejusdem cedulæ factæ in Conclavi teneamur etc. Et in tertia cum dicit: Declaramus nostræ intentionis non fuisse, nec esse, per dictam cedulam, ipsam in Conclavi factam, aut ejus effectum suspendere, seu conditionem in ipsa apponere, sed eam, juxta suum ordinem et tenorem servare etc. Nec obstat declaratio Cardinalium de via cessionis, quia non fuit facta ut debuit, ut postea per alium deducetur. Per prædicta non obstat Glossa cap. Si Papa XL. dist. 10. quia ab aliquibus negatur, scilicet Petro Bertrandi, et Augustino de Ancona, nam textus illius capituli tradit regulam negativam; vel aliter Glossa illa dicit quod potest accusari, non dicit quod debeat subtrahi; nec dicit quod quousque fuerit declaratio facta, habeatur hæreticus, aut quod subtrahatur obedientia. Item E nec est in Papa crimen notorium, quia negatur in eo crimen. Item, et si est in eo crimen, non est incorrigibilis, quia juri se submittit, offerendo viam sufficientem. Quare ec.

Tertia Conclusio est. Papæ etiam de hæresi accusato obediendum est ante sententiam, et qui ante recedunt, sunt schismatici. Probatur per §. Hinc etiam juxta Glos. XVII. dist. Ubi Symmachus fuit de hæresi accusatus, aliqui recesserunt ante tempus ab eo; dicit textus quod schisma fecerunt. C. nonne VIII. q. IV. Item, si Papa de hæresi accusatus spoliatur, restituendus est, alias daretur occasio malignandi per nos non competenter. §. Item Balaam II. q. VII. Item, secundum Joannem Andreæ in cap. Licet. Exceptio hæresis contra electum non impedit adoptionem possessionis; ergo multo minus nocet adeptis possessionem. Nec obstat liber Patriarchæ, qui videtur dicere quod sit hæreticus: cum reverentia non est hæreticus, nec schismaticus, nec tenet opinionem schismaticam, et apparebit tempore et loco congruis.

Item suppono quod non est verum, quod esset schismaticus. Certum est, quia requiritur declaratio ab habente potestatem. Per C. cum secundum de hæret. in VI. et est conclusio Joannis Andreæ in C. felicis, de pœnis, et in hoc casu Concilium generale esset Judex. Item ad hoc facit Glossa communis Innocent. in C. In litteris, de restit. spoliat. dicit: quod mala fide possidens ante declarationem non est spoliandus, & spoliatus restituendus est, & ita subditi obedire tenentur. Quod in proviso confirmatur, & electo non est dubium, ut tenet Henricus Bohic. d. c. in litteris. Modo nos laudavimus, & quantum in nobis fuit, approbavimus electionem D. Benedicti, & fuit ejus concors electio. Igitur sibi non possumus licite obedientiam subtrahere. Sequitur, quod supposito quod contra conscientiam Papatum detineat, sibi est obediendum. Patet per prædicta & allegata.

Nec obstaret, si diceretur: ex illis quæ dixisti, sequitur quod male fuit recessum a Bartholomæo, quia Papatum possedit pacifice per aliqua tempora, & non debuit spoliari; quia jura expresse præcipiunt, sibi, tanquam notorie intruso, non obediri; per Canonem, In nomine Domini, XXIII. dist. Non sic de D. Benedicto, quem tenemus, & pro cujus prædecessore declaratio facta fuit per illos, qui potestatem habebant, scil. Cardinales; & sic patet, quod non debeat fieri subtractio.

Item si fieret illa subtractio, sequerentur inconvenientia. Primo quis absolvet a manuum injectione in Clericum, cum Ordinarii hoc non possint? Item quis dispensabit in matrimoniis contractis in gradibus prohibitis? Item, quis similiter dispensabit cum irregularibus, aut corpore vitiatis? Item, quis absolvet a sententiis latis contra Prælatos & alios, qui sedi Apostolicæ pecuniam promiserunt, sub pœna excommunicationis? Non valet quod dicitur in Libro Patriarchæ, quod in necessitate quilibet Ordinarius potest absolvere &c. quia hodie nulla est necessitas, & jura prohibent hoc fieri. Nec similiter valet id quod dicitur in eodem libro, quod Pœnitentiarius Magnus potest absolvere, quia de his, quæ tangunt Cameram Pœnitentiariæ, non potest. Item, quia Papa vivente & contradicente, nullo potest modo: nunc non vacat Sedes.

Nec valet quod dicitur: Potest provideri per Prælatos, quia Prælati non possunt aliquid contra decreta & Papæ constitutiones: prædicta autem sunt prohibita per decreta & Papales constitutiones. Nec etiam valet quod dicitur, quod Cardinales possunt in prædictis providere: hoc sustineri non potest per Clem. Ne Romani, de Electione, quia ipsi Papa vivente nullam habent jurisdictionem aut potestatem; & eo modo etiam nihil habent, nisi quantum ex-

ANNO CHRISTI 1398.

expresse invenitur eis concessum in jure: modo non reperitur in jure cautum, quod in hoc casu habeant aliquam potestatem.

Item, si fiat subtractio, sequitur maximum inconveniens. Nam quatuor schismata inducemus: capitis & membrorum: 2. membrorum ad invicem, quia nulli volent obedire, & non subtrahere dicentes cum B. Ambrosio in C. Convenior XXIII. q. fin. Melius est, ut a nobis vita auferatur, quam ut a Deo recedamus. Item inducemus divisionem majorum Prælatorum, ad minores, & minorum ad invicem, & aliorum, quia aliqui volent servare sententias, aliqui non. Quo inducetur divisio nostrorum Principum ad invicem, & Universitatum, quia aliqui dubitabunt sententias, aliqui non; quidam alios schismaticos reputabunt, quia Bonifacio non obediunt, & etiam suo non obediunt, aliqui habebunt scrupulum & non celebrabunt, licet alii celebrent. Surgent errores infiniti: inferiores non obedient Episcopis, & contemnent sententias Episcoporum, sicut Episcopi contemnent sententias Papæ, & levius contemnentur, in quantum minor eis principaliter, aut plurium adhibetur devotio aut fides, quam Papæ; & ex prædictis apparet, quod non est facienda subtractio totalis obedientiæ.

Restat probare, quod non est facienda particularis subtractio; pro quo ponam tres conclusiones.

Prima Conclusio est. Romano Pontifici in collationibus & provisionibus Episcopatuum. Prælaturarum, dignitatum, & aliorum Beneficiorum est obediendum. Probatur per primam conclusionem supra positam, quia hoc non repugnat juri naturali, vel Divino, aut statui universalis ecclesiæ, & ista est textualis in c. 2. de præb. in VI. Item, quia potest dare jus ad Beneficia vacatura, per Clem. I. ne lite pend. & ista decretalis fuit Concilii generalis: ergo ad ipsum plenaria Beneficiorum dispositio pertinet. Non obstat quod posset dici de jure communi, electio episcoporum & Abbatum pertinet ad capitula & conventus; ista jura Papa observare debet, & non fit sibi injuria, si res ad jus commune reducatur. Ad hoc dicitur, quod in primitiva ecclesia, solus Papa conferebat episcopatus, & alias dignitates; sed post, per Decreta Generalia & Provincialia Concilia, per Papam confirmata, a Papa data est potestas Capitulis, & Conventibus eligendi, & istæ provisiones Dignitatum sunt a jure positivo concessæ, supra quod est Papa, & sicut dedit eis potestatem, a se non abdicavit, sed apud eum potestas conferendi remansit. Facit C. quamquam de elect. in VI. & C. Dudum, de Præb. Ergo sine juris injuria eadem potestate uti potest. C. cum ecclesia, de elect. ad hoc facit dictum Gratiani: Christus, qui legem dedit, aliquando legem adimplevit; aliquando, ut legitur, Dominus supra legem se obtulit. Sic conditor canonum Papa eos aliquando observat; aliquando autem se Dominum ostendendo, contra eos facit; & etiam quæcumque de decimis & aliis ecclesiasticis negotiis tractata sunt, rata habenda sunt, nisi auctoritas Rom. ecclesiæ aliud duxerit ordinandum &c. ut hoc sententialiter habetur in §. iis ita, & cap. separatus XXIII. q. 1. & ita conferendo beneficia, vel non conferendo, Papa observat Canones.

Item si fiat ista particularis subtractio, consideremus pericula, quia omnes dignitates electivæ sunt per Papam reservatæ, & non possunt per Ordinarios conferri. Item quis confirmabit Archiepiscopos? Patriarcha non potest, quia hic sumus in Patriarchatu Romano, & Patriarcha Alexandrinus, ut dicitur, Orthodoxus, in Ægypto habet potestatem secundum Canones C. Episcopus IX. q. 2. Item, quis eliget Patriarcham, & confirmabit, & exemptos, qui subsunt Rom. Pontifici? Item, quid de beneficiis reservatis jure communi vel speciali, juxta Alberic. c. 2. de Præb. in VI. Si etiam fient electiones per impressionem? an laici, & viles personæ facient beneficia dari indebite? Si fient collationes per Simoniam? Si consanguineis affectione carnali, & forsan inhonestis personis, viros scientificos, & litteratos postponendo? Item nos fuimus et sumus negligentes in prosequutione ecclesiasticæ unionis. Si particularis fiat subtractio, quilibet Episcopus reputabit se Papam, et in hoc obdormiet, nec unquam laborabit, et erit novissimus error pejor priore. Item, quidquid fiet per Ordinarios, nihil valebit, quia ubique sunt impetrantes, et processus facti, in quibus apponitur Decretum, quod ligat etiam ignorantes, & sic erimus excommunicati per processum diei Jovis sanctæ, de quo supra.

Item, Schismatici erimus non obediendo et non poterimus ea quæ sunt jurisdictionis: non poterimus absolvere, etc. Unde infinita sequuntur inconvenientia, et tunc erunt omnes fures, et latrones in beneficiis, qui non intrabunt per ostium in ovile. Item aliqui uti volent gratiis; erit discordia, sequentur rixæ, dissensiones, et alia inconvenientia concomitantia.

Secunda Conclusio est. Romano Pontifici pro necessitatibus ecclesiæ Romanæ est obediendum in vacantibus et annatis Episcopatuum et beneficiorum aliorum. Probatur per primam conclusionem, quia hoc non est contra jus Divinum, etc. Nec mirum, si Dominus ita non præcipiat, quoniam ipse non incœpit, sed Joannes XXII. Item, certum est, quod ordinarius Collator fructus vacantis beneficii potest reservare pro certo tempore, ex causa. Ergo et Papa a fortiori. Ad hoc cap. unic. ut benefic. sine dim. confer.

Item, Papa potest hoc Episcopo concedere. C. tua de verb. sign. C. si Papa, de Privil. in antiq. Ergo potest sibi ex necessitate retinere. Item, valet statutum Episcopi, ut primi anni beneficii vacantis fructus Fabricæ applicentur, et est opinio communis. Jo. Andr. in C. significavit, de Præb. ergo etc. Item Episcopus, vitem unius ecclesiæ, ex causa potest alteri dare. §. sicut, et §. in tergo. XVI. q. 1. Item, certum est quod Papa moderatum auxilium, aut subsidium potest petere a subditis. C. cum Apostolus, de censibus, et C. cum instantia; ergo etc. Item, conclusio B. Thomæ, et aliorum Doctorum est, quod Papæ, si exigat in decima beneficiorum, est obediendum, pro utilitate publica et defensione ecclesiæ. Item, regenti communitatem, debet provideri de bonis communitatis, et in casu necessitatis, et a subditis ex causa legitima subsidium petere potest. Modo hodie summe expedit, propter sumptus, quos facit in Ambassiatis pro unione ecclesiæ; nec habet patrimonium ecclesiæ, quia non habet obedientiam tertiæ partis: residuum autem intrusus occupat, quare etc. Item, non est dubium, quia Papa Regi super Clerum possit concedere subsidium, sicut et ipse,

ANNO CHRISTI 1398

ipse, et ejus prædecessores de facto fecerunt, juxta C. cum adversus, et aliis de immun. Ecclesiar.

Tertia Conclusio. Sequetur ex prædictis, quod Rom. Pontifici, in procuratoribus, quas certo modo sibi reservat, est obediendum, quia hoc non est contra jus naturale, aut Divinum, aut universalem ecclesiæ statum. Non obstant duo quæ possent opponi. Primum, quia Prælatis visitantibus jure Divino debentur procurationes, quia dignus est operarius mercede sua; et juxta dictum Apostoli, *nemo tenetur* propriis stipendiis militare, sed qui altari servit, de altari vivere debet; et qui seminat spiritualia, etc. Secundum, per hoc quod Papa procurationes sibi attribuit, impeditur correctio criminum, et reparatio ecclesiarum.

Ad primum. Cum reverentia dico, quod hoc quod permittit Apostolus pro visitatione recipere, debet Episcopus aut Prælatus omittere, propter prohibitionem Papæ, et propter bonum obedientiæ, et necessitatem salutis, quæ requirit obedientiam, quia Apostolus non præcipit visitanti recipere pecuniam, aut aliud loco ejus, sed permittit. Aliter dico, sicut Innocentius, et Hostiensis, in C. cum ex offic. quod illæ auctoritates intelliguntur de illis, qui ex debito hoc faciunt, alias sequeretur, quod quilibet Prædicator procurationem recipere deberet. Modo Episcopus non facit ex debito, quoniam Papa prohibet: ideo non debet habere procurationem. Item aliud est, quod a jure naturali vel Divino in mente aliquid determinetur, quia tunc illud per Papam non debet in aliquo immutari: aliud quod a jure positivo, super jure naturali, vel Divino: nam lex positiva talis quæcumque sit, per Papam aut Principem potest immutari; etiam per consuetudinem. Ita est de procurationibus; nam jus positivum Canonicum, vario modo, secundum diversitatem temporum, et mores hominum ordinavit. Juxta C. Romana, cap. exigit; et C. Filius, de censib. in VI. et ita ista non sunt de directo, a jure Divino, et naturali, sed a jure positivo, etc. Item, si Episcopus aut Prælatus visitans haberet procurationem in Curia, ipse qui est solum administrator, Papæ præcipienti quod sibi tradat, aut solvat pro utilitate Ecclesiæ, obedire debet. Potest ergo a fortiori prohibere ne exigat. Et licet, si aliunde Episcopus rectum & statum sufficientem non haberet, dicta objectio colorem haberet; tamen Domino concedente, in hoc Regno Episcopi aliunde satis possunt habere victum et sustentationem.

Ad secundum. Cum dicitur quod impeditur correctio criminum, et reparatio Ecclesiarum; respondetur et [illegible]tur hoc assumptum. Nam alio modo potest Episcopus providere correctioni et reparationi, et scire crimina, scilicet per testes Synodales in Synodo. XXV. q. VI. et per Synodum, et Provinciale Concilium providere potest. Et sic concluditur, neutram subtractionem fieri debere. Et ista est opinio Cardinalium; et ad hanc deducendam deputati erant duo Domini qui debebant huc venire.

Item, subtractione facta, cederet, aut non cederet; si non, videamus quid erit nobis? si cedet, non valebit cessio, et ad minus scrupulum erit maximum: nam et renunciatio Cælestini ab aliquibus dicta est non valere, quia per dolum, ut dicunt, inductus fuit; sed et ista non valebit, quia per metum. Nam ratio Anglicorum, in eorum Epistola est; quia dicimus quod non tenuit Electio D. Bartholomæi, quia violenta; sic nec ista cessio quia violenta. Argum. C. Abbas quod met. caus. C. frequens de restit. spoliat. in VI. et sic si non tenet cessio, non valebit Electio C. ad petitionem de accusat.

Non obstant allegata per Patriarcham, cum aperuit causam convocationis, quæ videntur sonare in contrarium, nam objectum decretum pertinet ad reges sæculi Christianos etc. habetur XXIII. q. IV. quando. Verum est, quod ad Regem et principes pertinet procurare unionem Ecclesiæ, sicut fecerunt et continue faciunt per Concilia, Ambassiatas, et proprios labores personales; definitio tamen pertinet ad Ecclesiam, per §. Hinc etiam XVII. dist. Hoc testantur Theodosius, Valentinianus, et Constantinus in C. Sacerdotibus. Etiam verum est, quod ad Regem pertinet executio, quando Ecclesia exequi non potest: et ita intelligitur illud capit. ad requestam Ecclesiæ contra Schismaticos Reges debent procedere etc. Non obstat, cum dicit textus: Pacatam velint esse etc. quia subtrahendo Ecclesia non esset pacificata, sed turbata, et quod executio ad Regem pertinet, quod Ecclesia non potest. Facit C. Principes sæculi XXIII. q. V. Videatur casus. Jura autem in contrarium allegata loquuntur in schismatico et Hæretico, contra quem potestates sæculares moveri debent: non sic est in proposito.

Item non obstat, quod dicitur virtute juramenti eum posse compelli: quia si fuit licitum, certum est; si dubium, in tutiorem partem debet interpretari, et in dubio cedere tenetur. Si voluisset, potuisset tertium membrum adjecisse; Si autem illicitum. Sed fateamur, quod sit licitum: dico, quod Papa voluit; et vult illud servare, ut dictum est superius in secunda conclusione de totali, et sic non est perjurus, schismaticus, nec pertinax: aliter ore magis moderato potuisset loqui de Domino suo et meo. Non obstat glossa Innocentii in C. inquisitioni de sentent. excomm. quia Papa nihil injustum præcipit, quia offert viam satis rationabilem, nec aliud facit in præjudicium publicum, & sic debet sibi obediri. Et in casu illius glossæ non habet locum in nostro casu.

Item non obstat, quod dixit, quod Reges Angliæ et Hispaniæ sunt processuri. Dico, quod Anglici non sunt pro subtractione, quia in cedula Regis Angliæ est verbum liberæ cessionis. Et primum audivi a valentibus viris Regem Angliæ dixisse, quod numquam subtraheret. De Rege Romanorum dico, quod ipse est pro voluntaria cessione, ut patet, quia ejus Ambassiatores expresse hoc dixerunt Papæ, scilic. Episcopus Camerac. M. Petrus de Alliaco, prius Anicienſis. Similiter et Communitates Italiæ, quæ fecerunt ligam cum Rege, expressam mentionem fecerunt, quod contra alterum prætendentium non procedent. De Rege Castillæ dico, quod ejus intentio est, quod fiat subtractio ambobus contendentibus simul.

Quod allegatur quoad hoc etiam Parisiensis Universitas, audivi a valentibus viris, etiam de Universitate, si placet Regi scrutari vota singulorum, non reperietur media, aut tertia pars pro aliquali subtractione etc. Et quia Reges Franciæ plures Papam destitutum restituerunt in sede, non foverunt schismaticos. Non ve-

ANNO CHRISTI 1298.

vereor, quod D. N. Rex debeat necessario incipere, si etiam non fiat alteri, quia ipse non vult aliquam vitam acceptare. Item quia vel cessionis est pro uno, sicut pro altero; nec unus cedet, nisi etiam alius cedat, et non debet fieri subtractio uni, nisi fiat simul alteri per suam partem. Nam et D. Benedictus, ut est dictum, offert vias rationabiles, et non est schismaticus, aut suspectus de schismate. Et ex prædictis videtur concludi, quod non potest fieri subtractio; et ita in conscientia mea videtur dicendum, et Regi consulendum. Et ita dicerem, si essem in mortis articulo. Hæc sint dicta sub correctionibus prædictis.

Statim completa præmissa propositione surrexit pro eadem parte fuciendo frater Petrus Emilavii Jacobita, & proposuit in forma, quæ sequitur. Primo protestando, & inde concludendo. Protestatur ut D. S. Pontii, affirmative, & necessario, & ultra, quod non intendit aliquid dicere contra viam cessionis.

Prima Conclusio est. Christiano non est licitum cogere Papam ad cedendum et resignandum. Probo sic. Nulli Christiano non est licitum cogere Papam ad absolvendum subditum a jurisdictione Episcopi sui, aut Episcopum a jurisdictione superioris. Ergo etc. Conclusio est bona: assumptum est B. Bernardi, qui dicit: *extorta licentia non est licentia, sed violentia.* 2. dicit Christus in Evangelio: *Quos Deus conjunxit, homo non separet;* sed Papa est conjunctus Ecclesiæ per Deum, nam ei dicit Christus: *Pasce oves meas.* Item 1. Reg. 24. non licet mittere manum in Christum Domini; modo Papa est Christus Domini, ut patet Exod. 18. Et ad hoc Bernardus ad Eugenium. Item non licet, ut dicunt adversarii, uti via facti contra adversarios, qui sunt schismatici, obedientes Antipapæ; ergo a fortiori non debemus uti via facti contra D. Benedictum, qui est verus Papa, et quem talem approbavimus. Item omnis res, per quam causam nascitur, per eamdem dissolvitur. Modo Papatus nascitur per liberum consensum; ergo per liberum consensum debet fieri cessio: nam cessio debet esse voluntaria, alias ut et depositio quam sibi Dominus reservavit. Quare etc.

Item Papa non habet superiorem, coram quo posset conqueri, si fieret ei subtractio, aut facto contra eum uteretur, quia de eo dicit Scriptura *Super omnia bona sua constituet eum.* Igitur cessio per subtractionem inducta esset nulla. Nec potest compelli ad cedendum. Antecedens est notum, et contra patet per Albertum M. in 2. Sentent. ubi dicit, quod juramentum factum per metum, ubi non potest haberi recursus ad Superiorem, est nullum. Item quia, aut inducta subtractione Papa esset factus de nolente volens, aut adhuc esset nolens. Si secundum, non valeret cessio, quia non voluntaria: si esset factus volens; etiam non valeret cessio. Argumento in simili de matrimonio carnali; nam conclusio aliquorum est, quod matrimonium contractum per metum, nullum est, licet alter contrahentium sit factus volens; quia etc. Item nec hoc posset constare, an scil. esset factus volens: immo semper præsumendum est, quod nolens hoc fecerit, attento initio; et conscientiæ nostræ non essent assecuratæ, quod tamen in unione consequenda maxime quærendum videtur, ut dicunt plures.

Secunda conclusio est. Non licet, nec expedit Ecclesiæ Gallicanæ subtrahere obedientiam D. N. in his quæ pertinent ad officium cathedræ. Probatur. Non licet Ecclesiæ Gallicanæ dicere unam truffam mendosam etiam pro unione Ecclesiæ; ergo non licet obedientiam subtrahere, quia omne mendacium juxta Augustinum est perniciosum. Item non est licitum subtrahere justitiam; ergo non est licitum subtrahere obedientiam, quia obedientia est pars justitiæ: nam justitia est reddere unicuique quod suum est. Assumptum patet, quia amota justitia quid essent regna, nisi magna latrocinia? Item non est licitum etiam pro quocumque mortaliter peccare. Ergo non est licitum subtrahere, quia subtrahere obedientiam est peccatum mortale, quod est contra charitatem, et contrariatur Scripturæ, quæ docet ut mandatis regiis et superioribus obediatur. Dicit enim Christus in Evangelio: *Si diligitis me, mandata mea servate.* Et alibi: *Obedite præpositis vestris, non solum bonis & modestis, sed etiam discolis.* Item si Ecclesia Gallicana subtraheret obedientiam, veniret contra charitatem, quam debet habere ad seipsam, quia ejiceret a se custodem omnium virtutum, quæ est obedientia. Item hoc est contra regulas Augustini de Civ. Dei l. c. Ubi *non sunt facienda mala, ut bona eveniant.* Nam subtrahere esset committere peccatum proprium ad evitandum alienum, et plus diligere proximum, quam seipsum.

Item hoc esset nocivum et non expediens viæ cessionis per Ecclesiam Gallicanam electæ: nam si ei non obediatur, cur etiam obediret requirentibus cessionem? Nam dicit Augustinus: si non facis quod præcepit, qua fronte petis quod promisit? et subtrahere obedientiam esset magis Papam irritare, quam movere; et vobis posset dirigere verba Luc. VI. *Ut quid vocatis me, Domine, si non facitis quæ dico vobis?* etc. et alibi: *Labiis vos honorant, cor autem eorum longe est a me* etc. Nec valet, quod aliqui dicunt subtrahendum esse pro unione Ecclesiæ, quia non est attendendum quid fiat, sed quo animo fiat. Miror de ita dicentibus, quia ista est conclusio reprobata per Augustinum et Magistrum Sententiarum: quia non est licitum facere bonum mala intentione, videl. furari divitibus, ut detur pauperibus. Alias esset hoc præparare excusationem omnibus delinquentibus, dicentibus eis, bona intentione feci, et pro bono. Nec obstat Glossa cap. ipsa pietas; quia tantum ibi habetur, quod magis debet attendi, quo animo aliquod fit, quam quod fit, et sic ipsa glossa loquitur comparative.

Item si subtrahemus obedientiam quoad illa quæ pertinent ad cathedram, effectualiter in totum subtrahemus. Probatur. Quia dicit S. Thomas 2. 2. q. 104. n. 2. Quod non sunt multæ obedientiæ, sed est una sola virtus obedientiæ, per quam obedimus Papæ, regi, prælatis, et aliis quibus tenemur. Ergo si subtrahamus obedientiam in uno, in totum deficiemus. Dicit enim idem S. Thomas 2. 2. q. 5. a. 5. Quod hæreticus qui diseredit unum articulum, non credit alios per fidem, sed per opinionem. Sic in proposito. Item si in favorabilibus nobis, prout absolutionibus, aut aliis causis obediamus Papæ, et non in favoralibus ipsi, male facimus per dictum Augustinum. Væ duplici corde, quia diabolus non vult partem in homine habere, sed eorum, sicut Deus

ANNO CHRISTI 1398

totum, vel nihil: nec boni erunt in parte Dei et in parte diaboli; sicut nec mali in parte diaboli, et in parte Dei; et ista non est facienda particularis subtractio; et ad hoc facit exemplum sacræ Scripturæ de Balaam et Asina.

Tertia conclusio est. Majus esset peccatum nostrum non obedientium D. N. Papæ, quam Romanorum schismaticorum ad obedientiam nostram nullo modo venientium. Probatur. Infidelitas Christianorum hæreticorum est majus peccatum intensive, quam Paganorum, qui numquam gratiam baptismi receperunt. Ratio est, quia magis peccat qui non implet quod promisit, quam qui nihil promisit. Ad hoc facit dictum Apostoli 2. Petri 2. et ibi glossa ordinaria. Item mirabiliter scandalizabimus. Dicunt Romani, Petro de Luna non est obediendum: nos dicemus facta subtractione, Papæ non est obediendum. Ultimum sine dubio est pejus. Dicent Romani: cogatur Petrus de Luna ad cedendum: nos dicemus: cogatur Papa ad cedendum. Ultimum etiam sine dubio est pejus, quam primum.

Quarta conclusio est. Non apparet ex responsionibus datis per Papam, quod ipse renuerit viam cessionis; et dato hoc, non sequitur quod sit schismaticus. Probatur primum. Non apparet ex responsione primæ Bullæ, quæ fortius urgere videtur, quia ibi non est expressa negativa, nec sequitur ex contentis in ea; quia licet videatur dicere illa responsio, quod ex acceptatione viæ cessionis sequeretur inconveniens, ex hoc non sequitur, quod ipse refutaverit; quia non negamus omnia, ex quibus sequuntur inconvenientia. Nam habetur ibi, quod non improvide eam non duxerit acceptandam, quod non est refutare, vel denegare, sed magis obviare temerariæ voluntati.

Secunda pars conclusionis probatur, quia non sequitur, si negavit viam cessionis, quod pertinaciter negaverit, sicut nec fecit, et ita non est schismaticus: quia juxta Alex. Deshales, et S. Thomam 2. 2. ad hoc quod quis sit schismaticus, oportet quod pertinaciter obviet præceptis Ecclesiæ; nam pertinacia ostendit schismaticos. Quod non sit pertinax, probatur per secundam Bullam, seu responsionem factam DD. ducibus Biturgiæ, Burgundiæ, et Aurelianensi. Item etiam apparet per tertiam bullam, seu responsionem eisdem factam, in qua se obtulit servare cedulam conclavis. Modo in cedula conclavis cessio continetur.

Ex prædictis sequitur correlative, D. N. non fuisse perjurum. Probatur. Quia non potest intervenire perjurium, ubi non est juramentum. Modo Papa non promisit concedere, aut offerre viam cessionis, licet teneretur facere cessionem. Et si forsan quis arguat; si tenetur facere, ergo et eam promittere, vel offerre. Non valet consequentia; quia ex juramento non tenetur offerre, licet alias teneretur. Similiter in voto continentiæ; Ego vovi obedientiam prælatis, ergo teneor eis iterum offerre; non sequitur. Credo tamen, quod si omnia essent prompta, et adversarius vellet recipere, quod D. N. etiam teneretur cedere.

Quinta conclusio est. Dato, non concesso, quod D. N. Papa cedere teneretur, et cessionem facere recusaret, hæreticus non esset, aut schismaticus. Probatur. Quia ad hoc quod quis sit hæreticus, duo requiruntur; videl. error in intellectu contra fidem, et pertinacia in opinione et voluntate. Modo in casu isto esset possibile, quod D. Papa negaret viam cessionis, et tamen non erraret, nec esset pertinax. Probatur. Quia jam forte verum est quod non cedet, aut resignabit; ergo hoc non est contra fidem; non cedam, aut non resignabo: nam forte cras morietur. Argumento ejus quod dicit Augustinus V. de Trinitate, quia in his quæ sunt fidei, non licet dicere forte: quia dubius in fide infidelis est. Modo mihi est licitum dicere verum dicendo, non cedam, quia etc. Item si esset contra fidem, non resignabo, ejus contraria, scil. resignabo, esset certa, & necessario vera, quod non est verum, ut dictum est. Probatur per simile: si dico, non salvabor, non est contra fidem: secus si dicerem, non debeo velle salvari. Sic, si dico, non confitebor, non est contra fidem: aliud esset, si dicerem, non debeo confiteri. Sic in proposito, quia licet si diceret, non debeo cedere, forsan esset contra fidem, aut unionem Ecclesiæ, non tamen si dicat, non cedam etc. Nec est in D. Papa pertinacia, quia DD. Cardinalibus protestatus fuit pro præterito, et pro futuro, quod in ista materia non intendit aliquod dicere contra Ecclesiam, et fidem etc. Et si dixerit, paratus est revocare &c.

Sexta conclusio est. Licet inter laudabiles conditiones, quas habet via cessionis, habeatur quod sit brevior et facilior quam quæque alia via declarationis, non sequitur; Papa præsentat viam prolixiorem et difficiliorem, ergo est fautor schismatis. Probatur. Quia via gratissimæ dimissionis peccati primi parentis, si Deo placuisset, erat brevior et facilior, quam Incarnatio, et Passio Christi, et tamen non propter hoc per viam gratissimæ dimissionis, sed Incarnationis et passionis Christi fuit dictum peccatum remissum; ergo etc. Item, aliquando per Reges et principes pro sedatione schismatis electa fuit via facti, et discussionis, ut patet ex Chronicis, et tales non fuerunt schismatici, quia non elegerunt viam cessionis. Item Alexander Papa, cujus tempore fuit schisma, non ideo fuit schismaticus, quia non elegit viam cessionis. Unde dico, quod pertinacia non solum reperiri potest circa hæreses, immo etiam in aliis peccatis. Et hoc de istis, sub correctionibus ante dictis, propter bonum regis, et regni in conscientia mea.

Subsequenti die Jovis XXX. Maji immediate sequenti pro eadem parte fulcienda D. Joannes de Costa legum doctor Tholosanus proposuit quæ sequuntur, præmittens protestationes in forma D. S. Pontii, quas hic causa brevitatis omitto.

Quia ab aliquibus asseritur D. N. subtractionem esse faciendam, pro eo, quod asseritur ipsum esse perjurum, pertinacem, et dubitatum, ideo ostenditur contrarium. Et primo suppono cedulam conclavis, quæ tria continet in effectu. Primum, videl. promissionem et juramentum de prosequendo pacem, et unionem Ecclesiæ, omnibus viis et modis utilibus, et accommodis. Secundum, quod etiam usque ad cessionem de Papatu faciendam. Et tertium, appositam ad hoc conditionem, scilicet si DD. Cardinalibus qui nunc sunt, vel erunt in futurum, de iis, qui nunc sunt, vel majori parte eorumdem, hoc pro bono Ecclesiæ et unionis videatur expedire. Item suppono, quod DD. Cardinales asseruntur fecisse declarationem et requisitionem D. N. Papæ, ut aliis viis

ANNO CHRISTI 1398.

viis dimissis acceptaret viam cessionis.

Item suppono, quod dicta declaratio, qua declaraverunt Papam ad viam cessionis teneri, fuit facta Papa inconsulto, et non vocato. Item suppono, quod DD. Cardinalibus per cedulam et non aliunde data fuit potestas dictam declarationem faciendi.

His præmissis probatur, quod non sit perjurus. Ubi aliquis promittit stare arbitrio, standum est; quoniam tenet pronunciatio; alias non. Patet, quia ubi arbitrium non tenet, submittens nullo modo adstringitur l. diem proferre ff. de arbitr. Sic est in proposito, quia nullum est arbitrium. Probatur, nam certum est quod arbitrator tenetur pronunciare parte præsente et vocata, prout docent Jason et Petrus in l. fin. ff. de contrah. empt. et Barthol. in l. arbitratu ff. de verb. oblig. Modo D. N. non fuit vocatus, vel præsens. Ergo etc. Et ratio, quia præsens esse debet, est, quia de ejus præjudicio agitur. Argumento C. quinta Valle de jurer. et ibi per Innocentium.

2. Ubi arbitrator non servat formam sibi datam, non tenet arbitrium l. diligenter ff. mandat. Sic in proposito. Cardinales non servaverunt formam cedulæ. Probatur, quia in cedula habetur, quod omnes vias utiles et accommodas procurare tenetur. Modo plures viæ sunt ante cessionem, quia etc. Item dicitur in cedula, etiam usque ad cessionem etc. Modo dictio etiam denotat ordinem, et includit, et supponit majorem rationem in tacito, quam in expresso. Pro hoc facit dictio usque, quæ sequitur, quæ denotat et ultimum terminum. Modo Papa non tenetur ad hanc præcise, sed ad omnes utiles et accommodas, et sic primo aliæ viæ utiles et accommodæ tentandæ sunt. Quod probatur per simile. Vassalli jurando fidelitatem promittunt Dominum servare usque ad mortem; et si per aliam viam possunt salvare, non tenentur ad se ponendum morti. Et ita DD. Cardinales alias vias non tentando, non servaverunt formam eis datam, sed pronunciaverunt contra formam juramenti, quia debebant alias inquirere, quod non fecerunt, et sic nulla est pronunciatio.

Item probatur ulterius. Qui promittit stare arbitrio, intelligitur, si arbiter arbitretur ut bonus vir; quia in juramento intelligitur tacita conditio, modo bonus vir arbitretur secundum formam juris communis. Non sic fuerunt Cardinales, quia alias vias debebant proponere: nam via cessionis est via facti extraordinaria, et est ultimum remedium. l. fin. ff. de cess. bonor. et ad hoc facit glossa Innocent. in l. licet de vitanda, de elect. ubi videtur, quod non potest compelli cedere. Non obstat, si dicatur; sententia arbitrii sive æqua sit, sive iniqua, tamen tenet, quousque bonus vir arbitratus fuerit etc. Non valet, quia Papa superiorem non habet, sed est omnium superior, qui non potest adstringi, maxime a minori.

Ex prædictis apparet, quod D. N. Papa non est perjurus, quia numquam refutavit cessionem, ut patet ex suis responsionibus, per quas etiam apparet, quod obtulit viam justitiæ, et rationabilem, qua discussa, et tentata, dicit se omnibus viis, et modis procurare pacem et unionem. Item in tertia sua responsione declaravit se nolle derogare cedulæ conclavis, in qua cessio continetur, et eam non refutat; et postea iterum obtulit viam compromissi taliter qualificatam, quod continet viam Concilii generalis implicite, et etiam cessionis voluntariæ. Et illa est via juris et justitiæ declarativa, per quam reddetur jus illi, qui habet, et istam obtulit etiam Rex Aragonum. Non obstat, quod dicitur, quod est periculosa et scandalosa; nam D. Papa voluit, prout in additione Regis Aragonum continetur, quod electis arbitris, aut compromissariis, si dubietas oriatur, aut difficultas emerserit, ut in dicta additione latius continetur, quod ille, contra quem pronunciabitur, renunciet ad cautelam; quod ille pro quo pronunciabitur, eligatur de novo; et ista, ut promittit practica dictæ viæ, fient de consensu Principum et Prælatorum utriusque obedientiæ: et hoc debet sufficere, quia per hoc ista via non est periculosa, quia electus habebit novum jus; et non erit scandalosa; nam D. Papa dictam viam offerendo offert cessionem in effectu, et declaratio Cardinalium non valuit. Ex quo sequitur, quod D. N. non est perjurus.

Ex prædictis sequitur, quod D. N. non est pertinax, quia non est perjurus, ut est dictum & probatum, & offert bonam viam pro pace & unione Ecclesiæ consequenda. Non obstat, quod contra hoc posset dici. Jamdiu est, quod obtulit suam viam: & non fecit effectualiter, solum deducit nos verbis &c. Respondeo, quod causa, seu impedimentum provenit ex multitudine viarum, & diversitate electionum dictarum viarum. Nam quidam eligunt cessionem, alii compromissum, seu conventionem, aut conventum contendentium; & mirum est quod hoc refutatur, quia non potest eligi novus Papa, etiam cessione facta, nisi per conventionem Dominorum & Collegiorum. Ergo juste offert D. N. viam conventionis, quia per neutrum Collegiorum separatim posset fieri electio.

Et quia asseritur subtractio fienda D. N. Papæ, quia dubitatus est, & dubiam habet jurisdictionem propter contendentem, qui possessor est pro majori parte, et fuit possessor pacificus. Mirum hoc dicendum a Clericis; quoniam qui in dubio habet jurisdictionem, sibi est obediendum: nam judex habet cognoscere, an sua sit jurisdictio. Item si propter suam dubitationem partis adversæ obedientia esset subtrahenda, sequeretur magnus error, quia certum est quod per indictionem belli res efficitur dubia, et etiam per negationem. Item pari ratione Regibus subtraheretur obedientia, illis maxime quibus bellum infertur, quod est inconveniens. Quia propter indictionem belli, aut petitionem regni, etiam a possessione partis, non debet Vassallus omittere servitium, quia Vassallus semper tenetur domino obedire. Item subtrahere obedientiam est incidere in crimen sacrilegii, quod est simile crimini læsæ Majestatis. l. sacrilegii Cod. de div. resti. Item aut D. Papa dubiam dicitur habere jurisdictionem respectu tituli, aut propter delictum. Si propter delictum, debet teneri in possessione usque ad sententiam, quia ante nihil perdit, nec dignitatem, nec administrationem. Non potest dici, quod respectu tituli; quia certum est quod justus est titulus; et mirum est, quod illi, qui ita impingunt, non ita dubitant de suis titulis, sicut de D. N. cum ab eo, aut ejus prædecessore Prelati creati sint. Et si respondetur per l. Barbarius Philippus. ff. de Offic. Præs. Videlicet error communis facit jus; et ipsi quia tolerati sunt, et popu-

ANNO CHRISTI 1398.

lus per eos non scandalizatur, de suis titulis non habent dubitare. Non valet illa responsio; in lege illa, servo nulla movebatur controversia, nec de statu suo erat mentio, sed publice liber credebatur; id-circo pro utilitate publica valuerunt ejus acta sed coram servo scito talis si fieret processus, non valeret, et esset nullus ipso jure.

Sic in proposito, non est quia D. Papæ moveatur controversia de suo statu: et si in statu suo propter controversiam est dubium, sic etiam esse debet de statu Prælatorum aliorum creatorum ab eo, et ejus prædecessore. Si ergo non sunt securi de statu Papæ, nec de suo securi esse possunt, et nihil facit illa lex pro eis.

Item licet haberet statum dubium, tamen usque ad declarationem sibi est obediendum, ex quo Papa habitus est et reputatus. Ex prædictis patet, quod D. N. Papa non est perjurus, quia requisitio DD. Ducum eum non adstringit, sicut nec requisitio Cardinalium, ut est deductum, de qua majus videtur esse dubium; nec est pertinax, quia offert viam sufficientem. Nec valet, si objicitur sibi quod facit scandalum, quia non unit Ecclesiam: dico quod non est verum, quia juri se submittit, et sic non facit scandalum, quia &c. Si dicatur: semper erimus in schismate, si non recipiat cessionem; dico quod non, quia via per ipsum oblata est melior; quia per cessionem non sequetur unio, et subtractione facta, erit major divisio; et per consequens non est facienda subtractio; et ita videtur dicendum sub correctione. Nec videtur credendum contrarium dicentibus, quia procurant hoc dicentes D. N. non esse Papam, ut D. Condomensis, qui in quodam suo tractatu hoc videtur dicere, et quidam alii; et mirum esset, quod illi, qui credunt habere jus, ista habeant dicere, aut prosequi.

Consequenter eadem die XXX. Simon Cramaus Patriarcha Alexand. decretor. doctor pro parte affirmativa defendenda, quod scilicet erat subtractio particularis facienda, aut totalis D. Benedicto per D. N. Regem, cum aliis deputatis ad aperiendum materiam, proposuit, quæ sequuntur in Gallico, ut DD. Principes præsentes intelligerent plenius & melius: ea tamen gratia brevitatis in Latinum reportavi, seu redegi in dicto Concilio, nihil pro posse de substantialibus omittendo.

Illustrissimi Principes, venio ad aperiendum materiam, ad quam deputatus sum: videlicet, an via cessionis per Regem et Clerum Franciæ electa, et quam plures reges scil. Angliæ, Hispaniæ &c. debite practicari possit per subtractionem obedientiæ.

In primis præsuppono, quod pro utilitate animarum, et unitate fidei conservanda necessarium est habere unum Papam; et qui contrarium diceret, hæreticus censeretur. Notat. Joban. in cap. nulli fas XIX. dist. et esset contra articulum fidei, *unam sanctam & apostolicam Ecclesiam*. Nunc proh pudor! Christianitas in duo est divisa, quia quidam dicunt Bonifacium Vicarium, alii Benedictum; et ex ista divisione sequuntur plura inconvenientia, quia unus sine dubio est schismaticus, et adhærentes eidem plures: modo acta a schismatico nulla sunt ipso jure VII. q. 1. Novatianus XXIV. q. 2. Audivimus, et maxime ista, quæ concernunt jurisdictionem. C. quanto de consuet. in fine. Ex istis sequuntur errores in populo, et plures simplices decepti, qui ipsi, aut nos decepti sumus. Nec sufficeret dies ad enarrationem scandalorum; in tantum quod nisi providetur, destruetur lex juxta dictum c. si ea XXV. q. 1. Nec mirum quod lex Machometi fuit introducta propter contendentiam de Papatu et schisma Græcorum, propter nimium dominum, quod voluerunt habere Papæ supra Patriarcham Constantinopolitanum; unde et Patriarchatus proh dolor! perditi sunt. Dicit enim Johannes, quod suo tempore non erat terra in qua non essent plurimi Christiani. C. Legimus XXIII. dist.

Item suppono pro notorio et confessato etiam per adversarium, quod D. N. Clemente defuncto Cardinales, ex quibus tunc erat unus D. Benedictus, videntes inconvenientia prædicta, et alia ex schismate provenientia, paci Ecclesiæ providere volentes, percipientes prosecutionem dictæ pacis, quam jam Clemente vivente incœperat D. N. rex, omnes et singuli juraverunt secundum formam cedulæ, cujus tenor sequitur, et eidem se subscripserunt. Nos omnes et singuli S. R. E. Cardinales congregati pro electione futura in Conclavi ante altare, in quo Missa communis celebrari consuevit, pro Dei servitio, unitate Ecclesiæ suæ sanctæ, ac salute animarum omnium fidelium, promittimus, et juramus ad S. Dei Evangelia corporaliter per nos tacta, quod absque dolo, fraude, et machinatione quibuscumque, ad unionem Ecclesiæ, et finem imponendum schismati, proh dolor! in Ecclesia nunc vigenti, quantum in nobis erit, et per nos laborabimus fideliter et diligenter, quantum ad nos pertinet seu pertinebit, et dabimus pastori nostro, et gregis Dominici, ac Vicario Jesu Christi D. N. futuro, qui erit pro tempore, auxilium, consilium, et favorem, nec ad impediendum, vel differendum præmissa dabimus consilium et favorem, directe vel indirecte, publice vel occulte, et ita omnia et singula, et alias ultra præmissa, omnes vias utiles et accommodatas ad utilitatem Ecclesiæ, et unionem prædictam ejusdem, sane et veraciter, sine machinatione, seu excusatione, vel dilatione; quamque servabit, et procurabit possetenus quilibet nostrum, si assumptus fuerit ad Apostolatum, etiam usque ad cessionem inclusive per ipsum de Papatu faciendam, si DD. Cardinalibus, qui nunc sunt vel erunt in futurum, de his qui nunc sunt, vel majori parte eorumdem hoc pro bono Ecclesiæ ac unionis prædictæ videatur expedire.

Item suppono determinationem Ecclesiæ Gallicanæ, et Cardinalium omnium, uno excepto, ad viam cessionis, requisitionesque sæpius iteratas pro parte DD. Ducum hic præsentium ex parte Regis et Ecclesiæ Gallicanæ, et pro parte Cardinalium, similiter sæpius flexis genibus cum lacrymarum effusione D. Benedicto notorie et publice factis, ut viam cessionis per eum juratam recipere dignaretur, et similiter pro parte Regum Hispaniæ et Angliæ.

Item suppono denegationem dictæ viæ sub bulla data dictis DD. Ducibus. Verum dicit, quod non est juridica, sed inusitata, et a SS. Patribus in Ecclesia refutata &c.

Item suppono prohibitionem D. Benedicti factam Cardinalibus sub bulla, ne de eorum declaratione cedulam confiterentur, aut se subtraherent, sed cum eo in sua via starent,

& cum

ANNO CHRISTI 1398.

& eam cum eo prosequerentur: protestando quod si in contrarium in posterum aliquid facerent, aut dicerent, id et quodcumque ex eo sequeretur, vult non valere, et haberi pro infesto. Et quia heri per tenentes partem negativam dicebatur, quod Prælati essent perjuri, si non obedirent D. Benedicto per cap. Ego N. de jurejur. ad hoc removendum dico, quod omnes Prælati primitus sunt jurati Deo, et Ecclesiæ, et in primis debent quærere unitatem, et conservationem Ecclesiæ: alias juramentum non potest eos obligare; et hoc prosequentibus credi debet, non autem illis qui directe aut indirecte contrarium faciunt; et magis fideliter consulerent Papam, qui sibi consulunt viam cessionis, quam alii contrarium persuadentes: nam et isti observant juramentum.

Venio ad propositum. Videtur expressum, quod bona remedia sint quærenda, et quod subtrahenda sit obedientia. Tempore Honorii Imp. fuit schisma contra Bonifacium I. Pacificato schismate Papa requisivit Honorium, ut per Concilium futuris schismatibus provideret, quod et fecit. Nam et in Concilio edidit caput si duo LXXIX. dist. *Si duo forte contra fas temeritate concertantium fuerint ordinati, nullum ex eis futurum Sacerdotem permittimus, sed illum solum in sede Apostolica permansurum consensus, quem ex numero Clericorum nova ordinatione divinum judicium, & universitatis consensus elegerit*. Quod intelligunt Doctores, quando duo sunt electi, et magnum est schisma et scandalum, ut Hugo, et glos. Johan. in cap. fin. LXIII. dist. et est illa glossa notabilis per Augustin. in lib. de Doctor. Christ. qui dicit, quod si dubium concernat universalem Ecclesiam, et major pars est in una opinione, et sanior in alia, neutra debet obedire juxta Cant. in Canonicis XIX. dist.

Sic est in proposito. Major pars est nobis opposita, nos sumus sanior; quam &c. Ad hoc faciunt leges civiles: nam legatum relictum incertis personis non valet, et incertitudo vitiat l. Si duo sunt Titii ff. de testam. tutel. Non obstat, si dicatur textus capit. Si duo, dicit contra fas: modo D. Benedictus non est electus contra fas, et non habet locum illud capitulum. Respondeo. Credo, quod contra fas non sit electus; sed quia videmus schisma induratum, et scandalum continuatum, et continue augeri per requisitiones & denegationes, potest jus perdere quod habet in Papatu, et habebit locum idem canon.

Quod possit perdere jus, si quod habuit, patet; quia idem est male intrare, et injuste possidere. C. indigne XII. q. 2. c. sæpe de vest. spoliat. Et ita denegatio obedientiæ est non solum congruitatis, sed necessitatis; quia tibi adhærendo incidemus in pœnam C. in nomine D. XXIII. dist. Quia omisi protestationes, hic protestor, quod si dixero aut dicam aliquid contra fidem, revocare volo, et omnia dicta et dicenda submitto determinationi S. R. Ecclesiæ, correctioni et emendationi Regis, et DD. Ducum, et DD. Prælatorum, et aliorum quorumcumque, quod quamquam nunc dicam, non dicam pro mea opinione, ut fecit D. S. Pontii, sed requisitus dicam cum tempus affuerit.

Revertor ad propositum, et recipio primam conclusionem D. S. Pontii, quod Papæ in iis, quæ sunt contra universalis Ecclesiæ statum, est obediendum; et in hoc sumus concordes, modo casus non tangat universalem statum Ecclesiæ, ut si Papæ impedienti unionem Ecclesiæ obediamus. Nam dicit Gregorius: Si destruit quod alii ædificaverunt, destructor est: si scandalum facio, magister sum erroris. Idcirco Papa alias Imperatori et Regi se submisit C. nos si incompetenter 2. q. 7. Ideo si talia agit unde provenit scandalum, sibi non debet obedire. Quærit enim P. Bertrandi positionem; Papa non potest alienare temporale Ecclesiæ XII. dist. Non licet ponere, quod de facto ipse vult totum patrimonium, an majorem partem alienare; an sibi est obediendum? Et dicit, quod de facto ei resistendum est: data enim est ei potestas ad ædificationem, et non ad destructionem 2. Cor 7. Si ergo schisma quod jam XIX. annis vel circiter duravit, suo facto continuat, sibi est facto resistendum: nam et Paulus Petrum reprehendit, ut habetur C. Paulus 2. q. 7. Ad prædicta facit C. Petrus et Paulus ibid.

Nec obstat allegatio de §. Item cum Balaam in c. Nos si incompetenter. Ubi dicit textus, quod per asinam subditi significantur; per Balaam Prælati; non tamen hoc exemplo probantur Prælati accusandi a subditis; nam ille textus magis facit contra, quia de expressa voluntate Dei per Angelum asina contradixit. Ideo dicit textus in illo §. quod subditis per hoc datur forma humiliter renitendi Prælatis, si eos forte ad malum cogere voluerint; quo casu dicit textus illius §. licet eis vocem conquestionis prorumpere, et Prælatis suis dicere: cur nos verberibus affligitis? cur nobis injuste irascimini? Numquid vobis aliquando inobedientes fuimus, nisi nunc cum ad malum cogimur? Constat autem, quod per schisma, quod manu tenet D. Benedictus, plures ad malum coguntur. Quare etc.

Item Hostiensis, Innocentius, et Joh. Andreæ in novell. in C. inquisitioni de sent. excommunic. dicunt, quod si Papa præcipit injustum, unde turbatur status Ecclesiæ, non est ei obediendum. Sic est in proposito: quia omnes Reges et populi sunt concordes in via uniendi Ecclesiam, sive cessionis, et renuent plures viam Papæ tamquam dilatoriam, et nullius effectus, seu valoris effectualiter, ut patet per additiones, et responsionem regis Castillæ ad Martinum regem Aragoniæ. *Ista responsio fuit lecta. Vide eam in aliis negotiis hujus materiæ cum littera hujus Concilii*.

Modo per continuam obedientiam schisma et divisio inter fideles continuatur; igitur removenda est obedientia. Nec potest dici, quoniam Rex Papam fecit solemniter requiri; quia ut supra tactum est, charitative juxta formam Evangelii, primo monitus est a Ducibus et Cardinalibus: postmodum cum intimatione, cum humilitate tamen, ut decebat, et notorium est. Item dicit gloss. Joh. in l. si Papa XL. dist. quod de quocumque crimine notorio, si Ecclesia scandalizatur, Papa potest accusari; et a fortiori potest contra eum excipi. Dicit enim Joh. Andr in l. proposuit; quod cum Papa facit scandalum, recognoscendus est Papa cælestis Christus.

Item tempore Anastasii Rex quidam inciderat in hæresim jam damnatam, alius cum eo conversabatur, et Papa cum isto: dicit textus, quod plures recesserunt ab eo et bene fecerunt. C. Anastasius XIX. dist. Videamus, si

ANNO CHRISTI 1398.

nunc est major ratio a Benedicto recedendi? Certe sic; quia tenet Ecclesiam in schismate contra proprium juramentum, et ubi ab obedientia summatus est. Modo deterius est Ecclesiam tenere schismate et divisione, quam communicare cum participante cum hæretico: majus enim malum, aut saltem tantum peccatum est schisma in aliquibus, quantum est hæresis. Item non requiritur a Benedicto, nisi ut offerat se paratum cedere, si alius similiter velit cedere: ad quod facere ipse de jure tenetur pro scandalo schismatis vitando. C. nisi cum pridem §. pro gravi quocumque scandalo de renunt. in antiqu. ubi dicit Innocentius, quod si Episcopus magis diligit gloriam suam, quam salutem Populi, Papa potest eum cogere ad cedendum c. quod eid. de renunc. Item dicit glos. in cap. Præsul. quod ad sententiam ferendam contra Episcopum plures testes requiruntur; sed contra Papam duo sufficiunt. Et ratio est, quia plus puniendus est, quanto altius præsidet: nam dignitas auget peccatum; duplici enim causa cadit homo, propter altitudinem dignitatis, & propter peccatum in se; facit cap. homo Christianus LX. dist. Si ergo Papa cedere tenetur, et renuit, peccat mortaliter, & similiter ei consentientes cap. violatores 25. q. 1. Et si ita est, qua conscientia possit ei obediri non video.

Item dicit Joh. glos. decreti, quod Prælato contra canones venienti licitum est obedientiam subtrahere. C. Sacerdote 2. q. 7. et hoc etiam habet locum, quando statum contra Canones retinet, & quia dicit textus, quod qui edat veritatem provocativam Dei super se. Clare ex prædictis textibus videtur dicendum, quod ipse est schismaticus, & per consequens quod obedientia est sibi subtrahenda. Notat Joh. Monachi. C. Generali de elect. in VI. Quis potest dici schismaticus aut hæreticus, quando contemnit canones, nec vult conservare; scil. & præcipue qui dividit ecclesiam, & facit schisma. Notant Doctores, Hugo, in c. per ambitionem 64. dicit Innocent. & Joh. Andr. in C. 1. de sent. excomm. & Goffredus in summa de schism. Modo si Papa tenetur cedere requisitus, & non vult, sed renuit, ecclesiam dividit, & facit schisma; igitur est schismaticus

Et quod tenetur, probatur clare ex prædictis; quia ex juramento præstito in introitu conclavis, invita requisitione, & declaratione DD. Cardinalium; & hoc sic deducitur: quia aut certum est, quod virtute juramenti cedere tenetur, & habetur intentum; aut certum est, quod non tenetur; & certum est quod hoc esse non potest: nec enim hoc diceret adversarius, quia juramentum expresse includit cessionem, ut patet textum intuenti; aut est dubium, & adhuc hoc casu secundum doctores in dubio, ex quo verba juramenti includunt cessionem, & cessio non est contra bonos mores, in dubio contra juramentum non est veniendum, alioquin incurreret perjurium. C. si vero de jurejurando, ex quo ipse eodem tenetur, & renuit, ipse facit scandalum, & schisma; ergo &c.

Non obstant, quod pluries per adversarios dicitur. Benedictus non refutavit viam cessionis per responsionem secundæ & tertiæ bullæ. Non est verum, sed notorie apparet contrarium. 1. per primam responsionem, cum dicit, quod via cessionis non est a jure statuta, nec practicata, sed alias fuit refutata in casu simili; & cum adjungitur quod acceptatio posset redundare in damnum ecclesiæ, exempli perniciem, contemptum clavium, scandalum Prælatorum & principum &c. In secunda autem bulla declaratoria dicit, quod intentionis ejus est prosequi suas vias in generali, et prius, quantum in virtute cujusdam cedulæ &c. Et primo vult omnes vias tentare ante cessionem, et schisma perpetuare. In tertia autem bulla, seu responsione dicit, quod per illam clausulam et alias in quantum virtute ejusdem cedulæ etc. appositam in secunda bulla, non intendit effectum cedulæ immutare, aut conditionem per ipsam apponere, sed eam juxta suum ordinem servare; et supponit, quod vult primo, et ante omnia alias vias prosequi: quia prius in eadem tertia responsione dicit, quod non intendit per istam adjicere aliquod novum robur dictæ cedulæ; et apparet quod non vult parcere verbis dicentibus, quod non refutat viam cessionis. Nam et ad confirmandum facto, quod verbo dixerat ipse Benedictus per suos Ambassiatores publice coram rege Arragoniæ, præsentibus legatis D. N. regis fecit dici quod antea esset martyrizatus quam cederet; et hoc quidem dixit cuidam Archiepiscopo hic præsenti.

Quod autem mihi objicitur quod ego in libro, qui mihi attribuitur, dixi D. Papam schismaticum, et quod male fecit etc. Reverendi DD. mei: cum regressus sum ab Hispania, per D. Cancellarium fuit injunctum aliquibus de Concilio, et mihi, ut scriberem super subtractione; et ita feci, et recitavi pœnas debitas schismaticis, quas recitat Hostiensis in Summa, nec elegi opinionem aliquam, sed solum pro utraque parte argui, ut apparet.

Ulterius probatur, quod tenemur subtrahere obedientiam: quia ubi apparet de obstinatione Prælati, debemus ab eo recedere, et ei non obedire: quia dicit Bernardus in C. cum non liceat de præscript. quod a capite licet membra recedere, cum caput incidit in schisma aut hæresim, etiam sine sententia. Concordat Innocentius in Glos. in C. 1. de schism. in notorio fornicatore, et simoniaco facit §. verum 32. dist. Et idem Bernard. in. C. cum non liceat, et hoc casu, cum Papa incidit in schisma, censetur sedes vacare. Et hoc solvit ad inconvenientia allegata per D. S. Pontii, quia tunc, sic tenendo, potest provideri, ac si Papa esset defunctus: nam aliquoties septem annis vacavit sedes, et tunc provisum erat negotio ecclesiæ.

Nec valet, si dicatur, Papa non est suspectus de hæresi: dico quod immo quia schisma tale quale est istud, non est sine hæresi C. hæreticus 24. q. 3. Et si dicatur; glossa ibi dicit, quod si sint duo contendentes de Papatu, et bene credant, forte neuter est schismaticus. Certe ego noto verbum Forte, quia non dixit hoc decisive: tempore enim Alexandri III. fuit Octavianus, et alii contendentes; quilibet forte credebat bene contendere, et tamen concilium generale eos reputavit nedum hæreticos, sed hæresiarchas; et sic credulitas non relevat a schismate aut hæresi. Nam et alibi efficitur schismaticus in C. fin. 63. dist. C. non afferamus, et C. ubi aliorum 24. q. 1. et ob hoc dicit Joannes, quod inter cætera crimina plus puniendum est schisma; nam schis-

ANNO CHRISTI 1398.

schisma antiquum est hæresis. Modo dividere ecclesiam est schisma, quod facit, ut videtur, D. Benedictus.

Item Dionysius ad Novatianum comparat schisma idololatriæ. Cum igitur ipse per cedulam cedere teneatur pro unione, et refutat, schisma facit. Nec in contrarium, ut supra plenius dictum est facit responsio tertiæ bullæ. quia DD. de parte adversa dicunt, quod Benedictus unum, et ipse evidenter contrarium ostendit verbo et facto. Item quia dicit lex, quod cum interrogatus clare non respondit, negare videtur l. de ætate §. qui tacuit §. nihil ff. de interrogat. Et sic apparet, quod ejus Benedicti juramentum notorium est, requisitiones, declarationes Cardinalium, et DD. Ducum notoriæ, quia in publico factæ, et publice Avenioni prædicatæ et publicatæ, et responsiones suæ obscuræ, contrariæ, et dubiæ, notoriæ, quia sub bullis: Et apparet contradictio facti notoria, et scandalum schismatis notorium continue durans; igitur ejus delictum est notorium.

Per prædicta apparet, quod non sumus aliqualiter in terminis §. hinc etiam, sæpius allegati per partem adversariam: quia in illo casu nihil erat notorium de schismate aut hæresi contra Papam Symmachum, sed falso accusabatur, ut postea apparuit ex effectu. Quare &c. Non obstant jura allegata, quod nisi faciat contra jus naturale &c. Verum est, sed si incidit notorie in schisma & hæresim, non est obediendum, sed tenentur Reges et Principes contra eum, et ejus fautores, et consentientes se opponere, quoniam talibus non est communicandum C. omnis, et C. quidam 24. q. 1. Immo qui sibi dicit, ave, communicat operibus malis, et sic communicando offenderemus mortaliter. Ex quibus sequitur, quod D. Benedicto debemus, et tenemur obedientiam subtrahere, alias peccaremus mortaliter.

Non obstant in contrarium dicta; cum dicebatur, subtractione facta habebimus unionem? Item quia Papa nihil habebit. Ad primum dico, quod per solam subtractionem, sine aliquo processu ulteriori, et facto, non haberetur unio, nec bene fieret: sed subtractio est clavis, et principium habendi unionem; quia ut dicit D. S. Pontii; modicum habet Papa emolumenti, nisi a Francia, et emolumenta illa, seu obedientia est causa, quare obstinate vult Papatum retinere, et renuere cessionem; et sic si a Francia amplius non habeat pecunias, non habebit tot advocatos, tot fautores, tot consiliarios: quia ut dicit Augustinus, utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat; quam esurienti panis frangitur, ut injustitiæ deditus acquiescat. C. nimium 23. q. 4. Nam etiam dicit lex, quod seditiones facientes nihil debent ab ecclesia recipere; & per hoc apparet responsio, cum dicitur, Papa nihil habebit. Dico, quod nimis habet, ut est dictum, quia illa non sunt nisi fomenta, & nutrimenta schismatis. Non valet etiam id, quod dixit D. S. Pontii, quod in cedula Regis Angliæ est verbum liberæ electionis: salva sui reverentia non est ita: sed voluit simpliciter cum Rege Franciæ prosequi cessionem.

Item probatur, quod Benedictus sit vehementer suspectus de schismate; quia Bonifacius intrusus, et ipse solebant se invicem excommunicare: postquam autem Benedictus misit dicto intruso suos Ambassiatores, non sic ut prius excommunicant. Et ex hoc præsumendum est, attenta eorum induratione, quod colluserunt ad invicem, et dixerunt. remaneamus quilibet in suo statu, et supervivens totum habeat; et ipsi essent hæretici, quia dicit Joh. Andr. cum Archidiacono, quod tenere duos esse Papas, est hæreticum. Item si de illis habita fuit colloquutio; Ergo communicavit schismatico, et per consequens est schismaticus, et hæreticus, aut saltem suspectus.

Ad inconvenientia allegata, cum dicitur, Prælati non obedient subtractioni; nos faciemus schisma novum; Prælati juraverunt Papæ &c. Respondetur. Dicit Seneca, quod inconveniens sine alio non potest sedari: idcirco de duobus inconvenientibus minus est acceptandum. Modo majus est inconveniens D. Benedictum tenere Papatum, et differre unionem ecclesiæ, offerendo viam scandalosam, et refutando viam omnibus gratam, sine difficultate, contra proprium juramentum, quam sibi subtrahere pecunias aut denegare obedientiam. Idcirco dicit Gregorius, quod fugatus pro refugio inspicit locum tutiorem. Modo tutius est subtrahere, quam sic remanere in schismate, et ita pro removendo schismate licet subtrahere.

Non obstat, cum dicitur: Prælati non obedient &c. Dico, quod tacita conclusione, Rex potest providere talibus inconvenientibus, et tenentur Prælati obedire, et suum intellectum captivare maxime habita conclusione per concilium, quia schisma est maximum malum, et nullum est tale in comparatione. Nec valet, quod dicunt adversarii, quod Rex capiet bona ecclesiæ; fient in pensiones. Hoc est male dictum; hoc non est de ejus intentione. De suo multa exposuit pro unione Ecclesiæ: intendit ecclesiam pacificare, & eam tenere in antiqua libertate. Mihi est injunctum, quod ego dicam vobis.

Ad processus & sententias dico, quod si habeatur conclusio de fienda subtractione, publicabitur causa, quare fiat subtractio; sive quare schismaticus, & sic non poterit ferre sententias, quia minor est quocumque Christiano. Si dicatur, ante sententiam non est subtrahendum; dico quod notorio schismatico est subtrahendum; nam in tali materia facto est utendum, quia non habet superiorem qui eum compellat, vel aliter. Nos non loquimur hic de capiendo bona confiscata, tamquam condemnati, scilicet si denegabimus obedientiam, quod licet. Dicit enim Innocentius in c. in litteris de restit. spoliat. quod non licet notorie malo contra bonum publicum solvere census, quia solvendo offendemus creatorem. Sic in proposito &c.

Non obstat, quod dicitur: Prælati jurant Papæ esse fideles, & essent infideles subtrahendo: dico, ut supra dictum est, quod non essent infideles, sed magis fideles: nec ligat eos juramentum quod obediant schismatico, aut suspecto de hæresi; nam schisma quale est istud, non est sine hæresi; quare &c. Item non obstat cum dicitur, factum Papæ non est notorium; non est pertinax, & incorrigibilis; offert viam juris &c. Dico quod immo factum Papæ est notorium, attento juramento cedulæ, requisitione Cardinalium, protestatione Papæ de via cessionis non acceptanda sub bulla, receptione viæ per Reges, monitionibus, & aliis requisitionibus. Nec valet clare via compromissi

ANNO CHRISTI 1398.

missi per eum oblata. Cardinales ab initio po- A fuerunt casum. Joh. de Lignano, & Baldus scripserunt super eo, & adhæserunt Bartholomæo: nos adhæsimus Clementi: opiniones sunt contrariæ, etiam facto concordato, quod forsan nunquam fieret, & schisma est induratum, & radicatum, & licet compromissarii pro uno judicarent, multi eis non crederent; quare nunquam esset Rex in ecclesia. Non obstat, cum dicitur, tu non eris judex, nec potes judicare Papam. Solutio; de hoc non quæritur: sed quæstio est, an salva conscientia Benedicto debeamus obedire.

Nec valet, quod dicitur, quod non valet declaratio Cardinalium, quia Papa non fuit vocatus &c. Dico, quod ante adventum DD. B Ducum in Avenione, D. Benedictus fecit congregare Cardinales ad discutiendum de viis uniendi Ecclesiam; quibus congregatis, pro majori parte convenerunt in viam cessionis, & dixerunt ei; & similiter DD. Ducibus existentibus in Avenione, fuerunt omnes congregati, uno excepto; fuerunt omnes concordes in via ista. Post quæ Papa pro ea recipienda fuit per Cardinales, & DD. Duces pluries summatus, & monitus, immo quod plus est, de ejus præcepto, per Cardinales aliæ viæ fuerunt discussæ, & omnibus non obstantibus, cessio fuit conclusa, & in ea perseveraverunt Cardinales. Non obstat, quod dictum est de absolutionibus, quia certum est, quod sede vacante pœ- C nitentiarius major potest absolvere. Item etiam Cardinales possunt providere per Clement. Ne rationi de elect. Item & si sedes non diceretur vacare; tamen in casu necessitatis ordinarii possunt absolvere.

Alia argumenta sunt scholastica, & non est difficultas. Non obstat, quod dicunt, quod Rex Castillæ non est pro subtractione; contrarium apparet per rescriptionem factam Martino Regi Aragoniæ. De hoc quod mihi impingitur, quod volo habere prærogativam per subtractionem, dico quod non quæro prærogativam. Scio quod sumus in Patriarchatu Romano, non Alexandrino; sed cum aliis, ut unus Episcopus volo pro posse procurare, & D quærere pacem Ecclesiæ. Hæc sunt dicta sub correctionibus ante dicti.

Consequenter die Veneris sequenti, ultima mensis Maji, Petrus Regis Abbas S. Michaelis in periculo maris, decretorum doctor Parisiis, ibidemque Regens, vir studiosissimus, pro eadem parte affirmativa defendenda, per regium Consilium deputatus, in Gallico aut lingua materna Normanica, effectualiter proposuit quod sequitur; ea tamen in Concilio, pro meliori & breviori, in Latinum, prout fidelius potui, reportavi.

In prosequutione hujus materiæ hunc ordinem observabo. 1. protestabor. 2. ponam tres conclusiones quas probabo, & quibus respondebo ad in contrarium allegata. In primis protestor, ut D. Patriarcha, quod illa quæ dicam, solum dicam ad aperiendum materiam &c. & quod quidquid dicam, nolo injuriari Papam, aut aliquem, sed solum dicam facientia ad propositum, licet forsan duriora, sed vera.

Prima conclusio est. Quod omnis Catholicus tenetur ad reducendum Ecclesiam ad obedientiam unius Rom. Pontificis, extirpando omnia contraria, & removendo impedimenta. Probatur; quod in hoc pendet salus totius Christianitatis et Ecclesiæ XL. dist. si Papa. Et specialiter ad hoc tenetur Papa, quia ad hoc habet a Deo potestatem, scilicet ad ædificationem Ecclesiæ: ideo si contrarium faciat, aut sit negligens, tenetur de damnis et inconvenientibus hac occasione evenientibus. c. quamvis de re judic. 95. dist. Ecclesiæ. 2. dico, quod in speciali Principes ad hoc tenentur. Probatur hoc 1. Quia de præteritis schismatibus non reperitur schisma sedatum, nisi per Principes, ut patet ex decursu Chronicorum. Item, quia dicit Pelagius Papa: timere Principes non debent, punire facientes schismata, sua auctoritate; et ita hoc possunt Principes auctoritate judiciali vel imperiali; nec possunt Deo majus sacrificium facere: et per hoc ap- B paret, quod non procedit illud, quod dixit D. S. Pontii, videl. quod ad Regem solummodo pertinet procurare pacem etc. quia immo auctoritate propria se debent intrommittere; et hoc dicit Bonifacius VI. ampliando decretum, si duo contra fas, 79. dist. ad hoc facit c. sicut quivis 96. dist. cum glos. et videtur casus in l. Si quis in hoc genus c. de Episc. et Cler. ubi videtur, quod auctoritate propria Principes possunt paci Ecclesiæ providere, non solum ad requisitionem Ecclesiæ: et licet exigeretur requisitio, Benedictus tamen D. regem requisivit, ut patet per bullam *huius lecta est*

Item hoc probatur ratione; et primo supponitur scandalum schismatis, et necessitas C unionis Ecclesiæ. Item supponitur, quod de præsenti, ubi Præsidentes sunt non solum negligentes, sed contradicentes, non potest haberi recursus nisi ad Principes sæculares, quia Papa superiorem non habet. 2. Suppono inconvenientia ex schismate, videl. periculum perditionis Ecclesiæ aut majoris partis, et animarum perditionem, aliaque quæ debite considerata apparent evidenter; ex quibus concluditur, quod Principes in hoc casu habent auctoritatem, licet in aliis casibus quam in materia schismatis, non habeant, & quia necessitas dat eis potestatem in hac materia schismatis.

Probatur hoc 1. quia qui non habet superiorem, potest indicere bellum. l. ait Prætor §. si debitorem ff. de his quæ in fraud. credit. Item quia *Marcha* contra non subditum aliquando licita est. c. si nulla 23. q. 8. Item quia dicit Innocentius, quod necessitate urgente licet venire contra juramentum etiam licitum. Item nisi Principes haberent auctoritatem, sequeretur inconveniens; quia tunc esset in potestate contendentium perpetuo tenere Ecclesiam in schismate, præsupposita conventione allegata per Patriarcham.

Ex prædictis sequuntur conclusiones correlativæ. Prima est, quod si Principes possunt providere, & non provident, sunt fautores & B nutritores schismatis. Facit ad hoc c. negligere 2. q. 7. & hoc habet locum in illis etiam qui pacem Ecclesiæ prosecuti sunt, & a fortiori in illis qui ministrarent necessaria, aut præstarent consilium, auxilium, & favorem Papæ ad dilationem unionis Ecclesiæ. Patet ista conclusio, quia resistentia contendentium nihil potest impedire per prædicta. 2. Sequitur, quod inhibitio Papæ contra hæc nihil debet operari. Patet, quia alias sequeretur perpetuatio schismatis: ex quo sequitur quod Papæ præcipienti in hoc non est obediendum. Probatur; quia hic non quæritur de statu suo

so-

ANNO CHRISTI 1398.

solum, sed de statu universalis Ecclesiæ, quæ non est ejus: in qua etiam ipse invitus salvari compellitur. c. ipsa pietas. 23. q. 4. & panis invito sollitur, & medicus datur invito. c. item medicus 86. dist. & ita in quærenda unione, quod est bonum publicum Ecclesiæ, non debet attendi voluntas Papæ, sed salus populi. Nam Papa contradicendo hoc casu præsumendus esset furiosus l. equidem de condit. just. quia Papa est ad pascendum oves exemplo, verbo, & doctrina.

Per hoc respondeo ad primam conclusionem D. Episcopi S Pontii, qui dixit, quod obedendum est Papæ in illis, quæ non sunt contra jus naturale, vel divinum, vel universalis Ecclesiæ statum: etiam non concedo, sed dico, quod ad hoc quod obediatur Papæ, antequam quis obedire teneatur, requiritur præceptum salutare, quia ad hoc potestas sua limitatur. Et probatur per c. præceptis 12. dist. & hoc notant Archidiaconus & Hugo in c. quapropter 2. qu. 7. & ob hoc dicit Archidiac. quod non tenetur quis obedire, nisi in præceptis Dei, & illis, quæ sunt ad utilitatem & salutem Ecclesiæ: & probatur hoc, quia alias sequeretur inconveniens. Pone, verbi gratia, Papa mandaret alicui domino, ut sibi daret mille francos, aut quod filiam suam alicui ignoto daret uxorem. Istud præceptum non est contra jus naturale, divinum, vel universalis Ecclesiæ statum, & tamen certum est, quod hoc casu non esset obediendum; & ita non procedit conclusio prædicta: faciunt notata Joh. Monachi in rubrica de Majorit. & obedien.

Item S. Bernardus dicit, quod quoties præceptum superioris est malum ex circumstantiis, non est obediendum. Et per hoc respondetur ad aliud per partem adversam sæpius allegatum. Non sunt mala facienda &c. verum est; sed non est verum, quod sit malum subtrahere, sed est bonum; & contrarium, scilicet non subtrahere esset malum, & nutrire schisma. Item ad hoc dicitur, quod dicitur, quod debet obediri dominis malis, verum est in eo, in quo non sunt mali. Arg. C. Julian. 11. qu. 6.

Ex hoc concluditur, quod si Papa hac occasione aliquem excommunicaret propter prædicta, non esset desistendum a prosequutione; quia omnes tenentur sub pœna fautoriæ schismatis prosequi unitatem per prædicta. Ad hoc facit C. Inquisitionem de sent. Excomm. Item quia in hoc excederet suam potestatem & terminos: quod probatur per auctoritatem; *quodcumque ligaveris super terram &c.* Quod intelligitur secundum Doctores *clave non errante*, ut notat Hostien. in C. Quanto de transl. Episc. Et ita potestas Papæ intelligitur secundum Dei voluntatem & ordinationem, ad pascendum & nutriendum oves spiritualiter; & ob hoc dicit Innocent. & recitat Joh. Andr. quod si Papa tulit sine causa sententiam excommunicationis, & certum est, non debet timeri: nec opus est absolutione, quia quoad Deum non est ligamen; Et ita apparet, quod tenetur quilibet, prout ad eum pertinet, omnia impedimenta unionis removere.

Secunda conclusio est. Licitum est, aptum & necessarium unioni Ecclesiæ, subtrahere obdientiam, & dependentiam, idest collationes beneficiorum, provisiones dignitatum, & Annatas, seu procurationes, & similia. Probatur, & primo notatur. Factum verum & notorium est, quod D. Papa misit Ambassiatores erga Regem Romanorum ad impediendam viam cessionis. Hoc vidi legatus pro tunc ibidem existens pro parte D. N. Regis: viderunt & omnes quotque voluerunt videre, nec aliqua tergiversatione celari potest. Item cum fui ad Aragoniam pro facto Ecclesiæ ex parte Regis, legati Papæ publice dogmatizaverunt, quod D. N. Rex non volebat habere Papam nisi Gallicum. Postquam autem alii legati Regis & ego requisivimus Regem Aragoniæ, quod acceptaret cessionem se conformando aliis, Episcopus Zabulensis ibid. pro parte Papæ existens publice dixit, quod Papa nunquam acceptaret, & quod de hoc protestabatur. Et ultra hoc dixit D. Junianus, ibidem similiter pro parte Papæ existens, quod D. Rex, Duces, Universitas, & Alemanni non erant concordes in hac prosequutione, & quod impediebant unionem.

Iterum ut prius requisivimus D. Regem. Respondit, quod Papam summaverat de hac via acceptanda, & requisiverat, ut acceptaret viam cessionis, & quod ipse refutavit, & erat ad eam indispositus, & alia plura quæ hic non oportet recitare. Ex quo apparet, quod Papa per se & suos satellites impedit viam cessionis. Notorie ergo fautor est schismatis, nutritor; & pertinax, quia continuo impedit.

2. Notatur, quod via cessionis est sola sufficiens ad schisma plene terminandum, & conscientias pacificandum, nec oblata est alia plene sedativa schismatis. Patet per determinationem primi consilii Regis in hac materia. Item notatur; Papa ad eam tamquam schismatis sedativam acceptandam tenetur. & etiam virtute juramenti præstiti in conclavi.

3. Notatur, quod quadruplex est via practicandi viam cessionis. Una est requisitionis, & ista facta est diligentissime, & cum maxima solemnitate, nec est spes de ejus correctione, & pœnitentia, attentis continuis impedimentis. Oportet igitur ad alium modum practicandi recurrere, scil. ad subtractionem, quia alias esset in eius potestate Ecclesiam perpetuo tenere in schismate. Item, quia potestas Principum esset derisoria; & sic, ex quo dulcibus remediis nihil fieri potest, acriora requiruntur. l. q. 2. c. reperiuntur.

Item hoc probatur, & supponitur dictum Sarisberiensis, qui dicit, quod quando quis refutat renunciare pro unione habenda, præsumitur in eo ambitio, avaritia, & cupiditas. Ad hoc facit C. C. de Cleric. non resident. Et ita præsumitur Papam renuere cessionem; & sic hoc declaratur, quia antequam esset Papa, notorie approbavit cessionem, præsentibus pluribus viris notabilissimis; nunc autem reprobat. Item etiam probatur per additionem Regis Aragoniæ ad viam Papæ, quam approbavit, & per quam vult arbitros adstringere ad electionem alterius ipsorum duorum contendentium præcise. Ex quo evidenter apparet ambitio, avaritia, & cupiditas, & schismatica pertinacia, quæ omnia proveniunt ex obedientia quam habet; maxime quoad obedientiam provisionis Episcopatuum, procurationum, annatarum, & similium exactionum. Necessarium est igitur removere prædicta quæ impediunt unionem: nam ad sanandum infirmum summum remedium est removere causam infirmitatis.

ANNO CHRISTI 1398.

Confirmatur. Scandalum schismatis est notorium, et est defectus Papæ notorius, qui disponit ad schismatis perpetuitatem. Igitur melius est esse sine tali pastore. Arg. 24. q. 3. illud. Nec valet, quod aliqui possent dicere, expectemus Dei provisionem: quia ex quo haberi potest remedium humanum, non est expectandum, quia esset tentare Deum. C. si nulla 23. q. 8. Item probatur, quia dicit Joh. Andr. in C. locupletari de re judic. quod ubi contentio est inter duos non possessores, fienda est sequestratio, et neutri debet obediri: et sic ab initio debuit esse factum: quoniam si sic factum fuisset, forsitan minus durasset schisma.

Ex prædictis sequuntur conclusiones corollariæ. Prima est, quod prælati, qui obligati sunt Papæ per juramentum, prosequendo viam cessionis, non sunt perjuri, nec infames, etiam subtrahendo. Patet, quia ad hoc prosequendum Deo et Ecclesiæ sunt obligati. C. de fornica 22. q. 5. 20. Sequitur, quod si esset aliquis Prælatus, qui obligatus esset, aut adstrictus ad solutionem annatæ per juramentum, non deberet solvere, et non esset perjurus non solvendo per dicta, quia non debet solvere ad nutrimentum schismatis. Juramentum intelligitur conditionaliter, si res in eodem statu permaneant. Argum. C. quemadmodum de jurejurando. Item sequitur, quod timor verborum partis adversæ dicentis, quod suum errorem cognoscunt, et suum Papam prosequuntur etc. non debet retardare prosequutionem. Ad hoc faciunt notata per Doctores in C. nisi cum pridem §. si præ gravi.

Ratio est, quia scandalum schismatis est maximum, et nullum tale est in comparatione. et sic eorum scandalum non est timendum.

Quarto concluditur, quod renunciatio facta per Benedictum, facta subtractione, esset bona, et provisio subsequuta bona; non injuriosa, sed justitiæ executiva, quia propter bonum facta. Argum. 23. q. 4. ipsius pietas, et cap. seq. argumento quorum possunt schismatici compelli reverti ad unionem Ecclesiæ: et ad hoc facit §. pro gravi in C. nisi cum pridem, sæpius alligato. Quod probatur; quia coactio justa, et juris exequutio non impedit actum. Notatur in C. veniens 2. de sponsal.

Quinto concluditur, quod licet obedientes parti alteri contendenti, sive Bonifacio, non denegarent obedientiam; nos tamen tenemur denegare. Patet, quia ad hoc obligamur sub pœna peccati mortalis. Facit C. petistis de privileg. Item quia nisi ita fieret, sequeretur perpetuatio schismatis: quia oportet quod aliqua pars incipiat facere debitum.

Item, quoad electionem viarum, & modum procedendi D N. Rex incœpit per viam & modum requisitionis: nam 1. examinavit & conclusit viam cessionis, & postmodum monstrata ejus justitia alios principes secum attraxit ad hanc viam &c. Incipiendo subtractionem, attrahet alios Principes; licet alii essent negligentes, tamen debitum facere tenetur. Non obstat, quod dicitur, fortificaretur pars adversa &c. Non est verum: sed daremus aliis exemplum ita faciendi: nec est verisimile, quia ipsi de parte Bonifacii, ut in pluribus ei non obediunt, nisi pro libitu. Si dicatur, eveniant scandala; dubito, novit Deus; & si eveniant aliqua, nihil ad nos: quia ex eis est scandalum, qui impediunt unionem. Absit ut ea quæ propter bonum aut licitum facimus, si præter intentionem aliud eveniat, nobis imputetur. C. de occiden. 23. q. 5.

Item, ad hoc faciendum inducere nos debent 1. timor indurationis schismatis: quia si in hoc stetur, nihil aliud faciendo, cum facta sint plura Concilia, multi recedent; numquam fiet diligentia; nec aliquis volet prosequi. Item D. N. Rex, & Castillæ hoc invicem promiserunt per suos legatos; hoc Papæ significando, quod nisi infra festum Purificationis cessionem acceptaret, aut uniret ecclesiam, removerent impedimenta; & nisi fiat subtractio, Papa omnia contemnet, & erit perpetuatio schismatis. Item daremus occasionem Regi Castillæ mutandi bonum propositum suum, & in nos non confidendi: nam & ille scripsit D. N. Regi, quod licet alii non faciant, ipse tamen faciet subtractionem.

Sexto concluditur, quod non est opus citatione, sententia, aut processu ad subtractionem faciendam, quia factum Papæ est notorium in actu permanenti; ergo &c. Notat Innocentius c. 110. part. de verb. sign. c. quanto de translat. Episc. & ita non requiritur citatio, aut sententia maxime in tali casu, in quo non agitur de perpetua inobedientia, sed agitur de nutrimentis schismatis removendis; propter quæ removenda secum non debemus participare; alias, ut dictum est, participaremus in crimine criminoso seu schismate.

Tertia conclusio est. Supposito quod per Regem non fieret subtractio totalis obedientiæ, deberet fieri particularis subtractio collationum beneficiorum, procurationum, annatarum, & pecuniarum. Et pro evidentia conclusionis notatur 1. quod in primitiva ecclesia fuit constitutum, quod electio Episcoporum & Abbatum pertineret ad capitula & conventus, ordinatumque est per Concilia, quod confirmatio Episcoporum ad Archiepiscopos, & collatio beneficiorum ad Episcopos & diœcesanos pertineret. Nam & hoc ordinavit Christus Apostolis §. 1. 21. dist. & hoc fuit observatum mille ducentis annis & amplius. Ex quo videtur, quod licet Papa hoc usurpavit, hæc usurpatio est contra bonam & debitam politiam: quia non est in potestate solius hominis tantum populum gubernare, & beneficiis omnibus debite providere. Ratio hujus est; non debet provideri beneficiis, nisi de personis notis: modo Prælati magis cognoscere debent promovendos, quam Papa.

Hic, & in sequentibus Orator vera quædam pauca pluribus falsis immiscet.

Item, quia quando quæstio est de aliquo promovendo, debet fieri inquisitio in loco moræ, & proclamatio in ecclesia ad sciendum vitam & mores promovendi juxta cap. scriptum de elect. Ex illis autem promotionibus, & aliis quæ fiunt in Curia, sequitur, docente experientia, promotio indignorum, & alia plura inconvenientia, quæ hic recitare non est opus. Item tales provisiones factæ per Papam & collationes & reservationes sunt contra hierarchiam ecclesiasticam, in qua tres sunt status, majores, minores, & infimi, & inter ista est ordo qui non debet confundi, sicut in corpore humano unum membrum officium alterius occupare non debet. 21. dist. Clerus, & ad hoc 79. dist.

Item, Papa ordinatur principaliter, propter doctrinam, acquisitionem infidelium, & alia ardua ecclesiæ negotia. Multo pluribus intentus minor est ad singula sensus c. siquidem 20. q. 1.

ANNO CHRISTI 1298.

q. 1. nam ex congregatione pecuniarum subditi & incolæ regni depauperantur, & sequuntur plures confusiones: nam per ista impeditur a suo officio, & principaliter se occupat in congregatione pecuniarum, & provisionibus modicorum beneficiorum, in quibus occupari non deberet, quia Petrus instruxit Clementem, ne in temporalibus se immisceret.

Item istæ provisiones factæ per Papam, maxime expectationes, sunt contra intentionem Fundatorum, Principum, & aliorum, & per eas enervatur potestas Episcoporum. Per eas etiam datur occasio machinandi in mortem contra Can. 2. de concess. Præb. Item quod Ordinarii conferant, constitutum est in generalibus conciliis. Igitur non potest per Papam immutari per dictum Gregorii 15. dist. sicut sancti, quia ut Evangelia per eum recipi jubentur. Nec valet si dicatur, quod Papa potest contra Concilia generalia providere: nam non videtur quod Papa sic possit ab Episcopo auferre collationem; quoniam si ita posset, videtur quod posset exercere omnem potestatem Episcoporum, & sequeretur confusio status ecclesiastici, & Prælati haberet nomen sine re, deberetque Papa vocari universalis Episcopus, & Princeps personarum, quod est damnatum in c. nullus in c. ecce 99. dist. dicit enim S. Thomas quod Papa sine causa rationabili, a pluribus casibus particularibus non potest dispensare & quod detinens non est securus. Notant etiam Doctores in c. multa præbendis.

Item quod per hoc jura de electione, & alia Concilia generalia nulla essent, & oporteret libros comburere: ut quid enim membranas occuparent, cum nullius essent utilitatis? Item quia ista usurpatio est impedimentum unionis propter amicos per beneficia, & promotiones, ut apparet experientia; & in hoc tenetur Rex providere. Evidenter enim constat, quod solum suis fautoribus providet; bonos autem & prosequentes unionem, & viam cessionis hoc ipso odit & eis non providet, & nisi provideretur, totum destrueret, nec Rex haberet Clericos forsitan qui sibi vellent adhærere. Item antiquitus etiam tempore Innocentii, Papa non rogabat Episcopos de provisionibus, nisi pro uno merito solum, nec volebat unam ecclesiam gravari duobus. Modo scribit pro infinitis, & irritum decernit quidquid in contrarium actum fuerit; quare &c.

Quod autem facienda sit subtractio obedientiæ quoad perceptionem procurationum debitarum ratione visitationis deducitur; pro quo est sciendum quod de jure naturali & divino Prælati debent visitare parochias & diœceses pro augmentatione divini servitii, pro sacramentis, pro moribus, vita, & excessibus corrigendis ratione autem hujus visitationis debent habere procurationem in victu, aut pecuniam, electione ejus qui visitatur, ut in extravag. Modo ex hoc quod Papa percipit tales procurationes, sequuntur plura inconvenientia, quia omnia prædicta cessant; quia non fit visitatio per Papam qui procurationem recipit, & sic cessat divinum servitium, & alia supra tacta. Alii autem Prælati plures non visitant, quia non procurantur, & ob hoc impediuntur; & ita capit Papa procurationes sine complendo causam propter quam debentur.

Item subditi visitandi privantur fructu spirituali, qui provenit ex visitatione; & sic Rex providere tenetur, ut ei subtrahatur quoad hoc obedientia propter duo. 1. pro reductione ecclesiæ Gallicanæ ad antiquam libertatem; & in hoc ejus interest specialiter. 2. Ad unionem ecclesiæ consequendam, removendo impedimenta unionis: nam Papa ex pecuniis, quas inde recipit, mittit hinc inde Legatos ad impediendam unionem ecclesiæ & in Papatu præsidendum, in præjudicium fidelium animarum. Nec valet si dicatur, quod Urbanus V. etiam recepit, & sui successores. Dico quod Urbanus fecit hoc pro evidenti utilitate & bono ecclesiæ, & idem de collationibus beneficiorum, quia providit aliquibus clericis propter negligentiam Prælatorum. Non sic est hodie de D. Benedicto, ut est dictum, qui in detrimentum ecclesiæ recipit. Item quia plus recipit quam fecerit Clemens ejus prædecessor, & tamen non est major necessitas, & allegare inconveniens non est solvere. Nec valet quod dicit D. S. Pontii, quod sufficiunt testes synodales ad correctionem criminum, & quod non requiritur visitatio; non est verum, quia non obstantibus testibus synodalibus, jura providerunt de visitatione personaliter facienda: & sic non sufficiunt dicti testes synodales. Ex istis sequitur, quod debet fieri subtractio istarum annatarum, procurationum, & similium ecclesiæ exactionum: nam per eas evidentissime constat quod Abbatiæ destruuntur, ædificia ecclesiarum cadunt, & sequuntur innumerabilia inconvenientia; quare videtur subtractio facienda. Hæc sunt dicta sub correctionibus ante dictis.

Consequenter die sabbati prima sunt præsente cœtu universo, dixit Ludovicus D. de Tignonville, miles armatæ militiæ, ac vir litteratus: Quod cum ipse causa legationis iret cum aliis legatis Regis Aragoniam pro facto unionis ecclesiæ, transivit per Avinionem, ibique Papam visitavit, qui ab eo petiit de novis Regis, & Regni; qui quidem miles, cum Papæ nihil diceret, nisi quod Rex & Domini, Deo concedente, erant bene dispositi; respondit D. Benedictus: Credit Rex facere quod cedam; non certe faciam; vult facere subtractionem; faciat subtractionem: faciat debitum in regno suo, faciam in meo quod debeo: & finaliter quod antea se permitteret excoriari, quam cederet: recessitque dictus D. Ludovicus; qui cum venisset Aragoniam, accessit ad quemdam Magnum Dom. regni Aragoniæ, & sibi præsentavit litteras credentiæ ex parte Regis, audivitque eum dictus D. patienter, recitavitque dicto D. militi diligentiam Regis & Dominorum in prosequutione unionis, deliberationem Concilii Prælatorum, & Universitatum ad viam cessionis, requisivitque dictum Dom. ut cum Rege vellet ad eam laborare. Qui quidem D. miles Aragoniæ respondit, quod via erat sancta & bona; erat tamen difficilis quoad contendentes, qui non vellent in hoc concordare. Dixitque ultra, quod in partibus illis erant multi corrupti per pecunias, & dona; quodque nulla erat alia via practicandi cessionem, nisi per subtractionem obedientiæ, & ad hoc prosequendum obtulit D. Regi corpus & bona. Ulterius dixit, quod hac de causa accesserat ad Regem Aragoniæ D. suum, nisi solus fuisset mandatum, quod ad eum non iret, nisi esset de parte Papæ, scilicet contra viam cessionis.

Statim eo dicto, surrexit M. Ægidius de Campis de Rothomago, Mag. in Theologia fa-

ANNO CHRISTI 1398.

famosissimus, regisque Consiliarius, & ad eamdem partem affirmativam defendendam deputatus, & in lingua mater proposuit effectualiter quæ sequuntur. 1. Protestando, & se excusando de infirmitate corporis, & brevitate temporis, quia ante diem præcedentem non credebat proponere; sed credebat alium hoc facturum. Postmodum protestatus est, ut D. Patriarcha, & D. Abbas de sobrietate verborum, & quod habeatur gratus, quod solum diceret pro posse facientia ad propositum; etsi alleget idem quod alii, ad aliud tamen propositum allegabit. Ea tamen in Latinum gratia brevitatis reportavi in Concilio, prout fidelius potui; non quod omnia media & probationes & difficultates solemnissime deductas & allegatas redigendo in scriptis; sed ex eis puncta principalia notavi. Quare si aliquid omissum est, mihi scribenti parcatur, quoniam hoc fecit velocitas ejus eloquentiæ, & debilitas aut fragilitas meæ intelligentiæ. Dixit ergo prout sequitur.

His præmissis pro materia noto 1. quod duo domini, qui loquuti sunt pro parte negativa dixerunt opiniones eorum, prout eis videbatur, & deliberaverunt solum super expedienti, non an Rex possit subtrahere. Item noto, quod supponunt, quod una sola est via sedationis schismatis, sive cessionis, & ita supponunt Rex & Concilium, practicam tamen non dederunt, nec dixerunt aliud, nisi negative, & sic secundum eos, via bona est, sed sine exequutione.

Venio ad propositum, & cum considero summam dictorum per partem adversam, eorum deductio in quatuor punctis continetur. Primum restringit potestatem Principum. Secundum exaltat Papam. Tertium exaltat obedientiam. Quartum, quod non licet propter quodcumque obedientiam subtrahere, & etiam quod hoc non licet uni, nisi simul fiat alteri. Et in hoc aperiendo materiam, ponam quatuor contraria dicta. Primum contra primum de potestate Dominorum temporalium quoad materiam præsentem sive schismatis, & pacis ecclesiæ. Est ergo primum dictum, quod ad Regem pertinet sine requisitione ecclesiæ, providere statui ecclesiæ regni sui extra articulos fidei. 1. ad servandam pacem ecclesiæ in suis membris. 2. ad servandum ejus libertates & franchisias. 3. ad servandum fundationes, & voluntates fundatorum, & ista pertinent ad Regem cum consilio ecclesiæ.

Primum dictum probatum est per dicta D. Abbatis, & per auctoritates per eum allegatas, quæ non faciunt mentionem de requisitione ecclesiæ; & adhuc istud probo duabus auctoritatibus, seu exemplis. 1. per §. hinc etiam 17. dist. sæpius allegat. ubi propter scandalum Symmachi, Theodoricus Rex convocavit Prælatos ecclesiæ, quibus congregatis facta fuit inter eos difficultas, an deliberarent, quia per Papam non fuerant convocati: quo non obstante deliberaverunt. Dicit enim textus: *intuitu Spiritus sancti dixit Rex, nihil ad me, nisi ut pax sit in ecclesia*; & ita ad Regem pertinet, ut in ecclesia sit pax. 2. Allegabo capitulum, si duo contra fas 79. dist. sæpius allegatum, cum textus dicit, non permittimus. In quo capitulo videtur casus in terminis in ista materia. Videtur enim dicere illud capitulum, quod quotiescumque sunt duo contendentes, de quibus est dubium, & scandalum, A neuter debet remanere. Et ad hoc facit c. ecclesiæ meæ & c. Victor 97. dist. & etiam historia Isidori. In illo cap. dicit Isidorus, quod Bonifacius videns schismata requisivit Honorium Imp. ut provideret, ne in futurum evenirent schismata, propter quæ & ambitiones vitandas fecit Honorius hoc capitulum.

Nec valet si dicatur, quod hoc capitulum habet locum, quando duo notorie non habent jus; nec est dubium, aut difficultas, quia lex debet esse de bono & difficili: & idcirco oportet intelligere illud capitulum, ubi est dubium; si ambo, aut aliquis jus habet. Et ad hoc facit verbum textus, si duo forte, quod est dubietatis. Quod autem de præsenti sit dubium B de utroque nostrorum contendentium, constat evidenter, quia etiam de parte nostra multi de nostro opinantur, & ita similiter est in alia obedientia. Et ad hoc facit verbum, temeritate contestantium, quod fuit appositum propter perplexitates, & difficultates. Quod autem pertinet ad Regem providere ecclesiæ sui Regni propter libertates & franchisias conservandas, clarum est per juramentum quod præstat Rex in sui coronatione, & ad hoc facit capitulum Valentinianus 63. dist. c. Arrianus & c. tibi Dominus.

Quantum ad tertium, sive quod Regis interest providere statui ecclesiæ regni sui propter fundationes &c. casus est in cap. in Canonibus C 16. q. 1. & q. 7. c. filiis. Super quo cap. dicit glossa, super verbo ad Regem, ad corrigendum facientes contra fundationes, si Prælati sint negligentes. Propter hoc enim habet ensem & gladium ad defensionem ecclesiæ & fidei, ut ei subveniat sine requisitione, & fortiori ratione requisitus potest remedium adhibere. Et hoc potest fundari per dictum Evangelii: in passione plures videntes timorem Apostolorum, & quod Christus timebat humanitates, dixerunt: ecce duo gladii: dixit Christus, sufficit. Quod exponunt Doctores, Bernardus & alii de duabus jurisdictionibus, quæ D sunt adjuvamen alterius ad invicem: quasi diceret, ecclesia sua defendetur. Ecce duo gladii: & si unus deficiat, vel sit negligens, alius potest succurrere. Propter hoc dicitur: Væ soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem. C. licet de restit. spoliat. Et ista est opinio Quæstionarii super rubrica de supplend. negligentia Prælat. & hoc per modum succursus & auxilii; non quod una recipiat auctoritatem ab alia.

Item hoc sic probatur, quod ad Regem pertinet providere & servare pacem ecclesiæ, quia ejus interest. Non enim potest esse turbatio in spirituali regulariter, & notabilis, quin etiam sit in temporalitate. Unde in Evangelio, in passione; *ne forte veniant Romani, & tollant locum nostrum, & gentem*. Propter quod Judæi E Magistratus & seniores populi nolebant novam legem & doctrinam Christi recipere. Item etiam habemus exemplum de Jeroboam, tempore divisionis filiorum Israel, qui ordinavit vitulos aureos, ne alibi iret ejus populus adorare. Idem 4. Reg. 12. de Rege Joas, qui posuit provisionem in pecuniis templi, quia male utebantur presbyteri.

Nec obstant exempla in contrarium de Osa & Osia. Unus scil. Osias percussus fuit lepra, quia adolebat incensum, quod solum spectabat ad sacerdotes: alter quia de spiritualibus se immiscebat &c. Respondet ad hoc historia expres-

ANNO CHRISTI 1298.

presse, quia unus cum temeritate tangebat Arcam. Rex autem nihil hoc casu vult facere temerarie. Item alius, scil. Osias, non se intromittebat de spiritualibus, ut debebat, sed volebat sacrificare, ut Sacerdotes. Secus in Rege in casu nostro; quia cum reverentia & devotione se vult intromittere, & propter bonum publicum ecclesiæ, ut apparet.

Ex prædictis sequitur, quod ad Regem pertinet providere, quod Ecclesia regni sui non sit subdita Papæ, nisi ut decet, in terminis rationis, & prout ratio dictat. Primo propter auctoritatem Papæ, quia est porta auctoritatis; supremus & principalis fidei defensor esse debet. Item quia superiorem non habet, qui eum valeat corrigere, juxta, c. si Papa 40. dist. aut ad quem habeat recursum, sicut haberet de alio inferiori Episcopus, quia coram Papa posset conqueri: & ob hoc certe provisiones factæ sunt in electione Romani Pontificis: videlicet quia non admittitur exceptio contra electionem factam a duabus partibus Cardinalium, quia non est ad quem possit haberi recursus, licet secus in electione aliorum Prælatorum, juxta c. licet de elect. in antiq.

Ideo Princeps debet providere ne nimis dominetur. Unde dicit B. Gregorius, quia Papa non redarguitur, periculum est ne excedat, quia non homo est qui tantum noceat Ecclesiæ, sicut pernicioſus Prælatus. Ad hoc facit c. sicut inquit 2. q. 7. *Sicut*, inquit, *laudabile discretumque est reverentiam & honorem exhibere prioribus, ita rectitudinis & Dei timoris est, si qui in eis indigent correctione, nulla dissimulatione postponere, ne totum, quod absit, corpus morbus invadat, si languor non fuerit curatus in capite.... Nam si quis in hoc piger aut negligens esse præsumpserit, dictis criminibus apud Deum se noverit esse participem &c.* Et ead. caus. 2. c. sancta, dicit textus. *Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest, & quantum ex vita merito ædificat Christi Ecclesiam, tantum nocet, si destruentibus non resistit.* Hoc Hieron. & sic moventur subditi ne obediant, nisi ut debent, ne nutriant malos dominantes in eorum malitia & induratione. Ex quibus omnibus apparet, quod auctoritas Regis ad schisma extirpandum, & pacem Ecclesiæ servandam, est de omni jure divino, naturali, canonico, & civili. Ex quo sequitur corrollarie, quod quidquid apparet ei licitum ad schisma evellendum, & unionem inducendam, potest facere non requisitus ab Ecclesia. Patet ex prædictis, quia sua auctoritate se potest intromittere; patet etiam exemplo Caroli Magni, qui aliquando in vestibus Sacerdotum se intromisit: & propter hoc constituit Rex, & publicatum est ubique in Regno, quod nulli dogmatizarent contra viam cessionis, & sub hujus umbra faciunt Reges Aragoniæ, quod nullus in Aragonia beneficiatur, nisi de eorum regno & potestate.

Secundum dictum, seu punctum principale, quod respicit obedientiam, est, quod quando apparet vehementer, quod præceptum Papæ est contra jus divinum, aut naturale, vel bonum Ecclesiæ, non est obediendum, sed peccatum esset obedire etiam in iis, qui ex iis sequuntur. Probatur; quia jus divinum naturale &c. sunt regula Papæ ad regimen populi & Ecclesiæ: igitur non potest contra ire. Et quod etiam non possit contra ea, quæ sequuntur ex eis, probatur, quia sunt ejusdem naturæ cum eis, ex quibus sequuntur; & ita præceptum contrarium nullum est. Per hoc potest dari intellectus ad dictum Gregorii. *Sententia pastoris sive justa, sive injusta, timenda est*: quia bene dicit Gregorius, timenda propter reverentiam, non servanda. c. ista Dom. noster 19. dist. quia non est cum temeritate contemnenda.

Ex hoc sequitur corollarie, quod Papa non potest tollere, quin illi qui seminant spiritualia, recipiant etiam temporalia; quia alias Papa posset falsare dictum Apostoli; quod non est verum: quia contra verbum Domini non potest Papa, & hoc dicit Paulus in pluribus epistolis. 2. sequitur, quod non est in potestate Papæ quodcumque non expressum in jure divino & naturali, quia etiam ea, quæ ex eis sequuntur, non sunt in ejus potestate, ut dictum est. 3. sequitur, quod coloratum est dicere, quod Papa solus non potest facere contra Canones fundatos in jure divino, licet non sequantur in bona consequentia formali, ita C. ita Dom. noster allegatur, & ibi Gratianus. 4. sequitur quod timeri debet fortiter de promotione DD. Cardinalium novorum, & maxime de factis contra voluntatem Cardinalium, quia contra bonum publicum, & ut Papæ adhæreant contra unionem Ecclesiæ ordinati sunt. Quod autem Papa sine consilio Cardinalium non possit facere, patet, quia unum corpus sunt Papa & Cardinales. Ideo in ordinationibus & constitutionibus papalibus semper dicitur fratrum nostrorum consilio, & ad hoc facit glossa cap. super eo de hæret. lib. 6.

Tertium dictum, sive fundamentum respicit personam, & est tale. Quando prælatus est scandalosus populo, & non est spes quod tollatur scandalum, quamdiu præsideat, non est fovendus in prælatura. Probatur per c. nisi cum pridem §. præ gravi quoque scandalo de renunciat. qui §. fundatur in jure divino, & naturali, quo Papa ligatur, ut est dictum. Ad hoc faciunt auctoritates Evangelii: *qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei, ut suspendatur mola in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Item: *si oculus, vel pes tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te: D melius est enim unum oculum habentem ad vitam ingredi, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Item alia auctoritas de sale infatuato; *ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*, &c. Cum enim dicit Scriptura: *Erue eum, & projice*; præceptum est cuilibet directum, & sic quilibet hujus præcepti exequutor esse debet. Illam autem auctoritatem de sale infatuato exponit S. Hieronymus de prælatis inutilibus, & scandalosis, de quorum correctione non est spes.

Item probatur sic; quia prælatus est propter oves principaliter ordinatus, quia dicit S. Aug. *Episcopi non propter nos, sed propter eos, quibus verbum, & Dominicum Sacramentum ministra- E mus, ac per hoc, ut eorum sine scandalo, si se necessitas habet, non esse debemus. Quid enim propter nos, sed propter alios sumus*, &c. Hæc ille lib. 2. contra Cresconium Gramm. Igitur Prælatus scandalosus non est fovendus in Prælatura. Ad hoc facit, quia, ut dicunt Doctores, dupliciter peccat, quia male agit, & quia non liberat populum a peccato. Et etiam ad hoc facit illud, quod dicit Valentinianus Imperator, in c. Valentinianus supra allegato, & habetur in Hist. tripart. *Talem nobis tradatis Prælatum, cui sincere nostra capita submittamus.* Et illud quod dicit Gregorius in dial

Ce-

ANNO CHRISTI 1398.

Cedendum est loco, quando non suppetit, &c. A

Ex prædictis sequitur, 1. quod si Papa se dividit a populo, magis peccat in schismate, quam si populus se divideret ab eo. Probatur. Quia, ut dictum est, Papa principaliter ordinatur ad pascendum oves, & subditos, & eas unire invicem in charitate, & ad Christum earum verum caput, & pastorem, & hoc est oves pascere. Si ergo contra statum, & essentiam sui officii, eas non congregat, & unit, sed dispergit, & disgregat a se, & etiam ab invicem; magis peccat quam populus se ab eo dividendo; quia oves non tenentur ad eum congregandum, sed e contra, ut supra tactum est, & tum apparet ejus pertinacia, quando vult dicere, & agere contra opinionem totius obedientiæ.

Item sequitur, quod c. si Papa 40. dist. & auctoritas illa *Obedite præpositis vestris, licet discolis* intelligi debet quando spes est de Prælatorum eorum correctione; alias non haberent locum. Item, quia illa auctoritas, etiam per Doctores, non intelligitur de Principibus Ecclesiasticis, sed temporalibus, & responsio est quod sæcularis Principatus non perditur tot causis, quot Ecclesiasticus; ut credo, plenius deducet M. Petr. Plaoul, pro Universitate. Item sequitur quod Glossa c. Sacerdote, & reliqui 2. q. 7. sup. verbo, nisi erraverit a fide, colorem habet. Dicit sic Glossa: *Si Prælati sint hæretici, excommunicati, vel non servent canones, vel simoniaci, vel notorii fornicatores, tum potest recedi ab eis, ante sententiam*. 19. dist. nulli 16. q. ult. sane 32. dist. nul. Si ergo a notorio fornicatore, vel simoniaco recedere licet; sic in proposito, a notorio perturbatore unionis Ecclesiasticæ potest recedi, & a simoniaco, vel vehementer suspecto de schismate.

Item sequitur, quod si apparet debite, aut vehementer, Papam esse Hæreticum, aut schismaticum, non debet sibi obediri, sed debet reputari non Papa, etiam sine declaratione. Probatur. Quia nunc est extra Ecclesiam, & communionem fidelium Quia Papa, & membra sunt unum corpus, & Papa caput. Si ergo papa est extra Ecclesiam, non plus est Papa, sed perdit Papatum ipso jure, nec requiritur declaratio; & hoc declarat Okam in dialogo, quod ipso jure Papatum perdit. Item sequitur quod si apparet debite, quod Papa errat contra fidem aut Ecclesiæ unionem, non est ei obediendum, licet non sit pertinax, quia ipso jure perdit Papatum, ut est dictum. Dicit enim Scriptura, Numer. 16. *Recedite ab iis qui schisma fecerunt*. Et Joannes in canonica exposita per Bedam, in c. omnis 24. q. c. *Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina Christi Deum habet*, hic & Filium, & *Patrem habet*; & sequitur: *Si quis venerit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malis*; & sequitur hoc Joannis de schismaticis, & hæreticis devitandis, & quæ verbis docuit, etiam operibus exhibuit. Narrat enim &c. Ibi ponuntur duo exempla, quæ recitat S. Policarpus Presbyter; S. Joannes eorum consortia fugit.

Sequitur 2. Quod si Papa est suspectus, vel se reddit vehementer suspectum de hæresi, aut schismate, debet ab obedientia cessari. Probatur. Quia, aut est certum quod est Papa, & hoc non, quia de utraque obedientia multi dubitant; aut est certum, quod non est Papa, & certum est quod debet cessari ab obedientia; aut est dubium, & in dubio non est obediendum. Quod probatur: quia Papa habet auctoritatem decernendi in articulis fidei; ergo certo modo est obediendum, quia in dubio male adhærendo periculum est. Non obstat quod dicitur, quod in dubio debet obediri; hoc enim non habet locum in Papa: nam supposito quod in aliis ei in dubio est obediendum, videlicet ubi dubium est an præceptum sit salutare, an non; in Papatu tamen ubi est dubium, non est obediendum. Ratio est, quia in inferioribus officiis, aut dignitatibus, ut Episcopatibus, & inferioribus bene possunt dividi possessio, & jus; quia si jus non habet, intrusus est, & propter periculum, ut est dictum, in dubio non debet obediri. B

Sequitur ulterius, quod licet potest cessari ab ejus obedientia, & tamen erit Papa. Patet. Quia potest vehementer apparere suspectus de schismate, aut hæresi, & non erit schismaticus, aut hæreticus, & tamen erit ab eo recedendum per prædicta. Exemplum habemus in Prælato excommunicato, qui per suspensionem, aut excommunicationem, perdit usum Officii, & exercitium, licet non perdat ordinem, aut jus Beneficii. Item sequitur, quod apparere potest, debiteque recedendum est ab ejus obedientia, licet non appareat de sententia lata per Superiorem. Patet, quia Papa Superiorem non habet, qui eam ferat: & mirum est D. S. Pontii, qui tantum exaltavit Papam auctoritatem, dixit quod Papa est subditus Concilio, quoniam de hoc sunt opiniones. Quidquam enim dicunt, quod solus Papa habet claves, & quod Concilium non habet, & si ita esset, Concilium non posset ferre sententiam, & sic opus esset facto. Item supposito, juxta aliorum opinionem, quod Concilium posset judicare Papam, tamen certum est, quod de præsenti non potest haberi iste Judex, & sic expectare ejus sententiam esset frustatorium, & inutile, & ita fieri non debet. Unde ante Constantini tempora non celebrabantur Concilia, quibus tamen temporibus multi poterant apparere, & de facto apparuerunt hæretici, ut Sadducæi, & Arriani: ab eis tamen ante sententiam est recessum. C D

Item videntur sufficere ista particularia Concilia, maxime quoad subtractionem faciendam; nam ista Concilia sunt virtualiter generalia, & per ea videtur quod habeatur securior deliberatio, propter preces & corruptiones, sicut alias fuit factum. Unde recitatur in Historia Scholastica, quod tempore Cornelii fuit per Concilia particularia processum contra hæreticos; & ratio est, quia qui expectaret sententiam Concilii, periculum est, cum conventio habeat longum tractum, & sic tempore pendente hæreticorum, aut schismaticorum malitia posset totum gregem aut magnam partem inficere; & sic ad subtrahendum, non oportet sententiam Concilii expectare. Et ita videtur quod ad minus sufficit determinationem fieri per vicinos Episcopos, ut olim fiebat, & habetur in Chronicis, & Historiis. Ex quo videtur, quod sufficit distinctio facienda per quamlibet diœcesim. Secus autem esset, si ad exequutionem pœnarum criminalium, quæ debentur hæreticis, aut schismaticis, perveniendum esset; & aliud videtur dicendum quoad subtractionem faciendam, quæ respicit factum con- E

ANNO CHRISTI 1398.

conscientiæ, & non quia in tali facto sufficit a Jurisprudentibus haberi Concilium.

Item, sufficit ad hoc notorietas, vel vehemens præsumptio, juxta Gloss. c. Sacerdotes, & reliqui allegati, prout est in proposito, ut deductum est, & apparebit per sequentia. Item quia Paulus Petro restitit in faciem; & si dicatur hoc fuit, quia in fide errabat, hoc non videtur verum, quia post Spiritus Sancti acceptationem, ei restitit: quo tempore non est dicendum, quod in fide errabat, aut directe, in articulis fidei, quia Gentes cogebat judaizare; ex quo etiam apparet clare secunda pars secundi puncti principalis supra positi, quod etiam in iis quæ sequuntur ex Jure divino, Papa nihil dispensare potest.

Nec obstat capitul. Artacius 24. q. 1. allegatus per adversarium; quia non reperio quod in illo capitulo contra Artacium fuerit aliqua sententia, & processus, sed ex textu, & Glossa videtur contrarium. Dicit textus, quia alieno facinori suam confessionem miscuit, necesse est ut in illam recideret justa lance sententiam, quam cum suis successoribus per convenientiam synodalem susceperat auctor erroris. Super quod dicit Glossa, quod Lex notat factum sine sententia. Item quia in c. Anastasius allegato 19. dist. non apparet quod communicaret Photino, aut Photinus hæretico, & ita nulla sententia requiritur, ex quo factum & suspicio schismatis sunt evidentia, & notoria. Ad hoc facit c. de eo. 50. dist. quod est Cypriani Martyris: ubi ante sententiam absolutionis prohibetur communicari cum lapsis in hæresim sub pœna excommunicationis.

Item, quia in casu dilapidationis, ante sententiam suspenditur administratio. Item, pro suspicione. c. quia ea 3. q. 2. nec obstat capitulum, nonne dilecta: quia loquimur de indubia præsumptione: hic autem loquimur de vehemenri; & similiter in §. hinc etiam, allegato pro contraria parte; quia ibi solum erat dubia præsumptio. Item ad omnes rationes generales de expectatione sententiæ, dico quod non debeat habere locum in facto Papæ in casibus quorum similes numquam visi, seu auditi sunt. Exemplum habemus de Mathathia 1. Machab. 2. qui interfecerat Judæum adorantem, & de Phinees qui interfecerat Judæum mœchantem cum muliere alterius sectæ.

Quartum dictum, seu fundamentum principale contra quartum supra positum, est, quod licite potest cessari ab obedientia cujuslibet nunc præsidentis, sine alia declaratione. Probatur hoc, quia nobis nunc apparet probabilis dubitatio de jure utriusque. Igitur licite a cujuslibet obedientia cessari potest. Antecedens patet, quia quælibet obedientia irreducibiliter adhæret parti suæ: nam jam 20. annis vel circiter duravit schisma, & ita radicatum est, quod non est spes unam partem ad aliam reduci. Hoc est notorie verum. Igitur de jure utriusque est probabilis dubitatio per c. in Scripturis. Ista enim est nobis sufficiens causa dubitandi; quia major pars est contra nos; nos autem, ut dicimus, sumus sanior pars, & sumus irreducibiles, & sic in dubio debet non obediri; nec est præsumendum, quod bonæ Memoriæ Carolus Rex se ad partem nostram determinasset, nisi sub spe alios reducendi.

Item, ut dicebat D. Abbas, obedientia nutrit schisma, ergo est removenda. Antecedens patet per ejus dicta. Item, per eorum dicta A & facta, licet non essent notorie schismatici aut hæretici, tamen vehementissime sunt suspecti. Ergo &c. Quod sint suspecti, apparet evidenter: 1. quia in eis solis contendentibus stat quod unionem non habemus, quam per eos habere possemus sine scandalo; quod patet, quia omnes Principes, & populi dicunt cessionem bonam, ac volunt & consentiunt invicem uniri sub uno Pastore, & Pontifice Romano, licet aliqui & pauci dicant, dum tamen contendentibus placeret. Omnes igitur sunt concordes, ut est dictum, quia bonum est eos cedere, & soli ipsi contradicunt, per hoc unionem impedientes, quia in nulla alia via omnes sunt concordes; immo B nec aliqua est possibilis, attentis circumstantiis schismatis, & in diuturnitate. Ergo ipsi soli sunt causa schismatis, & in eorum voluntate præcisa est schisma. Ergo super eos pondus schismatis & onus, & sic sunt vehementissime de schismate suspecti. Et si contra alterum est color, & apparentia, maxime contra nostrum, quod patet per præfata allegata per D. Patriarcham.

Inter alia, noto duo. 1. Protestationem factam in scriptis sub bulla de non acceptando cessionem in futurum, & annullando quidquid in contrarium faceret, & hoc est majus argumentum, quam juramentum de cedula conclavis. Secundum est juramentum solemne, & C requisitio solemnis iterata per Duces, & Cardinales. Nec valet Glossa seu responsio D. S. Pontii, & aliorum qui dixerunt quod in cedula ponitur dictio *usque*, quæ denotat ordinem, &c. Reverendi DD. mei, advertendum est, quod non est ita vilipendendum collegium DD. Cardinalium, & eorum declaratio. Ipsi enim providere volentes celeriter paci Ecclesiæ, fecerunt juramentum quod quamlibet viam elegissent, si ipsis videretur expediens, ipsi acceptarent & cessionem, &c. & requirente Papa intentionem suam, purificaverunt conditionem appositam in cedula, & eis non credere, esset dare occasionem contra partem nostram & declarationem quam fecerunt de Bartholomæo. D Item juramentum prædictum factum est Ecclesiæ, & sic debet intelligi ad ejus intentionem cui juratum est. Modo cessio brevior, & utilior est ad votum Ecclesiæ, populi Christiani, & Prælatorum qui faciunt Ecclesiam. C. nullus 63. dist. Ad hoc facit verbum cedulæ *sine dilatione quacumque*. Item esset inutilis cedula, & juramentum, quia si omnes viæ tentarentur, ut supponunt adversarii, numquam esset finis schismati.

Item quia via cessionis continetur in verbo, *omnes vias*; & ita si apponeretur alia, *etiam usque ad cessionem*, virtute illius verbi ad E eam tenerentur, juncta declaratione Cardinalium, & sic dictio, *usque*, apposita est ad declarationem, & exprimebatur cessio, quia videbatur difficilis quoad contendentes, nunc autem videtur hujus utilitas, quia quasi ab omnibus grata, & accepta habetur. Item Sancti qui obligati erant sustinere fidem usque ad mortem, non debebant expectare remedia; alioquin pauci martyres extitissent, sed cum erat opportunitas, martyrium sustinere debebant. Sic videtur dicendum in proposito. Quare &c.

Nec similiter valet id, quod dicunt adversarii, quod cedula debet servari in forma. Ad hoc enim dicitur, quod cedula in forma,

ANNO CHRISTI 1398.

ma, & juxta æquitatem debet servari ad utilitatem Ecclesiæ. Nec etiam valet verbum Jacobitæ dicentis: D. Papa juravit & promisit cedere, sed non juravit promittere, aut offerre. Modici enim, & nullius saporis hoc est, aut effectus, quia juxta hoc, juramentum nullius esset utilitatis, nec aliqua ex eo sequi posset conclusio. Juramentum enim intelligi debet ad bonum unionis Ecclesiæ. Modo Papa juravit prosequi usque ad cessionem, & prosequutio est offerendo: tenetur ergo se offerre paratum, maxime requisitus.

Item, a simili probatur, quod tenetur ad cessionem vi juramenti: pone, promisi ire ad S Dionysium, etiam per lutum, si alicui placeat, certum est quod per lutum teneor incedere, si via sit lutosa totaliter, licet sit hoc durum. Quare, &c. Item, aliunde apparet suspicio schismatis, & pertinacia. Fama enim publica ubique nunc volat, quod accedentes ad eum causa promotionis, vult adstringere ad abjurandum si quid fecerint in universitate aut alibi de via cessionis juramentum; alias non vult eos promovere. Est Parisius quidam, qui electus erat ad dignitatem, qui hoc testificaret, si opus esset. Item, notoria sunt verba servitorum ejus, dicentium, quod prosecutores viæ cessionis sunt schismatici, & inimici Papæ, & quando vident eos propter talia aspera verba a prosequutione non desistere, offerunt pecunias & thesauros iniquitatis, ut clarum est. Est hic unus dominus magnus, cui plures sunt oblatæ pecuniæ, & alii plures testes fide digni præsentes.

Ex prædictis sequitur, quod etsi non esset licitum subtrahere obedientiam totaliter, in parte tamen, videlicet de pecuniis, & collationibus beneficiorum, & provisionibus Episcopatuum licitum est. Probatur per heri dicta per D. Abbatem, quia etiam unita Ecclesia hoc esset licitum, & etiam per prædicta. Nec videtur de hoc facienda difficultas, durante schismate, quia istæ financiæ, & prædicta nutriunt schisma, nec esset cupiditas præsidendi, nisi esset obedientia, quæ practicatur quoad talia, & idcirco, ad providendum ne in futurum evenirent schismata, talia debent subtrahi. Non videtur æquum quod Ecclesia Franciæ, quæ cum Rege plus cæteris laboravit ad unionem, sit plus subdita quam aliæ. Et videtur signum criminis, quod Papa se intromitteret de collatione suorum beneficiorum, aut quod Ecclesia Gallicana non sufficeret ad ea conferenda, & in istis maxime consistit libertas Ecclesiæ. Modo Prælati pro modica domo litigarent. Sic debent in istis collationibus beneficiorum, & aliis eorum juribus annexis eorum dignitatibus resistere, & ne videantur Papæ adulari, ei consentiendo.

Item, ex perceptione Annatarum, & procurationum sequitur inconveniens, & præjudicium Regni, & Regno: nam exeunt pecuniæ de regno, & depauperatur Regnum mirabiliter, considerata quantitate quam recipit a Regno. Item, destruuntur ecclesiæ, & non possunt fieri reparationes. Item, talium procurationum fit executio sub pœna excommunicationis, quod videtur malum durum, & contra dictum Apostoli: *Nemini cito manum imposueris*, & per exequutiones tales pauperes Presbyteri excommunicantur, licet non habeant unde solvere, contra charitatem, & per hoc populus privatur missis, & divino servitio; & ultra hoc pauperes sacerdotes plus gravantur ad contentandum officiarios, quam in solutione principalis debiti.

Item, ex perceptione procurationum sequitur aliud inconveniens, quia non sequitur visitatio. Ut plurimum enim non visitant Archidiaconi, qui forte nihil habent in valore beneficii, nisi procurationem quam Papa recipit, & si aliunde habeant, non visitant, quia non procurantur, & similiter Episcopi. Ex non visitatione autem sequitur, quod sacramentum Confirmationis est inusitatum, quod est valde magnum inconveniens. Simplices enim & populares non possunt illud habere, quia episcopi deberent visitare personaliter, & pluries visitarent, si procurarentur. Et sic ex perceptione retrahuntur a visitatione, ex quo sequuntur errores in fide, & plurima mala proveniunt, docente experientia

Item, ex subtractione sequetur unio, quod patet, quia nullus diceret, quod si ab initio schismatis facta fuisset, non durasset schisma, sed haberemus pacem. Et fortiori ratione cum appareat schisma induratum, & pertinacia contendentium, magis debemus moveri ad subtrahendum. Item sequetur aliud bonum, quod licet non operaretur unionem in præsenti schismate, tamen valet ad provisionem contra futura schismata, ad vitandum ambitiones, ut dictum est supra. Restat respondere ad inconvenientia allegata per D. S. Pontii, & alios, & pro solutione communi, dico quod nulla allegata sunt, quin possit per Regem, & Prælatos facilliter provideri.

Ad illud autem quod dicitur, non fiat uni, si non fiat alteri simul; &c. dico quod hoc non est expectandum quod alteri fiat; quia si sic fieret, inconvenientia evenire possent ad Regem, & Dominos, & maxime ad universitatem Parisiensem, & prosequutores viæ cessionis electæ per Regem, & ecclesiam Gallicanam, considerata persona Papæ, & ejus pertinacia, & obstinatione: idcirco debet Rex advertere quis eligatur in Papam, ad pacem suæ ecclesiæ conservandam c. porro 63. dist. Nec valet si dicatur, ista ratio impugnat determinationem Regis Caroli defuncti, quam fecit de Clemente. Dico quod non per prædicta. Licet enim licite ab initio fecit determinationem, postmodum indurato schismate, propter pertinaciam, obedientiam subtrahere potest, prout supra est dictum. Idcirco quilibet nunc, consideratis requisitionibus & aliis factis, debet facere quod in se est.

Nec valet similiter aliud argumentum, non cedet Papa, nisi alter simul cedat, igitur non debet fieri uni, nisi fiat alteri simul; & ratio est, quia non posset haberi unio, quæ principaliter quæritur, nisi ambo simul cederent, aut saltem incontinenti; ad hoc autem quod cedant, veniemus per subtractionem, qua fiet ut quilibet se paratum offerat cedere, cum alter cedere voluerit, & oportet hoc fieri successive, & sic licite potest fieri uni subtractio, licet non fiat simul alteri, sed prius ad alterum laborabitur ut paratum se offerat per subtractionem.

Item, tales dilationes malæ sunt, & eas reprobat Gregorius, c. sicut 2. q. 7. supra all. Cum dicit textus, *ne totum, quod abfit, corpus morbus invadat, si languor non fuerit curatus in capite*. Ad aliud cum dicitur, Papa feret sententias excommunicationis, & fertur sententia,

ANNO CHRISTI 1398.

tia, & decretum in processibus impetrantium, &c. Dico quod hoc non debet tolerari, & remota tolerantia, tolluntur talia inconveniens: non enim poterit excommunicare, quia per hoc est minor aliis, nec esset timenda ejus sententia tamquam notorie injusta. Et cum dicitur: Privabuntur expectantes suis gratiis; dico quod hoc non est magnum inconveniens, & etiam eis aliter provideri posset per Regem, & Prælatos.

Nec obest decretum processuum factorum virtute bullarum; quia illud decretum non ligat aut poterit comprehendere, nisi illos qui de facto, & non de jure impedirent effectum gratiæ. Quod patet, quia si sunt plures expectantes qui fecerunt diligentiam, & ille qui non est potior in data, acceptet, ut faciat sibi provideri, & accipiat possessionem, licet expellatur, & feratur sententia declaratoria pro potius jus habente, non propter hoc alter est excommunicatus, quia non impedivit de facto, sed juridice credens se jus habere. Sic in proposito: subtractione facta, recipiens beneficium ab ordinario, non impediet impetrantem de facto, sed juridice, & rationabiliter. Quare &c.

Ad opposita de absolutionibus casuum reservatorum sedi Apostolicæ dico, quod pœnitentiarius juxta aliquos posset absolvere, ut prius; & licet non posset, prælati bene possunt absolvere in necessitate, ut clarum est. Nunc autem est necessitas, quia Papa habet manus, facta subtractione, ligatas. Item ad aliud cessio facta per subtractionem non valebit, nec provisio subsecuta, &c. Dico contrarium, quod valebit cessio, & provisio nova. Ratio est, quia jure quis potest compelli ad cessionem pro bono publico. Nam compelluntur Cardinales certis pœnis intrare conclave, & aliis modis in electione Romani Pontificis, & includuntur, &c. juxta c. ubi majus periculum de elect. in 6. & Clem. ne Romani §. porro de elect. Nam coactio ista principaliter est ad unionem, non renunciationem, nisi consequutive. 2. Quia ista coactio non est ad hoc ut renunciet, sed ut libere cedat; quia *initium sapientiæ timor Domini*, & ita coactio fit, ut inducatur ad bonum publicum. Item major est coactio quod congregentur ambo contendentes, & concordare, quod aliqui adversarii allegant, quam quod per subtractionem attediati offerant se paratos, & cædant, cum erit opportunitas.

Item quia hæc cessio facta per subtractionem, non est violenta, sed libera antecedenter, pacto, & juramento apposito juxta formam cedulæ, & coacta voluntas est. Non enim tot requiruntur ad cedendum, sicut ad intrandum Papatum, quia Papa solus potest cedere, potest & renunciare: sed solus sine electione Cardinalium non potest intrare. Item ad aliud argumentum. Quod Deus conjunxit, homo non separet; &c. Dico quod Papa non efficitur, nec fieri potest sine ministerio hominum, Deo tamen cooperante. Et cum dicitur: Electio ejus est a Deo; dico quod sic est a Deo, quod fieri non potest sine exequutione juris Divini qui ordinavit fieri ejectionem certis ex causis, quarum hodie, unde dolor, aliquæ forsan occurrunt. Quare, &c.

Ad aliud. Quando dicitur, Prælati, subtractione facta, cum habebunt collationes beneficiorum, ut in eodem statu permaneant, num quam laborabunt ad unionem Ecclesiæ. Dico 1. quod hoc non valet, quia hoc est juris eorum, & semper eis potest remanere; nec propter hoc præsumendum est, quod a prosequutione incœpta desistant, si eis sua libertas restituatur. 2. Etiam hoc non est præsumendum propter prælentiam Regis & universitatis, quia hoc negotium prosequitur, & Dei gratia prosequetur, & melius est providendum, & de bonis provisionibus factis bonis Clericis, quam de Papa, quia eos cognoscunt magis quam Papa, & si contrarium facerent, per Concilia posset provideri pro publica utilitate, & ad studia sustinenda.

Nec valet quod Collegium Cardinalium est contra subtractionem, quia Parisiis est quidam nobilis vir pro parte eorum, qui dicit contrarium, & paratus est dicere, ad cujus dicta me refero. Nec similiter valet quod dicunt. Quod Papa non refutat cessionem per tertiam bullam, nam jam per D. Abbatem, & D. Patriarcham responsum est, quia vult illam bullam adjungi primæ suæ bullæ, & responsioni, in qua denegat viam cessionis expresse, nec in ea viam cessionis probat: quare visa prima ejus responsione, & tertia, quæ est obscura, apparet de manifesta & evidenti contradictione. Hæc sint dicta sub correctionibus ante dictis.

Statim finita dicta M. Ægidii propositione, D. episcopus S. Pontii surrexit, & petiit, ut ad replicandum admitteretur, quod ei concessum est, & concordatum per os Cancellarii D. videlicet Arnaldi de Corbeja, ordinatumque est, quod die Lunæ proxima, per organum unius replicarent pro parte negativa, & die martis immediate sequenti, per organum alterius pro parte affirmativa explicaretur, & in hoc esset finis discussionis, nec aliquis plus audiretur, nisi universitas, quæ quia audita non fuerat, si vellet aliquid proponere, quod ipsa audiretur.

Consequenter juxta prædictum appunctuamentum, die Lunæ 3. Junii, pro parte negativa, quia sc. non erat facienda subtractio, proposuit replicando D. S. Pontii effectualiter quæ sequuntur, in idiomate materno, linguæ scil. Occitanæ. Ea tamen, ut alia, in Latinum prout fidelius potui, & pro breviori expeditione reportavi. In primis se excusavit de idiomate propter ruditatem, ut dicebat, & 2. protestatus est, ut in sua prima propositione hujus Concilii, quæ hic non recito, causa brevitatis.

Super quarto, videlicet an facienda erat subtractio particularis, aut totalis, dixit quod non, & supposuit tres quæstiones: quia in iis, quæ non sunt contra jus Divinum, & naturale, vel ecclesiasticum, Papæ est obediendum: quod Papæ aperte malo in vita & moribus est obediendum; quod Papæ accusato de hæresi, ante sententiam est obediendum; & etiam posuit corollaria & inconvenientia. Recitat inconvenientia. Vide supra in prima propositione. Ultra illa, si fieret subtractio, sequerentur dico inconvenientia. Primum, quod præparemus adventum Antichristo, & ad hoc facit dictum Apostoli: *Nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c.* Secundum est. Si fieret subtractio, quid dicerent Romani, adveniente indulgentia intra annum? Certe dicent: Nec subtraxerunt obedientiam suo Papæ; recognoscunt errorem suum: ex hoc insurgent contra nos, & mirabiliter exaltabuntur.

ANNO CHRISTI 1394.

Recitavit postmodum quæstiones positas de subtractione particulari, & alia inconvenientia in eis allegata, quæ non recito hic propter brevitatem. Deinde dixit, ut sequitur: Audistis, DD. mei, notabiliter propositionem per DD. qui proposuerunt pro parte affirmativa, & in effectu dixerunt quod habemus divisionem quæ non potest sedari, nisi per cessionem, & allegant cedulam Conclavis. Dicunt quod Papa unionem impedit ore & facto, & est pertinax, suspectus, & schismaticus, & quod non requiritur sententia ad faciendam subtractionem & plura alia. Item, dixerunt quod D. N. est dubitatus, & quod non est idem de eo, ac si esset indubitatus. Allegant ad eorum intentionem capitulum si dico forte, & Glossam cap. fin. 63. dist. & Epistolam Hugonis & capitulum, Anastasius 19. dist.

Ad prædicta est respondendum, & primo protestor, quod nolo aliquem injuriari. Et respondeo. Cum dicitur D. N. Papa negat cessionem: dico contrarium, ut apparet per ejus responsiones. Si aperte dixit contrarium, non scio; si officiarii sui aliqui dicunt contrarium, aut dixerunt, & alii etiam, credo quod non habuerunt ab eo mandatum: nescio tamen; & ad hoc faciunt secunda & tertia ejus responsio, sub bulla. Nec obstat prima ejus responsio. Nam aliud est dicere, quod alias fuit cessio refutata, aliud quod refutat de præsenti. Aliud est dicere quod jus non ordinavit fieri cessionem, ut in prima bulla, aliud quod refutavit, quod non fecit.

Venio ad Capitulum si dico forte, & dico quod illud capitulum, prout dicit Glossa, debet intelligi: Quando neuter est electus a duabus partibus, juxta c. licet, de elect. 2. Dico, sicut Gratianus in §. hoc autem in dicto cap. si quod: illud capitulum non debet intelligi, nisi quando unus est legitimus, & alius intrusus, prout est in proposito. Vel 3. dic quod intelligitur, cum notorie duo sunt electi contra fas. Et tunc dicitur, lex debet esse de bono, & difficili. Respondeo quod multæ leges factæ fuerunt sine dubio, & difficili, ut simplices levius intelligerent.

Nec obstat quod dicitur, quod Principes se debent intromittere, quia dicit textus, non permittimus &c. Dico quod hodie hoc non habet locum. Quæ enim erat ratio, quare Imperatores interfuerunt in electionibus? Certe ratio fuit, quod primitiva ecclesia erat in parvo statu, & quando unus episcopus erat hæreticus, vel schismaticus, propter præsentiam Principum non impediebant electiones, quas forsan impediissent. Ideo interserant Principes c. Principibus 63. dist. Nunc autem cessat illa causa quare Principes se intromittebant, & vocabantur, cessat constitutio. Nec obstat Glossa cap. si forte 63. dist. Glossa ibi dicit, quod intelligitur secundum textum c. si duo, quod intelligitur, ut est dictum; vel dic quod intelligitur quando ecclesia ipsum non recipit ad possessionem, quia si est scandalum, neuter debet remanere. Non sic est in proposito, quia D. Clemens fuit receptus ad possessionem. Ratio hæc est, quia nullus tenetur jus proprium dimittere. Vel dic 3. quod Glossa illa loquitur in aliis Prælatis, quam in Papa, puta episcopis & aliis. Ratio diversitatis est, quia quando quis electus est in episcopum, per electionem, non quæritur jus plenum, sed per confirmationem. Sic in proposito. Idcirco si ante confirmationem eveniret scandalum, Superior & Archiepiscopus potest eum removere, sicut est in Papa, quia per electionem plenum jus quæritur: & ideo propter scandalum non removetur.

Nec valet quod dicitur, dubietas & perplexitas impediunt, &c. Dico quod lex illa loquitur quando dubium est de facto, sic quod de jure non potest constare. Modo satis potest constare de jure D. Clementis, & D. N. Benedicti Papæ, & dicere quod jus eorum est dubium, videtur male dictum, periculosum, & verecundum. Quia si diceremus impressionem non notoriam, nos diceremus, quod Clemens non esset Papa; & esset hoc turpe allegare contra partem nostram: quia si impressio non esset notoria, adversario non denegaretur obedientia, juxta formam c. in nomine D. 23. dist. Item, esset dedecus Regis, Cardinalium, & Universitatum, qui se determinaverunt ad Clementem, quia Cardinales notoria impressione elegerant Bartholomæum.

Item, ad quod dicitur, quod Episcopi primitus jurant Ecclesiæ quam Papæ, & ita tenentur isti obedire Concilio, pro Ecclesia: dico quod hic non est Concilium pro Ecclesia, sed contra Ecclesiam. Item, quia ille qui jurat Ecclesiæ, Episcopo principaliter tamquam capiti obligatur, & sic Episcopi licet jurent Ecclesiæ, tamen principaliter jurant Papæ Argum. C. cum Clerici, de verb. sign. Item cum dicitur, Papa est destructor Ecclesiæ, dico quod non, sed est defensor. Ad capit. si ea, dico quod intelligitur in constitutionibus editis quoad Sacramentum Ecclesiæ, & alia quæ jus Divinum & naturale immediate constituunt. Non sic est in aliis Quare, &c.

Item, ad hoc quod dicitur, quod virtute cedulæ Papa tenetur ad cessionem, responsum est per DD. qui pro ista parte proposuerunt, pluribus modis. Ultra hoc dico, quod cum juramentum est dubium, debet & oportet fieri declarationem. Ista autem declaratio quæ Papam tangit, per Papam fieri debet; nec hoc negarent adversarii; vel saltem per Concilium generale Nec obstat quod dicitur, quod Papa tenetur jure communi ad vitandum scandalum. Dico quod hoc non est verum, nisi cum alias non potest sedari schisma, quam per cessionem. Modo potest alio modo terminari; quare, &c. Nec est simile hoc casu, sicut de exemplo ad S. Dionysium; quia Jus commune dat cessionem tamquam ultimum remedium Modo juramentum debet intelligi juxta jus commune. C. ad nostram de Jurejur.

Nec obstat si dicatur, Papa scandalizat populum, quia refutat cessionem, &c. Dico quod non, nec propter scandalum Pharisæorum, & hæreticorum, aut schismaticorum Prælatus Episcopatum dimittere debet, sicut est in casu nostro, quia scandalum est propter adversarios adhærentes intruso. Ad capit. Nos si incompetenter allegatum, dico quod ibi Papa voluntarie se submisit, nec facit jus quod propterea Papa alicui se submittere teneatur. Item non obstat quod opponitur, quod Papa dicit Universitatem Parisiensem, & prosecutores cessionis schismaticos. Mirum est hoc; quare malum est dicere Universitatem schismaticam, cum Papa hic pluries dictus sit schismaticus, quod tamen non est verum? Istud enim esset multum iniuriosum Regi, quod haberet Papam hæreticum, aut schismaticum, quia nunquam

Rex

ANNO CHRISTI 1298.

Rex Franciæ talem sustinuit: nam in talibus est privilegiatus, primo in fide, quia numquam tenuit schismaticum, et in militia et Clero, et ista sunt tria lilia, quæ defert.

Item, dato et non concesso quod D. N. Papa esset schismaticus, non sequitur pro tanto, quod sit hæreticus: nam schisma et hæresis sunt duo vitia separata, sicut avaritia, et luxuria, et opponuntur diversis virtutibus: nam hæresi opponitur fides, et schisma unitati Ecclesiæ, propter quod omnis hæreticus est schismaticus, et non e contra: et sic differentia inter schisma et hæresim patet per capit. inter schisma 24. q. 3. sunt etiam de jure diversi tituli de hæreticis, et de schismaticis. Tamen bene verum est, quod schisma disponit ad hæresim. Unde adhærentes intruso non sunt hæretici, licet sint schismatici.

Item, ad hoc quod dicitur: schisma est majus malum quam hæresis, &c. Dico quod hoc non est verum, et est contra determinationem S. Thomæ 2. 2. Item ad aliud cum dicitur, papa turbat statum Ecclesiæ, et facit scandalum; non est verum, sed intrusus facit. Et supposito quod noster Papa hoc faceret, in eo non esset sibi obediendum, sed in aliis: sic facit C. Julianus, 11. q. 3. Item nec facit scandalum, quia facit secundum jus commune, ut est dictum. Item licet deinceps mandet aliquid, unde populus scandalizetur; non ei semper est obediendum, alioquin sequerentur plura inconvenientia.

Item, cum dicitur: non refert inter injuste detinere et invadere. Nego istud: et licet Dominus injuste detineret, non sequitur quod perdiderit jus quod habuit ab initio. Nam si sic esset, Dominus temporalis perderet jus suum propter injustitiam. Non obstat C. sæpe, de restit. spoliat. quia intelligitur in constitutis quoad periculum animæ, et non alias. Venio ad §. hinc etiam. Dixerunt DD. de parte contraria, quod in illo §. apparebat Symmachum false accusatum, ut eventus docuit. Etiam similiter dico, quod D. N. false accusatur, et multi sunt qui loco et tempore videbant et pœnitebunt.

Item, de hoc quod dicitur ad caput cum secundum, quod est notorium, non est verum. Et quod dicitur, quod hic Papæ nihil tollitur, et quod fit cessatio tantum, &c. Mirum est quod hoc dicatur. Nam quod jus Papa habet in Regno, nisi obedientiam? Si tollatur obedientia, tollitur jus quod habet in Regno, et ideo mirum est de illis qui tenent quod in hoc nihil tollitur, sed cessatur, quia vere talia non deberent proferre in tali audientia, cum obedientia sit totum jus debitum superiori.

Ad capit. Anastasius 19. dist. nego casum, ut est positus per Patriarcham: nam capitulum non dicit quod bene fecerint recedendo, sed credo quod male fecerint: nam populus recessit a Rege David, et tamen non bene fecit. Aliter dico quod in illo casu Papa inciderat in hæresim, et volebat sustinere, et hoc non fecit D. N. Papa. Item volebat sustinere contradicentibus Episcopis. Credo tamen quod prima solutio melior est.

Item, ad hoc quod dicitur: Paulus Petrum reprehendit; et Asina Balaam, &c. Dico quod hic non est simili in proposito. Petrus enim compellebat Christianos judaizare: ob hoc Paulus eum reprehendit: Balaam etiam contra voluntatem Domini, ibat ad maledicendum populo. Papa enim nullum compellit ad malum, nec vult compellere aut maledicere; quare, &c. Item, ad illud quod dictum est, quod Papa dixit pluribus, quod antea se permitteret excoriari, quam quod cederet. Dico quod hoc debet intelligi, antequam de facto, et per violentiam compelleretur. Nec valet excusatio de libro Patriarchæ, quia tacere debebat talia, et male fecit, nam suum librum misit in Angliam, et Hispaniam, et Avenionem, et talia asserere de Papa malum est, scandalosum, et præsumptuosum.

Item, Patriarcha est sibi ipsi contrarius, cum dicit in una parte sui libri, quod si Papa non esset, major Pœnitentiarius haberet potestatem. Dicit quod de diversis Regnis congregaretur, &c. Et sic esset Papa; et dicit quod Ordinarii haberent potestatem: vide in eo plenius. Item ad aliud, quando dicitur, quod Papa non servat Canones, &c. dico non est verum, ut dixi supra in prima propositione. Unde textus C. nulli fas 19. dist. qui dicit eos communione privandos qui transgrediuntur præcepta Apostolicæ fidei: intelligitur in illo, qui non observat Canones Papæ, et contemnit pertinaciter, quia talis schismaticus, aut hæreticus, ut est in Glossa. Item cum dicitur; alii sequentur declarationem Regis in subtractione. Non est verum, nec verisimile, quod Rex mandet aliis quod habeant eum insequi, si habeant conscientiam contrariam: nam licet Regi in temporalibus sit obediendum, in spiritualibus tamen conscientiæ Papæ, ad Ecclesiam tamen conscientiam semper referendo.

Venio ad additionem Regis Hispaniæ, per quam recepit viam Papæ. 1. Propter difficultates et litium prolixitates, exceptiones, et subterfugia, juribus colorata. Dico quod propter fugiendas illas prolixitates, Papa consensit additioni Regis Arragoniæ; nec est verisimile, quod electi ad discutiendum vellent damnare animas suas, et mori fame. Nam contra eos fieri posset, et provideri, sicut in electione Papæ, contra Cardinales in conclavi existentes. Nec etiam valet quod dicitur, quod in via Papæ non continetur via Concilii generalis, ut dicit dicta additio Hispaniæ: hoc enim non est verum. Bene scitur quis est ille de Hispania, qui omnia facit. In cedula enim Papæ dicitur quod electio Arbitrorum fiat de consensu Regum, et Principum utriusque obedientiæ; et sic haberent vim Concilii generalis. Item non valet quod dicitur: prælati congregati ad eligendum arbitros, volent esse Judices, et sic non habebit locum tuum compromissum. Dico quod locum habebit. Prælati enim non erunt Judices, quia Papa non consentiret.

Nec valet quod dicitur, in arbitris erit contrarietas, &c. ut in dicta Electione. Dico quod non; major enim esset in Cardinalibus utriusque Collegii simul congregatis ad eligendum, facta cessione, cum quilibet vellet eligere sibi charum. Item nec ibi erit contrarietas, quia arbitri possent arctari, ut est dictum, et per illam viam citius haberetur unio, quam per viam cessionis, de qua forte per multos dubitatur, sicut de Cælestino fuit dubium, an sua renunciatio valeret.

Ad Conclusiones D. Abbatis respondeo. Ad primam, cum dicitur Papa magis tenetur prosequi, &c. Concedo. Et cum dicitur quod ad Regem spectat sua auctoritate; dico quod non est

ANNO CHRISTI 1398.

est verum, non tamen derogando potestati Regis. Quod probatur primo exemplo Theodosii §. hinc etiam, 17. dist. ubi videtur textus. Item exemplo Valentiniani, in C. Valentin. 63. dist. facit C. satis evidenter, 96. dist. & Constantini, in C. Sacerdotibus XI. q. 1. Item probatur per jura communia, dicentia quod personæ Ecclesiasticæ non debent judicari per sæculares Judices: igitur hic papa a fortiori, quoniam a nemine potest judicari. C. nemo 9. q. 3. ad hoc est textus §. 1. 97. dist. Nec obstat cap. qualis, quia omnia jura quæ loquuntur de hoc, intelliguntur ad requestam Ecclesiæ. Et cum dicitur, semper duraret schisma, non est verum; & supposito quod sic esset, nihil potest Rex. Facit Rex quod convocetur Concilium generale, si velit Papam judicari, aut contra eum procedi.

Nec valet, quod dixit Patriarcha in libro suo; quod non refert an simul aut per partes fiat Concilium, quoniam refert. Quid est Concilium? Concilium enim a conveniendo, quoniam Prælati simul sunt, & deliberant. Tum enim unus poterit dicere unum motivum, seu rationem quæ alios potest movere. Junta C. canonicis 19. dist. ideo dicit lex, quod non valet sententia lata abiente altero arbitrorum; licet si esset præsens, per majorem partem ferretur sententia l. sicut §. de arbit. ad hoc Glossa C. in Genesi de elect.

Nec etiam vera est alia conclusio Abbatis, quod decet & expedit subtrahere: quoniam vel non intelligit materiam, vel multi decipiuntur. Quæstio enim est inter Doctores Theologiæ, utrum committendum sit peccatum, ut majora mala evitentur; & dicunt doctores, quod non. Unde dicit Augustinus, quod maledecit Loth, tradendo suas filias, ut recitatur. Nec peccatum veniale debet committi, pro evitando mortali, ut dicunt Doctores, & Augustinus. Et tunc arguitur sic. Subtrahere obedientiam est peccatum mortale: igitur pro evitando alio malo fieri non debet. Item quia mala non sunt facienda, ut dubia bona eveniant. Modo subtrahere obedientiam est malum & peccatum, & licet schisma sit malum quoad alios, non tamen est quoad nos. Item, ut dictum est, subtractione facta non habebimus unionem, & dicetur quod non tenet cessio propter metum, & sic non valebit electio.

Nec valet quod dicitur: Jus permittit, ut compellatur. Non est verum, nec obstat capit. ubi majus, quia illa compulsio facta est per generale Concilium contra Cardinales & certo modo: non sic autem procedendum est contra nostrum Papam, qui non habet superiorem, nec jure adstringitur. Item cum dicitur, si Papa recipiat procurationes, sequuntur inconvenientia. Potest esse verum; & si dicatur, hoc est contra Concilia generalia, non obstat, quia, ut dictum est, Papa potest contra Concilia generalia. Jura autem allegata in contrarium, loquuntur in illis quæ sunt fidei, aut Sacramentorum. Aliter autem dicere, esset destruere mundanam politiam, & possent subditi rebellare contra Principes, si præcipierent aliquid quod prima facie videretur injustum, & subtrahere obedientiam, quod esset maximum inconveniens: non enim sic debent subditi procedere, si injustum præcipiatur, sed debent venire ad superiorem, & supplicare ut eis provideat; non sic fecerunt Prælati. Quare, &c.

Item, ad allegata per M. Ægidium. Quod dicit quod cum Papa est vehementer suspectus, debet subtrahi. Non est verum, per capit. litteras præsum. C. inter sollicitudines, de Purg. Canon. pro hoc videtur casus in §. hinc etiam allegato. Et in C. nonne. Nam licet initio dicatur pro dubia suspicione, tamen finis dicit quod non debet subtrahi obedientia. Nec valet illud quod allegatur. Papa hic non condemnatur: non est hoc bene dictum: sed fit de eo, ut de illo qui suspenditur, & postea inquiritur de facto. Nec etiam valet illud quod dictum est, quod ad subtrahendum non requiritur forma juris, & quod duo testes sufficiunt contra Papam &c. Dico quod hoc est verum quando delictum Papæ est notorium; secus, quando non est notorium, quia major solemnitas requiritur, quam in alio, cum sit majus periculum in ejus condemnatione: nec similiter valet illud quod dictum est, quod hic non requitur citatio, & processus, &c. Nam hic, nihil est notorium contra Papam; & etiam communior opinio Doctorum est, quod in notorio requiritur citatio, & sic non licet, & nec expedit subtrahere obedientiam.

Item, gloria Regis, & Regni Franciæ est, quod Rex Franciæ nunquam fovit schismaticos, sed semper tenuit verum Papam. Ludovicus Rex Franciæ pro restituendo certos Episcopos Regni Angliæ, fecit armatam contra Regem Angliæ, & cum fuit in Flandria pro complemento negotii fuit impeditus. Pariter fecerunt multi Reges Franciæ, ut patet in historiis & chronicis, qui recoperunt bella pro Episcopis restituendis, & pro Ecclesia, & a fortiori pro Papa fieri debet. Et ita non expedit subtrahere. Deus destruat me, si non ita credam in conscientia mea, & hæc sint dicta sub correctionibus ante dictis.

Consequenter die cratina, videlicet die Martis IV. Junii D. Abbas montis S. Mich. supra nominatus, lingua materna, ut prius duplicando proposuit quæ sequuntur. Ea tamen in Concilio, pro stilo breviori in Latinum reportavi. Et præmisit excusationem, propter arduitatem materiæ, præsentiam tantæ comitivæ, insufficientiam propriam & brevitatem temporis. Protestatusque est, ut supra in sua propositione, quam hic gratia brevitatis dimitto.

Reverendissimi Principes, & vos alii DD. mei Reverendi. Quæstio disputata est, utrum considerato statu Ecclesiæ, & schismatis, ac processu per Regem & Ecclesiam Gallicanam incæpto, liceat Regi, an expediat fieri subtractionem, in toto, vel in parte; DD. mei, & ego sustinuimus partem affirmativam, & alii negativam. Heri specialiter D. S. Pontii, contra cujus dicta habeo duplicare. Pro intellectu materiæ videtur dicendum, quod ejus argumenta reducuntur ad quatuor puncta. Primum est de defectu causæ, & rationis; secundum de defectu processus; tertium de defectu auctoritatis; & quartum de inconvenientibus, verisimiliter, ut licet evenire, contingentibus.

Pro respondendo ad primum, videlicet quod Papa non est schismaticus, aut hæreticus, supponam. 1. ex quo respondebo, & 1. suppono, ut supra, quod omnis Catholicus tenetur labora-

ANNO CHRISTI 1398.

borare ad unionem, procurando necessaria, & removendo impedimenta. 2. Quod Principes principue tenentur, ut Catholici, & ut Principes, & quoad hoc habent auctoritatem ad hoc, quod deductum est uberius, ad quod non est responsum, ex quo apparet, quod Principes ad hoc tenentur sub pœna fautoris schismatis.

Ultra suppono, quod medium bonum veniendi ad unionem est via cessionis, nec hoc ab adversariis negatur, aut aliis quibuscumque. Item etiam, quod est sola via plene sedativa, ut supponimus. Nam considerata radicatione schismatis, & induratione, non est spes per aliam viam haberi unionem, sed forsan perpetuum schisma, ut clare patet bene inspicienti. Per quod patet quod nihil facit ad propositum justificatio compromissi, & contradictio cessionis, ex quo etiam sequitur quod Papa tenetur ad acceptandum viam cessionis. 1. propter bonitatem viæ in se: item propter juramentum præstitum in introitu Conclavis, de quo supra fit mentio.

Nec obstat illud, quod dicunt DD. de adversa parte, quod cedula supponit ordinem, & quod cessio est ultimum remedium. Et supponitur tenor cedulæ quod juravit omnibus viis & modis, sine dilatione, dolo, fraude, vel machinatione quibuslibet prosequi unionem, etiam usque ad cessionem inclusive, si DD. Cardinalibus, &c. Vide supra in principio propositionis Patriarchæ: hac præsupposita, probatur clare, quod tenetur ad acceptandam viam cessionis. 1. Quia juravit omni via prosequi: ipsa est sola, ut supra dictum est: igitur, &c. Item ipse juravit prosequi unionem Ecclesiæ, sine dilatione, dolo, & fraude, &c. Modo omnis alia via discussionis notorie est dilatoria, immo inutilis, & sine fructu forsitan, & verisimiliter perpetuativa schismatis, quod jam duravit xx. annis, vel circiter considerata etiam fixa partium adhærentia. Igitur, &c.

Item, D. Papa promisit & juravit omnibus viis & modis rationabilibus, quamprimum posset, Ecclesiæ unionem, & fuit juramentum primum. Modo via cessionis est rationabilis, ut est clarum; igitur ad eam virtute juramenti etiam tenetur per clausulam generalem. Nec fuerunt Cardinales contenti clausula generali; sed ad majorem expressionem voluntatis providendi unioni Ecclesiæ, apposita fuit clausula, *usque ad cessionem inclusive; dummodo DD. Cardinalibus*, &c. Tunc arguitur sic. Via cessionis continetur in generali promissione, ut est dictum, quia est sancta, & rationabilis. Ergo oportet dici, visa declaratione Cardinalium, quod illa clausula, *etiam usque ad cessionem*, apposita est ad præferendam viam cessionis, quoad exequutionem, purificata conditione; *si DD. Cardinalibus*. Conditio autem notorie purificata est: immo præsentibus omnibus Cardinalibus, uno saltem excepto, publice Avenioni publicata, præsenti innumerabili populi multitudine, DD. Ducibus, Legatis universitatis, &c.

Item, certum est, quod in juramentis & contractibus omnis perniciosa & captiosa interpretatio vitanda est & fugienda. Glossa autem & intellectus eorum ad dictum juramentum, de aliis viis tentandis, est interpretatio captiosa notorie: quia si aliis tentarentur, numquam esset finis. Item juramenta interpretari debent ad intentionem eorum, quibus juratur, videlicet Cardinalium: modo ipsi declaraverunt suam intentionem. Nec valet illud quod dicit D. S. Pontii, quod dictio, *usque*, denotat ordinem: refert enim, an dictio, *usque*, apponatur termino *ad quem*, & denotat ordinem. Verbi gratia, si promitto ire usque ad S. Dionysium, certum est quod omni via ego possum ire: aut apponitur medio, & non denotat ordinem, ut si promitto ire ad S. Michaelem, etiam per Carnotum, si Joanni placeat; certum est hoc casu, si Joanni placeat, ego teneor ire per Carnotum: sic in proposito: Quare, &c.

Ex quo apparet, quod ex quo tenetur eam acceptare, ad requisitionem Cardinalium, quod non fecit, immo nec ad requisitionem DD. Ducum, requirentium eum ex parte Regis, & Ecclesiæ Gallicanæ, quæ illam viam solemnissime acceptandam declaraverat, quod illa habent vim expressæ denegationis, etiam visa prima ejus responsione, sub bulla secunda, & tertia captiosis responsionibus additis. Argum. ad hoc, in c. ab eo, de appellat. Item quia protestatus est publice, quod cessionem non acceptaret, ut supra dictum est. Item apparet denegatio viæ expressa, quia impedivit pro posse sequutionem ejus, ut apparet, quia ad eam impediendam misit Ambassiatores in Alemanniam, ut DD. plures experti sunt, & ego etiam Legatus Regis ibidem manifeste percepi, & idem receperunt DD. Legati ad Hispanias ad Regem Arragonensem, & ad Bonifacium intrusum, & ad Romanos, ut apparet ex eorum electionibus, nec habet gratos viam cessionis persequentes, sed eos odiosos habet, ut notorie evidenterque apparet, & supra dictum est.

Ex quibus omnibus clare concluditur, quod viam cessionis denegat, verbo & facto, quantum potest. Ex quo apparet, quod quia nulla alia est via ad uniendum Ecclesiam accepta, & eam refutat acceptare, negat unionem & ei contradicit, & per consequens est fautor schismatis pertinax, & nutritor. Sequitur etiam quod D. Papa Papatum retinet contra ostentiam Officii sui; tenendo scilicet Ecclesiam divisam contra suum juramentum, & requisitiones sæpius factas. Nec valet excusatio duplex dicta per DD. de parte negativa; una qua dicitur quod non refutavit, & hoc nihil est, ut dictum est, quoniam rei effectus evidenter apparet in contrarium. Scit enim hoc, & Concilia præterita, quod solum ab eo quæritur, quod paratum se offerat, prout notorie sæpissime per Reges & Principes supra nominatos summatus est, & tamen non vult in eam consentire, nec eam aliqualiter offert. Nec enim valet alia excusatio, qua dicitur, quod offert compromissum, & adhuc hoc nihil est; quia inutilis est via compromissi, ut supra.

Hic consilium quæritur, & agitur super exequutione viæ cessionis electæ per Regem, ecclesiam Gallicanam, & plures alios, ad quam exequutionem, ut videtur, solum sunt duæ viæ supra tactæ, requisitoria, & tentata est solemnissime, & quia de ea amplius non est spes, ad aliam viam, scilicet subtractionis recurrere oportet. Alias in potestate Papæ esset nos habere schisma perpetuum. Fundamentum autem hujus denegationis est ambitio, & cupiditas dominandi pro se, & suis, juxta c. 1. de Cleric. non residentibus; & juxta dictum

Sarti-

ANNO CHRISTI 1398.

Sariberiensis. Ista autem provenient ex obedientia, quoad pecunias, & collationes. Oportet ergo ista removeri, ut plaga curetur, juxta illud: Extrahe ligna foco, si vis extinguere flammas: repugnat itaque unionem ecclesiæ prosequi, & ministrare impedimenta, aut illi consentire.

Ex prædictis sequitur conclusio responsiva ad primum articulum, quod considerato scandalo notorio, schismate notorio, & unionis impedimento notorio, ex quo ecclesia scandalizatur, est a corpore ecclesiæ separandum; facit c. illud 24. q. 3. & per hoc respondetur ad hoc, quod allegatum est, quod Romani faciunt scandalum, &c. Verum est, quod ab initio fecerunt scandalum; sed D. N. Papa etiam nunc facit, quia tenet ecclesiam divisam, contra opiniones suæ obedientiæ, quam potest unire, si vult, scilicet acceptando cessionem.

Item, sequitur ex prædictis, quod etiam in licitis non est sibi obediendum. Ratio ejus est, quod peccat in essentialibus sui Officii, ut est dictum. Hic autem effectus causatur ex obedientia, & per consequens, sibi obediendo, participaremus secum in crimine criminoso, & nutriremus schisma, ut apponendo igni combustibilia. Secus tamen esset in alio casu particulari, sibi obediendo, si esset unitus, & indubitatus: quia tunc obedientia non esset causa mali. Hoc autem, ut est dictum, peccatum suum causatur ex obedientia; & sic obediendo sibi favemus in crimine: & sic patet quod Papæ, quamvis malo esset obediendum, nisi obedientia esset causa, & nutritio sui mali. Per prædicta respondetur, cum dicitur, non sunt facienda mala, &c. Verum est, sed subtrahere obedientiam, causa stante, non est malum. Quare, &c.

Tertio sequitur, quod non obstante juramento Episcoporum allegato, Prælati prosequendo cessionem & subtractionem, observant juramentum. Ratio, quia intelligitur juramentum factum ecclesiæ Romanæ, & sic Prælati prædicta persequendo, non sunt perjuri per prædicta. Tale enim juramentum civiliter intelligitur juxta C. Quinta vallis, de jurejur. ex quo patet quod Prælatus non tenetur Papam fovere, & manu tenere in Papatu, nisi juste possideat; alias juramentum esset temerarium. Item sequitur, quod renunciatio, & provisio factæ per subtractionem essent bonæ, & validæ. Patet, quia subtractio est bona, & licita, & per consequens coactio est juridica, & Juris exsequutiva; pro hoc facit c. ubi majus §. præterea, Cum Glos. de Elect. in VI. ubi compelluntur Cardinales certis pœnis intrare & ligare, &c. qui casus debet trahi ad casum similem, habentem parem, aut majorem rationem, prout est casus præsens. Quare ad hoc non valet responsio D. S. Pontii. Jura autem in contrarium allegata, loquuntur in coactione violenta, & non juridica: quare non valet suum primum articulum.

Sequitur contra secundum eorum fundamentum, quod ad subtractionem faciendam, non est opus citatione, aut sententia. Ratio est, quia impedimenta unionis sunt notoria, nototorietate actus permanentis, quare non requiritur sententia, &c. Argum. c. cum sit de appellat. c. quanto, de translat. Episcop. c. significasti, de divortiis, Ubi potest expelli de facto mulier, in crimine adulterii notorio, & hoc notat Innocentius, in c. ex parte, de verb. signif. qui, in notoriis criminibus, actus permanentes, ubi est in mora periculum, non requiritur citatio, aut sententia. Item quia hic non tendimus ad depositionem dignitatis auctoritate judicaria, nec ad perpetuam subtractionem obedientiæ a Romano Pontifice: sed ad removendum nutrimenta schismatis, & inde unionem consequendam, quod fieri debet, per c. Anastasius, sæpius allegatum.

Nec valet responsio D. S. Pontii ad id caput, dicentis, quod cum textus dicit, ab obedientia recesserunt, ponit facti accidentia, non juris ministerium, & sic, quoad hoc non ponit jus &c. quia Glossa sentit contrarium, ut ibidem patet: Idem etiam dicunt Doctores. Item patet hoc, quia ubi non habemus jus Evangelicum, vel auctoritate ecclesiæ, debemus recurrere ad aliquas ecclesiæ historias, præcipue ubi non sunt reprobatæ, & sic ubi factum recitant, præsumitur juste factum. Ad prædicta facit exemplum, quod Paulus restitit Petro.

Ex prædictis etiam apparet responsio ad tertium argumentum positum per partem adversam, & 1. ad c. cum secundum, de hæret. quia illud c. loquitur, cum proceditur auctoritate judiciaria. Hic autem solum loquimur in provisione temporali, pro bono ecclesiæ, qua provisione Rex potest licite uti, ut superius deductum est. Et per hoc respondetur ad §. hinc etiam, 17. dist. ubi videtur quod Rex non debet esse Judex: quia verum est, quod non debet esse Judex, quoad deponendum Papam, sed potest esse Judex ad providendum ecclesiæ, maxime in casu schismatis. Per hoc respondetur ad hoc quod dicitur: Concilium debet judicare, non Rex. Verum est quod Rex non judicat, sed per cessando inconveniens, potest remedium adhibere. Et hoc sonant superius allegata, quæ dant potestatem Principibus in tali materia.

Restat solvere ad inconvenientia. Cum dicitur: Aliqui cantabunt, & celebrabunt, aliqui non. Respondeo quod hoc non est verisimile, per cap. Matthæus, de Simon. & ratio est, quia Rex procedit & processit deliberate, & cum consilio ecclesiæ. Et sic, si aliqui scrupulum haberent, deponere tenerentur. Item licet esset timendum scrupulum aut scandalum, propter excommunicationes, tamen magis debet timeri induratio Papæ, & perpetuatio schismatis. Nec propter verba dicentium nos schismaticos debemus cessare a prosequutione, quia non dicerent verum, ut est dictum: nec est præsumendum, quod ita dicatur, considerato modo procedendi per supplicationes, & requestas iteratas, ut est sæpius dictum. Ex quo sequitur, quod Rex ad bonum operatur, & quod non fovebit schismaticos, sed subtrahet ad evitandum schisma, quod licet, ut est dictum, nec Papæ contrarium præcipienti est obediendum, juxta Glos. Innocentii in c. inquisitioni, de sent. excom. qui dicit, quod si Papa faceret præceptum contra statum ecclesiæ, non est obediendum. Modo sibi obedire in tali casu, est hujusmodi; quare, &c. Nam ex obedientia plura mala possunt provenire.

Nec est responsum ad unam quæstionem quam pridie posui, quia in perceptione procurationum subtractio facienda erat, licet totalis non fieret: & hoc multipliciter probatur, nec est

ANNO CHRISTI 1390.

est solutum. Confitebantur tamen satis impedimentum correctionum, & etiam plura inconvenientia evenire ex perceptione talium, sed dicebant, quod Papa super hoc debebat requiri, & ei supplicatio fieri; non autem facienda erat subtractio, aut de facto resistendum. Dico quod ipse requisitus fuit, ut a procurationibus desisteret, & eas permitteret exigi ab illis, quibus ordinariè debentur, quod penitus renuit, nec aliquid concedere voluit.

Item dixerunt, quod non licet de facto resistere contra præceptum Papæ, sicut nec licet contra præceptum Regis, tangendo de pacificatione Dominorum. De isto dicet M. Petrus Plaoul, cum loquetur pro Universitate. Item dixit D. S. Pontii, quod dixi, quod licite poterat peccari mortaliter: sed non est verum; bene verum est quod dixi, bonum esse non obedire in hoc casu consideratis circumstantiis schismatis. Item dixerunt, quod capit. si duo, non habet hic locum. Dico contra, & probo: alias enim esset inutile: pro cujus evidentia noto 1. Quod licet essemus certi, quod noster, cui obedivimus, esset Papa verus, non tamen est notum universali ecclesiæ, sed est dubium, & perplexum, quod etiam patet per viam compromissi, per Papam oblatam, & idem etiam est de alio contendente. Idem etiam patet per clausulam appositam ad dictam viam, videlicet si oriatur varietas aut difficultas, &c. Et sic verum est dicere quod uterque est dubius probabiliter universali ecclesiæ, licet nos forsan, aut plures de nobis, de nostro non dubitarent.

Ex quibus sequitur, quod capit. in nomine Domini 23. dist. non habet locum ubi duo sunt electi, forte contra fas, juxta casum c. si duo 79. dist. & ubi est dubietas de quolibet, ut nunc, patet, quod c. in nomine D. dicit quod intrusus sine audientia depellatur; modo nunc non constat universali ecclesiæ, quis est intrusus: quare, &c. Nec valet quod dicitur quod fit vituperium parti nostræ revocando in dubium, &c. Dico quod non, ut supra est dictum; nunc etiam dubium, si est aliquod, ex parte ejus provenit.

Item, ex oblatione viæ suæ majus inconveniens sequeretur contra Cardinales, quia nunquam eis crederetur, ex quo eorum declaratio veniret in discussionem: ex quibus concluditur, quod capit. si duo contra fas, nunc habet locum, & est casus in terminis, ut videtur, quod neuter debet remanere. Et pro ampliori declaratione supponitur, quod Bonifacius Primus qui fuit factus infirmus, turbabatur propter schismata quæ viderat, & ambitiones hominum, quas percipiebat pro Pontificatu Romano, ipse scripsit Imperatori Honorio, ut provideret; ut expresse dicit c. ecclesiæ meæ, 97. dist. Imp. Honorius rescripsit Papæ quod fecit capit. si duo, per quod bene providetur futuris schismatibus, & ambitionibus vitandis, ut expresse etiam dicit c. victor eod. dist. in quo ponitur epistola Honorii ad Bonifacium responsiva.

Item supponitur, quod leges debent intelligi ad intentionem facientium, juxta præcedentia & sequentia apparentem. Item debet intelligi lex, ut sit utilis, & honesta, 4. dist. §. iis autem. Ex quibus sequitur, quod oportet intelligere illud caput, si duo, quando est dubium de utroque, quia quando certum erat quod erant, contra fas provisum erat, per c. in nomine D. alleg. Nec potest intelligi, cum est dubium de uno solo, quia jus unius propter alterum perdi non debet. Nam si de uno est dubium, etiam de altero est, quia certum est quod duo simul non possunt esse Papæ: & sic intelligendum est illud capitulum, cum de utroque est dubium: alias illud non esset fructuosum, cujus tamen contrarium intendebant Bonifacius, & Honorius supra dicti, ut apparet expresse in dictis c. ecclesiæ meæ, & c. victor.

Et ratio, quia ubi sunt duo contendentes, Jura non providerunt de superiore: compromissum enim non est de jure; quia etiam in aliis reprobatur, juxta c. nisi essent, de Præbend. Nec etiam Concilium generale est Judex, ut dicit Hugo in c. si forte, 63. dist. quia possent scandala evenire, propter quæ vitanda neuter debet remanere, ut dicit c. si duo, alleg. Non obstat quod dixit D. S. Pontii, de electo confirmato, & de electo in Papam. Bene verum est, quod eodem modo jus habent electus confirmatus, & electus in Papam; sed in hoc differentia est; quod confirmatus cedere non tenetur, quia habet superiorem, sed electus Papam, si habet contendentem, juxta prædicta, oporter quod cedat, juxta formam capit. si duo.

Ad aliud inconveniens de indulgentia proxima, & rationis, utinam debite provideatur pendente tempore. Nec est verisimile contra nos scandalum evenire, cum quilibet sciet, & scire poterit causam subtractionis, & nostram intentionem, & quod non adorabimus Idolon, nec etiam propter personam Papæ itur Romam, sed propter indulgentiam datam a prædecessoribus, pro visitatione sanctorum locorum.

Item ad aliud inconveniens allegatum, cum dixerunt, subtractione facta, quilibet Episcopus erit Papa: nunquam volent ad unionem laborare. Dico quod in dubio non est præsumendum. Tota enim hujus negotii prosequutio, ut plurimum per Regem facta est, qui non sinet eos dormire. Item ad allegata inconvenientia, de dissensionibus, dico quod hoc non est præsumendum, sed in meliorem partem supponendum est, quod Episcopi, & Prælati superiores habent, qui possunt in talibus providere. Item nec verisimile est talia schismata evenire, cum Papatus aliquoties fuerit vacans per triennium, vel circiter; & tamen non evenerunt propter hoc talia inconvenientia, & dissensiones, ut patet ex Chronicis. Item ad hoc quod est dictum, Prælati conferent Nepotulis carnalibus, & vilibus personis. Dico quod fiet in futurum, dubito, nec est hoc præsumendum, ut est dictum, quia contra talia provideri potest; etiam in Anglia, ubi Ordinarii conferunt Beneficia, competenter providetur. Quare, &c.

Item, ad illud quod allegatum est de absolutione, supra solutum est. Nam in casu necessitatis, Ordinarii possunt absolvere, juxta c. ex tenore, de sent. excom. & ut generalis sit solutio, dico, quod nulla sunt allegata, quin possit optime provideri; & si eveniant, væ illis per quos. Nulla enim talis infirmitas unquam destructa est sine inconvenienti, sed nullum tale, & tantum est inconveniens, sicut schisma. Item non valet illud quod dictum est, quod Rex non potest aliquid in hoc negotio, nisi exequi, & ad requestam Ecclesiæ. Superius

ANNO CHRISTI 1398.

rius solutum est competenter, & si hoc non sufficiat, apparet clare per bullas, quod D.N. Rex fuit requisitus per D. N. Papam, & ejus adversarium, ut in hoc negotio unionis Ecclesiæ procederet. Lectæ fuerunt bullæ, & sic non procedit objectio. Hæc sint dicta sub correctionibus ante dictis.

Statim verbo finito, supplicavit Rector Universitatis Parisiensis DD. Præsidentibus, & universis præsentibus, ut dignarentur Universitati concedere unam audientiam, ad proponendum aliqua, materiam Concilii contingentia, sicut in aliis Conciliis factum fuerat. Admissaque & concessa fuit statim supplicatio, per organum D. Cancellarii, supra nominati. Et ad prædicta proponendum assignata fuit dies dictæ Universitati ad diem Veneris proximam, septimam Junii.

Die itaque assignata, videlicet septima Mensis Junii, proposuit M. Petrus Plaoul, Magister in Theologia famosissimus pro Universitate Parisiensi, infra dicta, videlicet deliberatis in alio Concilio se conformando, concludendo necessitatem particularis subtractionis, & totalis pro parte dictæ Universitatis, per modum aperitionis materiæ, ac præsente universo cætu, in lingua materna, prout alii fecerant, incœpit ut sequitur.

Propitius sit nobis Deus. Non est nobis utile relinquere Legem, & Justitias Dei, ut eamus altera via 1. Machab. 2. cap. verba ista metuendissimi DD. mei faciunt ad propositum per hunc modum. Antiochus Rex tenebat Jerusalem, & populum Israel in subjectione, & fecit in civitate elevari Idolon, publicari & præcipi, ut unusquisque veniret ad adorandum Idolon, & inducti sunt plures Israelitæ ad hoc: aliqui per pecunias, aliqui per minas. Mathatias autem, & filii ejus non ierunt adorare: quod audiens Antiochus misit ad eum Legatos, pro inducendo, ut adoraret. Legati autem crediderunt inducere Mathatiam promissione tali. *Tu eris amicus Regis, & amplificabit te auro, argento, & multis muneribus*. Mathatias amicus Dei non consensit, sed respondit, ut supra in themate. *Propitius sit nobis Deus*, &c.

Ad propositum omnes amici Dei & pacis Ecclesiæ, qui eam devote prosequuntur, ut Domus Franciæ, Cardinales, Prælati, & Universitas, si eis offerantur munera aut inducantur minæ, respondere debent ut Mathatias: *Propitius sit nobis Deus*. Et antequam ultra procedam ad propositum, præmitto excusationes 1. propter præsentiam tantæ Nobilitatis, ut Domus Franciæ, & tanti Collegii, & Prelatorum, & Doctorum, & Litteratorum virorum, & præcipue eorum qui materiam tractaverunt profundissime. Item propter materiæ arduitatem, & altitudinem; nam ipsa respicit quodam modo totam felicitatem nostram, in qua ut videtur, modicum capi potest; quoniam, dicit Aristoteles: Veritas non æque cito ut falsitas cognoscitur: schisma autem præsens est taliter radicatum, & confirmatum, quod a tempore Christi casus similis non est visus; & licet per Canones Ecclesiæ, & Jura casus soleant decidi, cum in jure scripti aut similes inveniuntur; iste tamen casus, aut similis totaliter non reperitur in jure, nec etiam reperitur remedium & medicina. Immo qui aliquando caperent Canones ad litteram, perpetrarent schisma. Propter hoc, ad remedium habendum, & propter altitudinem materiæ, oportet recurrere ad principia, & media extraordinaria, universalia, & generalia, naturalis videlicet Juris, Divini & Can. ex quibus pendent particulares Constitutiones: nam casus præcesserunt constitutiones particulares.

Et quia mater pulchræ dilectionis Universitas, in qua sunt Doctores juris Divini, Naturalis, & Canonici materiam istam resolvit ad talia principia, ei magis credendum videtur. Et 1. propter multitudinem Doctorum. 2. propter ordinatam affectionem, quam habet: nam affectus, amor, & odium pervertunt judicium. Affectio autem Universitatis ordinata apparet, quia non sequitur proprium commodum, sed universalis Ecclesiæ Jesu Christi. Et hoc apparet, quia Papa dilexit Universitatem cum fuit electus, & hoc sciebat Universitas. Universitas autem, ne propter privatam, publica Ecclesiæ utilitas, & prosequutio impediretur, noluit facere rotulum, sed etiam pro prosequutione Ecclesiasticæ unionis, propria bona, & suorum suppositorum exposuit, ut patet per Ambassiatores iteratos ad Alemanniam, ad Angliam, & Hispanias, & hoc est manifestum. Ex quo apparet ejus bona affectio. Universitas autem semotis cunctis inordinatis affectionibus, hanc materiam XVIII. annis, vel circiter examinavit, ex quo videtur præferenda illis, qui non ita materiam cognoverunt, aut sunt affectati propter Beneficia accepta, aut refutata.

Quia autem hoc dictum est per D. S. Pontii, quod Universitatis tertia pars non erat pro subtractione. non est verum. Scio quod fui, ubi in Universitate tractatum est: scio quod nullo reclamante conclusa fuit via cessionis; conclusa etiam fuit particularis subtractio, ut apparuit in alio comitio, & mihi est injunctum, quod proponam pro totali, quæ sequuntur.

Ideo DD. Reverendi, & metuendissimi Principes, videtur quod D. S. Pontii deberet authores hujus Facultatis nominare. Et quod proponeretur subtractio totalis, habetur instrumentum de concordia Facultatum. Rector testificatur: idem Decanus Theologiæ: idem Decanus Decretorum: idem Decanus Facultatis Medicinæ, & ad idem quatuor Procuratores Nationum, Franciæ, Picardiæ, Normanniæ, Angliæ, facientes Facultatem Artium.

Et antequam ulterius procedam, protestor, quod illa quæ dicam, non intendo dicere, & intendo non dicere contra Fidem Catholicam, & Ecclesiæ determinationem, eisque submitto, & omnibus quorum interest corrigenda Submitto etiam DD. de Domo Franciæ præsentibus, DD. Prælatis, & Collegio præsenti. Item protestor & juro in conscientia mea, testemque Deum invoco, quod ea dicam sine odio, & favore inordinatis cujuscumque. Ante enim istam prosecutionem eram in gratia Papæ, & hoc scio, & eum dilexi, & deligo, sed magis Ecclesiæ teneor. Item protestor, quod quæ dicam, de præcepto Universitatis dicam; & si dicam aliquid male sonans contra Papam, non dicam, nisi quia materia requiret. Protestor finaliter propter idioma, si non bene Gallicum loquar, me haberi excusatum, & hoc supplico metuendissimis Dominis meis, & omnibus hic præsentibus me etiam patienter audiri.

Ve-

ANNO CHRISTI 1398.

Venio ad propositum, difficultas est, de qua hic agitur, 1. utrum licitum sit subtrahere obedientiam totalem, aut particularem. 2. utrum expedit. 3. utrum necessarium est. Responsio autem affirmativa tertii includit utrumque duorum dubiorum. Dico igitur, quod est necessarium, & quod de necessitate salutis, sub pœna peccati mortalis & damnationis, oportet subtrahere: licet igitur, & expedit, & pro hujus deductione ponam aliquas propositiones.

Prima proposito est: quod sicut pax Ecclesiæ est vita, & constructio Ecclesiæ, sic schisma est mors, & destructio Ecclesiæ. Probatur prima pars; quia lex Jesu Christi & ejus præcepta, incarnatio, passio, & resurrectio, ascensio, missio Spiritus Sancti, sacramenta Ecclesiæ, fides, spes, charitas, & similia, sunt omnia propter pacem ordinata; & sine iis vivere non potest, sicut fides sine charitate mortua est. Et quod omnium pax sit finis, tangit Apostolus ad Galat. 6. *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos*. Et alibi: *Pax multa diligentibus legem tuam*. Et ad hoc denotandum, quoniam Christus rupit schisma Adæ, & dedit pacem Ecclesiæ, in sua benedicta nativitate canebant Angeli: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*.

Secunda pars probatur, quod schisma est mors Ecclesiæ, quia schisma tollit pacem & concordiam, quæ est vita Ecclesiæ, ut est dictum. Item probatur per dictum Christi: *Omne regnum in se divisum desolabitur*. Ex qua conclusione sequitur corollarie, quod schisma est æque mala, aut pejor dispositio in Ecclesia sicut Idololatria, aut privata hæresis. Patet, quia est mortificatio, & destructio Ecclesiæ, quod est pejus, quam privata hæresis. Et quod Idololatriæ comparetur, hoc ponit in Epistola Dionysius Corinthius ad Novatum, ubi dicit, quod pro unitate Ecclesiæ, & tollendo schismate, debet Christianus se exponere martyrio, sicut pro Idololatria.

Item, si Papa teneret, quod Spiritus Sanctus non procederet, nisi a Parte, & in residuis bene crederet, non faceret tantum præjudicium, nec tantum læderet Ecclesiam, sicut Ecclesiam lacerando, & dividendo ab invicem Christianos in sacramentis, quantum in se est, & pro sui juris credulitate, aut obedientia, sicut nunc facit Papa, quod apparet; nam ipse habet medium justum, & bonum uniendi, & per eum stat. Ergo magis lædit Ecclesiam, quam si teneret, ut est dictum. Ex isto sequitur conclusio supradicta, quod subtrahenda est obedientia. Nam Mathathias facta responsione legatis Antiochi, statim interfecit Judæum adorantem Idolon, non expectando sententiam, aut processum. Ex quo apparet, quod in tali casu, & tam gravi, non debet expectari sententia, aut processus. Item Phinees interfecit Judæum, qui contra legem mœchabatur in extranea, nec expectavit judicium, sententiam, aut processum. Et sic videtur, quod Papæ de facto obviandum est, & se opponendum, tamquam illi, qui tenet Ecclesiam spoliatam, & per hoc solvuntur omnes rationes, & jura Dominorum de contraria parte, quæ loquuntur de sententia & processu.

Secunda proposito est. Obligatio, quæ nos adstringit ad pacem, est major quæ sit post obligationem, qua sumus Deo obligati ad eum sine medio diligendum. Probatur. Quia ista continet omnes obligationes secundi præcepti de diligendo se & proximum: quia ista continet illam de prosequendo pacem Ecclesiæ.

ANNO CHRISTI 1398.

Tertia propositio est. Est via cessionis nobis præcepta ad prosequendum jure divino, vel sic. Nos sumus obligati lege divina ad prosequendam cessionem, & omnis alia est prohibita de præsenti. Probatur. Non est alia via uniendi Ecclesiam. Modo nos sumus obligati lege divina ad procurandam unionem, & Papa maxime. Igitur &c. Consequentia tenet, quia regula est, quod qui tenetur ad conclusionem, tenetur ad medium; ex quo sequitur, quod refutatio viæ cessionis est peccatum mortale, scandalum, & destructio Ecclesiæ.

Quod non sit alia via, D. Rex supponit, & in alio Concilio probatun est clare. Et in speciali via Papæ, supposito quod alias de se esset bona, non tamen nunc, & circumstantiis schismatis consideratis, & sic non est medium pacis, sed clare inutilis, & non sequenda. Item sequitur, quod refutatio viæ cessionis est schismatica, nutrimentum schismatis, & destructio Ecclesiæ. Patet per prædicta, & etiam facta, & requisitiones supra per alios DD. meos recitatas. Ex quo sequitur, quod D. Papa videtur dicendus schismaticus. Probatur. Nam Papa habet medium sanctum, justum, & omnibus Christicolis gratum ad ponendam unionem, & non vult recipere, & per hoc Ecclesia recipit divisionem. Ipse igitur voluntarie est causa schismatis.

Ex hoc sequitur, quod non est sponsus, servus, aut fidelis Christo, nec illi tenet fidelitatem Patet, quia cum effectus fuit Papa, Ecclesiam uniendam recepit, & facit totum contrarium. Immo potest dici, quod dividit Christum, quantum in se est: nam Ecclesia est unum corpus mysticum, cujus Christus est caput, & persecutiones Ecclesiæ Christus sibi attribuit: quod patet, cum dixit: *Vado Romam iterum crucifigi*. Si igitur Papa unionem impedit, dividit Ecclesiam a Christo, & Christum ab ecclesia.

2. Non est Christi sponsus. Nam dividit, & destruit sponsam Christi sibi commissam, scil. ecclesiam. Ecclesia enim non est sponsa Papæ, sed Christi, licet sit ejus custos. Modo Papa nunc recipit pro se, sibi eam appropiat, & tanquam sua vult uti, & non solum ut sua utitur, sed quantum in se est, portionem lacerat, dum populus & principes, qui volunt uniri, non recipit, sed quasi sua esset ecclesia, ejus supremum officium, in ecclesiæ perniciem, nititur totis viribus retinere; & sic Domino suo, & ecclesiæ sponso, scil. Christo non est fidelis. Item ecclesia est hæreditas Christi; quam redemit proprio sanguine. Papa istam hæreditatem dividit, & dissipat, ut est dictum.

Item, victoria Jesu Christi in cruce contra inimicum fuit ecclesiæ constructio, & per eam Christus ecclesiæ caput, & Dominus. Unde ista victoria fuit causa sedativa schismatis, quod erat inter Deum & genus humanum, & per quod schisma genus humanum erat in servitute diaboli, a qua servitute dicta victoria mediante est liberatum. Casus autem convertitur per schisma. Nam per schisma præsens est in servitute diaboli, & sic visis gravaminibus factis Christo, ecclesiæ, & saluti nostræ ex Papæ refutatione, plus gravat nos, quam qui

ANNO CHRISTI 1298.

qui occiderit corpus. Non tamen licitum esset le opponere. Idcirco visis gravaminibus prædictis, sicut Mathathias sine dilatione interfecit Judæum adorantem idolon, sic nos sine dilatione debemus nos Papæ opponere, & ab ejus obedientia recedere, alias non compleremus legem Christi.

Sequitur corollarie, quod non debet ulterius dari dilatio: ratio est, quia dare dilationem esset dare consensum injuriæ Christi, cui fit, ut est dictum; & ita omnis dilatio prohibetur lege divina. Ex quo sequitur, quod nullus processus est in hoc tenendus, sed statim ab eo debemus recedere, ne scilicet ei consentiamus, qui non est fidelis, ut est dictum.

Item sequitur, quod omnes illi, qui volunt impedire subtractionem, sunt causæ & fautores schismatis, & quod eis subditi deberent ab eis recedere, & eis non obedire, aut communicare. Et quia, ut etiam dixerunt adversarii, Domus Franciæ hunc honorem habuit, quod nunquam fovit schismaticos, si Papa est schismaticus, ut est dictum, illi non debet obediri; alias obediretur adversario Jesu Christi. Item sequitur, quod si deliberata & conclusa subtractione aliqui se opponerent, Rex deberet eos punire, & confiscare bona eorum tanquam adversariorum summi Regis, dissipatorum ecclesiæ, & fautorum schismatis, sicut alias Rex privavit suo comitatu Comitem Tholosanum, quia erat fautor hæreticorum; & si Domini desisterent a prosecutione, Deus se plangeret, dicens eis illud Ezechielis XVI. cap. *Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis vos murum pro domo Israel.*

Quod autem debeat ab eo fieri separatio, faciunt plures auctoritates sacræ scripturæ. Dicit enim Luc. *Venient in nomine meo, & contra me; eis non communicetis.* Sic Papa sub nomine Christi, & similiter in ejus nomine, vult pertinaciter officium ecclesiæ contra ecclesiam tenere ipsam dividendo: contrarius est Christi: non est ei communicandum. Item dicitur Deuter. 13. *Si venient Prophetæ, aut alii, dicentes se habere revelationem, & prædicant contra legem, non recipiantur, sed occidantur.* Item B. Joannes in Canonica sua prohibet communicare illis, qui se non conformant legi. Item ad Titum 3. dicit Apostolus, *post secundam & tertiam monitionem devita.* Item Num. XVI. præcipit Dominus recedi ab Dathan & Abiron, quia schismatici erant. Et multæ etiam auctoritates facientes ad hoc: quia ex quo quis contrariatur Deo, & facit contrarium ejus ·od ordinatur, evitandus est.

Restat respondendum ad rationes factas in contrarium per D. S. Pontii, & Jacobitam: ipsi enim in hoc & alio Concilio fecerunt fundamentum, quod non sunt facienda mala, ut dubia bona eveniant, aut certa mala, ut certa bona. Et hoc facit contra eos: quia via cessionis est talis, ut dictum est, quod quilibet tenetur prosequi, & est sub præcepto ejus prosecutio. Ex quo ergo Papa requisitus non vult eam acceptare, aliam viam, sive modum quam requisitionis, oportet practicare, scil. compulsionis, quæ ex prædictis est sub præcepto legis divinæ. Compulsio autem, seu mitius remedium, & mitius est subtractio. Igitur subtractio est legis divinæ, & necessaria: ergo eam omittere propter quæcumque dubia eventura esset malum facere, ut bona eveniant. Et ideo si dicatur, evenient scandala; respondendum est: non sunt mala facienda, ut bona eveniant; debemus enim nos conformare legi divinæ, nec debemus eam propter quemcumque omittere; & quidquid sequatur, respondeamus ut Mathathias: *Propitius sit nobis Deus &c.* Alias enim de rigore acrius contra Papam videtur posse procedi per prædicta. Et per hoc solvitur ad omnia in contrarium allegata.

Quando dicitur, subtractione facta pacem non habebimus. Nescio, Deus scit: sed verisimile est, quod tandem per eam habebimus: quia si adimpleverimus legem Christi, pax & omnia adjicientur nobis. Nam primo ad Christum habere debemus pacem, & ex consequenti inter nos Christianos, qui sumus ejusdem Ecclesiæ membra: caput autem est Christus. Idcirco si aliquid eveniat, respondere debemus ut Mathathias: *Propitius sit nobis Deus*: non est nobis utile relinquere legem & justitias Dei. Item Papa cum pacem procurat, Vicarius est, alias non. Sic si Dominus & Vicarius sunt discordes, omittendus est Vicarius, & adhærendum Deo infallibiliter. Nec erimus sine capite, & acephali, sed habebimus verum caput ecclesiæ Christum. Pro hoc quod dicitur, non habebimus pacem, dico contrarium, & verisimilius est: nam nemo dubitat, quin si ab initio facta fuisset subtractio, non tantum durasset schisma; obedientia enim est causa schismatis. 1. enim per obedientiam acquirit amicos, fautores, & impeditores prosecutionis Regis, & ecclesiæ Gallicanæ, qui subtracta obedientia removerentur.

Item, Alemanni, & alii non habent aliam viam, nisi cessionem; nec sciunt eam impugnare, ut vidi in Alemannia, & plures similiter viderunt. Ista prius fuit electa per Regem, & plures eam insequuntur: & sic executio ejus & practica debet esse prior. Item, nisi nunc capiatur appunctuamentum pro executione cessionis, Rex Castillæ separabit se a nobis, quia hoc ei promisimus. Item similiter Collegium Cardinalium, quod est pro subtractione: item prosecutores negotii, qui sunt de Universitate, amplius non poterunt laborare; quia Papa contra eos procedet ad exterminium, considerata ejus obstinatione, & sic non debet dari dilatio. Item sequetur aliud inconveniens, quia si Papa habeat negativam, se armabit contra Regem, armis quibus Rex deberet uti.

Item, pendente illa dilatione, Papa per promotiones & munera forsitan ad se attrahet pauperes, & ex hoc poterit evenire, quod major pars erit contra Regem, & ejus prosecutionem, antea tam sancte conclusam, quod esset maximum inconveniens & scandalum in Regno. Nec valet quod dictum est per adversarios, Papa vult facere legationes, ubi est pecunia? Dico, quod istæ legationes impediunt unionem ecclesiæ manifeste, & subtractione facta, cessarent talia impedimenta, cessantibus scil. pecuniis; & utinam nullas fecisset. Item, nec valet illud quod allegavit D. S. Pontii, quod præparabimus adventum Antichristi, nisi venerit discessio primum &c. Dico, quod hoc est contra ipsum; quia Antichristus vincet per dona & promissiones. Videtur autem nunc casus similiter docente experientia. Multi, & bene noti tempore Clementis erant pro via cessionis ardenter, ut apparebat: mortuo autem

ANNO CHRISTI 1398.

tem Clemente, Papa eos ad se attraxit per beneficia & promotiones, propter quod nunc sunt contrarii dictæ viæ, & ejus executioni, & continuo tales multiplicantur, quia vident plures se non posse promoveri, nisi sint de opinione Papæ ei adhærentes contra cessionem, & ejus executionem; & sic necesse est removere tales promotiones; alias sequeretur confusio regni, & per tales præparatur adventus Antichristi

Item, dicunt Doctores M. Nicolaus de Lyra, & alii plures, quod illa auctoritas, nisi venerit discessio primum, intelligitur quando multi recedent a fide, & fides quasi peribit; & sic Papa præparat viam, ut videtur; non autem per subtractionem; et ex hoc sequitur, quod debet fieri subractio, et debemus dicere: Propitius sit nobis Deus: non est nobis utile relinquere legem, et justitias Dei. Item, ad aliud argumentum cum dicunt, inobedire est peccatum: cui obediemus? et allegant auctoritates 1. Reg. xv. obedite Principibus licet discolis. Hoc argumentum multum movet simplices, qui non sunt elevati in materia. Allegant etiam exemplum de peccato inobedientiæ Adæ primi parentis et Luciferi primi Angeli. Ad hoc respondeo per secundam propositionem suprapositam, quia obligatio ad procurandam pacem est major, quæ sit. Si post venit obligatio a Papa in contrarium, primæ est satisfaciendum: nam etiam de jure positivo, cum veniunt duæ obligationes incompossibiles, major est sequenda. Obligatio autem prosequendi pacem et unionem major est præcepto Papæ. aut constitutione, et obediendum est magis Deo, quam hominibus.

Hæc est doctrina Petri Act. 5. Princeps sacerdotum prohibuit Petro, ne prædicaret legem Christi. Respondit Petrus: oportet Deo magis obedire, quam hominibus: sic si Rex præcipit unum, et Vassallus contrarium, Regi est obediendum. Ita in proposito. Christo est obediendum, quia Rex est: Papæ autem præcipienti non est obediendum sed dicendum: Propitius sit nobis Deus etc. Et per hoc solvitur argumentum de juramento episcoporum facto Papæ de manutenendo, et conservando etc. Licet alii dederint solutionem, quod istud juramentum introductum est in favorem ecclesiæ; nam obligatio ad pacem ecclesiæ, et juramentum Papæ præstitum possunt esse contraria: oportet contra unum venire, et non est dubium, quod magis legi Dei, quam juramento est obediendum.

Item, quando subditus habet plures Dominos, superiorem scil. et medium, medius autem non servat fidelitatem D. superiori, subditus Domino suo immediato obedire non tenetur; alias participaret in crimine domini, et reputaretur proditor. Et hoc fundatur in jure divino et naturali, sic. Prima Dei institutione hominis in statu innocentiæ omnia animalia, leones etc. sibi obediebant, sed per peccatum et inobedientiam Adæ contra Deum commissam, bestiæ contra eum rebellarunt. Sic in proposito: Papa inobediendo superiori Domino, cui ex debito et juramento tenetur, se reddit indignum, quod sibi obediatur. Item habemus etiam exemplum de Lucifero, qui erat summus Prælatus ecclesiæ triumphantis, ceterisque Angelis datus erat, ut præesset, sed propter inobedientiam ejus erga Deum commissam, alii boni Angeli ab eo discesserunt, et nunc verbo Domini sunt consolidati. Ita quod de cætero casu mali quem non pertimescunt; hoc nempe tunc promeruerunt, quando perverso Prælato non consenserunt, ut dicit Augustinus in lib. Cur Deus homo ad Deodat. c. 1. et in hoc recessu non fuit processus, neque sententia. Nam Michael exsequutus fuit, ut habetur Apocalypsis 1v. cap.

Item, rationes, quas afferunt adversarii procederent forte, si unicus esset pacificus notorie Papa in ecclesia, quod hodie non est verum: nam duo perniciose contendunt, unde dolor. Contendere autem de Papatu est maxime reprobatum; unde dicit quoddam decretum vetus, et est Isidori: *Oblationes dissidentium fratrum non recipiantur &c.* Et Doctores, cum de contendentibus de Papatu loquuti sunt, semper in malum contendentium loquuti sunt; ut verbi gratia, Sarisberiensis, cujus tempore fuit schisma. Ipse enim optabat contendentes in marina insula reponendos, solos ad invicem pugnaturos &c. ut habetur in Policraticon 1.

Ex prædictis apparet responsio ad rationes. Cum dicitur: cui obediemus? Dico, quod Deo est obediendum. Obedientia enim, quæ est virtus, debet habere bonum principaliter in respectu; sed cum est contrarietas inter Deum et creaturam, qui creaturæ obedit, provocat super se indignationem Dei, et ei obedire, esset ei in crimine consentire, propter quod Deus contrariatur creaturæ: quare &c. Item ad aliud, cum dicitur: Obediendum est Principibus etc. dico, quod non facit ad propositum; illæ enim auctoritates loquuntur in dominis et principibus temporalibus, qui non erant Christiani, et aliquot habebant servitores, et officiarios Christianos. Illi enim Christiani fideliter obedire debent, et moventur in officiis suis, non vero in præjudicium Dei et Christianitatis. Sicut tempore Juliani Apostatæ Imperatoris, milites Christiani sibi serviebant ad tuitionem populi, non autem in præjudicium fidei et Christianitatis. Item, ad aliam rationem, cum dicunt, quod non pertinet ad Regem, aut principes sæculares, aut istam congregationem tractare istam materiam, quæ est ecclesiastica, et allegant exemplum de Osa, qui fuit percussus lepra etc.

Solutio. Dico, quod ista auctoritas bene intellecta facit contra eos. Osa enim non erat laicus, aut princeps sæcularis, sed erat sacerdos, ut dicit glossa ordinaria. Officium autem sacerdotis, seu presbyteri erat sustinere arcam, et in propria persona deferre; et quia Osa faciebat arcam deferri per boves, et ita per alium, non per se, ut tenebatur, ideo Dominus indignatus, quia reddiderat se indignum tangere arcam. Sic autem in proposito; nam Papa qui est principaliter ordinatus ad pacem et unitatem ecclesiæ conservandam, ut est dictum, contrarium operatur, et ex ipso, et per ipsum durat, et protelatur divisio; idcirco se reddit indignum regimine ecclesiæ, & obedientia, & debent Principes permittere, procurare & evellere schisma, pro quo ponuntur propositiones.

Prima propositio est, quod cuilibet Christiano pertinet prosequi viam cessionis, & ad hoc tenetur quilibet pluribus casibus. 1. Obligatur quilibet obligatione, qua tenetur fidelitati debitæ Christo Jesu. Qui enim vident ejus sponsam periclitari, providere debent. Item obligan-

ANNO CHRISTI 1398.

gantur obligatione, qua filius tenetur matri: non enim debet filius permittere matrem detrimentum recipere; & si contra faceret, non esset naturalis; etiamsi dilationem caperet. Item, etiam quilibet obligatur hoc prosequi obligatione, qua Papa obligatur, ne salutis ejus sit contemptor; per subtractionem enim magis erimus illi fideles, quam alii, cum ejus salutem, sicut & aliorum prosequamur.

Ex quo sequitur, quod quilibet tenetur prosequi toto posse, & sine dilatione subtrahere. Hoc autem faciendi quilibet habet auctoritatem pluribus casibus. 1. Dat auctoritatem necessitas; qui enim vellet alicui vitam corporalem tollere, se deberet defendere: nec ad hoc requiritur sententia, aut processus, & quanto dilatio in talibus est periculosior, tanto minus dari debet dilatio. Item dat auctoritatem servor charitatis, sicut Mathathias propter charitatem statim interfecit Judæum adorantem, nec expectavit judicium. Item dat auctoritatem lex divina, quæ præcipit cessionem prosequi, & exsequi, quod fieri non potest nisi per subtractionem, quæ est mite remedium, ut est dictum, cum de facto nihil sibi removetur, & quam nisi faciemus, erimus consentientes peccato suo in Deum & ecclesiam commisso, & erimus fautores schismatis. Item etiam hoc præcipit conscientia instructa & regulata secundum doctrinam Evangelicam, quæ præcipit fidelium unionem prosequi; ex quibus apparet, quod omnibus fidelibus christianis hoc competit.

Secunda propositio est. Quod in speciali ad Prælatos pertinet, & etiam ad Principes &c. Primo ad Prælatos quoad eorum officium: nam corpora & animas habent subditas producendas ad Paradisum: & licet simplices non se subtraherent, ipsi tamen tenentur, ut salvi fiant. Alias peccatum simplicium esset super Prælatos, & non debent pati subditos & oves esse in potestate Lupi. Ideo sine dilatione debent subtrahere, ne ei communicent in crimine. Et si essent aliqui, qui vellent contrarium facere, dico, quod Rex D. N. ex fidelitate, quam habet ad Christum & Ecclesiam, deberet se tacere partem, & eos punire, ut est supradictum, & maxime quia Rex Franciæ: cum sit institutus ad pacem Ecclesiæ, expugnando schismaticos.

Considerandum enim est 1. quod ipse incœpit prosequi unionem, nec Princeps aliquis se intromittebat, & sic Deus ad hoc videtur ipsum inspirasse, & ei specialiter commisisse, quodque alii quam plures eum insequuti sunt, & eum insequuntur. Item, quia ipse D. Rex cœpit serpentem insidiari, & contra eum bellare, & continue obtinuit, quod via sua acceptatur, & in tantum schisma diminutum est, & nisi Rex continuaret, schisma augeretur. Unde via Regis comparari potest virgæ Moysi, quæ coram Pharaone in terram projecta, erat serpens. Sic quamdiu Rex istam virgam in manu tenebit, ducet populum suum in terram promissionis, id est pacis; sed si eam dimitteret, caderet in terram, & esset serpens, quoniam schisma visibiliter perpetuaretur: & sic patet, quod ad D. N. Regem speciali privilegio pertinet prosequi cessionem, & ejus exsequutionem.

Tertia propositio est. Quod ad Regem pertinet hujus viæ prosequutio & exsequutio tanquam ad Principem, & ad hunc titulum, quia princeps. Habent enim Principes auctoritatem 1. quia potentiores; pauperes enim non possent talia exsequi. 2. Habent auctoritatem a jure naturali, & a jure canonico, ut Patriarcha deduxit, & alii DD. mei, pro ista parte proponentes; item a jure divino, & de hoc jure allego tria exempla. Primum 3. Reg. 2. Salomon de Sacerdotio se intromisit, & deposuit Abiathar. Item 4. Reg. 12. Rex Joas misit manum ad pecunias Templi, fecitque argentum applicari necessitatibus synagogæ, & Templi; & si hoc licet pro materiali Ecclesia, fortiori ratione pro spirituali.

Iem, aliud exemplum habetur 4. Reg. 28. ubi Josias, cujus tempore Ecclesia seu Templum erat destructum, & etiam presbyteri Templo non deserviebant, de utroque statuit. Immo fecit reædificari Templum de pecuniis Templi, & fecit etiam legem observari. Item. Nam Honorius Imperator, tempore Bonifacii 1. duos deposuit, & post fecit constitutionem, si duo forte. Ex quibus patet, quod pluribus modis ad Principes pertinet providere paci, & bono publico Ecclesiæ.

Restat respondere ad unam propositionem sophisticam, de qua ut plurimum vexillum fecerunt adversarii coram vestris metuendissimis Dominationibus, scientes vos popularem tumultum timere. Dicunt enim, quod subtrahere obedientiam D. N. Papæ esset dare occasionem subditis, seu popularibus, non obedire Principibus, seu eorum Dominis temporalibus: ex quo sequerentur rebelliones, rixæ, & alia innumerabilia inconvenientia, prout late deduxerunt. Ista enim non sunt nisi minas, nec bene intelligentibus aliquid faciunt ad propositum. Supponunt enim, quod idem, seu similis sit casus in Domino temporali, & Dignitate, seu administratione spiritali, cum tam plures sint differentiæ.

Primam enim differentiam dedit Christus in Evangelio. *Reges Gentium dominantur eorum; vos autem non sic; sed qui major est, fit sicut minister*, ait Christus Apostolis quærentibus quis eorum esset major. Et sic major debet esse humilior, & servus omnium; & qui plura habet, minor est, & plus obligatur; & ob hoc dicit Apostolus: *Non quasi dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo*. Et sic non est similitudo inter Præsidentem Ecclesiasticum, & temporalem; nam Ecclesiastici solum sunt ministri. Scribit enim B. Bernardus ad Eugenium Papam: *Scias, quod Ecclesia Romana non est domina Ecclesiarum, sed magistra*. Unde Papa non est dominus Episcoporum, sed unus ipsorum. Unde Principes ordinantur, ut dominentur; non sic de Ecclesiasticis, qui ordinantur, ut serviant subditis, & major dicitur, qui majorem habet servitutem, & officium administrationis. Monent Doctores, quod Papa non est dominus rerum Ecclesiæ, & hoc tenet Godofr. de Fontibus. Quærunt etiam Doctores, an Papa possit committere Simoniam? Et arguunt, quod non, quia omnia Ecclesiæ bona sunt sua, & sic ea vendere potest: non obstantibus quorum allegationibus S. Thomas dicit contrarium, & quod vendendo beneficium, esset Simoniacus, quia non est dominus beneficiorum, & bonorum Ecclesiæ: in casu enim subjicitur Ecclesiæ; & hæc est prima differentia.

Secunda dissimilitudo, aut differentia est; divisio dominationis in temporalibus non est con-

ANNO CHRISTI 1398.

contra salutem animæ, licet esset alioquin contra bona temporalia. Aliquoties enim bellum utile videtur: ad quod facit illud, quod recitat Augustinus de Civit. Dei. Romani, finito bello contra Carthaginienses, habita victoria, consilium invicem habuerunt, an expediebat in quiete stare, & non movere bellum. Finaliter concluserunt, quod expediebat, ut bellum aliquod haberent pro exercitio habendo, ne otio vacarent, & inter se bella haberent: secus est de pace Ecclesiæ, quia est necessaria ad salutem.

Tertia differentia est, quod secundum diversitatem regionum & hominum possunt, immo convenientius necesse est divisos principes temporales, & diversa regimina, nec oportet, quod sit unicus princeps; sed oportet, quod simus uniti in una fide & charitate sub uno vicario juxta dictum Apostoli: *una fides, unum baptisma &c.*

Quarta differentia est; nam ensis materialis non potest per totum extendi; secus est in spiritali ense, & censura.

Quinta differentia est; nam damnum principum sæcularium, etiam dominando in subditos contra consuetum, est temporale & modicum, respectu mali schismatis seu divisionis Ecclesiæ, ut est clarum.

Sexta differentia est; Principes sæculares non sunt subditi politiæ, ideo non possunt compelli cedere dominationi, Papa autem est subditus Ecclesiæ; ideo Ecclesia, quæ est superior, potest inquirere ut cedat, cum subditos occidit spiritualiter, injuste detinendo.

Item, Principes sæculares sunt domini pro se, & suis hæredibus: non sic est in Papa, ut clarum est. Non ergo valet argumentum de dominio temporali ad spirituale; & sic cum defectus Papæ est ita perniciosus, quod non potest tolerari, salva conscientia, subditus eum potest compellere ad salutem. Ideo Paulus Petrum reprehendit, nec propter hoc indignatus fuit Petrus, & sic voluntas Dei est, quod Papæ perturbanti, aut impedienti bonum Ecclesiæ, quilibet se opponat; quodque si monitus non desistat, ab eius obedientia recedatur. Monitiones autem notorie factæ sunt, ut supra.

Omnia alia argumenta solvuntur propter necessitatem provisionis, ut dictum est. Est igitur sibi obediendum, & ei sine dilatione resistendum, ne simus ei in crimine consentientes, fautores, & nutritores schismatis. Ad quod faciendum, ut est dictum, compellit propria & Ecclesiæ salutis necessitas, quæ absolvit, & dispensat contra omnem legem positivam. Hæc sint dicta sub correctione ante facta.

Finita discussione prædicta, die Lunæ xi. Junii præsentibus DD. Ducibus memoratis, & universo cœtu Episcoporum, Abbatum, Capitulorum, & Doctorum supra dictorum, per organum supra dicti D. Cancellarii, pro parte Regis & Concilii, appunctuata sunt, quæ sequuntur.

Primo, quia pro parte proponentium contra subtractionem, minæ saltem tacitæ visæ sunt inferri, aut verisimiliter plures possent timere, deliberare contra Papæ voluntatem, prætextu potentiæ Papæ, ob perditionem status, aut similes causas; ex parte Regis, & Concilii præcipitur, quod quilibet in Concilio existens, omni timore postposito, deliberet secundum conscientiam suam; quoniam Rex, & DD. Principes promittunt singulos servare ab omni violentia, & oppressione, hujus occasione per Papam, aut quemlibet alium inferenda, quoad personas bonas, & status.

2. Quia pro parte eorumdem proponentium tactum esse videtur, quod non tenetur quis Regem insequi, aut obedire, si decerneret subtrahendum &c. Ex parte prædicti D. N. Regis determinatur, & vobis intimatur, quod si contingat subtractionem a dicto D. N. rege acceptari, & aliquis contradicat Regi contra determinationem Concilii, non obediendo, reputabitur schismaticus, fautor, nutritor schismatis: & ut talis taliter punietur, quod cedet cæteris in exemplum.

3. Quia similiter pro eorumdem parte tangi videbatur, quod si fieret subtractio, fierent impressiones in electionibus per principes laicos & nobiles, in collationibus &c. Ex parte dicti D. N. Regis dico, quod ejus intentio est, si fiat subtractio, teneri capitula, & conventus libere in electionibus absque omni impressione & violentia, & si qui sint contrarium facientes, taliter eos puniet, quod cedet cæteris in exemplum.

4. Quia similiter pro eadem parte tangebatur quod etiam si fieret subtractio, Rex caperet pecunias Ecclesiæ, procurationes, annatas &c. ex parte dicti D. N. Regis vobis dico, quod hoc non faciet, nec facere intendit; quin immo est ejus intentio, si per hoc Concilium fiat, & acceptetur subtractio, Ecclesiam regni sui tenere in antiqua sua libertate.

Istis promissis ex parte Regis & Concilii ordinatur, quod præsentibus DD. Ducibus præsidentibus, Notario regio, & aliquibus regiis consiliariis, modicus quilibet in Concilio existens super facti propositis dicat suam opinionem verbaliter, quæ per deputatum Notarium redigetur in scriptis: quibus peractis in negotio Deo prævio concludetur; inhibeturque singulis, ne ante conclusionem Concilii recedant ad propria.

In examinatione autem opinionum fuerunt præsentes DD. Duces Bituriæ, Burgundiæ, Aurelianensis, & Borbonii prædicti, D. Cancellarius Franciæ supra nominatus, D. Petrus de Gayac quondam Cancellarius, & Regis Consiliarius, Notarius autem regius qui opiniones singulas conscripsit, erat vir probus & honestus M. Joannes Hue canonicus Parisiensis. Singuli autem Prælati, Abbates, & procuratores Capitulorum & universitatum, præsenti ligno S. Crucis, & tactis sacrosanctis Evangeliis, opiniones suas dixerunt, jurati & requisiti; & ne variatio, seu inconstantia aut defectus in judicando, & eligendo interveniret, singuli etiam prædicti in scriptis, & cedula signata signo manuali, dictas suas opiniones coram dictis DD. Ducibus dicto Notario tradiderunt, ut securior eliceretur conclusio.

At vero Parisiensis Universitas Deum, non hominem timens, ut luceret lux ejus coram hominibus, & glorificaret Deum Patrem, qui in cælis est, per organum Rectoris ejus, videl. M. Joannis Roucelli, coram DD. Ducibus, universo cœtu prædicto, ac universis in aula Concilii audire volentibus, cunctis ostio aperto, opinionem suam in Gallico fecit legi & tradi, prout in sequenti cedula continetur, DD. prædictis offerendo, quod de hac cedula fieret littera sigillata sigillo Universitatis, si eis placeret; eratque dicta cedula sequens signata

signis

ANNO CHRISTI 1398

signis quatuor Notariorum, aut quinque; & fuit hoc actum 13. die dicti mensis Junii, aut circiter, quia diem non registravi præcisam.

L'Université de Paris despieça apres plusieures meures deliberations eues sur le fait de la prosecution de la voye de cession, & de l'union de l'Eglise, delibera, & conclut, qu'il luy sembloit licite & expedient, que l'on ne tolerast plus ni souffrist plus que le Pape donnast les benefices Ecclesiastiques, ni exigeast, ni levast aucuns profits, ni emoluments pecuniaires de ce Royaume; car ces choses nourrissent le schisme, & empeschent l'union de l'Eglise, & cecy fit proposer plusieures fois devant le Roy, en la presence de vous, Messeigneurs, en requierant que le Roy voulsist a ce entendre, & le mettre a execution; & depuis a eu plusieurs traittiés, assemblées, discussions, & deliberations en cette matiere, tant ensemble, que chacune Faculté & Nation par soy. Et certainement, & de nouvel, c'est a savoir l'an. 1398. le xi de Juin a 8. heures au matin, les Maistres & Docteurs des quattre Facultés furent appellés deuement, & tres-solemnellement par leur serment a deliberer en cette matiere, & requis a y deliberer a l'honneur de Dieu, & de l union de la Sainte Eglise. Finablement les quattre Facultés pour ce, tres solemnellement assemblées, comme dit est, c'est a savoir les Facultes de Theologie, & de Decret, d'un commun consentement & accord, sans contradiction d'aucun. Item la Faculté de Medicine; item la Faculte des Arts, constituée des quatre Nations; c'est a savoir France, Picardie, Normandie, & Angleterre, en la quelle estoit le nombre de 400. Maitres, ou environ: les quels Maistres plusieurs sont gradués en autres Facultés, comme Licentiés en Theologie, en Decret, en Droit civil, & Medicine, & plusieurs autres Bacheliers en dittes Facultes. Pour plusieures causes raisonnables touchées pour grande partie en cest present Conseil, en ajustant a la deliberation & conclusion dessus touchée, de la quelle ils ne se pensent pas par ce departir: pour l'extirpation de ce present scisme, & union de l'Eglise avoir, firent conclusion, que l'on doit des maintenant cesser, & soy departir du tout de l'obeissance de N. S. Pere.

Finito verbo, D. Cancellarius supradictus requisivit ex parte DD. Rectores, Decanos, & Procuratores, ut de hoc darent litteram sigillatam, ut supra oblatum erat, traditaque fuit præsentibus universis supra dicta cedula, & fuit sigillata sigillis Facultatis Theologiæ, Decretorum, Medicinæ, quatuor supra dictarum Nationum, & sigillo magno Universitatis, in ea itaque pendebant octo sigilla, & continet ut sequitur.

Christianissimo, & orthodoxæ religionis amantissimo Principi Carolo Dei gratia Regi Francorum illustrissimo devota suæ majestatis regiæ filia Universitas studii Paris. devotum in beneplacitis obsequium, atque filialis obedientiæ sinceritatem. Sæpe numero flevimus, Christianissime Princeps, super hac tanta, tam horrenda desolatione sanctæ matris Ecclesiæ, & pro doloribus maximis ex ejus desolatione satis superque durante subortis, plurimum ingemuimus. Pio sibi compatientes animo flevimus iterum, & quis a lacrymis temperaret? Quis adeo durus est? Quis ferino tigridum lacte sic pastus est, ut ipsa pietate non moveatur? In quo non excitetur dolor ingens, atque cordis magna contritio? Tam grandis haud dubie, tam effera, tam immanis est hæc afflictio, ut si tacuerimus, si non Ecclesiæ, piis mentibus juxta nostram potestatem subvenerimus, parietes illam criminabuntur, & causam istam agere gestient. Numquid prorsus monstri simile est? Nonne discordia scissa palla vultu gaudenti, fronte superba, fulmineum ensem manu gestans, viperos suos angues nunc huc, nunc illuc jaciens, uti victrix, per nostri medium sine metu perambulans, ante se suis gestibus flumina sanguinis futura designat? Deus optime! an est aliquis, qui nesciat cuilibet catholico permultum incumbere, ut pro suo posse laboret ad hanc invictissimam belluam e medio nostri confestim abjiciendam, ut pacis optatissimæ procuret adventum, ut mortis terminum, vitæ principium totis quærat conatibus? Vos, Christianissime Princeps, vos ea res profecto non latuit, qui semper toto studio, tota cura, tota vigilantia, postquam in virum perfectum vos Deus adduxit, pacem quæsivistis, christianissimorum vestrorum progenitorum atque gloriosissimorum audacter morem imitando, qui monstra semper, pro viribus quas gerebant maxima, ab Ecclesia sancta repulerunt.

Jam in hac causa tantum per vos effectum est, ut eamdem unionem cæteri Principes fideles una vobiscum perquirant, & ut quam celerrime schismati nefandissimo finis imponatur, in mentem vestram generosissimam, disponente Deo, sicut credimus, impulsum est Concilium celeberrimum ex Principibus, Prælatis, & Clericis Regni vestri convocari, ut qua ratione sit ab hinc procedendum plane noscere tis: ubi sententiam nostram poscere vestra Regia majestas dignata est. Quamobrem, Christianiss. Princeps, vestris semper jussis & mandatis obedire cupientes sicut tenemur obnoxii, & hac re, quæ agitatur, non modicum permoti, pluries solemniter congregati fuimus, ut in discutiendo vias hinc inde, rectus procedendi modus, & secundum Dei justitias & leges per nos posset inveniri, atque regiæ vestræ Majestati præsentari. Tandem vero rebus multis inter nos versatis, & revolutis, nobis apparuit, ab una nostra deliberatione, quam alias vestro conspectui, cum suis rationibus, motivis, & coloribus fecimus proponi, nihil esse detrahendum, sed multum superaddendum. Judicabamus enim, Princeps Christianissime, expedire maxime prosequendam schismatis eradicationem præproperam, quod summo Pontifici non toleraretur amplius, aut permitteretur, ipso schismate durante, beneficiorum collatio, ac etiam pecuniarum exactio. Ex iis sane, quæ diebus ante actis videramus, quid esset futurum faciliter tenebamus. Nam quis dubitat talia magnas vires huic schismati ministrasse, aut pacis & unionis adventum percelerem impedisse?

Profecto rebus ejusmodi D. Benedictus plurimos sibi faventes comparavit, qui cum prius tota mente pacem quærerent, posterius in alteram abiere sententiam, & utique parabit adhuc; ad id enim nititur, quamdiu in suis manibus unde comparet habebit. Quare non injuria veriti sumus, & veremur adhuc, ne si res sub tali dispositione manerent, plures qui nunc affectione magna pacem procurant, non tantum refrigescerent, sed etiam magnopere pacis ipsius adventum protelarent. Nunc autem,

ANNO CHRISTI 1398.

tem, princeps Christianissime, videntes causam ipsam, per Principum fidelium & suorum subditorum consilium & consensum in viam per vos electam, videl. cessionis amborum contendentium de Papatu, de die in diem magis prosperari, viresque majores sumere, divina, nisi fallimur, id operante gratia, huic deliberationi nihil ejus infringentes, superaddimus aliud ex communi concordia quatuor Facultatum solemniter & per juramentum convocatarum, ne una quidem Natione sentiente contrarium, sed consentiente qualibet, & deliberante. Nam exhibitio hujus obedientiæ, quam D. Benedicto præstamus, ad teterrimi schismatis perpetuas tendit moras. Quid ita? Quia D. Benedictus in tantis tribulationibus, quas Ecclesia sancta Dei gemens, plorans, & crebro pacem vociferans, perpetitur, nullum illi fert levamen; quia potius, sicuti vos, Christianiss. Princeps, optime novistis, eos qui suis suadent nutibus ut eam prono favore his miseriis educat, odit, perversos censet, & pro suis inimicis eos ducit; viam unam divinam, saluberrimam, & optimam, de qua jam mentionem fecimus, tamquam veneno turpatam penitus a se repellit, nec tantum eam repellit, sed ne fideles ipsi consentiant in eam, totis viribus impedit. Nec tantum eam impedit, sed nec illam offert, quin constet prorsus nullius esse valoris, aut fructus, quin plurimis spinis & tribulis referta sit. In suo tantum est errore firmatus, ut quod alii singuli verum credant, in materia specialiter tangente universalem statum Ecclesiæ falsum arbitretur; quodquod rectum putet iniquum, & periculosis assertionibus Catholicam enitatur pervertere veritatem; quod jus quodlibet humanum trantgredi videtur, id non juridicum asserat, sed juribus refutandum.

Oh scelesta! oh veritatis hostis! oh cæca, & damnabilis ambitio! tuisne viribus, num quibus aliis schisma retinetur? nos sic totos perturbabis! unum hominem credere, id cui cæteri dissentiunt, coges, tantam mundi portionem tamdiu, proh dolor! vastabis? Satis jam, satis hactenus viribus tuis usa & satis, & nimium ultra satis præsidentiæ, ac dignitatis amorem his, quorum ulterius se Papam asserit, immisisti, indurasti, Benedictum obstinatum effecisti, ac notorium pacis impeditorem. Ad eam indispositum prorsus ipsum reddidisti. Quid jam erit causæ, cur non ipsum schismaticum vehementer suspicabimur?

Ah fœdum facinus! ah maculam non delebilem viribus humanis! ah culpam gravissimam! Jam is, qui sponte mortem subire pro suis ovibus ex charitate deberet, his mortuis præsidere, quam cum earum vita vivere mavult. Rectissime sane mortuis dixerimus, nam quo pacto in partibus tanta separatione disjunctis vita esset? Eheu charitas! eheu pietas! eheu prisca fides! quorsum abiistis? quibus in vos tanta licentia data est, ut pelleremini? Hæc itaque diligenti cura notantes, & attendentes, Princeps Christianissime, discussisque omni maturitate iis, quæ sunt juris & facti, juris, inquam, triplicis divini, naturalis, & humani, nedum semel, sed sæpius; non in una congregatione, sed in pluribus, rectis intentionibus, justisque conscientiis conclusimus, legem divinam maxime vos ad id adstringere, licitum, expediens, ac necessarium esse pro bono unionis ecclesiæ, vos, Princeps Christianissime, singulosque Christicolas, a Benedicti ipsius obedientia ex nunc cessare totaliter, atque recedere, Sic non modo particulariter collationes beneficiorum, atque pecuniarum exactiones, non amplius ei tolerandas asserimus, quod alias feceramus, ut dictum est; immo nec aliqualem obedientiam ei permittendam. Hæc igitur est, Christianissime Princeps, nostra super infandissimi schismatis propulsione sententia, cui, si res exigat, suas rationes, colores, atque motiva tempore congruo dabimus. Nec nos putet aliquis hoc dicere, quia de jure partis nostræ quoquo pacto diffidamus, sed sincerissima charitate pectora nostra succendente movemur, ut istud diffidium, gravius longe quam dici queat, ab ecclesiæ gremio, quantum ad nos pertinet, repellamus. Datum in nostra Congregatione generali apud S. Mathurin. super hoc specialiter congregata, ex unanimi consensu singularium Facultatum, & Nationum prædictarum, anno Domini 1398. XI. die mensis Junii, de mane, hora Primæ.

SUBTRACTIO TOTALIS OBEDIENTIÆ.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Anno Domini 1398. die Dominica 28. Julii; prælatis Regni Franciæ, & Clero, ad Concilium convocatis in palatio regio Parisiis, præsentibus, & præsidentibus ex parte Regis DD. Ducibus Bituriæ & Burgundiæ Regis patruis, assistenteque D. Duce Borbonii, sed pro tunc absente D. Duce Aurelianensi fratre Regis, super conclusione habenda in Concilio Prælatorum, quod tunc celebrabatur, super unione ponenda in ecclesia sancta Dei per viam cessionis amborum contendentium de Papatu practicandam per subtractionem obedientiæ totalis a Papa, nec particularis tantum, sed per subtractionem collationum beneficiorum, & receptionem pecuniarum ratione procurationum, & primarum annatarum beneficiorum vacantium &c. Dictum fuit per os D. Arnaldi de Corbeja, viri utique discretissimi, regisque Francorum Cancellarii illud quod sequitur in effectu Primo.

Dixit, quod ex ordinatione & præcepto regis, & DD. Ducum præsidentium ea dicebat, & diceret, quæ dicturus erat &c. Quo præmisso recitavit succincte, qualiter Rex mandaverat Prælatos, Universitates, & Capitula, ire ad Concilium, ut sibi darent opiniones suas & consilium super modo sedandi istud dolorosum schisma, quod diu, proh dolor! viguit & viget in ecclesia sancta Dei. Recitando postea qualiter alias in alio Concilio per Regem & Prælatos celebrato, conclusa fuerat via cessionis, tamquam melior, & tamquam sola, per quam unio in ecclesia Dei perfecte posset obtineri; fueratque in eodem Concilio advisatum, quod Papa summaretur notabiliter, ut decebat, ut dictam cessionis acceptaret viam, in casu quo alter contendens de Papatu eam acceptaret. Ad quem Papam summandum solemniores, quos potuit, misit Rex legatos, illustriss. scilicet Principes DD. Duces Bituriæ, & Burgundiæ suos patruos, & D. Ducem Aurelianen. suum germanum, qui humiliter requisierunt, & supplicaverunt D. Papæ, eum summando, quod vellet viam præfatam cessionis accipere in casu &c. & illud idem supplicaverunt Papæ DD. Cardinales excepto uno &c. Papa vero dictis supplicationibus & requestis non

ANNO CHRISTI 1398.

non acquiescens, nec obtemperans, ipsam viam cessionis recusavit &c. Recesserunt igitur DD. Duces, & Regi suas fecerunt relationes; quibus factis & auditis Rex eum magna deliberatione concilium Prælatorum regni sui iterum convocavit, ut advisaretur, quid utilius esset agendum in facto unionis ecclesiæ; voluitque & ordinavit, quod D. Dux Aurelianensis in eodem concilio præsideret; quo concilio solemniter & diligentissime celebrato fuit advisatum, quod major pars Concilii erat in opinione, quod Papa adhuc summaretur, licet magna pars Concilii tum esset in contrarium, sed quod sine alia summatione fieret subtractio. Rex tamen mature volens procedere, voluit pro securiori, quod Papa adhuc summaretur; & super hoc colloquium habuit cum Rege Angliæ, & cum Rege Castillæ, qui condescendentes cum via Regis, sive cessionis, unanimi consensu voluerunt mittere legatos pro summatione, ambobus de Papatu contendentibus facienda; & in casu quod dictam cessionis viam non acceptarent, contra eos procederetur, & ad executionem viæ cessionis omnibus viis & modis possibilibus. Misit itaque Rex solemnes legatos, qui Papam summarunt &c. Quod intra festum Purificationis tunc proxime futurum vellet dictam cessionis acceptare viam. Papa tamen, ut prius non acceptavit, sed recusavit. Recesserunt vero legati Regis, & una cum regis Angliæ & regis Castillæ legatis adiverunt Romam, & illum de Roma super via cessionis acceptanda summaverunt; quo eam recusante recesserunt legati, & ad Regem pro suis faciendis relationibus accesserunt. Quibus factis, & auditis, consideratisque diligenter, & pensatis responsionibus amborum contendentium de Papatu, cæterisque circa hoc considerandis, Rex iterum nunc convocavit Prælatos & Clerum ad Concilium, ut advisaretur quid ulterius esset agendum, & qualiter dicta cessionis via posset practicari, vel executioni debitæ perduci. Ordinavitque Rex multis aliis impedimentis occupatus, DD. Duces Bituriæ, Burgundiæ, & Aurelianensem in eodem Concilio fore præsidentes: quodque materia affirmative, sive quod licitum sit, & expediat, in casu præsentis schismatis facere Papæ subtractionem, per sex solemnes Clericos ex una parte aperiretur, & per sex alios ex alia parte aperiretur negative, sive quod non expedit, nec est licitum in casu præsenti Papæ facere subtractionem. Qua materia solemnissime hinc inde aperta, dictoque in ea quidquid poterat dici & allegari; DD. Duces discretissime ac diligentissime singulorum in Concilio vocatorum opiniones, & vocata scrutati sunt, præstito primitus a quolibet juramento super sancta Dei Evangelia, quod secundum Deum, & propriam conscientiam haberet deliberare, & opinionem suam dicere. Audierunt igitur DD. Duces opiniones plusquam trecentarum personarum, & eum hoc, quatuor Universitatum, scil. Parisiensis, Aurelianensis, Andegavensis, & Montispessulanæ, & ex abundanti voluerunt pro tutiori, quod quilibet traderet opinionem suam in cedula, proprio signo signata, quod & ita factum est. Hoc igitur facto DD. Duces diligentissime opiniones & cedulas singulorum visitaverunt, ad partem unam cedulas facientes pro una opinione, ad aliam partem alias, & ad aliam partem reliquas ponendo. Iis præterea expeditis advisatum est, quod ad Regem spectabat auditis opinionibus facere conclusionem. Propterea DD. Duces heri fuerunt apud regem super isto facto, & ei recitaverunt totum processum Concilii, & qualiter reperierunt 247. voces, quod fiat Papæ subtractio obedientiæ, quousque condescenderit in viam cessionis effectualiter, & per eam posuerit in ecclesia Dei unionem. Fuerunt etiam 18. vel 20. voces, quod concluderetur subtractio ex nunc, sed differretur ejus executio usque ad certum tempus, intra quod Papa iterum summaretur. Fuerunt præterea 16. aut 18. voces, quod Papa adhuc summaretur; quo summato congregaretur clerus suæ obedientiæ ad Concilium, & quidquid ordinaret Concilium, exequeretur. Fuerunt postremo aliquæ voces, paucæ in numero, quæ erant singulares in dictis, nec ad aliquam opinionem præcedentem se applicabant, de quibus, quia paucæ, & singulares, non multum est curandum: & adversum quod de magna opinione, quod fiat subtractio sine summatione aliqua, fuerunt quatuor Universitates præfatæ, scil. Parisiensis, Aurelianensis, Andegavensis, & Montispessulæ: quælibet tamen Universitas fuit computata solum pro una voce. Hujus etiam opinionis fuerunt DD Duces hic præsentes, videl. Bituriæ, Burgundiæ, Borbonii, & plures DD. absentes, sicut Dux Barrensis, Comes Alenconii, Dux Lotharinghiæ, & Comes Sabaudiæ cum quampluribus aliis. Unus tamen de magnis DD. nostris de Francia, licet vellet quod concluderetur subtractio, bene voluisset tamen, quod executio dilata fuisset usque ad certum tempus, & quod interim fuisset Papa summatus. Rex igitur omnibus his diligenter auditis, & attente, regratiatus est DD. Ducibus avunculis suis de pœna, diligentia, & labore per eos sumptis in hoc concilio; dixitque, quod auditis narratis per avunculos suos consideratis, volebat, quod juxta majorem & saniorem Concilii partem fieret Conclusio, fueritque semper hujus intentionis & voluntatis, quod secundum deliberationem majoris & sanioris partis fieret, & exequeretur, & pro illa concludebat, sive quod fiat ex nunc subtractio Papæ totius obedientiæ, sine ulteriori summatione, vel dilatione quacumque. Quibus omnibus per Cancellarium recitatis & prolatis subjunxit ex parte Regis, & de ejus præcepto dictam conclusionem, & alia coram cunctis edicebat. Si tamen plus, vel minus dixerat, quam sibi injunctum erat, de omnibus se referebat ad litteras, quæ super hoc ex parte Regis notabiliter fierent, & publicarentur.

Subjunxit quoque quod Rex duobus ejus secretariis injunxerat, & præceperat, quod omnes circa hæc litteras necessarias haberent conficere, per quas plenius materia, seu intentio Regis poterit apparere. Dixit etiam, quod DD. Cardinales antiqui erant hujus opinionis, exceptis tribus, de quibus adhuc erat spes, quod ipsi aut eorum aliqui haberent ad opinionem redire præfatam; adjecit etiam, quod Rex Castillæ erat hujus opinionis, prout scripserat Regi, & de hoc habentur litteræ supra hoc per eum missæ. Nec moveantur aliqui in contrarium, quod nuper venerunt litteræ aliquæ, & copiæ litterarum ex parte ipsius, ut aliqui asserebant, quæ videbantur sonare contrarium, quia hic est unus miles legatus ex parte Regis Castillæ, qui nuper venit dicens, quod litteræ prædictæ numquam de mente Regis Castillæ processerunt, immo stabat in aliis scriptis

ANNO CHRISTI 1398.

ptis & primo proposito. Subsequenter dixit ex parte Regis, quod Prælati & alii non recederent adhuc, quousque esset advisatum de exsequutione hujus conclusionis, & appunctuatum, & ordinatum de aliquibus punctis hujus negotii, & totam ecclesiam tangentibus, quod in brevi fiet, & pro tam notabili conclusione dixit ex parte Regis, & DD. quod in hac septimana, sive die Jovis proxima fieret solemnis processio populi generalis ad S. Genovefam, in qua per notabilem quemdam Magistrum in Theologia ibidem sermocinantem, durante sermone conclusio præfata ex parte Regis populo manifestaretur. Consequenter dixit, quod nullus occasione hujus Conclusionis habeat formidare, seu aliqualiter timere, quia Rex omnes ponit in sua protectione, & salva guardia speciali, & eos intendit tueri & defendere ab omni violentia & oppressione, seu turbatione quacumque, quas propter prædicta possent pati quovis modo, vel incurrere. Subjunxit denique, quod intentionis Regis est providere, quod ecclesia Gallicana de cætero in omnem eventum habeat in suis antiquis franchisiis & libertatibus remanere, ipsisque uti & gaudere.

Postquam igitur Cancellarius prædicta in effectu coram cunctis elegantissime protulisset, Mag. Ferrandus legatus Regis Castillæ de præcepto DD. Ducum loquutus est, loco militis legati Regis Castillæ, qui nuper venerat, qui non bene sciebat loqui Latinum, neque Gallicum; dixitque idem D. Ferrandus, quod præfatæ litteræ, & copiæ litterarum, de quibus supra, numquam processerant de mente Regis Castillæ, nec in ejus curia de hoc aliqua mentio habebatur: immo ipse Rex in suo primo proposito Regis Franciæ scripto perstabat, ac perstare intendebat, prout testabatur miles prædictus.

His itaque finitis D. Condomensis episcopus ad genua se prostravit, ex parteque majoris partis Prælatorum DD. Ducibus supplicavit, quatenus in omnem eventum, licet non esset necessitas, sed solum pro simplicibus, ad removendum scrupulum conscientiæ, fieret ex parte Regis quædam provocatio, seu appellatio pro se & suis subditis, & adhærere volentibus. Tunc statim Cancellarius ex parte Regis & DD. dixit, quod sufficienter quoad hoc erat provisum, & quod nullus haberet dubitare, licet, prout dixit Episcopus Condomensis, hoc non erat necesse.

Dixit postremo idem Cancellarius, & ex parte Regis inhibuit, ne quis esset tam audax proferendi verbum, seu laborandi quovis modo in contrarium hujus conclusionis sub omni pœna, quam erga Regem possit incurrere.

Facto igitur fine in verbis Cancellarii D. Dux Bituricensis dixit, quod coram cunctis volebat dicere ea, quæ Rex DD. Ducibus Burgundiæ, & Borbonii, & sibi impetraverat dicenda cum præmissis, videl. quod Rex inhibet cuilibet, ne aliquod habeat dicere, vel facere quovis modo in contrarium hujus conclusionis; si quis vero contrarium fecerit, seu dixerit, si sit persona ecclesiastica, ab omni suo statu deponetur; si vero sit persona laica punietur gravi pœna jam advisata & ordinata, in tantum, quod cæteris cedet in exemplum.

Quibus per D. Bituricensem dictis & finitis, statim omnes surrexerunt, & recesserunt. Deo gratias & ejus genitrici. Amen. Utinam per hoc medium, in ecclesia sancta Dei, brevissime peroptatam consequamur unionem. Amen.

Scripta et in minutam reducta super scripta fuerunt in Concilio supradicto, anno et diebus supra dictis celebrato, per Guillelmum de Longolio de Dieppa Rothomag. diœcesis, Magistrum in Artibus, et Bachalarium in jure Canonico, qui licet singulorum minimus, et tanto indignus consortio, præsens tamen prædictis actis omnibus et allegatis interfuit Concilio: veniam petens a legentibus, si quid allegatorum per DD. proponentes in supra scriptis propositionibus omissum est. Quoniam si aliquid deest, proponentium verbi velocitate, difficultateque dicta rescribendi, aut ignavia, et imbecillitate proprii intellectus factum est. Plurimum tamen scientificorum virorum, minutas in dicto Concilio continue rescribentes, suis cum dictis minutis collationavit, prout potuit fideliter, et diligenter; acta postmodum in præscriptam formam grossavit, nullo addito aut remoto, quod facti et allegationis immutet formam, et effectum.

LONDINENSE CONCILIUM

In quo decreta celebratio festorum S. David, Cedda, Wenefridæ, & S. Thomæ martyris.

Anno 1398. *habitum*.

An. 1398. Ex sup. Mem. To. III. pag. 674.

De hoc concil. nihil superest præter decretum de celebratione festorum SS. David, Cedddæ, Wenefridæ, et S. Thomæ martyris expressum in constitutione Rogerii Cantuariensis archiepiscopi.

Littera archiep. Cantuar. pro celebratione festorum S. David, Cedda, wenefridæ, & S. Thomæ martyris

Eruk Vvilk. t. III. p. 334. Ex reg. Eccon. Stafford. A. fol. 16. ex MS. Bodlei. super D. I. Ad. 43.

Robertus, permissione divina Londonensis episcopus, dilecto in Christo filio archidiacono nostro London. salutem, et benedictionem.

Litteras reverendissimi in Christo Patris et domini, dom. Rogerii, Dei gratia Cant. archiepiscopi, totius Angliæ primatis, et apostolicæ sedis legati, nuper recepimus, tenorem qui sequitur verborum continentes.

Rogerius, permissione divina Cant. archiepiscopus, totius Angliæ primas, et apostolicæ sedis legatus, vener. fratri nostro domino Roberto, Dei gratia London. episcopo, salutem et fraternam in Domino charitatem. Splendor paternæ gloriæ, qui sua ineffabili mundum illuminat claritate, pia fidelium vota de ipsius clementissima majestate sperantium benigno tunc favo-

☞ favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum meritis, et precibus adjuvatur. Nos cupientes ipsos Christi fideles præcipue infra nostram provinciam commorantes Domino reddere acceptabiles, et bonorum operum factores, in ultima convocatione cleri provinciæ nostræ Cant. secundo die Mensis Martii, in ecclesia vestra Cathred. S. P. London. celebrata, de consensu vestro, aliorumque confratrum et suffraganeorum nostrorum, ac cleri prædicti, festivitates subscriptas viz. S. David episcopi et confessoris, cal. martii, cujus corpus et reliquiæ in Meneven. ac S. Ceddæ episcopi et confessoris; 6. non. Martii, cujus corpus et reliquiæ in Lich. ecclesia, necnon S. Wenefridæ virginis, in non. Novemb. cujus corpus et reliquiæ in ecclesia conventuali monasterii S. Thomæ mart. extra muros villæ Salopiæ. Cou. et Lich. diœc. ac provinciæ nostræ Cant. reconduntur, et etiam continentur, per universas ecclesias nostræ Cent. provinciæ, quamlibet viz. dictarum festivitatum, cum 9. lectionibus et cæteris omnibus ad officium SS. de quibus præmittitur, singulariter pertinentibus, de communi in locis, ubi proprium servitium de sanctis hujusmodi non habetur, ordinavimus et statuimus, annis singulis, perpetuis temporibus, a clero dictæ nostræ provinciæ devotius celebrari, diebusque prænotatis, ut præfertur, debito devotionis obsequio dicend. de eisdem, ac festa sanctorum hujusmodi sub diebus et mensibus prænotatis, in aliquo cujuslibet ecclesiæ dictæ nostræ Cant. provinciæ calendario intitulari pariter et signari. Et licet universos et singulos in regnis cælestibus constitutos, studiis honorare sollicitis, et sonoris efferre præconiis debeamus, gloriosissimum tamen episcopum et martyrem S. Thomam, nostrum et ecclesiæ nostræ, quæ omnium ecclesiarum dictæ nostræ provinciæ caput existit, et magistra, patronum, qui pro ecclesiastica libertate sanguinem suum pretiosum fudisse dignoscitur, ejus meritis et passione tota provincia nostra Cant. illustratur, ac universalis decoratur ecclesia, summis attollere vocibus, laudibus personare præcipuis et spiritualibus congruit honoribus venerari. Hacque consideratione præhabita, nos in convocatione prædicta, vestro et aliorum, de quibus præfertur, concurrente consilio pariter et assensu, commemorationem præfati gloriosi martyris S. Thomæ, ubique infra nostram provinciam semel qualibet hebdomada, viz. die martis, si convenienter id fieri poterit, alioquin alia die hebdomadæ, qua convenientius poterit, sub regula commemorationis festi loci ordinavimus etiam et statuimus debere perpetuis futuris temporibus, ad ecclesiæ nostræ et dicti martyris honorem et gloriam, laudabiliter observari. Quocirca fraternitati vestræ committimus et mandamus, firmiter injungentes, quatenus præmissa omnia et singula in civitate et diœc. vestris publicetis, et executioni debitæ demandetis, ipsaque omnibus et singulis suffraganeis nostris et confratribus in suis civitatibus et diœc. publicanda, et executioni debitæ demandanda quantocyus transmittatis.

Cæterum omnium in convocatione prædicta a nobis, nostrisque confratribus et suffraganeis, ac clero nostræ provinciæ Cant. prædictæ ob sedis apostolicæ et sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Bonifacii, divina providentia papæ IX. reverentiam pariter et honorem, ad ipsiusque domini nostri papæ requisitionem et exhortationem suis litteris bullatis, et in dicta convocatione publice exhibitis, et prælectis, de congrua subventionis auxilio, venerabili et religioso viro domino Nicolao, abbati monasterii S. Sylvestri de Nonantula, ordinis S. Benedicti Mictiv. diœceseos, ipsius domini nostri papæ referendario, ejusque et dictæ sedis nuncio ad regnum Angliæ, pro magnis et arduis Romanæ ecclesiæ negotiis provincialiter destinato, pro suis et familiæ suæ necessariis liberaliter impendendis gratiose concessum extiterat, quod de universis beneficiis ecclesiasticis dictæ nostræ provinciæ Cantuar. taxatis ad decimam, et ad decimam solvere consuetis, sibi de singulis libris singuli denarii solverentur, in suarum expensarum et erogationum, quas in prosequendo supradictæ sedis negotia ecclesiæ Anglicanæ, ac universalis ecclesiæ utilitatem notorie concernentia, gratantius effundebat, aliqualem recompensationem. Vestræ igitur fraternitati committimus et mandamus, quatenus eisdem confratribus nostris et suffraganeis omnibus et singulis auctoritate nostra in hac parte injungatis, ut eorum quilibet, quatenus se suasque civitatem et diœcesi concernit de singulis libris omnium beneficiorum ecclesiasticorum quorumcunque, tam exemptorum, quam non exemptorum, singulos denarios, ut præmittitur, citra festum Nativ. S. Joann. Bapt. proxime futurum, colligi fideliter faciat et levari; quam quidem pecuniam sic receptam et levatam, una cum portione ipsum suffraganeum nostrum quemcunque concernente, dilectis in Christo filiis, magistris Johanni Lynton, curiæ nostræ Cant. registrario, ac domino Richardo Depedene, rectori ecclesiæ beatæ Mariæ de arcubus London. nostræ immediatæ jurisdictionis receptoribus in hac parte per nos deputatis London. in hospitio dictæ curiæ nostri registrarii, quod ibidem inhabitat, citra festum translationis S. Thomæ martyris proxime futurum, persolvi integre faciat et satisfieri de eadem, vosque pro vestris civitate et diœcesi consimiliter faciatis, ut præfertur. Ad quæ omnia et singula facienda vobis et eis, quatenus quemlibet vestrum concernit, vices nostras committimus, cum coercitionis canonicæ potestate; vobisque injungimus eisdemque nostris confratribus, ut quid et quantum in vestris suis civitatibus et diœcesi contigerit et debuerit colligi et levari, nos citra dictum festum translationis S. Thomæ, ubicumque in nostris civitate et diœcesi vel provincia Cantuar. tunc fuerimus, distincte per vestras et eorum litteras patentes, harum seriem ac solventium et non solventium nomina continentes, certificetis, et certificent, injungatis; et quid facere duxeritis in præmissis, nos citra festum S. Georgii martyris proxime futurum reddatis certiores per vestras patentes litteras, harum seriem continentes. Datum in manerio nostro de Croydon 8. die dicti mensis Martii, Anno Domini MCCCXCVII. et nostræ consecrationis anno primo.

Quarum quidem litterarum auctoritate et vigore tibi firmiter injungentes committimus et mandamus, quatenus præmissa omnia e singula SS. David et Ceddæ episcoporum et confessorum, et S. Wenefridæ virginis prædictorum festivitates, ut præfertur, celebrandas, nec non festa SS. hujusmodi calendario intitulanda et signanda, dictique gloriosissimi episcopi et mar-

ANNO CHRISTI 1398.

martyris S. Thomæ commemorationem observantia, concernentia, et in eisdem litteris plenius expressata, in archidiaconatu Lond. prædicto, secundum vim, formam, tenorem, et effectum earumdem litterarum publices, et executioni debitæ demandes plenarie vice nostra. Præmissa quoque et alia omnia et singula in præfatis litteris contenta, tibi litterarum serie intimamus; tibi ipsarum auctoritate mandantes, ut tu, quatenus archidiaconatum prædictum concernit, de singulis libris omnium beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque, tam exemptorum, quam non exemptorum, singulos denarios, ut præmittitur, citra festum nat. Joh. Bapt. prox. futurum, colligi fideliter facias et levari; quam quidem pecuniam, sic receptam et levatam domino Johanni Wijkes, rectore ecclesiæ parochialis de Orfete, nostrarum collationis et diœceseos receptori in hac parte, ac commissario nostro per nos specialiter deputato, in ecclesia nostra cathedrali London. citra diem penultimum mensis junii proxime nunc futurum, persolvi integre facias et satisfieri de eadem. Tibi insuper auctoritate, qua supra, mandamus, ut quid et quantum in dicto archidiaconatu London. contigerit et debuerit colligi et levari, nos seu dictum nostrum commissarium citra dictam penultimam diem dicti mensis Junii in dicta ecclesia cathedrali distincte et aperte certifices per litteras tuas patentes, harum seriem et solventium et non solventium nomina continentes. A quæ omnia et singula facienda, exercenda, et expedienda, tibi vices nostras committimus, cum cujuslibet coercitionis canonicæ potestate. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum in manerio nostro de Stebbentusthe die 15. mensis Aprilis A. D. MCCCXCVIII. et nostræ consecrationis anno XVII.

ANNO CHRISTI 1399.

CONCILIUM CANTUARIENSE

ANNO CHRISTI 1399.

A Capitulo Cantuariensi, exulante archiepiscopo, convocatum anno Dom. M. CCC. XCIX

Hujus mentionem synodi facit Nicolaus Harpsfeldius in historia eccles. Angl. sæculo XV. cap. IX. Quam, *inquit*, synodum, prior et capitulum, ut appellant, Cantuariense, absente in exilio Thoma, indixerat. Ad quam Henricus rex, comites Northumbriæ & Westmerlandiæ misit, non ut pecuniam aliquam a clero, sed ut preces pro ipsius & regni salute postularet. Qui profitebantur, nolle regem in pecuniis tribuendis eos premere, nisi summa necessitas eas extorqueret, a quibus tamen postea solvendis nunquam cessatum est.

Contestabantur vero commemorati comites, nolle regem, cleri privilegia atque immunitates imminuere: & diligentem posituram operam, quo hæreses, quæ jam in immensum excreverant, exscinderentur. Eadem & in comitiis regni, quæ tum habebantur, promisit: in quibus regem Arundellius obtestatus est, ut provisiones abrogaret, per quas fiebat, ut docti & pii viri in academiis, rerum victuique inopia premerentur, studiaque deserere cogerentur: cum opima interim beneficia indoctis & ambitiosis excrescerent. Pollicitus est rex, se eam rem ad curam suam revocaturum.

Questus est in hac synodo clerus, quod valde premeretur, tum a ministris regiis, tum a Romano pontifice. Et quæstor quidem pontificius venit ad synodum eam ob causam: voluitque ut clerus ea de re litteras ad summum pontificem mitteret.

Postulatum est inter alia, ut dies divo Georgio martyri sacer, celebris & festus per totam Angliam ageretur: utque cautio diligentior haberetur, ne bona pauperum hospitiorum temere atque inconsulte in pauperum fraudem profunderentur, ne episcopi causas, quæ sacerdotium & matrimonium respicerent, cuiquam nisi doctis & iuris peritis crederent: ne ii qui in adulterium inciderent, quive grave aliquod peccatum, quodque publice notum esset, pecuniaria aliqua, sed corporea solum pœna coercerentur.

Synodus quæ sequenti anno convenit, decimam cum dimidiata regi concessit. *Hactenus Harpsfeldius.*

ANNO CHRISTI 1400. 1402. 1404.

CONCILIA ANGLICANA

ANNO CHRISTI 1400. 1402. 1404.

Annis MCCCC. MCCCCII. & aliis

sequentibus habita

EX Harpsfeldii historia eccles. Anglic. horum notitiam conciliorum habemus. Is sæculo XV. cap. IX. Synodus, *inquit*, quæ sequenti anno (*numerum MCCCC.*) convenit decimam cum dimidiata regi concessit. *Postulavit nimirum Rex a clericis pecuniam, anno superiore, ut in concilio Cantuariensi paulo ante dictum est.*

Conflux it biennio post alia synodus Londini, & post alterum deinde biennium alia: in utraque, pecunia ob graves regis sumptus in seditiosis bello reprimendis contributa est, ad quam priore synodo postulandam venere ad patres regis nomine, comes Somerseti & dominus Rosse qui erat a thesauris. Vetus hoc tempore cleri prærogativa ad ejus postulationem per regem renovata est, ne clerus apud regni tribunal raperetur, neve pro commeatu regiæ familiæ res suas vendere cogeretur.

ANNO CHRISTI 1400. 1401. 1404.

In posteriore, mandato Thomæ de indicenda synodo perfunctus est Henricus Lincolniensis episcopus, quasi Cantuariensis ecclesiæ cancellarius: quod Londinensis sedes, cujus episcopus, ejusdem ecclesiæ est decanus, & Wintoniensis, cujus episcopus in eadem ecclesia subdecanus censetur, vacarent. In qua synodo cautum est, ut defuncto aliquo episcopo, exequiæ ejus per omnes cathedrales ecclesias celebrentur: quæ paulo post mortuo Rogerio Londinensi pro eo celebratæ sunt.

Sequens annus suam etiam synodum habuit, quæ pecuniarum etiam contributionem secum trahebat, ut & biennium quod insecutum est. Atque in ista posteriore synodo, Thomas Carliolensis episcopus, ex illis verbis, *Magister adest & vocat te*, ecclesiasten egit. Hanc synodum Henricus Bevvforde Wintoniensis episcopus, cui se absente rerum summam Arundellius crediderat, Arundellio in regis legatione occupato, indixerat.

Post biennium, duplex in annum omnem synodus incurrebat, ut diximus. In priore, Joannes cœnobii D. Augustini Cantuariæ monachus in illud thema, *Faciat unusquisque opus suum:* in posteriore Joannes Botelius Franciscanorum generalis, in illud: *Vos vocati estis in uno corpore*: scite peroravit. Atque hæ synodi in deliberatione de schismate opprimendo potissimum consumptæ, qua de re ante diximus. Atque hæc quidem synodus, ut cæteræ fere omnes, per solius archiepiscopi litteras & mandatum congregata est: nonnumquam vero rogatus a rege & propter illius litteras, & publica regni negotia clerum ad synodum evocavit, ut triennio post, in qua Joannes Langdon Cantuariensis monachus, ex illo themate; *Stellæ dederunt lumen*: concionem habuit: ut & alius proxima proximi anni synodo, ejusdem cœnobii monachus Joannes Godmershanus super illa verba; *diligite lumen sapientiæ omnes qui præestis*. In priore tributum a clero postulatum est, sed nihil præstitum, quod clerus nimis se emunctum, & continuis contributionibus exhaustum quereretur. Sed in posteriore, decima a clero ad regis usus abrasa est, qui varias in hac synodo querimonias proposuit ob ecclesiæ libertates atque prærogativas in dies labefactatas. Postulatum est, ne cum quisquam ex clero proscribatur aliquam ob caulam, decimæ, oblationes, & bona ecclesiæ, ideo regis usibus cederent: petitum, ne cum vicarii propter vicariæ tenuitatem atque exilitatem, accessionem & incrementum, ubi rex ecclesiarum aliquarum esset patronus, apud ecclesiasticum tribunal postularent, cognitio illa rescripto, ut fiebat, regio interpellaretur, postulatum, ne, cum fructus ecclesiarum, quarum patronus erat Rex, sequestrarentur, quod curæ parochiali idonee non prospiceretur; regis rescriptum ad ecclesiasticorum cognitionem perturbandam, decerneretur: postulatum ne cœnobia e quibus exteri, quasi regni hostes ejecti essent, laici usurparent, sed alii monachi ex Anglis sufficerentur: pecuniam interim dependit clerus, sed eorum postulationi satisfactum non reperio, sive id mors regis, quæ hoc anno insequuta est, sive alia aliunde objecta impedierint. *Hactenus Herpsfeldius.*

LONDINENSIS SYNODUS

ANNO CHRISTI 1399.

In causa jurium Cleri Anglicani

Anno 1399. habita.

ADMONITIO COLLECTORIS.

Mansi Sup. to. III. pag. 728.

„ Convocationes cleri Anglicani crebrius per hos annos repetitas ne in synodorum numerum referam, prohibuit, & indi„ ctio a Rege prius, dein a Cantuariensi ar„ chiepiscopo contra synodorum morem præ„ stita; & causa, cum cœtus istos habitos con„ stet pro decernendo regi vel archiepiscopo, „ vel in cleri indigentias opportuno pecunia„ rum subsidio. Id vero parum vel nihil con„ ducere ad res conciliares augendas arbitratus „ sum. Accedebat & Labbei exemplum, qui „ persimiles cleri Anglicani convocationes o„ mittendas censuit. Cum vero ea, quam hic „ dandam suscipio, Anglicani cleri convoca„ tio ecclesiastici aliquid offerat ultra decima„ rum vel multarum collectionem, & ab Har„ psfeldio in hist. eccl. Angl. sæc. XIV. c. IX. „ pag. 618. synodi nomine appelletur; hæc „ proinde causa subest, cur a me inter con„ cilia recenseretur. Acta hujus eruit Wilkins „ ex reg. Arundel. I. fol. 51. ex quo huc „ transfero.

Affert Wilk. to. III. p. 238.

Postea peracta sacra & post lectionem certificatorii episcopi London. quia dominus comes Westmorlandiæ & dominus Thomas Herpyngham, fuerunt dicto domino comiti Northumbriæ associati ex parte dicti domini regis, de & super certa materia, dicto domino archiepiscopo Cantuar. cæterisque prælatis & clero dictæ suæ provinciæ Cantuar. exponenda, dictus dominus archiepiscopus una cum suffraganeis, necnon aliis prælatis & clero suis, per nonnulla tempora adventum eorum expectabant; & tandem dicti domini comes Westmorlandiæ, & Thomas Herpyngham sic diutius expectati, in capellam prædictam venerunt. Et statim comes Northumbriæ voluntatem dicti domini regis & causam adventus eorum dictis domino archiepiscopo, necnon suffraganeis & aliis prælatis & clero prædictæ provinciæ exponebat; dicens, quod ipse & socii sui prædicti, non missi fuerint ad illum finem, sicut cæteri nuncii a progenitoribus & prædecessoribus dicti domini regis ante hæc tempora dictis domino & clero mittebantur, videlicet pro exactione pecuniarum; sed ex parte regis expresse dixit, non fuit intentionis neque voluntatis dicti domini regis de cætero aliquam exactionem pecuniarum in regno suo facere, nec eisdem imponere, nisi magna necessitate guer-

ANNO CHRISTI 1399.

guerrarum, & inevitabili necessitate ingruente; sed supplevit eisdem dominis & clero affectione, quæ potuit, quatenus dictum dominum nostrum regem in orationibus suis de cætero, necnon in eventum guerrarum & hujusmodi quod abiit, habere dignentur specialius recommendatum; certificans eisdem dominis prælatis, et clero, quod ipse dominus noster rex omnes libertates ecclesiæ sustineret, necnon hæreses, errores, et hæreticos destrueret juxta posse. Quibus sic per dictum dominum comitem Northumbriæ dictis et expositis, dictus dominus archiepiscopus ex parte prælatorum et totius cleri, domino nostro regi pro sua magna benevolentia gratiarum actiones reddebat multiformes; et statim et incontinenti his expeditis, dictus dominus archiepiscopus continuavit convocationem suam hujusmodi usque in crastinum, inter octavam horam et nonam, viz. octavam diem ejusdem mensis in domo capitulari ejusdem ecclesiæ. Et medio tempore mandavit alia certificatoria et procuratoria prælatorum, et cleri antedicti recipi per cancellarium suum et causarum suarum audientiam.

Qua hora dicti diei crastini adveniente, coram domino in domo capitulari prædicta comparuerunt personaliter reverendi in Christo patres, et domini, domini London Winton. Lincoln. Norwic. Elien. Exon. Saresburien. Hereford. Landaven. Wigor. Lich. Assaven. Rossen. Bangor. Ciceestr. Menev. episcopi, et dominus prior ecclesiæ Cant. abbas Glaston. abbas Gloucestr. et alii abbates quamplures, necnon aliorum absentium, viz. episcopi Bathon. et prælatorum ac cleri provinciæ antedictæ procuratores. Et exposita ibidem per dominum causa convocationis hujusmodi, tractabant ipse dominus, et reverendi patres, episcopi antedicti, per se de negotiis omnibus ecclesiæ; aliis prælatis et procuratoribus cleri seorsim separatis. Et quia videbatur præfato domino archiepiscopo, et aliis episcopis dictæ suæ Cant. provinciæ satis difficile omnes prælatos et procuratores cleri in unum congregare, ad concipiendum articulos ex parte cleri proponendos, propter hoc deputavit quinque personas, viz. magistrum Thomam Stowe, archidiaconum London. magistros Thomam Southam, Johannem Helmer, Johannem Maydenheth, et Will. Stukle ad concipiend. articulos ex parte prælatorum et cleri, super quibus prætendunt ecclesiam et se gravatos. Et tandem dominus continuavit convocationem suam hujusmodi usque ad diem sabbati, viz. diem undecimum ejusdem mensis, inter horam octavam, et horam nonam.

Quibus die et hora venientibus rever. domino et dictis episcopis, necnon aliis prælatis et procuratoribus dicti cleri ad dictam domum capitularem; et quia tunc videbatur domino quod articuli, de et super quibus ipsimet inter se essent tractaturi, non possent commode inter ædes publicari, ideo dictis prælatis et procuratoribus, in eadem domo capitulari dimissis, dictus dominus una cum suffraganeis suis accessit ad cappellam B. Mariæ ejusdem ecclesiæ; ubi et in quo loco mag. Joh. Where, decanus ecclesiæ Hereforden. dictos articulos, de mandato dicti domini archiepiscopi, palam et aperte allegebat. Quibus sic perlectis et plenius intellectis, et quia in dictis articulis continebantur certa gravamina, per sedem apostolicam merito reformanda; visum fuit satis honestum et expediens dictis domino archiepiscopo et suffraganeis provinciæ suæ Cant. prædictæ mittere pro collectore domini nostri papæ, tunc in civitate existente, ad consulendum cum eo de et super præmissis in dictis articulis contentis, et ita de facto miserunt. Quo veniente, et plenius de proposito dictorum dominorum consulto, ipse ex parte domini papæ, nec non ex parte sui ipsius, dictis dominis archiepiscopo et episcopis pro eorum benevolentia gratiarum reddebat actiones; dicens expresse, quod fuisset et est satis honestum et expediens ecclesiæ Anglicanæ, quod dominus noster rex, una cum dictis domino archiepiscopo et episcopis, scriberet domino nostro papæ pro reformatione eorumdem; et ipsemet fideliter promisit se velle scribere domino nostro papæ, necnon laborare pro reformatione præmissorum in omnibus juxta posse. Et statim postea dictus dominus archiepiscopus misit pro cæteris prælatis et procuratoribus cleri dictæ suæ Cant. provinciæ, quod venirent de dicta domo capitulari ad dictam cappellam B. Mariæ coram eo, et dictis suffraganeis suis, gravamina, si quæ haberent, de et super quibus prætendebant se gravatos, ac reformanda, si quæ scirent in provincia Cant. proposituri.

Quibus ad dictam cappellam venientibus; surrexit quidam venerabilis vir magister Joh. Maydenheth, et nomine cleri provinciæ antedictæ certos articulos ex parte cleri provinc. antedictæ conceptos, et quamplura gravamina continentes, publice perlegebat, prout in eisdem articulis plenius continebatur; super quibus supplicavit humiliter et devote ex parte cleri prædicti, dictis dominis archiepiscopo et episcopis de remedio sibi per eosdem in hac parte provideri opportuno. Et quia dicti domini archiepiscopus et episcopi deberent circa ardua negotia, et præcipe circa coronationem dicti domini nostri regis fiendam 13. die ejusdem mensis, multipliciter præpediri, dictus dominus archiepiscopus continuavit convocationem suam hujusmodi usque ad diem veneris, viz. 16. diem ejusdem mensis, in domo capitulari prædicta. Et quia articuli nequa ex parte prælatorum, neque ex parte cleri fuerunt omnes pleni seu deliberati, mandavit idem reverend. pater, quod interim procuratores cleri deliberarent, et articulos plenos illo termino, si voluerint, proponerent. Adveniente vero dicto die, idem mag. Joh. Maydenheth alios articulos quamplures ex parte cleri prædicti eisdem archiepiscopo et episcopis publice exponebat; quorum vero omnium et singulorum articulorum prædictorum tenores sequuntur, et sunt tales.

Articuli porrecti in convocatione.

In primis conqueruntur prælati, et clerus provinciæ Cant. antedictæ, quod cum per procuratoria et alia instrumenta sub nominibus confictis et fabricatis concepta, soleant permutationes, divortia, et alii actus judiciales de facto expediri; quatenus ordinetur, quod concipientes & concipi facientes procuratoria & instrumenta hujusmodi, nomen suum alteri imponentes, seu sibi assumentes scienter & dolose, sint ipso facto majoris excommunicationis sententia innodati; & nihilominus, si beneficiati fuerint, suis priventur beneficiis. Sit notarii præmissorum conscii, officio tabellionatus

ANNO CHRISTI 1399.

tus perpetuo priventur Et quod nullus tabellio vel utens sigillo auctentico signet aut sigillet aliquod procuratorium seu instrumentum nomine alicujus, nisi constituentis seu instrumentum confici requirentis; nominisque & cognominis ejusdem in procuratorio seu instrumento expressator. certam & indubitatam habeat notitiam; & quod facientes in contrarium pœnam incurrant antedictam.

II.

Item, quod constitutiones editæ contra cappellanos parochiales & stipendiarios super eorum salariis percipiendis, &. juramento fidelitatis rectoribus & vicariis præstando, cum pœnæ adjectione moneantur, ac executioni debitæ ubique infra provinciam demandentur

III.

Item, quod locorum ordinarii, & alii prælati, ac eorum ministri, pro suis litteris & sigillis in institutionibus, inquisitionibus, inductionibus, & commissionibus, & permutationibus expediendis, testamentorum insinuationibus, & litteris dimissoriis, & ordinum barbitonsoribus, & aliis ad eorum officium pertinentibus feoda percipiant moderata, & quod taxetur summa in præmissis, quam excedere non debeant, aut valeant quovis modo.

IV

Item, quod cum religiosi & alii ecclesiarum patroni in præsentationibus ad beneficia sui patronatus, pro sigillo & aliis feudis a præsentatis pecuniam excessive, quandoque ad summam IV. vel V. marcarum, ac juramenta illicita præsertim a vicariis super portione sua minime augmentand. vel pensione indebita omnino solvenda extorqueant ab eisdem, quatenus ordinetur, quod præsentantes hujusmodi jure careant præsentandi ea vice, jusque ipsorum ad loci diœcesanum ipso facto devolvatur, ac præsentati prædicti inhabiles fiant ad quodcumque beneficium ecclesiasticum obtinendum, prout de jure communi existunt

V

Item, quod religiosi etiam exempti, & quicumque alii habentes ecclesias appropriatas, pensiones, & portiones, teneantur comparere per se aut procuratores sufficientes constitutos, coram ecclesiarum hujusmodi ordinariis, per ipsos licite vocatos, & mandata ipsorum canonica, & alia onera quæcumque, ratione ecclesiasticarum portionum & pensionum suarum hujusmodi, ut alii rectores seculares subire Et quod ad hoc compelli valeant & arctari per sequestrationem fructuum, ecclesiasticarum portionum & pensionum prædictarum.

VI.

Item, declaretur de denario S. Petri, pane benedicto, & oblationibus pentecostalibus, an debeant solvi ab occupatoribus terrarum ad tenementa quondam ædificata ex nunc collapsa, vel etiam non inhabitata pertinentium, præsertim cum singulæ parochiæ ad certam quotam antiquitus sint taxatæ, & de sic tenentibus consueverant levari.

ANNO CHRISTI 1399.

VII.

Item, quod ministri episcoporum seu archidiaconorum non onerent subditos eorumdem, præterquam in visitationibus ordinariis eorumdem semel in anno, capitula eorum secundum communem cursum celebranda tenendis

VIII.

Item, quod pro adulterio recidivo, publico & notorio, seu alio crimine graviore notorio pœna corporalis publica omnino ab eisdem fit facta

IX.

Item, quod domini nostri episcopi dispensent absque difficultate cum rectoribus ecclesiarum suarum diœc. habilibus, docilibus, & proficere volentibus, & licentiam concedant transeundi ad studium generale ad aliquod tempus rationabile.

X

Item, quod curati quicumque in studio generali proficere non valentes, & alii non residentes, ad ipsorum curas per dominos episcopos revocentur; nec de cætero cum eisdem seu aliis in futuro de non residendo dispensetur, nisi ex causis veris & legitime probatis.

XI.

Item, quod domini nostri episcopi causas beneficiales & matrimoniales non committant, nisi personis jurisperitis & discretis, & sibi notis

XII.

Item, quod domini nostri episcopi personas ignotas ad beneficia curata vacantia præsentatas, per procuratores non admittant; sed personæ hujusmodi personaliter ad episcopos suos accedant, examen pro beneficiis hujusmodi, si ea velint suscipere, subituri ab iisdem.

XIII.

Item, quod domini nostri episcopi in suis synodis episcopalibus dominorum Ottonis & Ottoboni contra concubinarios & violatores libertatis ecclesiæ, ac bonæ memoriæ domini Joh. Stratford contra ultimarum voluntatum ac juris ecclesiastici exercitii impeditores constitutiones factas, distincte faciant perlegi & exponi in vulgari.

XIV.

Item, quod propter fictiones & fraudes varias in permutationibus beneficiorum exercitas, nullatenus expediantur, nisi institutiones duorum beneficiorum permutandorum realiter tunc exhibeant. Et si partes permutare volentes hinc inde sub pœna pecuniaria vel juramento, ea occasione, obligaverint, nullo modo expellantur.

XV.

ANNO CHRISTI 1399.

XV.

Item, quod dicti domini nostri episcopi seu archidiaconi jurisdictionem aliquam spiritualem non dimittant ad firmam, nec in correctionibus aut jurisdictionibus aliis spiritualibus faciend. suorum subditorum clericum conjugatum, vel religiosum, seu bigamum substituant, aut scribam deputent quovis modo.

XVI.

Item, quod fiat statutum pœnale, & provinciale, quod quicumque beneficiorum ecclesiasticorum patroni sive ecclesiastici, sive seculares, de cætero primas vel secundas vacantias, sub colore alienationis juris patronatus, non concedant; sed quod concessiones hujusmodi factas caute studeant revocare.

XVII.

Item, quod domini nostri episcopi bullas quæstorum diligenter examinent, antequam litteras suas pro ipsorum receptione concedant; & quod cappellanos non beneficiatos ad prædicandum non admittant.

XVIII.

Item, quod domini nostri episcopi abbatibus & prioribus, & aliis religiosis quibuscumque sibi subditis, inhibeant sub pœnis & censuris, ne pro pensionibus ecclesiasticis eis debitis, clericos trahant ad forum seculare per breve "De detentione annui redditus" sed pro pensionibus hujusmodi, jus suum in foro ecclesiastico prosequantur, sub pœna amissionis pensionis antedictæ vel alia condigna.

XIX.

Item, quod domini nostri episcopi notarios publicos & tabelliones titulum creationis faciant eis exhibere, quorum nomina in qualibet diœcesi registrentur, & non exhibentes ab officio notarii suspendant & denuncient.

XX.

Item, quod cum commissarii episcoporum dictæ provinciæ ad probanda testamenta defunctorum deputati, nullis ex bonis hujusmodi defunctorum confectis inventariis per eos visis, aut fideli computo exinde reddito, coram eis executoribus testamentorum hujusmodi, ex pacto expresse inito, pro certa summa, et multoties nimium excessiva, ne bonis ipsorum defunctorum, quæ in pios usus pro salute animarum suarum converti deberent, præfatis commissariis soluta, concedant acquietantias generales de & super hujusmodi executorum administrationibus in ea parte; qui quidem abusus eisdem executoribus audaciam præbet de bonis propriis hujusmodi testatorum eorum animas nequiter defraudare. Quod acquietantiæ hujusmodi ante computum redditum non concedantur, et contrafacientes juramento ipsorum acquietanciam recipientium super hoc convicti, quod ea occasione receperunt, restituant partibus hoc solventibus, et tantumdem ordinario immediate superiori solvere insuper teneantur.

ANNO CHRIST. 1399.

XXI.

Item, quod cum administratio bonorum ab intestato decedentium de consuetudine ecclesiæ Anglicanæ ad episcopos seu alios ordinarios pertinere dignoscatur, committant dicti episcopi, seu alii ordinarii administrationem bonorum hujusmodi consanguineis proximioribus dicti defuncti, si ad hoc habiles inveniantur. Alioquin aliis personis idoneis sine difficultate quacumque, ut in pios usus pro animabus dictorum defunctorum bona hujusmodi expendantur, & non convertantur in usus dictorum ordinariorum, ut antea fieri consuevit, reservata dictis ordinariis audiend. computum super administratione hujusmodi potestate, congruis loco & tempore tantummodo.

XXII.

Item, quod ipsi domini episcopi apostatas per dictam provinciam regulari habitu temere dimisso secularibus vestibus indutos, per mundum vagantes, quorum aliqui sunt officiales archidiaconorum, aliqui cappellani in ecclesiis parochialibus divina celebrantes, per quorum præterea excommunicatorum præsentiam, inficiuntur populi christiani, negligunt ad statutum debitum revocare, & facere pro commissis cononice puniri. Quare supplicatur, quod hujusmodi apostatæ ad claustra sua quantocyus revocentur; & si in sæculo vagati fuerint, supplicetur domino regi, ut quisquis diœcesanus in sua diœcesi potestatem habeat hujusmodi apostatas capiendi, & carceribus mancipandi.

XXIII.

Item, quod cappellani religiosi cujuscumque ordinis in habitu ordinis sui incedere de cætero compellantur; & si in sæculari habitu inventi fuerint, a celebratione divinorum ipso facto sint suspensi.

XXIV.

Item, quod de cætero non admittantur presbyteri stipendiarii transeuntes ab una diœcesi ad aliam, sine litteris commendatitiis; & quod nullus ordinarius de cætero aliquem admittat sine prædictis litteris.

XXV.

Item, quod in quampluribus locis dictæ provinciæ rectores & alii beneficiati non permittuntur suas decimas, ad ipsorum ecclesias debitas abducere, & asportari de locis, de quibus proveniunt, nisi omnibus diebus dominicis & festivis ballivos, præpositos, carectarios, & alios ministros dominicos, & alios parochianos locorum hujusmodi toto tempore autumnali pascant & convivant; chirothecas pecunias & alia donaria eis donant, contra ecclesiasticam libertatem.

XXVI.

Item, quod bona hospitalium dictæ provinciæ

ANNO CHRISTI 1399.

cia non in usus pauperum & lepra infectorum, ad quorum & etiam capellanorum ibidem missas & alia divina celebraturorum sustentationes, ac ædificiorum hospitalium hujusmodi reparationes erant antiquitus pie fundata, sed in aliis voluptatibus & comessationibus, ut vulgo, proh dolor! scitur, indebite expenduntur; adeoque nedum hujusmodi cappellanis & pauperibus nimia infligatur miseria; sed ipsorum numerus ex dictorum hospitalium fundationibus sustentandus, multipliciter minoratur. Supplicatur quatenus Clementina " Quia contingit super his " de cætero observatur.

XXVII.

Item, quod festum S. Georgii martyris, qui totius militiæ Anglicanæ spiritualis est patronus, & penes quem in artibus armorum præ cæteris sanctis habetur devotius & confidentius memoria, instauretur per totam Angliam festive ac solemniter ferianda, & colenda, sicut cæteræ nationes suorum patronorum festa colunt.

XXVIII

Item, paternitati vestræ reverendissimæ humillime supplicant oratores vestri devotissimi vestrarum universitatum scholarum Oxon. & Cantebrig. provinciæ vestræ Cant. magistri regentes & non regentes, ac cæteri scholares, quod cum dictæ universitates ex illustrium regum ac procerum, aliorumque nobilium fidelium regni Angliæ piis eleemosynis erant antiquitus fundatæ, ut in eisdem debite insistentes divinæ legi, ac ecclesiasticæ, aliisque scientiis liberalibus, per quas tota militans hic etiam regi militia, gubernari, & virtutes ad hujusmodi regni stabilitatem introduci queant & exerceri, ad dignitates tam electivas, quam alias, aliaque beneficia ecclesiastica dicti regni una cum suis clero atque populo proinde gubernanda promoverentur sufficienti doctrina eruditi, quas quidem promotiones ex provisionibus apostolicæ sedis, retroactis temporibus, præ aliis indisciplinat. gratiose fuerunt assecuti, dictaque gratia solito præfatis scholaribus copiose concessa per quoddam statutum tempore domini regis Edwardi III. apud Carlile anno regni sui XXIV. & apud Westmonast. anno XIII. regni regis Richardi secundi nuper in parliamento Anglicano editum contra provisores, fuerat penitus adempta, quamvis jam antea ipsum statutum fore noscitur aliquatenus mitigatum, propter quod præfatarum universitatum scholarium numerus, nunc ad sæcularia redeuntium, multipliciter minoratur, & ipsas universitates non ambigitur penitus destruendas infra breve, nisi celerius congruum in hac parte remedium apponatur; quatenus penes excellentissimum & christianissimum principem dominum nostrum, dominum Henricum, Dei gratia regem Angliæ quartum, qui ad sacrosanctæ ecclesiæ libertates conservandas, & catholicæ fidei exaltationem devotissimum & specialissimum, ut speratur, gerit zelum, condignis precibus & exhortationibus taliter instare velitis, charitatis ac præmissorum intuitu, ut dicti scholares modernis, sicut antiquis domini Henrici III. quondam regis Angliæ, aliisque elapsis temporibus satis notis, dignitates & beneficia prælibata, ex indulto eis dictæ apostolicæ sedis privilegio supradicto, non obstante statuto, licite valeant assequi, & eis gaudere, aut alterius remedii opportuno suffragio per vestram discretissimam paternitatem benignius apponend. ad Dei laudem & salutis animarum continuum incrementum.

XXIX.

Item, cum clerici laici oppido sunt infesti, ipsisque laicis quam religiosis disponendi de rebus ecclesiæ nulla sit attributa potestas, quibus obsequend. manet necessitas non auctoritas imperandi, suis finibus non contenti, nitantur (ut asseritur) in vetitum ad illicita sua frena relaxare, et per Lollardos (ut dicitur) informati intendant contra prælatos et alios viros ecclesiasticos in præsenti parliamento novas constitutiones seu statuta facere, edere, et introducere, contra ecclesiæ libertatem, quæ non constitutiones sed potius distractiones, immo destructiones merito dici possunt. Quare supplicat clerus provinciæ antedictæ humillime vobis reverendissimo in Christo patri, ac domino suo, dom. Thomæ, Dei gratia archiepiscopo Cant. antedicto, vestrisque suffraganeis prædictis, quatenus velitis in præmissis sic resistere, ut ecclesia Anglicana sua libertate solita in præmissis et aliis antiquitus observatis, pacifice gaudere valeat in futurum

XXX.

Item, non concedantur commissiones ad inquirendum, ubi rex præsentat ad ecclesiam plenam, quousque titulus regius per breve de " Quare impedit " sit discussus, et patroni titulus enervatus; et si committi debeat, committatur in pleno consistorio episcopi ad inquirend. vocati ad hoc incumbente licite, vel archiepiscopi in curia de arcubus, si per appellationem ad eum causa hujusmodi devolvatur, ut sic processus incumbentis pateat, et aliter processus factus sit ipso jure nullus.

XXXI.

Item, supplicat clerus antedictus, quod cum locorum ordinarii, qui causas beneficiales, et alias certis commissariis, ut creditur, ignorantibus, subornatis, suspectis, et corruptis committunt decidendas; qui commissarii recepta commissione hujusmodi, assumptis sibi uno ordinario notario et duobus falsis testibus, prætendentes partem ad hoc vocatam, cum non sit, causas hujusmodi, absente parte et non vocata, in locis hateb osis vel cœmeteriis ecclesiarum et aliis privatis consimilibus et horis suspectis soli per se sedentes, decidunt et terminant, ac suas ferunt sententias, aliquando privationis, excommunicationis, vel interdicti alias pœnas imponunt, juris ordine in aliquibus minime observato. Et quod processus hujusmodi ipso jure sit nullus. Et si commissarius presbyter sit vel beneficiatus, a celebratione divinorum et perceptione fructuum beneficii, si quod obtineat, ipso facto sit suspensus. Et si clericus, non presbyter, nec beneficiatus existit, per idem tempus inhabilis sit ad quodcumque beneficium ecclesiasticum obtinendum. Et notarius, in præmissis actorum scriba sit perpetuo privatus.

XXXII.

ANNO CHRISTI 1399.

XXXII.

Item, quod compellantur abbates, et priores, & personæ aliæ religiosæ ad exhibend. & inveniend. decanos rurales & solvend. & contribuend. procuratoribus cleri in ipsius cleri convocationibus provincialibus & synodalibus, & aliis cleri oneribus pro ecclesiis sibi impropriatis in decanatibus illis, in quibus consistunt hujusmodi ecclesiæ eis appropriatæ, una cum clero ipso; maxime cum ab eisdem ecclesiis ante appropriationem earumdem onera hujusmodi debebantur, et fieri consueverunt. Quæ onera sic subire de facto differunt et recusant religiosi ipsi, in cleri ipsius præjudicium non modicum et gravamen. Quodque recusantium et differentium onera hujusmodi sic subire, fructus, reditus, et proventus ecclesiarum hujusmodi, pro quibus ipsa onera subire noluerunt, ipso facto per unum annum maneant sequestrati, ac locorum episcopo ordinario, & clero ipsi de eisdem fructibus pro oneribus ipsis anno ipso supportand. disponendi libera sit facultas, nisi ubi vicarii in beneficiis hujusmodi intitulati ex compositione vel consuetudine ad præfata onera consueverunt eligi & compelli.

XXXIII.

Item, supplicant paternitati vestræ rever. prælati & clerus vestræ Cant. provinciæ, quatenus subscripta gravamina eis per curias vestras Cant. illata & inferri consueta, reformare & emendare velitis intuitu charitatis.

XXXIV.

In primis, quum aliquis in eorum curiis prætendit se, licet falso, gravatum, statim accedit ad curiam de arcubus, asserens se a prætenso gravamine appellasse, &, licet nulla appellatione ostensa, obtinet inhibitionem sæpissime, causa frustrandi judicium, & impediendi inter partes justitiam ministrari.

XXXV.

Item, cum agitur super contemptu, licet ad satis sinistram suggestionem contra aliquem qualecunque genus probationis producitur contra sic super contemptu accusatum, sive sit instrumentum, sive quodcumque aliud probationis adminiculum in quantumcumque reprobabile, quamvis contra quam, &c. petat terminum ad dicendum contra, secundum juris exigentiam, hoc tamen prætextu constitutionum curiæ non habebit (auctoritatem.)

XXXVI.

Item, cum producitur contra aliquem aliquod monimentum, idem producens calumniose procurat illud productum statim copiari; & in registrario recuperat originale pro pecunia, quia sæpius fabricatum & confictum, ne ille, contra quem producitur, possit illud prædictum per juridicam examinationem in aliquo reprobare.

XXXVII.

Item, cum aliquis citatur ad dictam curiam super prætenso contemptu, non habebit ibidem advocatum, procuratorem, vel aliquem consiliarium de juratis curiæ.

XXXVIII.

Item, cum quis litigat in eadem curia in tuitorio, & sentit se gravatum aliquo gravamine, advocatus nec procurator audebit appellare in quantumcumque gravamen sit notorium.

XXXIX.

Item, cum emanat inhibitio ab eadem curia ad partes cujuscumque, licet ille, cui inhibetur, petit a mandatariis copiam hujusmodi inhibitionis, vel legi tenorem mandati. hoc facere sæpissime recusant, sed tantum ostendunt sigilla, littera tamen clausa prætensa inhibitionis; & hoc maxime ad frustrandum judicium & impediendam justitiam inter partes.

XL.

Item, hujusmodi mandatarii sæpissime inhibent absque aliqua citatione, ut sic per calumniam proteletur negotium.

XLI.

Item, quum aliquis citatur super prætenso contemptu, quamvis ad remotiorem partem provinciæ Cant. & propter timorem contemptus comparet die & loco in citatorio assignato, & hoc non sine magnis laboribus & expensis; tamen sic citare procurans, licet temere, sive non comparuerit sive comparuerit, & defecerit in probationibus, non condemnabitur in expensis; & sic contra juris æquitatem pœna temere litigantium nullatenus habet locum.

XLII.

Item, quum per aliquem suffraganeum ejusdem provinciæ vel ejus auctoritate proceditur contra aliquem "ex officio" ad correctionem animæ, ubi inhibitio non deberet quovismodo concedi, idem sic corrigend. asserens, causam contra se ad instantiam partis agitari, licet omnino conficte, impetrat inhibitionem, quod sive sit, ut suggestum est, sive alias, non procedatur in causa ad fovendum materiam delinquend. &, ut experientia docet, etiam permanend. damnantur in peccatis.

XLIII.

Item, quamquam obtenta dimissione ad eamdem curiam ut procedatur in causa, non obstante inhibitione alias emanata, iterum inhibetur per eamdem antiquam inhibitionem, mutatis tamen anno, mense, & die per rasuram, & oportet, ut dicitur, obedire.

XLIV.

In primis, supplicant humiliter & devote prælati, & clerus prædicti, quatenus omnia privilegia, libertates & jura, & specialiter in magna charta, & in statuto "Circumspecte agatis" contenta, ipsis prælatis & clero, ac præcessoribus, & prædecessoribus, ecclesiisque & beneficiis ecclesiasticis eorumdem, necnon universitatibus clericorum per nobiles progeni-

ANNO CHRISTI 1399.

tores domini regis dudum concessa & confirmata, dignetur idem dominus rex pro se & hæredibus suis gratiose & sufficienter ratificare & confirmare; ac super ratificatione & confirmatione hujusmodi litteras suas libere & sine fine concedere, & fieri facere cum effectu.

XLV.

Item, supplicant iidem prælati et clerus domino regi prædicto; quatenus litteras patentes domini Edwardi, regis Angliæ a conquestu secundi, apud Eboracum 23. die mensis Novemb. anno regni sui X. prælatis & clero dicti regni concessas, in quibus articuli prælatorum et cleri prædicti super gravaminibus eis illatis, et cæteræ responsiones ad eosdem articulos per eumdem regem et concilium suum datæ, plenius continentur, prout in rotulis cancellariæ reperire poterit de recordo, ratificare, approbare, et confirmare dignetur de sua gratia speciali.

XLVI.

Item, cum temporalia alicujus prælati seisita fuerint in manum regis, aut iidem prælati per bona et catalla sua distringi debeant ex aliqua causa de mandato regis, vigore brevis sui, ministri regis decimas et alia emolumenta ecclesiarum mensæ episcopali appropriatarum in hac parte nequiter violando, sument; unde regiæ benignitati complaceat gratiose concedere, quod ministri sui de dictis spiritual. de cætero se nullatenus intromittant.

XLVII.

Item, cum viri ecclesiastici beneficiati per processum in curia regis fuerint, aut per bona et catalla sua debeant ex quacumque causa astringi, ministri regis in utroque casu decimas et oblationes, et alia emolumenta quæcumque, ad beneficia eorum spectantia, quamquam in solo ecclesiastico, et quamquam de manibus sacerdotum, utpote bona et catalla temporalia, capere et distringere non verentur, libertatem ecclesiasticam in hac (parte damnabiliter) infringendo. Supplicant igitur dicti prælati et clerus, quod rex dignetur concedere, quod ministri sui de cætero libertatem suam hujusmodi non attemptent (destruere).

XLVIII.

Item in causa perjurii et defamationis, quum in foro ecclesiastico agitur duntaxat ad pœnam canonicam imponendam. Si generalis prohibitio regia judici porrigitur, quamvis judex ille constare faciat sub sigillo suo in cancellaria regis de hujusmodi causa, et quod procedatur tuntummodo ad pœnam canonicam ea occasione infligendam consultatio regia denegatur. Unde perjurium incurrentibus et defamantibus grave imminet periculum morum, cum perjurium et defamatio hujusmodi sic perpetuo maneant impunita. Quare supplicant iidem prælati et clerus, ut rex dignetur gratiose concedere, quod in his casibus poterit consultatio emanare.

XLIX.

Item, nonnulli timentes sibi, seu etiam conjecturantes, quod in foro ecclesiastico ad instantiam partium, vel ex officio debeant conveniri, antequam ad judicium evocentur, impetrant prohibitiones regias in genere, quas judicibus porrigunt, ut eosdem metu contemptus a futuris eorum processibus faciant abstinere, unde consultationes reportare non poterunt, pro eo, quod in ea parte ostendere nequeunt articulum, vel libellum. Cum autem prohibitionis hujusmodi causa judices ecclesiastici in causis ad forum ecclesiasticum spectantibus, ad instantiam partium deinde criminosi et in suarum animarum interitum remanent incorrecti; quare regiæ benignitati complaceat gratiose concedere, quod si regia prohibitio sic emanet, possit judex ecclesiasticus impetrantem hujusmodi tam ad instantiam partis, quam ex officio, coram eo facere conveniri. Et postquam judex sub sigillo suo constare fecerit in cancellaria de hujusmodi citatione, et quod contineat materiam ad forum ecclesiasticum duntaxat spectantem, extunc vel regia consultatio concedatur, aut possit idem judex in ea parte procedere, prohibitione hujusmodi non obstante.

L.

Item contra judicem ecclesiasticum in causa mere spirituali ad instantiam partium procedentem, breve regium, "Attachias" nuncupat. aliquoties impetratur, et demandatur executioni, antequam emanet prohibitio regia superinde; unde supplicant dicti prælati et clerus dictus domino nostro regi, quatenus concedere gratiose dignetur, ut ante impetrationem prohibitionis regiæ dictum breve de "Attachias" nullatenus concedatur.

LI.

Item, si fructus et proventus ecclesiarum alienigenis appropriatarum, pro eo, quod ecclesiis ipsis non faciunt debite deserviri, per ordinarios locorum sequestrari contigerit, prohibitio regia contra ordinarios illos emanat, sed consultatio omnino denegatur eisdem. Et sic impediuntur, quominus in ea parte valeant de aliquo remedio providere, sicque ecclesiæ memoratæ debitis defraudentur obsequiis, in grave periculum animarum. Placeat igitur domino nostro regi concedere, quod in illo casu consultatio regia concedatur.

LII.

Item, si perpetui vicarii ecclesiarum parochialium, de patronatu regis ratione prioratuum alienigenarum in manu sua existentium, pro augmentatione portionum suarum exilium in foro ecclesiastico prosequuntur, statim prohibitiones regiæ ad impediend. prosecutiones hujusmodi porriguntur; & exinde consultationes vicariis sic prosequentibus denegantur omnino. Cujus prætextu hujusmodi vicariæ propter exilitatem earum quam sæpius deseruntur, & sic ecclesiæ illæ divinis officiis penitus defraudantur. Unde supplicant dicti prælati & clerus, quatenus regiæ benignitati com-

complaceat gratiose concedere, quod in ea parte consultatio regia valeat emanare.

ANNO CHRISTI 1399.

LIII.

Item, quod cum quamplures cantariæ infra regnum fundatæ & dotatæ fuerint in testamentis, & etiam inter vivos, necnon certi reditus ad inventionem luminarium, vel alium pium usum ecclesiæ, vel pauperum, quæ prætextu non capacitatis nova subtilitate adinventa sunt destructæ, ac sic verisimiliter plures destrui continget in futurum; quod cantariæ ipsæ & reditus hujusmodi, juxta pias voluntates defunctorum, ac alias ordinationes fundatorum in ea parte factas, restaurentur, & debite conserventur, defectibus prædictis non obstantibus. Illis tamen cantariis, terris, & tenementis, reditibus, & servitiis, ac advocationibus ecclesiarum prædictarum cantariis in dictis testamentis legatis, quæ reges Angliæ claræ memoriæ Edwardus I. Edwardus II. Edwardus III. seu aliquis eorum seiserunt seu seisivit in manus suas, per ministros suos, tanquam sibi foris facta, virtute, cujusdam statuti "De terris & tenementis ad manum mortuam non ponendis" editi, & quæ prædicti reges seu aliquis eorum per chartas suas dederunt sive dederit aliquibus domibus religiosis, de fundatione dictorum regum seu alicujus ipsorum in perpetuam eleemosynam, sive ecclesiis cathedr. sive collegiatis dumtaxat exceptis. Ita quod dictæ contrariæ per dictos reges seu aliquem ipsorum, sic ut præmittitur, dat. & concessæ dictis religiosis domibus, sive ecclesiis cathed. seu collegiatis, juxta tenorem dictarum chartarum regiarum firmæ et salvæ semper permaneant in perpetuum, quacumque ordinatione in contrarium edita non obstante.

LIV.

Item, pro eo, quod prioratus alienigenæ, & alia beneficia ecclesiastica, per alienigenas inimicos ab olim possessa, per laicos occupantur & traduntur eis ad firmam; religiosis exclusis in prioratibus illis, & ecclesiis eis appropriatis cultus divinus subtrahitur, & domus prioratuum eorumdem, ac ecclesiæ illæ minantur ruinam; quare videtur expediens, quod prioratibus illis & aliis beneficiis ecclesiasticis per locorum ordinarios ad præsentationem regis seu patronum de religiosis viris ejusdem ordinis Anglicis provideatur, & aliis clericis secularibus reservata regi portione sive apporto superioribus domibus extra regnum solvi antiquitus consueto: ita quod solitus numerus religiosorum & sæcularium clericorum, qui in prioratibus illis altissimo famulari, ac alia onera eis incumbentia supportare valeant in posterum habeatur.

LV.

Item, quamvis de consuetudine regni Angliæ clerici in omnibus casibus, præterquam in casu proditionis, si fuerint indictati, & in curia sæculari convicti, gaudere debeant privilegio clericali, & episcopali carceri mancipari; contingit tamen interdum, quod clerici ac etiam presbyteri pro depopulatione agrorum & insidiatione viarum malitiose, etiamsi inde penitus immunes fuerint, indictantur, & cum superinde in judicio sæculari convicti fuerint, non episcopali carceri committuntur, ut privilegium clericale deposcit, sed ut laici suspendantur, contra consuetudinem regni & ecclesiasticam libertatem. Placeat igitur domino nostro regi gratiose concedere, quod dictum privilegium & consuetudo regni prædicta in posterum observetur.

ANNO CHRISTI 1399.

LVI.

Item, domini temporales & eorum officiales inhibent tenentibus suis sub gravibus pœnis pecuniariis, quod ad citationes ordinariorum in aliqua causa, etiam correctionis animæ extra locum dominii sui non veniant, aut compareant coram ordinariis antedictis. Unde regiæ celsitudini supplicatur, quatenus per brevia sua dominis temporalibus districte prohibeatur, ne quicquam contra libertatem hujusmodi attemptare præsumant.

LVII.

Item, abbates & priores, exempti & non exempti, impetrant a rege per litteras patentes exemptiones, quod non sint deputati collectores decimarum, domino regi per clerum Angliæ concessarum, in præjudicium domini regis, ac tam ordinariorum, quam aliorum Angliæ prælatorum: placeat igitur eidem domino nostro regi concedere, quod tales exemptiones revocentur, & quod de cætero non concedantur.

LVIII.

Item, conqueruntur prælati & clerus prædicti, quod viri ecclesiastici beneficiari & alii tam in ecclesiis cathedr. quam aliis quibuscumque, ac in earum cœmeteriis, etiam dum sacris & divinis officiis intendunt, necnon indifferenter in locis aliis, dum sacramentum eucharistiæ ad infirmos deferunt, præsertim sub colore cujusdam validi clamoris "Houthese" vulgariter nuncupat. super & contra eos malitiose facti, arrestantur, & ab ipsis ecclesiis seu cœmeteriis & locis extrahuntur, & vinculati ducuntur in carcerem, contra ecclesiasticam libertatem. Quare placeat domino regi concedere, quod in casibus prædictis viri ecclesiastici nullo modo arrestentur, seu capiantur.

LIX.

Item, specialiter conqueruntur dicti prælati & clerus, quod viri ecclesiastici ad simplicem suggestionem cujuscumque etiam falsissimam per ministros, marescallos domini regis, totiens quotiens sic suggeritur, rapiuntur, & singulis vicibus, quibus sic capti fuerint, nomine feodi dimidiam marcam solvere compelluntur, ubi laici unum grossum in casu hujusmodi tantum solvunt, quodque sic viri ecclesiastici non plus solvere compellantur, quam laici.

LX.

Item, conqueruntur prælati & clerus memorati, quod vicecomites & eschaetores regii ad monasteria etiam ex pura & perpetua eleemo-

☞ ANNO CHRISTI 1399.

syna per reges & regni proceres fundata etiam A cum suis uxoribus in numero hominum & equorum nimium excessive annuatim venientes, ipsa monasteria & beneficiatos in sumptibus & alias nimis onerant & gravant, & nihilominus magnas pecuniarum summas indebite exigunt & extorquent. Placeat igitur domino nostro regi per sua brevia prohibere, & facere proclamari, quod ab hujusmodi gravaminibus in posterum desistant, sub pœna per dominum regem, & suum concilium limitanda.

LXI.

Item, conqueruntur sæpedicti prælati & clerus, quod provisores & emptores pro domo domini regis & aliorum procerum & magnatum, ut dicitur, deputati, beneficia & loca ecclesiastica, contra voluntatem eorum, ad quos pertinent, seu loca tenentia eorumdem, ingrediuntur & occupant, habitantesque ibidem & inventos arcent & expellunt, ac bona quæcumque inibi inventa capiunt, dissipant, & abducunt carigia & bona aliorum virorum ecclesiasticorum, in præjudicium & ecclesiasticæ libertatis læsionem. Placeat domino regi prohibere, & facere proclamari, quod a præmissis abstineant in futurum, sub pœna per ipsum regem & suum concilium limitanda.

LXII.

Item petunt prælati & clerus præfati, quod ubi de pensione ab una ecclesia seu beneficio ecclesiastico alteri ecclesiæ seu beneficio hujusmodi debita causa coram judice ecclesiarum ventilatur, regia prohibitio minime concedatur; & si emanaverit, consultatio regia plenarie concedatur, ac de hujusmodi causa pensionis cognoscat, & eam terminet judex ecclesiasticus, & minime sæcularis, præsertim cum sic debeat & consueverit fieri etiam ab antiquo.

LXIII.

Item cum causæ ad forum & cognitionem D ecclesiasticam spectantes, ad forum sæculare trahuntur, ac cognitio judicum ecclesiasticorum in causis hujusmodi per prohibitiones regias illicite impediatur, sicque jurisdictionem ecclesiasticam impedient; sint majoris excommunicationis sententia ipso facto damnati, involuti; quod obtenta consultatione regis in causis memoratis, libere valeant judices ecclesiastici taliter delinquentes publice excommunicatos denunciare, ac alias pro hujusmodi commisso, canonice punire; & contra præmissa, breve "Attachias" nuncupat. nullatenus concedatur.

ANNO CHRISTI 1399.

(De hac convocatione prælatorum & cleri provinciæ Cantuar. quam Harpsefeld. Hist. eccl. Angl. sec. XV. C. IX. p. 618. synodum Cantuariensem vocat, ita loquitur:)

„Quam synodum prior & capitulum, ut appellant, Cantuariense, absente in exilio Thoma, indixerat: ad quam Henricus rex comites Northumbriæ & Westmerlandiæ misit, non ut pecuniam aliquam a clero, sed ut preces pro ipsius & regni salute postularet: qui B profitebantur, nolle regem in pecuniis tribuendis eos premere, nisi summa reipubl. necessitas eas extorqueret; a quibus tamen postea solvendis nunquam cessatum est, sive id propter causam commemoratam, sive propter regis avaritiam acciderit.

Contestabantur vero commemorati comites, nolle regem cleri privilegia atque immunitatem imminuere, & diligentem positurum operam quo hæreses, quæ jam in immensum succreverant, exscinderentur. Eadem & in comitiis regni, quæ tum habebantur, promisit. In quibus regem Arundellius obtestatus est, ut provisiones abrogaret, per quas fiebat, ut doC cti & pii viri in academiis rerum victusque inopia premerentur, studiaque deserere cogerentur, cum opima interim beneficia indoctis & ambitiosis accrescerent. Pollicitus est rex se eam rem ad curiam suam revocaturum. Questus est in hac synodo clerus, quod valde premeretur tum a ministris regiis, tum a Romano pontifice. Et quæstor quidem pontificius venit ad synodum eam ob causam, voluitque ut clerus ea de re litteras ad summum pontificem mitteret. Postulatum est inter alia, ut dies divo Georgio martyri sacer, celebris & festus per totam Angliam ageretur, utque cautio diligentior haberetur, ne bona pauperum hospitiorum temere atque inconsulte in pauperum fraudem profunderentur; ne episcopi D causas, quæ sacerdotium & matrimonium respicerent, cuiquam nisi doctis & jurisperitis crederent, ne iis, qui in adulterium reciderent, quive gravius aliquod peccatum, quodque publice notum esset, pecuniaria aliqua, sed corporea solum pœna coercerentur." Hæc ille.

CONCILIUM IN VAZSTENENSE MONASTERIO IN SVECIA

☞ ANNO CHRISTI 1400.

Ab Henrico Upsalensi archiepiscopo

Anno 1400. habitum.

An. 1400. Benzel. in Diar. Vazsten. ad an. 1400.

COncilii hujus brevis mentio fit in Diario E Vazstanensis S. Birgittæ monasterii; postquam enim ibi consecratas fuisse virgines quasdam sacras narravit auctor, addiditque ritum hunc celebrasse Danielem archiepiscopum Upsalensem cum Straengianensi, Arosiensi, & Vexionensi episcopis, rege pariter Erico cum regina Margarita adsistentibus; tum prosequitur. *Tunc habebant ibi concilium quasi generale in Vazsten. traxerunt enim ibi moram a festo S. Martini usque ad diem conceptionis Beatæ Virginis, quamvis aliqui eorum cum rege antea paucis diebus recesserunt. Tunc rex Ericus plenariam potestatem accepit super regnum, quia quasi prius ad legitimam ætatem non pervenerat. Et ad illud tempus, sicut & postea per reginam Margaretam Valdemari regis Daciæ filiam ista tria regna regebantur.*

LON-

ANNO CHRISTI 1401.

LONDINENSE CONCILIUM

Pro hæreticis quibusdam puniendis reducendisve,

Anno 1400. *stylo veteri, novo vero* 1401. *habitum.*

An. 1441. Apud Vvilk. t. III.

PErlecto mandato domini archiepiscopi Cant. & certificato domini episcopi Londin ac examinatis procuratoriis, comparuerunt 29. die mensis Januarii in domo capitulari S. Pauli coram dicto reverendo patre domino Thoma Cant. Archiepiscopo, reverendi patres London. Lincoln. Elien. Hereforden. Exon. Sarum, Meneven. Assaven. Bangor. Roffen. & Landaven. episcopi, ac absentium episcoporum procuratores, nonnullique decani, & priores ecclesiarum cathedralium; archidiaconi etiam, abbates, & priores, ac alii prælati exempti & non exempti, ac procuratores capitulorum ecclesiarum cathedralium & cleri provinciæ antedictæ ad hoc vocati; quibus omnibus & singulis in eadem domo capitulari tunc præsentibus, dictus reverendissimus pater causas & negotia celebrationis sui concilii provincialis (convocationis cleri vulgariter nuncupati) viz. pro defectibus ejusdem provinciæ tam in clero quam in populo juxta juris exigentiam canonice reformandis, & præsertim ad inquirendum de & super erroribus & hæresibus nonnullorum presbyterorum, clericorum, & laicorum, qui suas privatas conventiculas & congregationes in locis privatis & absconditis infra dictam provinciam Cant. prout asserebatur, faciunt; ac inibi suas prædicationes & disputationes sapientes hæreses & errores, etiam super sacramento altaris faciunt & disceptant, in periculum animarum suarum, ac aliorum Christianorum perniciosum ac perversum exemplum, & fidei orthodoxæ præjudicium non modicum & gravamen: sub quorum prætextu corda simplicium poterunt de facili hæsitare de fide, immo damnabiliter cadere in errorem, ac fidei Christianæ fundamentum in eorum mentibus vacillare; taliter intimavit, & pro parte, ut dixit, exposuit tunc ibidem. Et facta hujusmodi negotiorum expositione, incontinenti eisdem die & loco, coram dicto rever. patre, & concilio suo provinciali prædicto, honorabiles viri dominus Henricus Percy, comes Northumbriæ, & Thomas Herpyngham, camerarius excellentissimi principis domini Henrici IV. regis Angliæ & Franciæ, & Thomas Northbury, domicellus, ex parte dicti regis, ac nonnullorum procerum & nobilium regni Angliæ, in parliamento ipsius regis apud Westmon. tunc specialiter missi, præsentiam suam de licentia dicti rever. patris exhibuerunt, & personaliter steterunt & intimarunt eidem rever. patri, & confratribus suis, ac toti congregationi prælatorum & cleri hujusmodi tunc præsentium, inter cætera, de hæresibus & erroribus sic modo generali, in dicto regno Angliæ in fidei catholicæ destructionem & Christianorum confusionem non modicam, nisi citius succurratur, per nonnullos tam clericos, ut dixerunt, quam laicos, doctis, prædicatis, & tentis ac conventiculis privatis in ea parte factis; supplicantes, quatenus ad destructionem hujusmodi errorum & hæresium, sic pullulantium, ne deterius inde contingat, per dictum dom. archiepiscopum, ac alios prælatos & clerum remedium congruum juxta juris exigentiam apponeretur; & delinquentes hujusmodi secundum ipsorum demerita canonice & publice puniantur; & promiserunt in ea parte, si necesse fuerit, regiam protectionem & defensionem in omnibus favorabiliter inclinatam. Commendaverunt etiam ipsum dominum regem & statum suum, ipsorum prælatorum & cleri piis orationum suffragiis, ac defensionem & salvationem regni sui, ipsorum necessario in dicta convocatione concedendo subsidio opportune, supportandas. Ac deinde dictus reverer. pater dom. archiepiscopus supradictus, habito aliquali tractatu cum confratribus suis, præfatis nunciis suis missis respondebat, dicens: Ego & confratres mei, ac totus clerus hic præsens regraciamus domino nostro regi, de bono zelo, quem erga nos in singulis ecclesiæ Anglicanæ utilitatem & honestatem concernentibus, & præsertim circa fidei orthodoxæ defensionem hucusque exhibuit, ut etiam exhibebit, ut speramus, in futurum; & quantum ad præmissa, nobis ex parte ipsius domini nostri regis intimata, habito inde consilio nostro in communi super eisdem & aliis, annuente Altissimo, remedium debitum, quatenus in nobis est apponere, curabimus & apponemus cum effectu.

Ac subsequenter quasi incontinenti, dictus rever. pater dom. archiepiscopus, quia ipsum & confratres suos, ut dixit, circa parliamentum prædictum necessario impediri contingeret hujusmodi concilium provinciale & convocationem cleri cum singulis emergentibus & dependentibus usque in diem sabbati prox. post festum S. Scholasticæ virginis prox. futurum, continuavit tunc ibidem.

Adveniente vero dicto die sabbati, vid. 12. die mensis Februarii, dictus rever. pater dom. archiepiscopus Cant. in præsentia concilii sui provincialis, in dicta domo capitulari congregati, contra quemdam dominum Will. Sawtre, alias dict. Chatrys, cappellanum prætensum, personaliter tunc ibidem de mandato domin. comparentem, objecit, quod idem dominus Will. nonnullas conclusiones hæreticas & erroneas coram vener. patre domino Henrico, Dei gratia Norwicen. episcopo, quondam renunciavit & abjuravit, ac post et citra abjurationem hujusmodi easdem conclusiones seu etiam consimiles fidei orthodoxæ renugnantes tenuit, docuit, et prædicavit publice et occulte, in animæ suæ grave periculum, et aliorum exemplum perniciosum; ac deinde hujusmodi conclusiones per ipsum dominum Willelmum citra renunciationem prædictam tentas et prædicatas, ut dicebatur, tunc ibidem in quadam schedula descriptas, eidem domino

VVII-

ANNO CHRISTI 1401.

VVillelmo veraciter de verbo ad verbum per mag. Robertum Hallum, dicti reverendissimi patris cancellarium, perlegi fecit, sub eo, qui sequitur, tenore verborum.

Articuli objecti VVillelmo Sawtre.

Dominus Will. Chatrys, alias dictus Sawtre, cappellanus parochialis S. Sythæ virginis London. tenet conclusiones subscriptas publice et occulte.

I.

In primis, quod non vult adorare crucem, in qua Christus passus est, sed solum Christum passum in cruce.

II.

Item, quod magis vellet adorare regem temporalem, quam crucem ligneam prædictam.

III.

Item, quod vult magis honorare corpora sanctorum, quam veram crucem Christi, in qua Christus pependit; hoc dato, quod vera crux esset coram eo.

IV.

Item, quod vult potius adorare hominem vere confessum et contritum, quam crucem Christi.

V.

Item, quod tenetur magis adorare hominem, quem scit prædestinatum, quam aliquem angelum Dei.

VI.

Item, quod si aliquis voverit visitare limina apostolorum Petri et Pauli, vel peregre proficisci ad tumbam S. Thomæ vel alibi, pro beneficio temporali obtinendo, non tenetur votum hujusmodi implere, sed potest expensas voti distribuere in eleemosynas pauperum.

VII.

Item, quod quilibet presbyter et etiam diaconus magis tenetur prædicare verbum Dei, quam dicere horas canonicas.

VIII.

Item, quod post prolationem verborum sacramentalium corporis Christi, remanet panis ejusdem naturæ sicut ante, nec desinit esse panis.

Quibus quidem conclusionibus sive articulis sic perlectis, dictus rever. pater petiit per dictum dominum Willelmum responderi. Idem vero Will. petiit copiam hujusmodi articulorum sive conclusionum, et terminum competentem ad respondendum eisdem. Et tunc præfatus dominus archiepiscopus copiam hujusmodi articulorum sive conclusionum eidem domino Willelmo tradi mandavit, et liberari fecit ibidem, ac diem Jovis prox. futurum ad deliberandum et respondendum eidem assignavit.

ANNO CHRISTI 1401.

Quo quidem die Jovis adveniente, mag. Nicolaus Rifsheton. causarum et negotiorum audientiæ præfati rever. patris domini archiepiscopi auditor, prædictam convocationem cum suis emergentibus, dependentibus, et connexis usque in diem crastinum ad horam octavam ante prandium, de mandato ipsius rever. patris in parliamento Westmon. tunc existentis, continuavit. Adveniente vero die crastina, vid. die veneris, in domo capitulari prædicta, præfatus dominus Will. Sawtre coram prædicto rever. patre et concilio suo provinciali, tunc ibidem congregato, personaliter comparens, quamdam schedulam, responsiones ad certos articulos sive conclusiones, alias sibi, ut præmittitur, per ipsum reverendum patrem objectos et liberatos, in se continentem, exhibuit, et eidem domino archiepiscopo pro responsione sua in ea parte, ut dixit, tradidit sub eo, qui sequitur, tenore verborum.

Respon. VV. Sawtre ad articulos.

Ego Willelmus Sawtre, presbyter indignus, dico et respondeo, quod non volo nec intendo crucem, in qua Christus passus est, adorare, sed solum Christum passum in cruce, sic intelligendo, quod nolo crucem materialem, propter grossam materiam corporalem adorare; volo tamen ipsam adorare, tanquam signum recordativum et memoriale passionis Christi, adoratione vicaria. Et volo magis adorare regem temporalem, quam crucem ligneam prædictam, quantum ad materiam in se. Volo etiam magis honorare corpora sanctorum, quam veram crucem Christi, in qua Christus pependit, hoc dato, quod vera crux esset coram me, quantum ad materiam in se. Item, volo potius adorare hominem vere confessum et contritum, quam crucem, in qua Christus pependit, quantum ad materiam corporalem. Et etiam teneor & volo magis adorare hominem, quem scio prædestinatum, vere confessum & contritum, quam angelum Dei, quantum ad hoc quod homo est ejusdem naturæ cum humanitate Christi, non sic angelus beatus; volo tamen adorare utrumque conformiter voluntati divinæ. Item, quod si aliquis vovit visitare limina apostolorum Petri & Pauli, vel peregre proficisci ad tumbam S. Thomæ, vel alibi, pro beneficio temporali obtinendo; non tenetur votum hujusmodi implere simpliciter, de necessitate salutis æternæ; sed potest expensas distribuere in eleemosynas pauperum, ex consilio sui superioris prudenti, ut suppono. Item, dico, quod diaconus & quilibet presbyter magis tenetur prædicare verbum Dei, quam dicere horas canonicas, secundum primam ordinationem ecclesiæ. Item de sacramento altaris interrogatus, dico, quod, post prolationem verborum sacramentalium corporis Christi remanet panis, quem frangimus, & panis cum corpore Christi, nec desinit esse panis simpliciter, sed remanet sanctus, verus, & panis vitæ; et credo illud esse verum corpus Christi post prolationem verborum sacramentalium.

Quibus responsionibus per venerabilem virum magnum Robertum Hallum, cancellarium domini tunc ibidem perlectis, dictus rever. pater dom.

ANNO CHRISTI 1401.

dom. Thomas, Cant. archiepiscopus, quæsivit a dicto domino Willelmo, utrum ipse præfatos hæreses & errores sibi, ut præmittitur, objectos alias coram reverendo patre domino Henrico, Episcopo Norwicensi abjurasset, seu tales conclusiones sive articulos revocasset, vel renunciasset eisdem? qui dixit & affirmavit quod non. Et consequenter immediate omissis omnibus aliis articulis, conclusionibus, & responsionibus suprascriptis, dictus rever. pater dom. archiepiscopus interrogavit eumdem dominum Will. Sawtre specialiter super sacramento altaris: primo, vid. utrum in sacramento altaris, post prolationem verborum sacramentalium remanet verus panis materialis, vel non? Ad quam quidem interrogationem idem dominus Wille. quasi vacillando, respondit dicens, se illud nescire; dixit tamen quod ibi est verus panis, quia panis vitæ, qui de cælo descendit. Deinde dominus interrogavit ipsum Willelmum, utrum in sacramento altaris post verba sacramentalia a presbytero rite prolata, remanet idem panis, qui ante, vel non? Et ad ipsam quæstionem prædictus Willelmus quasi consimiliter respondebat, sicut prius, dicens, quod ibidem fuit panis sanctus, panis verus, & panis vitæ, qui &c. Postea vero dictus rever. pater quæsivit ab eodem, utrum ille panis materialis ante consecrationem post verba sacramentalia a presbytero rite prolata trasmutatur a natura panis in verum corpus Christi? ad quam quæstionem dictus dominus Will. dixit, se hanc materiam nescire. Et nunc idem rever. pater dom. archiepiscopus assignavit eidem domino Willelmo terminum ad deliberandum & plenius respondendum in crastino; & convocationem hujusmodi in crastinum etiam continuavit tunc ibidem.

Quo quidem crastino, vid. 19. die mensis Februarii adveniente, præfatus rever. pater dominus archiepiscopus Cant. in dicta domo capitulari S. Pauli London. coram concilio suo provinciali, tunc ibidem congregato, præfatum dominum Willelmum Sawtre pariter tunc præsentem, de & super sacramento altaris specialiter, sicut ante, interrogavit, & examinavit; idemque dominus Will. quasi consimiliter, sicut prius, respondebat. Et deinde inter cætera rever. pater petiit ab eodem Will. si ille panis materialis super altari post verba sacramentalia a presbytero rite prolata, transubstantiatur in verum corpus Christi? Et idem dixit, se non intelligere. Postea dominus interrogavit, numquid ille panis materialis, albus, & rotundus ad sacramentum corporis Christi super altare aptus & dispositus, concurrentibus omnibus & singulis, quæ requiruntur, virtute verborum sacramentalium a presbytero rite prolatorum, transubstantiatur in verum corpus Christi, & desinit esse panis simpliciter. Dictus vero dominus Will. ad hujusmodi interrogationem, quasi deridendo, respondit dicens, se hoc nescire. Ac consequenter dominus interrogavit ipsum Willelmum utrum vellet stare determinationi ecclesiæ, quæ ponit, quod in sacramento altaris post consecrationem a presbytero rite factam, non remanet idem panis in natura, qui ante sed desinit esse panis simpliciter?

Ad ipsam interrogationem dictus dominus Will. dixit, quod vellet stare determinationi ecclesiæ, ubi talis determinatio non esset divinæ voluntati contraria. Et tunc interrogatus finaliter, quod sentiret de & super sacramento altaris, dixit & asseruit; quod post consecrationem a presbytero rite factam, remanet verus panis, & idem panis, qui ante. Et ista examinatio super sacramento altaris duravit ab hora octava ipsius diei, usque ad horam XI. vel circiter, adeo quod interim præfatus Will. aliter noluit respondere, nec super sacramento altaris informationem catholicam recipere, juxta institutionem ecclesiæ & fidei Christianæ. Unde præfatus rever. pater dom. Thomas Cant. archiepiscopus, de consilio & assensu totius concilii sui tunc præsentis, sententiam suam scriptis per honorabilem virum mag. Rob. Hallum, organum vocis suæ, contra eumdem dom. VVill. Sawtre præsentem personaliter, & errores suos & hæreses revocare recusantem, sed eosdem pertinaciter defendentem, tulit & promulgavit sub eo, qui sequitur, tenore verborum.

Pronunciatio dom. VVill. Sawtre pro hæretico.

„ In Dei nomine, Amen. Nos Thomas, „ perm. div. Cant. archiepiscopus, totius Anglia primas, & apostolicæ sedis Legatus, „ auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum „ Petri & Pauli, ac ecclesiæ sacrosanctæ & „ nostra, pro tribunali sedentes, & habentes „ præ oculis solum Deum, de confratrum & „ suffraganeorum nostrorum in præsenti concilio provinciali nobis assistentium, & totius „ cleri consilio & assensu per hanc nostram „ sententiam definitivam te, VVillelmum Sawtre, alias Chatrys, cappellanum prætensum, coram nobis personaliter comparentem, in & super crimine hæresis judicialiter & legitime convictum; hæreticum, & „ tamquam hæreticum puniendum pronunciamus, decernimus, & declaramus in his „ scriptis. Qua quidem sententia sic lecta præfatus rever. pater dom. archiepiscopus Cant. „ continuavit hujusmodi provinciale concilium „ usque in diem Mercurii tunc proxime futurum.

Ipso vero die Mercurii vid. 23. die dicti mensis Februar. adveniente, ven. pater dominus Henricus, episcopus Norwicen. juxta mandatum ejusdem domini archiepiscopi Cant. quemdam processum ipsius sigillatum & clausum, per quemdam familiarem suum in concilio hujusmodi præsentem, prædicto domino VVill. Sawtre præsentavit, & fidem hujusmodi sigillo per testes fide dignos imposuit. Cujus tenor sequitur, & est talis.

Memorandum, quod die ultima mensis Aprilis, A. D. MCCCXCIX. indict. VII. pontificatus domini Bonifacii papæ IX. anno X. in camera infra manerium rever. patris & domini, dom. Henrici, Norwicensis episcopi, apud Southelmham, ubi custoditur registrum dicti patris ante horam nonam dicti diei, & post horam nonam ejusdem diei, in quadam cappella infra dictum manerium situata, ac primo die mensis Maji extunc proxime sequent. in præfata camera dominus VVillelmus Chatris, cappellanus parochialis ecclesiæ S. Margaretæ villæ Lenum & Tylnus, comparuit coram reverendo patre Henr. episcopo Norwicensi, præsentibus magistris Johrde Derlyngton, archidiacono Norwic. decretorum doctore, fratre VValtero Dysse, & Joh. Rykynghale, sacræ paginæ professoribus, ac VVillelmo

ANNO CHRISTI 1401.

mo Carleton, U. J. doctore, necnon VVill. A Fryseby, & Hugone Brydham, notariis publicis, & publice asseruit, & tenuit conclusiones infrascriptas.

I.

In primis dicit, quod non vult crucem, in qua Christus passus est, adorare; sed Christum solum passum in cruce.

II.

Item dicit, quod vult magis adorare regem temporalem, quam crucem ligneam prædictam.

III.

Item dicit, quod vult magis honorare corpora sanctorum, quam veram crucem Christi, in qua Christus pependit, hoc dato, quod vera crux esset coram eo.

IV

Item dicit, quod diaconus et quilibet presbyter, magis tenetur prædicare verbum Dei, quam dicere matutinas, et alias horas canonicas

V

Item dicit, se multis diebus omisisse matutinas, et alias horas canonicas, existentem in sanitate, propter diversas occupationes, vid. audiendo confessiones, et insistendo aliis præcibus, ac propter studium, et illis diebus missas celebrasse; et dicit ulterius, quod presbyter taliter occupatus in confessionibus, orationibus, seu studio, non tenetur dicere matutinas, & alias hora canonicas.

VI.

Item dicit, quod si aliquis vovit peregre proficisci ad tumbam S. Thomæ Cant. vel alibi D pro aliquo beneficio temporali obtinendo, ut puta pro liberatione infirmitatis vel salvatione bonorum temporalium, vel hujusmodi; non tenetur implere illud votum; sed expensas voti distribuere in eleemosynas pauperum.

VII.

Item dicit, quod sæpius mutavit talia vota auctoritate sacerdotali sine auctoritate diœcesani

VIII.

Item dicit, quod post prolationem verbo- E rum sacramentalium corporis Christi remanet panis ejusdem naturæ, quæ fuit prius, cum corpore Christi, nec desinit esse panis.

IX.

Item dicit, quod vult potius adorare hominem vere confessum & contritum, quam crucem, in qua Christus pependit.

X.

ANNO CHRISTI 1401.

Item dicit, quod vult & tenetur magis adorare hominem vere confessum & contritum, quam aliquem angelum Dei. Præmissa omnia & singula dicit præfatus VVillelmus, ut asserit, cum matura deliberatione.

Postmodum vero die 30. mensis Maji, A. D indictione, & pontificatus prædictis, in præfata cappella intra manerium dicti rever. patris Henrici, Norwicen. episcopi, situat. apud Suothelmham, supradictus dom. VVillelmus revocavit dictas conclusiones omnes & singulas, & renunciavit eisdem; errores suos & hæreses B hujusmodi corrigendo, & abjuravit, tactis sacrosanctis evangeliis, coram præfato rever. patre Henrico, Norwic. episcopo, dictas conclusiones omnes & singulas; & ulterius juravit, quod de cætero conclusiones prædictas numquam prædicaret, assereret, seu teneret, palam vel occulte; & quod pronunciaret juxta assignationem dicti rever. patris conclusiones prædictas fore erroneas & hæreses, &c. ut infra declaratur in ecclesiis parochialibus de Lenum & Tylny, & in aliis locis, ad arbitrium dicti patris in præmissis, præsentibus discretis viris mag. Nicolao Risheton, auditore palatii apostolici in curia Romana, fratre VVill. Disse, & Joh. Rykynghale, doctoribus in theologia, C VVill. Carleton, U. J. doctore, VVill Fryseby, Hugone Brydham, & Gregorio Strode, notariis, publicis & aliis quampluribus

Responsio ad præmissa

I.

In primis quantum ad primam conclusionem, quod non vult adorare crucem, &c. fatetur se erraſſe, & articulum fore erroneum, & submittit se.

II

Item, quantum ad secundum articulum, quod D vult magis adorare regem temporalem, &c. fatetur se erraſſe, & articulum fore erroneum, & submittit se.

III.

Item, quantum ad III. articulum, quod vult magis honorare corpora sanctorum &c. fatetur se erraſſe, & articulum fore erroneum, & submittit se.

IV.

Item, quantum ad IV. articulum, quod dia- E conus & quilibet presbyter &c fatetur se erraſſe & articulum fore erroneum, & submittit se.

V.

Item, quantum ad V. articulum, quod dicit se omisisse matutinas &c. fatetur se erraſſe & deliquisse, & submittit se.

VI.

Item, quantum ad VI. articulum, quod si ali-

aliquis peregre proficisci &c. dicit, quod quis magis teneatur implere votum; & fatetur se erraſſe, & articulum fore erroneum & ſubmittit ſe.

ANNO CHRISTI 1401.

VII.

Item, quantum ad VII. articulum, quod ſæpius mutavit vota &c. fatetur ſe erraſſe, & ſubmittit ſe.

VIII.

Item, quantum ad VIII. articulum, quod poſt prolationem verborum ſacramental. &c. fatetur quod hæreſis eſt; & dicit quod ille panis tranſubſtantiatur in corpus Chriſti poſt prolationem verborum ſacramentalium, & deſinit eſſe panis ejuſdem naturæ.

IX.

Item, quantum ad IX. articulum, quod vult potius adorare hominem &c. fatetur ſe erraſſe, & articulum fore erroneum, ac ſubmittit ſe.

X.

Item, quantum ad X. articulum, quod vult potius adorare hominem, quam angelum Dei &c. fatetur ſe erraſſe, & articulum fore erroneum, & ſubmittit ſe.

Subſequente vero die 25 menſi Maji, anno ſupradicto, in cœmeterio cappellæ S. Jacobi, infra villam Lenum, prædictus VVillelmus, coram præfato rev. patre, ac clero & populo dictæ villæ Lenum circumſtantibus, publice declaravit in lingua materna concluſiones ſupradictas fore erroneas, & hæreſes, prout in quadam ſchedula continebatur. Et poſtmodum die 26. menſis maji, A. D. ſupradicto, in eccleſia hoſpitalis S. Johannis dictæ villæ Lenum, ſupradictus dom. VVillelmus, coram dicto rever. patre pro tribunali ſedente, juravit tactis ſacroſanctis evangeliis, quod nunquam de cætero prædicaret, palam vel publice, concluſiones ſupradictas, nec confeſſiones aliquorum ſubditorum ſuorum dictæ Norwic. diœc. audiret infra dictam diœc. ſine licentia ſpeciali dicti rever. patris, &c. Præſentibus rever. in Chriſto patre, fratre Johanne, Smernien. archiepiſcopo, ac magiſtris Joh. Rykinghale, ſacræ paginæ profeſſore, VVill. Carleton, utriuſque juris doctore, ac Thoma Bulton, official. libertatis villæ Lenum ſupradictæ, & aliis quamplurimis, &c.

Tenor ſchedulæ ſupradictæ.

I.

„ I ſey that this article is fals and erroneye, and by fals information y held it, „ the whiche y renounſe and aske foryevetherof, and ſey that it is a precious relyke, and that J ſchall holde it, vvhyle that „ y live; and that J ſvvere here.

II.

I ſey that this article is fals and erroneye, „ and by fals information y held it, the „ vvhiche J renounſe and aske foryevenes „ ther of, and ſey that it is a precious relyke, and that J ſchall holde it, vvhyle that „ y live: and that J ſvvere here.

III.

„ J ſey that this article is fals and erroneye, and by fals information y held it, „ the vvhiche J renounſe and aske foryevenes „ ther of, and ſey that is a precious relyke, „ and that J ſchall holde it, vvhyle that y „ live: and that J ſvvere here.

IV.

„ J Knovv. vvelle that J erred vvronfulyche by fals information, for J vvote vvelle, that a deken or a preſte is more holde to ſeye his matynes and his oures, than „ to preche for ther to he is bunden by ryght vvher for y ſubmitte me, " ut ſupra ".

V.

To cnant that article J Knovve vvelle, „ that y erred by fals information, vvher for „ Jaske foryevenes

VI.

„ J ſey that opinion is fals and erroneye, „ and by fals information y helde it for a man„ sholden to holde his avvove.

VII.

To this article y ſey that y dyd it by autorite of præſtehode, vvher thorovve y „ Knovveleche vvelle, that y have gylt and „ treſpaſſed; vvher for y bubmitte me to „ God, and to holy chyrche, and to ſovve „ fader, ſvveryng that y ſchalle never hal„ de it more.

VIII.

„ J ſey that J held it by fals and vvrong information, but novv. J Knovve vvelle, that „ it is ereſye, and that brede as none that „ the vvord of the ſacrament is ſeyde, it is „ no longer brede materiall, but that it is „ turned. in to verry Cryſtes body: and that „ y ſvvere here.

IX.

„ J ſey, that it is fals and. erroneye &c. „ ut ſupra.

X.

„ J ſey as J ſeyde, ut ſupra.

Et ſubſequenter dicto 23. die menſis Feb. A. D. MCCCC. in domo capitulari S. Pauli London antedicta, præfatus reverendiſſimus pater dom. Thomas, Dei gratia, Cant. archiepiſcopus, in convocatione ſua prælatorum & cleri & concilio hujuſmodi, tunc præſentium, ſupraſcriptum proceſſum dom. Norvvicen. epiſcopi palam & publice coram dicto dom. VVill. Savvtre, alias Chartrys, perlegi fecit; ac deinde interrogavit eumdem dom. VVill. utrum ipſe

ANNO CHRISTI 1401.

ipse plene intellexerit & noverit hujusmodi processum, & contenta in eodem; & dixit, quod scit. Ac insuper interrogatus, si quid vellet, aut sciret dicere, vel apponere contra processum; & respondit, quod non. Et postea incontinenti dictus rever. pater Thomas, archiep. Cant. interrogavit eumdem dom. VVill. ac eidem imposuit, prout ab aliis pluribus etiam fuit impositum, quod postquam ipse diversos errores & hæreses coram ven. patre episcopo Norvvic. judicialiter revocasset & abjurasset, tunc inter cæteros errores & hæreses per ipsum doctos, tentos, & prædicatos, tenuit & publice prædicavit, quod in sacramento altaris, post consecrationem a presbytero rite factam, remanet verus panis materialis; quam hæresim, prout alias hæreses & errores, etiam coram præfato dom. episcopo Norvvic. abjuravit. Ad quæ præfatus VVillelmus respondit, & quasi ridendo sive deridendo præmissa negavit, & ignoravit ut dixit; publice tamen asseruit, quod prædictam tenuit & docuit post datam dicti processus facti per episcopum Norvvic. prout tenebat etiam in eodem concilio. Et finaliter fuit petitum ab eodem domino VVillelmo, quare non debuit pronunciari relapsus, nec aliquam caulam allegavit. Unde præfatus dom. archiepiscopus Cant. de consilio & assensu totius concilii, præsertim cum consilio & assensu vener. patrum dominorum episcoporum, necnon priorum, decanorum, & archidiaconorum, & aliorum vener. doctorum, & clericorum pro tunc ibidem præsentium in concilio, supradictum dom. VVill. Savvtre, alias dictum Chatrys, presbyterum, in hæresim relapsum, ac propter ipsius incorrigibilitatem ad ejus degradationem & actualem depositionem procedendum fore duxit per sententiam suam definitivam in scriptis latam, cujus tenor sequitur in hæc verba:

„ Christi nomine invocato, nos Thomas, „ Dei gratia archiepiscopus Cant. legatus sedis apostolicæ, ac primas totius Angliæ, „ te VVill. Savvtre, alias dictum Chatrys, „ presbyterum, super hæresi per nos de consilio & assensu omnium & singulorum confratrum nostrorum, & totius cleri per nostram sententiam definitivam in scriptis latam, convictum & condemnatum fuisse & „ esse in hæresim relapsum, ac ad depositionem & degradationem juxta canonicas sanctiones procedendum fore decernimus & declaramus in his scriptis.

Et dicto die mercurii ad ulteriora in eodem provinciali concilio non fuit processum, sed fuit continuatum cum omnibus dependentibus usque in diem veneris prox. tunc futurum.

Quo die veneris adveniente, mag. Nicol. Kisheton de mandato domini tunc in parliamento occupati, ut dixit, concilium sive convocationem hujusmodi cum suis incidentibus, emergent. dependent. & connex. usque in crastinum, vid. diem sabbati tunc prox. sequentem, continuavit. Ipsa vero die sabbati, viz. 24. die dicti mensis Februar. præfatus rever. pater dominus Thomas, Cant. archiepiscopus, in sede episcopali præfatæ ecclesiæ S. Pauli London. constitutus, & pontificalibus solemniter indutus, ascitis & sibi in hac parte assistentibus, vener. patribus dominis London. Lincoln. Hereforden. Exon. Meneven. & Rossen. episcopis supradictis, præfatum dom. VVil. Savvtre vestimentis sacerdotalibus indutum, coram se in eadem sede præsentari & comparere in conspectu populi mandavit & fecit. Ac deinde quasi totum processum factum contra eumdem dominum VVill. in lingua materna Anglicana toti clero & populo in multitudine copiosa coram ipso congregato exposuit, & publice declaravit. Quibus sic factis antedictam sententiam de relapsu alias contra ipsum dominum VVill. ut præmittitur, latam ex abundanti recitavit, & perlegit tunc ibidem. Et quia ipsum VVill. in ea parte adhuc conteri vel pœnitere non videbat, ad ipsius degradationem & actualem depositionem processit sub forma, quæ sequitur.

„ In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti Amen. Nos Thomas, permissione divina Cant. archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, te VVill. Savvtre, alias Chatrys, cappellanum prætensum, in habitu & apparatu sacerdotali indutum, hæreticum, & in hæresim relapsum, per nostram sententiam definitivam condemnatum de consilio, assensu, & auctoritate, ac conclusione etiam omnium confratrum nostrorum coepiscoporum, & prælatorum, ac totius cleri concilii nostri provincialis, ab ordine sacerdotali degradamus & deponimus: & in signum degradationis & actualis depositionis ab ordine sacerdotali propter incorrigibilitatem tuam, tibi patenam & calicem auferimus, ac omni potestate missam celebrandi te privamus; necnon te casula exuimus, vestemque sacerdotalem tibi auferimus, ac te omni & omnimodo honore sacerdotali privamus.

„ Item, nos Thomas archiepiscopus antedictus, auctoritate, consilio, & assensu, quibus supra, te VVillelmum antedictum, diaconum prætensum, in habitu & apparatu diaconali indutum, librum evangeliorum habentem in manibus, hæreticum & relapsum per sententiam, ut præfertur, condemnatum, ab ordine diaconali degradamus & deponimus: & in signum degradationis & actualis depositionis hujusmodi librum evangeliorum & stolam tibi auferimus, ac te potestate legendi evangelium, ac omni & omnimodo honore diaconali privamus.

„ Item, nos Thomas archiepiscopus prædictus, auctoritate, consilio & assensu, quibus supra, te VVill. præfatum, subdiaconum prætensum, in habitu & vestimento subdiaconali indutum, hæreticum, & relapsum per sententiam, ut præmittitur, condemnatum, ab ordine subdiaconali degradamus & deponimus, & in signum degradationis & actualis depositionis, tibi albam & manipulum auferimus, ac te omni & omnimodo honore subdiaconali privamus.

„ Item, nos Thomas archiepiscopus antedictus auctoritate, consilio, & assensu, quibus supra, te VVill. prædictum, acolitum prætensum, in habitu acolitatus indutum, hæreticum & relapsum per sententiam nostram, ut præmittitur, condemnatum, ab ordine acolitatus degradamus & deponimus: & in signum degradationis & actualis depositionis, tibi ceroferarium & urceolum auferimus, ac te omni & omnimodo honore acolitatus privamus.

„ Item, nos Thomas archiepiscopus prædictus,

ANNO CHRISTI 1401.

„ ctus, auctoritate, consilio, & assensu, qui-
„ bus supra, te VVill. prædictum, exorcistam
„ prætensum, in habitu exorcistæ indutum,
„ hæreticum & relapsum per nostram senten-
„ tiam, ut præmittitur, condemnatum, ab
„ ordine exorcistæ degradamus & deponimus:
„ et in signum degradationis, et actualis depo-
„ sitionis hujusmodi, tibi librum exorcismorum
„ auferimus, ac te omni et omnimodo hono-
„ re exorcistæ privamus.

„ Item, nos Thomas archiepiscopus prædi-
„ ctus, auctoritate, consilio, et assensu, qui-
„ bus supra, te VVill. antedictum, lectorem
„ prætensum, in habitu lectoris indutum, hæ-
„ reticum et relapsum per nostram senten-
„ tiam, ut præmittitur, condemnatum, ab
„ ordine lectoris degradamus et deponimus:
„ et in signum degradationis, et actualis de-
„ positionis hujusmodi, tibi codicem divina-
„ rum lectionum auferimus, ac te omni et
„ omnimodo honore lectoris privamus.

„ Item, nos Thomas archiepiscopus prædi-
„ ctus, auctoritate, consilio, et assensu, qui-
„ bus supra, te VVill. Savvire antedictum,
„ ostiarium prætensum, in habitu ostiarii et
„ superpelliceo indutum, hæreticum et rela-
„ psum per nostram sententiam definitivam,
„ ut præmittitur, condemnatum, ab ordine
„ ostiarii degradamus et deponimus: et in si-
„ gnum degradationis et actualis depositionis
„ hujusmodi, ex causis præmissis tibi claves
„ ecclesiæ et superpellicem auferimus, ac
„ omni et omnimodo honore et commodo
„ ostiarii te privamus: nec non te VVill.
„ Savvire, alias dictum Chatrys, auctoritate
„ Dei omnipotentis Patris et Filii, et Spiri-
„ tus S. ac nostra, et auctoritate, consilio,
„ et assensu totius concilii nostri provincialis
„ suprascripti, ab ordinibus, beneficiis, et
„ privilegiis, et habitu et foro ecclesiasticis
„ propter tuam pertinaciam et incorrigibilita-
„ tem, curia seculari constabularii et mares-
„ calli regni Angliæ coram nobis hic persona-
„ liter præsente, degradamus et deponimus,
„ ac omnibus et singulis honoribus et insigniis
„ clericalibus quibuscumque exuimus et priva-
„ mus in his scriptis. Nec non in signum de-
„ gradationis et depositionis actualium, coro-
„ nam et tonsuram clericalem in nostra præ-
„ sentia fecimus abradi, et ad instar laici se-
„ cularis penitus deleri, ac capiti ejusdem
„ VVillelmi, tanquam laici secularis, capi-
„ tium stragulatum apponi; rogantes eamdem
„ curiam, quatenus favorabiliter ipsum VVil-
„ lelmum velit habere recommissum.

Qua quidem degradatione & depositionis solemnitate per dictum rever. patrem, ut præmittitur, peracta, continuatum fuit concilium provinciale supradictum usque in diem lunæ tunc proxime futurum. Et ipso die lunæ, vid. ultimo die ejusdem mensis feb. in domo capitulari antedicta, comparuit personaliter coram dicto reverendissimo patre dom. Joh. Purney, cappellanus, ut asseruit, Lincoln. diœc. de & supra diversis hæresibus & erroribus infamatus, & accusatus. Cui idem rever. pater in præsentia concilii sui, quosdam articulos inferius descriptos, errores, & hæreses in se continentes, objecit; & de credentia, manutenentia, & doctrina eorumdem hæresium & errorum, fidei catholicæ, & determinationi ecclesiæ repugnantium, imposuit, & super eisdem ipsum interogavit, & diligenter examinavit. Et quia ipsum rever. patrem circa ardua & urgentia negotia, nedum statum & utilitatem ecclesiæ & etiam totius regni Angliæ, in parliamento, ad tempus necessarium occupari contingeret, ut dixit; ad audiendum dominum Johannem, ac articulos hujusmodi, & omnes hæreses & errores per ipsum scriptos, tentos, doctos, vel qualitercumque prædicatos examinand. & cum consilio sacræ theologiæ professorum, & decretorum doctorum, & aliorum juris peritorum ipsius convocationis, discutiend. & plene determinand. vener. patres dominos Richardum Bangor, & Joh. Roffen. episcopos assignavit, & loco suo substituit, ac eisdem vices suas commisit in ea parte, tunc ibidem, ac insuper hujusmodi concillum sive convocationem usque in crastinum continuavit, & sic de diebus in dies usque in diem sabbati, & deinde etiam in omnem eventum usque ad diem lunæ proxime tunc futurum. Ipso siquidem die sabbati supradicto vid. 5. die mensis Martii A. Domini MCCCC. in domo capitulari prædicta, coram præfatis vener. patribus dominis Bangor & Roffen. episcopis; magistris Johanne Barnet, Roberto Hallum, Nicol. Risheton, & aliis doctoribus & clericis quamplurimis, dictus dominus Joh. Purney, cappellanus, recognovit errores suos & hæreses, quos antea scripsit, tenuit, & docuit, ut dixit, & ipsos omnes & singulos ac alios universos anathematizavit in perpetuum & abjuravit; ac correctioni, arbitrio, & informationi dicti domini archiepiscopi, cum suo concilio se humiliter & sponte submisit; nec non tactis sacrosanctis Dei evangeliis juravit & pronunciavit, prout in quadam papyri schedula, tunc ibidem exhibita, expresse continebatur. Et consequenter die crastina, vid. die dominica proxime sequenti, apud crucem S. Pauli London. idem dominus Johannes Purney, in præsentia dominorum London. episcopi, & comitis Warweici, ac dictorum magistrorum Rob. Hallum, Nic. Risheton, Joh. Barnet, & aliorum dictorum & clericorum nonnullorum, ac totius populi ibidem propter sermonem congregat. eamdem schedulam. & contenta ejusdem, de mandato & arbitrio dicti rever. patris domini archiepiscopi Cantuar. cum concilio suo, publice & aperte in lingua materna Anglicana exposuit, & veraciter declaravit, ac suos hæreses & errores pristinos abjuravit, anathematizavit, & ad sancta Dei evangelia juravit, promisit, & se obligavit juxta formam & effectum hujus, schedula, cujus tenor de verbo ad verbum, cum signo & subscriptione ipsius Johannis, sequitur, & est talis:

„ In Dei nomine, Amen. Ego Joh. Purney, presbyter indignus, Lincol. diœc. nuper
„ suspectus, infamatus, accusatus, & manifeste convictus, coram rever. in Christo patre
„ ac domino, dom. Thoma, div. prov. Cant.
„ archiepiscopo, totius Angliæ primate, & apostolicæ sedis legato, præsente suo provincia-
„ li concilio, super credentia, doctrina, &
„ manutenentia quorumdam errorum & hæresium, repugnantium orthodoxæ fidei, ac de-
„ terminationi sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ,
„ in quibus, humiliter, non vi nec metu in-
„ ductus, sed pure, sponte, & libere me sub-
„ misi, & in præsenti submitto correctioni &
„ arbitrio & informationi rever. patris & do-
„ mini supradicti, cum suo concilio, modo
„ veritatem fidei catholicæ, & meos hæreses

ANNO CHRISTI 1401.

„ & errores pristinos recognoscens, hic perso-
„ naliter constitutus, omnem penitus hære-
„ sim, & præcipue de qua sum infamatus ha-
„ actenus, vel convictus, anathematizo in per-
„ petuum, & abjuro, & veritatem catholicam
„ dictis hæresibus & erroribus repugnantem
„ corde firmiter credo, & ore fideliter confi-
„ teor per ordinem, qui sequitur, in his scriptis.

„ Prima hæresis, quam tenui, scripsi, &
„ docui, fuit ista: quod in sacramento altaris
„ post sui consecrationem non est nec esse po-
„ test accidens aliquod sine subjecto; sed ibi
„ remanet veraciter eadem substantia, & na-
„ tura panis visibilis & corruptibilis, & idem
„ vinum similiter, quæ ante consecrationem
„ in altari ponuntur, sacerdotis ministerio con-
„ secranda. Sicut cum paganus vel infidelis a-
„ liquis baptizatur, convertitur spiritualiter in
„ membrum Christi per gratiam, & adhuc re-
„ manet idem homo, qui prius, in propria
„ substantia & natura. Contra quam hæresim
„ credo & fateor istam esse catholicam veri-
„ tatem, quod in eodem vener. sacramento
„ altaris, post ejus consecrationem, non re-
„ manet eadem substantia, vel natura panis,
„ aut vini, quæ antea ponitur in altari; sed
„ tota substantia & natura panis ejusdem in
„ totam substantiam corporis Christi, & totum
„ illud vinum in sanguinem ejus, non figura-
„ tive, sed veraciter convertuntur: ita quod
„ sola forma sensibilis & similitudo eorum-
„ dem panis & vini remanet ibidem in eorum
„ accidentibus, absque subjecto aliquo eorum-
„ dem, & in illa forma panis & vini est ve-
„ rum corpus Christi & sanguis, ita realiter
„ atque veraciter in sua propria substantia
„ & natura, sicut fuit in utero virginis, &
„ pependit in cruce, jacuit in sepulcro, et
„ residet nunc in cælo.

„ Secunda hæresis, quam tenui, scripsi, et
„ docui, fuit ista; quod vocalis confessio seu
„ privata pœnitentia est quædam auriculatio
„ destruens evangelii libertatem, noviter intro-
„ ducta per papam et clerum, ad intricandas
„ hominum conscientias in peccato, ad detra-
„ hendum eorum animas in infernum. Con-
„ tra quam hæresin credo et fateor, istam
„ esse catholicam veritatem; quod vocalis con-
„ fessio non destruit, sed promovet evangelii
„ libertatem, nec introducta est ad intrican-
„ dum, sed potius ad deliberandum hominum
„ conscientias a peccato.

„ Tertia hæresis, quam tenui, scripsi, et
„ docui, fuit ista: quod omnis homo sanctus
„ et prædestinatus ad vitam æternam, etiamsi
„ sit laicus, est verus presbyter et sacerdos or-
„ dinatus a Deo ad ministrandum omnia sa-
„ cramenta necessaria hominibus ad salutem,
„ licet nullus alius episcopus unquam ei ma-
„ nus imponat, sicut et primogeniti sub lege
„ naturæ facti sunt sacerdotes a Deo; et sic-
„ ut Moyses ipse fuit sacerdos, priusquam A-
„ aron, perficiens ceremonias legis antiquæ,
„ sacerdotio fungeretur. Omnis vero sanctus
„ presbyter vel sacerdos Dei veraciter est epi-
„ scopus, et prælatus, atque curatus fideli-
„ um. Et quicumque est magis humilis, &
„ melius implet officium sacerdotis, ille ve-
„ rus est papa secundum ordinationem divi-
„ nam, licet quis ille sit, mundo penitus i-
„ gnoretur. Contra quam hæresim credo et
„ fateor, istam esse catholicam veritatem,
„ quod nemo, quantumcumque prædestinatus
„ vel sanctus, ordinatur papa, episcopus, vel
„ sacerdos a Deo ad ministrandum Ecclesiæ
„ sacramenta, nisi per ministerium consecra-
„ tionis, electionis, vel institutionis humanæ,
„ cooperante divina virtute, canonice fuerit
„ ordinatus.

„ Quarta hæresis, quam tenui, scripsi, &
„ docui, fuit ista: quod quia prælati quidam
„ seu clerici male vivunt contra doctrinam &
„ exemplum Christi, & apostolorum ipsius;
„ ideo illi, qui sic vivunt, non habent claves
„ regni cælorum, sed claves inferni; nec ali-
„ quis Christianus plus appetiari debet eorum
„ censuras, quam sibilum serpentium. Immo
„ si papa forsitan interdiceret regnum nostrum,
„ non potest nobis nocere, sed magis prodes-
„ se, cum per hoc alleviati essemus ab ejus
„ legibus observandis, & a divinis officiis jux-
„ ta morem ecclesiæ celebrandis. Contra quam
„ hæresim credo & fateor, istam esse catho-
„ licam veritatem, quod prælati ecclesiæ quan-
„ tumlibet male vivant, dum ab ecclesia to-
„ lerantur, habent nihilominus veram cæle-
„ stium clavium potestatem, adversus quam
„ portæ non prævalent infernales; eorumque
„ censuræ, licet quoque sint forsitan irrationa-
„ biles aut injustæ, cum reverentia tamen sunt
„ humiliter metuendæ, ne suis contemptori-
„ bus inferant nocumentum.

„ Quinta hæresis, quam tenui, scripsi, do-
„ cui, fuit ista: quod quicumque recipit of-
„ ficium sacerdotis, etiamsi curam non habue-
„ rit animarum sibi per morem ecclesiæ dele-
„ gatam, nedum potest; immo debet evange-
„ lium populo Dei libere prædicare; alias e-
„ nim est latro excommunicatus a Deo, & ab
„ ecclesia sacrosancta. Contra quam hæresim
„ credo & fateor istam esse catholicam veri-
„ tatem, quod non licet alicui sacerdoti,
„ quantumcumque scienti vel sancto, prædica-
„ re verbum evangelii populo, nisi ad hoc
„ missus fuerit a prælato, vel ab ecclesia mi-
„ litante vel evidenti miraculo se a Deo mis-
„ sum docuerit, vel ab ecclesia triumphante.

„ Sexta hæresis, quam tenui, scripsi, & do-
„ cui, fuit ista: quod si quis juramentum vel
„ votum emiserit ad servandam perpetuam ca-
„ stitatem, vel aliud quicquam pro Domino
„ faciendum, ad quod forte Deus non acce-
„ ptat eum, dando ei gratiam perficiendi suum
„ propositum, illud votum seu juramentum est
„ irrationabile, ac etiam indiscretum, nec a-
„ liquis prælatus eum potest compellere ad i-
„ stud servandum, nisi contraveniat ordinatio-
„ ni divinæ; sed debet eum committere Spiri-
„ tui S. & propriæ conscientiæ gubernandum;
„ quia talis, qui non implebit votum seu ju-
„ ramentum suum, de facto non potest finali-
„ ter adimplere. Contra quam hæresim credo
„ & fateor, istam esse catholicam veritatem,
„ quod licet quis juramentum seu votum emi-
„ serit ad aliquod bonum opus pro Domino
„ faciendum, & illud forte postea non habue-
„ rit gratiam adimplendi sibi datam a Deo,
„ si tamen aliud non obsistat, hujusmodi vo-
„ tum seu juramentum est rationabile & acce-
„ ptum a Deo, pro tempore quo per ipsum
„ emittitur, & ipse potest illud servare per
„ gratiam, quam habere potest a Deo, si ve-
„ lit se ipsum ad eam recipiendam disponere
„ congruenter, & sic potest a prælato com-
„ pelli ad illud servandum per gratiam Dei
„ cum aliis mediis opportunis.

„ Se-

ANNO CHRISTI 1401.

„ Septima hæresis, quam tenui, scripsi, & docui, fuit ista: quod Innocentius papa tertius & sexcenti episcopi cum aliis mille prælatis & toto residuo cleri, qui cum eodem papa determinaverunt concorditer in concilio generali *Lugdun.* (*a*) quod in sacramento altaris post conversionem panis & vini in Christi corpus & sanguinem, accidentia eorumdem panis & vini remanent ibi, sine aliquo subjecto proprio eorumdem: & qui statuerunt ibidem, quod omnes Christifideles deberent semel in anno confiteri omnia peccata sua proprio sacerdoti, & recipere hoc venerabile sacramentum altaris in Paschate; & qui multas alias leges condiderunt ibidem, omnes illi fuerunt in hoc stulti et fatui, hæretici & blasphemi, ac seductores populi Christiani. Quare nec est credendum determinationibus eorumdem, vel successorum suorum, nec est obediendum eorum legibus, aut statutis, nisi fundentur expresse in sacra scriptura, vel in ratione, cui non poterit obviari; et quia hoc defuit in eorum decretis et decretalibus, et aliis libris juris eorum, ideo deberent omnes ut libri hæreticorum pro suis erroribus concremari. Contra quam hæresim credo et fateor, istam esse catholicam veritatem, quod omnes Christi fideles debent fideliter credere et humiliter obedire prædictis determinationibus, et constitutionibus, et aliis universis ejusdem Innoc. III. cum prædicto concilio generali, cæterorumque successorum suorum per consilium Romanæ ecclesiæ cum clero eidem subjecto, communiter approbatis, et libros hujusmodi juris canonici, tamquam ecclesiasticam disciplinam, et doctrinam catholicam continentes, in congrua reverentia conservare. In omnibus igitur supradictis articulis hic ad sancta Dei evangelia juro, per S. Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, unum Deum, vivum, et verum; quod ego Johannes Purney prædictus, hanc eamdem fidem veraciter credo et teneo, quam superius ex traditione dicti reverendi patris et domini mei, dom. archiepiscopi Cant. et sui provincialis concilii, ore proprio sum confessus; omnesque prædictos errores et hæreses, quos hactenus tenui, scripsi, vel docui, et alios universos, non vi nec metu inductus, sed pure, sponte, ac libere tam corde, quam ore diffiteor in perpetuum, et abjuro. Nec non omnes illos et singulos, qui præmissos errores et hæreses, vel aliqualem eorumdem animo pertinaci tenent, vel docent, sive defendunt, velut hæreticos æterno anathemate dignos pronuncio, et nisi resipiscant, igne perpetuo pro sua perfidia merito conflagrandos; meipsum quoque, si unquam (quod absit) in posterum aliquid contra meam confessionem præsentem corde vel ore, clam vel palam, tenere vel docere præsumpsero, ex nunc, prout extunc, me sponte submitto et obligo legibus et prælatis ecclesiæ, condigno supplicio rigide puniendum. Et ego Johannes supradictus, in veritatem et testimonium præmissorum, manu mea propria hic me subscribo, et signum crucis appono ✠.

(a) Later.

Adveniente vero die Lunæ suprascripto, in dicta domo capitulari præfatus rever. pater dom. Thomas Cant. archiepiscopus, habito primitus quodam tractatu cum suis confratribus, prælatis, et clero super diversis negotiis, utilitatem ecclesiæ et regni Angliæ concernentibus, convocationem suam sive concilium provinciale hujusmodi usque in crastinum continuavit. Quo quidem crastino, vid. 8. die mensis Martii, A. D. supradicto, coram eodem rever. patre domino Thoma, Cant. archiepisc. Roberto London. Joh. Hereforden. Ric. Bangor. et Joh. Roffen. episcopis, ac aliis prælatis, et clero dicti concilii in dicta domo capitulari, de et super diversis negotiis tractantibus dom. Rob. Bowelond, presbyter, ac rector ecclesiæ S. Antonini London., de incestu et gravi incontinentia cum quadam domina Alicia Wodelowe, sanctimoniali prioratus de Nunneton, Coventr. et Lich. diœc. expresse professa, alias in visitatione metropolitica dicti rever. patris in ipso prioratu exercita, detectus et delatus, personaliter comparuit, ac culpam suam et reatum de crimine antedicto sibi imposito humiliter et sponte recognoscens, submisit se gratiæ, correctioni, punitioni, et reformationi dicti rever. patris; et juravit de stando mandatis ecclesiæ, tactis sacrosanctis Dei evangeliis, ac etiam errorem & hæresim tacitam vel expressam, pure, sponte, & libere, non vi, nec metu inductus, abjuravit, anathematizavit, & eisdem corde & animo abrenunciavit in perpetuum tunc ibidem. Et subsequenter die dominica proxime tunc futura ad crucem S. Pauli London. coram omni populo ad sermonem ibidem congregato, quamdam schedulam papyri, formam & effectum confessionis & submissionis hujusmodi in scriptis plenius continentem, per ipsum rever. patrem cum concilio suo eidem Roberto traditam, publice & aperte in lingua materna exposuit, declaravit, & propalavit, sub eo, qui sequitur, tenore verborum.

„ Venerabiles domini. Intelligetis, quod tempore nondum diu elapso, in ecclesia B. Mariæ de arcubus London. rever. in Christo pater & dominus, dom. Thomas, Dei gratia archiepiscopus Cant. primas totius Angliæ, & legatus apostolicæ sedis, pro tribunali sedens, publice in præsentia quamplurimorum & diversorum venerabilium virorum imposuit mihi Rob. Bovvelond, presbytero licet indigno, ac rectori ecclesiæ parochialis S. Antonini London. qui jam hic sum præsens coram vobis, quod inter cætera fuit publice detentum & delatum eidem domino archiepiscopo in visitatione sua metropolitica, quam nuper exercuit in civit. & diœc. Coventr. & Lich. apud quemdam prioratum monialium ejusdem diœc. vulgariter nuncupat. *Nunneton*, quod ego idem Robertus Bovvelond, infra dictum prioratum quondam per vices diversas faciens moram, quamdam sanctimonialem ejusdem prioratus, expresse professam, vocatam domina Alicia Wodelovve, sub quadam specie fictæ sanctitatis, instinctu diabolico, nequiter ad actum carnalem sollicitavi; & tandem eamdem sanctimonialem sæpius carnaliter cognovi, & impregnavi eamdem: quod quidem crimen, sic, ut prædicitur, mihi impositum, tunc magna cum instantia negavi, ad hoc instigatus per consilium certarum personarum, quas non ex primo ad præsens, de quo jam graviter me pœnitet. Quare dictus rever. pater dom. archiepiscopus Cant. volens ad convincend. me de crimine antedicto producere certas proba-

ANNO CHRISTI 1451.

„ nationes, ad promotionem venerabilis vi-
„ ri mag. Rob. Hallum, sui cancellarii,
„ assignavit certum terminum competentem ad
„ comparendum in dicto prioratu, ad viden-
„ dum probationes hujusmodi produci, & po-
„ stea, veniente ipso termino, coram ven. &
„ religioso viro patre Philippo Reppyngdon,
„ abbate monasterii Levoestr. quem in hac
„ materia elegi in judicem meum, & coram
„ commissario præfati domini archiepiscopi,
„ per eum legitime deputato, quamplures &
„ diversi testes, & aliæ evidentiæ sufficientes
„ erant producti. Quibus quidem testibus per
„ eumdem abbatem, in præsentia notarii, &
„ aliorum testium fide dignorum debite admis-
„ sis, juratis, & examinatis in forma juris,
„ ac consequenter ipsorum testium dictis & de-
„ positionibus, aliisque evidentiis supradictis
„ publicatis, ac per quamplures & diversos
„ dominos episcopos, doctores, & clericos a-
„ lios ad hoc deputatos, per dominum archie-
„ piscopum antedictum vitis, intellectis, & suf-
„ ficienter rimatis, atque discussis, manifeste
„ compertum erat, nedum dictum crimen, sed
„ etiam aliud pejus & magis horribile, quam
„ exprimo ad præsens, in materia antedicta,
„ contra me fuisse & esse sufficienter proba-
„ tum. Unde ego idem Robertus Bovvelond
„ superius nominatus, pure, & sponte, absque
„ metu quocumque, recognoscens me reum,
„ & culpabilem, prout in rei veritate fui, &
„ & sum, de crimine antedicto, coram dicto
„ domino archiepiscopo in præsentia suorum
„ venerab. confratrum dominorum episcopo-
„ rum Londonensis, Hereford. Roffen. & Ban-
„ gor. ac aliorum quamplurium, & diverso-
„ rum magistrorum S. Theologiæ doctorum,
„ atque legum aliorumque clericorum con-
„ fessus fui, & convictus de crimine mentio-
„ nato, submisi me gratiæ ejusdem domini
„ archiepiscopi, humiliter & devote supplicans
„ ejus dominationi, ut dignaretur habere de
„ me misero peccatore misericordiam & pie-
„ tatem in hoc casu. Et ideo vobis omnibus
„ vener. dominis hic præsentibus, ego Rober-
„ tus Bovvelond superius sæpe recitatus, de
„ mea propria, bona, & libera voluntate no-
„ tifico, & publico, quod prædictus rever. pa-
„ ter dominus archiepiscopus Cant. nunquam
„ imposuit mihi crimen antedictum ex mali-
„ tia aliquali, nec ullo falso modo, sed ex
„ veritate & bono zelo, ad canonicam corre-
„ ctionem animæ meæ, & debitam castigatio-
„ nem corporis mei, ut nunc satis intelligo,
„ & sentio in effectu; quibus quidem corre-
„ ctioni & castigationi fui & sum paratus, &
„ offero me paratum obedire, prout meteor,
„ & teneor per legem Dei, & ejus S. Eccle-
„ siæ.

ANNO CHRISTI 1451.

Et suprascripto die S. Martii in dicta domo capitulari, idem rever. pater dominus archiepiscopus antedictus præfatum concilium & negotia ejusdem non expedita, usque in crastinum, & ipso crastino usque in diem veneris prox. tunc futurum, in loco hujusmodi continuavit. Adveniente vero eodem die veneris vid. 11. die mensis Martii prædicti, in præfata domo capitulari, dictus rever. pater, & confratres sui, ac alii prælati & clerus Cant. provinciæ concesserunt domino regi unam decimam, & medietatem unius decimæ, juxta formam cujusdam schedulæ in ea parte factæ, cujus tenor sequitur in hæc verba:

Concessio Cleri.

„ Clerus Cant. provinciæ concedit domino
„ nostro regi unam decimam cum dimidia sol-
„ vend. tribus terminis per æquales portiones;
„ vid. unam medietatem in festo S. Trinitatis,
„ & secundam medietatem in festo S. Andreæ
„ apostoli prox. futuro, tertiam vero medieta-
„ tem in festo nativitatis S. Joh. Baptistæ,
„ tunc prox. sequente persolvend. de beneficiis
„ taxatis, & ad decimam solvere consuetis
„ (exceptis hospitalariis, & pauperibus mo-
„ nialibus, ac eorum beneficiis; & super hoc
„ stetur discretioni & certificatorio ordinarii,
„ infra cujus diœcesim loca prædicta sita exi-
„ stunt) ita quod non oneretur clerus interim
„ impositione, subsidio, vel onere aliunde, &
„ quod ad levandam dictam primam medieta-
„ tem citra festum Paschæ non scribatur, nec
„ exerceant collectores censuras ante lapsum
„ dictorum terminorum, nec utantur in locis
„ non exemptis circa levationem prædictam
„ regia potestate, excepto brevi de "significa-
„ vit," sicut hactenus extitit usitatum.

Qua schedula coram eodem reverendissimo patre, & suis suffraganeis in dicta domo capitulari tunc ibidem præsentibus & consedentibus, ex parte dicti cleri perlecta; idem rever. pater archiepiscopus supradictus eisdem die & loco suam convocationem hujusmodi laudabiliter consummavit.

CON-

ANNO CHRISTI 1403.

CONCILIUM AVENIONENSE DIOECESANUM,

ANNO CHRISTI 1403.

In quo de subsidio pecuniario a Clero Regi Galliarum solvendo actum est,

Ab Ægidio de Bellamera Avenionensi Episcopo

Anno MCCCCIII. celebratum:

Et est Consilium CXXIII. inter Consilia ejusdem Ægidii e MS. Cod. inc. exceptum.

AD futuram memoriam, ut videlicet sciantur in posterum rationes causæque urgentes per quas R. P. Ægidius Avenionensis Episcopus ad instantiam generalium Consiliariorum Regis Franciæ, & D. Ducis Bituricensis locum tenentis ipsius Regis in lingua Occitana & Ducatu Aquitaniæ Deputatorum super facto omnium firmariarum in patriis Linguæ & Ducatus prædictorum fuit arctatus & necessitatus ad dandum judicem seu constringendum personas Ecclesiasticas suæ Diœcesis in Regno Franciæ consistentes ad solvendum daias seu impositiones Regi seu firmariis aut commissariis ipsius, prout pro parte dictorum generalium dictus Episcopus fuit requisitus, armentur hic articulatim illa quæ in isto negotio contigerunt. Sed tamen scire debes, quod Episcopus Avenionensis postea sub tali ingenio impedivit ne dicta arctatio effectum haberet, & finaliter nullum judicem dedit, de quo omnes vicini Episcopi in Regno constituti qui omnes dederunt judices, fuerunt admirati; sed nihilominus dictus Episcopus mandavit rationes infrascriptas hic inseri ad memoriam futurorum.

Primo quidem, ut videatur quod istud negotium non est novum, est sciendum quod D. Urbanus Papa V. cum ista per Regem Carolum, Patrem hujus Regis, ab isto Urbano peterentur, ipse Urbanus commisit quibusdam Archiepiscopis Regni Franciæ in lingua Gallicana istud negotium potestatem prædictam ipsi Regi auctoritate apostolica concedendi. Qui prædicta finaliter ad certum tempus concesserunt, sic tamen quod per gentes Ecclesiasticas non auctoritate Regis levarentur; & ita fuit de facto reali executioni demandatum. Et demum per Gregorium XI. & Clementem VII. & usque ad Benedictum XIII. fuerunt similes concessiones Regi factæ & continuatæ; propter quæ gentes regiæ dicebant tempore D. Benedicti, quod Rex Franciæ prædicta possederat per XXVII. annos & ultra. Papa vero Benedictus XIII. per Regem etiam super hoc requisitus illas prima vice ad certum tempus concessit; & post secunda vice requisitus quod ad tempus aliud similiter prorogaret, posuit istud in longis disceptationibus, & deliberationibus suo more; & sic, quod usque ad subtractionem obedientiæ sibi factam absque alia nova conceptione transivit, (& ut dicitur) fuit ista inter alias causas una, propter quam assistentes Regi consuluerunt prædictam subtractionem faciendam.

Secundo, ut videatur quod Prælati Regni Franciæ utriusque linguæ, Gallicanæ videlicet & Occitanæ, circa hoc fecerunt prædicta subtractione durante, sciendum est, quod de anno a Nativ. Dom. MCCCXCVIII. de mense Julii vel Augusti, prædicti Prælati Regni Franciæ utriusque linguæ Parisiis pro facto dictæ subtractionis simul congregati, tunc pro parte Regis instanter requisiti & nimis arctati, considerantes expensas quas Rex fecerat, & continue faciebat pro Ecclesia & ipsius unione, finaliter & concorditer Regi similes etiam & ad certum tempus fecerunt concessiones & commissarias Ecclesiasticas, videlicet qualiter in sua Diœcesi super hoc deputarunt. Demum appropinquanti fine temporis concessionis ante dictæ, Prælati linguæ Gallicanæ cum aliquibus Prælatis linguæ Occitanæ primo; et post Prælati linguæ Occitanæ secundo ex prædictis & aliis causis pro parte Regis fuerunt cum maxima instantia iterum requisiti, quod aliam similem concessionem facerent duraturam ad triennium a principio mensis Octobris proxime præteriti, anni videlicet Christi MCCCCII. computandum, qui istud finaliter concesserunt. Salvo quod cum D. Franciscus Narbonensis Archiepiscopus sedis Apostolicæ Camerarius duo Concilia Provincialia super hoc tenuisset, & omnes Prælati vel quasi suæ Provinciæ in hoc consentirent, solus Episcopus S. Pontii per se vel suos in hoc (ut dicitur) contradixit; & propterea tota temporalitas Ecclesiæ suæ (ut dicitur) ad manum Regis posita fuit; licet postea fuerit liberata. Et ex eadem causa dicitur fuisse occupata temporalitas D. Avenionensis, licet aliæ allegentur causæ. Et ut appareat quam violenter & animose gentes regiæ istud prosequuntur, etiam est sciendum quod nuper cum quidam licentiatus in decretis Canonicus Regularis in sacerdotio & in habitu religioso, & sacerdotali constitutus personaque bene notabilis in Monte Pessulano propter quædam gravamina secundum se sibi in hac materia per judicem datum per D. Magalonensem Episcopum injuste illatam appellasset, prædicti Generales dictum Canonicum Regularem Presbyterum et licentiatum in prædicto habitu consistentem propter præmissa capi, ligari, et ad Castrum Rupismauræ pro carcere tenendum destinarunt, et ibi in carcere tenent. Tertio, ut videatur qualiter dictus D. Avenionensis Episcopus in hac materia arctatus fuerit, sciendum est quod dicti Generales instantibus et procurantibus eorum firmariis scripserunt prædicto Avenionensi Episcopo apud S. Laurentium constituto de mense Novembri proxime præterito, requirendo eum ex parte Regis & D. Ducis Bituricensis, quod cum gentes Ecclesiæ Cleri linguæ Occitanæ concessissent Regi quod solverent eidem Regi daias seu impositiones simili

modo

ANNO CHRISTI 1403.

modo sicut solvunt illi de lingua Gallicana; et nihilominus aliqui de subditis ipsius Episcopi stantes in Regno Franciæ essent contradictores et refutantes in solutione prædicta haberet dictus Episcopus dictos subditos suos compellere ad solutionem prædictorum, et dare judicem pro compellendo prædictos omnibus vicibus quibus judex per firmarios Episcopatus Avenionensis requisitus foret. Verum, quia ista materia non erat dicto Episcopo Avenionensi grata, et quia pro toto non erat aliquis qui eum prosequeretur, ipse Episcopus pro tunc superdictarum litterarum executione nihil fecit. Verum postea die Martis, sexta mensis Februarii, anno a N. D. 1403. hora tarda, accessit ad dictum Avenionensem Episcopum D. Petrus de Candone, legum Doctor, judex castrorum Ecclesiæ Avenionensis, & ibi exposuit, qualiter cum ipse factus de novo judex major & appellationum Senescaliæ Bellicardi per D. Ducem Bituricensem, & admissus ad possessionem officii per Generales prædictos, & propterea ad Montem Pessulanum ad dictos Generales accessit; prædicti Generales ei imposuerunt quod ex parte dictorum dicto Episcopo intimaret, quod ipsi erant male contenti de eo, pro quod non paruerat requisitioni Regis & D. Ducis Bituricensis in dictis litteris per eos sibi factæ, & quod si iple amodo non pareret, ipsi ponerent ad manus Regis & D. Bituricensis totam temporalitatem quam habet ipse Episcopus in toto Regno Franciæ. Et ita dictus D. Petrus dicto D. Episcopo intimavit ex parte ipsorum. Deinde dictus D. Petrus ex parte sua dixit ad partem dicto D. Episcopo, quod secundum alia verba, quæ audivit a dictis Generalibus, & modos, quas ipsi tenebant, ipse sciebat, quod sicut illi minabantur, ita exequerentur, & ponerent in castris S. Laurentii & S. Genesii vastatores stipendiatos, qui plus darent de damno in xv. diebus, quam valerent redditus dictorum castrorum per totum unum annum; & quod nunquam posset recuperare dictum Castrum libere, donec dictorum vastatorum stipendia soluta essent; & quod stipendia dictorum vastatorum in dictis Castris per annum unum plus ascenderent, quam valeret proprietas dictorum Castrorum, si exponeretur proprietas venditioni; & sic esset periculum perditionis Castrorum eorumdem; plusque etiam dixit, quod ipse verosimiliter dubitabat, ut ipsi Generales in jure subsidium requirerent rectorem Delphinatus tamquam Vicarium Imperii, et alios, ad quos alias pertineret quod manus apponerent ad Castra quæ habet idem Avenionensis Episcopus in Imperio tam citra, quam ultra Durantiam cum commestoribus ec. & quod etiam tenebat quod dicti Generales dictum D. Episcopum apud D. Bituricensem tanquam Regi & sibi rebellem per suas litteras accusarent. Demum die sequenti, videlicet die Mercurii, septima dicti mensis Februarii, hora vesperorum, quidam vocatus Joannes de Capis Diœcesis Turonum, alter de electis Uticen. ex parte dictorum Generalium ad dictum Episcopum Avenionensem in domo Episcopali Avenionensi, in camera permanentem, una cum dicto D. Petro de Gandone accessit, & ex parte eorumdem Generalium litteras similes prioribus, & similem requisitionem continentes, eidem Episcopo præsentavit, & unum instrumentum ad docendum de contentis in dictis litteris eidem Episcopo exhibuit.

Tenor littera

Reverem. Par. en Dieu, & notre tres cher seigneur nies.

Nous recomandons a vous, tant comme nous potemus, & comme il soit amis, que pour les gens de l'Eglise du Clergé de Languedoch aient cetroyé de payer les aides au Roy, sublantment que sont ceul de Languedois, taute faites aucuns de voz subgieu, de status ou Royame de France, ont este & sont contra l'usans & de refusans de les paier, si vous requerons de parle Roys &

vos dicte..... contraindre a paier, les aides, bailler Juge & pour contraindre toutes les fois chil en sera requis par les fermiers de votre Evesche; & en ce vevilen tant fair, che le Roy vous en soit tenus & che.... obeissans ainsi que sont les autres du dit pais, & Reverent Pare en Dieu & votre tres cher seigneur, se cosu voler che faire pousans..... & nous le farons voluntieres. Mons. vous donet buone vie & longue. A Montpelier le xxx. jour de Janiver. Subscriptio litteræ. Les Generales Conseilers du Roy & de Mons. le Duch de Bemysur le fait de tantes firmances, & pais de Languedoch, & Duch de Guienne.

Sequitur autem tenor instrumenti prædicti.

Noverint universi, quod nos Joannes de Maiato Illustrissimi Principis D. Ducis Bituricensis Secretarius, custosque parvi sigilli Montispulli pro Domino nostro Rege, vidimus tenuimus atque perlegimus quædam patentes litteras in pergameno scriptas, a Dom. nostro Rege emanatas, & ejus magno sigillo cera crocea impendenti cum cauda duplici pergameni sigillatas, quarum tenor talis est.

Charles par la grace de Dieu Roy de France à touts celuits qui ces littres vorront, salut.

Comme les gens de l'Eglise tant Prelat, que autres de nos pais de Languedoil ajent nois gairesse esté en grant nombre deus nous, & apres ce che nous leur avons fait requerir che les aides tels, & semblabes che autres fois ilz nous ont accordés, & ausquelles ilz ont attribué ilz nous voluissent accorder les quez ave entreluy bone, & meure deliberation, & aderis nous ont accordé liberament & de franch, & bonne volent acord prender & a voluus ques a trois ans pro quam venans, & commencier le prime jour d'Otor prochie venant les dictes aides tels, & semblables che daire mene miente quant la subtraction fait facte a Benedit ilz accorderent, ce nous certifions, affermons pars ces presents aus quelles estemoignons de ce nous avons fait intre notre sancte Donne A Paris le XXX. jour de Aoust l'an de Grace mil quatre cens & deux, & de regne le XXII. par le Roy a la relation de sont grant Conseil en quel vons l'Arcevesch. d'Aux, les evesques de Noyon, de Meaux, de Tornai, d'Airas, e de S. Flour, etc.

In quarum visionis, tentionis & perlectionis testimonium, nos dictus custos dictum prævium sigillum regium Montispulli huic præsenti transcripto ceu vidimus duximus apponendum die ultima mensis Septembris anno Domini 1402. Joayselis. Constat de litteris originalibus: hæc collatio facta est cum eisdem diligenter.

Quibus litteris & instrumento exhibitis, dictus

ANNO CHRISTI 1403.

ctus Jo. de Campis qui ibi secum duxerat Notarium Regium & testes plures de Villanova pro faciendo eidem Episcopo certas requisitiones, & protestationes, ut dicebat, voluit statim procedere ad requisitiones, & protestationes ante dictas. Sed dictus Episcopus rogavit eum quod occasione dicti Concilii, quod ipse Episcopus de viris notabilibus coram se in eadem camera tenuit & tenebat, vellet idem Joannes supersedere ab his usque ad diem Jovis, tunc immediatè sequentem; quod concessit finaliter idem Joannes licet non sine precibus & difficultatibus quampluribus; quam dilationem petebat idem Episcopus, ut aliquos notabiles viros interim super his duceret consulendos. Et nihilominus idem Joannes declaravit ad partem eidem Episcopo requisitiones & protestationes, quæ facturus erat. Demum sequenti die, quæ fuit dies Jovis, octava dicti mensis Februarii, sumpto prandio per Petrum & Joannem prædictos cum dicto Episcopo idem Joannes in collatione prandii coram notario Regio & testibus & coram secretario dicti Episcopi, & præsente etiam dicto Petro, requisivit, & solemniter dictum Episcopum ex parte Regis & D. Bituricensis ac Generalium prædictorum, quod ipse haberet viriliter constringere & constringi facere personas Ecclesiasticas sibi subditas in Regno Franciæ consistentes seu bona habentes, quod Regi seu firmariis Deputatis pro Rege in suo Episcopatu solverent aidas seu impositiones sicut solvebant sæculares prout concesserat Clerus Regni Franciæ linguæ Gallicanæ & Occitanæ, & quod Judicem deputaret ad supradictam compulsionem faciendam, sicut fecerant omnes alii. Præterea in casu, in quo idem Episcopus in hoc contradiceret, seu hoc facere recularet, protestatus fuit dictus Joannes, nomine Regis, Ducis Bituricensis & Generalium prædictorum, contra dictum Episcopum de omnibus expensis, damnis, & interesse, quæ prædicti Domini occasione hujusmodi sustinerent. Et nihilominus ex parte dictorum Generalium eidem Episcopo intimavit, quod in casu recusationis vel contradictionis prædictarum, eorum esset intentio totam temporalitatem, quam habebat dictus Episcopus in Regno Franciæ, & præsertim Castra S. Laurentii de arboribus & S. Genesii de Camolana Avenionensis Diœcesis, ad eum & ad Ecclesiam suam pertinentia, ponere seu poni facere, & mandare ad manum Regis & D. Bituricensis, & taliter facere quod idem Episcopus de aliquo quod haberet in Regno non gauderet, donec acquiesceret requisitionibus antedictis. Et nihilominus cum magna instantia eumdem Episcopum requisivit, quod vellet super præmissis eidem Joanni respondere, & declarare quod vellet facere super requisitionibus prælibatis, & etiam responsionem suam in scriptis mandare Generalibus antedictis; quod quidem D. Episcopus timens quod si respondere tardaret, statim poneretur dicta temporalitas sua ad manum Regis, & D. Bituricensis, respondit ex consilio prælibito cum prudentibus viris, quod cum istum negotium esset magnum & arduum, & sibi valde nocivum, non poterat honeste, nec de jure debebat super his respondere, donec cum Ecclesia Arelatensi metropolitana, cujus ipse est suffraganeus, quæ habet etiam partem suæ Diœcesis in Regno Franciæ, & cum Capitulo ipsius, & cum Capitulo suæ Avenionensis Ecclesiæ, & cum Clero suo, & præsertim cum aliquibus de Clero, qui tanguntur principaliter in hoc facto, consilium & deliberationem habuisset; & quod cum litteræ dictorum DD. Generalium sibi per dictum Joannem præsentatæ formam, & conditionem haberent, cum in eis diceretur, quod Clerus linguæ Occitanæ hoc concesserat, simili modo sicut fecerat Clerus linguæ Gallicanæ, ad hoc quod prædictos posset consulere, necessarium erat, quod super concessionibus antedictis & modis & formis concessionum eorumdem ipse esset primitus informatus, & prædictos consulendos super his etiam informaret. Et quia nec alias bono modo procedi poterat ad executionem præmissorum, requirens quod ante omnia informaretur de præmissis, & quod post præmissa faceret diligentiam quam posset de bona & brevi responsione eis danda, & quod pariformiter, & responderet in scriptis DD. Generalibus prælibatis, prout & fecit, protestando etiam quod non intendebat stare dictæ protestationi factæ per dictum Joannem, nisi in quantum de jure alias teneretur. Dixitque ad partem dictus Joannes dicto Episcopo, quod habebat in mandatis ponere ad manum dictorum Dominorum dicta castra S. Laurentii & S. Genesii; sed quod amore Episcopi primo faceret relationem dictæ responsionis ipsius Episcopi DD. Generalibus antedictis, & certificaret eumdem Episcopum de responsione illorum. Dixit tamen quod credebat, quod dicti Generales super his nullam aliam informationem dicto Episcopo darent, cum dictus Episcopus cum DD. Magalonensi & Uticensi vicinis suis Episcopis, qui in Provinciis consiliis super hoc habitis cum D. Narbonensi Archiepiscopo fuerant, si vellet informari, possit. Et maxime cum dictus Episcopus post primas litteras jam habuisset plures menses ad informandum; & est etiam verum quod D. Uticensis Episcopus scripsit nuperrime Fratri Stephano de Lemosini, minori pœnitentiario, quod diceret ex parte sua dicto D. Episcopo, qualiter die Veneris IX. Februarii post horam vesperorum idem pœnitentiarius dicto Episcopo dixit, litteras ejusdem D. Uticensis Episcopi super hoc sibi directas eidem ostendendo, videlicet quod Episcopus prædictus Avenionensis bene sibi caveret, quod in hac materia faceret sicut alii, alias tota temporalitas quam habet in Regno, ad manum Regis & D. Bituricensis poneretur, nec sua contradictio aliquem operaretur effectum, quia idem & pejus fieret si contradiceret, et multa alia mala sequerentur, et quod idem ipse in sua Diœcesi faciebat.

Tertio principaliter, ut maturitas et gravitas ac modi, et cautelæ cum quibus dictus Avenionensis Episcopus processit in hac materia, plane et clare videantur, et pro sua excusatione appareat toti mundo, sciendum est, quod prædicta die mercurii, septima hujus mensis Februarii, hora vesperarum, ann. a N. D. MCCCCIII. prædictus D. Avenionensis Episcopus tenuit Concilium in hac materia in domo sua Avenioni Episcopali, in sua camera paramenti, in quo interfuerunt Domini qui sequuntur ad hoc et propter hoc specialiter evocati, videlicet, D. Gailardus de nova Ecclesia, decretorum Doctor, D. Juvinianus Tauvacii, utriusque juris sacri Palatii Apostolici causarum auditores, Petrus de Candont, Juris Civilis, et Franciscus de Monis, ordinariam

ANNO CHRISTI 1403.

riam juris Canonici legens, et egregii juris professores; et Albertus de Morenis administrator decanatus S. Agricolæ Avenion. licentiatus in decretis et officialis Avenionensis, et Robertus Sale etiam licentiatus in decretis, et rector Parochialis Ecclesiæ S. Genesii de Cumulatio, Avenionensis Diœcesis, et Rodulfus Traexon Baccalarius in legibus, Clavarius Curiæ Episcopalis Avenionensis. In quo Concilio dictus D. Avenionensis Episcopus totum factum, et quasi omnia supra narrata effectualiter clare exposuit; et plura dubia in hac materia movit; et inter cætera fecit hoc dubium principale: videlicet, utrum Ecclesiæ suæ Avenionensi ac personis Ecclesiasticis suæ Diœcesis in Regno Franciæ consistentibus aut beneficia seu bona ibi tenentibus, ipsique D. Avenionensi Episcopo ac honori suo et conscientiæ suæ expediret dictis DD. Generalibus et eorum requisitionibus ante dictis, dictis eorum comminationibus, et aliis non obstantibus quibuscumque, potius contradicere, quam obtemperare; vel an potius expediat etiam in his, Generalibus supra dictis obtemperare, quam contradicere, inducendo rationes et motiva, satis, prima facie, ad utramque partem urgentia. Quibus auditis et intellectis, prædicti Domini, unus post alium successive et ordinate, conclusive et concorditer responderunt, quod Ecclesiæ et Episcopo Avenionensi prædicto, ac personis Ecclesiasticis eidem Episcopo subditis, in Regno Franciæ consistentibus, seu beneficia seu bona in ipso Regno habentibus, ac honori et conscientiæ ipsius Episcopi magis expediebat pro nunc obtemperare prædictis DD. Generalibus, et eorum requisitionibus, ad tempus videlicet ordinatum, et cum debitis protestationibus, quam contradicere et obviare eis, seu recusare adimplere eorum requisitiones ante dictas. Et licet multa motiva bene urgentia quilibet in loco suo induxerat, cum omnes magni et litterati existant, tamen induxerunt inter alia motiva principalia quæ sequuntur.

Et primo in his quæ non procedunt a lege naturali vel divina, sed solum a lege positiva, puta civili, aut canonica, necessitas etiam causativa et non absoluta licitum faciebat, quod secundum legem non erat licitum, ut probatur per regulam, *quod non est licitum*, et inter datis ibi perbene et clarius per Henricum in dist. hoc in proposito. Immunitas et libertas Ecclesiæ prædictis requisitionibus contraria, de qua loquuntur Concilia generalia in cap. *non minus* et cap. *adversus* de Eccles. et etiam prohibitio conciliorum prædictorum, quæ vult super hoc Romanum Pontificem consuli, non a lege naturali, nec a lege divina, sed solum a lege Canonica vel humana procedunt; nec hic potest Romanus Pontifex consuli propter subtractionem et inclusionem ipsius. Et ex hac etiam ratione inferebant aliqui ex illis responsionem ad unum, quod per aliquos objiciebatur, videlicet quod secundum Augustinum *minus* malum culpæ committi non debet, ut evitetur culpę majus malum, ut in cap. *duo mala*, et in cap. *servi* XIII. dist. et extrav. de usur. *super eo*, et ne clerici vel Monachi *non magno* et cum ibi notatis per Henricum post Hostiensem et Joannem Andream. Dicebant enim illi domini, quod postquam necessitas de illicito facit licitum, ut dictum est, malum culpæ amplius timeri non debet, quia qui peccat legis auctoritate non peccat, L. *Gracus* de adul. XXIII. q. IV. *qui peccat*, et quia sublatis dictis juribus positivis censetur sublatum peccatum, quod ex eis, seu eorum transgressione insurgebat Arg. Extrav. de Constit. *nam concupiscentiam*, et apparet ex his quæ notantur per Hostiensem in cap. *proposuit de concess. praeben.* Præterea, quod magis expediat Ecclesiæ et etiam subditis ejusdem apparet, quia si Episcopus non vult consentire quod per jurisdictionem Ecclesiasticam istud fiat, nihilominus istud fiet et per potestatem sæcularem; et sic de facto sequerentur de hoc tria mala. Primum est, quia per hoc usurpabitur per potestatem laicalem jurisdictio Ecclesiastica. Secundum est, quia potestas sæcularis acquiret possessionem facti in hujusmodi impositionibus auctoritate propria indicendis et levandis. Tertium est, quia fiet cum majori detrimento subditorum; nam si potestas sæcularis per manus sui commissarii ad exigendum deputati peteret stipendia, et plus in triplo, vel quadruplo, quintoque, immo quasi semper, consument plus quam valeat debitum principale; et erunt ista tria mala perpetua; quia postquam erunt nomine Regis in possessione facti talia faciendi, gentes Regiæ perpetuo defendent Regem in possessione hujusmodi, et in hac parte vices partis et judicis sustinebunt; nec Ecclesia in æternum super contrario audietur; et tamen istud malum quod petitur non debet durare nisi ad tres annos, ut prædictum est. Quid plura? Numquid perditio perpetua dictorum duorum castrorum, scilicet S. Laurentii et S. Genesii, diebus nunc currentibus non esset Ecclesiæ Avenionensi multum gravis? Nullus ut existimo, dubitaret quin esset damnum grave, maxime quod perpetuum, quam id quod peritur, quod multo levius et temporale est. Et quod istud damnum esset perpetuum satis patet, quia Episcopus est certitudinaliter informatus, quod si episcopus contradicat, dicti Generales non tantum ponent castra ad manum Regis etc. sed etiam ponent ibi stipendiarios et comestores, qui plus consument, destruent, et habebunt de bonis Ecclesiæ in XV. diebus, quam valeant redditus dictorum duorum Castrorum per unum annum; et plus in anno vastabunt, destruent, et recipient, quam valeret dictorum Castrorum proprietas, si venditioni esset exposita; et tamen de prædictis damnis nullam satisfactionem haberent, nec unquam levaretur manus donec esset dictis vastatoribus de omnibus eorum stipendiis satisfactum; & esset necesse ad Regem vel ad D. Bituricensem accedere pro levatione dictæ manus; nec alium hodie quoad hoc superiorem habemus. Et per unum talem modum fuit perditum Ecclesiæ Avenionensi castrum de Alinco vicinum castro S. Laurentii, quod solebat ad Avenionensem Ecclesiam pertinere. Quod autem præjudicium perpetuum sit majus quam temporale, patet ad sensum, & probatur in lege *Quotiens* C. de precib. Imp. & certe dictorum Castrorum perditio deberet esse multum gravis Avenionensi Episcopo, quia cum dicta Castra per Clementem Papam VII. in quædam hospitalia alienata fuissent, ipse ea recuperavit Ecclesiæ post mortem Clementis non sine gravissimis laboribus, & magnis sumptibus & expensis, & maxime, quia sibi imponitur quod per capitositatem suam ipse attulisset Ecclesiæ istud damnum, sicut ab aliquibus de Castro Barbentanæ

ANNO CHRISTI 1403.

tanæ dicitur, quamquam male, quia casus multum diversi sunt. Sed certe periculum castrorum quæ habet Ecclesia Avenionensis in Imperio non modicum ponderari debet, propter jeves conditiones & affectus voluntarios illorum Dominorum, per quorum manus hæc transire habent, & propter inclinationes subditorum ad revolutiones faciendas. Dixerunt tamen prædicti Domini, quod causa Ecclesiæ Avenionensis, & super hoc consulenda.

Præterea die Jovis, octava ejusdem mensis Februarii de mane, dictus D. Avenionensis Episcopus consuluit D. Cardinalem S. Angeli, in domo ipsius Cardinalis super isto; qui Cardinalis recusavit dare Episcopo consilium, sed remisit ad alios ipsius Episcopi consultores; tamen finaliter ulteriorem deliberationem sibi retinuit. Demum idem Episcopus accessit eodem mane ad D. Joannem de Alzeno Protonotarium & Decanum Villæ novæ etc. juris Canonici egregium professorem, & quondam palatii Apostolici auditorem; & in domo illius eum consuluit sibi in effectu, omnia quæ fuerunt superius emanata, & consuluit eum specialiter super isto; qui Protonotarius respondit in omnibus & per omnia sicut responderant DD. Gailardus, Junianus, Petrus, Franciscus & cæteri supradicti. Et postea eadem manu idem Episcopus ad domum suam reversus Præpositum Ecclesiæ collegiatæ S. Desiderii, pro quo ipse mandaverat, ad eum propter hoc accedentem, etiam consuluit personaliter super isto, qui finaliter idem respondit quod responderant Protonotarius, & alii Domini ante dicti. Rursus eadem die Jovis, octava dicti mensis Februarii, dicti millesimi, hora vesperarum, Avenioni in dicta domo Episcopali in camera paramenti ejusdem domus, præsentibus & adsistentibus Aldeberto, Roberto, & Rodulfo prædictis, & Magistro Ægidio Fabri Notario Apostolico; ipsius Episcopi Avenionensis secretario, dictus Dominus Avenionensis Episcopus, pro ampliori, maturiori, & graviori habendo consilio super istis, habuit capitulum suæ Ecclesiæ Cathedralis de mandato ipsius D. Episcopi, propter hoc ibidem specialiter convocatum & congregatum, in quo specialiter interfuerunt omnes de stricto consilio ipsius Capituli, tunc præsentes, qui consueverunt ad Capitula hujusmodi convocari; & specialiter ibi interfuerunt, Præpositus, Decanus non administrans, Eleemosynarius, Infirmarius, Operarius, & Prior Claustralis, quibus dictus Episcopus plane & clare, exposuit totum factum & omnia supradicta. Quibus omnibus auditis & ponderatis, prædicti omnes, successive tamen & ordinate unus post alium, capitulariter, & concorditer responderunt in omnibus & per omnia prout prædicti DD. Gailardus, Junianus, & alii prædicti sibi responderant in alio consilio ante dicto; concludendo quod expediebat Ecclesiæ Episcopo, & subditis, quod pro nunc Episcopus condescenderet, & obtemperaret dictis requisitionibus Generalium prædictorum.

Postquam his pendentibus in eodem Consilio supervenerunt R. P. D. Episcopus Aptensis, decretorum doctor egregius, & optimus prædicator, & D. Jo. Arnandi, Prior S. Georgii, in decretis licentiatus notabilis, qui prædictis omnibus per eos intellectis & auditis, cum prædictis DD. & cum dicto Capitulo in eisdem Quæstionibus concordarunt, concludendo cum dictis DD. quod expediebat Ecclesiæ Episcopo, & subditis ejus, ac honori etiam & conscientiæ dicti Episc. condescendere requisitionibus dictorum General. et dare judicem, quem petebant, pro evitandis scandalis, damnis, & periculis inevitabilibus, ac scandalis prælibatis.

Supervenitque Decanus Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Avenionensis, qui consultus & interrogatus super isto, dixit quod quamquam ab initio fuisset resistendum; tamen pro nunc Episcopus Avenionensis non posset solus portare tantum onus, sicut esset, videlicet solus resistere Regi, Duci Bituricensi, & Generalibus ante dictis. Eodemque die Jovis idem D. Episcopus scripsit litteras suas RR. PP. DD. Magalonensi & Uticensi Episcopis, qui in dictis Conciliis Provincialibus cum D. Narbonensi Archiepiscopo interfuerant, eosdem instanter & humiliter supplicando, quatenus dignarentur per litteras eum informare, qualiter DD. Archiepiscopus Narbonensis, & ejus suffraganei, & ipsi cum eis has aidas, seu impositiones Regi, & D. Bituricensi concesserant, & sub quibus formis, modis, & conditionibus fecerant conditionem ante dictam, & quatenus dignarentur sibi consulere, qualiter deberet se habere in facto isto.

Post præmissa, die Veneris IX. dicti mensis Februarii, de mane dictus D. Episcopus misit ad D. Vivariensem Episcopum, dictum Magistrum Raidulphum, clavarium suum, qui D. Vivariensis, recitato sibi facto respondit, prout responderant D. Gailardus, & alii supradicti, asserendo quod omnino expediebat, immo necesse erat, ita fieri; & quod D. Avenionensis non debebat timere excomunicationem, vel conscientiam in hac parte, nec etiam aliqualiter dubitare; et quod ista materia fuerat Parisiis plene disputata per Prælatos, & omnia bene ponderata: quia constitutio Urbani V. excomunicans Prælatos &c. non loquitur in hoc casu.

Præterea etiam est sciendum, quod de mense Novembris A. D. quadringentesimi secundi post receptionem litterarum primarum Generalium prædictorum, prædictus Avenionensis Episcopus per litteras suas consuluit super isto Dominum Archiepiscopum Narbonensem, sedis Apostolicæ camerarium, qui manu propria eidem Episcopo rescripsit, qualiter ipse, & suffraganei sui, tentis per eos duobus Conciliis Provincialibus, ipsi finaliter condescenderunt requisitioni Generalium prædictorum secundum formam litterarum per eos in hac materia concessarum, quarum copia inferius est inserta. Et ultra scripsit, quod ipsi fecerunt certas protestationes, quas Generales in litteris ipsorum Prælatorum inseri non permiserunt, de quibus protestationibus aliquæ inferius sunt insertæ. Et finaliter in litteris suis, manu sua propria scriptis, idem D. Narbonensis, dicto D. Avenionensi consuluit, quod ipse Avenionensis Episc. petitioni dictorum Generalium condescenderet, si aliud non posset ab eis obtinere.

Rursus sciendum est, quod anno a Nativit. D. MCCCCIII. die XI. mensis Februarii, dictus Episcopus consuluit super hoc honorabilem Virum D. Priorem S. Angeli Georgii, Gratianopolitanæ Diœcesis, socium dicti D. Narbonensis, qui finaliter idem consuluit; & ultra quasdam protestationes per D. Narbonensem, & suffraganeos suos in eorum concessione factas, eidem Episcopo in scriptis dedit in quadam cedula. Tenor autem cedulæ sequitur in hæc verba.

ANNO CHRISTI 1303.

Forma concessionis impositionum facta Regi sub certis conditionibus, & pactis per Prælatos, & Clerum Provinciæ Narbonensis in Congregatione super hoc facta in S. Tiberio Narbonensis Diœcesis.

Et primo, eo casu quo Prælati linguæ Gallicanæ dictas impositiones concedebant, ipsi eodem modo, & forma concederent.

Item, eo casu quo Rex ratificare, & approbare non vellet, quod concessio hujusmodi nulla esset.

Item, quod si Papa restitutur obedientia, quod etiam concessio hujusmodi nulla esset.

Item fuit auctum, quod antequam evocentur istæ impositiones, quod Rex mitteret similes litteras illis alias per eum concessas, quando Prælati Franciæ existentes Parisiis hujusmodi impositiones concesserunt.

Post ista vero dictus Avenionensis Episcopus pro majoribus securitatibus, et solemnitatibus in præsenti negotio per eum adhibendis, mandavit citari, et admoneri totum Clerum, ut die Jovis XV. dicti mensis Februarii dicti anni, de mane hora tertiarum coram eo in Avenionensi palatio Episcopali ad dandum in hac materia consilium, et ad declarandum voluntatem ipsorum super isto convenirent, secundum formam quarumdam litterarum citatoriam sigillo ipsius Episcopi sigillatarum, quarum tenor sequitur inferius. Prædictis autem sic pendentibus dictus Avenionensis Episcopus die Martis XIII. mensis Februarii anni proximi accessit hora vesperarum primo ad R. R. P. D. Cardinalem Pœnitentiarum, sacris tam dictæ Avenionensis Ecclesiæ, qui per eumdem Episcopum toto statu negotii eidem explanato, multis per eum prolocutis, finaliter respondit, quod attento statu negotiorum nunc currentium, videbatur sibi magis expediens facere, sicut fecerunt alii Prælati, et condescendere requisitioni dictorum Generalium, quam supponere Ecclesiam tantis periculis. Et post eadem die accessit ad RR. P. D. Card. Vivariensem, Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium, Prioratum de Traraschene, et unum Archidiaconatum dependentes ab Ecclesia Avenionensi obtinentem, et ei statum totius negotii exposuit. Qui finaliter respondit, et consuluit, quod faceret Episcopus sicut et alii; et finaliter respondit sicut D. Anicienſis consuluerat.

Post hæc, die Mercurii XIV. mensis Februarii anni proxime dicti, dictus Episcopus Avenionensis recepit nuncium dicti Joannis de Campis pro acceleratione istius negotii per ipsum Joannem ad eum destinatum; et de manibus dicti nuncii et procuratoris Villæ novæ recepit idem Episcopus litteras a D. Episcopo Uticensi, per quas significabat sibi qualiter Generales deliberaverant temporalitatem Ipsius Episcopi Avenionensis ponere ad manum Regis, et D. Ducis Bituricensis, nisi ipse Episcopus condescenderet requisitionibus eorumdem, una cum copia commissionis datæ per eum Judici deputato per ipsum; in qua inseritur copia litterarum per D. Archiepiscopum Narbonensem, et suos suffraganeos etc. super impositionibus hujusmodi concessarum, quarum litterarum, et copiarum, nec non instrumenti incepti super his quæ acta fuerunt per Clerum Civitatis, et Diœcesis Avenionensis in die conventionis, de quibus statim dicetur tenores de verbo ad verbum sunt inserti infra, & in foliis sequentibus, ubi etiam reperies tenorem litterarum super concessione, & Judicis deputatione, ab eodem Episcopo emanatarum.

Demum advenienſe die Jovis XV. dicti mensis Februarii dicti anni a nativitate D. MCCCCIII. prædictus D. Episcopus Avenionensis in domo sua Episcopali hora tertiarum post missam S. Spiritus coram eodem solemniter decantatam, sedit in concilio, ut moris est. In quo convenit coram eo clerus ejus, & inter cæteros convenerunt coram eo Abbas S. And. Præpositus, Decanus administrans, Decanus non administrans, Elemosynarius, & dictus D. Franc. de Nionis Infirmarius, & Prior claustralis Ecclesiæ Avenionensis, Decanus seu administrator Decanatus S. Agricolæ, Decanus Sancti Petri, Præpositus S. Desiderii, Decanus de miraculo, seu ejus locum tenens pro eo, Rectores parochialium Ecclesiarum Civitatis Avenionensis, seu curati earum, & procuratores monasteriorum Monialium Civitatis ejusdem, D. Gerardus Guidonis Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Villæ novæ pro dicta Ecclesia, quia Decanus impeditus se excusavit, quia in hoc negotio suum Consilium, & assensum jam præbuerat, ut patet supra, & procurator Fratrum Cartusiensium Villænovæ, & sacrista Ecclesiæ Collegiatæ Rupismauræ, & quasi omnes Rectores parochialium Ecclesiarum Diœcesis Avenionensis constituti in Regno, præter paucos, qui se excusaverunt, volentes tamen facere sicut alii. In quo consilio etiam interfuerunt honorabiles viri DD. Gailardus de nova Ecclesia, & Junianus Caviacii, Palatii Apostolici auditores, & D. Petrus de Candont judex castrorum, & juratus Ecclesiæ Avenionensis, ac judex major Senescaliæ Belicardi, qui primus locutus fuit, & recitavit illa quæ sibi imposuerant Generales, Episcopo Avenionensi per eum referenda, videlicet quod cum ipsi, jamdiu est, scripsissent Episcopo, requirendo eum ex parte Regis & Ducis Bituricensis, quod cum clerus linguæ Gallicanæ, & Occitanæ concessissent Regi Aidas, seu impositiones, & essent aliquæ personæ Diœcesis Avenionensis constitutæ in Regno, quæ ista solvere recusabant, Episcopus illas ad hoc constringeret, & judicem super hoc deputaret; Episcopus de prædictis nihil facere curaverat; immo nec rescripserat eis; de quo ipsi erant male contenti, & mandaverunt eidem Petro, quod diceret ei, quodammodo acquiesceret; alias quod ipse sciret quod totam temporalitatem, quam ipse habet in regno, ponerent ad manum Regis, & Ducis Bituricensis, & scriberent Regi, & Duci contradictis ipsis, & ad alia extraordinaria remedia procederent contra ipsum; et nihilominus ipse Petrus dans consilium in hac materia dixit, quod videbatur sibi, quod Episcopus potius debebat petitioni Generalium acquiescere, quam eis contradicere in hoc casu. Nam, ut dicebat, contradictio Episcopi sibi non prodesset; nam Generales etiam mandarunt sibi, quod Episcopo diceret, quod si Episcopus per judicem Ecclesiasticum hoc non faceret, quod ipsi facerent fieri hoc auctoritate regia per commissarios secularis, et in hoc jurisdictionem Ecclesiasticam usurparent, possessionem novam acquirerent, & Clerum nimium aggravarent, Castraque S. Laurentii, et S. Genesii caperent, vastatoresque ibi ponerent, qui in mense ultra unius anni redditum consumerent, nec levaretur manus

Hæ litteræ desunt in Cod.

ANNO CHRISTI 1403.

mus donec satisfactum esset vastatoribus de stipendiis, quæ pro anno ascenderent plus, quam valeret proprietas. Quibus per rationes fulcitis, ipse de mandato Episcopi recessit a Concilio, quia ipse erat officialis regius. Sed tamen sciendum est quod, antequam loqueretur dictus Petrus, Episcopus fecit legi litteras concessionis factæ per D. Narbonensem et suffraganeos.

Prædicti vero DD. Gailardus, Junianus, et Franciscus loquentes in locis suis finaliter concluserunt, quod Ecclesiæ, et Episcopo, Ecclesiisque, et Ecclesiasticis personis, Regi, ac honori, et conscientiæ ipsius Episcopi expediebat sequi opinionem dicti Petri, et quod licebat, in terminis nunc stantibus, tam secundum jura, quam secundum Deum, et conscientiam bonam, nec peccatum aliquod includebat; et hoc mirabiliter deduxerunt per auctoritates Sacræ Scripturæ, et per Canonicas Sanctiones. Dominusque Abbas S. Andreæ, loquens in loco suo, dixit, quod magis expediebat judicem deputare, et in his consentire, quam contradicere, et in his cum eo, et cum D. Petro, Gailardo, Juniano, et Francisco consenserunt Abbas, et Præpositus Avenionensis prædicti, et omnes alii sequentes in concilio, videlicet quilibet in ordine suo, præter decanum Sancti .... qui solus dictæ conclusioni contradixit. Et tamen præsupponendum, quod antequam procederetur ad aliquid de præmissis, dictus Episcopus proposuit in consilio totum factum, et illa quæ per Romanos Pontifices, et Prælates facta fuerant circa ista omnia; omnia arctantia concilia per eum repetita, prout in septem foliis proxime subsequentibus seriosius continetur. Et in his sic per eum factis fecit legi litteras ante dictas, prout hæc habetur plenius in publico instrumento super his confecto, cujus tenor inferius est insertus.

Deest in Cod.

NOS FRANCISCUS MISERATIONE DIVINA ETC.

Vide superius in Concilio ad S. Tiberium A. MCCCCII.

Dubia inscripta extracta sunt ex Facto in alia scriptura recollecto, quod hic non inscribitur proprie, quia in Concilio coram DD. Consulentibus fuit expositum totum Factum.

Ex quibus oriuntur dubia quæ sequuntur.

PRimum dubium est, utrum immunitas personarum, & rerum ecclesiasticarum, & prohibitio, de quibus loquuntur Concilia generalia *non minus* & *adversus* extr. de Immunit. eccl. a lege naturali, & divina; an vero a lege humana & positiva, scilicet civili, vel canonica procedant, & emanent, ut sit necessitas non quidem absoluta, sed causativa, magna tamen & inevitabilis, de qua nunc agitur, possit vel non possit facere licitum quod alias illicitum secundum dicta Concilia generalia existebat, juxta lecta & notata Host. Ber. Jo. And. & Henric. in cap. *quod non est licitum* de reg. Jur. & in cap. *non magno* ne cleric. vel mon.

Secundum dubium, supposito quod pro parte potestatis secularis in hac parte malum culpæ committatur, metum & coactionem causativam injuste Avenionensi Episcopo inferendo ad finem obtinendi id quod petivit, ipse Episcopus Avenion. petitum ab eis judicem deputando sic consentiat approbare quod faciunt, & in crimine participare criminoso, ut sic a malo culpæ excusari non possit et taliter quod sibi, honorique suo, & conscientiæ suæ non liceat nec expediat istud facere: cum melius sit omnia mala pati, quam malo consentire, & cum ad evitandum majus culpæ malum non sit minus malum culpæ secundum Augustinum committendum.

Tertium dubium est, utrum absque consensu illorum qui gravantur possit Episcopus usque ad triennium dare Domino temporali bona ecclesiarum, et ecclesiasticarum personarum eidem subjectarum; videlicet Regi Franciæ propter necessitatem inevitabilem, de qua supra, & utrum debeat hoc facere ad hoc, quod deputatio judicis non sit fundata super illicito, idest super coactione, & usurpatione laicorum, nec executiva peccati; vel numquid debeat dare Judicem super concessione per alios Episcopos facta, quæ de jure ad eum extendi non debet, aut super ipsius potestate sæculari usurpatione damnata, vel alias quando poterit dicta judicis deputatio a malo culpæ excusari.

Quartum dubium est, utrum expediat ecclesiæ & Episcopo Avenionensi & ecclesiis & ecclesiasticis personis diœcesis Avenionensis in regno Franciæ constitutis, aut bona in dicto regno obtinentibus, honorique & conscientiæ dicti Episcopi condescendere & obtemperare requisitioni Regis & D. Ducis Bituricensis, ac Generalium prædictorum, & deputare judicem qui petitur, quam recusare & contradicere, & prædicta mala continuata & verisimilia sustinere, vel e contra dubiis proxime præcedentibus consideratis.

Quintum dubium est, utrum si hoc fecerit Episcopus, per hoc incurrat excommunicationem latam ab Urbano Papa V. in quadam ejus constitutione directa Auxitano, Narbonensi, & Tholosano Archiepiscopis, eorumque suffraganeis, ac Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpositis, aliisque Prælatis & Rectoribus, Capitulis, Conventibus, Monasteriis & aliis personis ecclesiasticis civitatum, diœcesum & provinciarum Auxitanæ, Narbonensis, Tholosanæ, in qua inhibetur omnibus supradictis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna, in quam contrafacientes voluit incurrere ipso facto, & a qua nullus, nisi ab eo & suis successoribus præter quam in mortis articulo possit absolvi, ne videlicet temporalibus dominis loco subditorum mutando, seu alia sumpta occasione dando certas pecuniarum summas, quas verosimiliter existimant, se nullo tempore recepturos tales fraudolentas dationes in suarum ecclesiarum dispendium, non præsumant de cætero facere sine Apostolicæ sedis licentia speciali: & utrum dicta constitutio Urbani ad casum istum se extendat. Et movetur istud dubium contra unum magistrum dominum, qui contra Avenionensem Episcopum dictam constitutionem satis faciliter allegavit, volens eum de peccato mortali & de dicta excommunicatione notare, si condescenderet inquisitionibus generalium prædictorum.

ANNO CHRISTI 1403.

Ref.

ANNO CHRISTI 1403.

Responsio ad Primum dubium.

Ad primum dubium veniens dico, quod dubium quærit de duobus, videlicet, primo de immunitate ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum ac bonorum temporalium ad eas pertinentium. Secundo de prohibitione dictorum conciliorum generalium non minus & adversus de immunitate ecclesiarum.

Circa primum, videlicet, cum quæritur a qua lege procedit immunitas supradicta; primo opus est præmittere, quod licet ecclesiæ ecclesiasticæque personæ, & earum bona temporalia plures habeant immunitates; tamen quæstionem nostram de præsenti oportet restringere ad illam immunitatem, quam habent ecclesiæ & ecclesiasticæ personæ & bona earum, ut videlicet pro bonis suis non teneantur, sicut laici, solvere impositiones & gabellas, videlicet dum emunt vel vendunt pro libra denarios XII. & dum vendunt vinum minutatim in taberna quartum vini, quia de aliis earum immunitatibus non habemus agere de præsenti. Secundo præmittendum est, quod hic duo principaliter considerari oportet; primo enim debet considerari immunitas quam habent ecclesiæ ecclesiasticæque personæ, ut de jure non teneantur invitæ solvere dominis temporalibus prædictas impositiones vel gabellas, nec ad id possunt compelli per dominos temporales, de quo loquitur cap. *Non minus* in prin. & cap. adversus de imm. Eccl. Secundum vero, quod hic considerari opus est, utrum personæ ecclesiasticæ pro bonis temporalibus ad ipsas vel earum ecclesias spectantibus, possint, si velint, licet ad hoc de jure non teneantur de dictis rebus per eas venditis solvere dominis temporalibus impositiones vel gabellas, & ad hoc se obligare, maxime ad modicum tempus, puta ad triennium, licet ad hoc de jure minime teneantur; & iste veraciter est casus noster, de quo etiam loquitur prædictum cap. *non minus* in §. *Quo circa* & prædictum caput adversus V. *Verum si quando*. Non enim hic quærimus, utrum personæ ecclesiasticæ de jure ad hoc faciendum teneantur, immo indubitanter tenemus, quod non. Sed solum quærimus, utrum ad hoc faciendum usque ad modicum tempus de quo supra, de jure se valeant obligare.

Tertio advertendum, quod hic non quærimus, quid de jure communi regulariter sit servandum; immo de plano fatemur, quod hoc nullo modo potest regulariter de jure commune fieri, nisi quinque concurrentibus, quæ sequuntur: primum est, quod communis necessitas vel utilitas hoc requirat. Secundum est, quod ad hoc laicorum non suppetant facultates. Tertium est, quod episcopo & clero id visum fuerit expedire. Quartum est, quod hoc absque ulla laicorum coactione fiat; prout hoc apparet & textualiter in cap. *Non minus* §. *Quo circa*, & in dicto capite adversus circa principium. Quintum est, quod ultimo additum fuit per prædictum caput adversus post principium, videlicet, quod propter quorumdam impudentiam Romanus Pontifex, cujus interest communibus utilitatibus providere, prius super hoc consulatur. Sed solum quærimus de casu ejusdem maxime & alias inevitabilis necessitatis pro nunc occurrentis ecclesiæ magis damnosæ, magisque periculosæ, quam sit id

A quod petitur per generales antedictos; videlicet an propter illius necessitatis evitationem sit id quod petitur per Avenionensem Episcopum concedendum.

Quarto etiam advertendum & præmittendum est, quod hic concurrit duplex necessitas: prima, quia Regis & regni publicam utilitatem respicit, puta quia Rex habet magnas expensas facere & magna onera supportare propter facta ecclesiæ & unionem illius procurandam, ut fertur. Et de hac necessitate loquitur cap. *Non minus* & cap. adversus *de imm. Eccl.* allegata. Alia necessitas maxima ecclesiam Avenionensem concernens est ista, quia si non Episcopus Avenionensis petitioni & requisitioni prædictorum generalium condescendat, ipsi generales facient id, quod petitur exigi per officiarios sæculares ecclesiasticam jurisdictionem usurpando, & quando novam possessionem ista auctoritate regia faciendi de facto usurpando, a qua possessione facti ecclesia non poterit, ut verisimiliter creditur, eos expellere in æternum; & sic semper dictam possessionem continuando ammodo hoc de facto facient, absque requisitione prælatorum, & in præjudicium ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum majus incomparabiliter, quam si hoc fieret per potestatem ecclesiasticam Prælatorum; & essent ista præjudicia perpetua, cum tamen id quod petitur solum temporale sit, videlicet ad tres annos; & ultra ponerentur ad manus Regis & Domini Bituricensis castra ecclesiæ, videlicet S. Laurentii & S. Genesii, quæ per hoc periculo perpetuæ perditionis subjacerent, & forsan etiam essent in periculo castra, quæ habet ecclesia Avenionensis in imperio per modum tactum supra.

His igitur sic præmissis atque suppositis, restat modo quæstio nostra examinanda, utrum personæ ecclesiasticæ quæ revera non tenentur de jure ad dandum Dominis temporalibus hujusmodi impositiones vel gabellas, sicut per legem naturalem, & divinam prohibitæ, ista dare si velint Dominis temporalibus aut se ad ista danda ad modicum tempus puta ad triennium Dominis temporalibus obligare, etiam cessantibus illis quinque conditionibus, de quibus tetigi supra in tertio evidentiali, quia de ista, quæ & non de alia agitur de præsenti. Et hoc dico breviter, quod per legem naturalem vel divinam non reperio istud esse prohibitum, immo magis totum contrarium.

Pro quo sciendum, quod de alienatione rerum ad ecclesias & non ad personas ecclesiasticas pertinentium juxta notata Inn. & ea quæ scripsi in caput *cum super de con. possessionis*, & pro præsenti in prima opp. et in concordibus per me signatis, hic non agitur, nec quæritur de præsenti, sed agitur & quæritur solum de fructibus perceptis & rebus, juribus, vel possessionibus ecclesiarum, qui fructus saltem de consuetudine etiam quoad proprietatem ad personas ipsas ecclesiasticas pertinere noscuntur, quia ipsi censentur esse usufructuarii quamdiu vivunt, modo usufructuarius de jure fructus per eum perceptos & reconditos facit suos, ut patet ex his quæ scripsi plenissime in cap. *Cum venerabilis* de except. de quo etiam tetigi in capite *Statutum* §. *Accessorum* de rescr. & de off. ord. *præsenti* in 6. modo ad propositum applicando, nulla lex naturalis vel divina prohibet quominus quis de bonis maxime mobilibus ad se pertinentibus possit ali-

aliquid donare præsertim Regi supremo domino temporali, & maxime propter tantam reipublicæ utilitatem concernentem ut in proposito; immo magis hoc permittit cuilibet quod in rebus suis propriis sit moderator & arbiter, ut C. Man. l. in re Man.

ANNO CHRISTI 1409.

Nec obstant notata per Henricum in cap. *Fraternitatem* de donat. in dist. & in cap. *Cæterum* eo titulo in d. quia illa possunt & debent salvari in rebus ad ecclesias spectantibus, & quod proxime dixi in fructibus per Prælatum ex ecclesia recollectis, & etiam potest dici quod Prælatus de rebus ecclesiæ non magnis nec pretiosis, maxime cum consensu sui capituli, potest bene aliquid donare, dummodo non nimis excedat, ut probatur in dicto cap. *Cæterum* de donat. prout etiam ibi notatur per Henricum. Restat igitur necessario concludendum, quod prohibitiones super hoc factæ per canones non a lege naturali seu divina, sed solum a lege humana positiva & canonica procedere dignoscuntur. Et hoc modo procedunt cap. *non minus* & cap. *adversus* allegata. Præterea facit, quia cum ista prohibitio sit contraria juri communi, quod permittit cuilibet facere quod vult de rebus suis propriis, dummodo non male utatur, ut ff. de his quæ sunt sui vel alieni juris §. *Dominorum*; quicumque prohibitionem legis naturalis vel divinæ super hoc allegat, probare tenetur, ut ff. de probat. l. *ab ea parte*: modo nullibi lego hoc expressum, videlicet quod hoc lege naturali vel divina sit prohibitum, & per consequens hoc non ponam, quia verecundum est absque lege loqui, maxime contra jus commune ut in autentica de triente & semiss. §. consideremus col. 3. Ex quibus infertur dissolutio primæ quæstionis, videlicet, quod nec ecclesiæ nec ecclesiasticæ personæ super hoc, de quo nunc quæritur, illam habeant immunitatem, quæ descendat e lege naturali vel divina. Super quod facilior apparet responsio, videlicet quod prohibitio dictorum conciliorum generalium *Non minus & adversus* de immun. Eccl. non procedit a lege naturali vel divina, sed solum a lege canonica positiva, quia constitutiones quas facit, prout etiam in conciliis generalibus quæsitum est, ex se mere positivæ censentur, nisi alias appareat, quod ea quæ continent ipsæ constitutiones procedant a lege naturali vel divina, ut patet ex his quæ notantur per Henricum, Host. & Joannem Andr. in cap. *Proposuit* de concess. prebendæ V. *in quarto casu dic*; immo plus attentari posset, & forsan de jure verum est, quod licet privilegium concessum ecclesiæ super spiritualitate, a Deo procedere censeatur; tamen omnia alia privilegia concessa ecclesiis super temporalibus, censentur concessa a Regibus temporalibus, vel saltem a Romanis Pontificibus, ut colligitur ex lectis & notatis per Inn. Host. & Jo. Andr. in cap. *Noverint* de sent. excom. & per ea quæ ibi scripsi in prima & secunda quæstionibus, & patet etiam ex prædictis, nam prædicta duo censentur edita ab hominibus & per homines in conciliis generalibus, nec declaratur jus naturale vel dominium. Et de jure naturali certum est, quia illud jus clericos a laicis non distinguit.

Item, de jure divino patet, quia nihil de jure divino recitat, nisi quod Pharas, qui legis divinæ scientiam non habebat, possessiones eorum in pristinam libertatem dimisit. Pharas enim nedum legis divinæ scientia, immo ejus potestate ac dispensatione carebat; ut puta tamquam infidelis a corpore ecclesiæ separatus; & ideo legem divinam non poterat inducere, nec est etiam declarare; immo revera illa duo concilia generalia jus novum ponunt, per quod circa istam potestatem personarum ecclesiasticarum certo modo restringunt eo modo quo scripsi in tertia evidentia libro prædicto. Et ideo nullo modo negari potest, quin prohibitio illa duorum conciliorum generalium mere positiva existat. Ex quibus infertur formalis responsio ad primum dubium principale, videlicet, quod immunitas & prohibitio de quibus loquuntur prædicta duo generalia concilia *Non minus* & cap. *Adversus* non a lege naturali vel divina, sed a lege canonica & mere positiva procedunt; & sic quod necessitas non quidem præcisa & absoluta, sed solum causativa, magna tamen & alias inevitabilis, potuit hoc facere licitum, quod secundum legem non erat licitum alias, idest secundum duo generalia concilia antedicta per regulam *Quod non est licitum* de reg. jur. ubi Henricus post alios scribentes tenet, quod licet in his quæ sunt damnata lege naturali vel divina, ut Christi negatio, fornicatio, adulterium, & his similia, nulla necessitas inducens consensum, excusat, quia potius debet quis mala quælibet tolerare, quam malo consentire, ut 32. q. 5. *ita ne* II. q. 3. *æstimant*; arg. ff. de ritu nupt. l. *palam* §. *non est*, nisi legitime dispensetur in his, in quibus ecclesia dispensare potest juxta lecta & notata de con. dist. 3. *pervenit* de pœnis *licet* tamen in his quæ non sunt damnata lege naturali vel divina, sed solum canonica, secus est dicendum, videlicet, quod talis necessitas alias inevitabilis, facit licitum quod alias licitum non existebat; inducens totum tit. ff. & C. quod metus causa, & extr. de his quæ vis metuve causa fiunt, per totum de consue. quarto de Observat. jejun. cap. 2. & quod legitur & notatur 93. de Diaconis extr. de vita & hon. Clericorum cap. 3.

Præterea hoc idem probant notata Host. Jo. Andr. & Henrici in cap. *non magno* extr. *ne clerici vel mon.* ubi notat Henricus post prædictos, quod licet non possit recompensari minus malum ut majus malum evitetur, ubi utrumque evitari potest, ut 13. dist. quæ ait, ubi notatur de hoc etiam per Jo. si tamen occurrit talis perplexitas, quod necesse sit alterum fieri, tunc admittitur talis compensatio, videlicet minoris mali committendi pro evitatione majoris mali, ut 13. dist. *ne vi.* & 93. dist. cap. p. & 2. & 33. q. 2. cap. *Si quid verius* secundum Host. in dic. cap. *non magno*, licet Ber. dicat ibi in distin. quod talis compensatio non admittitur per dictum cap. *Quod ait*; sed id quod dicit Ber. debet intelligi secundum Host. Jo. Andr. & Henric. ubi minus malum quod compensat. ex lege divina est malum, quia tunc est malum culpæ, quod pro nullo majori malo culpæ, etiam vitando, committi debet, ut in juribus ad hoc supra allegatis. Sed illud de quo prædictum est de compensatione hujusmodi cessat, cum illud solum ex lege canonica est malum, tunc enim potest hoc fieri auctoritate Papæ, qui potest tollere malum quod inducit sua lex, juxta ea quæ leguntur & notantur in cap. *Proposuit* de concess. preb. & cap. p. de voto & de jurejur. *Et §. Christus*. Sed hoc ultimum dictum intelligo

ANNO CHRISTI 1403.

ligo quando potest adiri Papa, ut super hoc habeat dispensare. Sed quando tanta est necessitas, quod tempus & locus non patiuntur declarandi consilium, ut ff. de exerci. l. p. nec potest adiri Papa, nec dispensatio ipsius expectari, tunc absque dispensatione hujusmodi hoc potest fieri tali necessitate admissa, ut d. cap. *quod non est licitum* alleg. arg. extr. *de Sede vac.* cap. 1. in 6. §. fi. quia necessitas quæ legem non habet bene permittit quod omittantur ea, quæ alias omitti non deberent, ut d. cap. quarto de consuetu. vel quod in extr. volentis vel nolentis pro nave allevianda tempore necessitatis & periculi periclitante in mari ff. ad legem Rhod. l. p. & 2. §. *Si voluntate*, & per totum: At in proposito prohibitio, de qua hic agitur, non est de re damnata lege naturali vel divina, sed solum lege canonica positiva; & est hic tanta necessitas, quod non est hic tempus nec locus plenius deliberandi consilium; nec potest hic adiri Papa propter subtractionem, & est tanta necessitas atque arctatio, quod non potest expectari obedientiæ destitutio, nec per consequens dispensatio Papæ; & sic est tanta necessitas, quod de eo quod solum lege canonica est illicitum, facit licitum; & sic excludit malum culpæ, cum majus malum quod inducit, & necessitas alias evitari non possit, nec sit superior, nec possit haberi recursus ut patet ex dictis.

Ad secundum dubium principale, in quo quæritur, supposito quod pro parte potestatis sæcularis &c. condescendendo; circa quod sciendum, quod dubium unum supponit, & aliud quærit: supponit enim quod potestas sæcularis in hac parte malum culpæ committat, videlicet metum & coactionem coactivam Avenionensi Episcopo inferendo injuste, ad finem scilicet obtinendi id quod petunt. Ad quod respondeo & dico indubitanter, quod sic; quia omnis coactio talis tendens ad extorquendum injuste quod non licet, est injusta & damnata ex parte ipsius inferentis, & ideo secundum utramque legem datur remedium ad resistendum & tollendum id quod factum est per metum, ut ff. *quod metus causa* l. p. & per totum & eo tit. cap. C. & extr. de his quæ vis metusve causa fiunt, per totum. Quod autem hoc non possit fieri licite, patet clare in cap. *Non minus* & cap. *Adversus* allegat. & quia hoc habeo pro claro & indubitato, circa hoc amplius non insisto. Quærit autem, quod hoc supposito, utrum Episcopus Avenionensis condescendendo dictæ injustæ coactioni dictæ potestatis sæcularis, & juxta requisitionem ipsius petitum judicem deputando, sic censeatur approbare, quod faciunt, & in crimine participare cum criminosis; & sic a malo culpæ excusari non possit; quia secundum hoc honori & conscientiæ suæ hæc facere non liceret, nec expediret. Et primo videtur expeditum quod sic per casus expressos. In primis enim videtur casus in cap. *Sacris* extr. de his *quæ vis metusve causa fiunt*, quia secundum quod ibi legitur & notatur illa necessitas causativa puta coactionis aut metus, participantem cum excommunicato * excusat a peccato seu malo culpæ, licet peccatum aliqualiter attenuet. Secundo ad hoc etiam inducitur alius textus, ubi etiam videtur casus expressus, videlicet caput *Super eo* extr. *de usuris* ubi dicit textus, quod cum usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur; super hoc scilicet ut liceat pecuniam recipere ad usuram, nem aliquem posse fieri non videmus secundum aliquos etiam in necessita.. tumcumque magna, quia cum scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro vita & captivitate redimenda usurarum crimine.... & assignatur ratio hujus in cap. *Super a nobis de sent. excom.* §. *In secunda vero*, & est ratio rationis, quia melius est omnia mala temporalia tolerare, quam malo consentire. At in proposito, si Episcopus deputet judicem per dictam damnatam coactionem ab eo petitum, jam dictæ petitioni condescendendo eidem consentit, & eam exequitur, sic participando in crimine criminosis, sicut usuras recipiens, censetur in crimine usuræ participare cum usurario, ut in prædicto cap. *Super eo*. Et sicut participans cum excommunicato ad coactionem alterius, censetur in hoc participare, cum coactionem hujusmodi inferente. Et ista ratio quibusdam videtur esse fortissima, licet revera, si bene videatur, non sit urgens nec nimis etiam difficilis ad solvendum, ut statim dicetur.

Præterea quia temporalia ecclesiæ bona propter scandalum non debent Prælati dimittere, vel alteri dare, quidquid sit de aliis bonis patrimonialibus, ut notatur per S. Thomam 2. 2. q. 43. art. 8. in cor. quod ubi nullo modo videre omittas, & super 4. sentet. dist. 30. art. 4. in resp. 3. quæstionis ubi etiam omnino videas. Rursus hoc idem probo sic: quæro enim a te, super quo iste Episcopus talem judicem deputabit? quia, aut deputabit super concessione facta per metropolitanos linguæ Gallicanæ & Occitanæ, & eorum suffraganeos, aut per aliquem seu aliquos eorumdem; at dices, quod judicem hujusmodi deputabit ad exequendum inductionem seu impositionem factam per Regem vel Ducem Bituricensem, aut per dictos Generales; aut illum deputabit super nova concessione per eum fienda invito vel consentiente clero suo. Sed certe videtur, quod nullum istorum de jure cum bona conscientia seu salvo honore suo possit facere dictus Episcopus; nec tamen apparet alius modus faciendi: & sic restat, quod hoc ipse non potest, nec debet facere, nec sibi nec honori suo, nec conscientiæ expedit, quod hoc faceret. Consequentia apparet bona ex terris per locum a sufficienti divisione; postquam non apparet alius modus faciendi. Assumptum vero hujus rationis probatur sic: primo enim si dicas, quod deputabit judicem super concessione facta per metropolitanos Linguæ Gallicanæ vel Occitanæ & eorum suffraganeos, vel aliquem aut aliquos eorumdem, dico, quod hoc non potest licite seu de jure fieri; immo talis deputatio esset in jure manifeste erronea, & errorem juris contineret expressum, & per consequens non valeret arg. ff. quæ sententiæ sine ap. l. p. § I. & extr. de sent. ex. *per tuas*, quia illi Archiepiscopi & Episcopi extra diœceses & civitates suas, seu in alios quam in subditos jurisdictionem nullam habent, nec exercere possunt arg. ff. de jurisd. Jud. l. ul. & ex. de sent. excom. *A nobis* &c. & de consti. cap. 2. in 6. At in primo proposito civitas & diœcesis Avenionensis non sunt de territorio Archiepiscoporum prædictorum, nec Episcopus Avenionensis & ejus diœcesani sunt subditi illorum, ut de se patet; ergo &c. Nec valet dicere, quod illud

* f. non excusat.

quod

ANNO CHRISTI 1403.

quod facit major pars cleri arctat omnes, quia id non habet locum in his quæ respiciunt interesse & præjudicia singulorum, & patet ex notatis per Ber. Inn. Host. & Jo. & Henr. in cap. *Cum omnes* de constit. Secundo, si dicas quod dabit judicem ad exequendum indictionem seu impositionem super his factam per Regem vel D. Ducem Bituricensem, aut per dictos DD. Generales, certe hoc erit magis erroneum, nam ad prædictos Dominos temporales non pertinet ista imponere, ut dictum est supra, ut patet ex his quæ leguntur & notantur in cap. *Non minus*, & cap. *Adversus* de immun. Eccl. allegatis; & quia ex hoc sequeretur major error, videlicet quod dictus Episcopus approbaret, auctorizaret & exequeretur hujusmodi indictionem seu impositionem, quæ in se patentem iuris errorem contineret, & cum bona conscientia & honore ipsius Episcopi non posset fieri. Tertio si dicas, quod dictum judicem deputabit super nova concessione per eum fienda, clero suo invito, & hoc certe facere de jure non posset; nam contra prohibitionem juris non posset clericos suos invitos tali subijcere servituti, nec eis invitis auferre bona vel jura sua sine causa arg. extr. de locato cap. *Vestra*, quia solus Princeps supremus potest auferre alicui jus suum, maxime sine causa, ut notatur per Jo. And. in cap. *si religiosus* de elect. in 6. Immo est dubium de Principe, utrum hoc possit facere sine causa, ut patet ex his quæ scripsi latissime circa hoc IX. q. 6. cap. fin. in ult. supplet. ult. gl. *per multas* q. & XII. q. 2. *non liceat Papæ*. Si autem clerus Episcopi in hoc consentiret, adhuc videretur hoc non posse, inconsulto Papa, per Episcopum cum clero suo fieri; immo nec tenetur, nisi quinque intervenientibus, prout scripsi in dubio proxime præcedenti circa evidentialia, videlicet in tertio evidentiali, ut probatur in cap. *Non minus*, & in cap. *Adversus* de immun. Eccl. Quid dicendum?

Breviter ad declarationem materiæ præmitto aliquas conclusiones: prima conclusio est, quod licet in facto lege naturali & divina damnato, nullus metus, nullaque coactio, seu quævis alia necessitas a peccato, seu a malo culpæ quemque valeat excusare, tamen metus sive coactio justus ex parte ipsius patientis, licet injustus ex parte inferentis, puta talis, quod deberet cadere in constantem, seu alia necessitas quæ absque majori malo per alium modum evitari non potest, in factis maxime a jure alias non damnatis, quamquam ex parte metum, coactionem, vel necessitatem hujusmodi inferentem damnata sit, & injusta, tamen ex parte patientis, seu metus necessitati aut coactioni obtemperantis non inducit aliquod peccatum, seu malum culpæ. Ista conclusio habet tres partes principales; prima pars hujus conclusionis est ista, videlicet quod in factis l. naturali vel divina damnatis, nullus metus, nullaque coactio, seu quævis alia necessitas a peccato seu malo culpæ potest facientem quomodolibet excusare; in qua omnes Theologi & Canonistæ concordant. Patet plane ex his, quæ scripserunt Ber. & Jo. An. & Henr. in cap. *Quod non est licitum* de reg. juris, & in cap. *super eo* de usuris, & in cap. *Non magno Ne clerici vel monachi*, & in cap. *sacris*, de his, quæ vi metusve causa fiunt, de quo etiam per Inn. in cap. *Sacris*, & cap. *Super eo* allegatis, & probatur per jura allegata, & est ratio hujusmodi, quia melius est omnia mala temporalia pati, quam malo culpæ consentire, ut dixi superius; & est ratio rationis: quia malum culpæ est infinitum propter objectum divinum sibi oppositum, quod est bonitatis infinitæ, & habet pœnam infinitam sibi correspondentem, videlicet damnationem æternam, omnia autem mala temporalia finem habent. Præterea mala temporalia tolerans, in hoc patitur & meretur, sed malum culpæ committens, in hoc agit & delinquit atque demeretur; meriti autem & demeriti nulla est compensatio, sicut nulla est cooperatio Christi ad belial. Secunda autem pars conclusionis habet, quod quilibet metus tendens ad illud quod non est aliqua lege etiam humana prohibitum, ad quod timendum vel faciendum metum patiens de jure non tenetur, & est a jure prohibitus ac illicitus & damnatus, & per consequens continet malum culpæ, & ideo ait Prætor, quod metus causa gestum est, ratum non habebo ff. *quæ metus causa*. l. p. & est ratio hujus, quia metum inferens in hoc jus sibi dicit violentiam committendo, quod est omni lege prohibitum & damnatum C. *de Judæis* l. nullus. C. un 3. l. *si quis in tanta* ff. quod metus causa l. *extat* ext. de præben. *cum qui* in 6. circa prim. & in hoc nullus etiam discordat, & ideo longa probatione opus non est.

Tertia pars conclusionis est ista, quod si quis metu licet justissimo secundum eum, aut coactione vel necessitate quacumque inductus vel attractus facit aliquid, quod ipse alias, videlicet metu, coactione, vel necessitate cessante non erat facturus, quod tamen non erat lege naturali vel Divina, nec etiam lege humana positiva civili vel canonica prohibitum; ad quod tamen ipse de jure minime tenebatur; talis per hoc non incidit in aliquod peccatum vel in aliquod malum culpæ, quamquam faciat & exequatur illud, quod culpabiliter & injuste ab eo petitum fuerat & exactum, dummodo omnis alia mala circumstantia malum culpæ valens inducere hic omnino cesset Probatur hoc, quia si hoc peccatum & malum culpæ induceret lex, sibi actionem non daret ad faciendum irritari quod metu, vel coactione hujusmodi factum esset, ut ff. de negot. gest. l. *sine hæreditaria*, & ff. de interdictis l. *relegatorum* in fin. immo tunc culpa cum culpa, & dolus cum dolo compensari deberet; & ideo tunc melior est conditio possidentis ut ff. de condit. ob turpem causam l. III. & lege sequenti quasi per totum, & ff. de compensat. l. *si ambo* cum similibus. Et est ratio hujus, quia licet sit turpitudo ex parte coactionem inferentis, non tamen est turpitudo ex parte patientis, qui aliud non potest facere, nec committit rem damnatam. Et est ratio rationis, quia bono & justo viro licet dare de suo damnato homini ut a malo abstineat, seu ne malum committat, ut patet ff. de condit. ob turpem causam l. p. §. ul. & l. seq. & in hoc concordant Theologi cum Canonistis. Pro quo sciendum, quod beatus Thomas 2. 2. q. 78. art 4. quærit utrum liceat pecuniam mutuo accipere sub usura; & arguitur, quod non per Apostolum ad Romanos primo, ubi dicitur quod digni sunt morte, non solum qui faciunt peccatum, sed etiam qui consentiunt facientibus. Et quia pro nullo commodo temporali debet aliquis dare alicui occasionem peccandi; quia hoc

ANNO CHRISTI 1403.

hoc pertinet ad rationem scandali activi, quod semper est peccatum. Et finaliter respondeo, quod licet inducere hominem ad peccandum nullo modo liceat, uti tamen peccato alterius ad bonum licitum est, quia & Deus utitur omnibus peccatis ad aliquid bonum, ut dicit Augustinus in enchirid. & ipse Augustinus publico loquens, utrum liceat uti juramento ejus, qui per falsos deos jurat, in quo jurans manifeste peccans illis diis, idest Dæmonibus Divinam reverentiam exhibendo; respondet, quod qui utitur fide illius qui per falsos Deos jurat, non ad malum sed ad bonum, non peccato illius se sociat, quando per Dæmonia juravit, sed pacto bono ejus quo fidem servavit. Si tamen induceret eum ad jurandum per falsos Deos, peccaret; ex quo infert ibi Thomas, quod licet non liceat alicui quemquam inducere ad mutuandum pecuniam sub usuris, licet tamen ab eo qui paratus est hoc facere & usuras exercere mutuum accipere sub usuris propter aliquod bonum, ut propter subventionem suæ necessitatis vel alterius. Sicut etiam licet ei qui incidit in latrones manifestare bona quæ habet, quæ latrones accipiendo peccant, ad hoc quod non occidatur. Exemplo decem virorum, qui dixerunt ad Ismael; noli occidere nos, quia habemus thesaurum in agro, ut dicitur Jos. 41. Nec obstat, quod sic consentit facienti, quia non consentit in peccatum usurarum, sed utitur eo, nec placet ei usurarum acceptio, quæ est mala, sed mutuatio, quæ est bona; nec ille qui accipit pecuniam mutuo sub usuris dat usurario occasionem usuras accipiendi, sed mutuandi; ipse autem usurarius sumit occasionem peccandi ex malitia cordis sui. Unde scandalum passivum ex parte sua, non autem activum ex parte petentis mutuum: nec tamen propter hujusmodi scandalum passivum debet alius a mutuo petendo desistere, si indigeat, quia hujusmodi passivum scandalum non provenit ex infirmitate vel ex ignorantia, sed ex malitia secundum Thomam ibi supra. Ac in proposito casus noster recte similis est, nam ille qui metum vel coactionem prædicto modo patitur, non inducit illum qui metum & coactionem hujusmodi aut quamvis aliam necessitatem sibi infert ad hoc faciendum, nec dat sibi occasionem faciendi, nec placet sibi, sed displicet istud malum, sed utitur isto malo timendo & exequendo, quando injuste petitur ab eo non quidem ad malum, sed ad bonum finem, videlicet ut evitetur majus malum, quando alias evitari non posset. Ex quibus patet, quod per hoc non censetur participare in crimine criminoso, sed solum facere quod licet de jure facere ad evitandum majus malum, & sibi solum provideri, alteri non nocendo, & quamvis malum alterius minime procurando, quod cuilibet de jure naturali permissum est. Secunda ratio est, quod etiam in his quæ non sunt lege naturali vel divina, & quæ non inducunt peccatum seu malum culpæ a lege divina vel naturali procedens, licet sint a lege canonica prohibita, cujus legis canonicæ transgressio spontanea alias partes inducit metus seu coactio aut alia necessitas justa quoad patientem, & cadens alias in constantem, & talis, quæ alias minime evitari potest, nedum peccatum attenuat, immo potius totaliter a peccato e malo culpæ excusat; hic enim habet locum regula juris, quæ dicit sic: quod non est licitum in lege, necessitas licitum facit, & ideo Machabæi necessitate coacti sine culpa in Sabbato pugnaverunt, & ægrotus propter metum mortis sine culpa solvit jejunium 23. q. ul. *si nulla* de observat. jejun. cap. 2. in fin. de reg. juris quod non est licitum, quia necessitas legi non subjacet, ut prædicto cap. 2. in fin. & de cons. cap. 4. & de cons. dist. 1. *sicut* & dist. 3. pervenit arg. ff. ad l. Rodian. de fac. l. 2. & est textus planus de hoc in cap. quod non est licitum de reg. juris, ubi Henricus posuit hanc conclusionem per expressum allegans pro ex. ff. & C. quod metus causa, & de his quæ vi metuve per totum; & idem sentit ibi Host. dicens: patet igitur ex hoc, quod necessitas in aliquibus etiam quandoque a peccato excusat, & pro ratione allegando diceret & merito, nam necessitas contraria est spontaneæ seu liberæ voluntati, arg. ff. quod metus causa l. p.; peccatum autem secundum Augustinum adeo voluntarium est, quod si non est voluntarium, non est peccatum. XVI. q. p. cap. 3. *de illa*. Et est ratio alia, quia constitutio canonis prohibitiva vel præceptiva semper civiliter est interpretanda, ut arctare non debeat ad casum necessitatis ita magnæ, arg. jurium prædictorum & ff. de servit. l. *si cui*; & est ratio rationis, ne contra mentem conditorum hujusmodi constitutio positiva casum includat omnino irrationabilem, quod non potest fieri, quia constitutio non potest esse nisi rationabilis IV. dist. erit autem lex cum similibus; modo irrationabilissimum esset dicere, quod pro evitando maxime Ecclesiæ damno non possit Episcopus cum clero suo condescendere ad modicum ecclesiæ damnum, cum in illis, quæ sine malo culpæ possunt fieri, omnino debeat minus malum eligi ad evitandum majus malum, ut XIII. dist. cap. *Nervi* & notatur per Host. & Jo. And. & Henr. in cap. *Non magno* extr. *ne clerici vel monachi* & facit qualiter nautæ merces deferendas & referendas receperunt, & sic tam ex fide per eos data, quam certa juris dispositione teneantur ea custodire, & non in mari projicere; tamen imminentis necessitatis periculo pro evitando majori malo ad exonerationem navis possunt merces in mare projicere ff. ad leg. Rodian. de jac. l. p. 2. & 3. ubi autem suffragium legis positivæ juvare non potest, tunc est necessarium ad leges naturales recurrere ad remedium, ut patet in indictione bellorum ff. de just. & jur. l. Ex hoc jure; & proposito hujusmodi lex positiva expresse non providet; igitur ad legis nat. directionem recurrere omnino oportet. Modo lex naturalis seu etiam ratio dictat homini, quod inter duo mala, quorum unum majus & aliud minus, & quorum utrumque evitari non potest, eligatur potius minus malum, ut præd. cap. *Nervi*. Igitur & in proposito hoc necessario est fiendum. Et facit, quia illud reputandum est virtuosum, culpaque carens est vitio, cujus oppositum censetur esse vitiosum XXXII. dist. *hospitiolum*. Modo in Prælato eligere magis malum per quod ecclesia posset deduci ad maximam destructionem quod per tolerationem unius minoris mali potest aliis evitari possit (sic) censetur esse vitiosum stolidumque & indiscretum, et posset sibi ad notam dilapidationis impingi, & aliqui, qui in factis aliorum nimis conscientiosos se reddunt, & in propriis se ostendunt nimis laxos, postquam per eorum consilium destructa esset

ANNO CHRISTI 1403.

esset ecclesia, nec scirent, nec possent dare remedium; & ideo eorum consilium in hac parte (non est sequendum); & ad propositum optime faciunt ea, quæ scripsi pro & contra in præd. cap. *Sacris* de his quæ vi, metusve causa fiunt in 6. q.

Tertia conclusio est ista, quia prohibitio concessionis ejus quod pro parte Regis et Ducis Bituricensis per dictos generales petitur ab Avenionensi episcopo, a lege nat. vel div. non procedit, nec illud quod sic petitur est lege nat. vel div. damnatum; et patet ista conclusio ex his quæ scripsi supra in dubio proxime præcedenti. His igitur sic præmissis cum sequentibus; et ideo in ejus deductione ulterius non insisto. Præmissis igitur tribus conclusionibus prælibatis, dico quod ex his apparet plena et clara responsio ad secundum dubium principale, de quo agitur nunc, videlicet quod quamquam potestas sæcularis in hac parte malum culpæ committat, videlicet talem metum coactionem seu necessitatem causativam injuste inferendo Avenionensi Episcopo, ut patet ex his quæ scripsi in primo prosecutionis hujus dubii; tamen Episcopus condescendendo dictæ rationi injustæ et juxta requisitionem potestatis sæcularis petitum judicem deputando, non censetur approbare malum, et damnatum factum potestatis sæcularis, nec participare in crimine cum ipsis criminosis, sed solum censetur in hoc suæ & Ecclesiæ necessitatibus providere; & peccato illorum ad provisionem & necessitatem suam & Ecclesiæ solum uti; & ideo Episcopus talia faciendo censetur a malo culpæ totaliter excusatus, sed liber potius & immunis, quia non induxit prædictos sæculares ad hoc malum, nec dedit eis occasionem talia faciendi; sed hanc occasionem receperunt a malitia cordis sui, & ab iniquis mandatis aliorum, nec umquam placuit Avenionensi Episcopo istud malum, sed sibi displicuit toto corde; nec illud tamquam bene factum auctorizavit seu approbavit, sed solum ut malum majus incompatibiliter evitaret minus malum quod non est lege naturali vel divina damnatum, sed solum lege canonica prohibitum cum sano & maturo consilio accepit, videlicet quia judicem petitum de consilio et assensu capituli & cleri sui deputavit, prout hæc omnia ex tribus conclusionibus proxime procedentibus clare patent, et ideo in hujusmodi deductionem ulterius non insisto, salvo quod ad quatuor oppositiones primo factas restat solummodo respondere.

Ad primam igitur oppositionem de cap. *sacris* quæ metus causa allegato potest facile responderi, siquidem sequamur opinionem, quæ habet, quod illa decretalis *sacris* non loquitur de quolibet participante cum excommunicato, sed solum de illo qui participat cum excommunicato in crimine, quia ille a malo culpæ seu a peccato mortali excusari non potest; et ideo talis sic participans, majorem excommunicationem incurrit, ut in cap. *Nuper* de sent. excom. et cap. *Si concubina* eo tit. Nec est ista opinio nimis capitosa, quia eam tenuerunt tunc Ægydius in cap. *sacris* allegato prout ibi recitant Inn. et Henr. Item si velimus sequi aliam opinionem, quæ habet, quod solum intelligatur illa decretalis *sacris* de particip. cum excom. in contemptum clavium, quia iste videtur peccato consentire, et saltem a peccato contemptus excusari non posset, etiam tunc solus erit patiens, unde videtur dicere Host. in præd. cap. *sacris* super v. *casus*: vel dic quod quamvis participanti per metum, dummodo peccato non consentiat, coram Deo nullum sit detrimentum, licet quantum ad ecclesiam sit excommunicatus minori. Unde si sequamur hanc opinionem Host. est in claro, videlicet quod illa decretalis supponit malum culpæ in participante, scilicet consensum in peccato, quod excludimus in casu nostro. Et sic conjungendo istam solutionem cum prima, dicemus, quod illa decretalis *sacris* loquitur in participante vel consentiente in crimine. Item si supponamus quod participare cum excommunicato majori excommunicatione in divinis, sit peccatum mortale, prout communiter tenent, et etiam notatur per Jo. And. in novella in cap. *sacris*, et restringamus illam decretalem *sacris* ad casum istum, prout videtur restringere S. Thomas super 4. sentent. dist. XVIII. art. IV. etiam tunc erit clara, ut dixi in alio casu, nisi dicamus, quod metus excludat etiam istum; nec de talibus expositionibus est mirandum, quia sic est intelligenda illa decretalis, ut concordet aliis juribus, ut in cap. *cum expediat* de elect. in 6. et ut casum erroneum, iniquum, et irrationalem non includat, ut in dicto cap. *Erit autem lex*. Præterea si sequamur aliam opinionem convidetur ponere Host. videlicet quod intelligatur cap. *sacris* de metu qui non cadit in constantem virum, clara etiam est solutio; nam si esset metus cadens in constantem, tunc et a peccato et a minori excommunicatione excusaret, & ita videtur sensisse Hugo XI. q. 7. *Quam multos*; et de ista opinione dicit Henricus in cap. *sacris*, quod hæc opinio videtur humanior et verior, cum casus necessitatis excuset in talibus, et etiam casus utilitatis, quod minus est, prout notat gl. super summa Raymundi tit. de sent. excom. et Fr. Jo. in sum. confes. tit. de sent. excom. q. 183. quæ incipit *sequitur necesse* et in duobus sequent. et in pluribus ibi præcedentibus. Vel dic et planius, quod participare cum excommunicato majori excommunicatione est lege divina prohibitum vel damnatum, ut notatur per Coleet in dicto cap. *sacris*, indu-
cens ad hoc auctoritatem Apostoli una Cor. V. ibi: *auferte malum de vobis ipsis*, et XL. dist. *sed illud* et 2. q. v. *multi*, et beatus Thomas super 4. dist. XVIII. art. 3. *Circa primam quæstionem videtur judicem ad hoc I. Cor. V. cum hujusmodi cibum sumere*. Et patet ratione, quia nullus in dubium revocat, quod auctoritas clavium, quæ in potestate ligandi et solvendi consistit, a qua dependet excommunicandi potestas, a Deo immediate procedat; sed prohibitio de non communicando cum excommunicato est ipsius excommunicationis et potestatis excommunicandi seu ligandi et solvendi executiva. Igitur talis prohibitio censetur a lege divina procedere, et contrarium facere a lege divina censetur damnari, quia nisi legis divinæ dispositio non haberet executionem, delusoria conferetur, quod de illius legis intentione etiam non debet, ut ff. de judiciis, lege *si Prætor* cum similibus. In talibus autem quæ lege divina damnata sunt, non excusat aliqua necessitas ut prædixi; et hoc verum est, nisi in casibus per sacros canones exceptis, in quibus canones addunt et detrahunt, interpretantur & declarant, sicuti jus civile ad jus naturale gentium addit & detrahit, arg. ff. de jus. et jur. l. *civile jus*. vel aliter dic: aut quis compellitur per metum participare cum ex-

ANNO CHRISTI 1401.

☞ communicato majori excommunicatione tanquam tali, idest tanquam excommunicato, et excommunicatione non obstante, et sic sub ratione seu consideratione excommunicationis hujusmodi, etiam tunc talis participans a malo culpæ idest a peccato et minori excommunicatione excusari non potest; et iste est casus proprius cap. *sacris*, et sic potest intelligi quod scripsi in solutione proxime præcedenti. Et est ratio hujus, quia tunc talis censetur hoc facere in contemptum excommunicationis et suæ excommunicationis, et per consequens censetur hoc facere in contemptum nervi ecclesiasticæ disciplinæ ac potestatis ligandi et solvendi quæ datur a Deo, et sic talis participatio per legem div. est damnata; aut compellitur quis participare excommunicato majori excommunicatione non tamen ut tali, nec sub ratione seu consideratione prædicta, sed propter aliam necessitatem et considerationem, ut quia compellitur, eidem mutuum dare aut commodare, vel sibi vendere val ab eo emere, seu aliqua alia cum eo facere, sicut si compellatur subvenire laicis qui per hoc excommunicationem incurrunt, ut cap. *Non minus* et cap. *Adversus* alleg. Certe per hoc subveniens non est excommunicatus minori excommunicatione, nec mortaliter peccat si sit justus metus ex parte participantis, et magna necessitas quæ alias evitari non potest, quia talis necessitas excusat participantem, & quod illicitum erat facit licitum cum casus necessitatis a prohibitis legis divinæ censeatur exceptus art. XI. q. 6. *quod prædecessor*, & cap. *antecessor* & cap. *Quoniam ea* de jud. cap. *Inteleximus*, & de sent. excom. cap. *Inter* & cap. *Si vere*, cum ibi notatus per Inn. & iste revera est casus noster, & ista est vera solutio ad prædictum cap. *sacris*, quod satis tribulavit caput meum, antequam ad solutionem hanc devenire possem.

Ad secundam autem oppositionem, videlicet ad cap. *Super eo* de usuris, quidquid ibi notetur per multos finaliter & veridice respondetur, quod prædictum caput *super eo* debet civiliter intelligi, debet enim solum intelligi in tribus casibus, vel altero eorum. Primus casus est, cum recipiens ad usuram inducit usurarium ad malum hujusmodi committendum; puta quia cum habens pecuniam gravem se ad mutuandum redderet, nec sub usuris dare consuevisset, volens habere pecunias ab eo rogavit vel alias induxit, ut sub usura seu pro aliquo temporali lucro peccaverit (sic) mutuam sibi dari, quod & fecit; iste enim peccat, quia fecit illum peccare, qui alias non peccaret arg. ext. de homicidio *sicut dignum* §. *Qui vero*. Secundus casus est, si recipiens dedit creditori occasionem faciendi istud malum, ut quia cum ille ad hoc assuetus non esset, ivit ad eum percipiendo pecuniam sub usuræ recipiendi causa, & ita fecit, vel quia cum mercator soleret dare pecuniam ad usuram, volens ab eo mutuum recipere, dixit sibi hoc non esse petitum ar. XXII. q. p. *movet* & XXIII. q. 5. de occidendis, & istos duos casus ponit Laur. ut refert Henr. in d. c. *super eo* in 2. d. circa principium. §. *sed ultimum membrum*, de dantibus occasionem peccandi. Petrus de Sason distinguit, utrum daret occasionem ex causa necessitatis, puta quia deficiebant sibi expensæ, & tunc ne pereat, quod cum in necessitate omnia sint communia XLVIII. d. *Sicut hi*. iste juste dat quanto ad se, quia vexationem suam redimit extr. de sym. *dilectus* d. 2. aut hoc facit sine necessitate hujusmodi, puta causa voluptatis, ut det meretricibus, vel ut lodat ad taxillos, & tunc non licet, ut 86. d. Domare, & extr. de excess. Prælat. cap. Inter dilectos, quod intelligo, dummodo alias peccatum non approbet, nec in eo contentiat, & in eo concordat etiam Host. in cap. *Debitores* & de usur. & Ber. dist. XIV. q. 4. *Si quis usuravit*, ut ibi notat Archid. in p. l. & Hugo 21. q. p. *Cui inest* & B. Thomas 2. 2. q. 2. art. 4. & Fr. Joan. in sum. conf. tr. de sent. excom. q. 44. *quæro utrum etiam*, cui omnes cum Petro de Saxonia concordant, & dicta B. Thomæ reperies supra circa primam conclusionem §. *Tertia pars conclusionis* & usque ad illius conclusionis, & patet etiam per textum qui dicit, quod qui jurat usurario solvere, tenetur servare juramentum; & tamen si esset peccatum illud, per juramentum firmare non posset, quia juramentum vinculum iniquitatis esse non debet de reg. jur. *non est obligatorium* in 6. cum ibi notatis; & in his etiam concordat Henricus in dictum caput *super eo* in 2. dist. Immo plus refert ibi Henricus, nuosdam dicere, quod non solum in necessitate, sed etiam pro utilitate quam quis consequetur agendo negotia sua, licet pecuniam recipere ad usuram prædicto cap. *Debitores*, quod loquitur indistincte, dummodo non consentiat alias in peccato; & hoc sonant ad litteram verba B. Thomæ in loco superius allegato.

Tertius casus est, ubi necessitate & utilitate cessantibus quis reciperet ab usurario pecuniam sub usuris, quia tunc peccaret etiam mortaliter secundum quosdam; & in his concordat Archi. in dic. cap. *Monet*, & Inn. Host. & Joan. An. in p. cap. *Super eo*, unde dicit ibi Host. pauci sunt, qui advertant peccatum esse in recipiente; & ideo pauci confitentur de hoc; et sic intelligitur prædictum cap. *Super eo* arg. in dic. cap. *Sicut dignum* §. *Illi est*, et d. sym. *non satis*, et cap. *quoniam symoniaca*; si enim non esset qui reciperet ad usuram, non esset qui daret Arg. ff. de recepta l. p. et 2. *nam qui occasionem dandi* et d. injuriis cap. fin. in fin. licet fatear aliquos dicere, quod licet necessitas excuset a tanto, non tamen a toto, per lecta et notata in dic. cap. *Sacris*; sed magis placent mihi dicta Thomæ arg. 15. q. 6. cap. 1. ad fin. Ac in proposito Episcopus Avenionensis non induxit prædictos dominos temporales ad malum istud faciendum, nec dedit eis occasionem malum istud faciendi, et non voluntarie, sed magis necessitate compulsus eorum requisitioni condescendit, nec in peccato eorum consensit, sed solum suam et cleri sui vexationem redemit, et suæ et cleri sui necessitati modo quo potuit providit. At etiam cum dicitur, quod temporalia ecclesiæ bona non debent Prælati propter scandalum dimittere, vel alteri dare quidquid sit de aliis patrimonialibus bonis.

Respondeo dupliciter, dico enim primo, quod hic non agitur de temporalibus ecclesiæ bonis, sed solum de fructibus ad ipsos beneficiatos pertinentibus. Secundo dico, quod hic non agitur de solo scandalo, immo ultra scandalum subsistens est hic magna necessitas cathedralis et aliarum inferiorum ecclesiarum, et ecclesiasticarum personarum inextimabile damnum, propter cujus evitationem expedit omnino hoc malum, quod est multo minus, cum aliqua patien-

ANNO CHRISTI 1403.

tientia tolerare. Modo dicta Thomæ in contrarium allegata in solo scandalo sunt fundata; nec etiam loquuntur illa dicta in hujusmodi commutatione minoris mali ad tam magnum malum.

Ad quartam oppositionem respondeo, quod Episcopus Avenionensis suam commissionem solum fundavit super concessione per eum fienda de consilio et assensu capituli et cleri sui; et præsertim illorum de clero suo, qui principaliter in hoc tanguntur; nec obstat cap. *Non minus* et cap. *Adversus* de immun. Eccl. alleg. quia necessitas quæ legem non habet, facit licitum quod secundum illa jura alias erat illicitum, prout fuit latius superius declaratum.

Ad tertium dubium principale, in quo quæritur, utrum absque consensu cleri sui, et præsertim illorum de clero suo, qui tanguntur ex hoc graviter, principaliter possit dictus Episcopus propter necessitatem prædictam usque ad triennium dare domino temporali de bonis Ecclesiarum, seu ecclesiastic. personarum suæ diœcesis, puta quod dictæ personæ ecclesiasticæ de his quæ vendent et ement, solvant Regi XII. denarios pro libra; de vino minutatim vendito ad tabernam, et utrum debeat hoc facere ad hoc quod deputatio judicis per eum fienda non sit fundata super illicito etc. Pro quo sciendum est, quod ista quæstio implicat in se duas quæstiones principales. Prima quæstio habet, utrum Episcopus hoc possit etc. Secunda quæstio quærit, utrum Episcopus debeat hoc facere. Prima vero quæstio, quæ quærit utrum Episcopus hoc possit, supponit tres conclusiones, in quibus non multum insistam. Prima contrarium habet, quod Episcopus sine consensu cleri gravati sine causa, hoc non potest; & istud non habet dubium, ut dixi supra, quia non potest auferre alicui subditorum jus suum; aut eos gravare sine causa, ut extr. de loc. cap. vestro. Secunda habet, quod hoc non potest facere de consensu cleri, & cum causa sive propria necessitate cessante, ut in cap. *Non minus* & in cap. *Adversus* de imm. Eccl. Tertia est, quod de consensu cleri sui in casu præsentis necessitatis hoc facere potest etiam sine propria; pro eo quod Papa de præsenti adiri non potest per cap..... *ne sede vacante* §. fin. in 6. & quia tempus & locum non patitur plenius, seu longius deliberandi consilium, ut patet ex præcedentibus, & potest addi quarta conclusio, videlicet quod in casu præsentis necessitatis expedit, quod Episcopus habeat consilium cum capitulo & Clero suo, & audiat eos, quia necessitas non excusat, nisi arctata, in quibus impedimentum præstat, quia quod necessitas non impedit, necessitati non subjacet, et causa non operatur nisi circa effectum quem producit; & ideo solet, quod limitata causa limitatum parit effectum, ff. de acquir. rer. dom. l. in..... Cum igitur requisitio in capituli & cleri de jure alias sit necessaria, ut extr. de his quæ fiunt a pl. capit. *Novit* cap. IV. & cap. *Non minus* & in cap. *Adversus* alleg. ibi: *nisi Episcopus & clerus*, & cap. *Adversus* ibi: *Episcopus simul cum clero*; & num possit hæc requisitio fieri necessitate non obstante, dico quod nullo modo omitti debet; sed pone quod clero requisito & necessitate debito modo exposita gravati contradicunt, numquid nihilominus hoc potuit Episcopus expedire, ut periculo tantæ necessitatis occurrat; & ista est quæstio nostra principalis.

Et hic dico primo, quod cum istud in modum expedientiæ proponatur, & in genere Ecclesiæ necessitatem respiciat, majori parti stari debet, nisi minorem partem facientes, qui contradicunt justam causam allegarent, ut in cap. 1. de his quæ fiunt a majori parte capituli, cum ibi notatis, et faciunt notata per Inn. his componens Jo. And. & Henric. in cap. *Cum omnes* de constit. sed ubi omnes gravati, vel major pars eorum contradicerent, & justam causam contradicendi haberent, tunc non posset Episcopus ultra procedere, quin gravaret, & appellare posset argum. eorum quæ leguntur & notantur per Innoc. in dic. cap. I. de his quæ fiunt a majori parte Capituli, & in dictum cap. Cum omnes de constit. & in regula *quod omnes tangit*. Verum si omnes, vel majorem partem facientes omnium, in hoc contradicentes Episcopo, nullam justam causam contradicendi haberent, utrum tunc ipse Episcopus ipsis invitis hoc facere posset? Certe hic jacet principale dubium istius quæstionis, & quod Episcopus hoc non possit, videtur tunc posse probari sic: quia devolutio potestatis fienda ad aliquem, alias potestatem hujusmodi non habentem, non debet poni, nisi in casibus expressis in jure, ut in cap. *Quidquid* de elect. in 6. & notatur per Inn. in cap. *Cum pridem* de renunc. & in cap. *Quia diversitatem* de conc. præb. & tamen non reperitur iste casus devolutionis expressus in jure, videlicet quod propter istam, vel quamvis aliam necessitatem occurrentem hæc potestas quæ pertinet ad Episcopum & clerum communiter, vel ad solum Episcopum cum consensu Cleri, ad solum Episcopum, absque consensu Cleri, devolvatur; & ex ista ratione motus D. Card. S. Angeli ad dicendum, quod hæc potestas, quæ per cap. *Non minus* & cap. *Adversus*, ad Episcopum & clerum, cum consilio Romani Pontificis, noscitur pertinere, propter subtractionem factam Papæ, sive quamvis aliam necessitatem de præsenti occurrentem ad solum Episcopum cum Clero suo non dicitur devoluta; nec obstat cap. Unicum *ne Sede Vacante* in 6. §. ubi vero secundum eum, dicitur enim sic, quod ubi de speciali alicujus Ecclesiæ consuetudine vel statuto beneficiorum collatio ad aliquem cum consilio Episcopi noscitur pertinere, sublato Episcopo de medio, cum consilium nequeat tunc peti ab eo, non erit propter hoc vacantis beneficii collatio differenda; nec etiam si egerit in remotis, ita quod non possit ipsius præsentia in brevi haberi, quia in petendo vel expectando consilium posset vacantis beneficii periculum imminere. Ipse enim respondet ad illud caput, dicens, quod ponit jus novum & loquitur in uno casu speciali, puta in consuetudine vel statuto Ecclesiæ & in collatione beneficii, cujus distinta vacatio vacanti beneficio possit afferre magnum periculum; & ideo tenet ibi novella, quæ non habet locum in beneficio in proprietatem concedendo, & per consequens non debet trahi ad alium casum, ut in regula *quæ a jure* de reg. jur. in 6. Sed certe ipsa ratio non est mihi grata bene, quia licet specialitas seu exorbitantia quæ a jure & æquitate seu ratione naturali discrepat sit tenenda in suis terminis, cum nullo modo trahatur ad consequentiam; & sic procedunt ff. de legibus *quod vero* & l. *jus singulare* & ff. de reg. jur. l. *quæ*

ANNO CHRISTI 1401.

l. *quæ propter necessitatem*, & de reg. jur. *quæ a jure* in 6. & Justinianus de jur. nat. §. *sed quod principi*, tamen ubi singularitas vel exorbitantia juris novi, licet a communi jure Regis rigorose exorbitet, non tamen ab æquitate exorbitat, nec a ratione naturali; sed potius fundata est in æquitate & ratione nat. tunc bene potest trahi ad consequentiam casus in ratione & æquitate similis; & firmius ad casum majori æquitate, majoriqne ratione naturali pollentem, ut patet ex his quæ notantur per Jo. An. de tempore ord. cap. 1. in 6. & quæ ibi scripsi in secunda quæst. & per Dinum in reg. in arg. de reg. jur. in 6. & per Accurtium in l. *quæ propter necessitatem* alleg. & in lege 2. C. de patribus qui filios distr., & per Cinum in l. illud C. de sacrosanctis Eccl. prout scripsi latius in præalleg. regula in 2. q. & in quamplurimis bonis remissionibus ibi per me datis, per quæ hoc probatur multum clare, quia in jure per bonum restrictio non debet attendi, sed potius generalitas rationis arg. ff. de legibus l. *Jure non ad singulas* & l. *Non posse*, eo titulo cum communibus juribus quæ dicunt, quod ubi est eadem ratio, idem jus esse debet, ff. ad l. Aquilam l. *illud*, & quod ubi diversitas rationis reddi non potest, diversum jus poni non debet, ff. de verb. oblig. l. *A Titio* cum similibus; ac in proposito nedum ratio illius §. hic vendicat sibi locum, videlicet de præjudicio, quod beneficio afferri possit, immo revera major ratio & major æquitas hic locum habent, nam hic agitur de multo majori periculo, damno & præjudicio, nedum uni simplici beneficio, immo potius ecclesiæ cathedrali, ac omnibus ecclesiis, beneficiis & personis ecclesiasticis constitutis in regno Franciæ afferendo. Ex quibus infero, quod si verba illius §. huic materiæ proprie non conveniant, tamen quia ratio & æquitas naturalis, magis in isto, quam in illo casu exuberat, dicam quod ratio illa in casu isto locum habet & jus facit, & præsertim quia quidquid diceretur de hac necessitate cessante, tamen in art. necessitatis maximæ & inevitabilis hoc dictum nullatenus est prætermittendum, ut in proposito, maxime cum necessitas etiam tollat legem, ut supra dictum est. Ex quibus patet evidenter ostentum, quod cum hoc consilium proprie non possit requiri, sine illo negotium potest expediri. Ex quibus etiam infertur, quod si Clero jurato & audito contradicentes etiam majorem partem facientes, nullam causam contradicendi allegent, saltem bonam, vel malam aut falsam contradicendi causam solum inducant, quæ duo æquiparantur in jure, ut notatur per Innoc. in cap. *Dudum* de decimis, solus causante tali necessitate, non obstante illorum contradictione hoc facere potest. Et est ratio hujus, quia licet cap. *Non minus* præalleg. dicant in verbo *Inspexerint* & in verbo *excutient*, videlicet quantum tangit inspectionem & æstimationem Episcopi & cleri, tamen in cap. *Adversus*, quanto ad expeditionem ipsius negotii loquitur de Episcopo; in singulis tamen quanto ad æstimationem in verbo *perspexerint*, quod quanto ad expeditionem in v. *dixerit*, licet ibi Episcopus simul cum clericis innuat, propter quod Episcopus simul cum clericis debet inspicere & examinare, & in examinatione consilium clericorum requirere. Ex quibus patet quod ad solum Episcopum, licet cum consilio cleri sui, spectat expeditio illius negotii, & est ratio hujus expositionis, quia verba dubia in novioribus constitutionibus apposita, secundum jura communia & antiquiores constitutiones sunt exponenda, ut jura juribus concordent, & ut correctio juris evitetur, de constit. *cum dilectus*, & extrav. de verbo. signif. *Abbate* de elect. *cum ex. podiat* in 6. sicut solet fieri in privilegiis & in rescriptis; ut legitur & notatur per Compost. in cap. *Causam quæ* de rescrip. & sic intelligit. quod dicit lex, quod non est novum, quod priores leges ad posteriora trahantur, videlicet ut posteriores per priores determinentur & suppleantur, & quandoque dum opus fuerit corrigantur, ut legitur & notatur per gl. in l. *Non est novum* ff. de legib. Correctio autem in dubio est vitanda, C. de inof. de l. I. ac in proposito jus commune & priores canones determinant, quod ad Episcopi cum consilio sui Cleri idest sui capituli in ecclesia civitatis & diœcesis expectat expeditio omnium agendorum XI. q. 1. *regenda* XVI. q. 4. *Omnes basilicæ* & q. 2. *sane*, & de capel. monast. *in ecclesiis*, & de his quæ fiunt a Prælat. cap. 9. & cap. 4. Et quod notat. per Inn. in cap. edoceri de rescriptis. Ex quibus apparet, quod illa duo capitula *Non minus* & adversus sic debeant intelligi, quod istud negotium Episcopos cum consilio cleri sui sit commissum, sit tamen, quod Romanus Pontifex consulatur, videlicet, si hoc fieri posset. Hoc autem supposito patet, quod Episcopus in casu hujusmodi necessitatis etiam contradicentibus illis hoc facere potest. Et primo, quia istud est regulare, videlicet, quod cum quid debet fieri cum consilio alterius, sufficit requirere consilium, nec est necesse illud sequi, ut patet ex his quæ leguntur & notantur in cap. *Cum in veteri* de elect. & in cap. *Cum olim* de arbitris, & ex his quæ notantur per Henr. in cap. *Ex parte* de constit. & quæ scripsi in cap. *cum olim ex parte* de constit. & quæ scripsi in cap. cum *olim* in p. opp. & quæ notantur per Inn. in cap. de consuet. & in cap. final. de rebus Ecclesiæ non alienandis in 6. in gl. ult. & patet, quia non ab initio ipso jure teneret factum sine consilio, postea ratum haberi non posset, ut extravag. de lect. *Auditis* & tamen quod fit ab initio sine consilio capituli, postea potest ratum haberi, ut extr. de his quæ fiunt a plur. cap. *Continebat*. & cap. *Cum vos*, & sic procedunt notata Inn. proxime allegata, & hoc præsertim cum non potest vel non expedit ecclesiæ consilium illud sequi, ut in proposito, quia tunc est eadem ratio de non sequendo, sicut de non requirendo; immo major, quia plus nocere debet absentia, quam contradictio, ut ff. de arb. l. *Item si unus* §. ult. cum duabus ll. sequent. Postea cum expeditio ad Episcopum solum pertineat, licet cum consilio capituli seu cleri aut forsitan utriusque, ut patet ex dictis, necessitas inevitabilis, quæ legem non habet, posset facere quod hujusmodi consilium admittatur, cum consilium hujusmodi non a lege divina, vel naturali, sed a positiva procedat, per lecta, & notata per Henr. in cap. *quod non est licitum* alleg. Ex quibus patet responsio ad primam; quoad secundam vero quæstionem hujus dubii in quo quæritur utrum expediat deputatio judicis de quo quæritur, fundare super nova concessione ipsius Episcopi; & breviter puto quod sic, quia super alio juste fundari non potest, ut patet ex

ANNO CHRISTI 1403.

ex his quæ scripsi in secundo dubio principali proxime præcedente post prin. in 4. opp. & ad finem illius dubii in dissolutione dictæ 4. opp. per quæ omnia dubia in hoc tertio dubio sunt sublata.

Ad quartum dubium principale, in quo quæritur, utrum expediat Ecclesiæ, & Episcopo Avenionensi, & ecclesiis ecclesiasticisque personis diœcesis Avinionensis in regno Franciæ constitutis, aut beneficia, vel bona in dicto Regno obtinentibus, honorique & conscientiæ dicti Episcopi condescendere, & obtemperare petitioni & requisitioni Regis & Dom. Ducis Bituricensis ac Generalium prædictorum, ac deputare judicem, qui petitur, potius quam recusare, contradicere, & prædicta mala continuata, & eorum similia sustinere, vel e contra, dubiis proxime præcedentibus ponderatis. Et primo videtur quod non, nam illud non videtur expediens, ex quo multa inconvenientia sequi possunt, nam secundum philosophum, cujus finis malus est, ipsum quoque malum est. Quod autem ex hoc multa inconvenientia sequerentur, apparet ex sequentibus.

Primum inconveniens est istud: nam jam & tam longo tempore observatum est, quod si nunc sic continuetur, per hoc dabitur patens occasio ad hoc magis continuandi in futurum; & sic finaliter propter diuturnitatem temporis pro constituto habebitur, ut ff. de aqu. quoti. & est l. *hoc jure* §. *Ductus aquæ*.

Secundum inconveniens est, quod per hoc libertas Ecclesiæ confunditur, & clerici parificantur laicis, & datur patens occasio alia privilegia ecclesiis & clericis auferendi.

Tertium inconveniens est, quia per hoc ecclesiæ ecclesiasticæque personæ & bona earum erunt deterioris conditionis quam laici, nam dominis temporalibus deveria solvent, velut laici, & tamen Papæ & cameræ Apostolicæ aliisque superioribus eorum solvent alia deveria, & sustinebunt alia onera, ad quæ laici non tenentur.

Quartum inconveniens est, quia nimis videtur arctatus Episcopus Avenionensis, qui non habet nisi pauca in regno Franciæ, & ideo magis posset & deberet resistere quam cæteri Episcopi, quarum diœceses integræ sunt in regno.

Quintum inconveniens est, quia Episcopus Avinionensis reputatur magis arctatus, & ideo ejus factum trahetur ab aliis facilius in extrav.

Sextum inconveniens est, quia Episcopus Avinionensis est prope Papæ, & potest per intermedium eum consulere sicut alii.

Septimum inconveniens est, quia est prope collegium Cardinalium; quid ipse non consulit, licet sedem apostolicam propter subtractionem repræsentare secundum aliquos videantur?

Octavum inconveniens est, quia hoc factum per regem Ludovicum quo ad provinciam trata poterit in executione, nec Episcopus poterit resistere.

Nonum inconveniens est, quia Dom. Benedictus per regem ante subtractionem per hoc requisitus, de hoc episcopum consuluit, qui sibi consilium negativum dedit. Ideo Papa Episcopo hoc improperabit, maxime si male de Episcopo contentetur, qui sibi ante subtractionem denegavit domum suam, nec servavit interdictum, cui dixit Papa civitatem istam subjacere, & contulit beneficia civitatis per eum reservata.

Decimum inconveniens est, quia totum fundamentum Episcopi est necessitas, & tamen non quælibet necessitas sufficit, nec hic apparet aliqua necessitas coactiva.

Undecimum inconveniens est, quia Episcopus debuisset fecisse aliam diligentiam, puta appellando aut ad Regem, aut ad Ducem Bituricensem, & ad generales Prælatos nobiles mittendo; & quia non miserit, forsitan imputaverit temeritatis & avaritiæ.

Duodecimum inconveniens est, quia debuit sequi consilium contrarium D. S. Angeli, postquam eum consuluit, nam ille postea factum in consistorio impugnabit. (sic)

XIII. inconv. est, quia debet expectare executionem minarum, videlicet quod manus ad suam temporalitatem ponerentur, quia non omnes minæ verbales habent executionem.

XIV. inconv. est, quia hic non apparet, quod laicorum non suppetant facultates, nec hoc cum humilitate, sed cum coactione contra prædicta concilia *non minus*, & *Adversus*, cum tamen non patiatur ratio naturalis, quod est malo culpæ in coactione commissæ, & quo culpabilis pœnam reportare deberet, ipse premium consequatur, ut ff. de neg. gest. l. sive hæredit. & ff. de interdict. & releg. l. relegat in fin.

Quid dicendum? Certe salva determinatione ecclesiæ, cui omnino me atque omnia prædicta, atque sequentia submitto, & cujuslibet melius sentientis dico, quod expedit ecclesiæ & Episc. Avinionienſi, ecclesiasticisque personis in regno Franciæ constitutis, aut beneficia vel bona in dicto regno habentibus, honorique & conscientiæ dicti Episcopi facere & concedere, sicut fecerunt, & concesserunt alii Episcopi Regni, & super concessione fienda petitum judicem deputare, per fundamentum, de quo supra: videlicet in his, quæ non sunt damnata per legem naturalem vel divinam, nec continent peccatum seu malum culpæ a lege naturali vel divina damnatum, necessitas magna & talis, quæ alias evitari non potest, & quæ legem non habens facit licitum quod secundum legem positiv. & canon. erat illicitum; & ideo quod nunc licet & expedit eligere quod alias censeretur malum, licet minus, pro evitando illud quod constat esse malum majus; ac in proposito ita est quoad omnia supradicta, prout dicta omnia supra circa duo prima principalia dubia fuerunt manifestissime declarata; & confirmatur, quia de tempore capitis *non minus* alleg. & ante prædictum cap. *Adversus*, licebat Episcopo cum clero suo propter necessitatem laicorum illud concedere; ergo fortius propter necessitatem propriam, videlicet ut evitetur majus malum. Et licet prædictum cap. *Adversus* addat Papam super hoc consulendum, tamen illud debet cessare in casu præsenti, pro eo quod Papa non potest hodie super hoc consuli; prout hæc omnia patent ex his quæ scripsi supra circa tertium dubium principale. Restat igitur solum ad inconvenientia respondere.

Ad primum igitur inconveniens, cum dicitur, quod propter hoc dabitur occasio patens continuandi in futurum; fateor, quod gentes Regiæ recipient libenter occasionem ex isto; sed hoc Episcopo qui non est in culpa imputari non debet; non enim est malum quidquid est occasio mali, dummodo dare occasionem non habeat illam intentionem, nec

alias

ANNO CHRISTI 1094.

alias sit in culpa, ut patet de pœnit. d. ult. cap. ult. v. *quid enim*, XXXIII. quæst. 5. de omittendis, & notat. per Guliel. & Laur. XII. quæst. v. *Certe* super gl. idest occasio quæ ibi scripsi in prima & secunda suppletionibus, de quo etiam notatur XXII. q. 6. in princ. Præterea dico, quod jure constituti propterea haberi non debebit, quia Rex hoc non possidet jure suo, & ita non potest præscribere, ut in l. *male agitur* C. de præscript. XL. vel XI. an. cum similibus.

Ad secund. inc. cum dicitur, quod per hoc libertas ecclesiastica confunditur, & per hoc clerici laicis parificantur, dico quod ista non sunt perpetua, sed ad tempus modicum, puta ad triennium solum duratura, & quod ista ad tempus potius expedit tolerare, quam sustinere quod laici auctoritate sua propria hoc faciant, prout de certo facient, si istud eisdem negaretur, & hoc amodo in præjudicium multo gravius ecclesiasticarum personarum facerent, & continuarent ad tempus, de quo eis videretur expedire. Et est bene verisimile, quod in perpetuum hoc trahere vellent, cum de eorum burtali commodo hic agatur, ad quod concupiscendum sua avaritia eos minis trahit. Et quia præteritorum experientia nos docuit, quod quidquid contra Ecclesiam semel usurpant, semper continuant; nam ratio præterita, scire futura facit. Neque esset quod ab eis in æternum hoc auferre posset, nam semper in casu novitatis super defensione possessionis Regiæ, ejus procuratorem audirent; & sic Episcopus in scillam incideret, cupiens vitare caribdin, nam per hoc magis confunderetur libertas ecclesiastica, multoque magis tunc parificarentur clerici laicis; nam per modum istum clerici nonnisi per judicem ecclesiasticum constringuntur; & per alium modum constringerentur per judicem sæcularem. Et cum subditur, quod per hoc daret patens occasio alia privilegia ecclesiis & clericis auferendi, eo modo respondet, sicut responsum fuit ad aliud inconveniens supra proximum, & etiam dicitur sicut supra per me dictum fuit, quod per alium modum daretur major occasio illud faciendi, quia per istum modum non aufertur privilegium ecclesiæ, sed solum auctoritas ecclesiæ differtur ad modicum tempus; sed per alium modum privilegium ecclesiæ simpliciter & in perpetuum auctoritate regia auferretur.

Ad tertium inc. cum dicitur, quod per hoc ecclesia ecclesiasticæque personæ & bona earum essent deterioris conditionis quam laici, respondetur, quod hoc non est verum, tum quia laici multa alia habent onera, præter ista, tum quia omnes ecclesiarum & beneficiorum redditus, ut puta decimæ, oblationes & census, ac cetera hujusmodi a laicis proveniunt, etiam per laicos exhibentur. Præterea etiam dicitur, quod adhuc onera majora haberent ecclesiæ ecclesiasticæque personæ per alium modum, quia gentes regiæ ad faciendum satisfieri firmariis mitterent ad personas ecclesiasticas & eorum ecclesias suos commissarios, stipendiatosque vastatores, qui sic alio nomine nuncupantur, quorum stipendia & vastationes de detrimento personis ecclesiasticis & ecclesiis multo plus auferrent, quam posset se extendere. Præterea non tantum est istud præjudicium ponderandum, eo quia non perpetuum, sed temporale existit arg. C. de precibus Impera. off. l. *quotiens*.

Ad quartum inc. in quo dicitur, quod Episcopus Avenionensis, qui pauca habet in regno, gentibus regiis minus videtur adstrictus minusque subjectus, cum ecclesia sua & major pars castrorum & redditurum suorum sit in imperio, quam alii Episcopi in regno totaliter constituti; dico primo, quod Episcopus Avenionensis majorem habet temporalitatem in regno, quam alii Episcopi Regni, qui nullam vel modicam habent temporalitatem, ut Episcopus Vaurensis, & sibi similes. Præterea dico, quod licet non habeat tantam temporalitatem in regno, sicut aliqui alii Episcopi Regni; tamen tantam habet, quod non expedit Ecclesiæ illam perdere; & præsertim, quia ex perditione illius nullum fructum consequerentur Ecclesiæ, quia per alium modum magis damnosum Ecclesiæ gentes regiæ ne dum eumdem, immo & majorem consequerentur effectum, quia per auctoritatem regiam facerent, quod modo petunt fieri per Ecclesiasticam potestatem.

Ad quintum inconveniens, in quo dicitur, quod Episcopus Avenionensis reputatur magnæ auctoritatis, & ideo factum ejus facilius ab aliis traheretur in executionem, dico, quod quanto majoris auctoritatis existit, tanto prudentius, & cautius Ecclesiæ suæ, & Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis sibi subjectis, & necessitatibus earumdem, ac sibi, & necessitatibus suis providere debet, & cavere ne de Ecclesiæ destructione, & dilapidatione notetur; quæ omnia sequerentur, si in sua duritia, & ostinatione maneret ad instar eorum, quæ propter duritiam hujusmodi contigerunt D. N. Papæ Benedicto. Et plus dico, quia si ea, quæ ipse facit in executionem traherentur, existentibus tamen eisdem, aut per omnia similibus terminis, executio non esset malum hujusmodi, nec damnatum, sed potius discretum, & cautum, ut patet ex dictis. Si vero executio sua ad alios terminos dissimiles traheretur, tunc hoc sibi imputari non deberet, sed potius fatuitati trahentis, ut patet ex iis quæ scripsi supra circa primum inconveniens.

Ad sextum inconveniens, in quo dicitur, quod Episcopus Avenionensis est prope Papam, & potest faciliter sicut alii saltem per personam intermediam super hoc Papam consulere; & ideo si non consuluerit, sibi imputari debet, ut cap. *adversus* allegatum; dico, quod non potest commode, nec expedit hoc fieri. Et primo, quod non possit hoc fieri saltem commode, patet ex hoc, quia si fieret, & sciretur per DD. de Francia statim dicerent Episcopum Avenionensem venisse contra subtractionem, & esset lunaticum; & finaliter in quantum esset in eis eum destruerent, quia fuit Ambassiator Papæ Parisiis bina vice, & ejus referendarius, sicut fecerunt D. Anicienſi Episcopo, qui etiam fuerat Papæ referendarius, quia contradixit in hac materia; sed est verum, quod multum patenter Papam substinebat. Et si dicatur, posset hoc fieri secrete, respondetur, quod nemo prudens debet se supponere tali periculo juxta illud vulgare Italis: vis ne sciatur; non facias. Præterea, quod non expediat, patet ex hoc, quia satis est verisimile attenta consuetudine, & modis Papæ, quod cito super hoc non responderet, & quod si super hoc responderet, ipse in despectu subtractorum, & Regis contradiceret. Et maxime quia habet de more semper dicere, quod in patria subtracta num-

ANNO CHRISTI 1403.

nunquam aliqua faceret; & maxime quia in pactis habitis cum Rege ita dicitur promisisse.

Ad VII. inconveniens, in quo dicitur quod Episcopus Avenionensis deberet super hoc collegium DD. Cardinalium consulere, cum sit prope, & Sedem Apostolicam subtractionis tempore repræsentare videatur; dico primo, quod non apparet mihi, quod quantum ad hoc Collegium Sedem Apostolicam repræsentare videatur, arg. ex. de elect. Rom. cap. *ne Romani* in 6. Præterea dico, quod DD. Cardinales in negotiorum etiam suorum propriorum expeditione consueverunt esse prolixi, ac etiam contrarii & divisi, & quod tempus, & locus non patiantur plenius deliberandi consilium, ut prædicta l. 1. ff. de ex.

Ad octavum inconveniens, cum dicitur hoc factum per Regem Ludovicum quanto ad provinciam trahi potest in extravag., dico primo, quod si hoc fiat, non fiet ex dependentia ipsius Episcopi, sed ex malitia illorum, qui hæc consulunt Regi, & idcirco Episcopo non deberet adscribi per ea, quæ circa primum inconveniens supra scripsi: dicoque etiam quod tunc posset secure haberi accessus ad proprium, pro eo quod in Provincia obeditur proprio. Tertio dico, quod cessat illud dubium, quia laici in provincia hoc non solvunt, nec ibi sustinerent hoc imponi.

Ad IX. inconveniens, cum dicitur quod Dominus B. per Regem ante subtractionem superhoc requisitus, de hoc per Confessorem suum Episcopum requisivit, qui sibi consilium negativum dedit, & ideo si Episcopus hoc fecerit, Papa restituta sibi obedientia hoc sibi improperabit, & adscribet ad culpam: dico quod si ita contingeret, Papa male faceret; quia casus non sunt similes; nam contradictio Papæ, quæ non poterat operari effectum, quia per totam Ecclesiam fuisset suæ contradictioni obeditum; nec erat tunc verisimile, quod Rex tunc vellet contra Papam & totam Ecclesiam tentare, nec fuisset ibi casus coloratus sicut hic. At in proposito totum contrarium est verisimile, et casus nimium coloratus, pro eo quia concessio cleri secundum intentionem Regis videtur omnes apprehendere et arctare in modum expedientem, tamquam facta per omnes vel majorem partem omnium in modum cujusdam universi; dicoque etiam, quod si Papa male contentetur de Episcopo, quia non concessit sibi ante subtractionem domum suam, in hoc male motus esset, quia certe mandato suo in hoc parere non potuit sine maximo, et evidentissimo periculo, nam tempore requisitionis Civitas jam erat commota; & pro parte Regis, & Collegio Cardinalium de subtrahendo requisita, et a parte Regni, et Imperii jam erat sibi guerra comminata, et ideo statim subtractioni consensit. Unde si Episcopus domum suam, quæ fortis est, tunc Papæ concessisset, fuisset ex hoc toti Civitati exosus, et præterea de Civitate, et finaliter de Episcopatu expulsus; unde ab obedientia mandati ipsum necessitas alias inevitabilis excusavit, ut colligitur per Innocentium in cap. *Inquisitioni* de sen. excom. in Gloss. ult. Tacita enim conditio intelligebatur in mandato, videlicet si fieri posset commode, & sine detrimento Ecclesiæ et personæ; ut patet in his, quæ leguntur, et notantur in cap. *si quando* de rescriptis.

Præterea si indignetur Papa, quod Episcopus non servavit interdictum etc. certe sine causa et injuste indignabitur, quia si Cardinales qui habebant saltem de facto regimen Civitatis hujusmodi non reputabant Civitatem istam interdictam, nec ipsi nec alii tale interdictum servabant; & ideo sine magno scandalo non poterat Episcopus illud servare; & ideo debebat ab hoc abstinere; de *præsumpt.* nihil. Et præsertim, quia tot, & tantorum Cardinalium, Prælatorum, & Doctorum habebant, & habent opinionem Civitatem hujusmodi non esse interdictam, quod necessario talis opinio dubiam rem reddebat juxta illorum sententiam qui habent, quod opinio DD. reddit dubiam quæstionem in tantum quod excusat a condemnatione expensarum, ut notat Joannes Andr. post Petr. de Sax. in cap. *ut debitus* de appellat. Talis autem dubietas requirit degradationem antequam ad executionem denunciationis procedatur, ar. de Hæretic. cap. *cum secundum* in 6. & de præbend. cap. *licet Episcopus* in 6. Et præsertim quia DD. Cardinales & Clerus, & Populus Civitatis Avenionensis hic tanguntur; & ideo antequam procedatur ad executionem publicationis, seu denunciationis, aut publicæ observationis hujus interdicti illi vocari, & audiri debent ff. de re jud. l. *De unoquoque*, & C. si per vim vel alio modo leg. ult. quæst. 1. nos in quemque de causa posses. & perpetua cap. 1. de præbend. *licet Episcopus*, & maxime, quia Episcopus de cujus facto nunc est in opinionem quam habet civitatem non esse interdictam, & ideo ante declarationem de sequendo conscientiam propriam in tali dubio a publicatione & observatione hujusmodi abstinere, de sym. *per* tuas de sent. excom. *inquisitioni*. Si autem Papa vellet indignari injuste, quod non creditur, tunc Episcopus portaret jugum ipsius quamquam grave, quantum posset, XIX. dist. *in memoriam*.

Item, si Papa turbatur, quia Episcopus contulit beneficia civitatis Avenionensis ad collationem suam spectantia per eum per prius reservata, dicet Episcopus, quod indignari non debet, quia non erat alius qui conferret, & quia non credebat Episcopus, quod hoc casu Papa vellet sibi suas collationes auferre; & erat Episcopus hujus intentionis, quod si non valerent ut collationes, valerent saltem ut commissiones, vel alias de hoc finaliter fieret, prout Papæ placeret, de quo Episcopus ad gratiam & misericordiam ejus se remittit.

Ad X. inconveniens, in quo dicitur, quod non quælibet necessitas sufficiat, nec hic apparet aliqua necessitas coactiva, fateor, quod non quælibet necessitas sufficit, sed requiritur magna necessitas majoris mali illativa, & quæ alias evitari non possit, ut dixi supra. Ego autem ad propositum dico, quod hic fuit talis necessitas, nam gentes regiæ duo principaliter comminatæ fuerunt; primum est, quod ponerent totam temporalitatem quam habet Episcopus in regno Franciæ ad manum Regis & Domini Ducis Bituricensis, quam appositionem ipsi extendunt in duobus; primo enim decimas appellationis temporalitatis de facto hodie comprehendunt, licet male. Secundo sub specie appellationis, seu ejus occasione ad custodias locorum & levationes redditiuum commissarios stipendiarios deputant, qui appellantur & revera sunt vastatores qui consumerent, & pro stipendiis haberent in XV. dies omnes fructus anni, & in anno plusquam valeret proprietas, & ultra pejus facerent, quia per viam

ANNO CHRISTI 1403.

viam indirectam ad castra & temporalitates, quas habet ecclesia in imperio citra & ultra, duramia per viam indirectam, videlicet per requisitionem illorum ad quos pertinet, etiam manus apponerent, & apud Regem & Ducem Bituricensem Episcopum diffamarent tamquam proditorem & rebellem. Secundum principale commionatum est, quod si neget Episcopus clericos suos, sua ecclesiastica auctoritate ad hoc compellere, ipsi auctoritate regia facient compulsionem supradictam, usurpando jurisdictionem in Clericos, & novam Regi possessionem acquirendo, & multiplicando gravamina Clericorum, & fuit certitudinaliter certificatus Episcopus de præmissis per relationem personarum nobilium, quibus credi debet; & pro magna parte per protestationes per commissarium Regium coram Notario, & testibus sibi factas; nec non & per facta similia commissa per illos in casibus similibus contra illos, qui eis in hoc contradicere præsumpserunt. Immo certe in hoc casu manus consueverunt apponere ad personas Ecclesiasticas etiam religiosas, & in Sacerdotio constitutas, eis contradicentes quantum ad hæc. Inter quas tenent unum licentiatum in Decretis Canonicum Regularem in Sacerdotium constitutum, quem propter hoc ceperunt in monte Pessulano, & ligatum miserunt ad castrum rupis Maurænæ, & illum ibi in carcere tenent.

Ad XI. inconveniens, cum dicitur, quod Episcopus debuisset aliam diligentiam fecisse, appellando scilicet ad Regem, & Ducem Bituricensem, & ad Generales mittendo, & quod forsan hoc ejus avaritiæ, & tenacitati imputari debebit; dico, quod isto Episcopo imputari non debent, quia certificatus est Episcopus, quod prædicti nullum in contrarium volunt; & quod appellantes, & contradicentes, aut etiam in contrarium supplicantes male tractant, nec aliquas appellationes admittunt; nec reperietur aliquis homo nobilis, qui talem ambassiatam vellet recipere. Nec certe Episcopus solet esse tenax, nec propter defectum expensæ emitteret, si crederet posse proficere; sed certe hoc sibi non proficeret, sed noceret.

Ad XII. inconveniens, cum dicitur, quod Episcopus debuit sequi consilium D. Card. S. Angeli postquam illud requisivit; dico, quod quia consilium D. prædicti salva ejus reverentia non videbatur Episcopo prima facie multum conveniens, ipse consuluit super hoc aliquos alios DD. Card. & Prælatos, & Doctores, Capitulumque suum, & etiam totum clerum suum, quos omnes reperit in opinione contraria, præter solum Decanum S. Petri; & ideo secutus fuit non singularem, nec capitosam, sed communem opinionem, quia in dubio majori parti stari debet ff. de municipiis l. *quod major*, & ff. de reg. Jur. l. *aliud* §. *refertur*, & sperat Episcopus de probitate prædicti Domini, videlicet quod non dicet nec faciet nisi quod debebit.

Ad XIII. in quo dicitur, quod Episcopus debuit expectare quod minæ sibi illatæ executioni mandarentur; hoc est, quod ad castra, & ad temporalitatem suam manus apponerentur; dico, quod immo multum caute fecit, quod illum non expectavit; quia non debet expectari eventus cujus nullus verisimiliter sequeretur effectus ff. ad vellej. l. *aliquando*. Et hoc verum, quando eventus est malus, damnosus, & periculosus, quia nullus prudens homo debet se supponere damno, & periculo sine causa ff. de probat. l. *cum de indebito* de renunt. super hoc dist. suis nos, & cap. p. At in proposito de tali eventu nullus expectaretur bonus fructus, & esset eventus malus, periculosus, & damnosus, quia adeo firmata est ista conclusio in mentibus DD. temporalium qui tanguntur, quod pro nulla re ab illa evelli possunt. Et præsertim, quia ipsi tenent, quod Episcopus Avenionensis eis maximam afferet injuriam, si solus contra eos in hac materia rebellaret. Et ideo numquam manum appositam tunc tollerent, donec Episcopus acquiesceret realiter, & cum effectu petitioni eorum, & satisfaceret cum effectu de stipendiis commissariorum a damnis, & interesse ad eorum arbitrium æstimandis; & forsan generales pro manus levatione Episcopum ad regem, & ducem Bituricensem remitterent ita, quod Rex non sine magno damno, & periculo expediri posset.

Ad XIV. inconveniens, in quo dicitur, quod hic non apparet, quod laicorum non suppetant facultates, & quod illi non cum humilitate, sed coactione oppetunt; dico, quod ad hoc respondet necessitas, de qua supra; & quod cessante necessitate oppositio ista procederet; sed dico quod hoc quod non erat licitum propter causas prædictas, licitum facit dicta necessitas, uti patet ex præcedentibus. Et cum subditur, quod prædicti malum culpæ compulsionis hujusmodi committentes, ex quo deberent pœnam consequi, non deberent præmium reportare; fateor directe, & ex proposito, ut in contrariis; sed dico, quod indirecte, & ex consequenti reportabunt lucrum in bursa, sed damnum in conscientia secundum Greg. in Homil. & ultra, nisi cum restitutione dignos egerint pœnitentiæ fructus, pœnam damnationis æternæ, quod Deus avertat; quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum 14. quæst. p. cap. 1. de reg. Jur. peccatum in 6. nec datur petenti veniam nisi correpto, cap. *Petenti veniam* eo tit. Nec obstat quod de voluntate Episcopi, & Ecclesiæ hoc recipiunt, cui scienti & consentienti non videtur fieri injuria, neque dolus, regul. *scienti* de reg. Jur. in 6. quia licet voluntas spontanea repetitionem impediat illam, tamen non impedit voluntas cocta, ut extr. de renunciat. *super hoc* & de restit. *spol. accepta*, & cap. *solita*, quia quod metus causa gestum est, ratum non habebo ff. *quod metus causa* l. p. & per totum. Si dicat, quod secundum hoc ad hujus mali executionem judex dari non debet, respondetur, quod licet coactio primaria, & obligationis exactio fuerit injusta; justa tamen esset solutio ex parte solventis, & compulsio ad solvendum ex parte compellentis, & nihilominus justa datur repetitio ex post facto, ut patet ex cap. p. & cap. *debitores* de jurejur. simul conjunctis.

Ad XV. & ultimum inconveniens, in quo quæritur, utrum si hoc fecerit Episcopus incurrat excommunicationem latam ab Urbano V., & dico breviter, quod non, & hoc principaliter propter duo. Primum est, quod illa extravagans Urbani V. Archiepiscopis Tolosano, Auxitano, & Narbonensi, & Clero eorum solum dirigitur, & de illis dumtaxat loquitur, & sic localis est. Modo ita est, quia constitutio pœnalis relata ad certas personas, vel ad certa loca, vel ad certos casus, ad

alia

ANNO CHRISTI 1403.

alia extendi non debet, quia nec Princeps hoc vult, inst. de jure nat. gentium & civili §. *sed quod Principi*, & in regula odia. de reg. juris in 6. & in cap. *Statutum* de elect. nam in talibus odiosis non expressa habentur pro omissis, & juris communis dispositione relinquuntur, ff. de verbo ob l. *quoque*, & de liberis & post. l. *commodissime*, & de rescriptis *susceptum* lib. VI. *sed numquid*. Excommunicatio lata in cap. *non minus*, & in cap. *adversus* Prælatos, & ad alios præstantes subsidia laicis, contra prohibitionem illorum jurium respiciat, & ad illos se extendat. Ceterum dico, quod non ut patet ex textu, si bene inspiciatur; sed & supposito quod illos respiceret, quod non credo, tamen necessitas tollens principale, tolleret etiam accessionem & firmationem hujus principalis, ut in . . . . . de concess. & præben. & in cap. *Si super gratia*, de Rescriptis in VI.

ANNO CHRISTI 1405.

ADMONITIO JO. DOM. MANSI.

De synodis Gallicanis & Anglicanis hujus, & sequentium sæculorum.

HOc & sequentibus sæculis Cleri frequentes contiones in Gallia & in Britannicis insulis factæ sunt; quæ cum ex episcopis regni constiterint, reipsa concilia erant provincialia, idque interdum nominis non semel obtinuerunt. Cum tamen earum sæpe causa fuerit largitio pecuniarum a clero decreta, ut egenti regis erario subveniretur, nec frequenter aliud maximi momenti ad fidem moresque pertinens in illis discuteretur; non iniquo animo laturos lectores meos spero, si illis omissis, omnem operam collocem in digerendis afferendisque conciliis, quas instituto meo aptiora, eorumque studiis conducibiliora judicavero. Si qui fuerint, qui id paxiter eruditionis genus negligendum sibi nequaquam duxerint, adeant pro Anglicanis Wilkins; pro Gallicis collectionem actorum & documentorum ad res Cleri Gallicani spectantium voll. 12. in fol.

ANNO CHRISTI 1404.

CONCILIUM PARISIENSE

ANNO CHRISTI 1404.

Ex Coffartii Append. Tom. XI.

De privilegiis exceptorum tempore schismatis XXI. Octobr. ann. Dom. M. CCCC. IV. celebratum

Ex Tomo VI. Specilegii Dacherianus.

Isti articuli sequentes pro exemptis fuerunt conclusi, & deliberati per concilium ecclesiæ Gallicanæ, XXI. mensis Octobris, anno M. CCCC. IV.

I. Istercienses, Cluniacenses, & alii exempti omnes, tam regulares, quam sæculares, cujuscumque status & religionis existant, in suis absolutionibus, dispensationibus, visitationibus, correctionibus, electionibus, confirmationibus, causarum processibus & terminationibus, conservatoriis privilegiorum suorum, & aliis quibuscumque, ordines & regimina singulorum concernentibus, procedant secundum privilegiorum, statutorum, & exemptionum tenorem, & laudabiliter hactenus observatam consuetudinem, & alias prout ante modernam neutralitatem in suis regiminibus processerunt. Illi vero exemti, qui citra papam, superiorem non habent, nec privilegium super confirmatione recipienda, per diœcesanos suos confirmabuntur, cum protestationibus, prout in alio quodam articulo supra continetur. Transivit in forma.

II. Item, eliguntur ex nunc quatuor judices Parisiis residentes, cum potestate delegandi & committendi, videlicet domini, sancti Germani de Pratis, & sanctæ Genovefæ, abbates; & domini ecclesiæ Parisiensis, & sancti Germani Antisiodorensis decani: per quos eorum tres, vel duos ad minus, quorum alter sit ipse S. Germani decanus, exemptorum omnes causæ, tam agendo quam defendendo, etiamsi prius pendebant in Romana curia, quæ per judices eorum citra sedem apostolicam terminari non solent, appellationes etiam a conservatoribus privilegiorum eorumdem interpositæ vel interponendæ, pro totius litigii consummatione, auctoritate hujus concilii terminabuntur. Proviso quod in eisdem causis usque ad tres instantias, prout de jure fiunt, procedi valeat. Illi tamen exempti, qui conservatorias perpetuas non habent, in agendo procedant secundum jus commune. Transivit in forma.

III. Item dicti judices teneantur causas dictorum exemptorum, ad petitionem utriusque partis, vel alterius earum, in provincia unde causa ortum habuerit, committere juxta formam capituli, ut litigantes nec compellant partes invitas Parisiis litigare. Transivit in forma.

IV. Item Mendicantes gradatim, ut cæteri religiosi, per judices suos procedant, derelictis vehementer suspectis de fautoria schismatis, & de capitulo eorum provinciali, ad judices superius nominatos recurratur. Transivit in forma.

VI. Item in casibus reservatis absolventur & dispensabuntur exempti a pœnitentiario majori, si possit ad eum recursus haberi: sin autem, a suis superioribus absolventur & dispensabuntur auctoritate hujus concilii, in casibus, ac modo, & forma, quibus episcopi circa suos subditos eadem auctoritate hoc possent adimplere. Qui vero superiorem citra papam non ha-

ANNO CHRISTI 1404.

habent, ab eisdem judicibus, etiam in foro conscientiæ, poterunt modo & forma prædictis absolvi & dispensari. Transivit in forma.

VII. Item exemti habentes jurisdictionem ecclesiasticam, episcopalem, vel quasi, poterunt auctoritate hujus concilii, suos subditos a sententiis juris & hominis, & peccatis, in foro pœnitentiali & contentioso absolvere, & cum ipsis dispensare in omnibus casibus, & sub eisdem modo & forma, quibus episcopi circa suos subditos hoc possunt auctoritate prædicta adimplere, ac prout in capitulis super hoc conscriptis plenius continetur. Transivit in forma.

VIII. Item quod in monasteriis, seu abbatiis exemptis, pendente neutralitate electi, possint & teneantur confirmationes & benedictiones suas recipere a diœcesanis episcopis, sine præjudicio exemptionum suarum pro futuro tempore: & quod hoc expresse ponatur in litteris super hoc conficiendis ante confirmationem & benedictionem, * ex privilegio eis concesso ab aliis recipere possint. Transivit in forma.

* Hic aliquid deest.

AD CONCILIUM PARISIENSE

Anno 1404. habitum

In causa schismatis pontificii

ADDITIO.

PRÆMONITIO.

An. 1404. Apud Mart. Anecd. t. II. pag. 1398. Mansi Sup. to. III. p. 761.

„ Sanctiones quasdam Parisiensis Concilii pro optimo ecclesiæ regimine constitutas quandiu „ in tanta pontificum Romanorum ambiguitate utrique æmulo obsequium denegaretur in „ Galliis, Cossartius ex Dacherii Spicilegio descripsit. Harum persimiles e MS. Cod. Gem„ meticensi vulgavit Martene to. II. pag. 1398. quas licet in concilio anno 1404. lectas ferat „ titulus illis adscriptus; ad concilium tamen anni 1408. spectare constat, tum ex anno eo„ dem in una quadam ex illis sanctionibus signato; cum etiam quod earum nonnullæ inter „ probationes ecclesiæ Gallicanæ jam vulgatæ annum 1408. exhibent. Porro omnia ea capita „ legum ferendarum patribus pro concilio proposita sunt; sed non omnia æque admissa; nam „ alia probarunt omnino; alia cum præscripta limitatione; idque adjecta singulis brevi nota „ indicarunt.

QUÆDAM DELIBERAMENTA PER CONCILIUM ECCLESIÆ GALLICANÆ PARISIIS

Durante subtractione servanda circa quatuor. Primo circa absolutionem peccatorum reservatorum. Secundo circa dispensationes fiendas. Tertio circa ministrationem justitiæ in appellationibus & aliis. Quarto circa distributionem beneficiorum ecclesiasticorum.

Avvisamenta super modo regiminis ecclesiæ Gallicanæ durante neutralitate, deliberata & conclusa per concilium dictæ ecclesiæ XXII. Octobris anno MCCCC. quarto.

ET primo quantum ad peccata & sententias a jure latas, quorum aut quarum absolutio est sedi apostolicæ reservata, absolvere potest pœnitentiarius sedis apostolicæ in foro conscientiæ tam exemtos quam non exemtos.

Item, si absolvendus in casibus supradictis nunc vel in posterum habeat impedimentum perpetuum aut temporale, vel forte superveniret causa propter quam non deberet ad dictum pœnitentiarum haberi recursus, talis si fuerit non exemptus, per proprium episcopum poterit absolvi, cum injunctione quod, quam cito commode poterit, conspectui illius ad quem est absolutio reservata repræsentet, &c. Si autem fuerit exemtus qui ex privilegio vel alias habeat superiorem in eum potestatem episcopalem exercentem, per illum: si autem non habuerit, per episcopum ordinarium absolvi poterit in forma supradicta. *Transivit per concilium in forma.*

Item, si fuerit sententia excommunicationis a papa lata, auditore, vel delegato, aut subdelegato sedis apostolicæ, propter cujus ablutionem esset ad excommunicatorem habendus recursus: sive exemtus, sive non exemtus, hoc tempore durante, per loci ordinarium potestatem episcopalem habentem absolvi poterit in foro conscientiæ, ut in articulo præcedenti, cum sit impedimentum quominus ab excommunicatore absolvi valeat juxta caput. *Eos qui.* de sent. excommunicationis lib. VI. ibi *sive hominis*. In foro vero contentioso fiet absolutio per ordinarium quoad non exemtos, per judices de quibus infra dicetur, vocata parte, ubi de jure fieri debet. *Transivit in forma.*

De dispensationibus fiendis.

Item, si super defectu ætatis quoad ordines sacros citra episcopatum, & quoad dignitates & beneficia curata, citra tamen majores dignitates post episcopalem in cathedralibus, aut principaliores in ecclesiis collegiatis, in quo etiam tenent aliqui doctores, quod episcopi pro necessitate valeant dispensare, dispensent episcopi cum graduatis & nobilibus de duobus annis tantummodo, ubi secundum Deum & justitiam, causæ cognitione præmissa viderint expedire. *Concilium remittit ad jus commune.*

Item, super defectu natalium quoad ordines sacros, dignitates, & beneficia curata, dis-

ANNO CHRISTI 1404.

dispenset pœnitentiarius in casibus, in quibus dispensare consuevit. Alias si non posset, satis tolerandum videtur, quod episcopus pro utilitate ecclesiæ cum nobilibus & graduatis dispensare valeat, causæ cognitione præmissa, & capituli sui vel majoris partis adhibito consensu, majoribus tamen dignitatibus post episcopalem in cathedralibus & collegiatis ecclesiis exclusis. *Ad jus commune remittit.*

Item, super irregularitate propter violationem censuræ ecclesiasticæ, dum tamen non fuerit ex contemtu, si sit casus super quo pœnitentiarius sedis apostolicæ consueverit jure suo dispensare, ad eum habeatur recursus. Si vero non possit haberi, vel si causa superveniret propter quam non esset dictus pœnitentiarius adeundus, dispensent episcopi, & cum episcopis & etiam cum exemtis dispensent superiores potestatem episcopalem habentes in absolvendo, nisi fuerit scienter facta violatio censuræ interdicti generalis, quo casu dispensandus adhuc poterit expectare. *Transivit in forma.*

Item, super irregularitate quæ propter crimen, quod etiam post pœnitentiam impedit executionem officii, ut in homicida, simoniaco in ordine, & similibus, vel propter mutilationem membri, vel judicium sanguinis incurretur. Si sit casus in quo pœnitentiarius prædictus posset jure suo dispensare, ad eum super hoc recurratur, alias expectet dispensandus. *Transivit in forma.*

Item, quoad impedimenta matrimonii usque ad quartum gradum consanguinitatis vel affinitatis: si pœnitentiarius sedis apostolicæ in hoc consueverit & valeat jure suo dispensare; ad eum recurratur. Si autem magna reipublicæ utilitas exegerit forte cum aliquo rege vel principe dispensandum super hoc; tum causæ cognitione præmissa, concilium provinciale, citra tamen casus lege divina prohibitos, valeat dispensare, & etiam de quarto gradu cum illis quibus viderit dispensandum. *Transivit in forma.*

Item, circa impedimenta matrimonii proveniente propter cognationem spiritualem, videtur satis tolerabile, hoc tempore durante, quod concilium provinciale cum magnis nobilibus inter susceptum & filium susciptentis valeat dispensare. *Transivit in forma.*

Item, de impedimento proveniente propter publicæ honestatis justitiam, satis tolerandum videtur, quod concilium provinciale valeat dispensare in tertio & quarto gradu. *Transivit in forma.*

Item, quoad illa quæ concernunt episcopos & majores, sicut electiones episcoporum per suos archiepiscopos, vel sedem Metropolitanam possunt de jure confirmari: sic electiones archiepiscoporum per suum primatem, si habeant, alias si non habeant, aut dubitetur qui sit ille, per suffraganeos provinciæ congregatos poterunt confirmari, & etiam approbari, juris solemnitate servata: ad quos etiam dicti archiepiscopi consecratio indubitanter noscitur pertinere: sed pallii receptionem expectabit sic promotus, nisi sit aliquis a quo possit recipere pallium. *Transivit in forma.*

Item, quoad defectus qui concernunt personas episcoporum vel promovendorum ad dignitates episcopales vel majores, si assumendus ad episcopatum aut archiepiscopatum patiatur in ordine defectum, attento quod infra breve suppleri valeat hujusmodi defectus, & quod aliqui doctores tenuerunt etiam per alium quam per Papam posse super hoc dispensari, satis tolerandum videtur, quod hoc tempore durante per superiorem immediatum valeat super hoc dispensari. *Ad jus commune remittit concilium.*

Item, si promovendus ad episcopatum aut archiepiscopatum patiatur in ætate defectum, cum tali nullatenus dispensetur, nisi forte sit talis persona quæ sit in sacris, & in ætate sacerdotali constituta, & regem in secundo aut tertio grado consanguinitatis attingat: quo casu poterit cum tali per concilium ecclesiæ Gallicanæ, aut per provinciale concilium loci pro ecclesiæ utilitate & causæ cognitione præmissa, dispensari. *Concilium remittit ad jus commune.*

Item, si aliquæ dispensationes super pluralitate beneficiorum, defectu natalium, vel ætatis, vel super impedimento matrimonii contrahendi, aut alias per Petrum de Luna ante tempus publicationis neutralitatis reperiuntur cum aliquibus esse factæ, etiamsi tunc vel modo nondum suum sint sortitæ effectum, auctoritate hujus concilii ratæ maneant, & per ordinarios locorum vel executores datos ad dictas dispensationes exequendas valeant secundum suum tenorem auctoritate hujus concilii executioni debitæ demandari, dum tamen non sint personæ, quæ de fautoria schismatis competantur esse culpabiles. *Transivit per concilium in forma.*

Item, die XXV. Octobris dicti anni CCCCVIII. dictum concilium voluit & ordinavit, quod quæcumque dispensationes super quibuscumque materiis vel aliis concessæ per dictum Petrum de Luna, ante tamen datam illarum nefandarum litterarum, dum tamen per ipsas subtractioni alias factæ aut conditionibus positis in restitutione vel neutralitate præsentialiter currenti præjudicium non afferant, valeant & teneant, & ipsis uti & gaudere possint dispensati, auctoritate tamen hujus concilii & non alias, etiamsi super hoc litteræ non fuerint confectæ, dum tamen valeant probari per testes aut alia legitima documenta. *Transivit*

De ministratione justitiæ.

Primo, archiepiscopi teneantur quolibet anno certo tempore advisando per se, vel si fuerint legitime impediti, per alium celebrare concilium provinciale in tali loco suæ provinciæ: quo reperiri valeat sufficiens copia peritorum, in quo etiam ipsi & suffraganei ac eorum quilibet, cessante legitimo impedimento, in suis propriis personis teneantur interesse, & perstare, ac negotiis expediendis efficaciter intendere. Et similiter si qui sint, qui ad hoc consueverint vocari & debent de consuetudine, vel alias eisdem conciliis interesse. *Transivit.*

Item, si propter legitimum impedimentum de quo se excusare tenebuntur, non possent in sua propria persona eisdem conciliis interesse, eo casu idoneos & litteratos viros cum potestate sufficienti ad eadem concilia pro se suis propriis expensis mittere teneantur, qui ea possint & valeant facere & expedire, quæ ipsi

ipsi facere possent & deberent, si præsentialiter interessent. *Transivit in forma.*

ANNO CHRISTI 1409.

Item, si domini archiepiscopi vel episcopi hoc non adimpleverint, puniantur pœna juris. *Transivit in forma.*

Item, si aliquis archiepiscopus renuerit vel distulerit concilium provinciale convocare, episcopus inter suffraganeos decanus, vel habens aliam præeminentiam inter eos, præsens in provincia, vel si in provincia non sit talis aut dubitetur quis sit ille, antiquior creatione possit & teneatur concilium convocare, & in eo præsidere sub pœna juris. *Transivit in forma.*

Item, in isto præsenti concilio ecclesiæ Gallicanæ ordinabitur de tempore & loco pro primo provinciali concilio celebrando in quaLibet provincia, & in dicto primo concilio provinciali ordinabitur de sequenti, & sic deinceps. *Remittitur pro anno præsenti propter concilium generale.*

Item, quodlibet concilium provinciale durabit per mensem ad minus: ante cujus lapsum non poterunt concilium celebrantes sine magna & urgente causa recedere, nisi prius negotia ibi tractandæ fuerint expedita. *Transivit in forma.*

Item, quia in dicto provinciali concilio comparentes, etiamsi fuerint numero minores illorum, qui debent concilium celebrare: nihilominus dictum concilium celebrare & statuere statuenda in eo possint & valeant, aliorum absentia non obstante. *Transivit in forma.*

Item, quod in dictis conciliis provincialibus fient debitæ correctiones & reformationes &c. quæ juris sunt; & si quis conqueratur de archiepiscopo ibidem, de hoc statim sine alia citatione auctoritate hujus concilii cognoscatur, & judicetur, prout majori parti fiendum videbitur. Si vero contra episcopum agatur, terminabitur, concilium provinciale quasi loco papæ poterit diffinire. *Remitti ad jus commune.*

Item, de cætero celebrentur capitula generalia monachorum Ordinis S. Benedicti & canonicorum regularium, secundum juris formam & statuta concilii generalis, & sanctorum patrum, ad quod per suos ordinarios viriliter adstringantur tam exemti quam non exemti, prout in jure noscitur esse cautum. *Transivit in forma.*

Item, in præsenti concilio ex nunc deputentur præsidentes pro singulis provinciis, qui prima concilia seu capitula generalia monachorum nigrorum, & canonicorum regularium valeant convocare, & eis præsidere, & cætera peragere ad hæc necessaria ac etiam opportuna. *Transivit in forma.*

Item, quia difficile est aliquibus propter temporis malitiam, viarum discrimina & locorum distantiam, limitationem provinciarum secundum ordinationem bonæ memoriæ domini papæ Benedicti XII. qui communiter duas provincias, ut Rotomagensem & Turonensem in unum conjunxit, de præsenti observare, dispensetur & permittatur, quod quælibet provincia vulgari opinione, & reputatione, sic reputata, si velit, hoc tempore durante per se hujusmodi capitula, ac secundum formam juris valeat celebrare. *Transivit in forma.*

Item, fiant appellationes per media & gradatim coram ordinariis, prout infra declaratur, nisi sit consuetudo in contrarium, aliter factæ non valeant, utpote de archidiacono ad

A episcopum, de episcopo ad archiepiscopum, de archiepiscopo ad primatem, si quem habeat, etiam ad seipsum ut primatem, si archiepiscopus fuerit & primas; & de archiepiscopo primatem non habente, vel ubi est dubium an habeat primatem, vel qui sit ille, ad concilium provinciale, & a primate ut primate ad concilium provinciale suæ provinciæ, & si causa exordium haberet coram archiepiscopo superiorem non habente, vel propter appellationem primo loco ad eum interpositam, procederetur in causa coram eo. Et si forte ab eo ad concilium provinciale contingeret appellari, cum eo casu possit iterum appellari, concilium dabit commissarium vel

B commissarios ad cognoscendum & diffiniendum de causa, a quorum commissariorum sententia si fuerit appellandum, ad concilium item poterit appellari. Quod rursum, ubi opus erit, poterit dare commissarium aut commissarios pro finali terminatione negotii, vel per se terminare, & sententiam executionis facere demandari; dum tamen fuerint tres sententiæ conformes, & duæ appellationes, vel altera sententiarum in rem transiverit judicatam. *Transivit in forma.*

Item, si contigerit appellari a judice superiorem non habente, vel de quo sit dubium an habeat, si per judicem a quo appellans fuerat excommunicatus, propter periculum ani-

C marum, quod immineret expectando concilium provinciale, decanus episcoporum, vel antiquior, creatione præsens in provincia, poterit talem excommunicatum absolvere ad cautelam, in forma juris parte vocata. *Transivit in forma.*

Item, si a vices gerente alicujus conservatoris habentis conservatoriam perpetuam auctoritate apostolica dati fuerit appellandum, ad dictum conservatorem poterit appellari, qui etiam, si placet, causam appellationis alicui committere poterit, a quo etiam, si sit opus, poterit ad dictum conservatorem iterum appellari, & iterum per eum alteri committi: & si conservator per se cognoscat de causa,

D & ab eo fuerit appellandum ad concilium provinciale loci, loco sedis apostolicæ, poterit appellari: quod concilium etiam dare poterit commissarios, & procedere sic & taliter, quod habeantur tres sententiæ conformes, & duæ appellationes, prout in superioribus fuit dictum. *Transivit de conservatoriis perpetuis concessis ante datam nefandarum litterarum.*

Item, in conciliis provincialibus, quando ibi fuerit procedendum, procedatur, quantum commode fieri poterit, summarie & de plano. *Transivit in forma.*

Item, si causa inchoata in uno concilio provinciali non possit ibidem totaliter expediri, dabuntur a præsidente cum deliberatione

E majoris partis commissarius vel commissarii, qui cognoscent & procedent in causa juris ordine servato, & secundum formam juris vel alias a concilio præfigendam. *Transivit in forma.*

Item, commissarius vel commissarii cum eos vel eum contigerit propter cautam sibi commissam extra domicilium proficisci, habebunt a partibus expensas arbitrio concilii provincialis moderandas: & si non proficiscantur, ad instar emolumenti sigilli ordinarii, sint sui sigilli emolumento contenti. *Transivit prout de jure.*

Item,

ANNO CHRISTI 1404.

Item, appellatione interpósita ad concilium provinciale, tenebitur appellans citationem impetrare, & facere exequi infra duos menses a tempore appellationis interjectæ numerandos, alias pro deserta habeatur. Sic tamen, quod appellatus a die concessionis apostoli habeat unum mensem ad comparendum in provinciali concilio, quam citationem impetrabit a decano episcoporum, seu habente præeminentiam inter eos; vel si non sit talis in provincia, vel dubitetur qui sit ille, ab antiquiore creatione ut supra, vel committendo seu committendis, qui ad hoc in primo provinciali concilio poterunt deputari. *Transvoit in forma.*

Item, quod appellationi ad sedem apostolicam interjectæ non deferatur: & talis appellatio auctoritate hujus concilii ecclesiæ Gallicanæ, hoc tempore durante, declaretur esse nulla. *Transvoit in forma.*

Item, quod omnia & singula supradicta & sequentia auctoritate hujus concilii ordinentur & statuantur, & perpetuam obtineant roboris firmitatem. *Transvoit in forma.*

Item, sic provideatur & fiat, quod ad forum sæculare de prædictis nullo modo causæ cognitio transmittatur, sed potius executio, cum brachium sæculare fuerit invocandum. *Transvoit in forma.*

Item, de litigiis in curia Romana coram auditoribus vel aliis, aut in partibus coram executoribus vel judicibus delegatis pendentibus indecisis, si altera partium hoc requirat, coram judice ordinario procedatur in eo statu, in quo lis pendebat, nisi fuerit ab eo appellatum: quo casu ad proximum superiorem recurratur. Et si fuerit appellandum ad proximum superiorem appelletur, sicut supra dictum est in articulis loquentibus de appellationibus. *Transvoit in forma.*

Item, si aliqua partium non habeat jura seu munimenta sua, & velit a notariis seu aliis quibuscumque ea detinentibus recuperare, detinentes per judicem causæ ea tradere compellantur, & in subsidium invocabitur brachium sæculare. Si vero munimenta necessaria diligenter super hoc adhibita, de quo legitime constet, haberi non possint, a processu coram judice supersedeatur, donec potuerint haberi. *Transvoit in forma.*

Item, quia forsan multæ sententiæ definitivæ & interlocutoriæ fuerunt latæ in curia Romana, antequam neutralitas in dicta curia esset nota; quod hujusmodi sententiæ, quarum processus erant inchoati ante datam nefandarum illarum litterarum latæ, etiam infra mensem a die publicationis neutralitatis computandum, auctoritate hujus concilii, & non alias valeant, per ordinarios aut alias executionis demandentur, dum tamen subtractioni alias factæ, & conditionibus appositis in restitutione, ac neutralitati præsenti nullatenus præjudicetur. *Transvoit in forma.*

Item, quod monasterii seu abbates exempti, pendente neutralitate, electi, possint & teneantur confirmationes & benedictiones suas recipere a diœcesanis episcopis, sine præjudicio exemptionum suarum pro futuro tempore, & quod hoc expresse ponatur in litteris super hoc conficiendis, nisi confirmationem & benedictionem ex privilegio eis concesso ab aliis recipere possint. *Transvoit in forma.*

Item, postea fuit deliberatum, quod in causis procedatur secundum dispositionem juris communis, non secundum regulas cancellariæ, nisi sint conformes juri communi. *Transvoit in forma.*

Isti articuli sequentes pro exemptis fuerunt conclusi &c. ut in Spicilegii to. 6. pag. 166.

Circa modum in providendis beneficiis & circa distributionem eorumdem.

Primo circa electiones, postulationes, & collationes, fiant ut jura volunt, omni abusu sæcularium vel magnorum, & oppressionibus quibuscumque cessantibus, & factæ de procurante vel ratum habente talia fieri non valeant, nec confirmentur. Et si contra electionem vel postulatum talia opponantur, superior cognoscat. *Transvoit in forma.*

Item, si de electione archiepiscopi superiorem non habentis, vel quando est dubium an de electione primatis agatur, concilium provinciale cognoscat, & si sit opus confirmet, ad quod suffraganeos & alios convocare tenebitur decanus episcoporum, seu habens præminentiam inter eos: vel si non sit talis, aut dubiterur quis sit ille, antiquior creatione præsens in provincia, nisi inter quatuor menses debeat sequi concilium ordinatum: ita tamen, quod contra electum vel postulatum non currat tempus juris. *Transvoit in forma.*

Item, in casu videlicet, quod de confirmatione archiepiscopi primatem non habentis, vel ubi dubium est an habeat superiorem, vel qui sit ille, vel quando de confirmatione primatis agitur, decanus episcoporum, sive habens præeminentiam inter eos, vel si non sit talis, vel dubiterur qui sit ille, antiquior creatione faciat processum & edicta, & referat ad sæpedictum provinciale concilium, in quo dictus decanus, vel habens &c. vel antiquior creatione præsens in provincia præsidebit, & dictum concilium confirmabit vel infirmabit, prout de jure.

Item, collationes & institutiones aliorum quorumcumque beneficiorum fiant per ordinarios, ad quos de jure vel consuetudine pertinere noscuntur, personis tamen idoneis. *Transvoit in forma.*

Item, sicut sæculares nominabuntur in rotulo universitatis, sic etiam regulares seu religiosi nominentur, ut eis de beneficiis regularibus debeat provideri. Quantum ad religiosos recurratur ad abbates vel superiores & provideant auctoritate concilii, aut concilium providebit, si non provideant. *Transvoit in forma.*

Item, dignitates, personatus, & administrationes, aliaque beneficia quæcumque electiva, tam in cathedralibus, quam in collegiatis ecclesiis dimittantur electoribus, qui ad eas seu ea viros idoneos eligere teneantur. *Transvoit in forma.*

Item, ad evitandum fraudes & ambitiones aliquorum, qui possent diversis rotulis diversorum studiorum aut dominorum, vel unius studii, seu unius principis imponi, & per hoc occupare multa loca personarum idoneorum, rationabile est quemlibet unico rotulo dumtaxat inscribi. Quod si aliquis de facto diversis imponeretur rotulis, talis infra mensem a tempore nominationis habeat se ad unum illorum rotu-

ANNO CHRISTI 1409.

rotulorum determinare, non habiturus regressum ad alterum; quod si non, & scienter, sit ipso facto privatus ambabus nominationibus. *Concilium reliquit communi dispositioni collatorum.*

Si vero alicui nominato provideatur per ordinarium, seu jure ordinario, vel alias de aliquo beneficio incompatibili, tunc per assecutionem beneficii incompatibilis alias quam causa permutationis, suæ nominationi renunciasse censetur, quoad incompatibile beneficium ejus virtute assequendi. *De jure est.*

Item, & quod dictæ nominationes, fiant cum decreto, ita quod collatio seu præsentatio & quidquid contra præmissa aut aliquod vel aliqua ex eis fuerit factum, non valeant. Primo sint ipso facto nulla omnia quæcumque fuerint in contrarium attentata. *Transvoit in forma.*

Item, quod in nominationibus fiendis fiat mentio per nominandos de beneficiis obtentis, & de numero ac valore ipsorum in portatis, alias nominatio censeatur subreptitia. *Transvoit in forma.*

Item, quod si nominati beneficia sub nominatione sua cedentia non acceptent, vel declarent infra mensem a tempore notitiæ vacationis in loco, se ea nolle habere: patroni seu collatores ex tunc poterunt libere præsentare & conferre. *Transvoit in forma.*

Item, quod non provideantur nisi neutralibus, nec illis de quibus erit dubium, donec sint declarati neutrales. *Transvoit in forma.*

Item, quod non nominetur habens beneficia valentia CCCC. libras Turonenses in portatis: & si contrarium fiat, nominatio, collatio, & quidquid in contrarium factum fuerit, sint ipso facto nulla, nisi fuerit nobilis ex utroque parentum, vel in theologia, jure canonico, vel civili, aut in medicina licentiatus, aut in theologia bacalarius formatus, aut de magistris requestarum regis clericis, aut eleemosynarius, medicus, aut primus cappellanus regis, reginæ, domini Delphini & dominorum ducum. *Remittitur ad collatores.*

Videtur etiam, quod non deberent nominari habentes tres præbendas in ecclesiis cathedralibus; nisi sic, quod per assecutionem alicujus beneficii virtute suæ nominationis unam de tribus præbendis dimittere tenerentur infra mensem, nisi forte esset nobilis ex utroque parentum, vel in theologia, jure canonico &c. ut in articulo præcedenti. *Remittitur ad collatores.*

Item, si qui post obtentam nominationem deprehendantur alteri contendentium obedientiam præstitisse vel præstare, ipsa nominatione a beneficiis virtute nominationis hujusmodi obtentis privati sint ipso jure, & contra præstantes obedientiam hujusmodi fiant processus auctoritate hujus concilii, prout durius fieri poterit. *Transvoit in forma.*

Item, quod permutationes beneficiorum per Petrum de Luna ante tempus publicationis litterarum &c. debitæ factæ & etiam receptæ, & quæ quoad possessionem non sunt fortitæ suum effectum, possint & debeant auctoritate hujus concilii ad effectum perduci per ordinarios, dum tamen non sint fautores dicti Petri de Luna, & consentiant partes juxta opinionem aliquorum. *Transvoit in forma.*

Item, si qui ante tempus datæ litterarum ipsarum Petri de Luna gratias expectativas habuerint in rotulis universitatum aut alias, quorum bullæ & processus facti fuerint ante tempus dictum, & post datam ipsarum litterarum, ante tamen neutralitatem virtute antedictarum litterarum beneficia acceptaverint, & sibi provideri fecerint, si competitorem habeant, coram ordinariis super talibus habeatur recursus, qui auctoritate hujus concilii cognoscere habeant, & fiat partibus justitia. *Transvoit in forma.*

Item, si contingat aliquos sua beneficia coram ordinariis permutare, collationes hujusmodi non computentur in turno collatoris sive patroni, cum non sit liberum nominatis talia beneficia causa permutationis vacantia acceptare, nec collatoribus sit liberum aliis quam permutantibus ea conferre. *Transvoit in forma.*

Item, fiat articulus, quod si unus nominatorum nolit beneficium vacans acceptare, alius post eum ad eamdem collationem nominatus illud expectare valeat, dum tamen infra mensem super hoc suam declaret voluntatem, ut in uno articulo superius fuit dictum. *Transvoit in forma.*

Item, ad tollendas fraudes, quas collatores facere possent, procurando, quod unus nominatorum unum modicum beneficium vacans acceptaret, ut forte dare posset in turno suo unum grossum & pingue beneficium, quod in proximo vacare sperareturr, advisetur de remedio, puta quod beneficium de tali modico valore, videlicet centum solidorum, non computetur in turno, nec impediat, quin nominandus beneficium proxime vacans valeat acceptare, vel alias advisetur super hoc ubi sit opus. *Provideant collatores.*

Item, quod nominatus & quicumque alius non possit aut debeat prælatum & collatores molestare de sibi conferendo beneficium in turno prælati, & quod si per se vel alium preces importunas super hoc apud regem vel dominos impetraverit, vel statim quod ad ejus notitiam venerit, ab hujusmodi precibus non desiterit cum effectu, cadat a jure nominationis suæ, & ad sequentem nominatum jus suæ nominationis ipso facto transferat. *Transvoit in forma.*

Item, quoad capitula, ubi hebdomadarii conferre habent vel præsentare in terminis suis ipsis nominatis, in locis assignatis conferat aut præsentet capitulum nominato, reservando subsequens beneficium illi, qui erat in turno suo. *Transvoit in forma.*

ANNO CHRISTI 1405.

V I T A

INNOCENTII PAPÆ VII.

INnocentius VII. Sulmone, ut ait Theodoricus, in Apulia honestæ & mediocris fortunæ parentibus natus, bonarum litterarum, juris canonici, & Romanæ curiæ peritissimus, vir mitis, bonus & pacificus, doctorum summus amator & fautor, ex Bononiensi episcopo & cardinale sanctæ crucis in Jerusalem 16. Kalendas Novembris, anno Domini 1405. tempore Roberti imperatoris electus est pontifex sub ista conditione, ut pro necessitate componendi schismatis quovis tempore pontificatum resignaret. Nam ante electionem omnes cardinales, Gobelino & Theodorico attestantibus, coram pluribus notariis & testibus solemnibus compromiserunt, & compromissum servare juraverunt, quod ipsi singuli & communiter, & si quis eorum forte in papam eligeretur, vellet omnem diligentiam quam posset adhibere, quod unitas ecclesiæ reformaretur, etiam si opus esset ad hoc renunciare papatui &c. dum tamen Petrus de Luna etiam suo papatu sponte cedere vellet. Stetit promissis Pontifex optimus. Concilium generale ipsis Kalendis Novembris Romæ celebrandum indixit: sed Romanorum seditione per Gibellinos exorta, nemo vocatorum episcoporum ad Urbem tuto accedere potuit. Cum enim, auctore Gobellino, statim post electionem regimen Urbis senatoribus ablatum restituisset, illi elatiores facti, ejusdem Urbis temporale dominium resignari, omnesque munitiones sibi dedi postularunt, Ladislai Neapolitani regis subsidio impetrato, ad arma convolarunt. Pontifex rei novitate obstupefactus, cum nepote Viterbium confugit: unde post devictum actore Ursino ejus militiæ duce Ladislaum, a populo revocatus Romam revertit, ibique aliquot cardinales, ex quibus tres Pontifices postea delecti fuerunt, ordinavit: cumque nepotem suum agri Piceni & Anconensis marchionem, eumdemque Firmanum Principem creasset, mortuus est, & in sancto Petro sepultus septimo die Novembris, anno Christi 1406. cum annos duos & dies viginti tres sedisset.

CONCILIUM PRAGENSE

A Sbinkone Pragensi archiepiscopo adversus schismaticos celebratum, anno Domini MCCCCV.

Quum in Bohemia multi ab Innocentio pontifice ad Petrum de Luna defecissent, ad Sbinkonem Pragensem archiepiscopum dedit litteras Innocentius, quibus jussit ut provinciale concilium adversus schismaticos cogeret. Quas litteras Romæ apud S. Petrum, VIII. Kal. Jul. datas edidit Raynaldus in annalibus.

ANNO CHRISTI 1406.

V I T A

E T E P I S T O L A

G R E G O R I I P A P Æ X I I.

GRegorius XII. patria Venetus, Angelus Correarius antea nominatus, postquam aliquamdiu patriarcha Aquilejensis fuisset, ex cardinale sancti Marci, pridie Kalendas Novembris, anno Christi 1406. ætatis suæ 80. conditione eadem qua prædecessor, electus est Pontifex: nimirum ut vi juramenti ante electionem a singulis cardinalibus emissi pro ineunda unione & tollendo schismate, pontificatui renunciaret, modo antipapa Benedictus idem facere vellet. Cumque illud per litteras & legationem, qua fungebatur Antonius de Butrio jurisconsultus ejus temporis celeberrimus, semel atque iterum frustra tentasset, animadversa antipapæ tergiversatione, unionem remissius quam par erat promovere cœpit, dedítque in mandatis singulis cardinalibus ne Luca discederent, ullaque de causa ipsi inter se vel cum anticardinalibus convenirent. A qua sententia ipsi a pontifice male informato ad eumdem vel alium melius informandum appellantes, Pisano concilio indicto & congregato, Gregorium papam cum pseudopontifice Benedicto deposuerunt, anno Domini 1409. cum sedisset annos 2. & menses 8. minus quatuor diebus.

EPI-

ANNO CHRISTI 1406.

EPISTOLA

GREGORII PAPÆ XII.

AD PETRUM DE LUNA PSEUDOPAPAM

De unione.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Petro de Luna, quem nonnulli gentes in hoc miserabili schismate Benedictum XIII. appellant, pacis & unionis affectum.

Matth. 23. QUi se humiliat, inquit Veritas, *exaltabitur; & qui se exaltat, humiliabitur*. Cujus saluberrimam monitionem, quantum nobis ex alto permittitur, obedienter sectati, decrevimus per litteras nostras, omni contentione seposita, benigne te affari, & ad integrationem ecclesiæ cohortari, immo te invitare ad id consilium capessendum, quod nos ipsi pro pace ecclesiæ accepimus. Vides quanta mala, quanta pericula, quanta incommoda, quanta denique Christianæ religionis infamia jam per triginta annos ex hac pestilente ac vesana deditione in populum Dei pervenerunt, quantaque, nisi provideatur, sint quotidie eventura horum omnium malorum: quæ causa ab initio fuerit certa videtur, quibus rigor justitiæ non cessit, nec forsan æquitas persuasit: nihilo minus tamen graves molestias Christianam religionem perpessam non dubitatur. Si ergo nunc quoque eodem modo fiat, dubius est remedii locus, quo minus ecclesia in solitis remaneat angustiis, in qua & tu de teipso & conscientia tua videris: nos mentes & intentionem nostram apertissime profitemur. Non est consilii nostri, tempus aliquo modo terere, sed quo validiora, certiora & firmiora fuerint jura nostra, tanto laudabilius ducimus ea pro pace & reintegratione Christianorum relinquere; non enim de summo jure disputandum est, sæpe rigor ipsi utilitati & tempori cedit. Nam si mater * illa & jure suo & proprio filio spoliari voluit, ne sectionem unius pueri videret; quanto magis nos, si, malitia operante, ad optatam unionem venire non possumus, per justitiæ vias matri cedendum videtur? Quare exurgamus ambo in unum unionis affectum, concurramus, feramus salutem ecclesiæ jam hoc diuturno morbo afflictæ. Ad hoc te invitamus, paratique sumus & offerimus nostro verissimo juri & papatui cedere & renunciare: & efficaciter faciemus, si & quando tu renunciaveris ac cesseris præsenti juri & papatui tuo, vel decesseris: dum tamen illi qui apud partem tuam pro cardinalibus se gerunt, sic convenire & concordare cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus cum effectu voluerint, ut exinde canonica unius Romani pontificis sequatur electio, ita quod prædicta expeditiorem * sequatur effectum: celeriter mittemus oratores nostros, qui tecum de loco habili & decenti ad hujusmodi rei confectionem disponant. Et insuper pendente unionis hujusmodi tractatu, non faciemus neque creabimus aliquem cardinalem, nisi forsan causa adæquandi numerum fratrum nostrorum cum numero eorum qui apud te pro prio cardinalibus se gerunt, ut sic pares ex utraque parte ad solemnem & canonicam electionem unici Romani pontificis devenire possint. Extra hanc autem æquationis causam, nullum, ut dictum est, creare decrevimus; nisi ex defectu tuo vel partis tuæ steterit, quo minus unionis præfatæ conclusio infra annum & tres menses, a die inthronizationis nostræ computandum, fuerit subsecuta. Hoc tamen, quod de non creando cardinali tractatu hujusmodi pendente diximus, ita locum habere indimus, si tu quoque idem observabis. Hanc vero * ablationem & insinuationem de cardinalibus non creandis, ac superiorem oblationem renunciationis modo prædicto, ut strictiori vinculo fierent, juravimus, vovimus, & promisimus ante electionem nostram eodem vinculo effectualiter adimplendam cum singulis ex nostris fratribus ante dictis, in casu quo aliquis nostrum ad apicem summi apostolatus assumptus, post ipsam assumptionem ad ipsum & firmiorem instantiam denuo jurantes, voventes, promittentes atque ratificantes. De hoc autem, quod bulla sine impressione nostri nominis est appensa, præsentium nullus debeat admirari; nam ante nostræ coronationis insignia, hujusmodi imperfecta bulla absque ipsius impressione nominis habetur. Datum Romæ apud sanctum Petrum &c.

* Corrupte Memor, & ex eo Binnius similiter illa.

a Forte, sequantur. H.

* f. oblationem.

EPISTOLA I.

BENEDICTI DICTI XIII. PSEUDOPAPÆ

AD GREGORIUM XII.

Respondet superiori.

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, Angelo dicto Corario, quem nonnulli sibi in pernicioso schismate adhærentes Gregorium nominant, pacis & veræ unionis affectum pariter & effectum.

PEr quemdam conversum ordinis Prædicatorum tuas die 15. hujus mensis Januarii litteras, recepimus, nonnulla per ea concepta circa tractatum unionis ecclesiæ sanctæ Dei frequenti hactenus per nos repetitione tentatum, & ad optatum finem peccatis exigentibus non deductum, summarie continentes: quarum tenore perspecto illi gratias egimus, qui sua ineffabili clementia, quando venit temporis plenitudo, nostræ humanitatis indumento contectus, in suæ nativitatis exordio diversos in se parietes copulans jam cepit; & nunc virum nobis, a nostræ promotionis ad apicem summi apostolatus initio pacem & unionem totis viribus & desideriis quærentibus, talem invenire concessit, qui nobiscum, ut tuæ litteræ protestantur, in hoc salutari proposito Deo accepto, saluti animarum accommodo, mundo necessario, utili & votivo nostris affectibus, sicut sincera affectavimus & optamus intentione, concurrit. Multo etiam hactenus, sicut te nosse non ambigimus, quod duos prædecessores tuos immediatos in statu, quem assumpsisti, per nos & nostros sudatum est, ut tam exitiale malum de medio Christianitatis evulsum radicitus, de militantis ecclesiæ finibus pelleretur. Non enim nobis sunt incognita damna, proh dolor, Christiani populi, quæ jamdudum hæc execranda & detestanda divisio protulit. Horum autem malorum qui causam dederunt ab initio, quæ schisma prorogarunt, sed con-

ANNO CHRISTI 1406.

tinuis successibus neglecta justitia & veritate suppressa fuerunt, certum videtur his præsertim qui rei gestæ veritatem noverunt, & qui præcesserunt in hujusmodi negotio, de hoc recto libramine ponderarunt. Sed quod referimus, displicentior his nostris negotiis incassum malitia operante, deductis a prædecessoribus tuis ante dictis, quibus vias in instrumento contentas, & etiam alias rationabiles aperiri fecimus, & aperiendas recipere & prosequi obtulimus nos paratos, nec verbum aliquod effectivum reportavimus. O te felicem, si ad hoc te Dominus reservavit, si facultatem ad ea, quæ tibi data videtur, cum omni diligentia efficaciter prosequens, nobis in effectu prosequendæ unionis te reddendo conformem spondisti. De contingentibus nil omittas, ad hoc te piis exhortationibus invitamus, ad hoc nos promptos reperies, hoc summopere cupimus, ad hoc nostra aspiravit & aspirat intentio, noster attendit affectus, ut eo dirigente qui voluit, & eo præstante qui potest, per nostræ humilitatis ministerium unio in Dei ecclesia desiderata sequatur. Sed non permittit nos dissimulare silentio, immo in stuporem vehementis aspirationis inducit, quod tua scriptura interprete videris innuere, quod per justitiæ vias ad optatam unionem venire non potes: ut nobis quodammodo videatur impingi, quod viæ dissensionis * veritatis & justitiæ per nos recusatæ fuerint, vel in aliquo impeditæ. Absit hoc a nobis: nam, teste Deo, numquam in hoc viam justitiæ ac dissensionis * veritatis recusavimus aut impedivimus: immo, ut verum fateamur, eam obtulimus, optavimus & optamus, & erga prædictos prædecessores tuos, te teste, qui, ut percepimus, aliquando interfuisti, & erga alios, quos negotium tangebat, cum debita sollicitudine quæsivimus & prosecuti fuimus; nec per nos unquam stetit, stat aut stabit, quo minus justitia & veritas hujusmodi, quantum ad nos pertinet, videatur & agnoscatur, sicut satis ex oblatis per nos tuis prædecessoribus ante dictis potest liquide apparere: tamen de jure nostro per scientiam & juris evidentiam sumus certi. Ut igitur de intentione nostra quam habuimus circa hujusmodi schismatis extirpationem & unionis assecutionem, te reddamus certiorem: tibi præsentium tenore significamus, quod, ut tam peroptatum unionis negotium celerius consequi valeat, & securius executioni demandari, parati sumus una cum collegio venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium in loco securo & decenti ac idoneo, tecum, & cum quocumque successore tuo decedentibus, cum prædictis, qui apud partem tuam pro cardinalibus se gerunt, vel gerent, personaliter convenire pro unione ecclesiæ tractanda, & favente Domino obtinenda, ubique proviso & ordinato de his quæ pro securitate ac acceleratione unionis prædictæ erunt opportuna & necessaria disponenda, parati sumus pro salute animarum, ac unione & reintegratione Christianorum, in dicta conventione personaliter nostro veritimo juri & papatui, pure, libere & simpliciter cedere & renuntiare: & efficaciter faciemus, si tu ibidem consimiliter renunciabis & cedes prætenso juri tuo & papatui, vel decedes, dummodo tu, vel quicumque successor tuus, & illi qui apud partem tuam pro cardinalibus se gerunt aut gerent, sicut præfertur, voluerltis & voluerint cum effectu convenire & concordare nobiscum, & cum venerabilibus fratribus nostris prædictis, quod exinde canonica unici Romani Pontificis sequatur electio & unio ecclesiæ sanctæ Dei. Oratores autem tuos, quos ut asseris, ad nostram præsentiam celeriter destinare proponis, libenter videbimus, benigne audiemus, & caritative tractabimus, eisque jam salvum conductum per dictum conversum destinavimus. Quod etiam de abstinendo a creatione cardinalium, nisi in certis casibus, intimasti, volumus & intendimus observare. Festina igitur, tolle moras, concurre nobiscum, & considerans humani operis brevitatem, tantum bonum non ultra differendo procrastines, sed celeriter vias salutis & pacis amplectaris, dum tandem in extremo judicio cum numerosa multitudine eorum qui nos in hac, quam præstolamur, unione sequentur, quam ad illius ovile, præstante Domino, reducemus, ipse pastor bonus, qui pro ovibus suis animam suam posuit, nos, ut de ejus misericordia speramus, in dilecta sua tabernacula introducat. Datum Massiliæ apud sanctum Victorem.

* f. defensionis.

* f. defensionis.

II. AD PAULUM LUCENSIUM DYNASTAM.

In Gregorium acriter invehitur.

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Paulo domino Lucæ, salutem & apostolicam benedictionem.

PRopter nonnulla in quibusdam partibus innovata, quæ sensibus quasi palpantibus nobis innotescunt, considerato præsertim, quod cum Angelo dicto Corario, qui in hoc pernicioso schismate se facit appellari Gregorium, post varios & sæpe tentatos labores, non sine personarum jactura, aliquem effectum ad bonum finem ecclesiæ unitatis obtinere nequivimus, de venerabilium fratrum nostrorum consilio & frequenti eorum instantia pulsati, deliberavimus pro præsenti corporali præsentia deferere partes illas, & nos cum collegio nostro reponere in securo. Ut igitur scias ecclesiastica negotia qualiter remaneant pro præsenti, elicere poteris ex tenore litteræ quam scribimus dicto Angelo Corario sub hac forma.

Angelo Corario, qui in hoc pernicioso schismate se facit nominari Gregorium, pacis & unionis affectum pariter & effectum.

Si te fateri veritatem non pigeat, præsertim cum sit notorium, celare non poteris ea quæ tuis litteris intimando etiam promulgasti per orbem, ut ex utriusque cessione pax daretur ecclesiæ, & quod scriptis tuis per nos ad hoc cessionis viam offerendo dato responso, & de conventione in civitate Saonensi pro excusatione oblatorum in hinc inde secuta concordia convenire in statutis terminis renuisti, & quibusdam interpositis per te excusationibus frivolis, post ditiones varias a te datas, post adventum nostrum ad hunc locum, ad quem nos traxerunt Christi caritas & fervor compassionis animarum, bona fide simpliciter incedentes, non absque nostri atque nostrorum fatigatione, & gravi personarum jactura, per plurium mensium intervalla cum Christianorum scandalo renuisti, cautelose per verba, & quod

ANNO CHRISTI 1406.

quod referimus displicenter, denegatis multis, etiam nonnullis per te oblatis, quæ ad executionem concordatorum, ad unionem perficiendam, erant plurimum utilia & opportuna: de * uberiori tecum tractatu super hujusmodi unione prosequenda omnem spem tollendo, nuncios nostros, eisdem prorogationem salvi conductus & audientiam denegando, a tua præsentia vacuos remisisti. Hæc autem libenter silentio transiremus, nisi tua contumacia reciperet ex nostra taciturnitate fomentum. Postquam autem apud te passa frequens nostra instantia repulsam, propter quædam in nonnullis partibus quibusdam instigantibus innovata, absque personali nostro & nostrorum periculo in his partibus moram trahere non valentes, cum apud te, ut clare cernitur, proficere non possimus, nolentes Deum tentare imminente periculo, ad aliquem locum, ubi nos cum nostro collegio valeamus hoc turbationis tempore reponere in securo, de fratrum nostrorum consilio, eorumque instantia pulsati, decrevimus declinare. Sed ne videamur, sicut nec intendimus, adversitate intercedente hujusmodi prosecutionem unionis dimittere neglectam: de dictorum fratrum consilio deliberavimus, nuncios nostros plena potestate fulcitos (qui, si velles ad cor reverti, possent ad effectum unionis & oblatorum procedere efficaciter in agendis) hic dimittere: impedientibus tamen ambassiatoribus carissimi in Christo filii nostri Caroli regis Francorum illustrissimi in his partibus moram trahentibus, salvus conductus dictis nunciis necessarius non potuit obtineri. Quid autem super hac re simus ulterius, Deo auxillante, facturi, intendimus universis Christi fidelibus breviter intimare. Tu vero, o homo, si scintilla compassionis animarum in te viget, quæ secundum Deum pro bono unionis agenda restant, considera, & ad ea ad quæ obligaris ex debito, pro Dei misericordia te dispone, resecatis carnalibus desideriis, quæ contra animas militare non cessant. Nos enim ad oblata per nos semper promptos reperies, præteritos defectus tuos & contumaciam, si bene egeris, in memoria non tenentes. Deum enim in judicem & negotiorum notorietatem in testem invocamus, quod per nos non stetit, stat, aut stabit, quin vera unio inducatur. Id. Junii, pontificatus nostri anno XIV.

* ulteriori.

ANNO CHRISTI 1406.

HAMMEBURGENSE CONCILIUM

Anno 1406. habitum.

An. 1406. Manſi Supp. to. III. pag. 771

ERror iſte perniciosus per hæc tempora inter fideles gliscebat, quicumque veste monastica Minoritarum fratrum amictus ex hac vita decederet, illum certa salus æterna ut maneret. Quin nec diutius purgatorii cruciatibus torquendum illum asserebant nonnulli; cum S. Franciscus semel quotannis e cælo dilapsus id committeret, ut inde ereptus addictus sibi cliens in paradisum se remigrantem sequeretur. Id vero Minoribus fratribus nonnullis exprobratum fuisse in concilio provinciali Hammeburgensi ann. 1406. asserit Hermannus Cornerus in Chronico ad ann. 1359. his verbis: *Temporibus meis, me præsente in provinciali synodo in urbe Hammeburgensi celebrata an. Dom. MCCCCVI. per D. Johannem de Slamestorp archiepiscopum Bremensem, & dominos Johannem & Dulmen Lubicensem, Rodolfum natu ducem de Mekelenburg Sovertuensem, & Ditbleonum Parkentin Razeburgensem comprovinciales episcopos præfatus dominus Johannes episcopus Lubicensis doctor utriusque juris Parisiensis, vir multum solemnis & pater religiosorum, hunc errorem in publico consistorio, ipsis fratribus Minoribus ibidem præsentibus objecit coram tota Bremensi provincia tanquam per dictos fratres publice prædicatum in urbe Lubicensi.*

Extat in Eccardi Corp. Hist. c. II. p. 1101.

PARISIENSE CONCILIUM

ANNO CHRISTI 1407.

Pro concedenda singulis, ad quos de jure spectat, beneficiorum conferendorum potestate tempore schismatis,

Anno 1407. habitum.

Ex Manſi ibid. p. 772.

„ IN Gallicano anni 1398. concilio decreta fuerat subtractio obedientiæ ab utroque „ pontifice, Petro scilicet de Luna, & Urbano VI. Verum anno demum 1403. negata „ a Gallis Petro obedientia restituta est, spondente Petro se ultro eam dignitatem abdicaturum, si æmulus vel cessisset vel decessisset. Defuit fides dictis; quare anno tandem 1407. iterum Petri de Luna in Galliis „ potestas suspensa est. Tum processum ad „ permittendum singulis ecclesiis Gallicanæ ditionis jus eligendi præsules, & præsulibus beneficiorum conferendorum potestatem integram, „ omni ea in re Petro de Luna auctoritate „ adempta. Concilii hujus acta seu decreta „ plura damus ex Martene Anecdot. to. II. „ pag. 1307. Verum his concilii decretis executionem tantisper suspendit Galliæ rex, ut „ ex hic datis constat.

CO-

ANNO CHRISTI 1407.

COPIA INSTRUMENTI

De deliberatione prælatorum Parisiis congregatorum anno CCCCVI. stilo veteri, novo 1407. super facto collationis beneficiorum in regno.

Ex Matr. loc. cit. Fruit ex MS. cod. Gemmeticens. & ex MS. S. Laurentii Leodien.

IN nomine Domini Amen. Omnibus præsens instrumentum inspecturis pateat evidenter & sit notum, quod anno ejusdem domini millesimo quadringentesimo sexto, indictione decima quinta, mensis vero Januarii die quarta pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri Benedicti divina providentia papæ XIII. anno decimo tertio, in conspectu & præsentia illustrissimorum principum dominorum regis Siciliæ, Bituricensis, Burgundiæ & Borbonii ducum; comitis Nivernensis & aliorum dominorum de sanguine regis, nec non cancellarii Franciæ, & multorum regis domini nostri consiliariorum, sedenti præsenti concilio reverendissimorum patrum dominorum archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, priorum conventualium, deputatorum solemnium venerandarum universitatum studiorum Parisiensis, Aurelianensis, Andegavensis, & Montis-pessulani, procuratorum tam metropolitanarum, quam cathedralium ecclesiarum & aliorum prælatorum ac virorum ecclesiasticorum absentium regni Franciæ & Delphinatus Viennensis, prælatos & clerum seu ecclesiam hujus regni & Delphinatus merito, ut dicebatur, facientium & repræsentantium, per dictum dominum regem super facto & materia unionis S. Matris Ecclesiæ, ac super bono statu & regimine ecclesiastico dictorum regni & Delphinatus ecclesiæ Parisiis vocatorum, in aula alta, super Secanam domus seu regalis palatii congregatorum solemniter celebrato, & ibi in dicto silentio intelligentes attente ad ea quæ pro libertatibus ecclesiæ dictorum regni & Delphinatus incumberent ordinanda, retulit publice reverendissimus in Christo pater ac dominus dominus Simon miseratione divina patriarcha Alexandrinus, ea quæ per prælatos & alios viros ecclesiasticos mandatos in eodem concilio certis diebus prox. præteritis circa dictas libertates quoad electiones, prælaturarum & dignitatum dispositiones, collationes & præsentationes beneficiorum videbantur facienda, ordinanda & exequenda, sicut per circumscriptum virum magistrum Johannem Juvenalis in parlamento regium advocatum ad instantiam procuratoris regii exiterat paucis ab hinc diebus in eodem concilio requisitum & caritative exhortatum. Inter quos autem dominos prælatos & alios viros ecclesiasticos, dum de hac materia diebus ipsis mature & cum multis multorum jurium allegationibus ageretur; post varias utrinque disceptationes & discussiones factas & habitas apparuit & apparebat evidenter majorem partem in decuplo hujus opinionis extitisse, quod ecclesia Gallicana ad suas antiquas libertates reduceretur, & ordinarii ad quos de jure vel consuetudine spectat, haberent in hujusmodi regno & Delphinatu de beneficiis ecclesiasticis conferendo & præsentando disponere & ordinare. Quodque promotiones prælaturarum, & aliarum dignitatum per electionem canonicam secundum quod jura scripta volunt, fierent, & effectum sortirentur. Sed aliqui uno, alii alio volebant modo, & consulebant provideri. Et quamquam omnes indifferenter ecclesiam Gallicanam dicerent sua de vere libertate gaudere, eamque nimis oppressam & gravatam confiterentur: tamen aliqui, sed numero pauci, consulebant quod usque ad celebrationem generalis concilii ecclesiæ differretur: alii certe numero pauciores dicto domino nostro papæ supplicandum, ipsumque prius summandum super hoc esse dicebant & deliberabant. Sed major pars, ut dictum est, in decuplo in opinione residebat, quod per regem dominum nostrum ad supplicationem & requestam dictorum prælatorum & aliorum virorum ecclesiasticorum modo præfacto provideretur: attento quod ipse rex dominus noster in sua sacra coronatione juraverat solemniter ecclesiam prædictam in sua libertate tenere & conservare: attento insuper quod dominus noster papa prædictus de faciendo præmissa sufficienter requisitus est & summatus, quod se facturum & concilium generale celebraturum promisit, in quo generali concilio, si fuisset, ut promiserat, celebratum, de libertatibus prædictis, & aliis ecclesiasticis negotiis ordinatum extitisset. Attento denique quod occasione hujusmodi dispositionum beneficiorum impeditur pax desiderata & unio, & præsens schisma horrendum antiquatur, continuatur, & altius radicatur. Et sicut aliqui deliberando proponebant tantis malis, tantis scandalis, tantis denique extorsionibus, summo studio, summaque diligentia attentis præmissis obviandum erat: in quibus agendis & exequendis, ut dicebant, non fieret domino nostro papæ prædicto aliqualis injuria, injustitia aut molestia: immo ordinarijs quod suum est redderetur, & pie fundatorum ecclesiarum intentiones servarentur. Demum quia de limitatione circa præmissa adhibenda inter aliquos deliberantes quæstio versabatur, idcirco ut res prius securior, salubrior, & majoris roboris & firmitatis ac sine scrupulo & reprehensione existeret, fuit per probatissimos, & solemnissimos visos, ut dicebat idem dominus patriarcha, quædam advisata & confecta cedula, quam ipse in eodem concilio publice & intelligenter legi fecit in hæc verba: " Super reductione „ ecclesiæ Gallicanæ ad libertatem; quantum „ ad electiones prælatorum & collationes be„ neficiorum per ordinarios & alios ad quos „ spectat de jure vel consuetudine, & præsen„ tatione patronorum, videtur regi consulen„ dum & per ipsum ordinandum, quod stante „ schismate papa nulla beneficia conferat in „ isto regno & Delphinatu Viennensi, nec „ prælaturas aut dignitates: immo fiant præ„ lati per electiones in forma juris: & in or„ dine Cistercienſi, & aliis religionibus exem„ tis modo quo est in dictis religionibus fieri „ solitum; & beneficia conferantur per ordi„ narios & illos ad quos spectat de jure & „ consuetudine. Et ista reductio intelligitur „ fore perpetua, etiam schismate cessante, be„ neficiis illorum exceptis, qui in curia mo„ rientur: dum tamen per generale concilium „ ecclesiæ aliter non fuerit ordinatum, cujus „ ordinationi se submittit dictorum regni ac „ Delphinatus ecclesia". Qua quidem lecta cedula, auditaque publice & intellecta, die quarta qua supra, petiit iterato Dominus reverendissimus pater dominus patriarcha fideliter per ipsos dominos prælatos & ceteros viros ecclesiasticos, tunc grandi numero & solemniter congregatos, deliberari an consulendum

ANNO CHRISTI 1407.

dum regi domino nostro supplicandumque & requirendum esset, quatenus ecclesiam suorum regni & Delphinatus in libertate sua, quemadmodum in dicta continetur cedula, teneret & conservaret. Qui quidem domini prælati & cæteri mandati congregati super hoc deliberare requisiti, omnes indifferentes, singulariter & successive, unus post alium, paucissimis tamen discrepantibus, dixerunt & responderunt contenta in ipsa cedula, attentis multis juribus, causis, & rationibus, sæpissime per varios in eodem concilio allegatis & ostensis rationabilia esse, justa, necessaria, & æqua, & per ipsos regi domino nostro consulenda, & per eumdem facienda & exequenda & ad plenum effectum deducenda: cui consulunt, & humiliter ac devote supplicant & requirunt, supplicareque, consulere, & requirere volunt de facto & intendunt, ut præmissa faciat, ordinet & exequatur, seu ordinari & exequi faciat competenter, & eo modo quo superius expressum est. Quippe super hoc suas patentes litteras omnibus concedere, quibus opus erit, dignetur pro præmissis. De & super quibus omnibus et singulis præmissis præfatus dominus patriarcha, et alii quamplures ibidem existentes petierunt a nobis notariis publicis subscriptis publicum fieri instrumentum, unum vel plura. Acta fuerunt hæc Parisiis in aula prædicta, anno, indictione, mense, die, et pontificatu prædictis, præsentibus reverendissimis in Christo patribus dominis Remensi, Bituricensi, Turonensi, Senonensi, Rotomagensi, et Tolosano archiepiscopis; Lexoviensi, Laudunensi, Belvacensi, Abrincensi, Xantonensi, Aurelianensi, Noviomensi, Nannectensi, Eboracensi, Morinensi, Petracoricensi, Trovanensi, Meldensi, Ruthinensi, Lombericensi, Termensi, Eduensi, Nivernensi, Catalaunensi, Cabilonensi, et Caturcensi episcopis; S. Benigni de Divione, Lingonensis, Cisterciensis, Cabilonensis, Claræ vallis, Lingonensis, Montis S. Michaelis Abrincensis, S. Maxentii Pictaviensis diœcesum, de Gemmeticis, Sanctorum Remigii Remensis, Petri in Valleja Carnotensis, Germani de Pratis, et victoris prope Parisios abbatibus, decanis Remensi et Rotomagensi, dominis Guillelmo Bofratia, Joanne de Masticone, Gerardo Bagouli; Joanne de Tegula, tam in jure canonico, quam civili doctoribus, Joanne *Mauchon*, et Joanne Luqueti, sacræ theologiæ professoribus, necnon Gaufrido de *Pompadox* et Rampnulpho de Perusia, regiis consiliariis, cum quamplurimis aliis prælatis et viris ecclesiasticis testibus ad præmissa vocatis et rogatis.

Sequitur additio seu declaratio, quæ postmodum facta fuit per prælatos et consilium prædictum super materia dicti instrumenti: super qua declaratione etiam factum fuit publicum instrumentum, in quo clausula continens dictam declarationem ponitur, prout infra scribitur, de verbo ad verbum, et est talis, et est ad finem suprascripti instrumenti immediate adjungenda.

Verum, quia dicebatur inter aliquos, quod attento quod circa hoc concilium principaliter intendebat, quod ecclesia regis et Delfinatus prædictorum reduceretur, conservaretur et manuteneretur in sua libertate et observantia antiqua, nec erat intentionis, quod fieret aliqua nova ordinatio super istis, quodque si forte aliqua ordinatio facienda, fieri per regem principaliter non deberet, convenientius videbatur, quod in serie prædicti instrumenti non ponerentur ista verba, per regem ordinandum, et similia in dicto instrumento contenta, quæ formam novæ ordinationis sonare videbantur. Dicebatur ulterius inter multos, quod verba super prædicta reductione ad libertatem exprimentia deliberationem dicti concilii, quæ in dicto instrumento continentur, erant luculentius declaranda sive mutanda: quare ab omnibus ibidem existentibus petebat et requirebat idem dominus Patriarcha, quod super istis suas intentiones plenius et planius declararent et deliberarent. Super quibus dicti domini archiepiscopi, episcopi, abbates, priores, deputati, et procuratores antedicti super deliberatione præmissorum deliberare requisiti prout supra singulariter, sigillatim, successive, voce alta et intelligibili in dicti concilii præsentia suas intentiones declarando, et in hoc stando dixerunt, declaraverunt, et publice responderunt, ita quod omnium deliberantium voce, numero, et personis veraciter comparatis et numeraliter computatis, apparere potuit omnibus, et nobis notariis apparuit evidenter dictos dominos archiepiscopos, episcopos, abbates, deputatos et procuratores omnes pro majori parte decuplo opinionis publice extitisse et existere, quod bonum est, conveniens, rationabile et honestum, sicut per multas rationes et jura ibidem fuit diversis et pluribus diebus ostensum, et suas intentiones circa hoc declarando dicebant ita esse faciendum, declarabantque et determinabant, declarant determinant, quod de cætero ecclesia Gallicana, et Delphinatus universaliter et particulariter in se et suis membris reducatur, teneatur, et regatur secundum suam libertatem et observantiam antiquam, quantum ad hoc quod de cætero, sicut volunt statuta conciliorum generalium, et decreta sanctorum patrum, fiant prælati per electiones capitulorum, conventuum, et collegiorum; et confirmationes per illos ad quos de jure, privilegio, aut consuetudine spectat; et similiter præsentationes per patronos, cessantibus in retectis omnino, ac non obstantibus quibuscumque et quorumcumque reservationibus generalibus vel specialibus, ac prohibitionibus, expectationibus, aut gratiis, etiam cum decreti appositione ex parte papæ vel ejus auctoritate factis aut fiendis, seu concessis aut concedendis; quousque per concilium generale canonice celebrandum aliud fuerit ordinatum. Ad cujus concilii ordinationem dicta ecclesia Gallicana & Delphinatus se submittit, voluerunt que supplicare & instanter requirere, supplicantque domino nostro regi, & instanter requirunt, quatenus ecclesiam prædictam suorum regis & Delphinatus in hujusmodi reductione, observantia antiqua, & libertate manutenere, quantum in ipso est, velit & dignetur, ac etiam defendere & tueri, & super hoc litteras suas opportunas & patentes concedere cuique petenti. Et ista sunt quæ circa hoc deliberaverunt prælati & clerus antedictus cæteris in dicto instrumento expressatis in suo robore duraturis, de & super quibus omnibus & singulis præfatus reverendissimus in Christo pater ac dominus, dominus Symon miseratione divina patriarcha Alexandrinus, & quamplures alii prælati & viri ecclesiastici petierunt a nobis notariis publicis subscriptis fieri unum vel plura, publicum seu publica instrumenta.

Acta

Acta fuerunt hæc in aula, &c. Anno MCCCCVI, A die XII. Januarii.

ANNO CHRISTI 1407.

DECLARATIO ET CONCLUSIO

Habita per prælatos super facto unionis Ecclesiæ in concilio Parisiis congregato anno CCCCVI.

SEquuntur illa, quæ per prælatos & alios viros doctissimos ecclesiam regni Franciæ & Delphinatus facientes & merito repræsentantes, auctoritate regia Parisiis ad proxime lapsum omnium sanctorum festum super facto unionis sanctæ matris ecclesiæ convocatos, solemniter pro extirpatione præsentis nefandissimique schismatis, deliberata sunt & conclusa.

I.

Et primo regratiabantur Deo & Beatæ Virgini Mariæ, totique curiæ supernorum de bona dispositione, in qua videntur esse illi qui se dicunt cardinales in Roma & præsident inter eos, prout ex tenore instrumenti confecti per eos dicitur apparere.

II.

Item, videtur quod dominus Benedictus ex nunc pure, simpliciter, clare & sine ambiguitate verborum per bullas & alias in forma publica debet offerre viam cessionis & renunciationis, & eam effectualiter adimplere.

III.

Item, quod ambobus renunciantibus de securitate status & redituum amplitudine providendum est.

IV.

Item, quod pro renunciatione ista actuali facienda, & celebranda electione indubitati summi omnium fidelium pontificis, dominus Benedictus & domini cardinales debent se actualiter & sine dilatione præparare ad conveniendum, quam primum fieri poterit, cum adversario & anticardinalibus de Roma in certo loco ad ipsam renunciationem & futuri pontificis electionem effectualiter practicandas.

V.

Item, licet dominus Benedictus viam cessionis pro pace ecclesiæ consequenda usque ad præsens non satis clare obtulerit, vel oblatam & juratam minus diligenter extiterit prosequutus, propter quod Universitas Parisiensis & nonnulli alii de obedientia sua eumdem reputarunt schismaticum & de hæresi vehementer suspectum: si tamen ipse dominus Benedictus sanioris spiritu provocatus ipsam cessionem modo præmisso obtulerit, & oblatam perduxerit ad effectum, sic quod desiderata unio in Dei ecclesia consequatur; hoc casu idem dominus Benedictus de recusatione vel negligentia supradictis habetur & habebitur sufficienter excusatus.

VI.

Item, si, quod absit, idem dominus Benedictus in profundum malorum veniens cessionem pure & simpliciter differat offerre, & effectualiter adimplere, in hoc casu reputant eum dicti prælati solemniter congregati membrum putridum, horribile, & præcisum ab ecclesia sancta Dei, schismaticumque, et pertinacem, & de hæresi vehementer suspectum, & ex nunc pro ex tunc ab ejus obedientia dicunt esse recedendum, & recedunt. Quo casu, nulla majori dilatione expectata, debent & possunt cardinales cum illis de Roma personaliter convenire, et cessione adimpleta per eum qui se Gregorium nominat, ad electionem unici & indubitati pontificis cum anticardinalibus partis adversæ procedere et paci fidelium salubriter providere.

VII.

Item, in casu præmisso si cardinales cum domino Benedicto voluerint remanere, eo casu sic adhærentes, tamquam fautores pravitatis schismaticæ ab ecclesia et dignitate statuum sunt abjecti, suisque sunt beneficiis in regno et ubique ipso jure privati, et ipsorum beneficia per ordinarios conferenda, utique eligendi ad alios dominos cardinales, qui in veritate et justitia nobiscum remanserint, devolutum

VIII.

Si autem diabolo procurante contingeret omnes dominos cardinales domino Benedicto casu præmisso adhærere, et per hoc recusare, et differre conventionem cum illis de Roma; eo casu conveniendi essent regnorum hujus obedientiæ vel majoris ipsius partis nuncii specialiter deputati, qui sufficientibus auctoritate et potestate fungerentur, quique ecclesiam hujus obedientiæ sufficienter repræsentare valerent, possentque pro obedientia nostra et regnorum ecclesiis cum illis de Roma tractare et concordare de electione unius summi pontificis, et omnia facere quæ ad unionem ecclesiæ erunt opportuna et necessaria, esseque sic electo a cunctis fidelibus obedientia facienda tamquam vicario Jesu Christi.

IX.

Item, eodem casu, etsi de aliis regnis non convenirent nuncii, esset nihilominus in eorum contumaciam ad pacem ecclesiæ per deputatos ecclesiæ Gallicanæ cum illis de Roma modo præmisso actualiter procedendum. De et super quibus omnibus et singulis, etc. Actum anno CCCCVI. die XXI. Januarii.

LITTERA FACIENS MENTIONEM

De ordinatione regia & ecclesiæ Gallicana super collatione beneficiorum, cujus executio prorogatur.

CHarles par la grace de Dieu roy de France, á tous ceulx qui ces Lettres verront, salut.

Avecques raison naturelle les anciennes escriptures nos enseignant qu'il n'est mie seule-

lement expedient, mais est cose mult necessaire, que ce que aulcunes fois est ordonné par la prudence de ceulx qui governent les policies, supposé que telles ordinances soient faites par gran et meure deliberation selon la disposition des temps, qui lors convient soit souventesfois en autres formes. Car selon la sentence des anciens, il loyt au saige de mirer son conseil et la deliberation qu'il a prinse en aucunes besoignes, ou delayer l'execution d'icelle, selon ce que le temps le requiert, et soy ordonner, conduire et disposer selon la qualité d'iceulx. Et porce combien bu' en l'an MCCCC. et VI. deren passeit, nos en ensiwant les manires de nos predecesseurs roys de France, considerant la gran aufflictiòn que par l'espauze de pres de XXX. ans a soustenu nostre mere sainte eglise, por occasion de ce dolereux et detestable schisme, qui par ledit temps y a esteit et encore est; et desirant de tout nostre cure icelui schisme estre osté et extirpé; considerant aussi que non obstant les grans et diligentes poursuites, que por extirpeir et faire cesseir le schisme dessusdit, avions et avons faites, depuis qu'il pleut a Dieu que nos eumes le gouvernement de nostre royaume jusques alors, envoyant pour ce par pleusieurs fois nos messages solemnes, tant devers nostre saint pere le pape et son saint college, et devers son adversaire de Rome, et ceulx qui de par lui se dient cardinaulx, comme devers plusieurs roys, princeps et aultres seigneurs et communiteiz de nescience et concevoyez aucune conclusion fructifieuse ne s'en estoit encores ensuite; et por la grande et tressinguliere affection que tosjours avons eue et avons de mineir a bonne fin ceste poursuite, eussent esté assemblez par nostre ordinance et mandement en ceste nostre ville de Paris les prelats, c'est-a-sçavoir les archivesques, evesques et abbex de nostredit royaume et de nostre Daulphiné de Vienne, nostre chir et ame fils l'université de l'estude de nostre ditte ville, et plusieurs aultres universitez des estudes aveuceques plusieurs aultres grans clercs et notables personnes, tant des englise de nos royaume et Daulphiné dessusdit, comme aultres, que adviseir et delibereir par quelle manire nostre ditte mere sainte eglise poroit plus briefvement estre reduite a union, en la quelle congregation et assemblé, ou furent moult sovent nostre tres-chir et ame ainsne fils le duc de Guienne, et nos tres-chir et tres-amez cousins et oncles le roy de Sicile et les dues de Berry, de Bourgoigne, et de Bourbonnois, et plusieurs aultres de nostre sang et lignage, eût esté deliberé entre aultres choses pour ce que à l'exhortation desdits prelauls & universitez lors assemblées, comme dit est, en la sale de nostre palais à Paris, assise sur la riviere de Seine, nostre Procureur general adjoint avecques eulx, furent dittes et proposées par nostre advocat aucunes, et regardant la conservation des droits, franchises et libertez dedites englises de nostre royaume et Daulphiné, et des persones d'icelles, et concluons que sur ce fut pourveu de remede convenable, que lesdits prelauls, universitez et aultres personnes avisasent quele remede y sieroit bon à mettre, et qu'ils orent avisé et deliberé et conclus ensemble, que quant les englises cathedraulx, collegiaulx, et conventuaulx, comme aultres benefices electifs, tant reguliers comme seculiers vacqueront, il fût pourvû de lors en avant, si commer les statuts des conciles generales et les decrets des saints peres le veulent, par election des chapitres, convens et colleges, de personnes idonées et convenables; aux aultres benefices, par presentations, collation et institution de ceulx à qui de droit commun, privilege ou coutumes il appartient, cessans et rejettes du tout, et non-obstant quelesconques reservations generales et especiaulx, prohibitions et defenses quelxconques graces et expectations faites et à faire, et octroyées ou à octroyer par le pape ou par son autorité, par interposition de droit ou aultrement; et que ladite eglise de nostre royaume et Daulphiné dessusdits, et les personnes d'icelle demeurent en leur libertés et franchises, selon les constitutions desdits conciles generaulx & la disposition du droit commun, jusqu'ad ce que par concile general canoniquement chelebré aultre chose fust sur ce ordonnée, à l'ordonnance duquel conseil ils se soubmettoient; lesquels deliberations & conclusion ainsi prinse entr'eux & à nous rapporteis, ils nous supplierent moult instamment que nos les votissions avoir agreables & confirmeir, & en icelles les conserver & maintenir, & osteir tous empeschemens qui feroient faites a contraire. A laquelle supplication, euë premierement sur icelle grant & meure deliberation avec plusieurs princeps de nostredit sang & notables personnes, tant desdits prelauls comme de nostredit conseil, nous condescendimes lors por certaines causes & considerations, qui ad ce nous meuvent, plus a plain contenuë en certaines nos lettres sur ce faites, données le XVIII. jours de Fevrier oudit an MCCCCVI. deren passé; lesquel toutevoyes tant peur ce que ou temps dessusdit nous vindrent noveiles, que nostre saint pere & sondit adversaire se disposoient à mettre union en nostredite mere sainte eglise, comme pour ce oyes lesdites novelles, nos ordonnames certaine grande ambassade estre envoyée tant de par nos, comme de pars lesdits prelaus & université devers nostre saint pere & son adversaire dessusdit, pour les exhorter à ladite union, nos ne voulsimes mies lors estre publiées, ne mises à execution, afin que par ce nostredit saint pere & sondit adversaire ne fussent en aucune maniere irrités, & aussi que par ce ne venist empeschement en fait dessusdit, mains por ce & pour aultres causes qui ad ce nous meuvent, voulsismes ladite execution d'icelle estre differée. Et depuis a la requeste de nostreditte fille, qui fort nous pressoit de avoir nos lettres dessusdittes, elles furent mises par nostre ordinance es mains de nostre ame & seal chevalié, conseiller & chambellan Johan de Montagu vidame de Lannoys, & grant maistre de nostre osteil, lequel par nostre vouloir & commandement promit à nostredite fille l'université, que dedans le premier dimanche de caresme lors ensuivant, qui est ce jourd'huy, ainsi comme en nos aultres lettres sur ce faites est contenu, il bailroit icelles lettres à nostredite fille pour les faire publier, & estre executées selon leur forme et teneur, de par la quelle nostre fille audit jourduy nos a esté molt instamment requis, que nous lui vueillons faire bailler les lettres dessusdites, mains consideré que si comme nous avons esté & sommes pleinement & deuëment informés, tant par plusieurs lettres adjettans

ANNO CHRISTI 1407.

ANNO CHRISTI 1407.

ANNO CHRISTI 1407.

à nous & á nosdit cusins & oncles, tant de par nostredit saint pere & son saint college, & aussi de plusieurs cardinauls, particulierement & semblablement de par nosdits messaiges, qui encore sont de par-de là pour cette cause, & aussi le par nostre ame & feal conseiller, chevalier & chamblan Johan le Meingre dit Boucicaut, mareschal de France, & gouverneur de par nos de nos cité & seignoire de Gennes, comme par la relation de plusieurs notables personnes venans de par-delà, nostredit saint pere est tres-bonne disposition & fait mult grant diligenche par toutes voyes & manires advisées par sondit saint college, & ad ce convenable & necessaire de mettre union en sainte eglise, & mesment par la voye de cession, & que semblablement sondit adversaire est assez ad ce disposé, comme l'on dit, & que ledit saint college & plusieurs desdits cardinaulx, nosdits messaiges, & aussi ledit marichal & gouverneur nos exhortent a moult grand istance par les eschritures & messaiges, que acunes novellité ne soit faite par-deça contre nostredit saint pere l'eglise de Rome, car ce seroit por empescheir ou rompre le fait de ladite union, et sieroit en avanture qu'il ne se peust en brief reparer. Sçavoir faisons, que ces choses considerées, & eue sur ce tres-grande & meure deliberation au nostre conseil pour ce par plusieurs assemblé & tenu, ouquel ont esté ainsne fils le duc de Guyenne, et nosdits cousins, et oncles, le roy de Sicile, et les ducs de Berry, et de Bourgoigne, et avec eulx nostre tres-cher et tresame fils le duc de Bretaigne, plusieurs aultres de nostredit conseil, et aussi plusieurs prelauls, chevalier et autres personnes saiges et notables de nostredit conseil, avons deliberé et ordéano, ordonons et deliberons par ces presentes, pour le plus expedient et pour le bien et avenement de ladite union de nostredite mere sainte eglise, et pour plusieurs aultres causes raisonnables, qui ad ce nous meuvent, que combien que nosdites lettres ayent esté baillées a nostredite fille, selon l'ostroy qui leur en avoit esté fait; neanmoins la publication et execution d'icelles soit suspenduë, et icelle par la deliberation dessusdite suspendons de nostre certaine science et auctorité royale par ces presentes, jusqu'à la fête de l'ascension prochain venant, et defendons á tous nos justiciers et officiers, tant de nostredit royaume, comme de nostredit Daulphiné, sur quanque ils se povent meffaire envers nous, que supposé que pendant ledit terme de l'ascension, ils ou aucuns d'eulx fussent requis de par nostredite fille ou aucuns des supposts d'icelle, ou autre quelxconques, de publier ou de faire publier lesdites lettres, ou les choses contenuës en icelles, ils ne obtemperent en aulcune maniere, et semblablement et sur semblables peines deffendons a tous prelauts, gens d'eglise, et seculiers, et aultres nos subgiez de nostre royaume et Daulphiné dessusdit, de quelque preeminence ou auctorité qu'ils fussent, que supposé que nostredite fille ou aucuns desdits supposts d'icelle ou d'aultres se esforcassent de publier ou faire publier nos lettres dessusdites pendant le temps dessusdit.... forcloent toute audience, ne ne les oyent en ce en aucune maniere. Et oultre par la deliberation dessusdite, volons et nos plaist, que durant ledit temps jusqu'à ladite feste de l'ascension, nostredit saint pere puisse pourvoir aux eglises et benefices d'iceulx nos royaume et Daulphine, quelxques ils soyent, qui ont vacqué jusqu'á ores, et vacqueront durant ledit temps, ainsi comme il lui plaira, comme il a accoustumé, non-obstant nosdites aultres lettres et lesdites deliberations et conclusions prinses par lesdits prelauts et aultres personnes oudit conseil, et par nos confermées et ratifiées, comme dessus est dit, et toutes les aultres choses contenuës en icelles nos lettres, lesquelles nos avons et voulons et determinons avoir por exprimées en ces presentes, et lesquelles nos ne voulons avoir ne sortit aucun effet jusqu'au temps dessusdit. Si donnons en mandement et enjoignons expressement par ces mesmes presentes á vous amás et feaulx gens tenant nostre present parlement, que icelles nos presentes lettres facent publier en nostre cour de nostredit parlement incontinent que elles leur seront presentées; et semblablement mandons et envoyons comme dessus á prevost de Paris, et á tous nos aultres justiciers et officiers de nostredit royaume et Daulphiné, ou á leurs litenans, et á chacun d'eulx, que nos presentes lettres dessusdites facent lire et publier solemnement par tous leurs lieux accoustumés á faire cris en leur jurisdictions, et tous ceulx qu'ils trouveront non obeïr á nos volontés et ordenance et deliberation dessusdites, ils punissent, c'est asçavoir les prelaux et gens d'eglise, quelxque ils soient, par prinse et explectement de leur temporel et aultrement, comme á nous desobeissans, ains comme á cas appartiendra, et les autres si rigureusement et tellement que ce soit exemple á tous aultres. En tesmoins de ce, nous avons fait mettre á ces lettres nostre seel. Donné a Paris le IV. jour de Mars, l'an de grace MCCCC. et sept. et le XXVIII. de nostre regne.

LON-

LONDINENSE CONCILIUM

ANNO CHRISTI 1408.

Ab archiepiscopo Burdegalensi in casu tollendi schismatis,

Anno 1408. habitum.

An. 1408. Affert Vvilk. t. III. ad hunc an. Ex Suppl. Mansi T. III. pag. 782.

FRanciscus Hugotionius archiepiscopus Burdegalensis et S. R. E. cardinalis, adornata cum sociis a Gregorio XII. pontifice secessione, ut reges et principes ad conjunctionem ecclesiæ in concilio Pisas indicto procurandam sollicitaret, venit in Gallias prius; dein in Britanniam, cujus in urbe principe, Londini videlicet, concilium habuit, de quo hæc tradit continuator MS. *Eulogium* in Biblioth. Cotton. apud Wilkins: *Post paucos vero dies* (sc. post adventum ejus Londinum, et post synodum Oxoniensem) *archiepiscopus Burdigalensis, tanquam legatus, convocavit concilium episcoporum Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, & cleri in præsentia regis faciens collationem, accepit pro themate.* Verbum ad te, o princeps etc. *& notabiliter causam ecclesiæ peroravit. Cui conclusionabiliter responsum est, quod Anglici promiserunt suam assistentiam ecclesiæ Romanæ ad ejus unionem, &c.*

CONCILIUM PARISIENSE

Ex Coffarii Appendic. Tom. XI.

De tollendo schismate.

XX. Octobr. anno M. CCCCVIII. celebratum.

Hujus concilii nihil omnino superest, præter instrumentum quod subjicio, petitum ex Tomo VI. Spicilegii Dacheriani.

Declaratio nominatim facta contra certos fautores Petri de Luna, super privationem beneficiorum suorum, concilium ecclesiæ Gallicanæ.

In nomine Domini, amen.

TEnore præsentis publici instrumenti cunctis pateat evidenter, quod anno ejusdem Domini millesimo quadringentesimo octavo, Indictione secunda, mensis Octobris die vicesima, hora decima ante meridiem, ab electione Petri de Luna, ultimo in papam electi, qui dudum Benedictus XIII. nuncupabatur, anno decimo quinto, in concilio sive in congregatione reverendissimorum in Christo patrum, dominorum archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, ac per universitates, metropolitanas, & cathedrales ecclesias regni Franciæ, & Delphinatus Viennensis, deputatorum, per dominum nostrum regem mandatorum ad interessendum personaliter Parisiis, die prima mensis Augusti anni præsentis, concilium ecclesiarum Gallicanæ & Delphinatus celebrandum, & tenendum super ulteriori prosecutione unionis sanctæ matris ecclesiæ, ac regimen dictarum ecclesiarum, pendente neutralitate, pro nunc in dictis regno & Delphinatu currente, cum continuatione dierum, usquequo super omnibus in deliberatione proponendis receptæ & factæ essent certæ & finales conclusiones, prout de vocatione & ordinatione nobis notariis infrascriptis fuit facta fides per organum magistri & potentis domini, domini Arnaldi de Corbeia, militis, & cancellarii Franciæ, qui pluribus diebus præsedit in concilio supradicto, præsidente tamen pro nunc reverendissimo in Christo domino Simone miseratione Divina patriarcha Alexandrino, administratore perpetuo ecclesiæ Carcassonæ, per ordinationem dicti domini nostri regis Francorum, prout nobis notariis publicis infrascriptis, per litteras patentes, sigillo suo in cera alba sigillatas, constabat.

Ipsis dominis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, universitatibus, & aliis deputatis, qui tunc aderant & interesse volebant, concilium ecclesiarum Gallicanæ & Delphinatus Viennensis celebrantibus, & ipsas ecclesias facientibus, & merito repræsentantibus, ut dicebatur: præfatus reverendissimus in Christo pater, dominus Simon patriarcha Alexandrinus, ad domini rectoris, deputatorumque universitatis Parisiensis requisitionem instantem, pluribus ante diebus in præsentia totius concilii iteratis vicibus repetitam, & ut adversus credentes, fautores, participes, & defensores, manifeste notorii expressis & explicatis nominibus dici debeant & vocari.

Et quia in præsentia & conspectu præfati concilii ecclesiæ Gallicanæ & Delphinatus, per eumdem dominum rectorem quædam patens cedula lecta fuit, quæ continebat nomina & cognomina omnium illorum, quos dicta venerabilis universitas studii Parisiensis super hoc solemniter congregata, in dicta congregatione generali ejusdem, reputaverit indiciis evidentioribus, & tunc reputabat veros credentes, fautores, participes, defensoresque notorios & manifestos ipsius Petri de Luna, quæ etiam pluribus ante diebus fuerat repetita: idem reverendissimus pater, volens singulorum super hoc exquirere singulariter votum, opinionem, & mentem, in deliberatione & opinionum interrogatione, posuit & sigillatim expressit, potens qui

ANNO CHRISTI 1408.

qui de nominatis & cognominatis prædictis in eodem cedula & scriptura pro manifeste notoriis, credentibus, fautoribus, participibus, adhærentibus & defensoribus sæpe dicti Petri de Luna schismatici & hæretici tenendi sint ex tunc, & legitime reputarentur.

Quorum omnium intentione opinionibusque discussis, Joannes qui se facit archiepiscopum Auxitanum nominari, Petrus qui se sancti Pontii episcopum faciat appellari, Joannes quondam Cabilonensis episcopus, nunc dictus Mimatensis, abbas sancti Saturnini Tolosani dictus Condomiensis, Bertrandus de Maumont super Vaurensis, dictus Biterrensis, Guigo Flandrini lator, & in parte compositor damnati libelli sub nomine epistolæ Tolosanæ, præsentati Parisiis cardinales, quondam Auxitanus, de Plischo, Chalento, generales Prædicatorum & Minorum, in præfata cedula & deliberatione universitatis Parisiensis annotati, suis exigentibus demeritis, & culpis urgentibus actibusque, præfatis criminibus perseverantis longioris, a præfato ecclesiæ Gallicanæ concilio reputati sunt ipsius Petri de Luna schismatici, & hæretici credentes, fautores, participes & defensores notorii, manifesti, & pro talibus habiti atque tenti, ab ipsoque concilio, & domino Patriarcha, collectis opinionibus omnium declarati: de et super omnibus et singulis præmissis præfatus dominus Patriarcha, et alii quamplures, a nobis notariis publicis infrascriptis sibi fieri petierunt publicum instrumentum, unum, vel plura.

Acta fuerunt hæc in aula alta supra Sequanam regalis palatii Parisiis, sub anno, Indictione, mensis, die, hora & electione prædictis: præsentibus ad hæc venerabilibus et discretis viris, magistris, Guillelmo de Brossis, Nicolao Goe, Nicolao de sancto Clario, et Guillelmo Rousselli, tam doctoribus in jure, quam magistris in artibus, cum quoque pluribus aliis testibus ad præmissa vocatis specialiter et rogatis. Et ego Joannes Bourrileti, etc.

ANNO CHRISTI 1408.

CONCILIUM OXONIENSE

A Thoma Arundellio Cantuariensi archiepiscopo, cum suffraganeis celebratum anno Domini MCCCCVIII.

In lib. constitutionum provincialium archiep. Cantuariens. editarum, in que longe est emendatius quam in recentiori conciliorum Britannicorum collectione.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Quod nullus sæcularis aut regularis ad prædicandum verbum Dei admittatur: nisi auctorizatus.*
2. *Ne quisquam admittatur ad prædicandum, nisi auctorizatus vel alio modo de jure admissus, de cujus admissione fiat fides.*
3. *Quod admissi ad prædicandum in forma supradicta, auditorio debeant se conformare.*
4. *Ne aliqui prætendant de sacramentis ecclesiæ aliter prædicare, quam per ecclesiam discussum reperiatur.*
5. *Quod nulli informatores permittant suos scholares in primitivis scientiis studentes, de fide catholica disputare.*
6. *Ne libellus aliquis compositus per magistrum Joannem Wyclif, legatur in locis quibuscumque, nisi fuerit approbatus.*
7. *Ne textus aliquis sacræ scripturæ in linguam Anglicanam de cætero transferatur per viam libri aut tractatus.*
8. *Ne quis propositiones aliquas contra sanam doctrinam ecclesiæ, pertinaciter in scholis defendat.*
9. *Nullus disputare audeat de articulis per ecclesiam terminatis.*
10. *Nullus cappellanus admittatur ad celebrandum in aliqua ecclesia Cantuariensis provinciæ absque litteris diœcesani commendatitiis.*
11. *Gardiani principales & præpositi universitatis Oxoniensis, semel in singulis mensibus inquirant de moribus & doctrina suorum scholarium.*
12. *Pœna violantium pertinaciter in aliquo casu hanc ultimam constitutionem sive constitutiones præscriptas in aliqua sui parte, præter pœnas in eisdem positas.*
13. *Quod contra infamatum super crimine hæresis procedi poterit summarie & de plano, ipso citato in forma subscripta.*

PRÆFATIO.

THomas permissione Divina Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, universis & singulis venerabilibus fratribus coepiscopis & suffraganeis nostris, abbatibusque, prioribus, ecclesiarum cathedralium decanis, archidiaconis, præpositis & canonicis, ecclesiarum parochialium rectoribus, vicariis & cappellanis, ac clericis & laicis quibuscumque per nostram Cantuariensem provinciam ubilibet constitutis, salutem, & doctrinæ sanctæ matris ecclesiæ firmiter inhærere. Reverendissimæ synodo injuriam fecisse dignoscitur, qui semel ibidem discussa atque diffinita revolvit, & cum quis de principali terreno judicio disputare præsumens, sacrilegii pœnæ subjicitur, prout civilis sapientiæ & legis humanæ manifeste tradit auctoritas; multo magis qui præcepta legum & canonum ab æternæ vitæ & mortis clavigero, vicem non puri hominis, sed veri Dei gerente in terris, & cui ipse Deus cælestis imperii jura commisit, rite edita, canonice promulgata, ac etiam a sanctis patribus prædecessoribus nostris, usque ad gloriosam sanguinis effusionem, & cerebri voluntariam sparsionem firmiter ob-

ANNO CHRISTI 1408.

observata, suæ innitentes prudentiæ temerarie violare præsumunt, ac eisdem doctrinis variis contraveniunt, ipsaque verbis & factis contemnunt, sunt pœna graviori plectendi, ac tamquam membra putrida a corpore militantis ecclesiæ celeriter abscindendi. Considerare enim deberent, quod in antiquo traditur testamento: *Moyses & Aaron in sacerdotibus ejus*, id est, primi inter apostolos discretio quædam fuit: & licet omnes essent apostoli, Petro tamen a Domino concessum est, & ipsi apostoli inter se voluerunt idipsum, ut reliquis omnibus præesset apostolis, & dictus Cephas, id est, caput, principatum apostolorum teneret, cui dictum est: *Tu aliquando conversus, confirma fratres tuos:* quasi diceret, si dubium inter eosdem emerserit, ipsorumve aliquis in via fidei, justitiæ, morum, aut rectæ conversationis erraverit, tu ipsum confirmes in bono; quod profecto non dixisset Dominus, si alios sibi minime decrevisset obedire.

Psal. 98.

Luc. 22.

Scimus tamen, & (quod dolenter referimus) in dies experimur, quod antiquus sophista, Christiani nominis inimicus, præscius quod sana doctrina ecclesiæ, a sanctis patribus antiquitus terminata suis malitiis obviaret, si populum Dei in unitate fidei sub uno capite & ecclesia præservaret, ipsam doctrinam, mediis excogitatis nititur extirpare; vitia mentitur esse virtutes, & sic per mentita suffragia inter populum catholicum emitti discordias, ad effectum ut allis sic, aliisque sic abeuntibus, ecclesiam malignantium sibi constituere poterit ab universali sancta matre ecclesia nequiter discrepantem; in qua ipse satanas in angelum lucis se transformans, prætensam stateram gestans in manu, summam æquitatem prætendit, dum sanctæ matris ecclesiæ doctrinam pristinam, observantiasque ejusdem a sanctis patribus terminatas & traditas, sub certis fictitiis suadeat fore perversas, & alia nova docenda, quæ secundum mendaciorum suorum fictitias majus inducant bonum, licet ipse in veritate bonum non velit, aut cogitet, sed ut schisma seminet, & opinionibus variis atque contrariis in ecclesia suscitatis, fides minuatur hinc inde, a paganis, Judæis, & aliis incredulis & perversis; & ut ex hujusmodi verborum certamine profanentur veneranda Divina mysteria. Sicque verificatur illa figura Apocalypsis 6. *Sedens in equo nigro stateram gestat in manu:* per quam intelliguntur hæretici, qui primo ad instar stateræ æqua & justa proponunt, ut audientium corda ad se alliciant, sed postea apparet equus niger, intentio videlicet in qua resident maledicta. Ipsi namque sub diversa facie & effigie justæ stateræ, cum cauda equi nigri, hæreses & errores spargentes repercutiunt venenosi, atque sub specie boni infinita scandala suscitant, & per electas ad malum personas ipsa in populo nequiter publicantes, tamquam mellis dulcedinem veneno ut sumatur libentius immiscentes, per subtilitates obliquas causant, ut error, veritas, nequitia, sanctitas, & Christi voluntas simulentur. Sed & ipsæ proh dolor! personæ sic electæ, ante prædicant quam mittantur, & ante seminare præsumunt ipsum semen, quam a palea discreto examine separetur: prohibitiones & decreta canonum, contra hujusmodi pestilentes seminatores provide promulgata, minime ponderantes, victimam, ut ita loquamur, diabolicam, sanctæ militantis ecclesiæ obedientiæ anteponunt.

Nos igitur considerantes, quod error cui non resistitur, approbari videtur, & nimis late pandit sinum, qui viperæ ibidem venenum conanti effundere non resistit: volentesque de pedibus nostris excutere pulverem, ac sanctæ matris ecclesiæ honori prospicere, unamque sanctam doctrinam in ecclesia Dei, & præsertim in nostra Cantuariensi provincia, quatenus nobis cum Deo possibile fuerit, seminare debere, ad augmentum fidei & cultus Divini, eradicatis primitus zizaniis; ac malis & scandalis, quæ ratione perversæ prædicationis & doctrinæ insanæ hucusque orta sunt, & plus verisimiliter oriri poterunt in futurum, via convenienti atque possibili obviare, & animarum periculis, quæ præmissorum prætextu novimus provenisse, providere celeriter, necnon & omnia removere obstacula per quæ hæc nostra provisio poterit impediri: de consilio & assensu omnium suffraganeorum nostrorum, & aliorum prælatorum in hac cleri convocatione præsentium, & procuratorum absentium, atque ad instantem petitionem procuratorum totius cleri nostræ Cantuariensis provinciæ, in uberiorem fortificationem juris communis in hac parte edicti, pœnas adjicientes condignas & infrascriptas, statuimus, decernimus, & ordinamus.

CA-

ANNO CHRISTI 1408.

CAPUT PRIMUM.

Quod nullus secularis aut regularis ad prædicandum verbum Dei admittatur: nisi auctorizatus.

QUod nullus secularis aut regularis, ad prædicandum verbum Dei a jure scripto minime auctorizatus, privilegiove speciali munitus, officium sive exercitium prædicationis ejusdem verbi Dei in se assumat, populove aut clero quovis modo prædicet, in Latino sermone seu vulgari, in ecclesia aut extra: nisi primo diœcesano illius loci, in quo sic prædicare nititur, se præsentet, & examinationem subeat, sicque deinde tam moribus quam scientia repertus idoneus, per ipsum diœcesanum ad prædicandum mittatur ad aliquam certam parochiam, vel ad plures, prout eidem ordinario secundum qualitatem personæ videatur expediens: nec etiam aliquis promissorum prædicare præsumat, nisi missione seu auctorizatione sua primo fiat fides in forma competenti; ita videlicet, quod ille qui de jure scripto auctorizatus est, veniat in forma limitata in eo; & qui de privilegio speciali venire se asserunt, privilegium ipsum rectori, aut vicario loci ubi prædicant, realiter exhibeant; qui vero per locorum diœcesanos se missos fore pretendunt, ipsius diœcesani litteras sub sigillo suo magno ad hoc sibi confectas similiter ostendant. Curatum vero perpetuum, admissum intelligimus a jure ad locum & populum curæ suæ. Si tamen præmissorum quisquam propter errores aut hæreses, quos ante forsan prædicasse, asseruisse, aut docuisse pretenditur, per loci diœcesanum aliumve superiorem a prædicatione hujusmodi suspensus fuerit sive prohibitus: ex tunc de prædicando alicui in nostra provincia antedicta se nullatenus intromittat, donec ad ipsius suspendentis sive prohibentis justum arbitrium, defectum suum purgaverit, & ad prædicandum legitime fuerit restitutus: super quo, litteras testimoniales ipsius restituentis, ad locum quemcumque in quo postea prædicabit, secum deferre, & modo supradicto exhibere realiter teneatur. Sacerdotes vero parochiales, sive vicarii temporales, & non perpetui, in forma supradicta non missi, in ecclesiis illis in quibus officia hujusmodi gerunt, illa sola simpliciter prædicent, una cum precibus consuetis, quæ in constitutione provinciali a bonæ memoriæ Joanne prædecessore nostro bene & sancte in suppletionem ignorantiæ sacerdotum edita, quæ incipit, *Ignorantia sacerdotum*, continentur expresse: quam in singulis ecclesiis parochialibus nostræ Cantuariensis provinciæ, infra tres menses post publicationem præsentium haberi volumus; &, prout ipsa postulat, annis & temporibus singulis per ipsos sacerdotes effectualiter declarari. Et ne hoc salubre statutum, ratione exactionis pecuniæ, difficultatisve alterius, tendere videatur ad nocumentum: volumus & ordinamus, quod examinatio personarum, de qua superius fit mentio, ac litteræ diœcesani faciendæ eisdem, sine aliqua exactione pecuniæ, per ipsos quorum interest, & ad quos spectare & pertinere dignoscitur, celeriter expediantur, & gratis, difficultate quacumque semota. Si quis autem hoc nostrum antiqui juris executivum statutum, post publicationem ejusdem, scienter violare præsumpserit contra formam in eodem descriptam, sua temeritate propria prædicando: sententiam excommunicationis majoris incurrat ipso facto, cujus abiolutionem nobis & successoribus nostris tenore præsentium specialiter reservamus. Quod si hujusmodi prædicator, hoc salubri statuto contempto, iptamque majoris excommunicationis sententiam minime ponderans, se secundo ingesserit, prædicando, dicendo, asserendo, pertinaciterve verbo aut facto innuendo, non posse per ecclesiam in personis prælatorum ejusdem sic statui: sententia excommunicationis prædicta per superiores locorum aggravetur debite contra eos, & inhibeatur eisdem omnis communio Christi fidelium, ac super hoc legitime convicti, nisi resipiscant, & abjuraverint in forma ecclesiæ consueta, per loci ordinarium pro hæreticis declarentur, & ex tunc pro hæreticis & schismaticis ab omnibus reputentur, ac omnem juris effectum, hæresisque & schismatis pœnas in jure expressas incurrant ipso facto. Et præsertim ut bona eorumdem ipso jure censeantur confiscata, & ab illis quorum interest, occupentur; ipsorumque fautores, receptatores, & defensores, si per superiores suos in hac parte legitime moniti non desisterint infra mensem, super hoc convicti, simili in omnibus pœna percellantur.

II. *Ne quisquam admittatur ad prædicandum, nisi auctorizatus vel alio modo de jure admissus, de cujus admissione fiat fides.*

Preterea nullus clerus aut populus cujuscumque parochiæ aut loci nostræ Cantuariensis provinciæ, aliquem in ecclesiis, cœmeteriis, aut locis aliis quibuscumque ad prædicandum admittat, nisi prius de auctorizatione, privilegio, aut missione ejusdem, juxta formam supradictam fuerit facta fides: alioquin ecclesia, cœmeterium, seu locus quicumque in quo sic prædicatum fuerit, ipso facto, ecclesiastico subjaceat interdicto, sicque maneat interdictus, quousque ipsi sic admittentes seu prædicari permittentes, se congrue emendaverint, & per loci diœcesanum seu alium superiorem, ipsum interdictum obtineant in debita juris forma relaxari.

III. *Quod admissi ad prædicandum in forma supradicta, auditorio debeant se conformare.*

Insuper sicut bonus paterfamilias triticum spargit in terram ad hoc dispositam, ut fructum plus afferat; volumus & mandamus, ut prædicator verbi Dei veniens juxta formam superius annotatam, in prædicando clero sive populo, secundum materiam subjectam se honeste habeat, spargendo semen secundum convenientiam subjecti auditorii, clero præsertim prædicans de vitiis pullulantibus inter eos; & laicis, de peccatis inter eos communiter usitatis, & non e contra; alioquin sic prædicans, secundum qualitatem delicti per loci ordinarium canonice & acriter puniatur.

IV. *Ne aliqui pretendant de sacramentis ecclesiæ aliter prædicare, quam per ecclesiam discussum reperiatur.*

Item quia turpis est pars, quæ non convenit suo toti, decernimus, & ordinamus, ut nullus hujus-

ANNO CHRISTI 1408.

hujusmodi prædicator, aut alia quævis persona, de sacramento Altaris, matrimonio, peccatorum confessione, aliove quocumque sacramento ecclesiæ, seu fidei articulo, aliter doceat, prædicet, aut observet, quam quod per sanctam matrem ecclesiam reperitur discussum, nec vertat in dubium quod per ecclesiam terminatum fuerit aut decisum, nec verba scandalosa circa eadem scienter proferat publice vel occulte, neque sectam aut speciem hæresis quamcumque prædicet, doceat vel observet, contra sanam ecclesiæ doctrinam. Qui autem contrarium post publicationem præsentium scienter & pertinaciter attentare præsumpserit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat: a qua, excepto mortis articulo, minime absol B vatur, nisi abjuratione premissa de hæresi generaliter vel simpliciter, in forma ecclesiæ consueta, ad arbitrium ordinarii in cujus territorio convincitur deliquisse, se correxerit, & de hac pro commissis pœnitentiam recipiat salutarem. Quod si secundo se ingesserit, recidiverit, seu relapsus fuerit, convictus legitime, pro hæretico & relapso sententialiter declaretur, & ipsius bona pro confiscatis habeantur, & ab illis quorum interest occupentur. Pœnitentiam vero de qua superius fit mentio, volumus esse talem, quod, si quis contrarium determinatis per ecclesiam, videlicet in decretis, decretalibus, seu constitutionibus nostris provincialibus, quamcumque hæresis speciem sive sectam publice vel occulte docuerit, prædicaverit, sive asseruerit, in ecclesia parochiali ipsius loci in quo sic prædicaverit, asseruerit, sive docuerit; uno die Dominico aut alio solemni, pluribusve, ad ipsius ordinarii arbitrium, prout magis aut minus convincitur deliquisse, ipsa sic prædicata, docta sive affirmata revocabit expresse infra Missarum solemnia, cum major populi affuerit multitudo, & ipsa determinata per ecclesiam, prædicabit, docebit, & recitabit effectualiter sine fraude, ulteriusque punietur juxta sui demeriti qualitatem, quatenus discretioni ordinari videbitur expedire.

V. *Quod nulli informatores permittant suos scholares, in primitivis scienter studentes, de fide catholica disputare.*

Similiter quia id quod capit nova testa, inveterata sapit, statuimus & ordinamus, quod magistri sive docentes in artibus aut grammatica pueros, seu alios quoscumque in primitivis scientiis instruentes, de fide catholica, sacramento altaris, seu aliis sacramentis ecclesiæ, aut materia aliqua theologica, contra determinata per ecclesiam, se nullatenus intromittant instruendo eosdem; nec de expositione sacræ scripturæ, nisi in exponendo textum, prout antiquitus fieri consuevit; nec permittant scholares suos sive discipulos de fide catholica seu sacramentis ecclesiæ publice disputare etiam vel occulte. Contrarium autem faciens, ut fautor errorum & schismatum, per loci ordinarium graviter puniatur.

VI. *Ne libellus aliquis compositus per magistrum Joannem Wyclif, legatur in locis quibuscumque, nisi fuerit approbatus.*

Quia insuper nova via frequentius seducit quam antiqua: volumus et mandamus, quod A nullus libellus sive tractus per Joannem Wyclif, aut alium quemcumque tempore suo aut citra noviter compositus sive in posterum componendus, amodo legatur in scholis, aulis, hospitiis, seu aliis locis quibuscumque infra nostram provinciam antedictam, sive secundum ipsum doceatur, nisi per universitatem Oxonii aut Cantabrigiæ, seu saltem duodecim personas ex eisdem, quas eædem universitates aut altera earumdem, sub nostra, successorumve nostrorum discretione laudabili duxerint eligendas, primitus examinetur, et examinatus unanimiter per eosdem, deinde per nos seu successores nostros expresse approbetur, et universitatis nomine ac auctoritate stationariis tradatur ut copiatur, et facta collatione fideli, petentibus vendatur justo pretio sive detur, originali in civitate aliqua universitatis extunc perpetuo remanente. Quod si quis libellum vel tractatum hujusmodi in scholis vel alibi, ut supra, legerit, sive secundum ipsum docuerit contra formam supradictam, ut seminator schismatis atque fautor hæresis puniatur, prout delicti qualitas flagitabit.

VII. *Ne textus aliquis sacræ scripturæ in linguam Anglicam de cætero transferatur per viam libri aut tractatus.*

Periculosa quoque res est, testante beato C Hieronymo, textum sacræ Scripturæ de uno in aliud idioma transferre: eo quod in ipsis translationibus non de facili idem in omnibus sensus retinetur, prout idem beatus Hieronymus, etsi inspiratus fuisset, se in hoc sæpius fatetur errasse. Statuimus igitur & ordinamus, ut nemo deinceps aliquem textum sacræ Scripturæ, auctoritate sua, in linguam Anglicanam vel aliam transferat, per viam libri, libelli, aut tractatus, nec legatur aliquis hujusmodi liber, libellus, aut tractatus, jam noviter tempore dicti Joannis Wyclif, sive citra, compositus, aut in posterum componendus, in parte vel in toto, publice vel occulte, sub majoris excommunicationis pœna, quousque per loci diœcesanum, seu, si res exegerit, per concilium provinciale, ipsa translatio fuerit approbata. Qui contra fecerit, ut D fautor hæresis & erroris similiter puniatur.

VIII. *Ne quis propositionem aliquam contra sanam doctrinam ecclesiæ pertinaciter in scholis defendat.*

Præterea cum terminis philosophicis, sive alias humanitus adinventis, concludi non poterit omnium terminator; beatusque Augustinus veras conclusiones, quia religiosorum aurium fuerant offensivæ, sæpius revocavit; statuimus, & sub obtestatione Divini judicii specialissime inhibemus, ne quis, cujuscumque gradus, status, aut conditionis existat, con- E clusiones aut propositiones in fide catholica seu bonis moribus adverse sonantes, præter necessariam doctrinam facultatis suæ, in scholis aut extra disputando aut communicando, protestatione præmissa vel non præmissa, asserat vel proponat, etiamsi quadam verborum aut terminorum curiositate defendi possint. Nam teste beato Hugone, de sacramentis, sæpius quod bene dicitur, non bene intelligitur. Si quis autem post publicationem præsentium, hujusmodi conclusiones aut propositiones convictus

ANNO CHRISTI 1408.

victus fuerit scienter proposuisse sive asseruisse, nisi monitus se correxerit, infra mensem, auctoritate præsentis constitutionis, sententiam majoris excommunicationis incurrat ipso facto, & pro excommunicato publice nuncietur, donec in loco ubi sic proposuit aut asseruit, suum delictum publice fateatur, & verum [a] catholicum intellectum ejusdem conclusionis sive propositionis, ad arbitrium ordinarii publicè prædicaverit, in [illegible] ecclesia aut diversis, prout ipse ordinario expedire videbitur.

[a] Forte, ac Catholicum. H.

IX. *Nullus disputare audeat de articulis per ecclesiam terminatis.*

Nullus quoque de articulis terminatis per ecclesiam, prout in decretis, decretalibus, constitutionibus nostris provincialibus, sive locorum synodalibus, continetur, nisi ad habendum verum intellectum eorumdem, & hoc expresse, publice, aut occulte, disputare præsumat, aut auctoritatem eorumdem decretorum, decretalium, aut constitutionum, potestatemve condentis eadem in dubium revocet, sive contra determinationem eorumdem doceat, & præsertim circa adorationem crucis gloriosæ, imaginum Sanctorum venerationes, seu peregrinationes ad loca, aut reliquias eorumdem, aut contra juramenta in utroque foro, ecclesiastico videlicet & temporali, in casibus consuetis & more solito præstanda, sed ab omnibus deinceps communiter doceatur, atque prædicetur, crucem & immaginem crucifixi, cæterasque imagines sanctorum, in ipsorum honorem & memoriam quos figurant, ac ipsorum loca & reliquias, processionibus, genuflexionibus, inclinationibus, turificationibus, deosculationibus, oblationibus, luminarium accensionibus, & peregrinationibus; necnon aliis quibuscumque modis & formis, quibus nostris prædecessorum nostrorum temporibus fieri consuevit, venerari debere; atque juramenta tactis sacrosanctis Dei evangeliis, & super ipsis in casibus in jure expressis, & in utroque foro usitatis, ab omnibus quorum interest legitime fore præstanda. Contrarium autem asserens, docens, prædicans, aut pertinaciter innuens, nisi resipiscat sub modo & forma prædictis, & abjuret ut supradictum est, pœnas hæresis & relapsi in eventum incurrat, & pro tali ad omnem juris effectum sententialiter declaretur.

X. *Nullus cappellanus admittatur ad celebrandum in aliqua ecclesia Cantuar. provincia absque litteris diœcesani commendatitiis.*

Statuimus etiam & decernimus, ut nullus cappellanus admittatur ad celebrandum in aliqua diœcesi nostræ Cantuariensis provinciæ, in qua oriundus sive ordinatus non fuerit, nisi deferat secum litteras ordinum suorum, atque litteras commendatitias diœcesani sui, & nihilominus aliorum episcoporum, in quorum diœcesi interim per magnum tempus conversatus fuerit; in quibus expresse caveri volumus & mandamus de moribus & conversatione ejusdem, & an sit diffamatus de & super aliquibus novis opinionibus in fide catholica aut bonis moribus male sapientibus, vel sit de eisdem omnino immunis. Alioquin tam ipse celebrans, quam ipsum sic celebrare permittentes, ad arbitrium ordinarii acriter puniantur.

ANNO CHRISTI 1409.

XI. *Gardiani principales & præpositi universitatis Oxoniensis, semel in singulis mensibus inquirant de moribus & doctrina suorum scholiarum.*

Finaliter, quia ipsa quæ de novo & insolite emergunt, novo & maturo indigent auxilio; & ubi magis est periculum, ibi cautius est providendum & fortius resistendum; nec injuste minus nobile discrete abscinditur, ut quod nobilibus est perfectius nutriatur: considerantes igitur, sed dolenter referentes, quomodo alma universitas Oxonii, quæ sicut vitis abundans suos palmites fructuosos, ad honorem Dei, multiplicemque profectum, & protectionem ecclesiæ suæ, consuevit extendere, jam partim versa in labruscas, uvas acerbas gignit, quibus indiscrete comestis a patribus, in lege videlicet Dei reputantibus se peritos, dentes obstupescunt filiorum, nostraque provincia variis & infructuosis doctrinis inficitur, ac novo & damnabili Lollardiæ nomine maculatur, in ipsius universitatis scandalum non modicum, ad partes exteras & remotas extensum, & proficientium in eadem permaximum tædium; necnon & ecclesiæ Anglicanæ, quæ per virtuosam doctrinam ejusdem, tanquam muro inexpugnabili defendi solebat, jam scissis & divisis lapidibus, nisi celerius occurratur, secundum verisimile, irrecuperabile damnum. Ad supplicationem igitur procuratorum totius cleri nostræ Cantuariensis provinciæ, consensuque & assensu omnium confratrum & suffraganeorum nostrorum, ac aliorum prælatorum in hac convocatione præsentium, & procuratorum insuper absentium: ne purgato rivulo maneat fons infectus, & aquam ab eo currentem non sinat esse claram; volentes honori & utilitati sanctæ matris ecclesiæ & universitatis prædictæ salubriter providere: statuimus & ordinamus, quod quilibet gardianus, præpositus, sive custos collegii, aut principalis aulæ vel introitus cujuscumque universitatis præfatæ, semel singulis mensibus ad minus inquirat diligenter in collegio, aula, sive introitu cui præest, an aliquis scholaris, sive inhabitans in collegio, aula, sive introitu hujusmodi, aliquam conclusionem, sive propositionem, aut opinionem in fide catholica aut bonis moribus male sonantem, aut contra determinationem ecclesiæ, præter necessariam doctrinam facultatis suæ, asseruerit, tenuerit, defensaverit, seu aliquo modo proposuerit; & si aliquem super hoc suspectum aut diffamatum reperiat, ipsum moneat effectualiter ut desistat: & si post hoc, contra monitionem hujusmodi, iterato eadem vel consimilia reassumat, præter pœnas supradictas, majoris excommunicationis sententiam incurrat ipso facto. Et nihilo minus si scholaris fuerit qui sic reassumat, quidquid ex tunc in eadem universitate fecerit, non stet sibi pro forma: & si doctor, magister, aut baccalarius fuerit, eo ipso ab omni actu scholastico sit suspensus; & in utroque casu jus quod habet in eodem collegio, aula, sive introitu, amittat ipso facto; & per ipsos gardianos, custodes, præpositos, principales, seu alios ad quos hoc spectat, realiter expellatur, & statim via legitima substituatur catholicus loco suo. Et si ipsi gardiani, præpositi, seu custodes

ANNO CHRISTI 1408.

des collegiorum, aut principales aularum sive introituum in quibus degunt hujusmodi personæ suspectæ, detectæ, aut diffamatæ, negligentes fuerint circa inquisitiones aut executiones prædictas, per decem dies continues, a tempore notitiæ veræ vel præsumptæ publicationis præsentium, eo ipso sententiam majoris excommunicationis incurrant, & nihilominus omni jure, quod in ipsis collegiis, aulis, sive introitibus se habere prætendunt, ipso facto sint privati; & ipsa collegia, aulæ, sive introitus effectualiter vacent; & facta super hoc legitima declaratione per ipsos quorum interest, novi substituantur gardiani, custodes, præpositi sive principales, prout secundum antiquum morem universitatis prædictæ, vacantibus collegiis, aulis, sive introitibus, fieri consuevit. Quod si ipsi custodes, præpositi, gardiani sive principales prædicti, de & super hujusmodi conclusionibus aut propositionibus diffamati, suspecti fuerint aut detecti, seu defensores, protectores aut fautores eorumdem; si per nos vel auctoritate nostra, per ordinariumve loci, aut auctoritate sua moniti non desistant, ex tunc omni privilegio scholastico universitatis prædictæ, & jure quod sibi competebat in hujusmodi collegio, aula, sive introitu, præter alias pœnas de quibus supra dictum est, ipso jure priventur, & sententiam insuper majoris excommunicationis prædictam incurrant.

XII. *Pœna violantium pertinaciter in aliquo casu hanc ultimam constitutionem sive constitutiones præscriptas, in aliqua sui parte, præter pœnas in eisdem positas.*

Quod si quis in aliquo casu præsentis ultimæ constitutionis, aliove quocumque superius expressato, statuta nostra hujusmodi in aliqua sui parte, etiamsi pœna alia expresse ibidem limitetur, temere & pertinaciter violare præsumpserit; eo ipso, ad quodcumque beneficium ecclesiasticum in nostra Cantuariensi provincia obtinendum, per triennium ex tunc absque spe veniæ reddatur inhabilis & omnino indignus; & nihilominus juxta singula sua demerita & qualitatem excessus, secundum sui superioris discretionem canonice puniatur.

XIII. *Quod contra infamatum super crimine hæresis procedi poterit summarie & de plano, ipso citato in forma subscripta.*

Ad hæc, ne in modo procedendi circa præmissa vagari videatur sub incerto, advertentes, quod licet inter crimen hæresis & læsæ majestatis in legibus diversis quædam paritas reputetur, est tamen dissimilis culpa, pœnamque exigit graviorem, Divinam quam humanam offendere majestatem. Cum ergo reum læsæ majestatis propter pericula, quæ ex dilatione poterunt imminere, sufficit convincere per judicia, procedique poterit contra eum summarie & de plano, ac citatione præmissa per nuncium, per litteras, sive per edictum, & lite non contestata, ad testium receptionem & diffinitivam sententiam: Volumus, ordinamus, & declaramus, ob facliorem punitionem delinquentium in præmissis, & reformationem scissuræ ecclesiæ ex hoc læsæ, quod diffamati, detecti, sive denunciati, sive vehementer suspecti in aliquo casuum prædictorum, sive alio articulo quocumque in fide catholica aut bonis moribus male sonante, auctoritate loci ordinarii, alteriusve superioris citentur personaliter, si apprehendi poterint, per litteras sive per nuncium publicum juratum; sin autem, per edictum, ad locum habitationis ipsius delinquentis ubi morari communiter consuevit, & in ecclesia sua parochiali, si certum habuerit domicilium, publice propositum, alioquin in ecclesia cathedrali loci originis suæ, & in ecclesia parochiali ipsius loci, in quo sic prædicaverit, & docuerit: ac recepto certificatorio legitimo de citatione hujusmodi executa, contra sic citatum etiam absentem & comparere negligentem, in pœnam contumaciæ suæ hujusmodi, summarie & de plano absque strepitu & figura judicii, ac lite contestata, ad testium receptionem, & alias probationes canonicas procedatur; habita quoque informatione legitima, idem ordinarius omni dilatione semota, sententiet, declaret, puniatque secundum qualitatem delicti, modo & forma superius expressatis, ulteriusque faciat quod est justum, ipsius contumacis absentia non obstante.

Datum Oxonii &c.

Ut servetur statutum Regis Westmonasterii editum contra Lollardos.

Item cum domino regi, & ex parte prælatorum, & cleri regni sui Angliæ, in præsenti parlamento sit ostensum, quod, licet fides catholica super Christum fundata, & per apostolos suos, & ecclesiam sacrosanctam sufficienter determinata, declarata, & approbata, hactenus per bonos & sanctos nobiles progenitores antecessores dicti domini regis in dicto regno inter omnia regna extiterit devotius observata; & ecclesia Anglicana per dictos inclytissimos progenitores & antecessores suos ad honorem Dei & totius regni prædicti laudabiliter dotata, & in suis juribus & libertatibus sustentata, absque hoc quod dicta fides vel dicta ecclesia per aliquas doctrinas perversas & opiniones iniquas, hæreticas, vel erroneas læsa fuerit vel oppressa, seu graviter perturbata: nihilominus tamen diversi perfidi & perversi cujuscumque vanæ sectæ, de sancta fide, sacramentis ecclesiæ, & auctoritate ejusdem, damnabiliter sentientes, ac contra legem Divinam & ecclesiasticam, prædicationis officium temere usurpantes, diversas novas doctrinas & opiniones, iniquas, hæreticas, & erroneas, eidem fidei ac sanctis determinationibus ecclesiæ sacrosanctæ contrarias, perverse & malitiose intra dictum regnum in diversis locis, sub simulatæ sanctitatis colore, prædicant & docent his diebus, publice & occulte; ac de hujusmodi secta nefandisque doctrinis & opinionibus conventiculas, operationes, & conforderationes illicitas faciunt, scholas tenent & exercent, libros faciunt atque scribunt, populum nequiter instruunt & informant, & ad seditionem seu insurrectionem excitant, quantum possunt: & magnas dissensiones & divisiones in populo faciunt, ac alia diversa enormia auditu horrenda in dies perpetrant & committunt, in dicta fidei catholicæ & doctrinæ ecclesiæ sacrosanctæ subversionem, Divinique cultus diminutionem, ac etiam in destructionem status, jurium & libertatum ecclesiæ Anglicanæ. Per quas quidem sectas falsas, nefandas prædicationes, doctrinas, opi-

Incertum an hoc capitulum pertinent ad concil. Oxoniense: sed cum in libro constitutionum Provincial. Angliæ ipsi proxime sit subjectum, hic deesse nolumus.

ANNO CHRISTI 1408.

opiniones dictorum perfidorum & perversorum, nedum maximum periculum, verumetiam quamplura damna, scandala, & pericula, eidem regno, quod absit, poterunt evenire, nisi in hac parte per regiam potestatem uberius & celerius succurratur: præsertim cum diœcesani dicti regni per suam jurisdictionem spiritualem dictos perfidos & perversos, absque auxilio dictæ regiæ potestatis, sufficienter corrigere nequeant, nec ipsorum malitiam refrænare, pro eo quod dicti perfidi & perversi, de diœcesi in diœcesim se transferunt, & coram dictis diœcesanis comparere diffugiunt, ipsoique diœcesanos, & suam spiritualem jurisdictionem, ac claves ecclesiæ & censuras ecclesiasticas despiciunt penitus & contemnunt: & sic suas nefandas prædicationes & doctrinas in dies continuant & exercent, ad omnem rationis ordinem atque regimen penitus destruendum. Super quibus quidem novitatibus & excessibus superius recitatis, prælati & clerus supradicti, ac etiam communitates dicti regni in eodem parlamento existentes dicto domino regi supplicaverunt, ut sua dignaretur regia celsitudo in dicto parlamento providere de remedio opportuno. Qui quidem dominus rex præmissa, ac etiam dictorum inclytissimorum progenitorum & antecessorum suorum laudabilia vestigia gratiose considerans, pro conservatione dictæ fidei catholicæ, & sustentatione cultus Divini, ac etiam pro salvatione jurium & libertatum ecclesiæ Anglicanæ ante dictæ, ad Dei laudem, ipsiusque domini nostri regis meritum, ac totius regni sui prosperitatem & honorem, pro hujusmodi dissentionibus, divisionibus, & periculis & scandalis, in posterum evitandis, & ut hujusmodi nefanda secta, prædicationes, doctrinæ, & opiniones cessent de cætero & penitus destruantur: & assensu magnatum & aliorum procerum ejusdem regni in dicto parlamento existentium, concessit, ordinavit, & statuit firmiter observari: quod nullus intra dictum regnum, seu alia loca Divina suæ regiæ potestati subjecta, prædicare præsumat publice vel occulte, absque licentia loci diœcesani petita primitus & obtenta: curatis, in suis propriis ecclesiis, & personis hactenus privilegiatis, ac aliis a jure canonico permissis, duntaxat exceptis; nec quod aliquis de cætero aliquid prædicet, teneat, doceat, vel informet, secrete vel palam, aliquem librum conficiat seu scribat contrarium fidei catholicæ seu determinationi ecclesiæ sacrosanctæ; nec de hujusmodi secta, nefandis doctrinis & opinionibus, conventiculas aliquas faciat seu scholas teneat; tenenti vel exercenti, aut talem librum facienti seu scribenti, vel populum sic docenti vel informanti aut excitanti quomodolibet, faveat; nec ipsorum aliquem manu teneat aliqualiter vel sustentet; & quod omnes & singuli aliquos libros seu aliquas scripturas de hujusmodi nefandis doctrinis & opinionibus habentes, omnes hujusmodi libros & scripturas loci diœcesano, intra quadraginta dies a tempore proclamationis istius ordinationis & statuti, liberent seu liberari faciant realiter cum effectu. Et si qua persona, vel personæ, cujuscumque sexus, status, conditionisve existat vel existant, de cætero contra dictam ordinationem regiam & statutum prædictum, in præmissis, vel aliquo præmissorum, fecerit vel attentaverit, fecerint vel attentaverint; vel hujusmodi libros in forma prædicta non liberaverit vel liberaverint: tunc loci diœcesanus in sua diœcesi ipsam personam in hac parte diffamatam vel evidenter suspectam, seu ipsas personas diffamatas vel suspectas, & ipsarum quamlibet, possit auctoritate dictorum ordinationis & statuti facere arrestari, & sub salva custodia in suis carceribus detinere, quousque de articulo ei vel illis imposito in hac parte canonice se purgaverit seu purgaverint; hujusmodi nefandas, sectam, prædicationes, doctrinas, vel opiniones hæreticas, erroneas, abjuraverit vel abjuraverint, prout jura ecclesiastica exigunt & requirunt. Itaque prædictus diœcesanus, per se vel commissarios suos, contra hujusmodi personas sic arrestatas & sub custodia remanentes, ad omnem juris effectum publice & judicialiter procedat, & negotium hujusmodi intra tres menses post dictam arrestationem, impedimento legitimo cessante, terminet juxta canonicas sanctiones. Et si aliqua persona in aliquo casu superius expressato coram loci diœcesano seu commissariis suis canonice fuerit convicta: tunc ibidem diœcesanus dictam personam sic convictam, pro modo culpæ & secundum qualitatem delicti, possit in suis carceribus facere custodiri, prout & quamdiu discretioni suæ videbitur expedire: ac ulterius eamdem personam, præterquam in casibus, quibus secundum canonicas sanctiones relinqui debeat curiæ sæculari, ad finem pecuniarium domino regi solvendum ponere, prout hujusmodi finis eidem diœcesano, pro modo & qualitate delicti, competens videatur. In quo casu idem diœcesanus, per litteras suas patentes ipsius sigillo sigillatas: de hujusmodi fine ipsum regem certificare aut in * saccario suo rectorio teneatur. Ad effectum quod hujusmodi finis de bonis ejusdem personæ sic convictæ auctoritate regis ad opus erigi poterit & levari. Et si aliqua persona supradicta super nefandis cogitationibus, doctrinis, opinionibus, scholis, & informationibus, hæreticis & erroneis, vel aliqua earumdem, finaliter coram loci diœcesano vel commissariis suis convicta fuerit; & hujusmodi nefandas, sectam, prædicationes, doctrinam, & opiniones, scholas, & informationes, debite abjurare recusaverit, aut per loci diœcesanum vel commissarios suos, per abjurationem per eamdem personam factam sententia pronunciata fuerit vel elapsa, ita quod secundum canonicas sanctiones relinqui debeat curiæ sæculari (super quo credatur loci diœcesano, seu commissariis suis in hac parte) tunc vicecomites comitatus illius, vel major & vicecomites, seu vicarii majorum, & baillivi civitatis, villæ, vel burgi ejusdem civitatis, dicto diœcesano seu dictis commissariis magis propinqui, a sententiis per diœcesanum, aut commissarios suos, contra personas hujusmodi & earum quamlibet proferendis, ad prædictum diœcesanum seu commissarium ejusdem * fuerint requisiti, personaliter sint præsentes. Et personas illas, ac quamlibet earumdem, post hujusmodi sententias prolatas recipient, & eosdem coram populo in eminenti loco comburi facient: ut hujusmodi punitio in metum maneat mentibus aliorum, ne hujusmodi nefandæ doctrinæ, & opiniones hæreticæ, erroneæ, vel ipsarum auctores & fautores, in dictis regno & dominis contra catholicam religionem & Christianam determinationem ecclesiæ sacrosanctæ, quod absit, sustententur, seu quomodolibet tolerentur. In quibus omnibus, & singulis

ANNO CHRISTI 1408.

* *Lege, saccario.* *Sed & aliquid hic deesse videtur.* H.

* *Forte, ubi fuerint &c.* H.

ANNO CHRISTI 1408.

gulis prænissis, dictam ordinationem & statutum consequentibus, vicecomites, majores, & baillivi dictorum communium, civitatum, villarum, vel burgorum, dictis diœcesanis, & eorum commissariis, sint intendentes etiam & faventes.

COMMISSIO EPISCOPO LOND. ad publicandum constitutiones prædictas.

Thomas, &c. venerabili fratri nostro domino Ricardo Dei gratia Londinensi episcopo, salutem & fraternam in Domino caritatem.

CUm in nostro provinciali concilio nuper Oxonii celebrato, de consilio & assensu vestri, & aliorum venerabilium confratrum & suffraganeorum nostrorum, ad instantem petitionem totius cleri nostræ Cantuariensis provinciæ, certas constitutiones provinciales contra detractores evangelicos, conantes seminare zizania in agro Dominico, sacrosancta videlicet militante ecclesia, ediderimus, ipsasque postmodum in ultima convocatione nostra celebrata in ecclesia sancti Pauli London. coram vobis ac præfatis venerabilibus confratribus nostris & clero, repetita promulgatione recensitas debite publicaverimus, ut vos latere non credimus: nos proinde attendentes, quod frustra jura vel leges conduntur, nisi debitæ executioni mandentur, constitutiones ipsas sub sigillo nostro clausas, præsentibus annexas, ne quisquam ignorantiam prætendere poterit, vobis transmittimus publicandas; volentes, & fraternitati vestræ firmiter injungendo mandantes, quatenus copias constitutionum ipsarum, sub sigillo & litteris vestris harum seriem con-

A tinentibus, singulis venerabilibus confratribus & suffraganeis nostris dictæ nostræ provinciæ transmittentes, auctoritate nostra injungatis eisdem, quibus nos etiam tenorem præsentium injungimus, quod eorum singuli in singulis civitatibus & diœcesibus eorumdem, prout ad eorum unumquemque attinet, præfatas constitutiones in synodis eorum & capitulis, juxta canonicas & provinciales constitutiones in ea parte editas, canonice publicent, seu sic faciant debite publicari. Vosque, venerabilis frater noster, executioni præmissorum in vestris civitate & diœcesi, prout ad vos attinet, consimiliter faciatis. De die vero receptionis præsentium, modoque & forma executionis vestræ,

B necnon & quid feceritis in præmissis, nos citra festum sancti Joannis Baptistæ proximo futurum debite certificetis litteris vestris patentibus, habentibus hunc tenorem: eisdem venerabilibus fratribus nostris, auctoritate nostra firmiter injungente, quod eorum singuli citra præfatum festum consimiliter nos certificent debite & distincte.

Datæ in castro nostro de Quenburgh, XIII. die mensis Aprilis, anno Domini DCCCCIX. & nostræ translationis anno tertiodecimo.

G. C. Bis hoc concilium eisdem omnino verbis describit collector Anglicanus, semel sub Oxoniensis, iterum sub Londinensis concilii titulo: quia in variis manuscriptis nunc Oxoniense, nunc Londinense dicitur: eam unam ob causam, quod & Oxonii anno MCCCCVIII. celebratum, & Londini anno MCCCCIX. promulgatum sit: ut discimus, tum ex instrumento commissionis, quod mox legisti, tum ex ipsa inscriptione editionis Parisiensis, quam præcipue secuti sumus. Ita enim inscribitur: *Hic incipiunt constitutiones domini Thomæ Arundelli Cantuar. archiepiscopi, editæ in convocatione totius cleri ipsius provinciæ, Oxonii celebratæ, anno Dom. MCCCCVIII. & publicatæ in ecclesia S. Pauli Londonensis, in præsentia suorum suffraganeorum, anno Domini MCCCCIX.*

AD OXONIENSE CONCILIUM

A Thoma de Arundel Cantuariensi Archiepiscopo

Anno 1408. *habitum*

ADDITIO.

An. 1408. Ex suppl. Mansi To. III. pag. 783.

„ LAtas in concilio Oxoniensi, dein in al-
„ tero Londinensi constitutiones Thomas
„ Cantuariensis archiepiscop. vel statim vel
„ per varios succedentes annos pro data oc-
„ casione seu confirmavit seu exposuit, vel
„ intra arctiores limites restrinxit; has ejus
„ sanctiones, velut ad priora illa statuta ap-
„ pendices, hic exhibeo ex Wilkins t. III.
„ pag. 323.

Monitio generalis ut observentur constitutiones domini archiep.

Ex reg. Arundel. II. in an.

Thomas, &c. dilectis in Christo filiis, can-
cellario universitatis Oxon. ejusve commissario
vel locumtenenti, ac XII. personis, nostra &
nostræ provinciæ concilii auctoritate ad discus-
sionem & damnationem errorum & hæresum
in dicta universitate electis, seu saltem majo-
ri & saniori parti earumdem, salutem, &c.

Licet in nostris constitutionibus provincialibus, nostra & nostri concilii provinciæ auctoritate, contra errores & hæreses, ac tentores

D & defensores earumdem canonice editis, & per dictam universitatem, nec non & per provinciam nostram Cant. debite publicatis, inter cætera contineatur expresse „ quod magistri; &c. quodque &c. " prout in quinta & sexta divisione illarum constitutionum plenius continetur, nonnulli tamen dictæ universitatis, quos notorie hortari noscuntur constitutiones præfatæ, qui tanquam generatio prava & exasperans, gaudent super iniquitate & contradictione in civitate; præfatis constitutionibus, saltem in præmissis, contravenire præsumunt, &

E velut infideles filii merito irritandi in gente stulta, ad non modicam contradictionem & scandalum in universitate prædicta ipsas constitutiones observare negligunt & contemnunt. Volentes igitur dictas nostras constitutiones, ac singula contenta in eisdem, exequi, ut tenemur, vobis committimus & mandamus firmiter, &c. quatenus moneatis, &c. publice & in genere præfatos degeneres & ingratos filios, omnes & singulos, ac eis cohærentes & faventes, quos nos etiam tenore, &c. quod præ-

☞ fatas constitutiones nostras & singula contenta in eisdem, sub pœna excommunicationis majoris observent, & sic in omnibus observare studeant, ut deberent. Et si quos tanta agitaverit cervicosa præsumptio, quod hujusmodi vestris, quin verius nostris, monitionibus parere contempserint, ipsos citetis seu, &c. quod compareant, &c. ubicumque, causas rationabiles, si quas pro se habeant, quare nominatim & in specie excommunicari, & nihilominus juxta formam ipsarum constitutionum puniri non debeant in forma juris proposituri, ulteriusque facturi, recepturi & subituri, quod in hac parte, &c. Dat. apud Forde mense decemb. Domini, & translat. nostræ annis supradictis.

ANNO CHRISTI 1408.

Pro executione novellarum constitutionum citatio.

Ibidem.

Thomas, &c, dilectis in Christo filiis, cancellario universitatis Exon. ejusve locumtenenti, sive commissario; nec non magistris Richardo Courtenay, & Richardo Talbot, aliisque universis & singulis zelatoribus fidei Christianæ per universitatem Oxon. ac nostram provinciam Cant. ubilibet constitutis salutem, &c. Fide digna relatione, sed non sine gravi admiratione & displicentia pridem audivimus, quod quidam Johannes Keyby, Johannes Luk, Rowlandus Bwys, & Robertus Burton, magistri artium, quin potius errorum discipuli, quodammodo conversi in arcum pravum, intenderunt rem amaram contra nostras provinciales constitutiones ad detestationem errorum & hæresum, & pro firmitate S. matris ecclesiæ et determinatione ejusdem nuper editas, exacuentes ut gladium linguas suas, ipsis constitutionibus nostris provincialibus, immo et in pluribus determinationi S. matris ecclesiæ, tam publice quam occulte contraveniunt, et velut de conventu malignantium exeuntes alios ad consimile præcipitium secum trahunt, ac eis contra constitutiones præfatas agentibus, favent publice et adhærent. Volentes idcirco dictas nostras constitutiones exequi, ut tenemur, et ipsorum delinquentium temeritatem debita coercitione punire, vobis communiter et divisim committimus, etc. quatenus citetis seu, etc. præfatos, etc. quod compareant, etc. 15. die, etc. ubicumque de et super præmissis et ea concernentibus contra fidem nostram catholicam, et nostras constitutiones præfatas per eosdem attentatis, et contra eosdem objiciend. et probandis de justitia personaliter responsuri, facturique ulterius, etc. quod justitia suadebit. Et quid feceritis in præmissis et. Dat. ut supra.

ANNO CHRISTI 1408.

Archiepiscopi Cant. declaratio provincialis constitutionibus edita.

Ex reg. Arundel. II. f. 119. a.

Thomas, permissione divina, etc. Universis et singulis venerabilibus fratribus nostris provinciæ Cant. suffraganeis, salutem, et fraternam in Domino charitatem, ac omnibus et singulis rectoribus, vicariis, et aliis, quorum interest, quibuscumque, per nostram Cant. provinciam ubilibet constitutis, salutem, gratiam, et benedictionem. Ex fideli relatione in præsenti prælatorum et cleri convocatione nobis facta concepimus, quod sunt nonnulli nostræ Cant. provinciæ subditi et subjecti, qui constitutionem nostram provincialem, juris communis executivam, contra officium prædicandi temere usurpantes nuper editam, sinistre interpretari nituntur, ac ipsius prætextu fratres quatuor ordinum mendicantium; nisi quatenus litteras ordinariorum secum deferant, ab eodem prædicandi officio omnino excludere prætendunt, et contra mentem ipsius statuti manifestam. Nos igitur ipsis exclusionibus via juris et justitiæ obviare volentes, vobis conjunctim et divisim committimus et mandamus, quatenus universos et singulos fratres dictorum quatuor ordinum, videlicet, Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, et Augustinensium, cum ad loca vestra venerint, verbum Dei prædicaturi, more solito et antiquo admittatis, dicta constitutione nostra, cum eos non prohibeat prout nec debuit, in aliquo non obstante. Dat. Londonii decimo die mensis Martii, annis supradictis.

CONCILIUM REMENSE

A Guidone de Roya Archiepiscopo Remensi an. 1408. celebratum.

IN hac Synodo ad 22. Julii anni 1407. convocata, ac Episcopis non comparentibus in 8. Novemb. ejusdem anni, ac demum ad diem 28. Aprilis anni 1408. prorogata, varia de SS. Trinitate et fide Catholica; de Sacramentalibus; de habitu et conversatione Clericorum; de Monachorum et Monialium reformatione; contra officialium exactiones; de schismatis extinctione decernuntur, et scholæ Parisiensis privilegia ab Urbis Prætore violata statuminantur. Hujus memoriam conservavit cl. Marlotus Hist. Clemen. tom. 2. l. 4. pag. 688. Vide etiam Gerson. Opera tom. 2.

AD

ANNO CHRISTI 1408.

AD REMENSE CONCILIUM

Anno 1408. habitum

ADDITIO.

Remensis concilii vix meminit Labbei editor Venetus to. XV. pag. 1103. Nobile additamentum exhibent opera Gersonii, inter quæ legas sequentem sermonem ab eodem Gersonio tunc dictum.

SERMO FACTUS IN CONCILIO REMENSI

Anno Domini 1408.

Collat. ad MSS. Codd. Vict. 698. Colbert. 99. & 1972. & Navarricum unum.

Ex Suppl. Mansi. An. 1408. Ex t. operum Gerson. pag. 542. edit. Dupin.

BOnus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Originaliter Joan. XVII. & recitative in evangelio Dominicæ currentis præsentialiter lecto. Animadverte nunc, o bone pastor, o reverendissime pater Sanctæ Sedis hujus Remensis antistes, animadverte tu, qui animam tuam habes pro ovibus tuis dare, non venalem habere, non præjudicialiter retinere. *Leva* nunc *in circuitu oculos tuos & vide, omnes isti congregati venerunt tibi*. Isaiæ XLIX. 18. obedientes sunt, non *sicut oves errantes, sed conversi* sunt ad te *Pastorem, & episcopum animarum* suarum, I *Pet.* II. 25. secundum verba primi pastoris Petri in epistola ejusdem Dominicæ currentis. Interrogentur, qui & quales ipsi sunt. Respondere convenit eis ex sententia illud Gen. XLVII. 3. *Pastores ovium sumus*. Conveniat, & o utinam, illud alterum de evangelio cuilibet eorumdem: *Ego sum Pastor bonus*, qualis *animam suam dat pro ovibus suis*. Pro illis, inquam, ovibus, quæ propheticum illud canunt Deo; *Nos autem populus tuus, & oves pascuæ tuæ*. Ps. LXXVIII. 13. Miretur igitur, & affluat, & dilatetur cor tuum, cum videas tu, bone pastor, coadjutores tuos, consodales, duces gregis tui, ipsosque rationales quosdam pascuæ tuæ, hoc est, provinciæ tuæ Remensis, arietes. Quidni miretur in hac die, & affluat, & dilatetur cor tuum, cum promiserit summus pastor noster dicens: *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum?* Matth. XVIII. 20. Grandis promissio, viri patres & fratres, & omni consolatione plenissima. Hæc nempe celeberrima congregatio, hæc tua convocatio sanctissima, o bone Pastor, numquid in nomine Jesu facta esse vere putanda est? Putanda est profecto; fit enim ad extirpationem vitiorum, & virtutum plantationem. Fit ad evulsionem schismatum, & pulcherrimæ pacis radicationem. Fit denique ad sortem custodiam gregis Dominici, ne male dispersum, ne vagabundum, per deserta negligentiæ rapiat, dissipet, perdat, devoret ipsum lupus ille vorax infernalis; quin potius visitatus crebro colligatur sub unius ovilis tectum, quod est Fides Christiana: illic protectione sollicita foveatur. Ecce ergo Dominus noster Jesus Christus in medio nostrum est, viri Patres & Fratres. Intendite, quæ dico; Dominus in medio nostrum est; quid aspicitis, quid stupetis? Ita est, credite, non mihi, sed pollicenti, qui mentiri non potest: *Ego* (inquit) *in medio eorum sum*. Matth. XVIII. 20. Et quis ego? Qui loquitur, *Dominus fortis, & potens*, Ps. XXIII. 8. Ipse est *Pastor bonus qui animam suam* dedit *pro ovibus suis*. O certe pulchra, o felix hæc, & Deo grata societas, in cujus medio Dominus ille est, cui Angeli serviunt, cui sol & luna famulantur. Nemo jam desperet, nemo trepidet ex aspectu, vel occursu tot luporum rapacium, insidiantium quotidie gregi Christi; confidat potius unusquisque in verbo Elisæi: *Plures nobiscum sunt quam cum illis*. 4. Reg. VI. 16. Adest quippe Deus, adsunt & ministri ejus millia millium, & decies centena millia; Dan. VII. 10. quod si tales pro nobis, *quis contra nos?* Rom. VIII. 31. Ades & tu pulcherrima, non dicam, Palea, quam pastorum deam Gentilitas fabulatur, sed summa veri Pastoris Mater, Virgo misericordiæ, Virgo benedicta, ades plane, nam ubi Mater, si non ubi filius invenitur. Adimus ergo nunc te cum fiducia, quæ thronus es gratiæ, Mater misericordiæ, ut *gratiam & misericordiam inveniamus in auxilio opportuno*, Hebr. IV. 16. quod ut assequamur, præsentemus illud Angelicum; *Ave gratia plena Dominus tecum, &c.*

Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Fiat hoc, fiat. Congratulor tibi, o bone pastor, congaudeo, & glorior in Domino; quoniam video, vident & cæteri omnes hic præsentes studium tuum, zelum tuum, quo ad imitationem veri Pastoris quæris per hoc sacratissimum concilium dare animam tuam pro ovibus tuis. Et qualem animam? Animam sane quæ triplici virtute prædita est. Habet itaque anima tua, sicut & reliqua de humana specie, vim triplicem, habet vim rationalem respectu veri, vim irascibilem respectu ardui, vim concupiscibilem respectu boni. Itaque *bonus pastor dat* hanc totam *animam pro ovibus suis*. Fiat hoc igitur, fiat, quia: *Tempus faciendi Domine*, loquitur Propheta ad Dominum. Quare *tempus faciendi?* quia *dissipaverunt Legem tuam*. Ps. CXVIII. 126. Qualem Legem? Legem evangelicam, naturalem, & canonicam. Quibus modis? Innumeris & pessimis. Propterea convenit nunc ecclesia magna,

ANNO CHRISTI 1008.

gna, ecclesia totius hujus Remensis provinciæ cogitare quid facerent. Et bene quid facerent, quia *tempus faciendi*, tempus ponendi manus ad opus, & ad aratrum; alioquin quid proderit novas veteribus superaddere sanctiones, si non veteres fiant, nec novæ? Apponatur manus ori necesse est, hoc est, operatio locationi sit; *vox quidem vox Jacob, manus autem manus sunt Esau*. Gen. XXVII. 22. Evitetur improprium quod vulgari proverbio melius sonat: *dictum optimum est, sed querite quis hoc agat*. Illud insuper, quod objectum fuisse Platoni Seneca refert: *Aliter loqueris, aliter vivis*. Denique satis fuit mordax in Pastores responsio feminæ cujusdam devotæ. Hæc redibat de sermone quodam cum turba multa. Interrogatur ab obvio quodam, si sermo factus esset; nequaquam, inquit. Porro dum interrogans miraretur, suæque reversionis cum hominum hac copia causam requireret, ex quo non erat sermo factus; subintulit ipsa: *Sermo utique dictus est, sed non factus. Dicunt enim, & non faciunt*. Matth. XXIII. 3.

Fiat igitur ab unoquoque pastore, quod proponit Dominus: det *animam suam pro ovibus suis*. Illam itaque animam, quæ imago est beatæ Trinitatis, secundum triplicem vim prænominatam. Relucet nimirum in sua vi rationali, sapientia, seu veritas, quæ appropriatur Filio. Relucet in irascibili potentia, seu strenuitas, quæ appropriatur Patri. Relucet in concupiscibili benevolentia, seu bonitas, quæ appropriatur Spiritui Sancto. Hanc, o bone Pastor, totam animam, non unicam suæ virtutis portionem, curaveris dare pro ovibus tuis, triplici sedulitate pascendis. Nec enim æstimo te latere, quemadmodum olim primo Pastori Petro ter interrogato, terque respondenti, bonus Pastor Christus ter subintulit dicens: *Pasce oves meas; pasce agnos meos*. Joan. XXI. 16. 17. Et rursus: *si diligis me, pasce oves meas*; pasce verbo, pasce exemplo, pasce subsidio, pasce verbo prædicationis doctæ, pasce exemplo conversationis sanctæ, pasce subsidio charitatis piæ. Prædicatio docta fundatur in Fide quoad vim rationabilem. Conversatio S. roboratur in spe quoad vim irascibilem. Subventio pia consummatur in Charit. quoad vim concupiscibilem. Quisquis hoc modo paverit oves suas triplici pabulo salutari, verus imitator censendus est Pastoris boni, implens sententiam suam comprehensam in verbis thematis: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*; Joan. X. 11. Sic enim repellit ab ovibus suis rationalibus tres turmas Chaldæorum, interficere quærentium greges cum pueris, juxta figuram in principio Job positam. Sic arcet, sic reprimit tria luporum spiritualium genera sævissima ab ovibus Christi, lupum carnem, lupum mundum, lupum diabolum. Fides appropriate reprimit mundum. Quæ est *hæc victoria, quæ vincit mundum? Fides nostra*. I. Joan. V. 4. Spes coercet, & configit carnem, dum agit, *ut nostra conversatio sit in cœlis*. Philipp. III. 20. non carnalis Charitas demum fugat diabolum, quia sola dividit inter filios regni, & perditionis, Dei scilicet, & diaboli. His itaque prælocutis tam pro fundamento quasi solido dicendorum, quam ut posito ordine lucido confusio fastidiosa, & memoriæ inimica vitetur. Pergamus consequenter juxta hanc tripartitam animæ tuæ virtutem, o beate Pastor, & exequamur tres in hac nostra qualicumque cohortatione partitionem principales sub ternario considerationum in unoquoque particularis articulo, quatenus ædificium nostrum tanquam triangulari triplicique fabulum, fortiori stabilitate subsistat. Erit prima partitio, de pabulo doctæ prædicationis. Erit secunda, de pabulo sanctæ conversationis. Erit tertia, de pabulo piæ subventionis. Fiat, fiat.

Ennumeratis igitur primæ partitionis structuram, collocemus in ea primam considerationem, quæ talis est.

Consideratio prima.

Pascere oves pabulo prædicationis, dando animam quoad vim rationalem pro eis est officium de necessitate annexum pastorali dignitati: dura pro quibusdam, sed verissima sententia: Proba: perspicuum certe est, politiam ecclesiasticam a Christo legislatore sapientissimo perfecte constitutam esse, quippe ille est, de quo Moyses cecinit: *Dei perfecta sunt opera*. Deut. XXXII. 4. Sed ad hujus institutionis perfectionem exigitur nutritio spiritualis pro vita animarum conservanda, quemadmodum in politia terrena necessarius est corporalis cibus; alioquin sine pabulo convenienti, sicut illa temporalis, sic & illa spiritualis vita suo modo deficeret, nec esse communitas per se sufficiens. Ad hoc respicit dictum vetus a Christo renovatum: *Non in solo pane vivit homo*, &c. Luc. IV. 4. Oportuit igitur ordinare ministratores aliquos pabuli hujus spiritualis pro rationalibus ovibus gregis Christi, ne perirent, qui hoc agere, & possent ex officii auctoritate, & deberent ex superioris obligatione. Tales vero, quales alios convenientius accipimus, quam Prælatos? Hos ideo *Pastores* appellat crebro scriptura tam veteris, quam novi testamenti, increpans eos qui non oves, sed se pascunt. Unde nec puduit Deum ad hujus rusticanum humilitatis exemplum sese dejicere: *Ego sum Pastor bonus*, &c. Joan. X. II. Hinc Malachias cap. II. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem ex ore ejus requirent*. Propterea enim *dedit* Deus *ipsis regiones Gentium, & labores populorum, ut custodiant justificationes ejus, & Legem ejus exquirant*, Ps. CIV. 44. 45. & *sint parati*, juxta quod vult Petrus: Omni poscenti reddere rationem de ea, quæ in eis est, Fide & Spe. I. Pet. III. 15. Hinc Paulus ad Timotheum, & ad Titum, & alibi pluries, vult Episcopum doctorem esse, & potentem *instruere in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere*. Tit. I. 9. Hoc officium prædicationis ita prætulit, quasi de reliquis nulla sibi cura videretur. Unde & dixit: *Non misit me Christus baptizare, sed prædicare*. I. Cor. I. 17. Conformis est ad hoc Apost. responsio dicentium: *Non est æquum nos relinquere verbum Dei ministrare mensis*, &c. Act. VI. 2. Quanto magis, existimas, hoc dixissent de aliis operibus minus sanctis, minus spiritualibus, atque piis? Sed, ô mores! ô tempora! ludibrium nunc apud quosdam ex Prælatis, vel probrosum aliquod artificium suæque indignum dignitate, prædicatio, vel publica ad populum exhortatio judicatur. Est, inquiunt, hoc officium, vel Mendicantium, vel pauperum Theologorum. Adeo nihil sapit quæ Dei sunt animalis homo, adeo qui de terra est, nihil nisi de terra loqui potest. Sed di-

ANNO CHRISTI 1408.

dicunt: prædicamus gregi nostro per substitutos, prædicamus per tales qui se libenter ad hæc opus inperunt; et hoc nonne satis est? Nonne multiplicatio sit sermonum tanta, quod in nauseam transit audientium? Agimus utique alia grandia et ardua, dum jurisdictionem nostram, dum temporalitatem vigilanter protegimus; spiritualia enim sine temporalibus diu esse non possunt. Sed respondeant velim: primo quid decentius atque salubrius, aut quod accessorium Prælatus per se ipsum exerceat, et principale per substitutos, vel e contra? Si enim illud oportuit facere, scilicet prædicare, et aliud non omittere, scilicet jurisdictionem defendere; sit executor principaliorum ipse qui principalis est habendus; quia etsi Prædicatio possit per substitutum fieri, quanto magis id, quod minus est, temporalium defensio? Advertas proinde quam pauci sunt sermones in tam multis, multis inquam, numero, sed perfectionis laude rarissimis. Quare? quia adulteratur verbum Dei atque corrumpitur, dum vel quæstus æstimatur pietas, vel dum miscentur errorum mala semina, vel inutilia, sterilisque narrationum frivolarum zizania superseminantur. Ita profecto cura vigilantior apud quosdam ex prælatis habetur in eligendis mercenariis pro cultura agrorum suorum, quam habeant in electione bonorum prædicatorum pro cultura spirituali animarum. Denique quia solum temporalium defensionem, vel administrationem attendunt; nil mirandum si consequenter censeant procuratores & advocatos, vel prudentes aliquos de sæculo in cautelis & traditionibus humanis præferendos esse viris quantumlibet in sacra doctrina & spirituali conversatione pollentibus: nam secundum præstitutionem finis, de conferentibus ad finem judicamus. Addamus ad priora, quod officio cuilibet, cuilibet Hierarchico tantum annexa est prædicationis obligatio, quantum plus vel minus approximaverit pastorali dignitati, quemadmodum sunt archipresbyteratus, curæ parochiales, archidiaconatus, decanatus & similes. Unde spectat ad curatos cognoscere summatim, & in quodam generali præcepta legis cum quadam explanatione grossa, articulos similiter fidei nostræ, traditionem quoque Sacramentorum, distinctionem peccatorum ac eorum quæ sunt reservata a non reservatis, institutiones festorum, & si qua sunt similia. Pertinet autem ultra hæc ad prælatos, scire rationem subtiliter ac particulariter reddere adversus hæreticos protervos de prædictis. Denique cum beneficium detur propter officium (officium, inquam, non tantum in horis dicendis, sed tantundem vel amplius, in concernentibus de propinquo vitam, & pasturam gregis Dominici) dijudicent apud se hi, qui prædicationis officium sibi maxime debitum vel nesciunt vel omittunt, vel deteriori sacrilegio spernunt, & irrident. Dijudicent, oro, si beneficium tale rite, justeque recipiunt aut retinent, non minus quam si negligerent ecclesiasticum in horis dicendis officium. Dijudicent an fructus beneficiorum suos faciant & similia, qualia non est meum nunc definire, quamvis anxia curiositas vehementer expoſcoret difficillimum in hac re judicium; sed abeat aliorsum in toto hoc nostræ exhortationis excursu, & quod fieri debere monstratum est, fiat, fiat.

Consideratio Secunda.

Pascere oves pabulo prædicationis, dando animam rationalem pro eis; sicut est officium magnæ dignitatis, ac pietatis; sic grandis in eo difficultas invenitur. Si *pietas*, juxta apostolicam vocem, *valet ad omnia*; 1. Tim. IV. 8. quæ major altera, quæ dignior pietas excogitari possit, quam quæ liberat animam a morte perpetua, quæ protegit eam, ne lupis infernalibus pateat in devorationem; quæ tandem ducit & perducit ubi *ingredietur & egredietur & pascua inveniet*? Joan. X. 9. Huic officio quæ vel qualis altera misericors largitio valebit æquari? Si magnum est pascere carnem protinus morituram, ut interim vivat; animam in æternum victuram, quam pretiosum est pascere ne pereat? Dura est nimis illa Prophetæ lamentatio: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*; Thren. IV. 4. si ad carnem referas; sed durior in immensum, si de spiritu sermo fiat. Accipite quomodo concluserit Jacobus epistolam suam: *Fratres*, inquit, *si quis ex vobis erraverit a veritate & convertet quis eum; scire debet, quoniam qui convertit fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, & operit multitudinem peccatorum*. Jacob. V. 20. Porro difficultatem curæ pastoralis pastores sancti, quales Gregorius *in suo pastorali*, & Chrysostomus *in alio* similiter *pastorali suo* ad Basilium diligenter aperuerunt, assignantes præcipuam difficultatis rationem ex prædicatione verbi Dei. Tanta quippe in ovibus pascendis pabulo prædicationis varietas, & velut contrarietas accidit, ut quod unam nutrit, maceret alteram, aut mactet.

Pascentes ovis multum diversa palato.

Culpaverit aliquis avaros; prodigus inde sumet argumenta suæ profusionis iniquæ. Culpaverit prodigos, avarus inde tenacior, sordidiorque efficietur. Sic est invenire in omni vitiorum extremitate, nisi cautissima sollicitudine sic arguat unum vitium, quod alterum similiter inculpetur. Hoc autem semper & solerter agere per gladium verbi Dei secantem a dextris & a sinistris, ut medium virtuosi itineris liberum pateat ad incedendum viam regiam mandatorum Dei, tam arduum puto; prædicatorem quoque tam prudentem & vigilem exigere sentis, ut vix possit unus ex millibus invenirf. Adde, quod auditorum quidam hebetes sunt, quibus pene nihil potest quantacunque prolixitas decies repetita inculcare. Alii prævolant ingenio, confestimque fit apud eos omnis morositas onerosa. Quam paucissimos insuper videbis auditores qui fideliter & diligenter attendant ea quæ dicuntur, qui non ea quæ audierint, sed quæ audire putaverint trahant ad sua desideria fovenda potius quam eradicanda, seu moderanda. Vertitur eis verbum Dei in proverbium & fabulam, trahuntque illud ad omnem partem contradictionis, sicut de sono campanarum agunt pueri. Sicut etiam in fabulis de lupo syllabizante narratur, qui audiens *pa* & *ter*, dijunxit ex his *Aguel*. Quare? quia sic in imagine sua versabatur. Tales denique ea quæ male intellexerit pejus interpretantur, & pessime deferunt ad cæteros, invidia vel stultitia stimulati: gerunt similiudi-

ANNO CHRISTI 1408.

dinem cribri vel colatorii lactis; effluit ab eis quicquid purum subsederant; purgamenta sola, ut festucæ, sordes & palea retinentur. Exigitur ergo ad officium prædicationis ingenium velox, solers, atque versatile, velut in non prospecto tempore, a dextris, a sinistris, ante, retro, sursum, & deorsum. Exigitur eloquentia torrens & vehemens, suadibilis & suavis, copiosaque, ne adhæreat lingua palato & arescat. Nec minus temperatam esse convenit, ne nimis effluat semen generativum filiorum Dei, & sordescens inutile fiat ad generationem. Exigitur cognitio scripturarum sacrarum cum cæteris omnibus quæ ad mores spectant. Inde est illa, dum pastor consecratur, interrogatio: *Scis utrumque testamentum?* Quorum aliqui, qua conscientia respondeant, *Scio*; ipsi viderint. Exigitur multiplex experientia actuum humanorum, & conditionis annotatio eorum qui docendi sunt. Exigitur exemplaris vita, & conversatio irreprehensibilis, *in medio nationis pravæ*, Philip. II. 15. aliena ab omni crimine, præsertim ab avaritia & Luxuria, quæ maxime sunt contraria famæ: alioquin plus destruit exemplo, quam ædificet verbo. Vox operum fortius sonat quam verborum. Exigitur denique gustatio spiritus per contemplationem; alioquin cæteros accendere ad æternorum desideria qua fronte præsumpserit, si frigidus in se totus & algidus remanserit? Vide nunc si officium prædicationis existimaveris leve, passimque omnibus imponendum. Nihilominus ipsum quod tantæ pietatis & difficultatis ostensum est, fiat, fiat.

Consideratio Tertia.

Pascere oves auctoritative pabulo prædicationis, dando animam rationalem pro eis, est officium, quod nulli fas est exercere, nisi misso; nec mitti quispiam debet, nisi idoneus & probatus. Primam partem brevibus verbis absolvit Apostolus: *Quomodo*, inquit, *prædicabunt, nisi mittantur?* Rom. X. 15. Confunderetur enim penitus ecclesiastica hierarchia, si cuilibet indifferenter auctoritativum prædicationis officium laxaretur. Patuit in Turelupinis & aliis idiotis, quos hæc audacia fefellit, & in varios traduxit errores. Auctoritativum vigilanter diximus, quia fraternam correctionem, secretam scilicet, aut amicabilem, quæ ædificare, non scandalizare præsumit, lex christiana, cujus finis est charitas, concedit omnibus, dum ait: *si peccaverit in te frater tuus*, &c. Matt. XVIII. 15. Sic enim dicit sapiens, mandasse Deum *cuilibet de proximo suo*. Eccli. XVIII. 12. Et nihil humanum putabat Comicus senex a se alienum: nullus enim peccat, quin noceat universis, tamquam si membrum corporis vel pars exercitus spiritualis depereat. Fit autem missio ad prædicandum solemniter, vel per Deum immediate, quæ tamen probari debet apud recipientes; vel per miraculum, vel per prophetiam, vel aliud sufficiens tale signum. Aut fit per Deum mediante superiorum auctoritate, quibus impositum est hujus auctoritatis vinculum: fit rursus nonnunquam missio talis ex ipsa necessitatis lege, quando non aliter posset Fidei seu morum veritas inviolata servari. Ubi verum est illud: *Pasce famem morientem; si non pavisti, occidisti*. Porro nullum debere mitti, qui non fuerit idoneus & probatus, docent artes cæteræ, quas exercere non præsumit ignarus ipsarum. Sicut ex Horatio sumpsit Hieronymus.

ANNO CHRISTI 1408.

Quod Medicorum est,
Promittunt Medici, tractant fabrilia fabri.

Removet Apostolus ab officio prædicationis mulieres: *Mulierem*, inquit, *docere non permitto*. 1. Tim. II. 12. Investigemus rationem, & invenimus multos ex viris prohibitos. Spectat nimirum ad pastoralem doctorem constantia, spectat prudentia, spectat pudicitia, ut sit in eo facultas, veritas & bonitas. Constantia dat, ne succumbat adversis, ne cedat convitiis vel injuriis, ne rumoribus falsis & indignis, vel inflatur ad gloriam, vel contabescat ad ignominiam. *Neque enim gladiator* (sicut dicit Chrysostomus) *plus habere debet animam in manibus*, hoc est, eam ultro morti dare, *quam prædicator*. At vero quis nesciat mulierem imbecillem esse, fragilem, inconstantem; sic pueri, vel adolescentes, pueros dico, vel ætate, vel moribus; sic omnes quærentes *quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi*. Philipp. II. 21. Cedunt namque ad primam injuriæ, vel contumeliæ personalis, seu jacturæ temporalis suspicionem, tamquam arundines vento mundani timoris agitatæ. Prudentia dat pastorali doctori ut nec fallere velit, nec falli leviter possit. Sed audi quid de judicio mulierum dixit Aristoteles; quoniam *instabile est invalidum*. Sic apud Comicum dicuntur mulieres prope sicut pueri levi sententia. Quod viderat egregius Poeta dicens:

Varium, & mutabile semper
Femina.

Quot autem inveniuntur inter viros, quorum judicia circa agibilia & credibilia, vel nullum est, vel obscurum, timidum & incertum, vel erroneum? quia nec ipsos erudivit lex Dei, nec regularis bene vivendi disciplina perdocuit? Solidum idcirco nequeunt aliis circa scrupulosas quæstiones suas dare consilium, tanquam interrogatio fiat eis de ignotis, nec expertis. Continentia denique dat pastorali doctori, ut nec in se lubricitatem admittat; nec ad illam auditores alliciat. At vero mulieris vox, facies, gestus, quasi tedæ sulphuribus illitæ, audientes & spectantes adurunt faciliter, & in pravam desideriorum carnalium flammam accendunt. Sic virorum aliqui muliebriter fracti sine nervis disciplinæ, plus eloquio & gestibus effluunt in lasciviam, ipsamque provocans, nutriunt & augent, quam extinguant.

Festinabam in ipsa meditatione mea pergere post hanc triplicem primæ partitionis considerationem ad aggressum secundæ partitionis, locuturus de pabulo sanctæ conversationis; tum ecce visa est astitisse industriosa sedulitas, affirmans non satis esse, si deducantur in medium defectus existentes circa pabulum Dominici gregis, nisi pariter inveniretur provisiones, & hoc tanto efficacius, quanto particularius: universalia enim parum, sed singularia multum docent. At ego dum has provisiones ab eadem industriosa sedulitate perquirerem; (cito enim secum sensi) enumeravit plurimas hic & in posterioribus, quarum paucas ante conspectum convocationis hujus cele-

celeberrimam rememorari jussit, repetens cre-
bro: fiat, fiat.

ANNO CHRISTI 1408.

Provisio prima. Fiat in primis juxta premissa executio decretalis illius, quæ in omni metropolitana ecclesia Scholam theologiæ constituit. Nec videtur Schola mendicantium satis esse. Expediret amplius, ut hæc institutio (cujus quotationem, sicut et aliarum, dominis Juristis linquo) extenderetur ad ecclesias cathedrales et alias collegiatas notabiles, sic quod una præbenda esset ad officium hoc salutiferum specialiter et irrevocabiliter applicata. Quemadmodum dominus noster Benedictus, procurante Præceptore meo inclyto domino Cameracensi constituerat; sed nescio quo pacto tam sanctum opus e mediis (ut dicitur) manibus elapsum est. Concedebatur ut legentes et studentes perciperent certis diebus et horis distributiones quotidianas, hac ratione qua intendentes temporalibus ecclesiæ commodis sine ulla contradictione recipiunt. Expediret insuper, ut monasteria notabilia non carerent viris docentibus suos religiosos, etiam ab adolescentia, meditari in lege Domini die ac nocte. Alioquin postmodum in ipso otio suo, quod contemplationi deditum esse convenit, qualiter exercebuntur ad divina? Tenenda denique esset decretalis prohibens ipsos audire leges, vel Physicam, artes scilicet practicis negotiis accommodas: Nam apud eos quæ scientia magis, quam Theologia deberet vel doceri, vel cognosci?

Provisio secunda. Fiat amplius apud ipsos qui se prædicationibus exponunt, examinatio prius circa generalia nostræ fidei, & circa præcepta & mores; ut cognoscatur si talia prædicare noverint, & ad ea principaliter prædicanda, sectatis fabulis aulicis & ludicris, compellantur. Arceatur insuper tam generalis licentia apud quosdam religiosos, qui protinus ut aliquis sciverit duo verba proferre volubilitate linguæ, intronizant eum in cathedra prædicandi. Instruantur denique, non detrahere superioribus absentibus in subditorum præsentia: nam hoc agere quid proficit, nisi ad subversionem auditorum, apud quos inde nutritur rebellio, murmur, odium, impatientia, contumacia, protervia, & detractionis libido; cujus signum est, quia extollunt se detractores hujusmodi, quasi soli sint, qui veritatem audeant palam dicere. Doceatur populus e contra obedire Præpositis suis, *etiam discolis* 1. Pet. II. 18. ostendendo, quod *Dominus regnare facit* malos, & *hypocritas propter peccata populi*, Job. XXXIV. 30. & in eorum gravem pœnam. Sic habeat prædicator linguam, & linguam; Linguam pro subditis, & linguam pro dominis, & prælatis.

Provisio tertia. Fiat rursus provisio sufficiens curis parochialibus, ut sibi possint de pabulo prædicationis providere, sicut institutio prior habuerat, quæ apud multos adhuc observatur, ubi mendicantes non abundant. Sic etiam in qualibet parochia cura specialis juxta sacros canones, de instructione parvulorum, præsertim in morum disciplina secundum primitiva nostræ religionis rudimenta. Ecclesiæ siquidem reformatio (sicut quidam ait) debet inchoari a parvulis, quoniam ejus deformatio venit ab eis prave, & nequiter institutis. Quamobrem fiat, sicut prætactum est, provisio sufficiens aliqua pro magistris; fiat pro prædicatoribus idoneis, si sint seculares, de præbendis; si mendicantes, aliunde per prælatos, & curatos, quatenus ad pietatem magis quam ad quæstum suam valeant prædicationem ordinare. Itaque si procuratoribus, si advocatis, si aliis practicantibus assignantur sedulo pensiones certæ, & magnæ, quamvis aliunde lucrentur; qualiter non absurdum erit, non magis hoc fieri pro laborantibus gratis ad spiritalem ovium dominicarum nutritionem, dum exercent officium quod de necessitate monstravimus annexum esse pastorali dignitati? Sed improperando dicunt nonnulli prælatorum: Cur inquiunt, vos theologi, maxime doctorati non prædicatis? Cur *statis* in studio, vel in cameris *tota die otiosi*? Cur talentum scientiæ vobis collatum retinetis? Accipiant sic loquentes veram hanc pro multis responsionem. *Nemo nos conduxit*, Matt. XX. 6. 7. neque licentia magistralis in theologia dat obligationem prædicandi, sed ostendit idoneitatem quam exercere non tenentur, nisi velint, vel aliunde mittantur cum mercede sua. Addo, quod plus sollicitudinis, & temporis apponet aliquis prædicator verbi Dei in uno sermone rite componendo, retinendo, & pronunciando, quam advocatus unus per multos dies patrocinando. Cur ergo sua mercede carituras est, recipienda ab illo cujus debitum exercet officium, & non solum a populo? Hoc igitur fiat, fiat quod audacius introduxi; quia me sentio ab omni specie quæstus alienum, cum satis jam habeam, Dei dono, de bonis ecclesiæ, ut ponam sine sumptu alieno evangelium.

Provisio quarta. Fiat postremo quoad hoc publicatio quorumdam Tractatulorum compositorum, vel componendorum, vel qui jam forte compilati sunt, in quibus generalis tenor nostræ fidei, & præceptorum, & sacramentorum cum similibus contineantur, quatenus in eis sacerd. & curati simpliciores legere possint, & instrui quid ipsi scire, quid alios docere debeant, docere, inquam, etiam per scripturam talem, si non aliter cognoverint. Compelli quoque poterunt talia suis expensis exemplaria sibi comparare, quemadmodum fit de statutis humanis synodalibus pro cura temporalium; & hoc nisi forsan aliunde charitas abundans prælatorum indigentiæ pauperiorum subvenire voluerit. Hic inseri potuisset de lectionibus sacris legendis ad mensam ecclesiasticorum, & præsertim prælatorum. Item de cohibendis quæstoribus istis laxantibus linguas suas ad falsitates, & ineptias. Sed hæc interim sufficiant de provisionibus circa primam partitionem, & suas considerationes ita commemoratas.

Secunda partitio principalis.

Auditis, præstantissimi viri, patres, & fratres, quemadmodum diximus aliqua de pascendis ovibus pabulo prædicationis doctæ, dando animam propriam secundum portionem, vel vim rationalem pro eis; nec sum nescius quanto plus plura, & altiora dici potuerant, sed supplebit imperfectum meum ditissima vestræ sapientiæ magnitudo. Nunc priusquam convertatur oratio ad alium modum pascendi oves, secundum portionem irascibilem animæ, & hoc exemplo sanctæ conversationis, dicatur id quod obtigit mihi in ipsa meditatione mea, dum circa hoc eloqui recogitarem, duce, vel comite industriosa sedulitate. Circumvolvebant

ANNO CHRISTI 1408.

oculos mens considerationis per ovilia varia ecclesiæ militantis. Illic asperi veres pastores habitantes in casulis, & portatilibus tabernaculis, scientes hic se non habere civitatem manentem, sed debere futuram inquirere. Illic similiter visæ sunt oves rationales gregis Christi signatæ omnes signo *Thau de sanguine agni*. Sed heu pericula, heu seductores, heu mille nocendi artes, mille movendi discrimina! quilibet ovis suos patitur hostes, suas insidias, sua certamina. Hanc vepres, spinæ, sentesque dilacerant; hanc æstus urens; hanc bruma rigens discrassiant; hæc infixa est in limo profundi, hæc ex altis rupibus præceps ruit; adhæret huic veterna scabies, alteri contagiosa societas morbum affricat, sicque fascinatio morbidarum transit in teneriores agniculos. Denique quid ovibus miseris erit tutum, quando (juxta proverbium Græcum) *Lupi fungunturofficio Pastorum*? Vel certe pastores conversi sunt in lupos, qui non parcunt ovibus. An non lupus tyrannus rapax, qui lanam & lac ovium, immo carnes & ossa, per violentam exactionem surripit, cassat, & opprimit? An non lupus tyrannus fallax, qui lanam & lac ovium, carnes & ossa, per astutiam procurationum, & advocationum subripit, cassat & dejicit? An non demum lupus tyrannus vorax, qui lanam & lac ovium, carnes & ossa, per gulam & luxuriam surripit, cassat, & inficit? Et ubi jam, obsecro, tales lupos rapaces, fallaces & voraces non poteris invenire, qui rapiunt, qui fallunt, qui devorant? Rapiunt cavillando, fallunt litigando, devorant luxuriando. Audiamus ex Ezechiele veterem summi pastoris querimoniam: *Lac comedebatis, & lanis operiebamini, quod crassum erat occidebatis; gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abjectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis; sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia*; Ezech. XXXIV. 3. 4. & reliqua in hanc sententiam. Juxta quæ, pro complemento nostræ hujus secundæ partitionis, induco tres considerationes cum duodecim provisionibus, quas industriosa sedulitas recensuit.

Consideratio prima.

Bonus pastor nequit animam dare pro ovibus secundum vim irascibilem, nisi prius studuerit ejicere tyrannidem rapacem, quæ est lupus avaritiæ. Instituens itaque Paulus verum Pastorem docuit, *Hospitalem esse debere, & non turpis lucri cupidum*. Tit. 1. 7. Sed quomodo daret hospitibus sua, qui tollere satagit aliena, quique raptoribus alienis non obsistit? Videatur ergo quid admonet hoc loco industriosa sedulitas.

Provisio prima. Fiat, inquit, reformatio hospitalium: hoc est enim de cura pastoris; fiat hæc reformatio tam in temporali, quam in spirituali regimine, ne illic cura pauperum negligatur, præsertim ad salutem animarum suarum in patientia, & pœnitentia congruis, & in sacramentorum susceptione, qualis fructus est in hospitalium fundatione principaliter intentus. Expediret quoque sic fieri in quolibet hospitali qualiter observatur Parisiis uniformiter satis ad decretalem, de advocandis prius Medicis animarum, quam corporum. Illic confestim ut aliquis ægrotus quæritur introduci, prius intra januam confitetur & absolvitur. Erit insuper providendum apud professos, & professas, in hujusmodi Religionibus, sicut etiam fieri convenit in aliis omnibus, quatenus tria vota sua custodiant, obedientiæ, paupertatis, & castitatis. Nam inveniuntur ibi appropriationes manifestæ, sicut apud seculares; sed eos exterrere debuerat mors Ananiæ, & Saphiræ. Quid insuper sibi volunt tot discursiones eorum per domos secularium? Et, o utinam nulla sint monasteria mulierum, quæ facta sunt prostibula meretricum! & prohibeat adhuc deteriora Deus.

Provisio secunda. Fiat amplius provisio contra tyrannides varias, & oppressiones miserabiles & indignas pauperis populi, maxime ejus qui subditus est ecclesiis, & hoc per prædones domesticos, per familiares inimicos, sub umbra secularium dominorum. Has oppressiones videre facilius est in rebus, quam exponere sermonibus. Quod si non moventur Pastores ex atrocitate rerum providere: qualis erit sermo meus, qui jacentes eos, & torpentes, valeat excitare? Moveat eos recogitata & lecta constans auctoritas Ambrosii, ut cui succedunt in simili dignitate, succedant in pari constantiæ stabilis inflexibilitate. Videant Pastores, ne odiosi mores sui fœtentes coram Deo, & hominibus, dent hanc causam gravaminis pauperis sui gregis.

Tertia provisio. Fiat ulterior provisio, ne pauperibus sua bona auferantur, vel detineantur. Hæc sunt ea bona quæ viris ecclesiasticis supersunt ultra simplicem victum, & vestitum, juxta decentiam sui status in ecclesiæ republica. Notissima est hoc loco, sed durissima Bernardi, atque Hieronymi sententia, qui retentionem hujusmodi, vel luxuriosam profusionem non dubitaverunt sacrilegium, immo omni sacrilegio, & deprædatione damnabiliorem appellare. Videant ecclesiastici, ne forte ob hoc, justo Dei judicio, proveniant rapinæ ejus, & conculcationes indignæ, & jurisdictionum suarum usurpationes; quia quandoque *quod non habet Christus, tollit Fiscus*, & quod subtrahitur egeno, rapit prædo. Hoc enim est veteris proverbii sententia, quod *abdita vulpium fiunt rapinæ luporum. Ut qui prædatus fuerit, prædetur & ipse*.

Hic insuper providendum erit de celeri Testamentorum complemento, non impedimento, per eos qui accelerare debuerant, ecclesiasticos Curiales loquor, per quos abusus incredibiles fieri memorantur, ita ut nec fidelis inveniatur in testamento hujus vel illius.

Quarta provisio. Fiat demum provisio circa ecclesias versas in dissipationem, quarum primitus extitit magnifica fundatio, quatenus in eis servitores assignentur juxta facultatem redituum, vel cum aliis uniantur, aut ex toto cassentur, ne sint hujusmodi beneficia depauperata, plus in scandalum & opprobrium, quam in Dei laudem, & populi ædificationem, sicut in Priocatibus nonnullis experiuntur. His itaque subvenire fundationibus antiquis sanctius esset, atque salubrius, quam fundare novas ecclesiolas, volendo sibi facere nomen. Supra modum convenit occurrere tantæ tamque fœdæ & abjectæ paupertati, immo mendicitati curatorum in locis plurimis, qui tamen positi sunt in Ordine essentiali, & Hierarchico ecclesiæ militantis, tamquam minores prælati, & discipulorum successores, quibus tamen nul-

ANNO CHRISTI 1408.

la ob egestatem suam reverentia, vel obedientia datur a subjectis ovibus; quia nec inveniuntur viri sufficientes, qui talibus parochiis sic in egestatem versis, velint personaliter deservire: quodque adduntur eis frequenter a pastoribus crassis, vel officiariis suis, ipsis violentibus, onera oneribus, citationes, angarias, taliationes; ita ut liberior sit jam laicorum, quam ecclesiasticorum talium conditio, nec jam ut populus, sic sacerdos Isaiæ XXIV. 2. sed liberior, & honestior populus, quam sacerdos. Quod si tales deservientes parochiis sint tantummodo vicarii religiosorum, vel canonicorum, vel per proprios curatos substituti, cogantur ipsi principales de sufficienti vitæ sustentatione provisionem assignare, vel de quadraginta, vel de quinquaginta libris annuatim; ne aliis in penuria laborantibus ipsi in otio totum diripiant; fiat hoc, fiat.

Consideratio secunda.

Bonus pastor nequit animam suam dare pro ovibus suis secundum vim irascibilem, si retinet, vel in se, vel in suis tyrannidem deceptricem, quæ est lupus fallaciæ. Jubet Apostolus: *episcopus*, qui Pastor est, *sit domui suæ bene præpositus*. 1. Timot. III. 4. Aliter enim, sicut idem arguit, *quæ ratione diligentiam habebit ecclesiæ Dei*, ℣. 5. qui regere propriam nescit Domum? Domus autem prælati curia est habens ministros, familiares, & officiatos, pro reddendo unicuique bona & simplici fide, quod suum est, non ad spoliationem, sed correctionem: non ad corruptionem, sed ædificationem; non ad multiplicandum lites super lites, sed ad compendiosum pacis stabilimentum. Sic autem charitas incipit a se, sic & reformatio debet inchoari, ut primo fiat judicium a domo prælati, sicut fit in universo a domo Dei, ne præterea contingat objici prælato: *Medice, cura te ipsum*. Luc. IV. 23. Et illud apostoli: *Qui prædicas non furandum, furaris*. Rom. II. 21. immo & sacrilegium facis.

Prima provisio. Quocirca suadet industriosa sedulitas, ut fiat efficax, non verbalis provisio contra astutissimam illam, immo sæpe apertam tyrannidem promotorum, & procuratorum, in angariis, & citationibus; quæ omnia cum injustissime comperti fuerint commisisse, gratis abscedunt a querela, nec jam gratis, qui recipiunt expensas ab innocentibus absolutis, deque calumniis perversissimis, de diffamationibus præterea crudelissime impositis ipsi mercedem quæ eis male vertatur, recipiunt. *C'est le droit de la porte Bodet*. Est hoc, precor, æquitas? Nonne claudicat hæc discepatio? Esset nonne justius, ut hujusmodi procuratores perciperent stipendia laboris sui a dominis suis, vel prælatis, qui deberent subditis dare justitiam, quam ab innocentibus sic vexatis? *Væ qui condunt leges iniquas*; ait Dominus per Isaiam Cap. X. 1. 2. *& scribentes justitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei; ut essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent*. Notetur hic juramentum, quale debitum est præstari per Advocatos, per Promotores, per Notarios, per Procuratores, præsertim ut nihil agant, vel foveant quod injustum esse, vel crediderint ab initio, vel postmodum compererint.

Secunda provisio. Fiat insuper abbreviatio tam dispendiosarum litium, moderatio tot excommunicationum tam a jure, quam ab homine fulminatarum. Et hoc nonnunquam pro defendenda, seu recuperanda re modica parum utili, vel profana; cum tamen baculus iste primitus fuerit institutus a Christo tamquam durissimum, summumque supplicium, quo nolentes ecclesiam audire, plecti deberent. *Quod si ecclesiam non audierit*, inquit Christus, *sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*. Matth. XVIII. 19. Nunc apud quosdam talis regnat stoliditas, qualis apud illum qui, ut muscam abigeret a fronte proximi, ictu securis excerebravit eum. Itaque temporalis incommoditas vix reputari debet musca pungens, per respectum ad æternam salutem quam auferunt aliquando percussiones istæ per excommunicationes gravissimas, quæ ut in aliquem ceciderint, vix abjici possint, trahentibus de una in aliam lupis Curiæ rapacibus.

Tertia provisio. Fiat amplius observatio decretalium prohibentium ne detur aliquod omnino in spiritualium administratione; aut saltem adhibeatur moderatio tam in collationibus ordinum, quam beneficiorum, in approbationibus Sacerdotum officiare debentium, in sigillationibus quoque, & multis similibus, plus ad quæstum (sicut dicunt aliqui) quam ad spiritualem profectum superimpositis. Exequantur saltem ista tali modo, quod *ab omni specie mala* simoniaci scandali semet abstineant. 1. C'Theff. V. 22.

Quarta provisio. Fiat ulterius correctio subditorum, secundum qualitatem delictorum, & plus ad emendationem suam, & timorem aliorum, quam ad pecuniarum exactionem, quæ gregem simplicem scandalizat frequentius, quam ædificat; quod si delicti qualitas exigat imponere pœnam pecuniariam: exponatur illa in pios usus manifeste, ne plus ad avaritiam pastorum, quam subditorum correctionem exacta videatur. Addimus hic incidenter de juramentis terribilibus exactis per officiales, & alios curiales officiarios, dum examinant aliquem criminosum super dicenda veritate; quibus tamen juramentis deferre nolunt, seu credere: qualia etiam violatum iri fore probabilius, quam oppositum suspicantur. Hic nonne laqueus est manifestæ, aut crudelissimæ perditionis animarum? Cum insuper dicat Apostolus quod omnis controversiæ finis est juramentum. Hebr. VI. 16.

Consideratio tertia.

Bonus Pastor nescit dare animam suam pro ovibus suis, si in se, vel in suis tyrannidem voracem nutrit, quæ est lupus gulæ, atque luxuriæ. Sobrium quidem, nec multo vino deditum, nec præterea bigamum jubet apostolus episcopum institui, Tim. III. 2. Tit. I. J. prohibens ex consequenti crapulosas comessationes, potus ad æqualia, meretricationes sordidas, dare symbola, frequentare tabernas, quasi non eis domus sint ad comedendum, aut velut histrionum more nullibi pejus habeant, quam in domo; & quæ illic detractiones, bone Deus, quales gouliardiæ, quanta in vitam hominum bene viventium, & sobriorum derisio, qui risus, lusus, & gestus indecori, usque ad scandalum vilissimorum mancipiorum, vel muliercularum, sibi ministrantium? Sciunt, qui viderunt.

Prima provisio. Qua in re consulit industrio-

ANNO CHRISTI 1408.

☞ strioſa ſedulitas, ut fiat primo reſtrictio frugalis tantæ varietatis, & multiplicitatis ferculorum ſumptuoſiſſimorum in eadem menſa, uſque ad nauſeam, & prodigam vaſtationem earum rerum, ex quibus multi ventres pauperum paſci poſſent. Sileamus hic de ægritudinibus inde naſcentibus, de hebetudine mentis, de ſubverſione rationis, de occaſione rapacitatis, de temporis, quod pretioſiſſimum eſt, conſumptione. Conſideretur iniquitas illa, qualis quantaque eſt apud eccleſiaſticos viventes ex laboribus, & oblationibus pauperum, qui ita luxuriantur, quaſi gratis obvenerint ſibi, quaſi præterea ad nihil aliud nati fuerint: diligentius quoque paſcuntur apud eos, & carius aliquando canes, quam pauperes. Nec iſta dicuntur, ut laudetur in prælatis perſonis eccleſiaſticis ſordida tenacitas honeſtati hoſpitalitatique contraria; ſed adſit frugalitas liberalis, quæ non ſecundum inanem jactantiam, aut opinionem prodigorum, ſed ſecundum conſcientiæ virtuoſæ judicium menſuretur. Utrum vero, penſata temporum modernorum qualitate, ut expedientius prælatos ſplendere in ornatibus exterioribus, vel ducere vitam pauperum, Chriſto & Apoſtolis conformem in nuditate, aut vilitate veſtium, alio loco deductum eſt.

Secunda proviſio. Fiat amplius honeſta reſtrictio talis pompæ in multitudine oneroſa, & incompoſita, tot ſervitorum, tot equorum, & multorum conſumentium opes ſine menſura, ſine fructu. Adde quod enutrit homines iſtos comatulos, & adoleſcentes laſcivos otioſitas peſſima doctrix. Nam *multa mala docuit otioſitas* ait ſapiens *Eccli.* XXXIII. 29. cui peſſimæ comites ebrietas, & crapula conjunguntur. Ad quid aliud iſti tunc ſtudent, niſi vel inſidiari alienæ pudicitiæ, prodigi ſuæ, vel luſibus illiberalibus occupari? Hinc illa adinventio deformiſſima habituum variorum, hinc juramenta blaſphemiæ, & ſimilia, hinc luſus taxillorum, & ſimilium prohibiti, hinc omnia denique tollentia morum honeſtatem. Subditi vero cæteri quid faciunt, niſi quod viderint familiam ſui paſtoris facientem? imitantur certe & libenter: aut qua fronte juberet paſtor crapulam, & luxuriam a ſubditis ejici, qui aſſidue coram oculis, & in penetralibus ſuis illa intuetur, & gaudet exerceri? Proverbium eſt: *Qualis rector civitatis, tales & inhabitantes in ea*. Eccli. X. 2. Et: *Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus*.

Tertia proviſio. Fiat obſervatio jejuniorum ab eccleſia ſtatutorum conſtantior apud divites & potentes, præſertim eccleſiaſticos, apud quos, proh dolor! verſa ſunt jam velut in deriſum, cum ſoli fere pauperes, atque ruſticani jejunent, quibus vix eſt panis cibarius relictus ad ſaturitatem ſufficiens.

Quarta proviſio. Fiat inquiſitio diligens, & cauta ſuper peccatis enormiſſimis, qualia commemorat apoſtolus in principio epiſtolæ ad Romanos, quibus corrupit, heu! *omnis caro viam ſuam*. Gen. VI. 12. plus quam Sodoma, & Gomorra; & hoc ſine differentia ſexus, aut ordinis, aut gradus, aut generis, aut ætatis, aut religionis ſacræ, aut matrimonialis vinculi, aut affinitatis ſpiritualis, aut partium corporis honeſtarum. Credite fodientibus parietem per diſtrictam inquiſitionem in foro pœnitentiali, qui habentes obſtetricandi ſcientiam, educunt colubrum tortuoſum, & vident abominationes peſſimas; quæ fiunt. Credite, inquam, quia providendum eſſet omnino cum effectu, & diſcretione, contra tantam familiaritatem in cubilibus, & alibi, quam exercent parentes utrique cum utraque progenie, & affines affinibus in adoleſcentia, ſeneſque cum junioribus tam in religione, quam in ſcholis & alibi. Dubitaverim prorſus, ſi non deteriores mores trahunt aliquando pueri, & puellæ hac occaſione in parentum domiciliis, & religionum, & ſcholarum contuberniis, quam futuri erant in proſtibulis lenonum, vel meretricum. Et hæc interim dicta ſint de ſecunda partitione principali: operibus dicta firmentur. Fiat, fiat.

Tertia partitio principalis.

Tandem reliquum eſt pro complemento ſuſceptæ commonitionis aliquid dicere pro tertia, & ultima partitione de paſcendis ovibus pabulo charitativæ ſubventionis, dando animam quoad vim concupiſcibilem pro eis. Et quidem non invenio pabulum charitatis & gratiæ melius, efficaciuſve tradi poſſe gregi Chriſti, quam per debitam collationem ſacramentorum. Illic quippe gratia confertur in ſuſcipiente, virtute operis operati, hoc eſt, ultra, vel ſupra meritum ſuſcipientis, in virtute meriti Chriſti inſtituentis ſacramentum, & illud ſpirituali privilegio ditantis, ut inde opus privilegiatum nominetur. Concedet præterea ut miniſter ſacramentorum tunc maxime ſe diſponat ad gratiam, dum eam ſuo miniſterio ſtudeat apud ſubditas oves transfundere. Alioquin juxta probabilem, ſed formidabilem quorumdam doctorum ſententiam, ipſe novo ſe peccati laqueo ſtringit.

Propoſueram vero, velut in antecedentibus, ita & hic reducere tertiam hanc partitionem ad tres conſiderationes principales, oſtenſurus in prima de pabulo ſalutaris gratiæ per ſacramentum baptiſmi, confirmationis, & euchariſtiæ. Baptiſmus enim generat, confirmatio roborat, euchariſtia complementum præſtat. In ſecunda de pabulo ſalutaris gratiæ per ſacramentum pœnitentiæ, quod lapſos reparat, mortuoſque vivificat. In tertia de pabulo ſalutaris gratiæ per reliquum triplex ſacramentum, ſcilicet ordinis, matrimonii, & extremæ unctionis. Sed præoccupavit induſtrioſa ſedulitas brevitatem diligens, & allegans ſufficere, ſi proviſiones idoneæ ſaltem aliquæ uſque ad duodenarium numerentur.

Proviſio prima. Quamobrem dic, inquit, ut fiat primo diligens examinatio illorum qui miniſtraturi ſunt ſacramenta, ne forte ſint ignorantes formam neceſſario requiſitam in collatione hujus, vel illius ſacramenti, ac proinde nihil agant, ſeu conferant. Expertum eſt crebro, multos ex confeſſoribus per ignorantiam culpabilem formæ ſaramentalis non veram dare ſacramentalem abſolutionem. Sic obſtetrices, aut laici baptizare quandoque putantes parvulos, de quorum morte dubitant, non vere baptizant, quia forma debita & a Chriſto inſtituta non utuntur. Sic inventi ſunt quidam ex prælatis nonnunquam erraſſe in collatione ordinis ex defectu, vel formæ, vel materiæ, vel intentionis debitæ, ita ut ſuppleri, vel de novo fieri neceſſe fuerit ea quæ prius acta credebantur.

Proviſio ſecunda. Fiat adminiſtratio ſacramentorum omnium, ſicut Apoſtolus jubet, de omni-

omnibus honeste & secundum ordinem, non A jocis, & scurrilitatibus, quæ ad rem non pertinent. Errant hic fatui, & fatuæ in baptismo parvulorum, in celebratione matrimoniorum cum ululatibus impudicis, & fœdis irrisionibus. In auditione autem missarum cum quanta irreverentia & indecentia, videre quotidie est ad oculum. Nonne tangitur altare per laicos incompositos, comitatos canibus mingentibus ad pallas altaris? Quid de viris ecclesiasticis tempore ministerii sui in ecclesia, & in choro; quas ibi garrulitates non videbis, velut in foro muliercularum, & rerum venalium est; quas distractiones, quos risus, quos clamores, prohibente nemine ex superioribus; nam & superiores culpa par involvit? B Quid demum de ritibus impiis illorum, quos Deus omnipotens vel corrigat, vel male perdat, qui nefum blasphemias, & insanias falsas exercere, immo defendere non verentur etiam in ecclesiis nobilioribus & hora missæ, quas palliant sub nomine fatuorum adversus quas alias conscripsimus.

Provisio tertia. Fiat collatio confirmationis sacramentalis frequentior per diœcesim, quia etsi non semper necessitatis sit ut actualiter suscipiatur, est tamen necessitatis ne contemnatur.

Provisio quarta. Fiat auditio missarum totalis diligentius a subditis, præsertim diebus dominicis, & festivis, & in suis parochiis. C Versatur enim in hoc principaliter præceptum de observatione sabbati; nec excusatur omittens a violatione, cessante causa legitima. Provideatur hic, ne insistant mercaturis, & operibus servilibus tempore illo. Item de recedentibus statim post aspersionem aquæ benedictæ, vel dominici corporis elevationem. Quid insuper de multitudine præceptiva tot festorum, quæ vel non observantur, & ita peccatur; vel egestati subditorum mechanicorum non sufficienter consulitur, vel pessimæ otiositati, qua nesciunt rurales bene uti, janua grandis aperitur. Subintroeunt consequenter magno agmine ebrietates, lites, lusus improbi, expensæ sumptuosissimæ, choreæ plenę peccatis, D & insanis, & carminibus blasphemis, immo & per inquisitorem damnandis; dissolutiones quoque luxuriosæ, & ad breve verbum, subingreditur malum omne; ita ut, quod pro honore Dei, & pro animarum salute fuit sapienter institutum, vertitur in contumeliam ejus, & salutis detrimentum.

Provisio quinta. Fiat in unaquaque diœcesi diligens electio confessorum idoneorum pro sacramento saluberrimo poenitentiæ digne ministrando. In hoc principalissima, & fere tota residet utilitas pro pabulo gregis Dominici. Nam per sacramentum hoc poenitentiæ reducuntur oves errantes, sanantur ægrotæ, pascuntur famelicæ, præsertim si confessor probus, si continens, si doctus, atque sollicitus affuerit. Alioquin si sollicitat ad malum, si ad quæstum solum mendicat, si negligenter, ignoranterque super confitentium transgressionibus inquirat, si per ebrietatem, aut iracundiam sigillum inviolandum quomodolibet effregerit, aut si demum blandiens obstinatis neque deferere peccata volentibus, eos absolvere tentaverit. Væ, væ, simplicibus ovibus Christi a talibus sacerdotibus, qui nôn jam *mercenarii*, Joannes X. 12. sed *rapaces lupi* Matth. VII. 15. vocandi sunt, quam longius abigendi.

Provisio sexta. Fiat confessio coram oculis omnium in patenti loco, ne subintroeat lupus rapax, in angulis suadens agere quæ turpe est etiam cogitare. Væ aliter agentibus, & sub familiaritatis specie in angulis, vel camerulis res ignominia plenas exercentibus, easque deteriore sacrilegio sub devotionis specie palliantibus, excusantibusque.

Provisio septima. Fiat reservatio casuum, seu peccatorum, moderatior. Providendum est saltem, quod nullus casus judicetur reservatus, quoad juvenes minores quatuordecim annis, quia nec habet ætas illa perfectum usum rationis, nec faciliter resistit tentationibus suis, vel malitiis alienis, nec audet leviter coram B personis extraneis, & authenticis comparere; quantominus de pudendis, & verendis confiteri. Consulendum est insuper verecundiæ, & famæ mulierum, ne in suspicionem veniant maritorum, vel parentum, si crebro, si palam, si de longinquo ad poenitentiarios mitterentur. Expedit denique, faciliter & cito relinquere potestatem super occultis casibus ipsis curatis, & ordinariis; non enim de publicis loquimur peccatis: relinquatur etiam omnibus quos bona fide constiterit velle, & scire proficere animabus, non ad quæstum, vel subversionem. Tales quippe diligenter inquirendi essent, inducendi, & rogandi, immo conducendi; quanto magis dum se ultro, & C gratis offerunt, admittendi. Poenitentiam itaque docet Hieronymus, *secundam post naufragium tabulam*, quam amplificare, & dilatare plus expedit, quam ut nimia arctatio sua nequeat illos recipere, qui allici, immo velut impelli debuerant. Qua super re extat quædam epistola longior ad pastoralem dignitatem.

Provisio octava. Fiat examinatio diligentior clericorum ad sacros ordines se offerentium, præsertim in vita, & moribus, de spe insuper continentiam quam vovent observandi, & ut Latinam linguam competenter intelligant, cum his quæ sacerdotale requirit officium. Alioquin consultius esset pauciores, sed electiores constituere, quam laxare passim per D ovilia Domini tales sine disciplina, sine eruditione, sine continentia, nihil a dissipatoribus lupis differentes. Hic de concubinariis, & de suscipiendo, vel non suscipiendo sacramenta ab eis; de tolerando quoque eos, vel abjiciendo; de corripiendo insuper eos per superiores, non pro quæstu annuali eos confovendo, multa se offerrent tractanda, quæ alio loco disputata sunt. Hic præterea de non ordinandis ante ætatem legitimam, dispensatione non habita, caute agendum est, quia peccant ordinans & ordinandus: nec datur executio, immo nec ordo quandoque, si prælatus tales per expressum ordinare non intendat; est enim essentiale in collatione cujusvis E sacramenti, conferentis intentio.

Provisio nona. Fiat matrimonialis conjunctio cum omni solemnitate, & bannis, neque in domibus profanis, sed in ecclesiis, ne incidat in illud improperium Apostoli: *Ecclesiam Dei contemnitis?* 1. Cor. XI. 22. Moneantur quoque diligenter per suos confessores ut infra limites maritalis licentiæ sese contineant, ne abutantur inhonestius & execrabilius seipsis, quam meretricantes in prostibulis.

Provisio decima. Fiat collatio diligens Extremæ unctionis, dum adhuc patiens sentitur com-

ANNO CHRISTI 1408.

compos mentis, quatenus admonitio salubris de salute propria, pia quoque ad hoc sacramentum devotio sibi proficiat; aliter quam si prefatus ægritudine animus nihil attenderet. Est quidem hoc sacramentum reiterabile, est etiam necessitatis, ut non contemnatur; quamvis non ut continuo, vel semper suscipiatur. Hic de ægrotantibus specialiter in domibus hospitalium, deque sepeliendis eis cum pietate, dum illic forte ignoti moriuntur esset attendendum.

Provisio undecima. Fiat frequentior, utiliorque visitatio per totam dioecesim, vel provinciam, spargendo ubique bonum semen verbum Dei, etiam si fieri commode potest, præsente prælato principali, prout jura volunt, ut circumeat parochiam. Hinc est cardo totius reformationis ecclesiasticæ. Hæc virtus omnis hujus, aut similis concilii provincialis. Quemadmodum enim vetere proverbio dicitur: *Oculus Domini impinguat equum*. Sic præsentis pastoris auctoritas nutrit, & pascit gregem suum. Ita tamen, si providus, & compositus in se, & familia sua pastor fuerit, & sagax; non lupus, non latro rapax. Hoc modo visitare nonne esset dare pondus auctoritatis, & honoris, verbo Dei, quod nunc per inertiam, vel omissionem, ne dicamus vilipensionem prælatorum, versum est apud subditas oves in opprobrium quoddam, & fabulam. Quare? quia videt populus solos mendicantes, & pauperes apud eos contemptibiles prædicare verbum, nec adesse prælatos, ut vel sua illud honorent præsentia.

Visitando denique exerceretur inquisitionis officium, perquirendo de doctrinis variis, & peregrinis, clam, vel palam seminatis, de sortilegiis, & superstitionibus, de blasphemiis, & contumeliis, & gravaminibus plebis per exactores curiales, vel alios; de excommunicationibus quoque justis, vel injustis, & citationibus, vel angariis. Exerceretur proinde sacramentum confessionis fructuosæ, & misericorditer, tam pro casibus reservatis, quam pro quibusdam criminibus, quæ parochiani celant quandoque propriis curatis, & aliquando non sine justa ratione. Concernit quoque hic visitationis modus archidiaconos, ne plus ad quæstum, & subversionem, quam ad pietatem, & ædificationem sua visitatio judicetur executa. Et ne si velut cattus abigens quidem mures a caseis, ipsos vero plus devorans. Hoc præterea respicit celebrationem annuam conciliorum provincialium, quia secundum verba juris, nihil pene sic mores disciplinatos ab ecclesia expellit, quam negligentia sacerdotum, qui contemptis canonibus ad corrigendos ecclesiasticos mores synodum facere negligunt. Deinde, ne quis diceret, quod sufficientes contra omnem prævaricationem constitutæ sunt leges a prioribus, subditur, quod ea quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti sententia debent condemnari, & velut repullantia malis radicibus germina crebrius amputari, præsertim per visitationem, quæ est quodam applicatio legum ad operationem, & sua vivificatio, quæ aliter mortua sunt, vel langescunt.

Provisio duodecima. Fiat ad extremum reductio pulchræ pacis, tam turpiter exulantis, ad habitaculum totius ecclesiæ, & hoc per implorationem divinæ misericordiæ, per morum correctionem qui nos sua perversitate a nobis, Deoque separant; per concilii generalis (si ita visum fuerat) celebrationem, in quo generales per christianitatem errores passim sparsi venirent hoc generali remedio corrigendi.

Pergebat hoc loco industriosa sedulitas velle plura, particulariaque super ipso schismate pestifero terminando differere, ut de subtractione, de naturalitate, de beneficiorum ad ordinarios revocatione; sed modestia repressit dicens: hic neque locum esse, neque tempus; jam quoque dandus est, ait, multiloquio tuo finis. Parui modestiæ, & sub exhortatorio quodam epilogo concludere taliter institui.

Bonus Pastor, ut audivit vestra devotio præclarissima, viri patres & fratres; *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*, Joan. X. 11. dixit Christus pastor ille, qui fecit quod docuit. *Nam cœpit facere*, post *docere*, Act. I. 1. ut qui potens erat prius opere, post sermone, prius coram Deo, dehinc coram populo, dedit animam suam pro ovibus suis in prædicatione, in operatione, in sacramentorum per mortem ejus vivificatione. Fiat hoc similiter a vobis. *Attendite* prius *vobis*, dehinc *universo gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*. Act. XX. 28. Quamobrem inveniatur apud unumquemque vestrum, conformiter ad præmissam triplicitatem, & sacram evangelii lectionem, triplex conditio. Vocet unusquisque oves suas proprio nomine, & hoc prædicatione, & familiari exhortatione, vadat ante eas & hoc exemplari conversatione & sollicita directione. Defendat, & adjuvet eas, & hoc in sacramentorum religiosa ministratione. Sic associabunt eum sedula turba, canes latrantes in voce prædicationis. Sic audient vocem ejus oves, & sequentur, quia præcedet eas in gressibus operationis. Sic demum cognoscet singulas ex nomine, attendens diligenter vultum pecoris, in sacramentorum, præsertim confessionis exhibitione. Sic pascet eas tripliciter. Pascet verbo, pascet exemplo, pascet subsidio. Et hoc per seipsum, quod utique sanctius efficaciusque est; vel per idoneos visitatores substitutos: adjuvante Deo, & omnia confirmante, qui est pastor bonus, & Deus benedictus in sæcula sæculorum, Amen. *Finis*.

AD

ANNO CHRISTI 1408.

AD REMENSE CONCILIUM

Anno 1408. habitum

ADDITIO.

Brevis instructio tempore quo celebrabatur Remis provinciale concilium anno 1408. ult. Aprilis, collecta, tam ex sermone illic habito, quam ex cedulis, & dictis variis plurimorum; & primo.

CUm institutiones canonicæ sint inefficaces, & languidæ, nisi per Pastorem qui est lex viva demandentur ad effectum, saluberrimum videtur pro reformatione, quod Pastor, juxta canonicas sanctiones, visitet diligenter, & crebro suum gregem, aut per se ipsum aut per vicarios doctos habentes plenariam ab eo potestatem in negotiis præsertim spiritualibus expediendis, præcipue circa materiam Pœnitentiæ, prout eis visum fuerit, & cum moderato stipendio eis ordinando per prælatum, qua in re videntur attendenda pro quadam generali reformatione ea, quæ sequuntur, cum additione, vel diminutione secundum circumstantias, & cum opportunitate remediorum, secundum prudentiam visitantis.

Primo, visitaturus personaliter aliquam parochiam pronunciet adventum suum prius indicens per cedulam, ut si quis indigeat consilio, vel remedio salubri pro facto conscientiæ suæ, sive in commutatione votorum, sive in casibus reservatis, sive in aliis quibuscumque, sit paratus tali die & hora, ut tunc confidenter adveniat.

Indicatur præterea omnibus parochianis cessatio ab omni opere, ut in ecclesiam compareant.

Item, si Visitator sit prælatus, ultra hæc, quod ad sacramentum confirmationis digne suscipiendum se præparent. Quod si non sit prælatus, indicatur adire eum quam primum commode poterit.

Item, visitator in principio sui adventus poterit ad populum in Ecclesia facere admonitionem brevem, conformiter ad illa, quæ continentur in tractatulo composito pro eruditione simplicium sacerdotum, & populorum in materia præceptorum, & conscientiæ.

Item, visitator poterit interrogare ab illo vel de illo qui deservit curæ parochiali, si sit curatus, vel vicarius, vel mercenarius conductus.

Item, qualis est in habitu, & tonsura, in victu, conversatione, & eruditione.

Item, quales redditus sint in cura, & quomodo ministrentur.

Item de presbyteratus domo & utensilibus, & reparationibus necessariis.

Item, qualia habeat stipendia vicarius ille, qui deservit sicut tactum est; & fiat sufficiens provisio per principalem, sive ille sit curator, sive ad collegium (pertineat) juxta canones; & sciatur quo privilegio gaudet curatus non residens; & si jusse.

Item, si in parochia sit alia villa adjuncta pro succursu, propter quam oporteat eum celebrare duas missas quandoque in die; & qualiter in hac se habet, & si in prima missa capit ablutionem; quod fieri non debet, quia solvit jejunium naturale.

Item, videat si ille sciat ea, quæ pertinent ad officium curati, & specialiter in materia sacramentorum, ubi majus esset periculum. Ut si sciat formam pro Baptismo, Eucharistia, pro absolutione tam ab excommunicatione, quam a peccatis, nec non pro matrimonio, & extrema unctione. Et si nesciat, doceatur.

Item, sciatur ab eo, qualiter se habeat in casibus, dubiis emergentibus quandoque circa administrationem sacramentorum, ut in missa, dum cadit aliquid in calicem, vel dum sanguis effluit, vel dum non reperitur esse vinum in calice, vel si in pixide, ubi est hostia sacra, invenietur vermes; & si nesciat, doceatur.

Item, circa baptismum dum puer est baptizatus ab obstetrice, qualem se habet, & doceatur.

Item, si obstetrices sciunt unam formam baptizandi in parochia sua; & super hanc paterentur obstetrices interrogari, & doceri, quod hæc est forma, spargendo aquam super puero; *Enfant je te baptise au nom du Pere & du Fils, & du Saint Esprit. Amen.*

Item, qualem se habeat erga infirmos visitandos in articulo mortis, & doceatur.

Item, si celebrat semper jejunus, hoc est quod nihil sumpserit post mediam noctem ejusdem diei, quodque post illam horam dormierit, & jejunus sit; quoniam hoc non debet. *Abundat illud non.*

Item, si ostendit hostiam populo antequam sit consecrata, quoniam hoc fieri nunquam debet, & abusus opportune corrigatur.

Item, si unquam celebraverit suspensus a jure, vel ab homine per excommunicationem, quia de reservatione inde contracta solus Papa vel sui poenitentiarii tantum absolvunt, & super hoc doceatur.

Item, si celebravit coram excommunicatis causa timoris, vel favoris, vel quod nolebant recedere, & juxta materiam det suum consilium.

Item, si dixit primam antequam celebret, sicut debet fieri, nisi in die Natalis; & si post pollutiones nocturnas, vel diurnas statim celebrat; super qua re doceatur quid agendum, tum propter reverentiam sacramenti, tum propter officii sui necessitatem.

Item, quomodo se habeat in foro pœnitentiæ erga pœnitentes; qualiter interrogat de peccatis, instruit, absolvit, remittit pro casibus

bus reservatis; et qui sunt casus sibi reservati; qualiter absolvit excommunicatos vel participantes, qualiter injungit pœnitentias; et si absolvit eos, qui nolunt habere propositum desistendi a peccatis, ut rancore, furto, luxuria. Quibus locis et temporibus audit confessiones. Si pro peccatis occultis dat pœnitentiam publicam, vel solemnem, sicut faciunt stulti pœnitentiarii in principio quadragesimæ mulierculis, vel hominibus, qui sæpe nullam habent culpam, vel saltem non publicam super mortem puerorum suorum; et doceant diligenter de omnibus vel verbo vel scripto.

Item, si ecclesiam suam cum ornamentis et sacro chrismate, et fontibus pro Baptismo teneant decenter, honeste, et secure. Si altare suum sit integrum. Si hostiam sacram mutant de mense in mensem, vel crebrius, et supra hoc sollicite moneat, et doceat.

Item, sciatur secrete per parochianos, vel alios de moribus suis, ut si sit continens, vel concubinarius, si sollicitat ad malum mulieres sibi confitentes, si per victum vel crapulam frangit sigillum confessionis signo, vel verbo; si sit lusor ad taxillos, vel aliter scandalosus populo, in tabernis, in juramentis horribilibus, et aliis, etc. et secundum hæc moneatur, vel laudetur, vel ejiciatur.

Item, si se reconciliavit, et per quos, dum vult celebrare.

Item, quos accipit adjutores in confessionibus audiendis circa Pascha, et si fratres se miscuerunt invito eo; et si parochiani sui omnimode se sibi vel ordinatis ab eo repræsentiant, licet ab aliis se dicant fuisse confessos.

Item, si pro negligentia sua aliqui pereant sine sacramentis, ut.... vel ægroti, si mulieres habentes pueros ex concubinatu admittit solemniter ad purificationem, quoniam hoc non debet.

Item qualiter denunciat Festa, quoniam sæpe fit excessus, & laqueus apponetur.

Item, qualiter facit absolutionem generalem in Pascha; & si nescit, doceatur, & detur sibi forma.

Item, si habeat statuta synodalia, & si faciat legere ea, etsi publicavit ea, quæ debet ex talibus populo nunciare. Et in hac debent prælati paucis esse contenti quoad illa, quæ concernunt temporalitatem ecclesiæ, sed magis de salute provideant animarum.

Item, si sciat cantare & legere in Missali.

Item, si habeat in scriptis tenorem generalem præceptorum Dominicæ legis, & si denunciat suis parochianis, & qualiter; & sciat septem peccata mortalia, & hic videatur de doctrinali simplicium, vel de tractatulis sacris ad hoc ordinatis, quæ magis necessaria, & (utilia sunt) quam solæ constitutiones synodales, ut dictum est.

Cæterum post inquisitionem de moribus Curati, vel sui subditi; poterit fieri inquisitio ab eodem, vel aliis probis super conditionibus parochianorum, & hoc caute, in generali petendo qualia vitia sint notoria. Ut super hoc possit visitatoris sermo melius adaptari.

Inquiratur ergo, si in parochia sint excommunicati, ex quibus causis, ut visitans possit ad eorum absolutionem procurandam dirigi.

Item, si regnent ibi hæreses, sortilegia, & qualiter, & si sint superstitiones in ligaturis, scripturis, & brevibus appensis. Si blasphemiæ, usuræ falsæ, mercationes, furta, peccata contra naturam, adulteria & similia, quia secundum ista poterit visitator prædicationem suam, vel visitationem, vel confessionem fervenius adaptare ut dictum est.

Item, si parochiani bene servant Festa principalia, veniendo ad missam, & stando per totam; & si recedunt sumpta aqua benedicta, vel post elevationem Corporis Christi.

Notetur hic de moderatione, qualiter fieri posset in tot Festis sive per hæc & concilium generale, sive per provincialia de consensu ejusdem concilii generalis; & notetur de festo Trinitatis solemnizando prout Papa noviter instituit.

Item, si solverunt decimas, de quibus, & quibus, & si veniunt omnes ad confessionem saltem in Pascha, ut dictum est; & si sciunt Credo & Pater noster, & si dicunt illa; & si non, compellantur ad dicendum, et sciendam.

Si vexantur ab officialibus prælati, vel aliis, & qualiter; & super hoc provideat visitator.

Item, si testamentorum executores faciunt suum onus diligenter impositum; & si non, moneantur, & corrigantur.

Et si sint inter aliquos inimicitiæ capitales, & sic finiantur, ut poterit.

Item, si sint inter aliquos inimicitiæ capitales, & sic finiantur, ut poterit.

Item, si sunt inter eos lites motæ judicialiter, & quibus causis, & si possent ad concordiam summarie convocari, ut tactum est.

Item, si observant jejunia ecclesiæ, vel si irrident, & juxta hæc moneantur.

Item, qualiter instruantur pueri in parochia, & si sint scholæ ibidem vel prope. Quærant hoc in omni loco visitando, sive sit in religione, sive alibi, quia a pueris debet inchoari reformatio ecclesiæ, & prohibeatur hic nimia familiaritas fratrum, & sororum, & cum parentibus, quia jacendo cum eis alii suffocantur in corporibus, & deterius aliis provenit in moribus. Provideatur igitur quod sint scholæ, ubi non sunt.

Item, si morientes in puerperio aperiuntur, ut infans vivus recipiatur, & baptizetur; quoniam hoc expedit, sed cum cautela.

Item, qualiter se habent parochiani in ecclesia; si reverenter & ordinate, et quiete.

Item, si fiant sermones apud eos, et per quos, et quando.

Item, si quæstuarii, seu quæstores veniunt ad eos, et quod missi sunt, et quid dicunt.

Item, si laici vel mulieres intrant chorum, et si ducunt choreas in locis sacris, et si illic celebrant convivia, et si induunt vestes sacras; et sic corrigantur, et prohibeantur.

Item, si reverenter se habent dum baptizantur sui pueri, vel dum fiunt matrimonia, vel in aliis sacris, vel ridendo, vel jocando, garrulando; & fiant nuptiæ cum bannis, & in Ecclesia parochiali; si infirmi prius quærunt medicos animarum, quam corporum. Et juxta hoc, quod fieri debet, doceantur.

Item, si parochiani turbant per se vel per canes, vel per infantes clamantes divinum servitium, quod nequaquam convenions est fieri.

Item, si diebus festivis exerceantur a justitiariis secularibus torturæ & quæstiones ad mortem; & si impediunt ne confiteantur ante mortem: quæ omnia fieri non debent.

Item si loquuntur irreverenter de prælatis, & DD.

ANNO CHRISTI 1408.

& DD. & aliis, qui quærunt Extremam unctionem in infirmitate; si hæreticos, excommunicatos sepeliant in cæmeterio, si exercent mercaturas in festo, & in locis sacris; & si exercent tunc opera servilia; & si in ecclesia sint arcus sive..... & secundum hoc doceant quid agendum sit.

Si parochiani excedunt in crapulis, & ludò prohibitis, & specialiter in nocte Natalis, aliis vigiliis sacris, & super hoc doceantur.

Amplius, si sint alicubi Judæi, videatur quod non seducant Christianos, nec signis careant distinctivis, & si velint converti, non omnino spolientur suis rebus.

Amplius, si in parochia sint domus religiosæ, vel hospitalia, fiat inquisitio secundum B statum eorumdem, & qualiter servant vota specialiter continentiæ, & paupertatis sine proprio, qualiter curant dictis pauperibus & specialiter in spiritualibus, & ante quam recipiantur infirmi, confiteantur, quemadmodum fit in domo Dei Parisiis.

Item, si illic sint monachi compatres, si obligant ecclesias suas, & si fidejubeant; & super iis prohibeantur.

Rursus applicet se visitator per se, vel suos comites ad audiendum confessiones diligenter & morose, tam puerorum, quam magnorum modis idoneis, & secundum instructiones alibi memoratas, præsertim quoad peccata carnis, quæ difficilius, & periculosius extrahuntur. C Nam in hoc stabit fructus præcipuus reformationis.

Item, si ille, qui deservit curæ, repertus fuerit idoneus, detur sibi bona potestas super casibus occultis reservatis; & præsertim quæ sunt frequenter repetita, & erga juvenes & feminas.

Item, si non reperiatur esse talis, instituatur in proximiori loco unus idoneus sæcularis, vel religiosus tamquam pœnitentiarius, ad quem possint remitti parochiani super talibus casibus reservatis, et super habendo consilio in talibus dubiis conscientiæ.

Item, pro debita appositione remediorum visitantem expedit, ut habeat, et haberi faciat tractatulos breves per parochias in vulgari de examinatione conscientiæ, et de casibus reservatis ad hos, vel illos, cum statutis synodalibus abbreviatis pro cognoscendo, quæ sint formæ præcisæ sacramentorum, nec non præceptis Dei atque similibus.

Item, pro tradendo certo et fructuoso modo reservandi peccata, videtur primo quod nullus casus debeat reputari reservatus apud pueros, et puellas minores 14. annis, propter causas in quadam epistola notatas, quæ incipit: *pontificali dignitate*.

Item modus traditus in synodalibus D. episcopi Cameracensis videtur idoneus paucis additis aut remotis. Primo loquitur episcopus sic E dicens.

Reservamus nobis majora peccata, vid. peccata contra naturam in viris ultra 20. annum, homicidia, incendia, simonias, hæreses, apostasias, sacrilegium ultra 40. solidum, incestus cum patre, matre, filio, filia, sorore, fratre, cum religiosis mulieribus, et professis; injectiones violentas manuum in parentes, ex deliberatione factas.

Sortilegia in sacramentis vid. in Eucharistia; vel Chrismate, oppressiones parvulorum voluntarias, et procuratas negligentia parentum in igne, vel aqua natos perdentium, perjuria solemnia, et fidei fractiones solemnes. In curia mea votorum solemnium transgressiones, maleficia impedientia coitum, procurationes sterilitatum vel abortorum, propinationes venenorum, magnas blasphemias Deo factas, casus eorum, qui falsificant litteras curiæ nostræ, vel abutuntur eisdem. Omnes excommunicationes tam a nobis, quam a canone latas exceptis inferius nominatis, et expressis, et omnia alia istis graviora.

ANNO CHRISTI 1408.

Casus pœnitentiariis per decanatus commissi.

Committimus pœnitentiariis nostris generalibus per decanatus deputatis peccata contra naturam in omni ætate a mulieribus perpetrata; et in viris infra 20. annum; pollutiones manuum in omni ætate; perjuria et fidei fractiones, quæ non fuerunt factæ in curia nostra; votorum non solemnium transgressiones. Injectiones manuum in parentes, ubi non fuerit læsio gravis, vel deliberata; sortilegia, quæ non sunt de Eucharistia, vel Chrismate; injectiones manuum parvulorum in clericum usque ad 20. annum. Oppressiones parvulorum non voluntarias, sed casuales. Clandestinas nuptias, incestus exceptis peccatis matris cum filio, filia, fratre, sorore, omnia adulteria per duos testes aut plures qui iis interfuerint aut alias per quamcumque formam, vel infamiam probari possint, priusquam super iis ecclesiæ vel nostram jurisdictionem exercentibus satisfaciant; manuum injectiones mulierum in clericum, vel sacerdotem, ubi non est enormis læsio; quæ tamen si probari possit, ut prædictum est, prius læso, et ecclesiæ satisfaciat usque 40. solidum. Ita tamen quod debiti fiat restitutio ecclesiæ de eisdem; omnia peccata in quibus curati habent potestatem.

Item restitutiones incertæ convertendæ in pios usus.

Casus presbyterorum parochialium.

D Curatis et eorum vices gerentibus committuntur inordinatus concubitus cum mulieribus, mollities, et peccata contra naturam in ætate puerili, in viris usque ad 14. annum, et in mulieribus usque ad 25. Adulteria ex viri peccato provenientia, damnificationes, et furta, dummodo fiat restitutio quam cito facultas se obtulerit. Sacrilegium usque ad 10. solidos, dummodo fiat restitutio ecclesiæ, injectio levis manuum in parentes. Sacrilegia in rebus minimis, et communibus, ubi non est horror & turpitudo; perjuria privata, in quibus nullus damnificatur, stuprum virginum; abortus non procurati sed casuales.

De casibus nobis & pœnitentiariis nostris reservatis.

Curatis et eorum vices gerentibus, excepto mortis articulo aut alia manifesta necessitate, absolvendi omnem interdicimus potestatem. Sacerdotes vero confessiones mulierum cum quibus peccaverint, et fautores et mediatores non audiant, donec saltem a peccatis inter eos perpetratis alias confessi fuerint competenter, et cessaverit infamia, si qua fuerit, propter hoc contra eos; sed mittant eos ad honestos, et idoneos confessores.

Absolvendi scilicet in casibus reservatis.

ANNO CHRISTI 1408.

Porro si talis visitatio, de qua loquimur, non fiat per parochias, videantur tamen ista diligenter interrogando singillatim de quolibet secundum statum suum. Et hoc dum venit ad synodum episcopi, et aliorum: et hoc vel publice, vel ad partem, Gallice vel Latine, prout expeditius, et utilius videbitur.

Item, fiat talis examinatio de omnibus, qui approbantur ad regimen curarum priusquam eis hoc concedatur.

Item, DD. prælati, et alii habentes jurisdictionem, poterunt facere similes instructiones pro inquisitione facienda super abusibus, qui dicuntur fieri in curiis suis, ut sciant, et provideant, tamquam incipientes reformationem a se ipsis et a domo sua.

Notetur hic de juratis officiariorum requirendis, & servandis, quoniam exordinatum est.

Item, de juramento exacto ab illis, qui quæstionantur, vel per impositarios a mercatoribus, quorum tamen juramento non statur, cum finis omnis controversiæ sit juramentum secundum apostolum. Nam per ista grandis laqueus ad perjuria etiam publica, & solemnia procuratur.

Item, de testamentis expediendis sine tali sumptu, & tractatu in præjudicium grave animarum, quæ torquentur in purgatorio.

Item, de excommunicationibus tam frequenter, & leviter fulminatis a jure vel a judice.

Item, de promotoribus, qui dum faciunt vexationes injustissimas, nihil solvunt de expensis, nec puniuntur, sed reportant salaria sua ab innocentibus absolutis, diffamatis, & vexatis.

Item, de applicatione pecuniarum pro emendatione taxatarum in pios usus & publicos, quoniam aliter est scandalum contra prælatos in populos.

Item, ad evitandam notam vel speciem simoniæ in omnibus, ubi pecunia ad ministranda spiritualia, sicut sunt ordines, sepulturæ, baptisma, missæ, expediens videtur & conformiter ad jura, aut quod nihil reciperetur, aut cum moderatione majori, aut quod prius darentur spiritualia quam aliquid exigeretur, vel reciperetur temporale, sed postmodum quærerentur consueta; quæ si renuerentur contumaciter solvi, fierent tunc honestius acta contra tales. Et hic est interpretandum, si jura olim tradita contra dantes aliquid in omni re spirituali etiam in intuitu religionis sint in sua severitate servanda, sicut olim, aut quod non, alioquin fere totus ecclesiasticorum cœtus in damnationis statu est. Fiat igitur declaratio.

Item, in ministratione ordinis fiat diligentior inquisitio, & observatio statutum institutarum per canones; & hoc pro religiosis, sicut pro aliis, nisi sint privilegiati: quia hic est laqueus formidandus pro prælatis, & pro talibus ordinatis, propter suspensionem, & aliam pœnam juris; vel propter defectum prælati, qui prædicunt publice, quod non intendunt tales ordinare. Sit subdiaconus in 18. diaconus in 20. sacerdos in 25. anno, nedum propter scientiam, sed & mores.

Item, quod non promoveantur sine certo, & stabili titulo beneficii, vel patrimonii sine fraude.

Item, sciant competenter loqui Latinum, & intelligere.

Item, denunciatur recipientibus ordines sacros, quod faciunt votum castitatis solemne, ne reputent se liberos ad fornicandum sicut fatui quidam putant.

Item, contra prædones, & vexatores terrarum ecclesiæ videtur procedendum, primo per viam publicæ & piæ prædicationis ad dominos, insinuando gravamina particulariter, ostendendo pericula suarum animarum, nisi providerint.

Item, quæ datur executio constitutionis, quam papa fecerat pro theologis; Immo varius pro ecclesiis; ut scilicet, in qualibet ecclesia cathedrali, & collegiata notabili sit una præbenda affecta in perpetuum pro uno theologo, qui legere, & docere, & prædicare sit adstrictus.

Similiter providendum esset abbatiis, & monasteriis, quod non carerent viris docentibus, eas, aut quomodo meditari in lege domini die, ac nocte; quia cum tali ignorantia quid de divinis intelligent, aut sapient?

Item, reformetur honestas in divino servitio, contra ludos fautorum contumeliosos Deo, & ecclesiæ; & hoc per executionem, vel privationem distributionum, vel incarcerationem.

Item, contra garrulationes indecoras in coro tempore servitii, quod fiant novæ constitutiones, aut jam edictæ conserventur.

Item, deberet fieri specialis inquisitio, & visitatio pro mendicantibus, tam in facto sermonum, quam confessionum, quam aliorum esse. Et specialiter quod evitentur consortia seminarum in camerulis, & detractiones in sermonibus, & fabulas aniles, & assertiones temerarias, diffiniendo, aliquid generale esse peccatum mortale, vel non esse.

Et inquiratur qualiter in præmissis se ingerant; & si contra decretalem hanc: *omnis utriusque sexus*.

Item, inquiratur de quibus peccatis remittunt ad pœnitentiarios, quia, quod dicitur, aliqui absolvunt de omnibus.

Item, si ministrent sacramenta contra prohibitionem juris. Si prædicant contra curatos, & sepulturas, & decimas. Si admittunt excommunicatos a judicibus ad sua consortia in divino servitio, ut cæteris, sicut ab aliquibus fertur esse.

Item, pro prioratibus desolatis, ubi non sunt nisi unus, vel duo religiosi, sæpe in scandalum sui, & aliorum, esset providendum, quia dum redeunt ad claustra, turbant reliquos, nec proficiunt.

Item, de observatione Benedictina pro monachis nigris, & aliis videatur illa, & quæ necessaria sunt, declarentur.

Item, videatur, num conferendo bene, et libere beneficia in casu reditionis beneficiorum, ad ordinarios, et de reliquis convenientibus.

Item providendum erit in excessibus visitantium plus sæpe ad quæstum, et pompam, et destructionem, quam ædificationem, et ordinetur certa taxa moderata.

Item, videatur de modo habendi certam contributionem pro tota provincia ad defendendum, et prosequenda ea quæ fuerunt ordinata, et quod ipsa universaliter, et prudenter exequatur usque ad aliud provinciale concilium, quod de termino in terminum fieri debet, et notetur pœna apposita, vel ordinetur

ANNO CHRISTI 1408.

netur alia, quæ servetur; declaretur similiter, qui debet comparere, et qualiter.

Item, si expediat tres, aut quatuor provincias quandoque similiter convenire.

Item, ordinentur conformiter ad decretalem aliqui, qui habent inquirere reformanda pro qualibet diœcesi, et referre cum avvisamento provisionem decentium in sequenti concilio.

Item, fiat in qualibet diœcesi monitio similis illi, quam fecit episcopus Parisiensis contra loquentes sub specie joci contra Fidem, et sacramenta, ut scilicet audientes denuncient tales episcopo loci, vel officiali, vel suo curato infra 8. dies, aut quam primum commode fieri potest. Et hinc essent puniendæ graviter cantilenæ, creanceæ, et lubricæ et contra honorem matrimonialis sacramenti compositæ, et cantatæ. Et ita de plurimis quæ Deo monstrabit convenientibus in unum per locorum, et temporum, et morum qualitates. Hæc interim plus in modum cujusdam memorialis, quam doctrinæ substantialis notata sint. Det in exequendo spiritus sui robur Deus, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Pontificali dignitati suus qualiscumque zelator clavibus bene uti.

Pastoralis auctoritas in casibus reservandis quoad forum conscientiæ sicut ad alia, quælibet potestas data est prælatis in ædificationem ecclesiæ, non in destructionem, sicut dicit Apostolus, et in favorem populi Christiani pro salute sua. Constat autem certissime, per plures expertos in Confessionibus audiendis tempore isto, quod reservatio stricta quorumdam casuum præsertim in gravioribus et cultis speciebus peccati carnalis, retrahit innumeras a confessione talium peccatorum; sicut sunt puellæ, et mulieres verecundissimæ et rurales idiotæ, a quibus vix potest extrahi confessio talium peccatorum, quantumcumque confessor sit sollicitus, humilis, morosus, discretus. Quod si remittatur ad prælatum vel pœnitentiarium de longioquo vel in publico refugiunt, et horrent, expertumque est millies, quod non vadunt. Sed nec ducenti, vel trecenti, immo nec mille pœnitentiarii sufficerent, alias in una diœcesi ad tales casus plene audiendos absolvendosque. Denique quid prodest, et certe obest plurimum, addere verecundiam super verecundiam, onera gravia super onera, et difficultatem confitendi talia peccata super difficultatem, quæ tanta est, ut vix credi possit. Et hoc præcipue quando peccatum secretum est, et quale quod actor perpetuo celabit ipsum, si velit, ut nec episcopus, nec alius inde notitiam inveniat.

Sed dices: talis si non revelaverit, damnabitur. Fatemur quidem; sed obviandum esset huic damnationi modis omnibus, potius quam addenda sit occasio. Expertum itaque est, quod hic terror reservationis nullos aut paucissimos cohibet sic peccare; innumeros autem retrahit confiteri. Secus est in peccatis publicis quibuscumque, qualia sola secundum quosdam doctores olim jura condita reservabant. Ad quid nimirum; ut taxaretur pœna gravis, et publica per superiores talibus, in exemplum et terrorem aliorum. Sed in occultis cessat hæc ratio; quoniam pro talibus nulla pœnitentia injungenda est, quam nolit confitens recipere. Alioquin juxta memorabile dictum Guillelmi Parisiensis. *Salubrius est confessum cum pœna vel levissima pœnitentia acceptata relinquere in manu Dei puniendum in Purgatorio, quam cum magna non adimplenda detrudere in Infernum.*

Provideat igitur deinceps sollicitudo pia tua, pontificalis dignitas. Noli claudere regnum Dei Christiano. Cave onera graviora cervicibus debilibus, & casuris alligare. Quamobrem a talium casuum occultorum reservatione, qui, proh dolor! vix veniunt ad confessores quoscumque, licet creberrimi sint, conquiescas. Postremo, si non placet casus omnes occultos, quia de publicis non loquimur, relinquere passim, cuilibet confessori, nec pro omni ætate confitentium, saltem hoc expedire videtur.

Primo, quod nullus casus judicaretur reservatus, quod juvenes minores 14. annis, quia non habent perfectum usum rationis, nec facile resistunt tentationibus suis vel malitiis alienis, nec leviter audent tam personis authenticis, & extraneis componere. Quantominus non audent de tam pudendis confiteri. Consulendum est insuper verecundiæ & famæ mulierum, ne in suspicionem veniant maritorum, vel parentum, si crebro vel publice, vel de longinquo ad pœnitentiarios mitterentur. Expedit denique faciliter & cito relinquere potestatem super occultis casibus curatis, & ordinariis, & generaliter omnibus, qui bona fide voluerint, & sciverint proficere animabus non ad quæstum vel subversionem. Immo tales diligenter inquirendi essent, inducendi, & rogandi ad laudem Dei, & salutem populi... per earumdem conscientiarum levitatem in hoc tempore pessimo, quando nimis experimur, heu! illud Genesis: *Corruperat omnis caro viam suam*. Hinc horrendum est ubique flagitiorum naufragium, a quo salvat arca pœnitentiæ confitentes. Cujus arcæ introitum ideo plus expedit ampliare, quia nimia arctitudo sua prohibeat eos, qui ad ingrediendum allici; immo juxta parabolam evangelicam quasi compelli debuerant.

Casus alioquin speciales sunt, mollities secum; item pollutio in simili sexu. Item in alio sexu extra vas ordinatum, tam intra, quam extra matrimonium.

Item, corruptio talis in omni gradu cognationis, & in omni specie peccati carnalis sine reverentia generis, aut ætatis, aut religionis, aut sacræ dignitatis, aut partium honestarum. Et hæc præsertim ubi ducitur vita in nimia familiaritate parentum cum puellis, & pueris, & in otio & deliciis, inter quas bestiales efficiuntur; de quibus loquitur Satyricus.

Quid enim Venus obria curat?
Inguinis & capitis quæ sit distantia nescit.

Item, casibus his non reservandis addi potest votorum communium transgressio aut in melius commutatio.

Item, sacrilegia in perjuriis, & sortilegia in levibus, & percussiones priorum clericorum ad invicem, & restitutiones incertæ de modicis, & si quæ sunt similia.

ANNO CHRISTI 1408.

PARISIENSE CONCILIUM

In quo destinantur patres ad Pisanum concilium mittendi,

Anno 1408. *habitum.*

Ex MS. Cod. Taurinensi, ex quo plura ad Conc. Pisanum spectantia accepi. Ex Mansi Ibid.

IN nomine Domini. Amen. Tenore hujus publici instrumenti cunctis pateat evidenter & sit notum, quod anno ejusdem 1408. indict. 2. mensis vero Novembris die 6. ab electione Petri de Luna, quondam in papam electi, qui Benedictus XIII. nuncupatur, anno 15. congregatis pariter & convenientibus in aula alta supra Secanam regalis palatii Parisiensis RR. in Christo PP. D. patriarcha Alexandrino, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, & universitatum & ecclesiarum metropolitanarum cathedralium, nec non quorumdam aliorum prælatorum & virorum ecclesiasticorum regni Franciæ & Delphinatus Viennensis absentium procuratoribus, & deputatis, ecclesiam Gallicanam facientibus & repræsentantibus, auctoritate & mandato christianissimi principis & mandato Caroli Dei gratia Francorum regis super facto, materia & prosecutione desideratissimæ unionis & pacis sanctæ matris ecclesiæ, & aliis Gallicanæ debitum regimen & statum bonum concernentibus, ad primam diem mensis Augusti novissime lapsi, Parisiis convocatis cum continuatione dierum, usquequo super omnibus in deliberatione proponendis receptæ & factæ essent certæ et finales conclusiones, prout pro notione hujusmodi nobis notariis infrascriptis fuit facta fides; et relatione facta per organum egregii magnifici et potentis DD. de Corbeya militis et cancellarii Franciæ, hac die præsidentis nomine regio in dicto consilio per reverendum in Christo patrem et DD. Simonem miseratione divina patriarcham Alexandrinum aliis diebus in dicti cancellarii absentis in præfato consilio præsidentem et regem constitutum; inter plura alia extitit relatum specialiter et expositum in effectum, quod RR. in Christo PP. S. R. E. Card. mature deliberaverunt generale consilium utriusque partis et obedientiæ, quæ Angelo Corario qui Gregorius, et Petro de Luna qui Benedictus nuncupatur, et eorum prædecessoribus adhæserunt in civitate Pisana ad 25. Martii proxime futuri, Deo dirigente, pro pace et unione sanctæ matris ecclesiæ assequenda in unum fore celebrandum, ordinaverunt et requisierunt omnes et singulos archiepiscopos, episcopos, nec non ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium capitula et abbates exemptos et non; quatenus ipsi et eorum singuli per se vel per alium sufficientem; universitates vero et capitula unum vel plures de ipsis aut personam idoneam vadant et mittant; requirunt etiam regem, quod velit mittere et facere quod prælati regni sui et alii prænominati vadant seu mittant, ut patet per eorum patentes litteras. Quorum DD. cardinalium sanctum et laudabile propositum præfati RR. PP. dictum consilium ecclesiæ Gallicanæ celebrantes, matura deliberatione præhabita, laudant et approbant, et sunt concordes et parati dictam pacem ecclesiæ et unionem prosequi modo advisato, scilicet cessionis vel ejectionis, et ipsi hujusmodi convocationem generalis consilii ratam et gratam habentes, videntesque expediens, congruum et opportunum ac necessarium pro acceleratione dictæ unionis et extirpatione præsentis horrendi schismatis existere, ut ad locum diemque præfixos præfati DD. qui per dictos DD. cardinales illic accedere requirerentur, monentur et exhortantur ibidem personaliter conveniant, aut saltem, quod viri solemnes et electi tam prælati quam alii in notabili et grandi numero ex parte hujusmodi regni et delphinatus transmittant; et ideo ordinarunt, concluserunt, concorditer et determinaverunt de qualibet provincia dictorum regni et delphinatus cæteros (certos) prælatos et alios viros egregios ad prosecutionem unionis propitios et idoneos transmittere, qui per prædictas provincias singulariter et solemniter congregatas fuerint electi, nominati, et ordinati, et in suo communi consilio ecclesiæ Gallicanæ viribus & diebus sæpe repetitis nomina prædictorum lecta, et sunt hæc.

Sequuntur nomina eorum qui ex parte provinciarum fuerunt electi pro concilio generali die VI. Novembris in præsentia domini cancellarii Franciæ.

Hucusque ex MS. codice Taurinensi; cætera habet & Martene Ver. Mon. t. VII. pag. 811. ex quo Variantes hic dantur.

PRO REMENSI PROVINCIA.

Episcopi.

Belvacensis.
Laudunensis.
Tornacensis.
Attrebatensis.

Abbates doctores

Sancti Eligii Noviomensis.
Sancti Chrispini.

Priores conventuales.

De Chrispeyo.
De Abbatis-villa.

Omnes notabiles graduati.

Magister Joannes *Moramie* pro ecclesia Remensi. — Mar. Mauramiæ.
Magister Petrus Canthon pro ecclesia *Remensi canonicus Ecclesiæ Catalaunensis*. — M. Gauchon. *Catalaunen.*
Decanus S. Audomari pro ecclesia Morinensi.
Magister Joannes *Carrecon canonicus Cameracensis* pro ecclesia Cameracensi. — Decan. M. *Chairecon* Defunt.
Et ducet quilibet episcopus secum, si voluerit, unum vel duos canonicos de ecclesia sua, & suas lucrabuntur cotidianas distributiones legatione durante.

PRO-

ANNO CHRISTI 1408.

PROVINCIA ROTHOMAGENSIS.

Episcopi doctores.

Lexoviensis.
Ebroicensis.
Constantiensis.

Abbates doctores.

Montis sanctis Michaelis.
De Gemmerico.
Sancti Petri supra Divam.

Doctores.

Desunt — *Magister Hugo de Remiaffa sacræ Theologiæ professor* decanus ecclesiæ Rothomagensis, & magister Robertus de Quesneyo.
Deest. — *Henricus de Calvomonte archidiaconus ecclesiæ Ebroicensis.*
M. *Isambardus.* — Magister *Isambertus* Martelli thesaurarius sacræ cappellæ palatii Parisiensis.
M. *Flavoan-de* Reliqua desunt. — Magister Ursinus de *Calevande sacræ theologiæ professor pœnitentiarius Constantiensis.*

Licentiati in utroque jure.

M. *Blandribos.* — Magister Adam de *Blandribosco.*
Magister Henricus de Calvo-monte.
Magister Guillelmus Despuis.

PROVINCIA SENONENSIS.

Archiepiscopus Senonensis.

Episcopi.

Nivernensis.
Trecensis.
Meldensis.

Abbates doctores.

Sanctæ Genovefæ Parisiensis.
Tironiensis.
Sancti Benedicti supra Ligerim.
Sancti Maximini Aurelianensis.

Doctores in theologia & jure.

Provincialis Franciæ ordinis minorum.
Magister Joannes Cortecuisse.
Joannes Luqueti.
Guido de Albiaco.
Radulphus de Albiaco, & Matiscone.
Desunt — *Joannes Bremxors.*
Guillelmus Pulchrinepotis sacræ theologiæ professor.
Rodulphus de Refugio doctor in jure.
Joannes Grimonelli sacræ theologiæ professor minister provinciæ Franciæ ordinis minorum.

PROVINCIA BITURICENSIS.

Archiepiscopus Bituricensis.
Unus de ejus ecclesia.
Episcopus Albiensis.
M. *De Lam-* Deest. — Unus de ejus ecclesia scilicet magister Joannes *Dulat.*
Et Michael de Albis *pro sua ecclesia Lemovicensi.*

Episcopus Ruthenensis.
Episcopus Lemovicensis.
Magister Gaufridus *de Paucia.*
Episcopus Tutelensis.
Præpositus de Bellomonte.
Episcopus Caturcensis.
Abbas de Burgo Dei.
Abbas de Conches.
Abbas S. Augustini & Casæ Dei.
D. Petrus *Porilon pro Mimacensi ecclesia.*

ANNO CHRISTI 1408.
M. *De Perucia.*
M. *Poulen.* Desunt reliqua.

PROVINCIA LUGDUNENSIS.

Episcopi quilibet cum uno graduato.
Episcopus Eduensis & Cabilonensis.

Abbates doctores in theologia, & jure.

Clamiacensis pro diœcesi Matisconensi. — Deest.
De Vezeliaco. — M. *Virgiliacensis.*
Molismensis.
Sancti Sequani.
Monasterii S. Joannis de Reómo.
De Castelltone.
Petrus de *Montevoto* Lugdunensis.
H. de Savoisi Lingonensis ecclesiarum decani. — M. *De Moncejaco decanus*
Joannes Guioti doctor jure canonicus Eduensis.
Hugole *Fairrè* licentiatus in decretis, canonicus Cabilonensis. — *Lugdunensis licentiatus in decretis.*
Gaufridus de sancto Amore cantor Matisconensis licentiatus in utroque. — M. *Hugo Fabri.*

PROVINCIA BURDEGALENSIS.

Archiepiscopus Burdegalensis. — Deest.
Episcopus Petracolicensis. — Deest.
Xantonensis.
Agennensis.
Lucionensis.
Abbas S. Maxentii.
Decanus Pictavensis.
Decanus Xantonensis. — Deest.
Et magister Elias de Serre.

PROVINCIA VIENNENSIS.

Archiepiscopus Viennensis cum *sex aliis quorum tunc non fuerunt expressa nomina.*

PROVINCIA AUSSITANA.

Episcopi.

Vasatensis. — Deest.
Tarbiensis.
Convenarum.
Lectorensis.
Abbas *Chaumorræ.* — M. *Quinque* Cætera desunt.
Præpositus S. Justini in ecclesia Auxitana. — M. *Chimorræ.*

PROVINCIA NARBONENSIS.

Archiepiscopus Narbonensis.

Episcopi.

Carcassonensis.
Uticensis.
Nemausensis.
Lodovensis.
Aniciensis. (a)

(a) Mart. addit. *Licet non sit de provincia.*

Et ip-

Et ipse Patriarcha Alexandrinus perpetuus administrator ecclesiæ Carcassonensis.

ANNO CHRISTI 1408

Abbates.

Sancti *Eligii*.
Doest. M. S. Ægidii. *Sancti Tiberii*.
Crassensis.
Aniane.
Finicinus Conratii, vel Petrus Astreboni.
Joannes Fayditi, vel Joannes de Borno.
Prior de Verina.
D. Guillelmus Benedicti vel Sacrista Carcassonensis.
Gaufridus de Pompadorio.

PROVINCIA THOLOSANA.

Archiepiscopus Tholosanus.

Episcopi.

Mirapicensis.
Lombariensis.
Apamiarum.
Rivensis.
M. Vaurensis. Electus *Vencensis*,
Duo Doctores.
Et duo doctores pro universitate Tholosana.

PROVINCIA TURONENSIS.

Archiepiscopus Turonensis.

Episcopi.

Dolensis.
M. Redonensis. Nannetensis vel *Renensis*, & Tricorensis. (b)

(b) Mair. addit. *Macloviensis*.

Abbates.

M. S. Serg. De Nucariis.
Sancti *Fregii*.
M. de Pauza. Sancti Albini.
M. Cenomanensis. Raymundus *Pernaia*.
M. de Tegula. Decanus *Turonensis*.
M. de Vico. *J. Tenglan*.
M. Giron. *Alanus de Melia*.
M. Cotini. Thomas *Giron*.
M. Dictus. Andreas *Ascotin*.
Maugendre M. Provinciale Turonensis ordinis Fratrum prædicatorum. Willelmus *Maleigendre doctores ac provincialibus provinciæ Turoneæ de ordine minorum*.
Decem abbates de ordine Cisterciensi.
Item pro monasterio majoris monasterii.
Pro ordine Cluniacensi, & pro ordine Præmonstratensi aliqui per eos nominandi.
Item pro universitatibus Parisiensi, Tholosana, Andegavensi, Aurelianensi, & Montis Pessulani deputandi & non nominandi per easdem universitates.

Hic utique Martene: cætera ex eodem MS. Cod. prosequemur.

Quibus nominibus lectis per notarium publicum in dicto consilio, idem D. Patriarcha dixit in effectu, quæ sequuntur, videlicet quod dictum concilium Ecclesiæ Gallicanæ certam potestatem dedit & dat prænominatis RR. PP. Archiepiscopis, & Episcopis, ac Abbatibus, nec non aliis notabilibus viris litteratis & eorum majori parti, ac etiam parti illorum majori qui in dicto consilio voluerunt & potuerunt comparere, videlicet plenariam potestatem & mandatum generale ac speciale comparendi in dicto concilio loco & die prædictis, ac etiam aliis diebus & locis continuat. pro & nomine archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, cappituli metropolitanarum cathedralium Ecclesiarum & cleri & populi totius Gallicanæ Ecclesiæ seu regni Franciæ & Delphinatus Viennensis. Ibi per eos repræsentandi, deliberandi consulendi, consentiendi, dicendi, faciendi, procurandi, & concludendi omnia & singula quæ fuerint utilia, expedientia, necessaria, seu quomodolibet opportuna ad extirpationem schismatis & unionis & partem (sic) Dei Ecclesia, Deo duce, reducendi; etiamsi contendentes propter factum schismatis aut heresis vel eorum fidei oppositione dejiciendi fuerint, seu dejectis declarandi aut denunciandi vel eorum alter, & ad omnia & singula dicenda, facienda, & exercenda nomine quo supra, quæ ad electionem unici & indubitati pastoris seu reverendi pontificis expedientia, convenientia, & utilia, necessaria, seu quomodolibet opportuna fuerint, nec non ad prosequenda, concludenda, deliberanda, & ordinanda, omnia & singula opportuna & utilia pro reformatione universalis Ecclesiæ, & maxime illa quæ concernunt bonum statum & canonicum regimen ac libertates Ecclesiæ Gallicanæ seu regnum Franciæ & Delphinatus Viennensis, prout eorum constitutis videbitur faciendum. Et generaliter ad omnia alia & singula dicenda, facienda, & procuranda quæ in præmissis & circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna, etiamsi similia sint, quæ mandatum exigunt magis spirituale: promittentes bona fide se ratum & gratum perpetuo habituros quidquid per eos aut majorem partem eorum, qui in dicto consilio comparuerunt, aut dictum gestum procurandum seu conclusum fuerit in præmissis. Dixit &c. præfactus Reverendissimus P. D. Patriarcha Alexandrinus quod dictum sacrum concilium Gallicanum volebat & intendebat quod præmissis seu eorum aliquo non obstantibus, sine tamen dictorum præmissorum aut alicujus ipsorum præjudicio, omnes & singuli alii incolæ regni Franciæ & Delphinatus Viennensis ad dictum concilium Pisanum vocati possint ibidem, si velint, personaliter interesse, vel procuratorem specialem mittere; quare petebat idem D. Patriarcha a D. cancellario Franciæ quatenus pro & nomine regis omnia & singula præmissa laudaret, & rata haberet, & litteras opportunas & utiles super præmissis expediret, secundum commissionem super hoc a D. N. rege datam. Qui dominus cancellarius benigne omnia præmissa concessit; quæ omnia & singula eidem sacro concilio grata fuerunt nullo contradicente, de & super omnibus & singulis præfatus & Reverendissimus P. D. Patriarcha Alexandrinus, & plures alii petierunt a me notario publico infrascripto & pluribus aliis notariis ibidem pro tunc existentibus sibi fieri & tradi publicum instrumentum seu publica instrumenta unum vel plura. Acta fuerunt hæc Parisius in dicta aula regalis palatii supra Secanam, indictione, mense, & die, & ab electione prædictis, præsentibus VV. & circumspectis viris magistris Joanne Trelon, Joanne Luqueti, Joanne Brenstone, Martiano de Mormia, Ursino de Talenande, Henrico, de Uragella, Arnulpho de Fonte ministro provinciæ Burgundiæ ordinis minorum sacræ Theologiæ

ANNO CHRISTI 1408.

ANNO CHRISTI 1409.

logiæ professoribus, Petro Canthen, Joanne Salizero, Nicolao Gobe in legibus & decretis licentiatis, Joanne Petro in artibus & medicina mag. & Nicola de S. Clario mag. in artibus & baccalario in decretis & pluribus aliis in maxima multitudine testibus ad præmissa vocatis.

Actis pariter concilii hujus adjicienda sunt ea quæ dedimus ad Parisiense anni 1404. ut ibi monuimus.

ANNO CHRISTI 1409.

CONCILIUM AQUILEJENSE

IN AUSTRIA.

Pro tollendo schismate, per Gregorium Papam XII. anno Domini MCCCCIX. celebratum.

Melius vocasset Binius concilium apud civitatem Austriæ in Aquilejensi diœcesi.

Hanc synodum Gregorius indixit anno pontificatus sui secundo, per epistolam quamdam apud Theodoricum a Niem lib. 3. de schismate extantem, quæ talis est.

Gregorius, &c. ad futuram rei memoriam.

Cum tota nostræ mentis intentio, sit Christianorum ecclesiam reunire, palpato per experientiam rerum magistram, quod per viam renunciationis, obstante iniquorum malitia, id efficere hucusque nequivimus, quam pure & sincere obtulimus, & in eadem perseverantes perstitimus, & adhuc persistere non desistemus, secundum formam & intentionem nostri voti & juramenti, nescientes Divini secreta consilii sæpenumero per effectum dejurantis, quia vanæ sunt cogitationes hominum, ad viam juribus & antiquis consuetudinibus approbatam nos convertimus, generale concilium, quod omnes vias ad unionem includit, nullam penitus excludendo, quodque congregare solius Romani pontificis esse dignoscitur, sine cujus auctoritate factum, non concilium, sed conciliabulum aut conventiculum dicitur, & diffinitur nullum existere: ad festum Pentecostes immediate sequentis, & in provincia Aquilejensium & exarchatu Ravennatensi, Divino auxilio invocato, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica, præsentium tenore indicimus, & etiam convocamus, per apostolica scripta mandantes, quatenus venerabilibus fratribus nostris universis & singulis patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, & dilectis filiis electis, & aliis ecclesiasticis prælatis, ac reliquis in prælaturis & dignitatibus constitutis, qui solent ex dignitatibus & prælaturis eorum in hujusmodi generalibus conciliis interesse, quatenus ad id se personaliter in eisdem loco & tempore transferant debito, scituri locum, quem ex eis duxerimus eligendum: quem quidem locum nunc expresse determinare & denunciare nequivimus propter varias circumstantias, quibus locus talis unitatis & pacis debet merito circumcingi. Et quoniam pestiferum hoc schisma tolli verisimiliter non speratur, nec dari integritas unionis populo Christiano cum effectu, sine dominorum temporalium voluntate, quorum honor & status tangitur: carissimos in Christo filios nostros Rupertum Romanorum, & alios reges, & nobiles viros, duces, principes, cæterosque potentes, necnon communitatum & universitatum regimina principalia requirimus, monemus, & hortamur in Domino, quatenus ad idem concilium personaliter veniant, aut aliquos viros solemnes doctos, & Deum timentes transmittant, ut fiat Deo annuente, pax & unitas eadem in populo Christiano. Nulli ergo, &c. nostræ indictionis mandati requisitionis, monitionis & exhortationis infringere, &c. Si quis autem, &c. Datum Lucæ, sexto Nonas Julii, pontificatus nostri anno secundo.

Hactenus epistola Gregorii papæ XII. De occasione, loco & tempore ejusdem concilii, & de personis quæ interfuerunt, subjungit quæ sequuntur: *Subsequenter vero circa finem mensis Junii, Gregorius cum pauca comitiva, curialium & etiam armigerorum a Luca recedens, multum extenuatus in facie, & lividi coloris, ac si jam in puncto mortis existeret, sub salvo conductu ejusdem Florentinorum, datis sibi etiam per ipsos, prout petiit, sufficientibus obsidibus, donec esset in loco tuto, ad eamdem civitatem Senensium revertebatur, ubi satis honorifice, ut creditur, ob reverentiam regis Ladislai, quem Senenses tunc & ante reverebantur & diligebant, per cives & communem populum recipiebatur. Credidit tamen tunc ire versus Ariminum recta via: sed hoc eo iter agente, fuit quomodolibet impeditus. Stando igitur tunc per tres menses vel circiter Senis, interim ad dilatandum schisma alios novos cardinales creavit, & postea versus Ariminum transivit, ubi etiam hiemando in Quadragesima tunc instanti, ad terram civitatis Austriæ Aquilejensis diœcesis accessit, & ibi circa festum Pentecostes tunc sequens suum conciliabulum celebravit, paucis ibi existentibus archiepiscopis, episcopis, & aliis ecclesiasticis prælatis, aut procuratoribus ecclesiasticorum prælatorum, necnon principum sæcularium, qui in generali concilio per summum pontificem convocato de consuetudine & more interesse tenentur.* Hactenus de concilio Aquilejensi Theodoricus.

An. Chr. 1408.

G. COSS. ADDITIO.

* *Quod ait supra Niemus, concilium a Gregorio esse convocatum in civitatem Austriæ, explicatius habetur in epistola ab Odorico Raynaldo e monumentis Vaticanis edita ad annum 1408. num. 67. qua Gregorius, uti se adversus Pisanum concilium muniret, conventum alium, quem superioribus litteris in provincia Aquilejensi, nullo certo designato loco, indixerat, convocat in civitatem Austriæ & Utinum, diœcesis Aquilejensis: quæ cum essent vicinæ urbes, pro uno eodemque loco haberentur. Epistolam ipsam subjicio.*

Gre-

ANNO CHRISTI 1409.

Gregorius &c. Ad futuram rei memoriam.

AD pacem Christianorum totis affectibus intendentes, diligentissime illa prosequimur quæ ad consecutionem sanctissimæ atque optatissimæ unionis fore credimus opportuna. Cum itaque dudum, videlicet VI. Non. Julii proximi, in civitate Lucana tunc existentes, generale concilium pro sedatione perniciosi & inveterati schismatis, ad festum Pentecostes immediate sequentis, in provincia Aquilejensi, vel exarchatu Ravennate, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica per alias nostras litteras duxerimus convocandum; ac propter varias circumstantias, quibus locum hujusmodi habendi concilii accommodari, & per nos, eum non haberemus in potestate nostra, procurari oportebat, tunc in iisdem litteris nostris ipsum locum specialiter nequiverimus declarare, sed alio tempore hujusmodi declarationem relinquerimus faciendam: nos volentes ut omnis ambiguitas tollatur, ac ut universi & singuli, qui adesse debent, ad veniendum præparare se possint, & tempore debito accedere, habita super hoc diligenti consideratione, omnibusque locis provinciæ & exarchatus præfatorum mature pensatis, tandem ut magis, * idonei pro qualitate rei & temporis, civitatem Austriæ & Utinum, Aquilejensis diœcesis, quæ propter propinquitatem & cohærentiam pro uno loco haberi debent, de eorumdem fratrum nostrorum consilio, auctoritate præfata, pro hujusmodi celebrando concilio eligimus, & per præsentes nostras litteras declaramus: mandantes venerabilibus fratribus nostris universis & singulis, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & dilectis filiis electis & aliis ecclesiarum prælatis, etiam prætensis, ac reliquis in prælaturis ac dignitatibus constitutis, sive sint catholici, sive schismatici, qui solent aut debent ex dignitatibus aut prælaturis eorum, hujusmodi generalibus conciliis interesse, quatenus ad hujusmodi concilium per nos, ut præfertur, indictum in præfatis loco & tempore, se personaliter conferant, ac requirentes insuper & hortantes in Domino, carissimos in Christo filios nostros reges ac nobiles viros, duces, principes, cæterosque potentatus, necnon communitatum & universitatum regimina principalia, quatenus ad id concilium personaliter veniant, vel idoneos oratores transmittere procurent: ut sic Christi fidelium multitudo in unum congregata, pro pace & reintegratione ecclesiæ, ac pro eradicando hoc pernicioso schismate, pia & incorrupta suffragia, Deo propitio, valeat exhibere. Nulli ergo, &c.

* *Fuit* idoneam. H.

Datum Arimini XIV. Kal. Januarii, pontificatus nostri anno III.

An. Chr. 1408.

Prima concilii sessio Austriæ habita est festo corporis Domini, post solemnes supplicationes: sed exiguo præsulum numero. Quod utrumque discimus ex sequentibus Gregorii litteris a Raynaldo editis.

Gregorius universis Christi fidelibus, ad quos præsentes pervenerint, salutem.

CUm pro sacro generali concilio, prout indiximus, celebrando, huc venerimus cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, & curia nostra, ad pacem & unionem sacratissimam inducendam, quam dare pro posse intendimus per viam cessionis, & omnem aliam rationabilem, juxta continentiam nostrorum juramenti, promissionis, & voti, & diem sacratissimam Pentecostes pro prima die præfati concilii in Dei nomine acceptaverimus, factisque Altissimo laudibus & orationibus processionaliter, prout convenit tantæ rei, primam fecerimus sessionem in gloriosissimo festo corporis Christi pretiosissimi, secundam indicentes ad vicesimam secundam diem hujus (quas quidem sessiones intendimus protelare, ipsa interim nihilo minus cum præsentibus sic substantialia disponentes, quod mox ut fuerit decens prælatorum numerus congregatus, finalis, quantum nostra fuerit, introducatur effectus) universitatem vestram in Domino requirimus & hortamur, mandantes venerabilibus fratribus nostris, patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, & quibuscumque aliis ecclesiarum prælatis, debentibus ex suis prælaturis vel dignitatibus sacræ synodo interesse, quatenus ad hoc sacrum generale concilium sine moræ dispendio studeant personaliter se conferre, & carissimos in Christo filios nostros reges, ac nobiles viros, duces, principes, ac alios magistratus communitatum, & universitatum, affectuose etiam obsecrantes, ut ad idem concilium personaliter, si possunt, accedant; sin autem, suos idoneos nuntios debeant destinare, ita quod cunctorum assistente præsidio, tractari valeant atque fieri quæ Dei sunt, & pacis, ac unionis populi Christiani, &c. Dat. in civitate Austria, Aquilejensis diœcesis, XII. Kal. Julii, pontificatus nostri anno III.

An. Chr. 1409.

Quæ vero deinde secuta sint, docet Raynaldus, qui ea collegit ex Gregorii ipsius litteris, quarum ipse copia ex Vaticano tabulario facta est.

Spreta sunt, *inquit*, ab Episcopis ejus imperia, cum in magnam adduceretur invidiam concilium ad schismatis propagationem molitum: misitque Nicolaum episcopum Ferentinum, & Dominicum designatum episcopum Melitensem Venetias, ut objecta anathematis pœna, illius provinciæ præsules ad synodum cogerent: sed Veneti Alexandro, ex doctorum sententia, quamvis Gregorius Venetus esset, adhæserunt.

In secunda sessione synodus in civitate Austriæ congregata, ubi pluribus de electione Gregorii historiam retexuit adversus Alexandrum, quem Petrum e Candia vocat, ac Petrum e Luna, sententiam hanc tulit.

Sententia lata in concilio generali domini papæ Gregorii in civitate Austriæ Aquilejensis diœcesis.

CHristi nomine invocato, sancta & universalis synodus universalem & catholicam ecclesiam repræsentans, ad quam cognitio & decisio hujus causæ noscitur pertinere, sancti spiritus gratia, in hac collegiata ecclesia S. Mariæ civitatis Austriæ Aquilejensis diœcesis, sacri concilii inibi de mandato & auctoritate sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Gregorii papæ XII. ac universalis ecclesiæ

ANNO CHRISTI 1408. 1409.

clesiæ summi pontificis congregata pro tribunali sedens, visis omnibus & singulis actis, acditatis, juribus, & depositionibus testium in hujusmodi causa unionis & aliis documentis, ipsam sanctam synodum ad infrascriptam definitivam sententiam inducentibus, habita inter ipsos ac etiam cum quampluribus magistris theologiæ ac utriusque juris doctoribus diligenti collatione, & tandem deliberatione matura, omnes pariter in hac sententiam reperiens unanimiter concordare omni modo, via, forma, quibus magis & melius potest de jure, &c. *Et infra*: Pronunciat, decernit, definit, & declarat, electionem, inthronizationem de dicto sanctæ memoriæ Urbano papa VI. & subsequenter Bonifacius IX. Innocentio VII. Romanis pontificibus, fuisse canonicas, necnon electionem, inthronizationem, coronationem de sanctissimo domino nostro domino Gregorio papa XII. factas, fuisse & esse canonicas, suumque debitum debuisse & debere sortiri effectum, ipsum sanctæ memoriæ Urbanum papam VI. & suos successores Bonifacium IX. Innocentium VII. fuisse indubitatos, & veros pontifices universales catholicæ ecclesiæ, & nunc Gregorium papam, fuisse verum & indubitatum papam, ac universalis catholicæ ecclesiæ summum pontificem: nec non pronunciat, decernit, & definit, & declarat electionem damnatæ memoriæ Roberti Gebennensis antipapæ, & deinde Petri de Luna, ac Petri de Candia, fuisse & esse nullas, temerarias, illicitas & injustas, & de facto sacrilege præsumptas, ipsisque damnatæ memoriæ Roberto Gebennensi, Petro de Luna, & Petro de Candia, in papatu, seu titulo papalis dignitatis, nullum jus competiisse neque competere, ipsosque Petrum de Luna & Petrum de Candia fuisse & esse notorios schismaticos, & pertinaces, notoriisque perjuriis irretitos, & ecclesiam Dei scindentes notorie, ob hoc omnino dignitate papali & alia quacum ac se reddidisse indignos; & factas per eosdem conjunctim & divisim quascumque ordinationes, promotiones, collationes, & provisiones, immo profanationes, & alia quæcumque per eos tamquam summos pontifices, seu eorum vel alterius eorum auctoritate ordinata, decreta, vel gesta, ac omnia & singula exinde vel ob id subsecuta, damnat, cassat, & irritat, & nullius decernit fuisse & esse roboris vel momenti, appositionesque, spoliationes, perturbationes, vexationes, & impedimenta, dictis sanctæ memoriæ Urbano papæ VI. & deinde Bonifacio IX. Innocentio VII. per dictum damnatæ memoriæ Robertum & postmodum Petrum de Luna factas fuisse, & esse nullas, temerarias; & subsequenter dicto domino nostro Gregorio papæ XII. factas, similiter esse temerarias, illicitas, & injuste & de facto præsumptas; ipsumque sacratissimum dominum nostrum Gregorium papam modernum, ad possessionem obedientiæ suæ per universum mundum & sanctam ecclesiam catholicam, & ad jurisdictionem papalem & liberum exercitium ejusdem, nec non terrarum, civitatum, oppidorum, castrorum, vel quasi omnium & singulorum bonorum S. R. E. quibus de facto spoliatus extitit, restituendum fore, & restituit: dictisque Petro de Luna & Petro de Candia, tam conjunctim quam divisim, de & super appositionibus, spoliationibus, & impedimentis, ac papatu, perpetuum silentium imponendum fore, & imponit, inhibetque eisdem Petro de Luna & Petro de Candia, ne aliquis eorum se pro summo pontifice nominare, aut etiam parere præsumat; necnon pronunciat, decernit, & declarat, præfatum dominum nostrum, dominum Gregorium papam in prosequendo facto unionis ecclesiæ (in quantum in eo fuit) fecisse diligentiam hactenus pro extirpatione hujus pestiferi schismatis, talem quod occasione voti & juramenti in conclavi & post factorum, non fuit, nec est aliquo crimine perjurii vel transgressionis voti irretitus: diffamationes quoque, detractiones, et alias injurias ac opera sacrilega contra præfatum dominum nostrum, dominum Gregorium papam XII. per præfatos Petrum de Luna, et Petrum de Candia, et eis adhærentes, fuisse et esse temerarias, illicitas, et sacrilegas, et injustas, et de facto præsumptas et præsumpta; ipsisque et eorum cuilibet sub ipsis perpetuum silentium imponendum fore, et imponit: et nihilo minus prohibet eisdem; ne de cetero aliquis eorum faciat seu perpetret similia in futurum: necnon decernit et declarat universos Christicolas, etiamsi imperiali, regali, aut alia quamvis præfulgeant dignitate, ne eisdem Petro de Luna, vel Petro de Candia, vel alteri eodem, ratione alicujus juramenti, aut alias quovis modo, tamquam summis Pontificibus obediant, ipsaque juramenta et obligationes, si quæ dictis Petro de Luna, et Petro de Candia, tanquam summis pontificibus, aut eorum alteri, per præfatos reges et alios cujuscumque sint gradus, ordinis, aut conditionis præstitas, nullas fuisse et esse, ipsasque relaxandas fore, et ad cautelam relaxat. Et nihilo minus super omnibus aliis in hac causa deductis, & petitis, et declaratis, & probatis, potestatem pronunciandi, decernendi, & diffiniendi, sibi in posterum ad locum et tempus congruum reservat.

Ego Marinus episcopus Aprutinus de mandato & commissione sacræ synodi sic pronunciavi, & me propria manu subscripsi.

Sessio deinde alia celebrata est quinto Septembris, teste Theodorico Niemo lib. 3. cap. 45. Quamdam, *inquit*, congregationem fieri fecit, in illa designans intentionem suam quoad schisma hujusmodi tollendum, prout ejus verba sonabant in quadam schedula, cujus tenor sequitur, et est talis.

Sanctissimus dominus noster, dominus Gregorius XII. ardentissimus ad sanctissimam unionem, illam quærit totis affectibus introducere. Verum, quia per formam in conclavi conceptam, propter profanationes apostatæ Petri de Candia, videtur quod unio fieri non possit per renunciationem ipsius et Petri de Luna, nisi modificatio aliqua fiat: hinc est quod pro cleri et perfecta consecutione unionis præfatæ proponit et acceptat hos modos: videlicet, quod idem sanctissimus dominus noster, ex abundanti desiderio cordis sui ad ipsam sanctissimam unionem perficiendam paratus est realiter et cum effectu renunciare papatui, si et quando simul et personaliter ac præsentialiter in eodem loco Petrus de Luna et Petrus de Candia suis prætensis juri-

ANNO CHRISTI 1408. 1409.

bus in papatu renunciabunt, secundum formam ipsam conceptam in conclavi, adhibita ista modificatione electionis futuri pontificis, quæ habebat fieri a cujuslibet obedientiæ duabus partibus gerentium se pro cardinalibus; ita quod in hoc casu ad verum illius papatum requiraretur cujuslibet obedientiæ voces duarum partium, et qui sic fuerit electus suo consensu pro verissimo Romano pontifice habeatur. Item ne ex difficultate loci possit differri pax ecclesiæ, et unio impediri, ex tunc concedit plenam et liberam potestatem illustribus regibus Ruperto Romanorum, Ladislao Jerusalem, et Sigismundo Ungariæ regibus, concordandi de loco, cum adversariis et ipso eligendo: qua concordia et electione facta paratus est, infra terminum per eosdem reges assignandum, ad dictum locum accedere, et ibi debitum suum facere, prout in precedenti capitulo est expressum.

Item, si super præmissis, quod absit, adversarii concordare non vellent, ne differatur factum sacratissimæ unionis, ex nunc concedit plenam et liberam facultatem et potestatem præfatis adversariis super concilio generali, ab omnibus partibus convocando, et locum etiam ad illud celebrandum eligendi: qua concordi electione facta, paratus est ad dictum locum accedere, et stare deliberationi in qua cujuscumque obedientiæ major pars convenerit, id est, quod deliberatio illa sit facta a majori parte obedientiæ Petri de Luna, et majori parte Petri de Candia simul, ita quod deliberatio ipsa sit trium obedientiarum; illud idem acceptantibus et faciéntibus Petro de Luna, et Petro de Candia gerentibus se pro papis. Et ut prædicta possit citius et habilius suum consequi effectum, dicit et mentis suæ esse, quod infra annum a die præsenti secuturum præfati reges habeant potestatem et facultatem liberam et plenariam exequendi prædicta. Et, si eis tum videbitur expedire, concedit eisdem quod possint dictum terminum annuum usque ad unum alterum annum tunc proximum, secundum eorum beneplacitum, propagare et non ultra, ipsis regentibus ipsius domini nostri papæ permanentibus. Ad quæ omnia pertractanda placeret præfato et sanctissimo domino nostro papæ, quod dicti reges, et quantum placeret eis, sibi assumerent magnificum Carolum de Malatestis, qui est valde avidus ad sacratissimam uniomem. Lecta fuit scriptura in sacra synodo civitatis Austriæ congregata, die Jovis v. Septembris [a] MCCCCVIII. Domini [*] nostri anno III.

a) Pro 1409. H.

* leg. Pontificatus sanctissimi D. nostri Gregorii.

Hæc autem Raynaldus subiicit ex iisdem collecta monumentis. Ad promulganda hæc decreta, confirmandasque suas partes adversus Alexandrum V. et Petrum e Luna, aliosque cum iis sentientes, Gregorius plures legatos creavit, nimirum Albertum episcopum Poznaniensem in Polonia, Sbinconem archiepiscopum Pragensem in Boemia, Nicolaum episcopum Caminensem in Pomerania, Henricum episcopum Wintoniensem in Anglia: in Insubria Bartholomæum episcopum Placentinum, quem etiam ea instruxit auctoritate, ut majoris instar pœnitentiarii sacras exomologeses exciperet, præscripsitque formulam, ex qua ad ipsius partes redituros conciliaret.

F. JO. FRAN. BERNARDI MARIÆ DE RUBEIS

Ordinis Prædicatorum

Animadversiones.

I. Concilium illud, quod *Aquilejensis in Austria* nuncupavit Severinus Binius, appellari debere *Concilium apud civitatem Austriæ in Aquilejensi Diœcesi*, recte admonet Philippus Labbeus in nota margin. sic enim Gregorii XII. litteræ, quæ post sess. I. habentur, datæ *in Civitate Austriæ Aquilejensis Diœcesis* dicuntur; & in sessione, quæ die quinto Septembris celebrata est, Theodorico Niemo ipsis ejusdem Gregorii schedæ exhibetur, quæ lecta dicitur *in Sacra synodo civitatis Austriæ congregata*. Labbei admonitionem neglexisse, adeoque Concilii dormitando percurrisse videtur Joannes Harduinus, qui prædictum Concilium simpliciter *Aquilejense* nuncupat: cum eodemque lapsus est Jo. Albertus Fabricius lib. IV. Bibl. Gr. Vol. XI. in Notitia Conciliorum chronologica.

B Hæc *Austria Civitas* est, quam ad Natisonem fluvium fitam supra Utinum ad ortum solstitium m. p. VIII. veteres Forumjulium appellarunt. Ab eadem, utpote principe Urbe post diruta Aquilejam, nomen accepit & ipsa Provincia, quæ antea Regio *Carnorum* dicebatur. Ut a Forojulio provincia distinguaretur Urbs ipsa, dicta nunc legitur *Civitas Forojulium*, rursus *Oppidum Forijulii*, denum & *Castrum Forojuliense*: quibus nominibus passim eam vocat Paulus Diaconus in suis de gestis Langobardum libris. *Civitas* deinceps *Austria*, vel *Austriæ* frequentius appellata est. Nominis originem felicissime detexerunt justus Fontanelius Archiepiscopus Ancyranus in eleganti epistola *Delle Masinade* edita Venetiis anno MDCCXCVIII. & Philippus a Turre Episcopus Adriensis in Dissertatione de Colonia Forojuliensi. Nempe cum Longobardi sedem imperii in Urbe Ticinensi fixissent, Provinciam Forojuliensem, quod ad plagam orientalem posita esset, nuncuparunt *Austriam*: quo etiam modo *Austria* & *Austrasia* ea pars Galliæ dicta est, quæ ad orientem erat. Inde ergo Forojuliensi Urbi nomen accepit, dum vocari cœpit *Civitas Austriæ*, vel *Austria*. C Conjectura documenta afferunt bene multa laudati illustrissimi Viri: tamen eandem fatetur Anonymus Mediolanensis in Dissertatione de Tabula chorographica modii veri in Proleg. sect. VIII. num. 26. Tom. X. scriptorum Italiæ.

Et his castigarunt Viri clarissimi Tillemontium, qui Nota VI. in Persecutionem Neronis, cum in Actis S. Hermagoræ animadvertisset, Aquilejam dici *Provinciæ Austriæ Urbem*, errorem librarii in ea voce cubare credidit, & *Iberia* legendum putavit. Cum eo quoque lapsi sunt Bollandi continuatores, qui die XII. Julii inter Annotata ad caput I. actorum S. Hermagoræ: *quid sibi vult*, inquiunt, *Austria provincia? Malim legere, Iberia provincia*.

II. Joannes Palladius de Olivis, Patricius Utinensis, in Commentariis historicis Provinciæ Forojuliensis P. I. lib. X. postquam narravit Gregorii XII. ad Civitatem Austriam adventum, Alphonsum Claconium laudat, qui in ejusdem Pontificis vita *Concilium* refert a Gregorio *celebratum Austriæ Diœcesi Aquilejensis pro tollendo Schismate*. Ait ille vero; *sed hujusce Concilii cum aliis non extant monumenta*, (verba sunt ejus ex italico idiomate latine reddita) *conjici par est, re illud ipsa coactum celebratumque non fuisse. Una superest ab Roberto Rege Romanorum data ad Jacobum de Valvasone epistola, qua committitur ipsi, ut Forojuliensium discordias pro virili cohibeat, curetque indictum a Gregorio concilium celebrari*. Mirum attentum scriptorem refellunt ipsius concilii coacti celebratique acta. Post primas sessiones legantur Gregorii epistolæ datæ *in Civitate Austriæ Aquilejensis diœcesis*, XII. *Kal. Julii, Pontificatus nostri anno* III. sessione secunda habetur sententia lata *a Sancta & universali synodo ..., in hoc collegiata Ecclesia S. Mariæ Civitatis Austriæ Aquilejensis Diœcesis ... de mandato & auctoritate sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Gregorii Papæ* XII. *ac universalis Ecclesiæ summi Pontificis congregata*. In alia demum sessione die quinto Septembris habita, *lecta fuit scriptura in Sacra synodo civitatis Austriæ congregata*. Hæc vulgavit acta Odoricus Raynaldus ad annum MCCCCIX. a num. 81. partim ex ipsius Gregorii litteris, partim ex Theodorico Niemo delumpta.

Ipse Niemus, (cujus quatuor integri libri de schismate sui temporis jam prodierant Basileæ 1566. Norimbergæ 1592. Argentorati 1608. & 1629.) rem narrat aperte lib. III. Verba ejus habes inter acta superius a Labbeo posita: *scilicet, papam versus Arimini transivit* (Gregorius,) *ubi etiam hiemando in quadragesima tunc instanti, ad terram Civitatis Austriæ Aquilejensis Diœcesis accessit, & ibi circa festum Pentecostes tunc sequens suum concilabulum celebravit. hic rursus aliquandam congregationem fieri fecit*, (die jovis v. Septembris) *in illa designans intentionem suam quod schisma hujusmodi tollendum*. Idem quoque jam ante scripserat S. Antoninus, cujus hæc verba sunt P. III. Tit. XXII. cap. V. §. III. *Gregorius vero respondit, quod Concilium ..... celebrare volebat, non Pisis, sed in alio loco, videlicet in Forojulii circa Aquilejam: ipsosque Cardinales eum sequi debere ad locum .... Unde ipse Gregorius*

ANNO CHRISTI 1408. 1409.

ANNO CHRISTI 1408. 1409.

gorius eum Curiæ suæ, etsi parva, ad locum determinatum, & Prælatis, Principibus, & Communitatibus publicatum accessit tempore futuro.... Ibi breviter explevernnt, quæ visa sunt eis expedientia illi negotio. Hæc satis superque.

Unum ait Palladius epistolam superesse ab Roberto Romanorum Rege ad Jacobum de Valvasono datam. Non ita. Quam ipse ad Austriæ civitatis, vel Forijulii Cives quoque dedit, subjicio descriptam ex apographis, quæ in archivis ejusdem Urbis, & Ecclesiæ S. Marin adservantur.

Rupertus Dei gratia Romanorum semper Augustus. Prudentibus Viris, Proviseribus, & Concilio ac Communitati Civitatis Austriæ, & ipsorum colligatis, Fidelibus nostris.

Prudentes, fideles, dilecti. Cum Sanctissimus in Christo Pater Dominus noster Gregorius Papa XII. concilium generale celebraturus pro desiderabilissima unione Sanctæ Matris Ecclesiæ, locum unum, civitatem videlicet Austriæ in Forojulii accessit, ut intelleximus de præsenti; sintque in dictis partibus nonnullæ discordiæ, per quas Venerabilibus Prælatis, & aliis personis dictum Concilium accedere volentibus possent impedimenta verisimiliter suboriri, quominus dictum Concilium suum sortiretur effectum: prudentias vestras instanter rogamus, quatenus intuitu Sanctæ Matris Ecclesiæ ac universalis boni, partes sollicitudinis vestræ interponere velitis, ut hujusmodi discordiæ dante Domino sopiantur, & quicumque ad dictum Concilium accedentes in illis partibus plenis gaudeant securitate; ne (quod absit) publica utilitas, quæ major esse non potest, privato malignantium commodo postponatur. Facturi in præmissis, prout de vestra fidelitate fiduciam gerimus singularem. Nos enim dictum Concilium promovere & favorizare pro sancta matris Ecclesiæ opportuna reformatione intendimus juxta posse; ad vestra etiam desideria favorabiliter inclinati. Datum in Castro nostro Herdelberg, Anno D. millesimo quadragesimo nono, die decima nona Junii, Regni vero nostri anno nono.

Ad mandatum Domini Regis Jos. Vener. Doc. U.J.

III. Ad verba Niemi superius descripta, & inter acta concilii relata, notam appingit Gabriel Cossartius: quod „ ait supra, inquiunt, Niemus, Concilium a Gregorio esse „ convocatum in civitatem Austriæ, explicatius habetur in „ epistola ab Odorico Raynaldo e monumentis Vaticanis „ edita ad annum 1408. num. 67. qua Gregorius, uti se „ adversus Pisanum concilium munire, conventum illum, „ quem superioribus litteris (datis Lucæ VI. Nonas Julii, „ Pontificatus anno II.) in provincia Aquilejensi, nullo „ certo designato loco indixerat, convocat *in Civitatem „ Austriæ & Utinum, Aquilejensis diœcesis, quæ propter „ propinquitatem & coherentiam pro uno loco haberi debent.*" Immo quod ait Gregorius in litteris *Arimini* datis XIV. *Kal. Januarii, Pontificatus anno III.* locum elegisse pro celebrando concilio, *Civitatem Austriæ & Utinum*, explicatius habetur apud Niemum, qui refert, concilium idem, non Utini, *sed in terra Civitatis Austriæ* coactum celebratumque esse. Civitatem utramque elegerat Gregorius pro concilio celebrando, ut gratificaretur utrique: sed Utinensibus Pontifici infensis, eique hospitium negantibus, in una civitate Austriæ, quæ ipsi adhærebat, celebrari concilium potuit.

Acta concilii Utinensis exhibeo, ex Tabulariis ejusdem urbis descripta & olim mihi dono data a Nobili viro, & sacerdote D. Agricola Agricola, quæ rem totam aperiunt.

In Christi nomine Amen.

(1) *Die 29. Mensis Maji 1409.*

Actum Utini in ecclesia sancti Petri Martyris (2) in pleno arengo ad sonum campanæ more solito congregato coram Nobili Viro Joanne de Cassinis de Utino, Reverendissimi in Christo Patris & D. D. (3) Antonii Dei gratia sanctæ sedis Aquilejensis dignissimi Patriarchæ (Capitaneo); in quo interfuerunt tam nobiles, quam populares in maxima quantitate, & quasi totus populus dictæ terræ Utini, ad honorem & reverentiam omnipotentis Dei, ejus gloriosæ Matris, ad providendum & faciendum omnes & singulas provisiones expedientes pro manutentione libertatis ecclesiæ Aquilejensis & totius Patriæ, & specialiter terræ nostræ Utini &c. Coram quibus Dominis Capitaneo, Nobilibus civibus, & popularibus, surgens egregius & strenuus miles Dominus (4) Tristanus de Savorgnano exposuit dicens: qualiter ad notitiam Domini nostri Domini Patriarchæ & totius Patriæ erat deductum, qualiter SS. in Christo Pater & D. D. Gregorius, appellatus Papa duodecimus, venturus erat in brevi in Patriam hanc ad faciendum certum suum concilium; & Reverendissimi Domini Cardinales utriusque collegii in Pisis procurabant continuo cum consensu majoris partis Dominorum & communitatum habentium fidem christianam, creare unum verum pastorem & Papam; & quod (5) Civitatenses, & Nobiles (6) de ultra Tulmentum tractaverunt & tractant nuper in præjudicium nostrum, quod dictus Dominus Gregorius hanc Patriam intret, ut melius possit realiter expellere D. nostrum D. Pastorem de Portugruario Patriarcham Aquilejensem, & nos subjugare, & Civitatenses & dictos Nobiles exaltare. Quare rogavit, per omnes supradictos Dominos cives, nobiles, & vicinos provideri, determinari de modo per hujusmodi communitatem tenendo. Videlicet, an debeamus facere obedientiam dicto D. nostro D. Patriarchæ, & ipsum manutenere & conservare in nostrum Dominum & Patriarcham, & non recipere præfatum D. Gregorium Papam XII. appellatum: vel an debeamus recipere ipsum D. Gregorium Papam, & suis mandatis obedire, & D. nostrum D. Patriarcham relinquere. Super quibus petente provido Odorico de Mudlitis de Utino, hujus terræ Utini Camerario, per totum arengum, nemine prorsus discrepante considerant: quod dictus D. Gregorius Papa XII. appellatus jam nos male tractavit, & quod privavit Reverendissimum D. nostrum D. Antonium Patriarcham Aquilejensem dignissimum, & alium Patriarcham creavit: item quod hanc Patriam intrare vult ad instantiam inimicorum nostrorum: & quod dubitatur, an sit Papa, vel ne, quare continuo concilium Pisis celebratum tractat creare unum verum Pontificem: omnibusque aliis considerandis attentis deliberatum fuit, quod communitas nostra Utini debet manutenere totis suis viribus & posse Reverendissimum in Christo Patrem & D. nostrum D. Antonium de Portugruario dignissimum Patriarcham in sua Patriarchali dignitate, non obstante aliqua privatione, ut asseritur, facta per dictum D. Gregorium vel ejus commissarium, cum indebite fuerit privatus, & cum dubitetur an sit Papa, quod communitas nostra non debeat recipere ipsum D. Gregorium, nec sibi facere aliquam obedientiam, immo resistere sibi totis viribus & posse, quod terram nostram non intret; & ulterius ut melius possit obstari ipsi Domino Gregorio Papa ut supra appellato, determinatum fuit, quod (7) Colta, quæ alias fuit ordinata & posita in terra Utini, debeat exigi; & quod Dominus septem Deputati & concilium & communis habeant auctoritatem plenissimam, una cum egregio milite D. Tristano & fratre, eligendi exactores ipsius coltæ, & faciendi omnes & singulas provisiones opportunas pro manutentione dictæ nostræ intentionis, & dicti D. nostri Patriarchæ, & si opus foret restringendi hujusmodi potestatem in minori numero personarum, ut provisio-

ANNO CHRISTI 1408. 1409.

visiones fiunt ut permanent magis secreta; & quod quidquid fiat & determinabitur per ipsos DD. Triphonum & septem Deputatos ac consilium, vel minus personas ad hoc eligendas, debeat per totam communitatem haberi firmum & ratum, & executioni demandari.

(1) *Die 29. mensis Maji, in summario quodam notarum tabellionum*, ab Antonio Bellono, celebri scriba Urinensi seu Notario, sibi tamque erudissimi exscripsi, quod humanitati Viri clarissimi praebuitat Agricolae Agricolae debeo, hoc adverbum legunter: *venit* (Gregorius) *de Prata* (castro Diocesis Concordiensis) *ad Civitatem Austriae, comitatus per Nob. Guielmum Comitem Prata, Pincerlaum & Thomasum de Spilimbergo, Jacobum de Valvasone, & ceteros collegatos de altra Talmentum, cum suo consortio Communitatis civitatis Austriae, 1409. die pentecostes 26. Maji*. Quae si conferat sibi nota dini, error dubio procul effect in mensis, vel die, quo Concilii Urinensis acta notantur. Quomodo enim in eorum illo, *die ut dicitur 29. mensis Maji* habito, exponeret Triphonus de Savorgnano, *ad natiuitatem* Antonii Patriarchae *& totius Patriae* (Provinciae Forojuliensis) *deductum est, qualiter Gregorius appellatus Papa XII. venerat ergo in breui in Patriam hanc, ad faciendum certum suum concilium; & quod Civitatenses & Nobiles de altra Talmentum tractaverunt & tractant semper in praejudicium nostrum, quod dictus dominus Gregorius hanc Patriam invet?* Jam enim intraverat in Austriam Civitatem, si Bellono fides, die vicesima sexta procedente, in quam eo anno festum incidit Pentecostes. Verius error est in die a Bellono exhibita: nec enim Gregorius e Castro Prata discesserat, pervenerateque in civitatem Austriam die illa vicesima sexta Maji. Dubitare non sinunt ipsius Gregorii litterae, quae Odorico Raimaldo ad annum MCCCCIX. num. 82. memorat *datas Prata Concordiensis Diocesis Kal. Junii*, quibus Pontifex oratoribus Petri a Lana fidei publicae symbolum tradit. In castro Prata calendis Junii adhuc manebat Gregorius. Annotanda quoque sunt ejus Pontificis verba, quae leguntur in epistola data *in Civitate Austriae XII. Kal. Julii*: Videlicet, *cum pro sacro generali concilio, prout indiximus, celebrando, hoc venerimus .... & diem sacratissimam Pentecostes pro prima die praefati concilii in Dei nomine acceptaverimus, laudibus altissimo laudibus & orationibus .... primam fecerimus festivitatem in gloriosissimo festo corporis Christi pretiosissimi*. Ante diem ergo sextam Junii, in quam incidit festum corporis Christi, in Austriam civitatem advenerat Gregorius: sed ibi nondum fuisse die vicesima sexta Maji, in festo Pentecostes, satis innuit, cum scribit, diem illam se *accepisse pro prima die praefati concilii*: illud enim *ad festum Pentecostes* indixerat celebrandum Pontifex in litteris Lucae datis, eoque die, quo vicesima sexta erat mensis Maji, jam advenerant in Austriam Civitatem nonnulli Praesules.

(2) *In plenio Arengo*. Vox est, quae significat, Ducangio glossatore, orationem publicam, declamationem, concionem. Sed etiam accipitur pro civium coetu, in quo orationes publicae aut concionis habentur. Perinde est atque consilium. Hoc sensu usurpatur in documento nostro.

(3) *Antonii Patriarchae*. Is est Antonius Panciarinus, vel Pancirinus de Portugruario, ex Concordiensi sede ad Aquilejensem Patriarchalem translatus anno MCCCCII. Diffidia habuit, quae narrat Joannes Franciscus Palladius P. 1. lib. 2. cum Austria civitate, aliisque nobilibus Forjulii familiis. Quartio acceptis Gregorius, ipsum Patriarchatu deturbavit, eique suffecit Antonium de Ponte, Patricium Venetum, episcopum Concordiensem. Hinc urinensium ira in Gregorium.

(4) *Triphonus de Savorgnano*. De familia Savorgnana, deque Triphono ejusque gestis plura Palladius P. I. lib. 1. & lib. 2.

(5) *Civitatenses*. Forumjulium vel Civitas Austria simplici quoque vocabulo appellata fuit *Civitas*, κατ' ἐξοχὴν ut ait Chuerius lib. 1. Italiae antiquae cap. XX. n. XXIX. sexcenta praebent exempla in chartularis. Unum exhibeo in epistola B. Bertrandi Patriarchae Aquilejensis data ad Guillelmum Decanum apud Ughellium, & Bollandi continuatores die sexta Junii: *facum domus Dominum Bartholomaeum, qui fuit in Civitate, & Urini*. Hinc & incolae *Civitatenses*.

(6) *De altra Talmentum*. Plumen est, quod etiam *Tilmentum, Tilicentum, Tilicentum*, scriptum legitur, Italis *Tagliamento*, incolis *Tajamento*. Nobilis altra *Talmentum*, qui Gregorio favebant, ipsumque dumerant in Austriam civitatem, memorat Bellonus supra laudatus, *Gulielmum comitem Prata, Venceslaum & Thomasum de Spilimbergo, & Jacobum de Valvasone, & ceteros collegatos*.

(7) *Cuba*, Idem quod *collecta*, tributum, Ducangio glossatore.

IV. Jam patet ergo, immane observatis rationem aliquot scriptores, qui concilium Urini a Gregorio celebratum fuisse referant. Duplicem Tomo XII. Biblioth. cap. 1. sic ait; *Gregorius designaverat determinatum locum, ubi suum cogi debebat concilium, nempe Urinum, Diocesis Aquilejensis in Provincia Forijulii urbem. Eo se contulit paruo tempore, aperuitque synodum*. Ait etiam Marcus Barnaglia, Nucerinus episcopus, Parte prima provin concilii Constantiensis num. 14. *Arimino discessit Gregorius, ac Urinum se contulit concilium suum celebraturus*. Antonius Pagius, Francisci nepos Tom. IV. Breviarii Pontif. Rom. in Alexandro V. num. XI. *Gregorius, qui .... concilium Urini in Diocesi Aquilejensi celebrandum in festo Pentecostes indixerat, primum ejus sessionem habuit &c.* Petrus Giannone in civili hist. Regni Neapol. lib. XXIV. cap. IV. num. 11. *Gregorius concilium convocavit Aquilejae celebrandum .... synodum suam aperuit Aquilejae seu Urini, die festo corporis Christi .... Ego falsato, cum minus Urini securus esset, fugit mensis habita in Aprutium*. Nec Urini synodum habuit Gregorius, nec Urinum tantum pro ea celebranda designaverat.

V. soluto concilio, ex Austria Civitate ac Forojulio, detectis Urinensium dictionisque infidis, libet evasit Gregorius, ac triremibus, quas Ladislaus Siciliae Rex submiserat, vectus est in Aprutium Oriundum primum, dein Fundos, demum Cajetam. Ex hoc loco datas a Pontifice ad Forojuliensis vel cives Austriae civitatis epistolas, quasi illorum praestitis officiis se gratum exhibet, vulgavit Basilius Zancarolus P. 1. Antiq. Civit. Forjul. lib. 1. eaedem hic etiam subjicere non operae dispendium erit.

Gregorius episcopus servus servorum Dei.

Dilectis filiis nobilibus Viris, communitati Civitatis Austriae Aquilejensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem.

Per venerabiles fratres S. R. E. Cardinales, & dilectos filios Curiales nostros inde reversos, multum laete & copiose accepimus, quantum reverenter, curialiter, & caritative vos habuistis cum eis post nostrum inde discessum; quantumve diligenter & egregie fecistis eosdem, ut sic per Dei gratiam omnes tuae Patriae illa exiverint ope vestra. Proinde vestram devotionem ut plurimum commendamus, quam praesentes & absentes vidimus tam ferventem ad ea omnia, quae nostri fuerint status & honoris, & sanctae Romanae ecclesiae matris nostrae: ut sic firmiter sperare possitis, apud Nos & sedem Apostolicam obenturos, quae vobis esse habeant utilia & votiva. Nobilitatem vestram attente in Domino exhortantes, ut in devotione hujusmodi eo vigerosius perseveretis, quo per amplius experti estis nostra ad vos dilectionis affectum, quem adhuc credimus vobis posse uberius demonstrare; quia in illo confidimus, qui post nubilum dat serenum, & post tot adversa, quae pro sua causa passi fuimus, malignantium perversitate fugata, dabit tempora sua protectione tranquilla, vobis & aliis nostris fidelibus & devotis salubriter profutura. Datum Cajetae IV. Nonas Martii, Pontificatus nostri anno quarto.

ANNO CHRISTI 1408. 1409.

CONCILIABULUM * ARAGONIÆ

* Melius & expressius vocatur Perpinianense

Auctoritate Benedicti antipapæ, & pseudopontificis, quem vulgo XIII. nominant, celebratum anno Domini MCCCCIX.

Sententiam hanc Niemius habet in nonnullis amplioribus quam Surita. Hinc utrique profecimus.

ACta concilii Theodoricus a Niem l. 3. schismatis, cap. 36. & 37. describit his verbis: *Præfatus vero Petrus de Luna in ipso regno Aragoniæ tunc temporis aliud conciliabulum, in quo erant quamplures episcopi, abbates, & alii ecclesiastici prælati de Hispania, Catalonia, & quibusdam adjacentibus provinciis, de ipsum obedientia, celebrabat. In quo quidem conciliabulo per eundem Petrum facto, in diversis sessionibus dicti episcopi, & alii sui prælati qui illuc convenerant, consulverunt finaliter in hac verba.*

Sanctissime ac beatissime pater, hoc sacrum concilium ad id quod in ultima sessione per vestram sanctitatem primo loco propositum fuit, humiliter & devote respondit, quod consideratis & diligenter attentis his, quæ pro servitio Dei & unione sanctæ matris ecclesiæ, & salute omnium fidelium, vestra sanctitas obtulit, acceptavit & prosecuta fuit, non parcendo laboribus, periculis & expensis; consideratis etiam injuriis, oppressionibus, turbationibus & impedimentis, quæ nobis aliquorum C. præsumptione ingesta sunt, necnon variationibus, cavillationibus, refutationibus ac inconstantia intrusi moderni & suorum prædecessorum: consideratis etiam professionibus & protestationibus per vestram sanctitatem hoc sacro concilio & alias factis, quas reputat sufficientes; quæ omnia aperte liquent ex lectione gestorum a tempore assumptionis vestræ sanctitatis ad apostolatus apicem, usque ad tempus præsens: pro quibus omnibus sanctitas vestra & hoc meritum apud Deum, & perpetuum apud homines præconium reportare meretur: ipsum sacrum concilium, matura deliberatione super his habita, puro corde & sincera intentione credit, tenet & reputat vos fidelem, Christianum atque catholicum ac verum Christi vicarium, nec credit, nec reputat vos, pater sancte, esse vel fuisse schismaticum, vel hæreticum, nec maculæ seu fautoriæ schismatis seu hæresis irretitum, & quanto humilius potest, hoc sacrum concilium vestræ sanctitati gratias agit pro promissis ex cordis intimis, seipsum devote offerens ad vestræ sanctitatis obsequia, Deum suppliciter exorans, ut sanctitatem vestram in hoc sacro unionis negotio dirigere dignetur ad ipsius laudem & gloriam, totiusque populi Christi pacem & quietem.

Sanctissime ac beatissime pater, hoc sacrum generale concilium supplicat & consulit humiliter & devote sanctitatem vestram, primo, quod non obstantibus quibuscumque tribulationibus, persecutionibus, & impedimentis vobis datis, dignemini propter Deum & bonum Christianitatis prosequi efficaciter factum unionis sanctæ matris ecclesiæ, per viam renunciationis, ipsam viam omnibus aliis viis (a) præmittendo, nulla tamen alia via exclusa.

a) Forte præmittendo. H.

Item, supplicat & consulit sacrum præfatum concilium S. V. quatenus oblationem per eandem sanctitatem vestram factam intruso de renunciatione, in casu renunciationis vel mortis dicti intrusi, dignemini extendere ad casum dejectionis ejusdem intrusi, si fiat secundum fidem & obedientiam partis suæ, & etiam effectualiter de facto.

Item, supplicat & consulit præfatum sacrum concilium S. V. pro (b) celebri & debita expeditione & conclusione præmissorum obtinendæ, dignemini certos nuncios, probos viros, Deum timentes, ad hoc idoneos, nomine & pro parte sanctitatis vestræ, & vestri collegii, ac totius sacri concilii, mittere ad intrusum & suos B anticardinales cum ipso Pisis & alibi degentes, necnon ad illos dominos cardinales Pisis existentes, & ad alios qui in hoc sancto unionis negotio proficere (c) potuerunt, cum plena ac libera & sufficienti potestate tractandi, concordandi, firmandi & obligandi omnia & singula necessaria & utilia seu opportuna ad præmissa, &, prout eis videbitur, tempus breve & congruum, & locum idoneum & securum, ac de securitatibus & libertatibus in eundo, C stando, & redeundo, recipiendi, concordandi & obligandi. In quo sanctitas vestra, ita omnia quæ concordata & firmata fuerint per ipsos, efficaciter exequatur personaliter: vel si personaliter ire noluerit, vel infirmitate corporali impedita non poterit, per alium seu alios habentes plenariam & liberam potestatem ad omnia quæ sanctitas vestra facere potest & posset, usque ad renunciationem inclusive.

b) Lege. celeri. H.

c) Lege. Poterunt. H.

Item, supplicat & consulit præfatum sacrum concilium S. V., quatenus dignemini formam procuratorii in prædictis casibus faciendam mandare ordinari, pleniori & meliori modo quo fieri & ordinari poterit.

Item, supplicat & consulit præfatum sacrum D concilium, quatenus dignemini tales constitutiones facere & provisiones adhibere, quod si ante obtentam unionem (quod absit) contingeret sanctitatem vestram ab hac vita ad aliam evocari, possit ad unionem debite & canonice procedi taliter, quod post obitum sanctitatis vestræ propter defectum provisionis non differretur seu impediretur unio, aut non, quod absit, scandala vel schismata sequerentur.

Item, supplicat & consulit præfatum sacrum concilium, quod in casu quo aliqui, quod absit, præmissis spretis, scandala seu schismata suscitare vellent, dignetur sanctitas vestra per debitas constitutiones seu remedia prohibere & providere, ne ad similia perpetranda procedatur, sub pœnis, decretis, & prohibitionibus ad E hoc necessariis & opportunis.

Subscripta schedula, fuit per concilium oblata domino nostro, & per eum benigne & simpliciter acceptata. Causa acceptionis & conservationis, de acceptatione factum fuit instrumentum publicum, manu domini nostri & omnium de concilio subscriptum.

G. C.

ANNO CHRISTI 1408. 1409.

** G. C. ADDITIO.

AD CONCILIUM PERPINIANI

In Aragonia celebratum.

Verum quæ in hoc cœtu sunt gesta, multo describuntur uberius ab Hieronymo Surita, qui tamen Petri de Luna partibus est addictior: fideliuo autem ab Od. Raynaldo, ex Gregorii litteris MSS. aliisque authenticis instrumentis. Et Surita quidem, Indicum Aragonensium libro III. ad annum MCCCCVIII. Convenerat, *inquit*, inter Benedictum, & Gregorium, ut inter Lucam & Portum Veneris quædam loca ad eorum congressum deligerentur, quæ Gregorii ditioni parebant: & internunciis duobus Venetorum legatis, qui Benedictum in Veneris Portu convenerant, Benedictus obtulit, se libenti animo Liburnum accessurum, modo Gregorius Pisas commigret: cum ea oppida in ditione Gregorii essent. Ea re denegata, neque publica fide tradita, cardinales Gregoriani eum, uti supra docuimus, deseruerant: ac se Luca urbe Pisas transtulerant, & Benedictum deprecati fuerant, ut eo proficisceretur, & Liburnum accederet. Sed dum legatos præmittit, ut a Lucensibus & Florentinis fide publica, in eorum ditionibus, sibi ac suis liberi commeatus traderentur, & Benedicto denunciatum esset Francorum regem, cujus fide publica in Genuensi ditione tuto se commorari arbitrabatur, & tam periculoso itineri commiserat, studiosissime curasse, ut in eum & aliquot episcopos manus injicerentur, inexpectata, & repentina fuga in Galliam Provinciam celerem reditum dirigit. Portu Veneris vela facturus A. D. XVII. Kal. Jul. Pontificatus anno XIV. concilium Perpinianum Helenensis diœcesis oppidum indicit.

Et infra. A. D. Kal. Aug. Benedictus Helenam urbem, & postero die Perpinianum introiit.

Et infra. Kal. Novembris, omnium Sanctorum festo die Benedictus Perpiniani solemni cœtu & frequentissima celebritate concilium habet: & sacris in aula regia Majoricensi arcis Perpinianensis a pontifice peractis, Alfonsus Exea patriarcha Constantinopolitanus, Hispalensis ecclesiæ administrator, celeberrimam & gratissimam concionem habuit: & absentium ratione sacris comitiis habita, in A. D. XVII. Kal. Decemb. concilium prorogatur. A. D. II. Id. Nov. Benedictus sanctioris ærarii Magalonensis præfectum, ecclesiæ Astensis administratorem, patriarcham Antiochenum, & Franciscum Simenium ordinis Minorum, Valentinum, virum insigni sanctitate, & magna & multiplici doctrina, ac diffusa scriptorum copia clarissimum, Hierosolymitanum patriarcham creat: qui ab Auxitano episcopo cardinale A. D. XII. Kal. Dec. sunt consecrati. Postero die Benedictus ex arce regia in ædem beatæ Mariæ regalis, sacrorum ordinum cœtu comitatus, procedit: & peractis ab eo Missæ solemnibus concilium haberi cœpit. Sabbato A. D. XV. Kal. Dec. secunda concilii assessio celebratur: & concione, ut mos est, habita, & professione recitata fidei catholicæ, Benedictus responso dato, se illam fidem firmissime tenere & simpliciter confiteri asseverat. Mercurii die A. D. XI. Kal. Dec. cum tertia concilii assessio celebraretur, præmissa, ut moris est, concione, series, & continuatio rerum a Benedicto gestarum ex quo in summam Pontificatus dignitatem est evectus, universo cœtui recitatur, atque proponitur; & quot & quantas, & quam incredibiles calamitates hausisset, quantisque in discriminibus versatus esset, ut summæ pacis conjunctio ecclesiæ Dei conciliaretur. Demum quinque aliis assessionibus varii actus, actionesque consiliorum & eventorum in procurandis ecclesiasticæ concordiæ negotiis recensentur: & quemadmodum inter Benedictum & Gregorium legatorum interventu convenerat, ut Savonæ cum suis collegiis festo S. Michaelis, aut omnium Sanctorum die congrederentur. Concilio interfuere prælati pene omnes regnorum Castiliæ, Aragoniæ, & Navarræ: & nonnulli Franciæ, Provinciæ Galliæ, Vascitaniæ, & Sabaudiæ, omnes circiter CXX. Præter eos, quorum supra mentio facta est Patriarcha Alexandrinus, Petrus Luna Toletanus, Garcias Ferdinandius, Heredia Cæsaraugustanus, & Petrus Zagarriga Tarraconensis archiepiscopi, concilii decretis adsedere. Cum patres Benedictus consuluisset quid e republica Christiana esse censerent, ne in progressione rerum, & nova molitione ad reliquias ecclesiæ lacerandas & distrahendas pravis consiliis converteretur, summa dissensione, atque dissidio in contrarias partes patrum opiniones in deliberando distrahuntur: quibusdam censentibus a Benedicto legatis mandata danda esse, ut ejus nomine pontificiam dignitatem nulla interposita mora abrogent: aliis vero tempus ducentibus, & maxime disjuncta, atque contraria asserentibus. Ea opinionum, & sententiarum discrepantia eo rem deduxit, ut Perpiniano pene omnes discesserint: & XVIII. in sententia permanentibus, tandem ab eis tanta de re dignum eo cœtu responsum tulit: quod hoc in loco adnectere operæ pretium duxi.

Sanctam ejus congregationis commonitionem & Benedicti ipsius pollicitationem adversarii postea in Pisano primum, ac demum in Constantiensi concilio in durissimum ejus os jure merito retorserunt: quamvis Benedictus se viam cessionis Savonæ amplexum fuisse contenderit, et in portu Veneris Gregorium per nuncios et litteras ad eam pactionem fuisse cohortatum, ac tuta conveniendi loca obtulisse, quæ omnia fuerint ab adversario refutata atque repulsa, neque sibi posset objectari negligentia, aut contumacia.

Kal. Febr. Alfonsus Exea patriarcha Constantinopolitanus Benedicto in concilii consessu responsum a patribus decretum offert.

A. D. VII. Kal. April. XIV. sessio concilii Perpinianensi arce, cum major pars prælatorum a Perpiniano recessisset, et per paucos res transigerentur, celebratur. Eo in consessu a Benedicto septem legati Pisas mittuntur, ut perscrutentur, quibus conditionibus res ad concordiæ pactionem deduci possint. Ad spem obtinendæ rei, gravissimi viri deliguntur, Petrus Zagarriga archiepiscopus Tarraconensis, Seguntinus, Mimacensis, et Senensis, episcopi, Bonifacius Ferrarius domus Carthusiensis, prior Cæsaraugustanus, et minister provinciæ Galleciæ. Sed Tarraconensi, ut Benedicti nomine ad Francum regem legationem obiret, in Catalonia remanente, reliquos oratores Nemausi, cum illis iter longum conficiendum instaret, Francorum regis ministri detinent, ac demoran-

ANNO CHRISTI 1408. 1409.

rantur: et mandata quæ Benedictus legatis dederat, intercipiuntur. Quæ res spem omnem adipiscendæ concordiæ, et Benedictum ad abrogationem deducendi, contudit atque confregit.

Idem qui supra libellus supplex cardinalium, editus est ab Odorico Raynaldo ex MS. cod. Vaticano: in quo hæc subjiciuntur: Supra scripta capitula fuerunt oblata domino Benedicto per concilium suum, et per eum acceptata fuere per instrumentum publicum, subscriptum per dominum Benedictum, et omnes de suo concilio ut supra.

Dominus Benedictus proposuit in dicto suo concilio hæc: videlicet primo ut provideretur super infamiis sibi datis. Secundo super facto unionis. Tertio super schismatibus, quæ oriri possunt. Quarto super reformationibus ecclesiæ: et dictum concilium respondit sibi per supra scripta capitula et ordinationes.

Raynaldus vero alia ex monumentis Vaticanis edidit hujus conventus acta in hunc modum.

Gesta in concilio domini Benedicti, vel domini Petri de Luna.

Universis et singulis per hoc instrumentum publicum innotescat, quod cum per sanctissimum in Christo patrem ac dominum nostrum dominum Benedictum, digna Dei providentia Papam XIII. præsidentem in sacrosancto concilio generali convocato per eum Perpiniani Elnensis diœcesis, ac in ecclesia quæ vulgariter dicitur de regali, præsentibus infrascriptis, die quinta Decembris ann. Dom. M. CCCC. VIII. fuisset propositum in effectu, quod si quamplurimis turbationibus, persecutionibus, et afflictionum turbinibus quateretur, illud tamen potissimum affligebat, quod cedebat universæ Christianitatis discrimini tetrum schisma, * et paulo minus quod nonnulli, qui ad tollendum tam immanem scissuram de vestimento Domini videbantur adstricti ipsam scissuram unicam nedum perpetuare, sed etiam multiplicare tentabant attonitus mirabatur, quod licet priscis temporibus circa ea, quæ ad pacem sunt Jerusalem, totis viribus insudarit, et possibilem operam dederit, ut unionem ecclesiæ consequeretur optatam, seque exposuerit quamplurimis laboribus, expensis, periculis, et arumnis, ut schismatis expiaret opprobrium, quod indiscissam Domini tunicam, proh dolor! turpiter maculabatur: tamen fatore zizaniæ, ut videbatur, pestifere procurante, nedum inconstantem et varium, sed induratum reperit Angelum, dictum Corario, qui se facit Gregorium in parte schismaticorum nominari, quamvis se monstrasset a principio pro tam felici unionis negotio liberalem, in tantum quod ipse dominus noster apud eum proficere non potuit; propter quod ipsum non sine aculeo doloris oportuit retrocedere sine fructu. Nec solum hoc unionis impedimentum evenit, per nonnullos enim de quibus vix credebatur, tot et tanta, ut dicebat, fuerunt, prout erat per nonnullos de dominis cardinalibus Pisis degentibus, et alios advisatus, pericula machinata, quod nec in Italiæ partibus, ad quas se contulerat pro unione sanctæ matris ecclesiæ, potuit cum suis personaliter remanere; sed nec pro nunciis seu procuratoribus, quos cum plena potestate disposuerat ibi dimittere, salvum conductum obtinere potuit quoquo modo.

* Forte, & non paulo minus. H.

Aliis igitur imminentibus periculis, de consilio reverendissimorum in Christo patrum dominorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium volens idem dominus noster in loco tuto reponere se & suos, sed nolens dimittere unionis ecclesiæ negotium sic turbatum, ut provideretur extirpationi schismatis, & nonnullis aliis imminentibus scandalis, quæ videbantur in Dei ecclesia machinari, ad generalis convocationem hic faciendam concilii ad festum omnium Sanctorum lapsum proxime se convertit. Concilio igitur hoc, sancto afflante Spiritu, convocato, ipsum benevolis exhortationibus inter cætera requisivit, quatenus advisarent, & consulerent, quod foret ulterius faciendum pro consequenda ecclesiæ unione, ipsos exhortans quatenus super iis sibi darent auxilium, consilium & favorem. Offerebat enim se cum consilio dicti generalis concilii processurum efficaciter in præmissis, & expositurum personam, statum, & vitam, pro debita unione sanctæ matris ecclesiæ consequenda. Et quia nonnulli diversimode impedire tam sacrum propositum sub palliatis coloribus satagebant, advisarent, & consulerent qualiter erat providendum scandalis, erroribus, & schismatibus, quæ, proh dolor! disponebantur in ecclesia sancta Dei. Ad respondendum autem his duobus articulis, diem tunc sequentem Mercurii, quæ fuit XII. dicti mensis, præfecit * concilio, ut interim super his duobus articulis possent deliberare mature: sed quia propter arduitatem materiæ non potuit tantum negotium sic faciliter expediri, fuit per aliquas dilationes usque ad diem hanc infrascriptam præsentis sessionis celebratio prorogata. Cæterum succedente quoad hoc finaliter ordinata ad hanc diem Veneris, prout jam dictum est, sessione, præfatum sacrosanctum concilium per medium reverendissimi in Christo patris domini Alfonsi patriarchæ Constantinopolitani præfato domino Papæ supplicandum duxit, ac etiam consulendum prout in quadam schedula per ipsum dominum Constantinopolitanum, pro parte totius præsentis ibidem generalis concilii, præsentata, & tandem per me Guigonem Flandrini sacræ sedis apostolicæ protonotarium lecta, continetur latius, cujus tenor sequitur sub his verbis.

* f. præfixit.

Sanctissime ac beatissime pater, hoc sacrum & generale concilium supplicat, &c. *Repetitur hic supplex libellus superius allatus, subditurque*: Acta sunt hæc apud Perpinianum Elnensis * diœcesis in ecclesia quæ vulgariter dicitur De regali. *Et infra*: Die prima mensis Febr. Indictione secunda, anno Domini M. CCCC. IX. pontificatus præfati domini nostri anno XV.

* idem, Helnensis.

Succedente ista die dominus noster respondit, quod licet vix caute posset contra perversorum malitias provideri, tamen quia toto mentis affectu desiderabat, quantum erat in ipso, dare pacem & unionem ecclesiæ sacrosanctæ; nam unionem hactenus prosecutus fuerat cum expensis, laboribus, atque periculis manifestis; attendens etiam ut dicebat, zelum quem prædictum concilium habere ad unionem ecclesiæ cognoscebat, & sperans in Divinæ protectionis auxilio, quod ipsorum orationibus & ipsius sanctæ matris ecclesiæ meritis ipse Deus omnipotens inclinatus, dignabitur reprimere omnes malitias perversorum, propter Dei servitium, & pacem & unionem ecclesiæ, ac salutem populi Christiani, supplicationem & consilium præfati sacri concilii acceptans, para-

ANNO CHRISTI 1408. 1409.

ratus erat, quanto celerius posset, illa executioni debitæ demandare. Unde pro celeri & debita executione præmissorum deliberaverat certos Prælatos, & alias certas personas nobiles mittere, quos non de una sola natione, sed de nationibus volebat assumere, de quibus convenerant in hoc sacro concilio generali, quod tales, ut credebat, existerent quod essent potentes opere & sermone ad tantum negotium prosequendum, & quibus, ut sperabat, Deus infunderet gratiam, & ipse daret talem potestatem & confidentiam, & plenam fidei credentiam, taliter quod hoc tam sanctum opus feliciter per eos deduceretur ad unitatis conclusionem optatam. Sane percepto ejusdem domini nostri responso tam utili, tam grato, & tam acceptabili toti mundo, præfatus dominus Patriarcha pro parte totius concilii singulis tandem annuentibus ac capitibus inclinatis, mithris depositis, & flexis genibus, primo Deo, demum domino nostro præfato, actiones reddiderunt multiplices gratiarum. Quibus sic solemniter expeditis, magister cappellæ dicti domini nostri Papæ, cum canoribus Te Deum laudamus cantico decantato, pro illa die fuit concilium separatum. Acta fuerunt hæc apud Perpinianum Elvensis diœcesis in ecclesia prædicta quæ dicitur De Regali, præfato domino nostro Papa suum generale concilium celebrante præsentibus archiepiscopis, episcopis, ordinum generalibus, abbatibus, ambassiatoribus, nobis protonotariis, & aliis infrascriptis Februarii XII. mensis, Indictione secunda, Pontificatus præfati domini nostri Papæ anno XV.

ANNO CHRISTI 1408. 1409.

AD CONCILIUM ARAGONIENSE SEU PERPINIANENSE

ANNO CHRISTI 1409.

ANNO CHRISTI 1409.

Anno 1409. celebratum.

A D D I T I O.

Ex Suppl. Mansi To. III. pag. 815.

„ PRæter ea quæ Labbeus de concilio Perpiniani celebrato congessit, hæc adde „ comperta ex epist. archiep. Narbon. desumpta ex MS. Cod. Dom. Chavelin deditque „ Pv Mart. Vet. Mon. to. VII. pag. 915. ex „ quo etiam omnium primam damus bullam „ indictionis concilii a Benedicto promulgatam.

BENEDICTI XIII. LITTERÆ,

Quibus concilium ad Perpinianum indicit in festo Omnium Sanctorum celebrandum.

Ex Mart. Vet. Mon. t. VII. pag. 915.

BEnedictus, &c. venerabilibus fratribus archiepiscopo... & episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, præpositis, & cæteris ecclesiarum prælatis exemtis & non exemtis per..... provinciam constitutis S. & A. B.

I.

Cælestis altitudo consilii, firmam retinens in sua dispositione censuram, sacrosanctam Romanam ecclesiam, ad cujus regimen sumus, licet insufficientes, assumpti, supra petram fidei soliditate fundavit, illud ei tribuens in apostolicæ confessionis fortitudine fundamentum, ut nec procella turbinis, nec prævalere possit adversus eam spiritus tempestatis. Unde ipsa universalis mater ecclesia sacrosancta usque ad consummationem sæculi manentem secum retinet Salvatorem; ideo juxta canticum Salomonis, quem dilexit amplectitur, ut pro nulla rerum varietate vel temporum, ab unitate suæ fidei, pietatis, & veritatis propositi separetur. Licet enim per mundanæ malignitatis curtum in varia discriminia inciderit, & persecutiones innumeras pertulerit ac labores, numquam tamen eam gratia divina deseruit, quominus robur ejus in qualibet tentatione proficeret, & inde spei suæ gaudium obtineret, unde recepit fidei fundamentum. In hac enim fidei soliditate firmati, nos apostolorum principis successores, Christi, licet insufficientibus meritis, suscepimus vicariam, in ipso Domino Jesu Christo figentes ancoram spei nostræ, ut licet propter intrusionem nonnullorum, qui inconsutilem Dominicæ vestis unitatem scindere satagentes, ecclesiam ipsam variis turbationibus & persecutionum turbinibus vexaverunt, nos dolore tristitiaque afflixerint: speramus tamen indubie, quod statum ejusdem ecclesiæ in unitate spiritus pacis vinculo conservabit ipse, qui non solum eam verborum expressione, sed & sui pretiosi sanguinis effusione fundavit, ut post vespertinos fletus, gemitus & lamenta, quos emittere cogunt mala & discrimina, quæ execrandi schismatis, proh dolor! importuna duratio in Christiano populo introduxit, quæ libet flere potius quam narrare, lætitia matutina succedat; ipsaque ecclesia velut columba pulcherrima ipsius lætificata gemitibus, sine ruga prorsus & macula candoris sui pulchritudinem retineat illibata.

II.

Dudum siquidem, cum post nostræ assumtionis primordia, ad procurandum scissæ Dominicæ vestis reintegrationem, & senescentis schismatis eradicandam, Deo auctore, perniciem, anxios labores nostræ sollicitudinis subjisset instantia, frequens nos turbatio impetiit, & difficultatum undique ingruentium tempestas involvit, & tandem inter varios & periculosos eventus nos reperimus interceptos, & multos per annos notorio impedimento detenti, non potuimus in actum procedere, quem fervido pro bono Christianitatis gerebamus in pectore. Cum autem placuit illi qui solo sermone * restaurat universa, ut solutis vinculis detentionis nostræ, in libertatem clausos limites aperiret, ad repetendam inchoati laboris sarcinam

* al. nutu

ANNO CHRISTI 1409.

cinam oculos direximus nostræ mentis, & de fratrum nostrorum consilio ad Perrinum de Tomacellis in apostolica sede intrusum, solemnes nuncios duximus destinandos: qui dicti Perrini præsentiam adeuntes, nonnullas vias ad unitatem ecclesiæ breviter consequendam utiles & accommodas eidem Perrino in præsentia suorum anticardinalium, & multorum aliorum, nostra pro parte publice obtulerunt, ipsum pro parte nostra iteratis vicibus requirentes, quatenus alteram de dictis viis acceptaret, aut aperiret aliquam, si quam vellet, qui paratos nos offerebant viam rationabilem, si offerretur, acceptare, per quam vera unio in Dei ecclesia haberetur, pro qua breviter & canonice consequenda, statui papali cedere & mortem etiam corporalem subire, si expediret, nostræ intentionis esse proposuerunt expresse. Qui quidem Perrinus aliquam ex viis oblatis acceptare, aut aliam aperire penitus recusavit, omnemque viam pacis abjiciens, dictis nunciis nunciavit * ut a præsentia sua et curia recederent sine mora. Quo infra biduum post dictæ negationis tam ferale responsum miserabiliter vita functo, & nostris nunciis sub salvo conductu captis, & demum certa pecuniæ quantitate redemtis, quidam Cosmatus de Solmona in ipsius intrusionis vitium per anticardinales dicti Perrini superstites subrogatus, male adeptam præsidentiam retinere gestiens, quamquam per dictos nuncios nostros litteris & internunciis multis vicibus requisitus, nec salvum conductum concedere, nec eos ad suam præsentiam venire permisit; quin immo etiam cum ob hanc causam ad has partes Italicas nos transtulissemus, ut commodius possemus de hujusmodi desiderata secum unione tractare, licet ante suam intrusionem se daturum operam, ut felix hujus rei exitus haberetur, cum aliis anticardinalibus voto & juramento se astrinxisset, nihilominus nobiscum tractare renuit, & dilationibus interpositis, hanc Dei causam duxit per varias illusiones penitus in neglectum. Et tandem dicto ultionis mucrone percussus, a die suæ intrusionis vix exacto biennio, clausit miserabiliter dies suos.

* al. mandavit

III.

Quo defuncto, præfati anticardinales satis celeriter processerunt ad intrudendum Angelum dictum Corrario, qui se facit Gregorium appellari, qui postea nobis & fratribus nostris S. R. E. cardinalibus tunc Massiliæ degentibus per suas litteras indicavit, se votis & juramento astrictum ad dandam pacem in Dei ecclesia per viam cessionis, & ad illam se totis affectibus aspirare, eam nobis offerendo. Quibus per nos summo cum gaudio perceptis, ex istis principiis credentes indubie virum istum secundum cor nostrum, veris caritatis affectibus ad tam pii operis consummationem velle procedere cum effectu, directis sibi nostris apicibus, datis Massiliæ apud S. Victorem II. Calendas februarii, pontificatus nostri anno XIII. viam mutuæ cessionis pure, libere & simpliciter fiendæ obtulimus. Pro quorum celeri executione, cum nunciis dicti Angeli plena ad hoc potestate suffultis, concordatum extitit & conventum, ut nos cum nostro, & Angelus cum suo prætenso collegiis certis terminis præfixis ad personam conveniremus in civitate Saonæ, ubi nos etiam terminos ipsos præveniendo cum dicto collegio nostro personaliter affuimus.

ANNO CHRISTI 1409.

IV.

Idem autem Angelus dicta pacta & promissa observare contemnens, nec in primo termino, nec in secundo comparere curavit, sed post ultimum terminum lapsum, per suos ambassiatores quibusdam frivolis rationibus declinando Saonam, & ad alia diffugia se convertens, nos inter cætera requisivit, ut pro bono unionis ad hunc locum Portus-Veneris versus urbem situm in confinibus territorii Januensis, a Saona per nonaginta milliaria distantem nos transferre vellemus, offerens se ad locum de Petra-sancta Lucanæ diœcesis, eo casu venturum, ut ex vicinitate locorum facilior ad executionem agendorum pateret facultas. Et licet opinio de ipso prius concepta nos alias, prout manifeste cernitur, fefellisset, tamen ne tantum bonum imperfectum remaneret, dictæ requisitioni annuentes, etiam ante terminum concordatum cum dicto nostro collegio venimus ad hunc locum. Dictus autem Angelus ad locum de Petra-sancta per suos oratores, ut præfertur, oblatum, penitus venire recusavit.

V.

Post diversas nunciorum nostrorum instantias, tribus mensibus interim fere lapsis, se ad Lucanam contulit civitatem. Cujus adventu percepto, statim nostros solemnes nuncios ad ipsum Angelum de dictorum fratrum nostrorum consilio cum plena potestate destinavimus iterato, qui juxta eis commissa, publice ex parte nostra requisierunt eumdem, quatenus ad unionem ecclesiæ per viam mutuæ cessionis, prout hinc inde oblatum fuerat, diligenter & sollicite vellet intendere: exhortantes eumdem, ut de his quæ pro promissorum consummatione, & unionis conclusione necessario agenda erant, cum ipsis nunciis concordare, eorumque executionem accelerare placeret: offerentes nos ad præmissorum executionem, pro unione assequenda, pure, libere, efficaciter, & semotis frustratoriis dilationibus, processuros. Quibus nunciis idem Angelus conclusive respondit, se solum de loco, in quo ambo personaliter conveniremus velle tractare, & quod de aliis necessariis ad unionem perficiendam tractare in dicto loco & non alibi proponebat. Et licet dicti nuncii nostri multis rationibus responderent * prætactum per eos ordinem fore utiliorem & breviorem, quodque illis concordatis de loco executionis præmissorum, possent facilius & securius postea concordare: videntes tamen dictum Angelum in præmissa responsione firmatum, ad tractatum primitus de loco conventionis supradicto, ut idem Angelus volebat, condescenderunt.

* al. pertinderent

VI.

Super qua materia dicti nuncii nostri ultra loca Januæ, Saonæ, & alia nonnulla alias oblata, quædam civitati Lucanæ propinqua, secura & habilia obtulerunt, cum illis securitatibus, de quibus Massiliæ inter partes pactum fue-

ANNO CHRISTI 1409.

fuerat & conventum, aliis necessariis & opportunis superadditis, si expediret. Obtulerunt insuper limites obedientiæ nostræ, ut ipsius Angeli, inter hunc locum Portus-Veneris, & civitatem Lucanam constitutos, in quibus tamen limitibus dictus Angelus meliora & securiora loca habere dinoscitur. Quæ oblatio etiam per sæculares quantumcumque discordes de pace tractantes, vix aut numquam consuevit refutari, quæ omnia dictus Angelus frivole declinavit.

VII.

Demum vero oratores Venetorum hæc videntes, suo & plurimum aliorum regum, principum, & communitatum, nunciorum nomine, pro eadem conventione quædam loca habilia & idonea nominarunt in obedientia dicti Angeli, & sub dominio domini Lucani consistentia, & nuncii nostri liberaliter acceptarunt; sed etiam illa idem Angelus refutavit, quamquam ut patet per instrumentum publicum, ad omnem locum idoneum intra Italiam in sua obedientia constitutum se venturum alias obtulisset. Cumque videremus dictum Angelum a rationis tramite deviantem, ne causa Dei ulterioris dilationis incommoda pateretur, oblationi dicti Angeli per suos oratores factæ novissimæ, per quam se venturum Pisas a Luca per decem milliaria distantem obtulerat, si nos Liburnum per LX. ab hoc loco remotum veniremus, duximus annuendum, ut exinde, considerata vicinitate locorum, quę per nos & ipsum pro executione viæ cessionis hinc inde oblatæ, & prosecutione unius concordanda erant, concordarentur, & tandem feliciter complerentur. Sed dictus Angelus, quamvis per nostros nuncios suos anticardinales & dictos oratores fuisset sæpe & sæpius requisitus, quod juxta oblata per eum ad Pisanam veniret civitatem, quam nuncii Florentinorum ad hoc potestatem habentes offerebant, venire finaliter recusavit, & omni spe tractandi ulterius de hac materia sublata, dataque repulsa, nostros nuncios ulteriori salvo-conductu, cujus terminus penitus instabat, denegato, a sua obedientia repulit, vacuosque remisit, prout de præmissis omnibus & singulis constat per publica & authentica documenta; & tandem suis anticardinalibus ne cum ipsis nunciis nostris & regis Franciæ ambassiatoribus loquerentur, & ne se invicem congregarent, nec civitatem Lucanam sine ipsius licentia speciali exirent, sub magnis pœnis prohibendo interdixit, & satis cito ad nonnullorum anticardinalium creationem, non obstantibus propriis voto & juramento, processit. Anticardinales vero præmissa considerantes, & ipsum Angelum ad bonum unionis ex præmissis & aliis indispositum attendentes, ab eo recesserunt, seque ad præfatam civitatem Pisanam transtulerunt.

VIII.

Verum, quod referre piget & exprimimus cum dolore, considerantes, quod humani generis inimico, pacis æmulo procurante, a dicto Angelo obtinere nequivimus super materia unionis alium effectum; & propter nonnulla etiam contra personam nostram, statum & honorem sedis apostolicæ atque nostrum, ut fide dignis relatibus accepimus, innovata & attentata, hic deinceps absque personali periculo nostro & nostrorum moram trahere non valemus, nolentes Deum tentare, imminente periculo, de venerabilium fratrum nostrorum cardinalium consilio & eorum frequenti instantia pulsati, deliberavimus recedere, & nos cum collegio nostro hoc turbationis tempore reponere in securo. Sed ne videremur, sicuti nec intendimus quacumque adversitate intercedente, hujusmodi prosecutionem unionis dimittere sic neglectam, de dicto fratrum nostrorum consilio deliberavimus nuncios nostros plena potestate suffultos hic dimittere, qui tam cum dicto Angelo, si vellet ad cor reverti, quam cum suis prætensis cardinalibus possent ad effectum oblatorum procedere efficaciter in agendis. Quia tamen impedientibus ambassiatoribus carissimi in Christo filii nostri regis Franciæ illustris, in his partibus moram trahentibus, salvus conductus dictis nunciis nostris necessarius obtineri non potuit, licet non credamus hoc de dicti regis voluntate & conscientia processisse, eosdem nuncios dimittere nequivimus ob prædictæ securitatis defectum.

IX.

Præmissis itaque in animo sæpius recensitis, ad tanta discrimina revelanda dirigentes aciem nostræ mentis, levamus oculos nostros ad Deum, unde provenire nobis auxilium, & humiliter petimus, & devote speramus. Et quia in his adhibere remedium licet ad nos ex officii debito pertineat, interest tamen generaliter fidelium omnium nos cum eisdem fratribus nostris aliisque viris prudentibus frequenti tractatu præhabito, prout tantæ necessitatis instantia exigit, de ipsorum fratrum consilio, generale concilium, sicut imitatione digna sanctorum patrum consuetudo laudabilis longævæ observationis nos instruit, juxta sacrorum canonum instituta celebrandum in loco Perpiniani Elnensis diœcesis, decrevimus convocandum, ut in eo tam circa præmissa & ea quæ exstirpationem præsentis schismatis & unionis accelerationem concernunt, quam circa alia quæ salutem respiciunt animarum & ecclesiæ statum pacificum & tranquillum, illa, Deo auctore, inveniatur provisio, per quam, eradicato schismate, roborata fide, sedatis discordiis, pace firmata, ac ejusdem sanctæ matris ecclesiæ ac Christianæ religionis statu debite reparato, tollat scissuras nobiique remedia aperiat, idem ipse qui novit, & facultatem tribuat, sicut potest, quod in præmissis, juxta intensum animi nostri desiderium sibi ministrare possumus ad sui nominis laudem & gloriam sempiternam, in præsenti ad animarum profectum, robur fidei, pacem & exaltationem populi Christiani. Verum licet prosecutio tanti propositi majori tempore indigeret, tamen ex quibusdam urgentibus causis, præsertim accelerationem præfatæ unionis, conceptum terminum perstringentes, ut brevius feliciusque negotium hujusmodi, auctore Domino, optatum sortiatur effectum, festum Omnium Sanctorum proxime futurum ad id duximus deputandum.

X. Quo-

ANNO CHRISTI 1409.

X.

Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos fratres archiepiscopi, episcopi, & dilecti filii electi, et abbates exemti et non exemti, quos etiam in vim præstiti juramenti requirimus, et cæteri ecclesiarum prælati, omni negligentia relegata, cunctis, prout talis ac tanti negotii qualitas exigit, dispositis & paratis, sic medio tempore vos accingatis ad iter, quod in hujusmodi decreto termino, quem vobis & aliis peremptorie assignamus, in præfato loco Perpignani, vos nostro conspectui personaliter præsentetis, ad ea quæ in dicto concilio tractanda occurrent, solers & operosum studium impenturi. Capitula vero ecclesiarum omnium tam cathedralium quam aliarum, & conventus monasteriorum, quibus per vos archiepiscopum & episcopos cum omni celeritate volumus id mandari, ad idem concilium viros idoneos pro se mittant, quibus ad omnia, quæ in dicto concilio statuentur, fient & ordinabuntur ac fuerint opportuna, concedant plenariam potestatem, de qua sufficienter constet per publica & autentica documenta, non obstantibus quibuscumque privilegiis seu indulgentiis quibusvis personis, ordini, dignitati, seu collegio, sub quacumque verborum forma vel expressione ab apostolica sede concessis, per quæ possit effectus hujusmodi mandati nostri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari. Circa personarum vero et evictionum numerum tali moderamine observato, ut nullus pomposus aut inanis gloriæ quæsitor, sed quilibet sic veræ humilitatis cultor appareat, quod ecclesiæ sibi commissæ nequaquam onerosus existat. Non est tamen nostræ intentionis per hæc ab iis quæ per nos super cessione & unione dicto Angelo per litteras nostras, oblata sunt recedere, aut illa quovismodo suspendere seu prorogare: quin immo illa intendimus interim & continue efficaciter, quantum in nobis fuerit, prosequi & exequi toto posse. Datum apud Portum-Veneris Januensis diœcesis XVII. D calendas Julii, pontificatus nostri anno XIV.

EPISTOLA FRANCISCI

Archiepiscopi Narbonensis, ad cardinales,

De deliberatis in concilio Perpiniani.

Ex eodem pag. 814. Ex MS. Illustr. D. Chauv I.

REverendissimis in Christo patribus & dominis meis, præcipuis dominis G. Penestrinensi, N. Albaniensi J. Ostiensi, P. Aniciensi, P. de Thureyo, A. de Salutiis, et P. S. Angeli S. R. E. cardinalibus.

Reverendissimi patres & domini mei præcipui, debita recommendatione præmissa. Per relationem domini Boqueranni decretorum doctoris legentis Avenione, & pro parte universitatis studii apud Perpinianum missi ad concilium, juxta mandatum apostolicum eis factum, qui Dominica proxime præterita de dicto concilio rediit, percepi quod post proposita ea, super quibus per ipsum concilium deliberari petebatur, de quibus paternitates vestræ reverendissimæ per magistrum Joannem Guyardi informatæ, ut teneo, ad plenum fuerunt, advisatum fuit post aliquas consultationes, quod pro faciliori agendorum expeditione ne eligerentur ex omni multitudine viri LX. boni testimonii, quorum deliberationi staret totum concilium. Deinde quia difficulter illi convenire poterant, segniusque expedirent negotia, pluries fuit numerus ipse a XXX. redactus; sed & iterum post aliquot dies etiam ipsi XXX. fuerunt ad X. dumtaxat restricti, videlicet reverendissimos patres dominos Tholosanum & de Chalanco cardinales, dominos patriarcham Antiochenem, archiepiscopos Cæsaraugustenem, & Tarraconenem, cancellarium regis Castellæ, episcopos Valentiæ, Mimatensem, & Condomensem, ac generalem fratrum prædicatorum. Et illi omnes post tua multiplicia tenta consilia, & cum quibus voluerunt, collatione habita, remanserunt in iis conclusionibus, videlicet quod contra regem & regales processus dudum facti non aggravarentur. Secundo, quod via cessionis pro pace ecclesiæ alias acceptata & oblata executioni demandetur. Tertio, quod pro ipsa executione fienda, papa, si debitas & sufficientes securitates habere possit, Pisis se transferat. Quarto, quod non habitis dictis securitatibus, personas idoneas cum plena & irrevocabili potestate cedendi, alio cedente, illuc mittat. Et hæc deliberatio de voluntate totius concilii debebat heri quæ fuit III. hujus mensis, dici, & in scriptis dari papæ omnibus præsentibus qui ad concilium mandati fuerunt. Hæc eadem in effectu etiam mihi dixerunt die Lunæ proxime præterita dominus Joannes de Belloforti legum doctor, & Franciscus Ruffini, redeuntes de Perpiniano, cum bullis promotionis domini Joannis Bertrandi ad ecclesiam Gebennensem. An autem ita se res habeat, ignoro; sed relata & a quibus significo. Cum autem alia supervenerint, illico scribam paternitatibus vestris reverendis, quas conservare dignetur benedictus Filius Virginis feliciter in longævum. Scriptum in Villa-nova die IV. Januarii.

Vester totus Franciscus archiepiscopus Narbonensis Romanæ ecclesiæ camerarius.

EPISTOLA BENEDICTI XIII.

Ad Petrum cardinalem S. Susannæ.

Mandat ut accedat ad dictum Perpiniani concilium.

Ex eodem pag. 817. Ex MS. S. Laurentii Leodiens. & Illustr. D. Chauv.

BEnedictus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio P. tituli sanctæ Susannæ presbytero cardinali S. & A. B.

Nuper tempore nostri recessus de portu-Veneris, sicut ad tuam devenisse notitiam non ambigimus, de fratrum nostrorum consilio, generale concilium apud Perpinianum Elnensis diœcesis, in festo Omnium sanctorum proxime futuro celebrandum duximus auctoritate apostolica convocandum, nostras super hoc archiepiscopis, episcopis electis, & aliis ecclesiarum prælatis, ceterisque qui ad concilium evocari consueverunt, litteras in forma debita nostra sub bulla dirigendo. Et licet consuetudo non habeat, quod venerabiles fratres nostri cardinales ad concilium per litteras evocentur, cum a latere summi pontificis, cujus honorabilia sunt membra, elongari non debeant, sed quod ei assistant experientia doceat & necessitas id exposcat. Tamen quia tua & aliorum fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium assistentia in tanto negotio carere nolumus, nec debe-

ANNO CHRISTI 1409.

debemus, pro tanto circumspectioni tuæ per apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus omni excusatione seposita, terminum etiam præveniendo præfatum, ut tecum & aliis fratribus nostris de agendis in dicto concilio deliberare possimus, te nostro conspectui in dicto loco Perpiniani studeas præsentare, in hoc taliter te habendo, quod cum honore ecclesiæ ad bonum unionis prospere cuncta succedant, gratumque Deo & nobis occurrat quod egeris in præmissis. Datum apud Cocumliberum Elnensis diœcesis idibus julii, pontificatus nostri anno XIV.

Jo. Pinchon.

Sub eodem tenore scribit Nicolao Albanensi episcopo in codice Chauveliniano.

COPIA CEDULARUM IN CONCILIO

Perpiniani traditarum per dominum papam Benedictum XIII.

Ex eodem pag. 118. Ex MS. Il. lustr. Abb. Rerelin.

CUm per serenissimum dominum Sigismundum regem Romanorum fuerit supplicatum domino nostro papæ Benedicto XIII. quod ipse qui propter antiquitatem & scientiam & negotiorum experientiam debet præ cæteris ista scire, velit viam vel vias aperire, per quam, vel per quas possit in Dei ecclesia breviter unio haberi; prædictus dominus noster papa, respondet, quod ad providendum saluti animarum, & ad obviandum erroribus, & schismatibus, qui sunt & oriri possunt, via securior & salubrior est via justitiæ, quam ipse semper obtulit & offert, quæ faciliter videri potest. Si tamen præfatus dominus rex & alii ad prædictam viam condescendere nolunt; sed in via renunciationis persistunt, dominus noster respondet, quod amoto obstaculo Pisano, sicut continebatur in schedula tradita per episcopum Zamorensem, prout alias obtulit, nullam aliam viam excludendo, paratus erat propter Dei servitium & ipsius ecclesiæ unionem renuntiare papatui, proviso tamen prius sufficienter, quod reges & principes Christianitatis assumendo seu eligendo in posterum ad papatum tamquam vero Christi vicario obediant, & quod futura electio fiat canonice, & in loco securo statim post ejus renunciationem, super quorum practica placet domino nostro aliquas personas assignare, quæ simul cum aliquibus per dictum regem Romanorum assignandis præmissa videant & concordent. F Rovera.

Tenor vero cedulæ oblatæ per episcopum Zamorensem, de qua supra fit mentio, sequitur & est talis.

I.

Nos talis & talis, &c. ambassiatores & nuncii missi per concilium nunc residens Constantiæ provinciæ Moguntinæ, habentes potestatem ad infra scripta, prout constat de eadem per instrumentum publicum tenoris sequentis. (*Inseratur.*) Anhelantes ad unionem ecclesiæ pervenire, reducentesque ad memoriam processum, acta, eventamenta, sententias & pronunciationes dudum Pisis contra dominum Petrum de Luna in sua obedientia Benedictum XIII. nominatum, cardinales & principes & alios sibi obedientes & adhærentes factos, factas & latas anno a nativitate Domini MCCCC. IX. & inter cetera sententiam seu pronunciationem anno prædicto, die tali, mensis talis promulgatam, tenoris & continentiæ subsequentis. (*Inseratur.*) nomine supradicto dicimus, recognoscimus, annuntiamus, & declaramus prædictos processus, acta, eventamenta, & sententias, seu pronunciationes, nullos & nullas fuisse, & esse, & ad majorem cautelam, si & in quantum indigent, cassamus & annulamus, & pro cassis & nullis haberi volumus & habemus.

II.

Post hæc dominus noster papa super habenda practica & executione dictæ viæ cessionis, quæ tota eidem domino regi Romanorum acceptabilis videbatur, certas assignavit personas ad tractandum & concordandum cum personis aliis per dictum regem Romanorum assignatis, & tandem habitis inter dictas personas aliquibus prolocutionibus, cum personæ hinc inde deputatæ super præmissis non concordarent, ne plus debito negotium differretur, idem dominus noster papa super dicta via cessionis eidem regi Romanorum cum una cedula XXVI. Octobris anni supradicti exhibita, practicas duas aperuit & obtulit tenoris sequentis.

III.

Sequitur practica super via renunciationis aperta per dominum nostrum papam Benedictum, ad instantiam illustrissimi principis domini Sigismundi Romanorum regis, cum protestatione quam semper fecit idem dominus noster papa, quod nullam aliam viam vel practicam intendit excludere, per quam possit schisma tolli, & ecclesia debite uniri, videlicet, quod dominus noster papa Benedictus cessione per ipsum facta, eligat hac vice Romanum pontificem; quæ quidem via rationem habere videtur. Nam totum fundamentum, quod prætenditur ad justificandum viam cessionis est propter dubietatem. Si dubietas est, ex consequenti insurgit dubietas circa jus eligendi papam, videlicet quæ sint illæ personæ ad quas, cessione per dictum dominum facta, pertineat potestas eligendi summum pontificem. Nunc est, sic, quod penes dominum nostrum videtur esse jus eligendi summum pontificem. Quæ quidem juris certitudo non redditur dubia vel incerta ex dubio juris aliorum. Nusquam enim factum est, quod actio alicujus, alias certa, reddatur dubia ex dubia replicatione adversarii. Quod autem apud dominum nostrum, cessione facta, resideat certum jus eligendi papam, probatur, quia jus cardinalatus indubii, quod habuit tempore indubii papæ secundum adversariorum opinionem, apud ipsum residere videtur post dictam cessionem papatus, & hoc sive dicamus, quod cardinalis assumtus in papam non amittit ipso jure jus cardinalatus, cum ipsum non potuerint ligare aliqua jura positiva facientia vacare priora beneficia, per consecrationem pontificis; sive dicamus, quod posito quod ipso jure vacasset cardinalatus: quia tamen propter prætensum dubium papatus

ANNO CHRISTI 1409.

tus petitur via cessionis, post factam cessionem papatus, recuperat dignitatem pristinam cardinalatus. Et prædicta multa juri & rationi consona, ut apparet, per jura & opiniones, quæ si audire placuerit, poterunt explicari & ad propositum applicari. Et ista videtur brevis & utilis ad consequendam veram unionem ecclesiæ, & per quam tolluntur multa dubia & pericula, quæ in aliis practicis oriri possent.

IV.

Si tamen practica supradicta non placet, dominus noster ad ostendendum sincerum affectum, quem semper gessit & gerit ad pacem ecclesiæ consequendam, aperit cum protestationibus supradictis, practicam sequentem, quod de consensu præfati domini nostri papæ, domini cardinales compromittant de electione futura, quæ post cessionem domini nostri imminet fienda, in certos compromissarios, in numero de quo concordabitur. Qui quidem compromissarii potestatem habeant faciendi omnes vel eorum major pars dictam electionem, & consimiliter illi domini qui in alia obedientia se cardinales faciunt nominari, in personas alias compromittant, dantes eisdem consimilem potestatem cum approbatione congregationis Constantiensis. Qui quidem compromissarii tam isti quam illi ponantur in loco securo & sub tuta & fideli custodia, de qua fuerit concordatum, inclusi quilibet ad partem suam; disposito quod deliberatio utrorumque compromissarior. concurrat ad unam & eamdem personam assumendam ad papatum. Postea vero dicti compromissarii, videlicet utrique ad partem suam & per se ante actum electionis faciat scribi instrumentis authenticis deliberationem per se habitam de eligenda illa persona. In qua quidem deliberatione concurrant vota omnium vel majoris partis compromissariorum cujuslibet prædictarum duarum partium, & per aliquas medias personas utrique parti notificari faciant instrumenta dictarum deliberationum. Quibus quidem notificationibus factis, compromissarii alterius partis eligant personam concordatam antequam fiat cessio, & postea fiat cessio; qua cessione facta, statim eligant compromissarii prædictorum cardinalium domini nostri papæ dictam personam concordatam. Statim post hæc fiat præsentatio utriusque electionis separatim, tamen ipsi electo. Qui quidem electus acceptet papatum; & exinde pro vero Romano pontifice habeatur. Et ad hoc ut prædicti compromissarii non possint negotium dilatare, servetur in eis restrictio contenta, in capite *Ubi majus periculum* §. *Verum* de elect. lib. VI. Hoc addito, quod cum ipsi electores juxta tenorem dicti c. & §. pervenerint ad victum panis & vini, & aquæ tantum, ut in dicto §. continetur, & sic perseveraverint per decem dies, quod non elegerint papam, ex tunc non ministretur eis, nisi panis & aqua. F. Rovera.

V.

Post quarum practicarum apertionem & oblationem, nihil circa eas pro parte dicti regis Romanorum, nec pro parte eorum, qui asserebant se esse missos a dicta congregatione Constantiensi, fuit dictum vel propositum dicto domino nostro papæ, nec personis ad hoc per eum deputatis, sed obtinentes ab eo diem certam, videlicet XXX. prædicti mensis Octobris, ad proponendum aliqua, quæ se velle proponere asserebant, certi ex dictis prætensis nunciis dictæ congregationis pro parte ejus; & certi alii pro parte dicti regis Romanorum, in præsentia ejusdem domini nostri papæ die prædicta palam assistente multitudine gentium copiosa, præmissis aliquibus præfationibus, dominum nostrum papam prædictum monuerunt, rogaverunt, & requisierunt, quod suo juri papatus renunciare & cedere dignaretur, quibus pro parte ejusdem domini nostri papæ fuit ibidem responsum, quod ob salutem fidelium animarum, & ad evitandos errores, & ut vera unio in ecclesia sequeretur, opportebat ipsum debite providere; & quod nisi sic fieret, non satisfaceret Dei servitio, bono universalis ecclesiæ, oblationibus per se hactenus factis de via renunciationis, quæ modum & finem unionis habent annexos, neque sacris canonibus, per quos via renunciationis suis casibus ideo commendatur, quia fit ob finem boni, quod sequitur ex eadem, nec debito sui officii, cum providere super hoc ad eum spectet ex jure & prærogativa apostolicæ sedis: immo ad hoc compellunt ipsum divina jura pariter & humana, sunt que subjunctum in dicta responsione, quod dominus noster papa, ut bonus pastor, ad satisfaciendum supradictis, post oblationem quam fecit dicto serenissimo regi Romanorum de via cessionis papatus, prout in præinserta cedula continetur, duas super ea obtulit practicas, ad providendum quod per alteram unio universalis ecclesiæ habeatur, & non veniant majora schismata vel errores, de quibus verisimiliter dubitatur. Tandem pro parte domini nostri papæ fuerunt rogati, hortati, moniti & instantissime requisiti supradicti nuncii dictæ congregationis, & prætatus serenissimus rex Romanorum in personis eorum, qui ibi erant nomine suo, quatenus præfatas practicas, vel alteram earum acceptarent, vel causas dicerent, aut dubia moverent cur acceptandæ non essent. Nam paratum se exhibebat & promptum dictis eorum satisfacere & dubia declarare; & si aliqua essent in dictis practicis rationabiliter corrigenda, emendanda, addenda, vel mutanda, illa volebat & se offerebat corrigere, emendare, addere, mutare. Qui quidem prætensi tam nuncii dictæ congregationis, quam missi per dictum serenissimum regem Romanorum, nihil de suis vel dominorum eos mittentium intentionibus & conceptis super dictis practicis vel materia unionis ecclesiæ dicere vel aperire volentes, reiteratis sibi pro parte domini nostri papæ monitionibus, rogationibus, exhortationibus & requisitionibus antedictis, ab ejus præsentia recesserunt.

VI.

Et pro breviori expeditione dicti negotii ob Dei servitium & animarum salutem, placet eidem domino nostro designando numerum compromissariorum, de quibus fit mentio in practica per ipsum oblata, ad hoc condescendere, videlicet quod compromissarii de suo consensu per dominos cardinales eligendi sint, sex, eligendi autem per illos dominos qui in alia obedientia se cardinales faciunt nominari, si de

ANNO CHRISTI 1409.

si de totidem pars alia non contentetur, sint octo vel decem, aut si voluerint XII. Propterea volens idem dominus noster ad designationem loci venire, de quo secundum dictam practicam est concordandum, offert locum & loca idonea infra suam obedientiam assignare cum sufficientibus securitatibus. Quæ loca si pars alia acceptare noluerit, licet multis attentis, ea non debeat refutare, nihilominus tamen placet eidem domino nostro condescendere ad acceptandum Massiliam cum S. Victore, Niciam cum Villafranca, vel Saonam, non obstante quod sint in alia obedientia constitutæ; dum tamen de sufficientibus securitatibus sit provisum. F. Rovera.

VII.

Verum, quia ad dicti domini nostri auditum pervenit, quod aliqui ei insidiantes & æmuli ex ejus verbis sive scriptis pravos sensus & alienas extorquentes sententias, linguasque suas acuentes in malum, asseruerunt, quod aliqui dicta seu scripta domini nostri papæ a veritate & doctrina fidei catholicæ deviant, dubitetque an serenissimus rex Aragonum asseverationem prædictam audiverit, idcirco, ut alias, dominus noster papa protestatur expresse, quod si aliqua talia, quod absit, umquam verbo vel scriptis dixerit, vel in futurum dicere ipsum contingeret, illa cassat, revocat, & annullat, & vult pro cassis revocatis & annullatis haberi, ipsamque sacrosanctæ ecclesiæ determinationi submittit, offertque se paratum, si sibi intimentur seu designentur illa, quæ prætenduntur, seu in posterum prætenderentur a veritate, & doctrina fidei catholicæ deviare, si tamen talia dixit, seu in posterum per eum dici contingeret, quod non putat, mentem suam semper ipsis taliter declarare, quod evidenter apparebit, & revera sic est intentionis suæ, non fuisse nec esse deviare a recta fide seu catholica veritate.

VIII.

Dominus noster papa Benedictus XIII. pro habenda & consequenda unione in Dei ecclesia obtulit primo in Perpiniano viam justitiæ, quam viam vel aliam rationabilem nunquam exclusit, nec intendit excludere. Ubi vero non acceptaretur via justitiæ, sed in via renunciationis persisteretur, dominus noster, amoto per prius obstaculo Pisano, sicut continetur in cedula tradita per episcopum Zamorensem, prout alias obtulit, nullam aliam viam excludendo, paratum se obtulit propter Dei servitium, & ipsius ecclesiæ unionem renunciare papatui, proviso per prius sufficienter, quod reges & principes Christianitatis assumendo seu eligendo in posterum ad papatum tamquam Christi vero vicario obedirent, & quod futura electio fieret canonice in loco securo statim post ejus renunciationem.

IX.

Tenor vero cedulæ oblatæ per episcopum Zamorensem, de qua supra fit mentio, est iste qui sequitur. Nos talis & talis ambassiatores & nuncii missi per concilium nunc residens Constantiæ provinciæ Moguntinæ, habentes potestatem ad infra scripta, prout constat de eadem per instrumentum publicum tenoris seqhentis (*inseratur*) anhelantes, ad unionem ecclesiæ, &c. *ut supra*.

ANNO CHRISTI 1409.

X.

Et prædictam renuntiationem idem dominus noster obtulit cum una de sequentibus practicis, videlicet quod idem dominus noster papa cessione facta, eligeret hac vice Romanum pontificem. Nam ubi prætenditur per partem alteram dubietas papatus, etiam insurgit dubietas cardinalatus, sed ipse solus potest dici secundum utramque partem indubius cardinalis, scilicet a sanctæ memoriæ domino Gregorio indubitato papa factus. Igitur ad eum spectat electio.

XI.

Si tamen practica supradicta non placeret, obtulit aliam, videlicet, quod de consensu præfati domini nostri papæ domini cardinales compromitterent de electione futura, quæ post cessionem domini nostri immineret fienda, in certos compromissarios numero sex, qui quidem compromissarii potestatem haberent faciendi omnes, vel eorum major pars, dictam electionem; & consimiliter illi domini, qui in alia obedientia cardinales se faciunt nominari, in personas alias compromitterent, dantes eis consimilem potestatem, cum approbatione congregationis Constantiæ, & quod personæ illæ in quas ipsi sic nominati cardinales compromitterent, si de totidem pars alia non contentaretur, sint octo, vel decem, aut si voluerint duodecim. Qui quidem compromissarii tam isti quam illi ponerentur in loco securo, & sub tuta & fideli custodia, de qua foret concordatum, inclusi quilibet ad partem suam, disposito quod deliberatio utrorumque compromissariorum concurreret ad unam & eamdem personam assumendam ad papatum. Postea vero dicti compromissarii, videlicet utrique ad partem suam & per se actum electionis facerent scribi in instrumentis authenticis, deliberationem per se habitam de eligenda illa persona, in qua quidem deliberatione concurrerent vota omnium vel majoris partis compromissariorum cujuslibet prædictarum duarum partium, & per aliquas medias personas utrique parti notificari instrumenta dictarum deliberationum. Quibus quidem notificationibus factis, compromissarii alterius partis eligerent personam concordatam antequam fieret cessio, & postea fieret cessio. Qua cessione facta, statim eligerent compromissarii prædictorum cardinalium domini nostri papæ dictam personam concordatam, & statim post hæc eodem tempore fieret præsentatio utriusque electionis separatim, tamen ipsi electo; qui quidem electus acceptaret papatum, & exinde pro vero Romano pontifice haberetur. Et ad hoc ut compromissarii non possent negotium dilatare, servaretur in eis restrictio contenta in cap. *Ubi majus periculum*, §. *Verum*, de elect. lib. VI. hoc addito, quod cum ipsi electores juxta tenorem dicti paragraphi pervenissent ad victum panis & aquæ * tantum, ut in dicto cap. continetur, & si perseverassent per X. dies, quod non elegissent papam, ex tunc non ministraretur eis nisi panis & aqua; offerens idem dominus noster locum & loca idonea infra suam

* In edit. leg. *vini & aqua*.

suam obedientiam assignare cum sufficientibus securitatibus: quæ loca si pars alia acceptare nollet, licet multis attentis ea non deberet refutare, nihilominus tamen placebat eidem domino nostro condescendere ad acceptandam Massiliam cum S. Victore, Niciam cum Villa franca, vel Saonam, non obstante quod sint in obedientia alia constitutæ, dum tamen sufficientibus securitatibus esset provisum.

ANNO CHRISTI 1409.

XII.

Post quarum practicarum apertionem & oblationem, nihil circa eas pro parte prætensi regis Romanorum, nec pro parte eorum qui asserebant se esse missos a dicta congregatione Constantiæ fuit dictum vel propositum dicto domino nostro papæ, sed ruptis tractatibus de Perpiniano recesserunt. Deinde fecerunt tractatus suos cum rege Aragonum, qui seductus, ut credit, malis personis & sinistris informationibus, fecit fieri requisitiones dicto domino nostro valde injustas, & tendentes ad evidens periculum ecclesiæ in effectu, continentes, quod papa statim renuntiaret, & quod postea fieret electio per illos ad quos expectaret; & in altera requisitionum continebatur, quod renuntiaret, & quod dicta electio fieret per concilium generale, ad quod, ut dicebatur, expectabat, quod apud intelligentes interpretabantur, hoc nihil aliud velle dicere, nisi quod papa dimitteret papatum, & deinde negotium disponeretur ad voluntatem & sub potestate dicti asserti imperatoris, sive sequeretur unio, sive non. Quibus requisitionibus pauca respondit, se ad requisita non posse condescendere sine offensione Dei. Et demum habuit recedere a Perpiniano, & ponere se in castro Paniscolæ, ad quod prohibiti sunt prælati per dominum regem venire, & alia eventamenta sunt facta satis inhonesta & valde impedientia prosecutionem unionis. Quibus omnibus non obstantibus, dictus dominus noster papa deliberavit, quod si aliqua supradictarum practicarum illi de parte adversa non acceptent, ipse dominus noster papa ad magis exonerandam conscientiam suam, & ut Deus & mundus cognoscant, quod non stetit, nec stat per eum, quin unio vera in ecclesia Dei habeatur, & Deus in extremo judicio requirat de manibus illorum qui turbarunt seu impedierunt, & turbant seu impediunt pacem ecclesiæ, est paratus renuntiare juri suo verissimo, quod habet in papatu, si illi qui in parte alia dicunt se cardinales, & alii de congregatione Constantiæ acceptaverint, & efficaciter ad executionem, quantum ad eos expectabit, deduxerint practicam sequentem.

XIII.

Et per dominum nostrum papam cum consensu dominorum cardinalium, & etiam approbante suo sacro concilio, quod continuatur ubicumque ipse est, eligantur certæ personæ, & per illos dominos, qui in alia parte dicunt se cardinales cum consensu dictæ congregationis eligantur totidem personæ, vel plures, si plures voluerint, quæ omnes personæ sic electæ habeant convenire in loco uno securo, & intrare conclave sub tuta & fideli custodia, quas personas dominus noster papa de plenitudine potestatis, tollendo processus & sententias, quantum ad actum electionis requiratur, habilitabit meliori modo & forma quibus poterit, in quantum claves ecclesiæ se extendunt, quibus omnibus per dominum nostrum papam cum consensu dominorum cardinalium, & approbatione sui concilii, dabitur potestas eligendi summum pontificem post cessionem dicti domini nostri papæ, sic quod illud quod omnes vel major pars personarum cujuslibet partis faciet, sit firmum & validum; & si personæ electæ per illos de parte adversa acceptaverint, simpliciter potestatem per dominum nostrum papam eis, ut supra continetur, concessam, procedant omnes simul facta cessione dicti domini nostri, quæ tunc fieri habeat & non ante, quando prædictæ personæ omnes erunt clausæ in conclavi sub sufficienti custodia, & juraverint, & alias se obligaverint procedere fideliter cum effectu in negotio, prout fuerit concordatum. Si autem dictæ personæ alterius partis acceptaverint potestatem pro se & in quantum, quod tunc personæ istius partis protestentur publice vel secrete, quod in quantum dictæ personæ alterius partis innitantur potestati catholicæ, sic tantum cum ipsis intendunt procedere, & simul eligere: in quantum autem innituntur potestati non veræ, non intendunt cum ipsis eligere, sed tantum suæ veræ potestati inniti, & secundum illam procedere & eligere verum papam.

XIV.

Et ut negotium acceleretur, dominus noster papa, si detur per illos ad quos expectabit modus, quod secure possint ire, stare, & redire, dabit plenam potestatem certis personis Deum timentibus, quæ accedant statim habitis securitatibus ad dictam congregationem Constantiæ, vel ad alium locum, si in alio loco fuerint personæ habentes potestatem a dictis assertis cardinalibus, & a dicta congregatione, quod personæ per dominum nostrum papam mittendæ vel major pars eorum, possint concordare de uno vel duobus locis infra designandis, pro expeditione prædictorum, & de securitatibus & custodia fideli conclavis, de numero personarum, quæ eligere habent, & de modo conclavis ac de tempore conventionis & inclusionis, necnon de securitatibus sufficientibus pro domino nostro papa & suis, si personaliter vellet in dicto loco esse, & si nollet aut esset infirmitate impeditus, pro suo vel suis procuratoribus: quæ omnia per dictas personas concordata & obligata dominus noster papa, quantum ad eum spectabit, adimplebit.

Loca de quibus poterunt concordare sunt sequentia: Massilia cum monasterio S. Victoris, Niciacum loco & porta de Villafranc, locus de Monacho, cum aliquo alio propinquo, Saona, Pisæ, cum Liburno civitas Vitula cum aliquo alio loco propinquo.

„ Actis concilii hujus Perpinianensis, Benedicti epistolam statim subdendam adjicio, auctoritate Taurinensis codicis persuasus. Quo enim loco Martenis (qui primus illam vulgavit) codex legit: *In sacro generali concilio* (Perpinianensi) *quod celebravimus*; codex ille a me Taurini consultus, habet: *quod celebramus*. Ex quo haud inani conjectura deducas, epistolam hanc esse synodicam, adeoque & ab actis concilii nequaquam sejungendam. Damus ergo ex Martene Vet. Mon.

☞ „ Mon. tom. VII. pag. 981. adnotatis ad la-
„ tus pagellæ ex Taurinensi cod. variantibus.

ANNO CHRISTI 1409.

BENEDICTI PAPÆ XIII.

Ad Cardinales.

Eos & omnes qui adversus eum procedebant excommunicat, & beneficiis ac dignitatibus privat.

Dedit Mart. Vet. Mon. to. VII. pag. 981. ex MS. Cod. D. Chauvelin. nos ex MS. Cod. Taurin. variantes addimus.

BEnedictus, &c. venerabilibus fratribus G. Penestrinensi, N. Albanensi, Jo. Ostiensi, P. tituli S. Susannæ presbytero, Amedeo S. Mariæ novæ, & P. S. Angeli diaconis cardinalibus, salutem & apostolicam benedictionem.

Si adversus ecclesiam catholicam hæretici garriunt, si tyranni, (a) si eam perfidi persequuntur, hæc velut ante prævisa (b) fidelium mentium muniunt, non concutiunt fundamentum. Habent enim ut plurimum tentationum hujusmodi experimenta proventum, in quibus invalescit fidei nostræ robur, probata fidelium caritas fructibus meritorum fœcundatur uberius, & spiritus inconfusibilis (c) continuis ducitur profectibus ad coronam: Sed si videat sponsa Christi infestos sibi fieri, in quibus speraverat homines pacis suæ, qui comedunt panes suos; si propugnatores suos in bello defensionis quod adversus integritatis (d) suæ persecutores instituit, non solum desertores effici, verum etiam transfugas, (e) non immerito veteris querelæ verba resumens, piis ad fideles Christicolas suspiriis ingemiscens, quod adversus eum pugnent filii degeneres, quibus improperans, ab eis quos enutriverat beneficiis & exaltaverat honoribus, proclamat se contemni. Videmus siquidem, vigente hoc turbine impacati temporis, & debemus (f) in hac lucta, quam pro salute Christiani populi experimur, nonnullos quos ecclesia deberet habere pro muro, tamquam solutas vel depulsas macerias non contiare, quosdam cum mercenariis declinare, alios latere cum furibus, plures dissimulare cum fictis, & filios, qui juvasse debuerant, in matris parricidium conspirasse, quos tamen paternæ dilectionis affectu optamus a tam horrendo lapsu retrahere, ut non cogamur eos pro demeritis justo damnare judicio; sed dum extat locus veniæ, ipsos volumus (g) ad paterni favoris gremium & semitam reducere veritatis.

(a) *MS. Si quanti sequunt, pro eam &c.*
(b) *Ante premissa*
(c) *Spes inconfusibilis.*
(d) *Prosperitatis*
(e) *Transfugas manserat.*
(f) *Dolemus*
(g) *Volumus.*

Apostolicis ergo monitis, o filii, aures, quæsumus, intentas adhibete, ac filialis accomodate promptitudinis intellectum, nec videantur dura & amara quæ scribimus; sed ipsa animos vestros, considerato scribentis affectu, molliant, & in salutiferæ monitionis consideratione dulcescant. Nuper siquidem litteras vestras recepimus, quarum repetita series subcelato verborum sacrorum velamine; quædam, cum pace loquendo, aliter quam se veritas habeat, expressa; nonnulla juris; alia vero facti errores plurimos continebant. Scripsistis etenim vos prosequi de mandato nostro concilii generalis viam, cujus convocationem ad vos & illos, quos vobis participes adjunxistis, asseritis pertinere, per verba tumentia nos ad causam, ut scribitis, provocantes. Unde post multa quibus in aliis nostris litteris brevi satis epilogo comprehensa respondimus, pro nunc solum nos ad illa convertimus, quæ videmini comminando subjungere, quod nisi vestris monitis & requisitionibus annuamus, contra nos ad electionem, immo verius intrusionem antipapæ novi, & infelicissimi procedetis.

Verum quia vobis jam per nostras præfatas litteras veritatem gestæ rei continentes, intimavimus nostræ intentionis propositum, & quæ pro felici agendorum ad consequendam, concedente Domino, veram ecclesiæ unionem in sacro generali concilio, quod celebravimus (h) de fratrum nostrorum consilio, & eodem supplicante & approbante concilio, per nos conclusa sunt publicavimus, & prædictos juris & facti in vestris litteris contentos errores detexim satis clare, ac per nostros solemnes nuncios, quos ad vos & ad partes ipsas destinamus, plena super agendorum executione potestate suffultos, qui solum pro recessu salvos conductus prestolantur, iterum ad scripta per vos nostra responsa dirigimus. Unde ulteriora verba pro nunc depromere non curamus, sed solum providere circa illa, quæ in confusione ecclesiæ & totius Christianitatis redundantia, si fierent, quod absit, earumdem litterarum artifex maturius discussisset, ne producta fuissent in lucem, quæ confinxit ejusdem artificis invectiva, nec de vobis videtur id esse verisimiliter præsumendum. Nonne esset mirabilis, immo & miserabilis in personis tam gravibus inauditæ præsumtionis audacia, quæ propriæ salutis prodiga, & in ejus detrimentum armata, obedientiæ, quæ victimis est præstantior, semitis relegatis, viros tam doctos & tam excellentes ab ecclesia & in ecclesia sublimatos, sic efficeret abuturos scientia, sic pro tantis beneficiis receptis ingratos redderet, sic in malorum profundum impelleret finaliter descensuros, ut ipsi inconsutilem Domini tunicam, cui crucifixorum manus pepercerunt, ecclesiæ videlicet unitatem tam inhoneste scindere, tam turpiter, tam impie, & tam infideliter obstinata elatione (i) attentarent iterum discerpere, quod non valent. Hoc enim non esset unire ecclesiam; sed pro gravi desolatione fidelium & magno præsagio & prænuncio antichristi, manifestæ in templo Dei abominationis idolum infideli præsumtione & damnata insolentia collocare, & nedum suo schismata (k) & hæreses libenter, ut vestro parceremus pudori, silentio tegeremus.

(h) *Celebramus.*
(i) *Electione.*
(k) *Nedum subsistimata, & hæreses sed quamdam novam sectam introducere, fidei catholicæ avertantem. Hæc autem libenter &c.*

Sed quia, (l) ut præmittitur, per diversa mundi climata destinastis, nos volentes Dei populum nobis creditum a tam periculosis erroribus præservare, licet jam per constitutiones apostolicas in jure clausas, & alias a nobis contra talia attentantes editas salubriter sit provisum, etiam pro Christianæ fidei tuitione contra vos, & alios talia attentantes in virtute Altissimi assurgentes, de fratrum nostrorum consilio & præfati (m) sacri collegii supplici requisitione pulsati, ipso etiam approbante, circumspectionem vestram paternis monitis & salutaribus requisitionibus exhortamur in Domino, quatenus ut vestræ dignitatis professioni (n) conformes nobis & nunciis, quos, ut præmittitur, destinamus, assistatis consiliis, auxiliis, & favoribus opportunis, ad veram unionem ecclesiæ debitæ prosequendam, vosque insuper & vestrum quemlibet sub debito fidelitatis, quo nobis & ecclesiæ Romanæ astricti estis, requirimus, vobisque in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus,

(l) *Ad Hæc*
(m) *Præfati concilii*
(n) *Professionem rem conformet nobis de nunciis*

ANNO CHRISTI 1409

mus, quatenus a prædicto nefando intrusionis, quam vos electionem dicitis, proposito penitus desistatis; & nihilominus ne processum quemcumque, seu declarationem aliquam, cum nullo jure eam facere possitis, super prædictis vel ea concernentibus, seu alias contra nos facere præsumatis seu attentetis; ue ad electionem vel postulationem, provisionem, seu verius intrusionem cujuscumque in apostolica sede procedatis, vel super hoc vota vel prænominationes (a) ullas detis, aut faciatis; & ne de eligendo, vel potius intrudendo aliquem in papatu, cum quacumque vel quibuscumque personis vel personis colloquium vel tractatum aut deliberationem ullo modo habeatis aut faciatis, nec ad aliquod papatorium (b) pro dicta postulatione, electione, seu verius intrusione facienda verbo vel scriptura vel alias qualitercumque cum prædictis, quos vobis, ut prædicitur, participes adjunxistis, aut aliis quibuscumque, vel sine eis, universaliter vel singillatim (c) procedatur, vobis de certa scientia & expresse auctoritate apostolica districtius inhibemus, decernentes irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate vel potius temeritate scienter vel ignoranter hactenus attentatum fuit, vel in posterum contigerit attentari.

(a) Monitiones.

(b) Præpatorium.

(c) Singulariter.

Quod si nostris spretis monitis, requisitionibus, vel mandatis, vos culpabiles seu contumaces reddideritis in prædictis, ad processuum declarationem contra nos vel intrusionem hujusmodi, quam vos electionem dicitis, procedentes, ut tam execrabilis præsumptionis audacia, sicut est juri consonum, in suæ temeritatis initio, virga correctionis, & justitiæ conteratur; volumus & auctoritate prædicta decernimus, quod in ipso inchoationis exordio statim cum ad tam damnatæ perfidiæ processus declarationis contra nos seu electionis, immo verius intrusionis actum seu executionis, conventionis, & prolationis.... (d)... præsumpseritis prosilire, etiam ante consumationem hujusmodi prolationis vel actus privationis, depositionis, excommunicationis, & alias infrascriptas pœnas & sententias vos incurrere ipso facto. Vos enim & vestrum quemlibet & alios quoscumque vobiscum & sine vobis ad talia procedentes, vobisque assistentes, & dantes auxilium, consilium vel favorem, cujuscumque status, gradus, præeminentiæ, dignitatis seu conditionis existant, etiam si cardinalatus, patriarchali, archiepiscopali, episcopali, aut alia quacumque præfulgeat dignitate, excommunicationis sententia, a qua nullus possit nisi in mortis articulo, præterquam a nobis vel successoribus nostris canonice intrantibus, absolutionis beneficium obtinere, innodamus & ab omni cardinalatus, patriarchatus, archiepiscopatus, episcopatus dignitate, honore, statu, & commodo, ac titulo & executione ordinum deponimus & depositos esse decernimus, judicamusque schismaticos & blasphemos, ac vos & eos omnibus beneficiis, officiis, honoribus, dignitatibus & prælaturis perpetue privamus, ac reddimus inhabiles ad habenda; omneinque personam præsentem & futuram, cujuscumque fuerit præeminentiæ, aut status, seu dignitatis, ecclesiastici seu mundani, quæ scienter & deliberate, vos vel vestrum aliquem pro cardinalibus habuerit, aut tenuerit, aut ad cardinalatum admiserit, (e) aut in pontificem Romanum elegerit, nominaverit, assumpserit, vel receperit, seu dederit in his vel ad hæc consilium, auxilium vel favorem, ipso facto excommunicationis sententiæ decernimus subjacere, a qua absque licentia Romani pontificis non possit absolvi nec per apostolicæ sedis majorem pœnitentiarium, aut quemcumque alium eadem sede vacante, præterquam in mortis articulo, ut est dictum, eumque prælatione, dignitate, statu & honore ecclesiasticis omnino privamus. Nihilominus omnes, qui vobis & aliis prædictis in schismate & rebellione persistentibus favorem vel auxilium præbuerint, excommunicationis sententia innodantes.

(d) Prolationis instrum.

(e) Aut (f.) totum vel strum aut alicujus vel strum aut suffragium in electione Romani pontificis admiserit, aut.

Alia autem circa præmissa per nos facta in nostris processibus & litteris bulla nostra munitis contenta, ac nostra constitutione perpetuo valitura ratificamus & approbamus, confirmamus, et etiam innondamus, eademque de novo facimus de fratrum consilio prædictorum; et ut tanta malitia non inveniat successorem, et punitæ transgressionis exemplar retrahat alios ab offensa, ac in oblivione veritas veniens non vagetur incerta, statuimus et etiam decernimus, ut et ipsa inviolabiliter observentur, et similes excessus et culpæ pœnis similibus puniantur, non obstantibus quibuscumque constitutionibus et ordinationibus, privilegiis, libertatibus, gratiis, indulgentiis, ac immunitatibus apostolicis a nobis vel prædecessoribus nostris Romanis pontificibus editis et concessis quibuscumque et qualitercumque et sub quacumque forma, vel expressione verborum, etiamsi de illis et totis eorum tenoribus de verbo ad verbum specialis et expressa esset mentio facienda, & quamcumque clausulam derogatoriam contineant, quam et quas de nostra certa scientia et plenitudine potestatis tenore præsentium revocamus, in quantum possent prædictorum effectum suspendere, impedire, vel sibi in aliquo derogare, seu in aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, interdici, suspendi, seu privari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi ac eorum personis et locis, nominibus propriis, ordinibus seu dignitatibus mentionem et aliis contrariis quibuscumque. Datum Perpiniani Elnensis dioecesis III. Martii, pontificatus nostri anno XV.

ANNO CHRISTI 1409.

CONCILIUM AQUENSE

Trium Provinciarum pro designandis viris ad Pisanum Concilium mittendis

Anno 1409. celebratum.

Ex Ms. S. p. 10. Hp. 8. 14.

IN nomine Domini Amen. Anno a nativitate ejusdem Domini 1409. die 22. Januarii Indict. 2. Noverint universi & singuli præsens publicum instrumentum inspecturi, quod cum Reverendissimi in Christo PP. DD. DD. Aquen. Arelaten. & Ebredunen. Archiep. juxta mandatum litteratorium factum per RR. in Christo PP. & DD. S. R. E. Card. in Civitate Pisana præsentialiter commorantes, consilium generale totius cleri dictarum trium provinciarum in præsenti civitate Aquensi convocari & coordinari fecissent, pro ambassiat. sive legatis mittendis sive dictam civit. Pisanam ad concilium generale cleri totius fidei christianæ per DD. card. utriusque collegii ordinatum & convocatum pro extirpatione tam pestiferi schismatis, quod, proh dolor, tamdiu viguit, & adhuc viget in ecclesia Sancta Dei, ad excitandum mentes fidelium christianorum, & pro tanto evidenti bono & utilitate totius Fidei catholicæ, & pro unione sacrosanctæ Romanæ & universalis ecclesiæ feliciter consequenda & recuperanda, & in instanti mensis Martii in eadem civitate Pisana proxime celebrando; hinc est quod congregato concilio totius cleri dictarum trium provinciarum, avidi tam salutare opus, tamquam utile & necessarium toti fidei Christianæ cum debito effectu conclusioni demandare, tractantes in & super hujusmodi salutifera materia, & ut operam, quantum in eis fuerit, in ea tribuant efficacem; omnes unanimes & concordes, nemine discrepante, nominarunt, elegerunt, ordinaverunt, & constituerunt earum & dictarum singularum trium provinciarum ambassiatores, vicarios, sindicos, & procuratores RR. in Christo PP. & DD. Joannem episcopum Vapincensem, Paulum episcopum Massiliensem, Nicolaum episcopum Sistaricensem, Bernardum episcopum Dignensem, Ægidium Jumenis electum Foromliensem (Foroiuliensem) & Joannem abbatem S. Victoris Massiliensem; nec non venerabiles & circumspectos viros Dominos Guillelmum Brun vicarium & officialem Arelatensem, Honoratum Boneti priorem de Golleno, Joannem de Salhonis vicarium, Dragunam licentiatum in utroque jure, & Ludovicum Cymram legum doctorem canonicum Aquensem, ibidem præsentes, & omnes hujusmodi vicariatus & sindicatus & procurationes in se sponte suscipientem, & eorum quamlibet in solidum ad comparendum & se præsentandum coram præfatis DD. cardinalibus, & in atque coram concilio prælatorum in dicta civitate congregando, aut aliis, ad quos spectaret, & cum eis tractandi, declarandi, judicandi, terminandi, faciendi, peragendi & concludendi, tractataque, declarata, judicata, & terminata concludendi, videndi, & petendi; & eisdem tractatibus terminatis & conclusis auctoritatem præbere pariter & consensum, & alias faciendum, dicendum, tractandum, judicandum, & concludendum, quæ in præmissis, & quolibet præmissorum erunt necessaria & etiam opportuna, et quæ ipsimet DD. possent & valerent, si in præmissis præsentes personaliter interessent, et quæ merita causarum ipsarum postulabunt et requirent, etiamsi mandatum magis exigerunt speciale dantes et concedentes, præfati DD. de concilio dictis DD. ambassiatoribus vicariis seu procuratoribus, et eorum cuilibet circa præmissa et quodlibet præmissorum, tam conjunctim, quam divisim plenam, liberam et firmam potestatem, licentiam et mandatum speciale promittentes dicti DD. constituentes mihi notario infrascripto, ut publicæ personæ, stipulandi & recipiendi vice et nomine omnium singulorum, quorum interest et interesse poterit quomodolibet in futurum, se gratum et firmum perpetuo habiturum omne id et quidquid per dictos DD. ambassiatores, vicarios, seu procuratores, aut eorum alterum actum, dictum, declaratum, judicatum, creatum, gestum, terminatum aut conclusum fuerit. Habita solemni stipulatione rem ratam haberi, et judicio sisti, et judicatum solvi cum omnibus et singulis opportunis. Eosque DD. ambassiatores & vicarios ab omni onere satis dandi relevando sub obligatione omnium bonorum dictorum DD. de concilio, Ecclesiarum earum præsentium & futurorum, & sub omni juris & facti, quod hujusmodi negotium impediret quomodolibet vel differret, & ibi ne æqualiter contrarietur renunciatione pariter & cautela. De quibus omnibus universis & singulis dicti DD. de concilio petierunt sibi & dictis DD. ambassiatoribus fieri publicum instrumentum & per me notarium publicum. Acta fuerunt hæc omnia & singula in domo capitulari Ecclesiæ cathedralis Aquensis, videlicet in refectorio, ubi dictum concilium est solitum teneri, præsentibus venerabilibus viris DD. Raimundo de Viráuno canonico Aquensi, Thoma Vergavil de Novocastro viceoffic. Sallon. Arelatensis diœcesis, & Remondo Francmatoris perpetuo beneficiario in Ecclesia Forojuliensi, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

SEQUUNTUR

Aliqua propositiones utiles ad extinctionem præfati schismatis per viam concilii generalis.

1. IN unitate capitis Christi plene & perfecte consistit unitas corporis mystici totius ecclesiæ Christianæ, juxta illud Apostoli: *Christus est caput ecclesiæ*, & illud: *Omnes unum corpus sumus in Christo.* Affort Mart. Vet. Mon. t. VII. p. 909. Ex MS. S. Laurentii Leodiens. & Clauv.

2. Licet papa, in quantum Christi vicarius, quodammodo dici possit caput ecclesiæ, tamen ecclesiæ unitas non necessario dependet aut originatur ab unitate papæ. Patet ex prima, & etiam quia nullo existente papa, semper eccle-

sia

☞ sia remanet una, juxta illud Canticorum: *Una est columba mea*, & juxta illud symboli: *Unam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam*.

ANNO CHRISTI 1409.

3. A Christo capite, ejus corpus mysticum, quod est ecclesia, originaliter & immediate potestatem habet & auctoritatem, ut ad suam unitatem conservandam rite valeat seipsam aut generale concilium ipsam repræsentans congregare. Patet ex illo verbo Christi: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ego in medio illorum sum*. Ubi advertendum est, quod non dicit *in nomine Petri* vel *in nomine papæ*, sed *in nomine meo*, dans intelligere, quod ubicumque & a quocumque aggregentur fideles, dum tamen hoc fiat in nomine suo, hoc est in Christi fide, & pro ecclesiæ suæ salute, ipse assistit eis tamquam infallibilis director & rector.

4. Non solum auctoritate Christi, sed etiam communi jure naturali, præmissam auctoritatem sive potestatem habet corpus mysticum ecclesiæ Dei. Patet, quia quodlibet corpus naturale naturaliter resistit suæ divisioni & destructioni; & si sit corpus animatum, naturaliter congregat omnia membra, omnesque vires suas ad conservandum suam unitatem, & repellendum suam divisionem. Similique modo quodlibet corpus civile seu civilis communitas, vel politia rite ordinata, adeoque corpus spirituale seu mysticum ecclesiæ Christianæ, quod ordinatissime compositum est, propter quod ecclesiastica politia in Canticis describitur *velut castrorum acies ordinata*, simili modo uti poterit ad suam unitatem conservandam & quamlibet schismaticam divisionem repellendam, tamquam suæ ordinatissimæ compositionis destructivam.

5. Præmissa auctoritate & auctoritativa potestate usa fuit ecclesia primitiva. Patet, quia in Actibus apostolorum quatuor leguntur concilia generalia congregata, & non habetur quod auctoritate Petri fuerint convocata, sed communi consensu ecclesiæ, & in uno Jerosolymis celebrato non Petrus, sed Jacobus illius loci episcopus legitur præsuisse, & sententiam protulisse.

6. Post incrementa nascentis ecclesiæ primitivæ, præmissa auctoritas & potestas congregandi generalia concilia, rationabiliter limitata fuit & restricta; sic scilicet, quod sine auctoritate papæ nulli liceret concilia hujusmodi congregare. Patet ex juribus communibus, quæ habentur in decretis & decretalibus; & ratio fuit, ut honoraretur sedes apostolica, & obviaretur hæreticis & schismaticis, qui quandoque ad libitum per potentiam principum sæcularium concilia vocari & congregari procurabant ad suorum errorum fulcimentum.

7. Præmissa limitatio seu restrictio non tollit quin prædicta auctoritativa potestas semper absolute remaneat in ipsa universali ecclesia. Patet, quia jura positiva non possunt ab ecclesia absolute tollere illam potestatem, quæ ei competit divino & naturali jure.

8. Non obstante limitatione & restrictione præmissa, in certis casibus ecclesia sine auctoritate papæ potest generale concilium celebrare. Patet ex prædicta, & etiam quia quod est in favorem ecclesiæ introductum, non est in ejus damnum & grave periculum observandum. Sed prædicta limitatio seu restrictio, quæ in favorem ecclesiæ jure positivo legitur introducta, ut dictum est, posset in certis casibus eidem gravissime præjudicare, & specialiter possunt tres casus assignari. Primus est, si vacante sede occurreret hæresis vel alia ecclesiæ persecutio, cui esset per generale concilium obviandum. Secundus est, si in casu necessitatis vel manifestæ utilitatis vocandi concilium papa esset furiosus, vel hæreticus, vel alias ad hoc inutilis aut insufficiens, vel si super hoc requisitus concilium vocare recusaret, aut damnabiliter negligeret. Tertius, si plures essent contendentes de papatu, ita quod nulli eorum tota obediret ecclesia, nec ad alicujus eorum aut amborum simul vocationem compareret, sicut esse videtur in præsenti schismate. In his ergo & similibus casibus clare patet ex præmissis, quod absque auctoritate papæ posset & deberet ecclesia generale concilium celebrare.

9. Jura positiva, quæ communiter dicunt quod absque auctoritate papæ non est fas generale concilium congregari, debent civiliter intelligi; scilicet quando est unicus papa concorditer ab ecclesia receptus, ad congregandum hujusmodi concilium, evidente utilitate idoneus & apparatus. Patet ex prædictis, & ex doctrina Aristotelis in Ethnicis, ubi loquitur de epicheia.

10. Pro sedando præsenti schismate absque papæ auctoritate, immo ipso contradicente, potest auctoritate universalis ecclesiæ generale concilium congregari, et non solum per dominos cardinales convocari, sed etiam in casu per quoscumque fideles, qui vel auctoritativa potestate, vel caritativa monitione scirent, si possent, ad exsecutionem tanti boni cooperari. Patet ex præmissis, et etiam quia in tanta necessitate omnes fideles, et specialiter majores et potentiores debent ecclesiæ succurrere, et malis ejus tam evidentibus celerius occurrere. Possent autem ad præmissa rationes et auctoritates tam divini quam humani juris indici; sed bene affectatis ista sufficiunt, et in fundamento prædicto possent sæpe ædificari aliquæ aliæ propositiones magis particulariter respicientes concilium nunc in civitate Pisana convocatum, quas dimitto, quia ita clare sequuntur ex præmissis, ut eas non sit necessarium bene intelligentibus amplius declarare. In civitate Aquensi prima Januarii anno MCCCCIX. per episcopum Cameracensem.

Fuerunt ordinata quæ sequuntur in Francia.

PRIMO, quod prælati utantur liberratibus sibi competentibus. Ibid. p. 911. Ex MS. S. Laurentii Leod.

2. Item, quod non curetur de reservationibus factis per dominum Benedictum.

3. Item, quod ad beneficia electiva eligant capitula, seu illi ad quos seu ad quæ spectat eligere.

4. Item, quod collativa conferant ordinarii.

5. Item, quod ordinarii suppleant negligentias exemtorum suæ diœcesis, si non habeant alium superiorem a papa.

6. Item, durante hoc tempore, delegati papales non procedant etiam in causis cœptis.

7. Item, quod causæ cœptæ coram delegatis papalibus continuentur coram ordinariis a quibus non fuit appellatum; in statu in quo erant coram delegatis prædictis.

8. Item, quod causæ pendentes coram delegatis papalibus non continuentur coram ordina-

dinarius, a quibus fuerat appellatum, sed coram superioribus ipsorum.

ANNO CHRISTI 1409.

9. Item, quod deficientibus superioribus, ut quod fuerat appellatum ab archiepiscopo non habente primatem, continuabitur causa, ut supra, in concilio provinciali.

10. Item, quod adveniente casu prædicto, concilium provinciale committat seu deleget causam, ut sic in superioritatibus remaneat, in tali casu semper penes ipsum concilium, & sic semper appellabitur ad ipsum concilium.

11. Item, quod de appellantibus interpositis ad papam omisso medio, cognoscent illi ad quos debuerat appellari, ut si omisso medio supra archiepiscopo fuerat appellatum ad papam, de ista causa cognoscet archiepiscopus omissus, ad quem debuerat appellari.

12. Item, quod pendente hoc tempore, appellatio interponenda ab archiepiscopo ad papam, ut quia archiepiscopus non habet alium superiorem, interponatur ad concilium provinciale.

13. Item, quod concilium provinciale ad quod est appellatum, committat ut est dictum supra.

14. Item, quod de causis exemptorum non habentium alium superiorem a papa, cognoscent ordinarii, quia alias cognovissent, nisi exemptio obstitisset.

15. Item, quod a prælatis exemptis appellabitur ad illum, ad quem appellaretur, si non fuisset exemptus.

16. Item, quod electiones exemptorum confirmabunt ordinarii superiores, qui confirmarent, si non fuissent exempti.

17. Item, quod concilia provincialia teneantur.

18. Item, quod ipsa concilia provincialia mandabit archiepiscopus, vel ipso absente de causis episcoporum illius Provinciæ, si sit alias antiquior episcopus promotione illius provinciæ, mandabit ipsum concilium.

19. Item, quod concilia provincialia monachorum teneantur de triennio ad triennium, prout jura volunt.

20. Item, est ordinatum, quod in concilio generali agatur de tribus: primo & principaliter de unione sanctæ matris ecclesiæ; secundo de libertatibus ecclesiæ recuperandis; tertio, de unione ecclesiæ orientalis, hoc est Græcorum, & occidentalis, hoc est nostræ.

21. Item, quod pendente hoc tempore, pro absolutionibus habendis in casibus reservatis, adeatur major pœnitentiarius; & si est casus de quo non possit absolvere, absolvat ordinarius propter pericula animarum, prout fecisset, si reservatio non obstitisset.

22. Item, fuit ordinatum, quod de qualibet provincia vadant ad minus XII. personæ notabiles.

23. Item, de provincia Narbonensi sunt ordinati pro eunda ad concilium dominus archiepiscopus Narbonensis, dominus patriarcha Alexandrinus, qui tenet in commendam ecclesiam Carcassonensem suffraganeam ecclesiæ Narbonensis, & domini episcopi Uticensis, Nemausensis & Lodevensis, suffraganei ecclesiæ Narbonensis, & tres abbates, scilicet de Crassa, Anianæ, & S. Ægidii.

24. Item, pro ecclesia metropolitana & tota provincia vadunt alii numero quinque, vel sex solemnes viri graduati.

25. Ordinatum est, quod dominus archiepiscopus habeat in qualibet die quatuor francos pro expensis, dominus patriarcha propter dignitatem suam recipiat qualibet die alios quatuor francos pro expensis, & quilibet dominorum episcoporum recipiant pro die tres francos, & quilibet abbatum recipiat duos francos pro die, & quilibet aliorum recipiat pro die XX. solidos Parisienses, qui valent XXV. solidos Turonenses.

26. Item, ordinatum est, quod quælibet provincia provideat suis, hoc est illis quos mittet.

27. Item, ordinatum est, quod in istis expensis contribuant omnes habentes beneficia in provincia, etiamsi sint Cælestini, vel Carthusienses, vel Hospitalarii, seu alii quicumque, & etiam omnes gaudentes privilegio clericali.

28. Est ordinatum, quod contribuendo in dictis expensis sint exempti tantum domini cardinales, cum sint in concilio.

29. Item, domini Cistercienses, quia dominus abbas Cisterciensis se obtulit, accessurus ad concilium expensis ordinis Cisterciensis cum XII. abbatibus graduatis notabilibus sui ordinis.

30. Item, eximuntur etiam clerici a contribuendo pro bonis temporalibus quæ habent, pro quibus contribuunt cum laicis in collectis seu taliis.

31. Item, est ordinatum, quod expensæ prædictæ dividantur & leventur per diœcesim, & quod quilibet dominus episcopus levet in sua diœcesi partem contingentem suam, & quod imploret brachium contra nolentes solvere tatam ipsos contingentem.

32. Item, est ordinatum, quod in civitate Pisana quælibet provincia stet per se simul & non separatim, nec mixtim cum alia.

33. Item, est appunctuatum, quod quælibet provinciæ mittant bona hora pro habendo alogiamentum, pro omnibus suis, similiter preparetur, quod ibi sit magna multitudo gentium.

34. Item, aliqui prælati proponunt illuc mittere provisiones, quia dubitatur de caristia.

35. Fuit conclusum & arrestatum in concilio generali cleri trium provinciarum, videlicet Arelatensis, Aquensis, & Ebredunensis celebrato Aquis de mense Januario, per dominos prælatos & totum clerum, qui convenerunt ibidem, quod suprascripta capitula serventur & teneantur quantum eos tangit, in tribus provinciis antedictis, conformando se concilio & ecclesiæ Gallicanæ.

Datum in Tarrascone per me F. episcopum Cameracensem X. Januarii.

PRæsuppositis decem propositionibus (a) quibus stabilire visus sum concilium generale in civitate Pisana proxime congregandum, in eis fundari posse videntur aliæ propositiones quæ sequuntur.

1. Duo domini contendentes de papatu dictum concilium tenentur approbare & ratificare, & quantum in eis est validare.

2. Dicti contendentes tenentur in præmisso concilio per se aut procuratores, vel nuncios idoneos & sufficienter fundatos ad ea tractanda quæ expedient unioni ecclesiæ, comparere.

Patent dictæ duæ propositiones, quia cum ecca-

Ibid. p. 916. Ex MS. M. D. Chauvel.

(a) Hæ propositiones datæ sunt Aquis an. 1409. Januarii prima die, earumque descriptas ex MS. Laurentii Leodiensis modo edidimus. *Martene.*

occasione dictorum duorum contendentium perseveret schisma tamdiu inveteratum, ipsi præ cæteris Christianis principaliter tenentur ad ea quæ faciunt ad extirpationem schismatis prædicti; & ad accelerationem unionis ecclesiæ, cujusmodi sunt præmissa.

ANNO CHRISTI 1409.

Nec in hac parte obviare debet utilitati publicæ universalis ecclesiæ, particularis subtractio vel neutralitas eis facta in aliquibus partibus, regnis sive provinciis sua obedientiæ, quam aliqui objiciunt, quia juxta communem jurium sententiam seu regulam, expoliatis episcopis restitutio danda antequam ullum crimen eis objici possit, quodque induciæ post restitutionem præstandæ sunt, antequam ad concilium convocentur. Hoc enim non obstat. Nam in multis casibus fallit regula de restitutione spoliatorum. Falluntur etiam qui textus jurium more Judaico nimis litteraliter intelligendo, hic applicare conantur, contra illud Apostoli: *Littera occidit, spiritus autem vivificat*.

3. Utilius videretur pro acceleratione unionis prædictæ dictos contendentes per procuratores aut nuncios, quam per seipsos personaliter dicto concilio comparere. Patet ex difficultatibus jam expertis super conventione personali, & etiam quia multa generalia in majoribus causis fidei leguntur celebrata sine præsentia papæ personali.

4. Dicti contendentes tenentur in præmisso concilio ad finem unionis ecclesiæ viam cessionis efficaciter offerre. Patet ex promissionibus, juramentis, votis, & bullis eorum, ubique divulgatis, & etiam ex communi consensu fere omnium fidelium in hanc sententiam concordantium.

5. Si dicti concordantes ad præmissa facienda sufficienter evocati & moniti, ea facere obstinanter recusent aut negligant, dictum concilium licite contra eos procedere poterit, tamquam contra principales fautores schismatis, & de hæresi suspectos, ac Christianæ politiæ illusores. Patet ex præmissis. Videtur tamen ad majorem cautelam expedire, eos ad præmissa facienda evocari & moneri, non solum ex parte cardinalium, sed etiam auctoritate totius ecclesiæ seu generalis concilii eam repræsentantis.

6. In casu præmisso prædictum concilium licite posset, rejectis dictis contendentibus, ad novam electionem summi pontificis procedere, seu procedendum esse decernere. Patet ex præmissis. Et notanter dixi dictum concilium hoc posse, propter aliqua dubia, quæ possent in hac parte moveri circa potestatem cardinalium, prout alibi tetigi.

7. In casu præmisso, quamvis liceret, tamen non est clarum, an expediret ad dictam novam electionem procedere. Patet, quia secundum doctrinam Apostoli, quam verbo & exemplo docuit, multa licent quæ non expediunt. Ideo in hoc casu quamvis liceret dictam electionem facere, tamen forte non expediret, nisi clare pateret, quod tali electioni tota Christianitas adhæreret, vel saltem talis aut tanta portio, quæ sufficeret adhærentiam seu obedientiam dictorum contendentium tollere, & schisma penitus extirpare; alioquin hoc esset antiquo schismati novum superaddere; & sic esset error forte periculosior & pejor priore. Si autem ad tollendum hujusmodi erroris periculum dicta electio aliquamdiu differretur, magna opus esset prudentia, ad dictam generalem adhærentiam interim procurandam, & ad unionem ecclesiæ tandem per novam electionem faciendam, super qua re ad præsens loqui non præsumo.

8. In casu quo fieret electio nova antequam clare appareret de adhærentia prædicta, saltem ad obviandum errori præmisso, providendum esset, quod noviter eligendus arctaretur ad viam cessionis, si eo cedente alii duo offerrent se cessuros. Patet, quia hoc schisma totaliter posset tolli, & alias posset irreparabiliter confirmari. Per hoc etiam ostenderetur, dictam electionem non ex carnali, sed ex spirituali affectione processisse. Unde merito possent fideles ad talis electionis adhærentiam facilius & ferventius inclinari.

9. In casu præmisso, non obstante processu contra dictos duos contendentes, ad eos tamen reducendum in viam veritatis, præfigendus esset eis terminus, infra quem, si vellent efficaciter exequi viam cessionis, provideretur eis de honesto statu & securo auctoritate concilii generalis. Patet, quia etiam non debet claudere gremium redeunti, & etiam quia talis provisio posset esse occasio citioris terminationis schismatis.

10. Si uno dictorum contendentium in dicta contumacia remanente, alter ad ea ad quæ tenetur, ut præfertur, in dicto concilio efficaciter se offerret, illo rejecto, videretur iste merito auctoritate ecclesiæ in papam assumendus. Patet, quia prima facie videtur, quod quis probabiliter se reputans verum papam, non teneatur cedere, nisi quando ex sua cessione sequitur exterminatio schismatis & conclusio unionis: quæ tamen non sequeretur in casu isto ex cessione istius. Quare rationabilius videretur, quod iste in papam assumeretur, quam quod unus tertius sibi invito subrogaretur, maxime quia dignum & justum est, eum ex tam sancto opere præmium reportare. Hoc etiam dicere, est utrumque dictorum contendentium ad debitum suum exequendum suaviter excitare: quod omnino expedit, attenta hujus materiæ prolixitate; & hæc brevitatis causa sine allegationibus dicta sunt absque temeraria assertione.

ANNO CHRISTI 1409.

CONVENTUS FRANCOFURTENSIS

ANNO CHRISTI 1409.

Prælatorum & procerum, ubi & Robertus rex Romanorum, circa Epiphaniam, anno Domini M. CCCC. IX. celebratus in causa schismatis.

Ex Collectii Append. Tom. XI.

Habetur ejus mentio a Theodorico Niemo, lib. III. cap. 39. his verbis: Anno Domini MCCCC. IX. circa festum Epiphaniæ, venit dominus Landolphus cardinalis Barensis ad Francofordiam Maguntinensis diœcesis, missus in Germaniam per dominos cardinales utriusque obedientiæ, qui tunc residebant Pisis, ad convocandum ecclesiasticos prælatos, & Principes Alemaniæ, ad veniendum aut mittendum ad generale concilium Pisis celebrandum: & multum honorifice ubique locorum, per quæ in Germaniam transivit, per clerum & populum receptus fuit. Et tunc etiam ad Francofordiam, Maguntinensis & Coloniensis archiepiscopi, multum potenter accesserunt. Fuit & tunc ibi rex Rupertus cum suis consiliariis, necnon Henricus dux Brunsvicensis, Hermanus Lantgravius Hassiæ, Fridericus marchio Misnensis, & Fridericus Burgravius Nurenbergensis, & multi episcopi, abbates, comites, barones, ac proceres, & plerique curiales; necnon regis Francorum, & regis Anglorum, atque de diversis provinciis & terris insignes legati illic convenerunt ad tractandum de unione prædicta. Sed postquam ibi per sex dies steterunt: venit etiam ibi suprascriptus Antonius [a], nepos & camerarius dicti Errorii, cui modica reverentia in Alemania impendebatur, quia dicebatur de ipso, quod venisset illuc ad turbandam unionem: unde communis populus Germaniæ ipsum habere videbatur exosum, salvo quod ipse rex Rupertus eum per iter quod egit cum securitate duci procuravit, & multum honoravit. Ipse autem Antonius in propria ejus persona, in præsentia aliquorum eorumdem principum & aliorum magnatum, intrando prætorium Francofordiense, in quo etiam tum ipse rex Rupertus erat præsens, valde prolixum & tædiosum fecit sermonem, in quo dictum Errorium & ejus factum justificando, [a] dictorum cardinalium tunc Pisis existentium, & præfatum cardinalem Barensem, satis scandolose & opprobriose in publico impugnavit: adeo quod hoc ipsis principibus & aliis præsentibus, exceptis forsan eodem rege Ruperto, & qui cum eo erant, displicuit vehementer, & postea infra duos dies, Rex & Antonius prædicti, & paulatim etiam alii, ad propria redierunt, concludendo finaliter, quod rex Rupertus suos, & Maguntinensis & Coloniensis archiepiscopi & marchio Misnensis prædicti, eorum ambassiatores ad Italiam mittere vellent ad sollicitandum factum unionis. Ipse vero rex Rupertus eumdem Antonium secum ad Heydelbergam duxit, & ibidem multis diebus in suis expensis procuravit: & pertinaciter partem dicti Errorii fovit in omnibus.

[a] Ita Niemus, sed deesse aliquid ibi videtur.

[a] *Antonius cardinalis nepos Gregorii Papæ quem Errorium vocat infensus ipse Niemus.*

CONCILIUM PISANUM

Universale, quod ad tollendum schisma indictum, Gregorio pontifice & Benedicto pseudopapa depositis, Alexandro V. consensu cardinalium utriusque obedientiæ electo, celebratum fuit anno Domini M. CCCC. IX.

Copia litteræ convocationis concilii Pisani, quæ dirigitur domino Benedicto XIII.

Sanctissimo domino nostro Benedicto XIII miseratione Divina summo pontifici, Deo humiles & devoti oratores, episcopi, presbyteri & diaconi sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, nunc in Liburno Pisanæ diœcesis existentes, pro nobis & aliis reverendissimis patribus dominis cardinalibus pro nunc absentibus, nobis adherentibus & adherere volentibus in hac parte, cum supplici & devota recommendatione utriusque hominis sospitatem.

Qualiter hoc schisma pestiferum, totius corporis ecclesiæ infestivum, unitatem lacerans et enervans caritatem, clerum involvens tortuosis laqueis, et populum subvertens, ab erroribus quamplurimis ecclesiæ fidem [a] langentibus [a] intromissis ortum habuit, et diuturnitatem adeo nocivam, vestræ sanctitati notum esse non dubitamus. Hæc enim in sui exordio modica visa erroris scintilla, cui [b] cum per deliberationem concilii, ut sanctorum patrum moris fuit, non extitit obviatum, sed duro proposito, via concilii repulsa, fomenta adhibita per inordinatos et perniciosos affectus, in quibus quærentes homines quæ sua sunt, non quæ Christi, adeo in flammam proximam [c] exaltavit, mundum percurrit universum, concutit clerum, subvertit populum, fidem maculat, sacramenta profanat, et ecclesiasticæ censuræ contemptum inducit, ecclesiæ libertatem omnino extinguit, et indevotos reddit Christi charactere insignitos, ut vix dignosci valeat qui existat catholicus, cum plures appareant legis Divinæ transgressores, et mandatorum Dei manifestissimi contemptores. Et si hæc... nullatenus toleranda, [d] quid ait vulgus de his qui bases et columnæ videntur ecclesiæ, qui horum malorum et tantorum scelerum [e] dissimulatores esse videntur, dividentes clerum ac populum, et versi in laqueum tortuosum, ubique

[a] *f.* frangentibus.

[a] Ex MS. VVolfenbuttel. edidit emendationem hanc Epistolam Von-der-Hardt in Concil. Const. Tom. 5. part. 5. unde sequentes adnotationculas excripsimus. Hic pro *langrentibus*, legendum, *rangrentibus*. [b] MS. tum. H. [c] MS. exhalavit. [d] MS. Et si hæc in laicis nullatenus toleranda, quid ajet vulgus &c. [e] Dissimulatores.

ANNO CHRISTI 1409.

que ponunt scandalum in suarum et fore omnium perniciem animarum? Nihil aliud ajunt dici posse, nisi quod tanta scelera contra Deum, orthodoxam fidem, et sanctorum Spiritum, animo pertinaci commissa, inexpiabilia, teste scriptura, etiam sacrificiis reputentur: si Heli peccatum longe levius, ut sacra refert historia, inexpiabile fuit piaculum et delictum. Hæc enim pater sancte, ruina tam horribilis, tamque exosa in Divinæ majestatis conspectu, ut habet communis existimatio, in manu nostra ludibriis plena, et utinam non blasphemiis infesta, et nostri reprobatione consistit, qui cum ex debito [a] debemus et tenemur, ut præmissa tollerentur de medio, nostros indefessos adhibuisse labores, nostra quæcumque exponere, etiam titulos dignitatum, animas nostras, et ultroneæ bibere calicem passionis, ambulatum est per devia & non plana; et velut cæci palpantes clausos parietes, aperta, lataque et plana janua rejecta est, velut spinosis aculeis et venenosis jaculis, et juxta affectionem in conspectu Altissimi et hominum judicio communi, voluntariam & non sanam, fulcitam magnis periculis latet, [b] in illis consistit summa securitas & hominum conscientiarumque indubia sinceritas, ex quibus longo tempore declinata fuit cessionis via, [c] in ingressu planæ januæ consistebat solitaria; cum Dei gravi offensa innumerisque periculis animarum. Et quamvis ex post exactis annorum curriculis fuit hæc via sancta & necessaria; & communi omnium fidelium judicio præelecta cum Angelo Corario, Gregorio nominato, per sanctitatem vestram recepta & etiam approbata: tot tamen & tantæ in illius [d] habentur desiderata executione adhibitæ difficultates, variationes, dilationes ac repudia, circa locorum electionem & securitates hinc inde, quod nullus effectus secutus est, nec aliunde speratur modo aliquo proventurus; sed quodam recessu perpetuo in dicto pacis tractatu, immo verius repudio perenni, [e] abusus in viam longinquam, numquam ad agni nuptias per unitatis vinculum, ut a multis creditur, intraturi. [f] Sed mala sub brevi compendio considerantes provide, ac pia mentis consideratione pensantes, reverendissimi patres nominati in parte alia Cardinales a dicto Angelo Corario, Gregorio nominato, ad omnem viam habendæ unionis plus quam describi possit mente & proposito indurato recesserunt, juxta Divina mandata; ad quos de vestræ sanctitatis permissu & voluntate expressa quatuor ex nobis delecti fuerunt, & convenientibus in Liburno, cum quatuor ex ejus cardinalibus nominatis: & demum nos omnes & ipsi in unum convenientes, prospeximus communi & concordi voto, & matura habita deliberatione cum multis notabilibus prælatis & quamplurimis litteratis viris Deum timentibus, & pacem ecclesiæ habentibus in fervore caritatis, fore necessarium, ut per ecclesiam universalem congregatam huic tam pestilenti morbo & inveterato laqueo, erroribus fidem tangentibus pleno, subveniatur & occurratur in brevi, ad servandas omnium fidelium conscientias, errores submovendos notorios, virtutes inserendas, animorum & ecclesiæ reformationem debitam & salubrem: & quod per nos in nostra obedientia, & alios nominatos cardinales in sua, prælati & alii qui vocandi fuerint, convocentur per nos in civitate Pisana, & per illos in eadem ad terminum 25. diei mensis Martii proxime futuri. Et hunc modum convocationis communi assensu assumpsimus propter neutrales, & illos qui de obedientia dicti Angeli ad vestram, ac etiam illos de vestra, qui ad vestram & dicti Angeli convocationem nullatenus venirent, & propter defectus alias habitos in convocatione concilii, de quo sæpissime & diversis temporum intervallis fuit per nos vestra sanctitas requisita, & eidem humiliter supplicatum [g] & alteri promissum, sed nullatenus adimpletum. Et ut omnis adhibeatur cautela, ex superabundanti vobis tenore præsentium supplicamus, & instanter requirimus, quatenus quantum in vobis est, dictæ convocationi præbeatis assensum & opem, & quod vestræ sanctitati placeat in dicto loco & termino personaliter interesse, & in dicto concilio convenire, in quo nobis procurantibus plena & sufficiens securitas præstabitur in veniendo, stando, & recedendo, & de qua ante dictum terminum congruo reservato intervallo, sanctitatem vestram certificare curabimus; & nos, seu nostrorum major pars, eamdem sanctitatem vestram humiliter [h] commemorare, cum omni honorificentia, quæ summo debetur Pontifici, & honorifice tractare, ad [i] conservationem unitatis & pacis, & post ipsius exitum felicem. Hæc enim convocatio ad locum & termioum antedictos nullo valet colore difficultari [*], impediri, seu quocumque confisto pallio differri, declinari seu mutari: cum essi in sanctitate vestra corporalis infirmitas vel aliud occurreret impedimentum, seu alias absentiæ justa causa, possit & debeat, de quo vos solemniter requirimus, & alias fuit per nos consultum, hoc Dei tam necessarium negotium, quoad illa quæ per vos facienda existunt, per deputatum a vobis quoad omnia necessaria vel expedientia præambula sufficientem auctoritatem habentem perfici, & [k] procuratore [*] sufficienti & spiritualí mandato ac irrevocabili munitum, cessio pro parte vestra fieri, Angelo nominato Gregorio cedente in propria persona, vel per procuratorem similem potestatem habentem, & [l] irrevocabile & speciale mandatum, vel ipso sublato de medio, vel canonice per ecclesiam ejecto.

Quod si dictæ convocationi opem & assensum præstare refugeritis, & in loco & termino antedictis convenire, vel deputatum procuratorem, ut præmittitur, destinare (cum extra terminos Italiæ nequeant partes, seu ipsarum altera [m] ad conservationem unitatis habendæ, multis consideratis, ita commode & utiliter convenire, attento quod per concilia particularia, si divisim & in locis [n] divisis longa distantia separatis tenerentur, schisma extirpari non posset;) nos, & alii qui ad vocationem nostram venerint, procedemus in negotio unionis habendæ, & schismatis tam horrendi, errorumque fidem tangentium extirpatione, cum collegio cardinalium partis alte-

[*] f. difficultatis.

[*] Corr. procuratione.

a MS. debemus. b MS. in illa consistat. c MS. quæ in. d MS. habenda. e MS. abjimus in viam.
f MS. Quæ mala.
g MS. Et aliquando promissum. h MS. ceremonare. i ante Consumationem. MS. k MS. procuratorio
l MS. Irrevocabilem. m MS. ad consumacionem. n MS. diversis.

ANNO CHRISTI 1409.

alterius, ac cum concilio vocatorum per nos & ipsos, attentis promissis, juratis, & conventis per sanctitatem vestram & dictum Angelum, ut dictaverit Spiritus sancti gratia, & alias fuit per sanctos patres in Romana ecclesia salubriter observatum, vestra aut dicti Angeli, seu alterius absentia non obstante. [a] Suppliciter viribus iteratis exhortantes sanctitatem vestram in Domino, & per viscera misericordiæ Jesu Christi, qui ecclesiam suam fundavit pretioso sanguine, unamque esse voluit, ac in unitate spiritus permansuram, sine qua & extra quam non est salus, quatenus convocationi jam dictæ in loco & termino antedictis fiendæ opem & auxilium, ut decet zelatorem domus Dei, adhibere velitis. Ad quem, sicuti de jure possumus, super prædictis vos provocamus ad causam: quia si, quod absit, noluveritis, aut impedimenta præstiteritis dictæ convocationi & ad illam venientibus, ac nobis qui ad illam tendimus, eamque modis canonicis procuravimus, talia ad impedimentum unionis ecclesiæ & ipsius schismatis perpetuationem censerentur luce clarius pertinere, cum ad veritatem contra falsitatem fuerit collata potestas, & ad ædificationem, non autem ad destructionem. Et si, quod absit, vellet sanctitas vestra impedimenta præstare, cum nihil sit per quod fiendæ unitati, ad quam tendimus, posset per potestatem aliquam juste fieri, cum in hoc prosequamur voluntatem Divinam: ecclesia, cujus unitati claves a Christo concessæ sunt, talia non pateretur sub dissimulatione transire. Et circa præmissa vestram intentionem, vestrumque propositum, & quod in præmissis agere intenditis, præsentialiter nobis notificare dignemini, ut proinde certitudine habita, providere valeamus quantum in nobis erit, circa vestram securitatem & libertatem, & alia necessaria, & ad tantum negotium opportuna. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum, præsentes nostras litteras per notarium publicum infra scriptum subscribi & publicari mandavimus, ac nostrorum sigillorum fecimus appensione muniri. Datum & actum in loco Liburni supradicto, in claustro ecclesiæ dicti loci, nobis ibidem tunc Guidone Prænestino, Nicolao Albanensi, Petro Tusculanensi, episcopis, Petro tituli sanctæ Susannæ presbytero, Amedeo sanctæ Mariæ novæ, & Petro sancti Angeli diaconis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus congregatis & personaliter constitutis, ac omnia & singula suprascripta pro nobis, & aliis dominis cardinalibus absentibus, nobis adhærentibus & adhærere volentibus, in hac parte, approbantibus & ratificantibus, & de præmissis, & eorum singulis unum vel plura publica instrumenta nobis, & cuilibet nostrum fieri petentibus, sub anno a Nativitate Domini 1408. indictione 1. & die 14. mensis Julii, præsentibus reverendis in Christo patribus & dominis Dei gratia Simeone patriarcha Alexandrino, administratore perpetuo ecclesiæ Carcassonensis, Petro episcopo Meldensi, ac venerabilibus & circumspectis viris magistris Roberto de Quesneio doctore, Joanne Francisci licentiato in decretis, Joanne Petri magistro in medicina, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis, sic subscriptis, & signatis.

Et ego Joannes [b] Desmarquais de Monte acuto, clericus Landunensis diœcesis, & imperiali auctoritate notarius, prænotatis omnibus & singulis suprascriptis, dum per reverendissimos in Christo patres, dominos supradictos sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales ratificarentur & approbarentur, una cum prænominatis testibus præsens fui, & de præcepto eorumdem dominorum cardinalium præsentes litteras per alium scriptas, una cum trium priorum collegii dictorum dominorum cardinalium, de mandato & requisitione aliorum trium dominorum cardinalium supradictorum, eisdem dominis prioribus factis super hoc, sigillorum appensione, me hic propria manu subscribenda signo meo consueto signavi, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

De Marchais de Monte acuto.

ACTA CONCILII PISANI

SESSIO I.

IN nomine Domini, amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo quadringentesimo nono, more Romano, indictione secunda, die vicesima quinta mensis Martii, inchoatum fuit generale concilium, sive sancta synodus, & celebratum in civitate Pisana, in quo erant plures cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, abbates, sacræ theologiæ magistri, & utriusque juris doctores, & licentiati [c] nobiles, procuratoresque plurimorum absentium prælatorum: in quo quidem concilio processum extitit per hunc modum.

Primo, fuerunt factæ processiones solemnes, & postmodum in ecclesia cathedrali dictæ civitatis fuit Missa devotissime per dominum cardinalem a [d] Turego celebrata, & sermo factus per unum alium cardinalem, scilicet Mediolanensem. Missa vero celebrata, cantatæ fuerunt antiphonæ, & certæ orationes dictæ: & postmodum diaconus alta voce dixit: *Orate*. Tunc flexis genibus & inclinato capite, omnes oraverunt submissa voce mitris positis: deinde diaconus & subdiaconus cantaverunt alta voce litanias, & omnes responderunt. Quibus finitis, unus cardinalis episcopus dixit certas orationes ad propositum unionis: quibus completis, quidam cardinalis diaconus legit evangelium. Quo lecto, unus episcopus cardinalis incepit hymnum, *Veni creator spiritus*. Quo finito, duo cardinales diaconi, duo archiepiscopi, & duo episcopi, cum pluribus doctoribus & notariis, ex ordinatione concilii & mandato, se transtulerunt ad valvas ecclesiæ, & alta voce proclamaverunt, an Petrus de Luna & Angelus de Corario, qui Benedictus & Gregorius dicebantur, de papatu contendentes, essent hic præsentes, aut aliquis pro ipsis. Quibus non repertis, nec aliquo pro ipsis, ad ecclesiam redierunt, & in pleno concilio relationem fecerunt. Qua relatione sic facta, sacrum concilium certos ordinavit & constituit promotores, seu procuratores, nomine ecclesiæ universalis, ad agendum, petendum & faciendum omnia necessaria, commoda & opportuna, pro schismatis extirpatione, contra præ-

[a] *MS.* Supplicantes viribus iteratis & exhortantes. [b] *MS.* de Marchais. [c] Ex *MS.* VVolfenbuttelensi hæc acta edidit Uon-de-Marck in tom. 1. par. 2. Concilii Constantiæ, quibus cum hac Labbeana collata, sequentes emendationes, & Variantes excerpsimus. *MS.* VVolfenbut. notabiles. [d] *MS.* de Thureyo. &c.

prædictos [a] dominos contendentes, immo verius colludentes de papatu, & pro sancta unione in ecclesia Dei habenda, prout in forma, &c. Ordinatique sunt advocati, & notarii pro ista causa deducenda. Quibus factis, procuratores prædicti accusaverunt contumaciam dictorum contendentium de papatu, & petierunt eos reputari contumaces in materia schismatis & fidei, ac in contumacia & defectu poni. Et fecerunt legi citationes & provocationes dictorum contendentium, & relationes [b] executorum, &c. Quibus non obstantibus, concilium sacrum de benignitate ordinavit expectandum, usque ad aliam sessionem, quæ fuit ordinata ad [c] vicesimam sextam diem dicti mensis Martii.

SESSIO II.

Qua die adveniente, celebrata Missa, & servatis solemnitatibus ut supra, dicti contendentes fuerunt evocati ad valvas ecclesiæ, modo quo supra in media sessione. Et quia non comparuerunt, nec aliquis pro ipsis, fuit ut supra contumacia accusata. Nihilo minus concilium sacrum iterum de benignitate duxit eos expectandos usque ad penultimam diem dicti mensis Martii, ad quam diem ordinavit proximam sessionem: qua die videlicet trigesima Martii adveniente, fuit processum ut sequitur.

SESSIO III.

Declaratio & decretum latum contra duos contendentes de papatu ob contumaciam ipsorum in causa fidei [d] & schismatis contumaciæ, prolata ex ore domini Prænestini sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, Pictaviensis vulgariter nuncupati, ex commissione totius concilii & assensu unanimi.

„ Universis, & singulis, sacra mandante synodo, tenore præsentium intimatur, quod hac „ die Sabbati penultima hujus mensis Martii, „ in ecclesia cathedrali Pisana, celebrata devote & solemniter Missa, pro unione sacrosanctæ ecclesiæ ordinata, dictis in cantu litanis, & devotis orationibus, ac expletis aliis „ in talibus consuetis; auditis quibusdam propositionibus & petitionibus deputatorum, „ advocatorum, & procuratorum sacrosanctæ „ Romanæ ecclesiæ, iniquis de papatu contendentium [e] ausibus, lacessentium lacessitorum; „ proh dolor! immo diutissime; per quas recensito, quod attenta contumacia infra scriptorum de papatu contendentium, proxime „ lapsorum, in processu hujus causæ descripta; „ petitum extitit, eosdem contendentes, etiam „ cardinales eis adhærentes, & alios ad hujusmodi concilium legitime evocatos, reputari, „ decerni, & declarari contumaces; jam bis, „ et nunc tertio, prorogata seu continuata „ dies instat, in qua contendentes ipsi, et „ cardinales ipsi adhærentes, ceterique vocati „ comparere tenentur, accusatique legitime.

„ Tandem ipsa die continuata contumacia „ prædictorum contendentium, et petito eos „ contumaces reputari, decerni, et declarari, „ ipsa sancta synodus, seu hoc sacrosanctum „ generale concilium ante dictum, præfatis „ contendentibus, et aliis legitime, ut ex processu constat, ad valvas ecclesiæ vocatis, „ aliisque servatis servandis, unanimi consensu „ vocatorum supradictorum contendentium, & „ aliorum contumaciam reputavit, decrevit & „ declaravit per organum domini cardinalis „ Pictaviensis, ut in schedula continebatur, „ cujus tenor sequitur, & est talis.

„ Sancta synodus, seu hoc sacrum generale „ concilium, dominos Petrum de Luna, Benedictum XIII. & Angelum Corarium, Gregorium XII. nuncupatos, de papatu contendentes, & quantum in eis est, ecclesiam Dei „ notorie in schismate tenentes, legitime requisitos, vocatos & proclamatos in causa schismatis & fidei ad hoc præsens sacrum & generale concilium, & omnia in eo agenda, „ non venientes, seu non comparentes legitime per se nec per alios, nec termino statuto „ satisfacientes, licet expectatos post terminum „ per duas sessiones, reputat, decernit & declarat in causa schismatis & fidei contumaces, ponitque in contumacia & defectu, & „ ordinat in eorum contumacia debere ad ulteriora procedi & procedendum fore: ordinans „ sessionem aliam fieri die Lunæ post Dominicam in Albis, quæ erit 15. die mensis Aprilis. Ad quam diem ordinet præsens generale „ concilium, dom. card. Tudertinum, domino Gregorio adhærentem, & dominum Joannem „ Sabinensem episcopum, sancti Hadriani, & „ sanctæ Mariæ in via lata, de Flisco, & de „ Chalanco, vulgariter nuncupatos, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales domino Benedicto „ adhærentes, de benignitate expectandos fore „ cum intimatione. Quod si prædicti duo contendentes, & præfati domini cardinales, non „ comparuerint in dicto termino, ad ulteriora „ procedetur, eorum contumacia non obstante; ordinavit nihilo minus præsentem ordi„ nationem in valvis cathedralis ecclesiæ affigi „ publice, ut de præmissis non valeant ignorantiam allegare.

SESSIO IV.

Qua die Lunæ decimaquinta mensis Aprilis adveniente, Missa ibidem celebrata, & aliis quæ ad Divinum cultum spectant, ut moris est in concilio generali, ut supra declaratum est, comparuerunt ambassiatores Ruperti de Bavaria [f] S. sedis imperatoriæ [g] electoris, qui plura publice proposuerunt [h] pro impugnando convocationem contendentium: secundo, subtractionem factam per cardinales suæ obedientiæ: tertio, unionem collegiorum &c. Quibus auditis, fuit eis dies assignata ad audiendum responsionem super propositis ad vicesimum quartum diem dicti mensis Aprilis: fuitque his non obstantibus processus continuatus, ut supra, vocando ad valvas ecclesiæ, si duo contendentes, aut eorum alter, vel aliquis pro eis esset in hac præsenti civitate Pisana, ut supra. Quibus non apparentibus, fuerunt reputati contumaces, ut supra, continuando sessionem aliam ad diem Mercurii vicesimam quartam prædictam: quo termino pendente, præfati ambassiatores imperatoris secunda die recesserunt illicentiati, & hospite [h] non salutato.

[g] f. imperatori electo

SES-

a MS. Duos. b MS. Executionis. c MS. XXVIII. d MS. Et schismatis. Contumacia prolata &c.
e MS. ausibus lacessitis, proh dolor! immo diutissime lacerata; Per quas &c.
f MS. Secundi Imperatoris electi. g MS. primo impugnando hoc. h MS. Insalutato.

ANNO CHRISTI 1409.

SESSIO V.

Dicta die Mercurii vicesima quarta mensis Aprilis adveniente, Missa & solemnitatibus servatis, fuit accusata contumacia dictorum contendentium, ut supra: fecitque promotor seu procurator ecclesiæ universalis proponi certos articulos contra ambos contendentes, concludentes plura ad propositum unionis, & contra dictos contendentes: & requirebat quod darentur commissarii, licet perpetrata essent notoria, pro informatione a majori. Tunc fuit dies assignata ad hoc pro alia sessione, scilicet B ad ultimam diem Aprilis.

SESSIO VI.

Qua adveniente comparuerunt Anglici, et proposuit episcopus c Salberiensis solemniter dicens pro themate: *Justitia & judicium præparatio sedis tuæ*: concludens quod habebat a rege et regno Angliæ potestatem magnam ad omnia necessaria in hoc sacro concilio rationabiliter tractanda. Et postmodum fuit dies C assignata pro alia sessione, ad diem Sabbati, quartam mensis Maji proxime futuram.

Psalm. 88.

SESSIO VII.

Dicta die Sabbati adveniente, servatis solemnitatibus et cæremoniis præmissis, quidam doctor Bononiensis Petrus de Ancharano dictus, solemniter respondit ad proposita per ambassiatores dicti Ruperti de Bavaria, licet absentes, et satis expectatos, ostendendo clare, quod proposita per eos erant manifeste frivola et nullius efficaciæ, fundando clare intentionem concilii, et quod ambassiatores tendebant ad impedimentum sanctæ unionis. Et post- D modum fuerunt dati per concilium commissarii et nominati pro examinandis testibus super propositis per promotorem seu procuratorem concilii, et ad recipiendum instrumenta et probationes, etc. etiamsi in absentia et contumacia dictorum contendentium. Et ista die, dominus episcopus Ebroicensis celebravit Missam in majori ecclesia, in præsentia sacræ synodi: et fuit ordinatum quod aliqui eligerentur pro eundo ad regem Ladislaum, pro mitigando eum, etc. fuitque dies assignata ad diem Veneris proximam, scilicet decimam diem mensis Maji prædicti, pro alia sessione.

SESSIO VIII.

Qua die adveniente, servatis solemnitatibus et ceremoniis, ut supra, dictum est pro parte E procuratoris universalis ecclesiæ, et fuit requisitum, quatenus concilium sacrum vellet determinare et sententiare, etc. unionem duorum collegiorum factam, fuisse et esse legitime factam, et facere unum collegium, ratificare, approbare & confirmare; convocationemque sacri concilii per eos factam, fuisse & esse juridice & legitime factam in loco habili, tuto & securo, ipsamque congregationem esse, & repræsentare concilium universalis ecclesiæ: ad ipsumque concilium spectare & pertinere cognitionem, definitionem & decisionem omnimodam causæ unionis ecclesiæ, & schismatis sedandi, contra duos contendentes de papatu, ecclesiam Dei detinentes in schismate notorie cum omnibus pertinentiis, emergentibus, & connexis. Et fuit petitum, si placeret omnibus. Et cum magna pars respondisset, quod placebat quod ita fieret: duo episcopi quoad primam conclusionem contradixerunt, videlicet Salisberiensis & Ebroicensis, dicentes quod non poterat fieri unio duorum collegiorum, quamdiu cardinales Benedicti sibi obedirent, prout faciebant, aliis non obedientibus Gregorio XII. sed solum Deo & ecclesiæ, quia turpis est pars, quæ non congruit suo universo. Et ita erat necesse, quod domini cardinales se subtraherent, ut esset unio d uniformiter obedientium & obedientiarum, *& multitudinis credentium esset cor unum & anima una*. Quibus auditis, fuerunt multa hinc inde prolocuta. Et tandem procurator prædictus ascendit pulpitum, & requisivit, quod sancta synodus (attenta pertinacia & contumacia dictorum duorum contendentium de papatu in materia schismatis & fidei, & quod notorie ecclesiam Dei detinerent in schismate contra ejus voluntatem, & violenter contra eorum juramenta & vota, ac debitum pastoralis officii, & de eorum manifesta collusione satis constet) vellet & dignaretur pronunciare & declarare, a tempore quo constitit eos non habere vel non habuisse voluntatem uniendi ecclesiam per viam juratam, & pro tanto bono per ecclesiam; quemlibet potuisse & debere recedere ab amborum obedientia, nec ulterius amplius debere eis obedire. Et petiit si hoc placeret omnibus: & responsum fuit jocose, quod sic, excepto quodam episcopo Anglico, e & uno Alemano: & nihilominus conclusum fuit ut petebat dictus procurator. Et postmodum dominus patriarcha Alexandrinus, cum episcopo Salisberiensi, ascendit cathedram, & f infra scriptis pronunciavit sententiam auctoritate concilii petitioni conformem: & de omnibus conclusionibus procurator ecclesiæ petiit fieri instrumentum ad perpetuam rei memoriam. Et fuit alia dilatio concessa ad examinandum testes ad octavam diem, sessione ad eamdem diem assignata, ad procedendum ulterius prout de jure.

SESSIO IX.

Die Veneris decima septima prædicti mensis Maji adveniente, celebrata Missa, solemnitatibus & cæremoniis servatis, procurator ecclesiæ ascendit pulpitum, & fecit requiri alta voce per advocatum, quod subtractio in præcedenti sessione facta declararetur, quoniam aliqui murmurabant. Et fuit de consensu omnium in concilio existentium pronunciatum per os domini patriarchæ Alexandrini licuisse se subtrahere ab obedientia amborum contendentium de papatu, a tempore quo, &c.

Item, quod a cunctis Christifidelibus erat obedientia subtrahenda, & ab omnibus pro subtracta habenda: & ita mandabat synodus.

Item, revocatæ fuerunt sententiæ latæ per contendentes contra subtrahentes.

Item,

a *MS.* pleniori. b *MS.* ad Martis ultimam. c *MS.* Salisberiensis. d *MS.* uniformitatis credentium & obedientium. e *MS.* & quodam Alemano. f *MS.* in scriptis.

ANNO CHRISTI 1409.

Item ordinatum fuit, quod illi qui erant in concilio judices vel conjudices, poterant esse testes contra contendentes.

Item, quod commissarii possent articulos declarare.

Item [a] decernit tertiam dilationem ad producendum testes, &c. & ad ulteriora procedendum fore, prout eidem sanctæ synodo videbitur expedire. Diem Mercurii proximam, quæ erit vicesima tertia mensis Maji, ad quam diem statuit & ordinavit proximam sessionem, prout in quadam schedula ibidem lecta continebatur, cujus tenor sequitur in hunc modum: Sancta & universalis Synodus hic in Christi nomine congregata, declarat, pronunciat, & decernit, ex justis & rationabilibus causis, a Petro de Luna, qui Benedictus XIII. & ab Angelo Corario, qui Gregorius XII. dicebantur, improbe contendentibus de papatu, & ab ipsorum cujuslibet obedientia licuisse recedere libere & pure; videlicet a præfato Benedicto, ex tempore quo viam cessionis per eum solemniter juratam realiter persequi, & eam effectualiter adimplere damnabiliter omisit; & a præfato Gregorio, ex eo tempore quo viam cessionis per eum solemniter juratam, voto promissam & firmatam, realiter persequi & effectualiter adimplere, damnabiliter prætermisit. Insuper sancta synodus, ex causis quibus supra, pronunciavit, statuit, ordinavit, & decrevit, præfatos contendentes de papatu, ac ipsorum quemlibet, qui canonice requisiti & vocati in præsenti causa schismatis & fidei fuerunt celebrati legitime, contumaces fore, a cunctis Christi fidelibus omnimode obedientiam subtrahendam, & ex nunc * ut antea ab omnibus pro subtracta haberi. Et ita observandum decernit, pronunciat atque mandat.

* Corr. in antea.

Processus autem & sententias condemnationum, privationum, inhibitionum, & censuras quascumque, per eosdem contendentes de papatu, aut ipsorum alterum, in præjudicium prosecutionis unionis, contra subtractos, & in posterum subtrahendos, factos, & in futurum fiendos, hæc sancta synodus decernit & declarat cassos existere, ac nullius roboris vel momenti, & eos cassat et annullat, quatenus de facto processerunt, aut in futurum procedent.

Item, eadem sancta synodus in favorem fidei, & schismatis extirpationem, ac pro ecclesia lacerata unienda & pacificanda, decernit, pronunciat & declarat, omnes cujusque status, &c. etiam si cardinalatus præfulgeant dignitate, qui in causa præsenti sunt & possunt esse judices seu conjudices, similiter esse posse legitimos testes, eorumque testimonio & depositioni fidem esse indubiam adhibendam.

Item, cum propter adversitatem * et prolixitatem articulorum in præsenti causa productorum, posset testium examinatio dispendio protelari: propterea sancta synodus decernit, pronunciat, & declarat, quod domini commissarii seu examinatores ad hæc per sanctam synodum deputati, possint dictos articulos declarare & specificare, ac in eis addere, detrahere, & mutare, ac interrogatoria facere, prout utilitati & accelerationi causæ videbunt expedire.

* Corr. diversitatem ut in exemplari Duchesiano.

Et ex prædictis, causa cognita & deliberata, dat, statuit, & decernit tertiam dilationem ad probandos & producendos testes, & ad ulteriora procedendum, (prout eidem sanctæ synodo videbitur expedire) diem Mercurii proximam, quæ erit dies vicesima secunda hujus mensis, ad quam diem statuit & ordinat proximam sessionem, pronunciationem * per patriarcham Alexandrinum, die vicesima septima dicti mensis Maji 1409. in sacro concilio generali Pisis celebrato.

* Corr. Pronunciatum.

SESSIO X.

Die Mercurii adveniente, quæ fuit vicesima secunda mensis Maji, celebrata Missa, & illis quæ ad Divinum officium spectant, procurator ecclesiæ fecit per advocatum proponi, quod domini cardinales Laudensis & sancti Angeli senior & alii prælati, & domini, dati commissarii ad examinandos testes, & recipiendas probationes & instrumenta contra duos improbe contendentes de papatu, testes audiverant, & in scriptis redigi fecerant per notarios ordinatos per concilium, aliasque probationes & instrumenta ad cautam facientia receperunt, erantque parati legitimam facere relationem per unum ex ipsis prælatis commissariis, videlicet per organum domini archiepiscopi Pisani, si concilio placeret. Et respondit concilium, *placet*. Quo facto dictus advocatus nomine quo supra, petit & requisivit, quatenus dicti contendentes essent vocati ad hanc diem, ad audiendum testium publicationem; & quod domini cardinales cum aliquibus prælatis & aliis more solito irent ad fores ecclesiæ, & eos vocarent, si essent præsentes, vel aliquis pro ipsis: & de hoc fecerunt relationem in pleno concilio, quod sacro concilio placuit. Et nunc domini cardinales de Columna & sancti Angeli, cum aliis pluribus prælatis & doctoribus ac notariis, iverunt ad valvas ecclesiæ, & alta voce petierunt, an contendentes de papatu, vel eorum alter, aut etiam aliquis pro eis adesset. Quibus sic factis, ad concilium redeuntes, retulerunt, nec contendentes adfuisse, nec aliquem pro eis comparuisse. Qua de causa, quoad istum actum, per concilium fuerunt reputati contumaces: & fuit conclusum, quod erat ulterius procedendum ad relationem & publicationem, eorum contumacia non obstante. Et statim dictus archiepiscopus Pisanus cum uno notario sacri concilii ascendit pulpitum, in quo proposuit, quod de mandato dominorum commissariorum suorum collegarum erat ordinatus ad faciendum relationem & publicationem sub tali forma: Quod dictus notarius speciatim legeret singulos articulos, alias datos & lectos in pleno concilio, contra dictos contendentes, ita quod super quolibet articulo seorsim & separatim dictus dominus archiepiscopus Pisanus adaptaret testes super articulos productos, designando numerum & qualitates, status, gradus, dignitates & præeminentias singulorum testium: & ita factum est. Et quia dictus notarius hac die legit articulos usque ad numerum viginti, in quolibet articulo faciebat pausam; & postmodum archiepiscopus Pisanus dicebat sic: iste articulus est probatus tamquam verus, manifestus & notorius per quindecim testes, quorum quatuor sunt cardinales, unus patriarcha, quinque episcopi, & qua-

a MS. decrevit.

ANNO CHRISTI 1409.

quatuor doctores, & unus licentiatus in decretis; & quandoque dicebat, quod articulus erat probatus per decem, aliquando per viginti duo, aliquando per viginti quinque, aliquando per duodecim, aliquando plus, aliquando minus. Ita tamen, quod non fuit articulus, quin esset probatus vetus ad minus per quinque testes omni exceptione majores. Et quia tunc erat tarde, concilium continuavit istum actum ad procedendum ulterius, & consequenter in negotio præsenti, ad primam diem, quæ erat vicesima tertia mensis Maji.

SESSIO XI.

Die vicesima tertia Maji adveniente, servatis solemnitatibus & ceremoniis consuetis, notarius qui de prædictis articulis viginti legerat, continuando materiam, legere cœpit articulos sequentes usque ad numerum triginta septem inclusive: postmodum legit quoque alios paucos articulos, & incontinenti archiepiscopus Pisanus, ad quemlibet articulum adaptabat probationes, eo modo quo dictum est in præsenti sessione. Quibus completis, advocatus ecclesiæ ascendit pulpitum, & proposuit ut sequitur.

„ Reverendissimi in Christo patres, audivi-
„ stis sufficienter, & plenam relationem heri &
„ hodie factam hic in vestrum, & totius sanctæ
„ synodi præsentia, recitatam per reverendissi-
„ mum patrem dominum archiepiscopum Pisa-
„ num, de mandato & auctoritate reverendis-
„ simorum dominorum cardinalium Laudens.
„ & sancti Angeli, ac dominorum prælatorum
„ & aliorum commissariorum examinatorum in
„ præsenti causa, per hanc factam synodum
„ deputatorum. Et quia ex eorum authentica
„ & sufficienti relatione clare constat, omnia &
„ singula quæcunque proposita & producta con-
„ tra dictos contendentes, immo verius collu-
„ dentes de papatu, esse vera, publica, noto-
„ ria & manifesta, ita, quod non possint ali-
„ qua tergiversatione celari: propterea peto,
„ supplico & requiro, nomine & pro parte
„ procuratorum & promotorum, ad profecu-
„ tionem causæ præsentis, per hanc sanctam
„ synodum pronunciari, decerni & declarari,
„ omnia & singula in dicta petitione conten-
„ ta esse vera, publica, notoria & manifesta,
„ et super his tamquam veris, probatis suffi-
„ cienter publicis, notoriis & manifestis, ad
„ ulteriora procedere, prout tam magnæ ne-
„ cessitati ecclesiæ, et pertinaciæ, contumaciæ
„ & obstinationi dictorum [a] B. & A. hæc san-
„ cta synodus videbit expedire: „ [b] Auditis sancta synodus petiit deliberationem concilii, & fecit pronunciari per dominum archiepiscopum Pisanum in hunc modum.

„ Sancta synodus audita tali relatione, statuit
„ terminum ad deliberandum & audiendum de-
„ terminationem dicti concilii super prædictis
„ petitis et requisitis ad diem Sabbati, quæ
„ erit vicesima quinta præsentis mensis Maji,
„ et ad ulteriora procedendum, prout sanctæ
„ synodo videbitur, ad quam diem statuit pro-
„ximam sectionem.

SESSIO XII.

Qua die adveniente, servatis solemnitatibus & ceremoniis, ut supra, advocatus ecclesiæ ascendens pulpitum, supplicavit, petiit et requisivit nomine, quo supra, pronunciari super notorio, prout alias latius in ultima sessione petierat et requisierat: petitum fuit ab omnibus in concilio præsentibus, si placeret: qui omnes et singuli responderunt, placet. Quo facto, patriarcha Alexandrinus, de voluntate et assensu concilii, ascendit pulpitum, et pronunciavit ut in schedula continebatur, cujus tenor sequitur, et est talis.

„ Sancta synodus, attenta eorum de quibus
„ agitur notorietate, [c] denique per evidentiam
„ depositionum testium, et alia documenta,
„ legitime constat; habitaque super his deli-
„ beratione matura, decernit, pronunciat et
„ declarat, delicta omnia et excessus, ac alia
„ ad decisionem necessaria in petitione præ-
„ sentis causæ deducta contra dictos Benedi-
„ ctum et Gregorium de papatu contendentes,
„ per promotores seu procuratores per hanc
„ sanctam synodum deputatos, fuisse et esse
„ notoria, et tamquam super notoriis, fuisse
„ et esse ad ulteriora procedendum; et tam-
„ quam in causa, in qua imminet scandalum,
„ et periculum est notorium in mora. De qua
„ quidem pronunciatione dicti procuratores pe-
„ tierunt instrumentum unum, vel plura, ad
„ perpetuam rei memoriam, a protonotariis et
„ aliis notariis ibidem præsentibus.

Quibus ita expeditis, fuit per dictum concilium revocata potestas commissariorum, antea data ad examinandum testes: fuitque super hoc data potestas per concilium, de eligendo et mittendo nuncios et legatos idoneos ad dominum Lucanum, et ad Senensem, pro facto ecclesiæ. Et insuper fuit dies assignata, proxima sessione ad diem Mercurii proximam, quæ erit 29. mensis Maji, ad deliberandum de citatione contra contendentes faciendam, pro audiendo sententiam definitivam, et etiam pro ordinando de die ferendi dictam sententiam, et agendi ad procedendum ulterius, prout sacro concilio videbitur, et fuerit expediens. Et sic dictum concilium recessit.

SESSIO XIII.

Die Mercurii vicesima nona dicti mensis Maji adveniente, servatis solemnitatibus et ceremoniis ut supra, quidam valentissimus magister in theologia, vocatus magister Petrus [d] Plaoul, ascendit pulpitum, et proposuit verbum Dei, videlicet: *Congregabuntur filii Juda & filii Israel pariter, & ponent sibimet caput unum.* Oseæ 1. in fine, et deduxit pulchre exaltando ecclesiam, et afferendo eam esse supra papam, quod deduxit pluribus rationibus, tam ex parte materiæ, scilicet animarum; quam ex parte formæ, quæ est Spiritus sanctus; quam etiam ex parte causæ efficientis, quæ est ipse Christus; quam etiam ex parte finis, qui est ipse Deus in ecclesia triumphante. Et postmodum posuit opinionem universitatis Parisiensis, videlicet quod Petrus de Luna est schismaticus, pertinax, et hæreticus, etiam accipiendo hæresim pro-

a Benedicti & Angeli. b *MS.* Quibus auditis sancta &c. c *MS.* de qua per &c. d *ut* Plaoust *al. MS.* Plaul. H.

ANNO CHRISTI 1409.

proprie & stricte: præcisusque ab ecclesia Dei, ejectus a jure papatus, & privatus, ac per concilium de facto tamquam talis ejiciendus et privandus. Et hæc declaravit pluribus rationibus, et subjunxit, quod de eadem opinione erant universitates Andegavensis, Aurelianensis, et Tolosanensis. Ipso autem descendente de cathedra, ascendit quidam episcopus Italicus, qui opinionem centum et trium magistrorum in theologia, et plurimum licentiatorum, et baccalaureorum formatorum, ac universitatis Bononiensis, in quadam schedula publicavit, quæ est conformis opinioni universitatis Parisiensis.

Postmodum autem advocatus ecclesiæ ascendit pulpitum, et petiit diem assignari ad sententiam definitivam ferendam, et etiam citationem peremptoriam, decerni per edictum ad valvas ecclesiæ cathedralis civitatis Pisanæ et loca insignia, contra dictos contendentes de papatu: quam diem petiit assignari Mercurii proxima, quæ erit quinta dies mensis Junii proxime futuri: et quod illa die fieret una sessio. Requisivit insuper, quod pendente dilatione, medio tempore, videlicet die Sabbati proxima, quæ erit prima mensis Junii, fieret una sessio, ad audiendum publicari certas attestationes super novis et antiquis de novo receptis, ex abundanti cautela, contra dictos duos contendentes: super quibus omnibus petiit a sacro concilio, an placeret. Omnes autem de concilio responderunt, *placet*. Super quibus omnibus petitis et requisitis per episcopum, tam de die sententiæ ferendæ, quam etiam de citatione et sessione media: de quibus petierunt procuratores instrumentum ad perpetuam rei memoriam: et sic concilium recessit.

SESSIO XIV.

Die autem Sabbati adveniente, quæ fuit prima mensis Junii dicti anni 1409. congregato concilio in ecclesia cathedrali Pisana, et servatis solemnitatibus et ceremoniis consuetis, ac nonnullis orationibus ad factum unionis ecclesiæ dictis, dominus archiepiscopus Pisanus ascendit pulpitum. Et quia aliqui volentes plus sapere quam sapere oportet, non fuerunt ad plenum contenti de relatione alias per eum facta, tum quia multi non viderant attestationes, tum quia non fuerat facta relatio nisi dumtaxat super notorietate facta *, et non super veritate eorumdem ideo [a] ad observandum omnes circumstantias, de mandato dominorum cardinalium, et plurium episcoporum, et aliorum, qui dati fuerant commissarii per concilium, ad examinandum testes, idcirco fecit relationem suam ex abundanti per hunc modum. Quia primo sumebat sigillatim unumquemque articulum, exprimendo ejus substantiam et effectum: et post statim subjungebat, satis iste articulus probatur verus per tot testes, quorum tres sunt cardinales, quinque episcopi, et duo doctores, et tres auditores, etc. Et sic de omnibus articulis, usque ad finem. Qui omnes fuerunt probati veri, et quilibet per plures testes magnæ auctoritatis. In fineque subjunxit, si essent aliqui de concilio, qui velint videre ad longum attestationes, quod irent die Lunæ et Martis proxima ad conventum Carmelitarum, et ibi reperirent notarios, qui omnia ad plenum eis ostenderent, [b] de quibus, &c. ut supra.

* f. factorum.

SESSIO XV.

Die Mercurii adveniente, quæ fuit quinta mensis Junii, servatis solemnitatibus & ceremoniis, ut alias fuerunt servatæ, advocatus ecclesiæ ascendit pulpitum, & proposuit, quod die Mercurii ultime præterita fuit decretum citatorium contra dictos contendentes de papatu, ad audiendum sententiam definitivam in præsenti causa unionis ecclesiæ, schismatis & fidei, scilicet ad diem hodiernam quintam mensis Junii, videlicet per edictum ponendum & affigendum in valvis hujus basilicæ, & aliis locis insignibus civitatis, prout factum fuit, & constat per relationem legitimam curiorum, ac etiam per rei evidentiam. Ideo petiit & requisivit, quod omnes domini cardinales & alii prælati se transferrent ad valvas ecclesiæ prædictæ, & proclamarent, & requirerent, an dicti contendentes de papatu improbe, aut aliquis pro ipsis aut aliquo ipsorum, esset præsens. Et relatione dictorum cursorum facta, petiit sententiam definitivam in scriptis fieri, etiam contumacia non obstante, quam accusabat nomine quo supra. Quibus sic factis duo cardinales, videlicet de Columna & sancti Angeli junior, & duo archiepiscopi, videlicet Januensis & Pisanus, plureque doctores solemnes, & notarii ad valvas dictæ ecclesiæ se transtulerunt, & proclamaverunt bis, aut ter, an, &c. Quibus reversis, retulerunt se dictos contendentes de papatu non reperisse, nec aliquem pro ipsis. Ex quo procuratores petierunt sententiam definitivam contra eosdem contendentes, ut supra, etiam contumacia non obstante. Et petiit advocatus ecclesiæ, si placeret omnibus, quod sententia definitiva ferretur per dominum patriarcham Alexandrinum: qui responderunt, *placet*. Quo facto, dictus dominus patriarcha, astantibus sibi aliis duobus patriarchis, scilicet Antiocheno & Hierosolymitano, uno a dextris & alio a sinistris, & sedens pro tribunali in dicto pulpito, in scriptis pronunciavit sententiam definitivam contra dictos duos contendentes voce alta & intelligibili, valvis prædictæ ecclesiæ omnibus apertis, & innumerabili multitudine populi, quantum ecclesia poterat capere, assistente.

Tenor sententiæ definitivæ [c] contra prædictos contendentes de papatu.

CHristi nomine invocato, sancta & universalis synodus, universalem ecclesiam repræsentans, & ad quam cognitio & decisio hujus causæ noscitur pertinere, sancti Spiritus gratia, in hac majori ecclesia Pisana congregata, ibique pro tribunali sedens, visis & diligenter exceptis omnibus & singulis productis, probatis & agitatis, in præsenti causa unionis ecclesiæ, fidei & schismatis, contra Petrum de Luna, Benedictum XIII. & Angelum Corarium, Gregorium XII. olim appellatos; quæ in præsenti processu & causa plenius continentur, ac quibuscumque aliis ipsam sanctam synodum ad infrascriptam definitivam sententiam * moventem & inducentem, habita prius

* f. moventibus & inducentibus.

a MS. ad frenandum omnium conscientias. b MS. De quibus procuratores &c. c MS. contra ambos contendentes.

ANNO CHRISTI 1409.

prius inter sesipsos, & denuo inter tam copiosam multitudinem magistrorum in theologia sacra, atque utriusque juris doctorum, [a] priusque & pluries diligenti collatione, & tandem deliberatione matura, omnesque pariter in hanc sententiam reperiens unanimiter concordare, omnibus, modo, via & jure, quibus magis & melius potest [b] in prædictis contendentibus, seu verius colludentibus de papatu, & cujuslibet eorum contumacia, in his scriptis pronunciat, decernit, definit & declarat, omnia & singula crimina & excessus, & alia cuncta necessaria ad infrascriptam decisionem præsentis causæ deducta, per providos viros Henricum de Monteleone, Joannem de Scribanis, & Bertholdum [c] Vojedergheusem, promotores, instigatores & sollicitatores, seu procuratores deputatos ad [d] persequendum præsentem causam, pro hujus detestandi & inveterati schismatis [e] hujusmodi extirpatione, & unione atque reintegratione sanctæ matris ecclesiæ, contra & adversus prælibatos Petrum de Luna, Benedictum XIII. et Angelum Corarium, Gregorium XII. de papatu damnabiliter contendentes, ab aliquibus nuncupatos, in petitione coram ipsa sacra et universali synodo præsentata et exhibita, fuisse et esse vera atque notoria: ipsosque Angelum Corarium, et Petrum de Luna, de papatu, ut præfertur, contendentes, & eorum utrumque, fuisse & esse notorios schismaticos, & antiqui schismatis nutritores, defensores, approbatores, fautores & manutentores pertinaces, necnon notorios hæreticos, & a fide devios, notoriisque criminibus enormibus perjurii & violationis voti irretitos, universalem ecclesiam sanctam Dei notorie scandalizantes, cum incorrigibilitate, contumacia & pertinacia, notoriis, evidentibus & manifestis: & ex his & aliis se reddidisse omni honore & dignitate, etiam papali, indignos: ipsosque, & eorum utrumque propter præmissas iniquitates, excessus, & crimina, ne regnent vel imperent aut præsint, a Deo & sacris canonibus fore ipso facto abjectos & privatos, & etiam ab ecclesiis præcisos. Et nihilo minus, ipsos Petrum & Angelum, & eorum utrumque, per hanc definitivam sententiam in his scriptis privat, abjicit & præscindit, inhibendo eisdem, ne eorum aliquis pro summo pontifice gerere se præsumat, ecclesiamque vacare Romanam ad cautelam [f] decernendo, & insuper omnes Christicolas quoscumque, etiamsi imperiali, regali, vel alia qualibet præfulgeant dignitate, declarat ab eorum & cujuslibet eorum obedientia (non obstante quocumque fidelitatis juramento, aut alio quovis vinculo, quo illi vel eorum alteri tenerentur adstricti) fore perpetuo absolutos. Inhibendo iisdem Christifidelibus, ne prædictis de papatu contendentibus, seu eorum alteri, quomodolibet obediant, pareant, vel intendant, aut consilium, auxilium, vel favorem ipsis præstent, aut ipsos recipiant, vel recepent, sub pœna excommunicationis, & aliis a sanctis patribus & sacris canonibus inflictis, promulgatis, & ordinatis. Quodque si parere contempserint huic ordinationi & sententiæ, ipsos & eorum fautores, defensores, adhærentes, & sequaces, etiam per saeculares potestates fore compescendos, & compesci debere, juxta præcepta Divina & sacrorum canonum dispositiones, eadem sancta synodus pronunciat, decernit & definit: ac insuper, omnes & singulos processus & sententias excommunicationis, inhabilitatis, vel alterius censuræ & pœnæ, privationesque ordinum & dignitatum, etiam cardinalatus, beneficiorum & officiorum, ac graduum quorumcumque, qualescumque fuerint, et quocumque nomine nuncupentur, seu nominentur, contra dominos cardinales per dictos Petrum de Luna, & Angelum Corarium latos & fulminatos, fuisse & esse nullos, cassos & irritos, nullas, cassas & irritas, ac nullius roboris, efficaciæ, vel momenti: & quatenus de facto processerunt, eatenus annullandos, cassandos & irritandos fore: sicque etiam ad cautelam, quantum & quatenus expediat, omni modo & jure quo melius potest, annullat, cassat & irritat. Et insuper promotiones, immo [g] potius profanationes quorumcunque ad cardinalatum, per dictos contendentes de papatu, & eorum utrumque, attentatas, videlicet per dictum Angelum a die tertia Maji, & per Petrum antedictum, a die decimaquinta Junii anni proxime præteriti millesimi quadragentesimi octavi, fuisse & esse nullas, cassas, irritas & inanes, & quatenus de facto processerunt, annullandas, cassandas & irritandas; & sic etiam ad cautelam quatenus expedit omni modo & jure quibus melius potest, præfata sancta synodus per hanc sententiam definitivam cassat, irritat & annullat.

Ad [h] providendum autem adversus processus, constitutiones & sententias in præjudicium unionis, & alias, per Petrum de Luna, & Angelum Corarium, olim contendentes de papatu, seu colludentes præfatos, factas & latas contra reges, principes, patriarchas quoque, archiepiscopos, episcopos, & alios ecclesiarum prælatos, universitates quoque studiorum et communitates, ac singulares personas ecclesiasticas et saeculares, et certas promotiones per ipsos olim contendentes factas ad dignitates quascumque, et ulterius procedendo super aliis bonum universalis ecclesiæ tangentibus: sancta synodus statuit diem Lunæ proximam pro sessione futura, quæ erit decima mensis præsentis, et assignavit eamdem diem Lunæ pro dicta sessione, ad providendum super aliquibus quæ concernunt statum et bonum regimen ecclesiæ universalis. Quo facto, omnes cantaverunt, Te Deum laudamus: et fuit ordinata solemnis processio ad diem crastinam, octavam diem Sacramenti: fuitque ulterius ordinatum, quod nullus recedat de synodo absque licentia, et donec se subscripserit in sententia prælibata.

SESSIO XVI.

Qua die Lunæ, decima mensis Junii adveniente, servatis solemnitatibus, prout supra, archiepiscopus Pisanus supradictus ascendit pulpitum, et legit quamdam schedulam mentionem facientem, quod domini cardinales promittebant Deo sic, quod procurarent toto posse, quod is qui in papam eligeretur, reformaret ecclesiam, et quod non pateretur aut permitteret concilium dissolvi, donec de concilio esset facta bona reformatio ecclesiæ, tam in capite, quam in membris.

Sequi-

a MS. pluries. b MS. in prædictorum contendentium, seu verius colludentium, de papatu, & cujusque eorum. c MS. Wildungen. d MS. prosequendum. e In MS. deest, hujusmodi. f MS. insuper decernendo. g MS. verius h MS. procedendum

ANNO CHRISTI 1409.

Sequitur tenor schedulæ.

Nos omnes & singuli episcopi, presbyteri & diaconi, cardinales, congregati in civitate Pisana pro schismatis extirpatione, unitate & bono statu in Dei ecclesia inducendo, promittimus in verbo veritatis, Deo, ecclesiæ Romanæ, & sanctæ synodo hic in Christi nomine congregatæ, quod si quis nostrum in summum Romanum pontificem eligatur, præsens concilium continuabit, nec dissolvet, nec dissolvi permittet, quantum in eo erit, usquequo per consilium ejusdem concilii sit facta debita, rationabilis & sufficiens reformatio universalis ecclesiæ & status ejus, tam in capite, quam in membris. Et promittimus etiam, quod si aliquem de dominis cardinalibus absentibus, vel de extra nostrum collegium, assumi contingat in papam, veraciter & bona fide, antequam procedamus ad publicationem electionis illius, procurabimus toto posse habere ab eo promissionem & sufficientem securitatem, quod servabit & implebit omnia & singula supradicta: & interim de lata sententia contra contendentes, super eorum ejectione de papatu, sumus contenti, & ratum habemus, quod sede vacante concilium continuetur, & quod in eo quantum commode fieri poterit, in dicta reformatione procedatur, quod super hoc in proxima sessione alia sessio indicatur. Et fuit assignata alia sessio ad diem Jovis proximam; quæ erit 13. dicti mensis Junii, ad providendum super aliquibus, quæ notoria videntur pro bono unionis.

SESSIO XVII.

Dicta die Jovis [a] adveniente, servatis servandis, patriarcha Alexandrinus cum aliis duobus patriarchis, videlicet Antiocheno & Hierosolymitano, ascendit pulpitum, & legit quamdam schedulam, cujus tenor sequitur, & est talis. Item, quia hujus pestiferi schismatis tempore, dominorum cardinalium in sacro concilio existentium quidam sunt a divisis olim per contendentes de papatu creati, & nunc Deo dirigente procedendum est ad electionem unici & indubitati summi pontificis: hoc sacrum concilium universalem ecclesiam repræsentans, consentit, disponit, & ordinat, quod ipsi sic a divisis creati, ad electionem prædictam procedant, si & in quantum opus est hac vice, auctoritate hujus sacri concilii. Nec per hoc potestati dominorum cardinalium circa electionem Romani pontificis intendit in aliquo derogare, nec aliquid innovare: sed hortatur omnes prædictos dominos cardinales, quod ipsi cum caritate ad electionem unius pastoris procedant sic unanimiter, quod de quacumque discordiæ scintilla notari non debeant.

SESSIO XVIII.

Die Veneris 14. mensis Junii, anno Domini millesimo quadringentesimo nono, facta processione generali in civitate Pisana, in qua fuerunt domini cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, abbates, doctores, & totus clerus, & fuit Missa celebrata devote per cardinalem de Thureyo, super facto unionis sanctæ matris ecclesiæ. Postmodum comparuerunt illico ambassiatores regis Arragonum, & petierunt audientiam, quæ fuit eis concessa, dum tamen docerent de eorum mandato. Et quidam doctor, ambassiator ipsius regis, ascendit pulpitum, & proposuit bonam regis Arragonum intentionem, quam habet de sanctæ matris ecclesiæ unione: & asserebat se ad hoc laboraturum: & petiit se de actis in concilio agitatis informari, quoniam informatione habita, paratus erat facere debitum. Protestabatur tamen, quod non intendebat approbare vel consentire aliquo modo actis in dicto concilio, donec esset plenius informatus: de quo petiit instrumentum; & insuper dixit, quod nuncii domini Benedicti papæ XIII. erant in villa. Et fuit tunc sibilatus & illusus, quia dixit & vocavit eum papam, & petiit audientiam pro eis. Ad quod fuit responsum, regratiando de voluntate regis Arragonum. Et fuit responsum, quod libenter darentur deputati auctoritate concilii, qui ipsos regis ambassiatores informarent ad plenum de omnibus, &c. Quoad nuncios Petri de Luna, dictum fuit, quod tarde venerant, & quod adpræsens audiri non poterant, & quod domini super hoc deliberarent. Postea fuit deliberatum ea die, quod licet de jure contra sententiam latam contra hæreticum audiri non debebant, tamen ob reverentiam regis Arragonum audirentur ad partem: & sic concilium recessit.

Eadem die Veneris, prandio sumpto, in ecclesia sancti Martini Pisanensis (a) apparuerunt legati regis Arragonum, petentes audientiam pro nunciis Petri de Luna: quæ fuerat eis concessa. Et cum veniebant ad dictam ecclesiam, fuit clamatum contra eos, tamquam contra Judæos: & quando intraverunt locum concilii, nulla est eis reverentia facta, & fuit coram eis sententia lecta, tribus cardinalibus deputatis audientibus. Cum unus ex ipsis ambassiatoribus Petri de Luna, scilicet archiepiscopus Tarraconensis, vellet proponere: ipse primo dixit quod erant nuncii domini reverendi papæ Benedicti XIII. Fuit magnus tumultus contra eos, & fuit vocatus nuncius hæretici & schismatici, & cum eo Joannes de Costa olim episcopus Mimatensis, qui se gerebat pro nuncio dicti Petri cum pluribus aliis: & silentio facto, iterum petiit audiri. Quo concesso incœpit dicere, quod videbat certa capitula concordata inter dominos cardinales & communitatem Florentinorum, in quibus inter cætera continebatur, quod nullus huc veniens posset impugnare facta in concilio, vel contra venire, & quod habebat aliqua dicere, quæ forte non bene conveniebant actis in hoc concilio: ideo non poterat proponere injuncta ad plenum, nisi daretur sibi securitas, quod non obstantibus ipsis capitulis posset libere loqui: & de hoc supplicabat. Cui per cardinalem Aquilejensem fuit responsum, quod omnes domini cardinales erant præsentes, & quod non habebant potestatem dispensandi contra dicta capitula: & quod si vellet loqui, quod loqueretur prout crederet expedire, alias non. Quo audito, legati regis Arragonum, & dicti Petri de Luna nuncii, locuti sunt ad partem, & dixerunt quod volebant latius dicta capitula videre, et amplius deliberare: et petierunt dilationem ad crastinum, quæ fuit eis concessa: et recesserunt dicti nuncii Petri de Luna

a) MS. comparuerunt.

a MS. addit XIII. Junii.

ANNO CHRISTI 1409.

Luna cum magno timore. Quo crastino adveniente, quæ fuit dies Sabbati decima quinta Junii, supra nominati nuncii Petri de Luna, nulla audientia ulterius petita, hospitio insalutato recesserunt.

SESSIO XIX.

Dicta die Sabbati, decima quinta Junii, servatis solemnitatibus & ceremoniis ut supra consuetis, fuit Missa celebrata in dicto concilio in ecclesia cathedrali, de sancto Spiritu, per archiepiscopum Lugdunensem, & factus sermo per episcopum Novariensem, qui cepit pro themate: *Elegite meliorem, & cum ponite super solium*, 4. Regum, decimo capitulo: & peroptime deduxit illam materiam: & ipso finito, concilium recessit.

Eadem die Sabbati hora Vesperarum, domini cardinales numero viginti quatuor intraverunt in conclave cum magna devotione, & erat deputatus ad custodiendum conclave magister Rodi prout fecit cum pluribus aliis notabilibus viris, in domo domini archiepiscopi dictæ civitatis: & ibidem steterunt usque ad diem Mercurii, vicesimam sextam dicti mensis Junii.

Die autem Mercurii, vicesima sexta dicti mensis Junii, omnes domini cardinales unanimiter, nullo reclamante, existentes in prædicto conclavi, de mane circa horam Tertiarum, elegerunt in summum pontificem reverendissimum in Christo patrem & dominum, dominum Petrum de Candia, tituli basilicæ duodecim apostolorum presbyterum cardinalem, Mediolanensem nuncupatum, ordinis fratrum Minorum, nunc vero Alexandrum papam V. Ipse siquidem papa post suam assumptionem ordinavit unam sessionem pro concilio tenendo, videlicet ad diem Lunæ primam mensis Junii proxime [a] sequentis.

a) MS. vicinotis.

SESSIO XX.

Qua die Lunæ adveniente, fuit celebratum concilium in ecclesia Pisana, ut supra: ac solemnitatibus & cæremoniis servatis, cardinalis de Thureio celebravit Missam: postmodum fuerunt cantata solita cantari, & litaniæ cum multis orationibus, & fuit lectum evangelium per unum diaconum cardinalem: postea papa incepit hymnum, Veni creator Spiritus, &c. Et omnes de concilio responderunt. Quo cantato, cathedra papæ fuit alte posita ante magnum altare in medio, & ab opposito ipsius, versus occidentem, in ultima parte ipsius concilii, fuerunt positæ tres altæ & magnæ cathedræ pro tribus patriarchis, scilicet Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, qui ibidem sederunt: & postea de mandato papæ ibidem præsentis, fuit lectum decretum suæ electionis; in quo omnes cardinales se subscripserant. Quo lecto, cardinalis de Chalanco rogavit concilium, ut oraret pro statu papæ & sanctæ Romanæ ecclesiæ. Quo facto, papa fecit unum sermonem, themate sic incipiente: *Christ unum ovile & unus pastor*, [b] multa pulchra dixit, narrando quomodo pastor se habere debet erga gregem, & grex erga Deum: & regratiabatur cardinalibus, & promittebat multa bona facere eis. Quo facto, cardinalis sancti Eustachii dictus Bononiensis, ascendit pulpitum, & ex parte papæ Alexandri V. aliqua promulgavit, quæ ordinaverat dictus dominus noster papa.

Joan. 11.

b) MS. multa bona dixit.

Et primo, omnes processus, sententias & ordinationes factas per dominos cardinales circa factum unionis ecclesiæ, a die tertia mensis Maji anno Domini millesimi quadringentesimi octavi, & omnia facta in concilio generali, approbavit & ratificavit, & omnem defectum juris & facti, si quis intervenisset, supplevit, si & in quantum opus esset.

Item, duo collegia cardinalium univit, & unum fecit collegium, & pro uno in posterum voluit haberi: [a] & dabit singulis singulos titulos, & de concurrentibus ordinabit.

a) MS. & singulariter dabit &c.

Item, impedimentum appositum in beneficiis cardinalis de Chalanco, sub prætextu, quod diu steterat cum Petro de Luna, sub prætextu suarum excusationum, alias per cardinales admissarum, relaxavit.

Item dixit, quod tantum faceret erga prælatos qui ad concilium venerant, quod ad eorum lares læti & gaudentes reverterentur.

Item dixit, quod ipse volebat vacare circa reformationem ecclesiæ, prout fuerat per cardinales promissum ante ejus promotionem, & quod eligerentur probi viri & litterati de qualibet natione, pro suis, ad deliberandum cum ipsis cardinalibus ad reformationem ecclesiæ.

Item fuit ordinatum, quod die Dominica sequenti coronaretur cum solemnitatibus, & aliis necessariis ad præmissa.

Item, fuit ordinata alia sessio ad diem Mercurii tunc proxime sequentis, quæ erit die decima mensis Julii: & sic dictum concilium recessit.

SESSIO XXI.

Qua die Mercurii decima Julii adveniente, Missa celebrata per archiepiscopum Januensem, & aliis ceremoniis servatis circa officium Divinum, domino nostro papa præsidente, pro parte communitatis Florentinorum ascendit quidam jurisperitus pulpitum, incipiens pro themate: *Offer te Domino tuo, & redde ei debitum tuum:* in hoc themate cepit tria intelligenda. Primum fuit veneratio, secundum gratulatio, & tertium oblatio. Veneratio debita tantæ & tam solemni congregationi prælatorum & aliorum concilium generale constituentium. Secundum, gratulatio quam habebant Florentini de tam nobili aggregatione, quam pro tanto bono venerantur, ut finem debitum & intentum inveniat, sanctam scilicet unionem ecclesiæ in unico universali vero & indubitato pastore. Tertium fuit oblatio. Nam postquam dixit labores, miserias & ambassiatas quas communitas Florentina fecerat in prosecutione unionis ecclesiæ, addit quod civitas prædicta se offerebat secundum possibilitatem & usque ad excidium proprium, prosequi extirpationem schismatis: & litteras exhibuit credentiæ, quas legit postmodum archiepiscopus Pisanus.

Postea unus alius jurisperitus ex parte civitatis Senarum ascendit pulpitum, & tria ex parte ipsorum exposuit. Primo Divinum auxilium imploravit: secundo orationem suam se abbreviaturum protestatus fuit: tertio condescensurus ad ea quæ sibi commissa fuerant. Primitus dicere habuit, quod quasta Julii totus populus & clerus Senarum subtraxerat obedientiam Gregorio, & declaraverat se velle obedire domino nostro papæ Alexandro, & suo sancto collegio. Recitavit diligentias & labores quos civitas Senarum fecit prosequendo unionem, & acce-

ANNO CHRISTI 1409.

accepit pro themate: *Populus gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*, Isaiæ 9. quod applicuit populo Senarum pro tempore quo obedivit Gregorio. Sed postquam conversus est ad obedientiam domini nostri papæ, vidit lucem magnam. Secundum thema quod applicuit sacro concilio ecclesiæ fuit: *Genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, quem revocavit de tenebris ad lumen suum*: & omnes partes hujus thematis ostendit debite convenire huic sacro concilio. In fine dixit, civitatem Senarum paratam exponere quidquid haberet ad prosecutionem unionis & extirpationem schismatis. Et recitavit quod inimici domini nostri papæ succumbebant quotidie, & quod in uno conflictu recenter facto magna multitudo inimicorum perierat. Quibus sic actis, cardinalis de Chalanco ascendit pulpitum, & legit schedulam infra scriptam.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. Nos Alexander Divina providentia papa V. considerans, quod tam per Petrum de Luna, Benedictum XIII. & Angelum de Corario, Gregorium XII. a nonnullis nominatos, nuper de papatu contendentes, * quoniam per duos quondam, Bartholomæum archiepiscopum Barensem, Urbanum VI. Petrum de Thomacellis, Bonifacium IX. Cosmatum, Innocentium VII. & Robertum de Gebenna, Clementem VII. nominatos, dictorum nuper contendentium prædecessorum, durante tempore schismatis & occasione ejusdem, nonnulli processus, sententias excommunicationum, privationis, irregularitatis, inhabilitationis, suspensionis & interdicti, & alias censuras ecclesiasticas in se continentes, in & contra collegia, divisas personas, regna, jurisdictiones, communitates, universitates, collegia, loca, districtus & territoria, fuerunt & sunt hinc inde facti & promulgati, ac * propter * antiquos dictum schisma, ac etiam quia multi notabiles doctores utriusque juris, & magistri in sacra pagina, scripserunt pro & contra, ac publice & solemniter determinaverunt, ita ut in dubium vertatur a multis, quis a tempore dicti schismatis fuerit verus Romanus pontifex, seu quis veri vicarii Jesu Christi fungeretur officio, ad exonerationem conscientiarum utriusque obedientiæ, quæ etiam per Dei gratiam ad unum ovile ovium redactæ sunt; omnes & singulos hujusmodi processus & sententias, qui vel quæ occasione * prætextu schismatis & adhærentiæ utriusque partis seu viæ neutralitatis assumptæ vel introductæ, hinc inde, ut præmittitur, lati, decretati, seu fulminati fuerunt: quos omnes & singulos hic pro expressis haberi volumus, hoc sacro approbante concilio, ex nostra certa scientia tollimus & abolemus, ac pro sublatis & abolitis in perpetuum haberi volumus, * nomine præfatis sententiis aut processibus esse ligatum vel involutum declarantes. Et nihilo minus ex abundanti ad cautelam, ac si & in quantum indigent, quoscumque subditis processibus comprehensos a dictis sententiis & censuris absolvimus, & absolutos haberi decernimus & declaramus, & super irregularitatibus, si quas propter præmissa vel occasione præmissorum contraxerint, dispensantes.

Item fuit ordinatum, aliam sessionem fieri debere ad diem Mercurii tunc proximam, quæ postea fuit de mandato domini nostri papæ prorogata, propter adventum regis Ludovici interim supervenientis, ad diem vicesimam septimam Julii.

* *f.* quam per

* *MS.* propter antiquationem dicti schismatis.

* *f.* antiquum.

* *f.* & prætextu.

* *f.* neminem.

SESSIO XXII.

Qua die vicesima septima Julii adveniente, Missa, ceremoniis, & aliis solemnitatibus servatis, dominus cardinalis de Chalanco indutus tunica diaconali & mitra, de mandato domini nostri papæ ascendit pulpitum, pluribus prælatis associatus, legitque articulos & capitula subsequentia.

Item, sacro approbante concilio, omnes & singulas promotiones, translationes, confirmationes, collationes, & quascumque provisiones, quibusvis personis huic sacro concilio & ejus determinationi adhærentibus, de quibuscumque prælaturis, dignitatibus, beneficiis & officiis ecclesiasticis, curatis, vel non curatis, consecrationesque episcoporum, & ordinationes clericorum, per ipsos contendentes de papatu, aut eorum alterum, seu ipsorum prædecessores, vel eorum mandato, aut auctoritate, temporibus & locis in quibus eisdem realiter & libere præstabatur obedientia, dum tamen ante sententiam definitivam & alias canonice factæ sint, & publice, ac pacifice tempore sententiæ possederint, & in præjudicium unionis, aut * persecutionis ejusdem, vel huic concilio adhærentium, factæ non fuerint, ex certa scientia & motu proprio ratificamus & approbamus, ac ratas haberi volumus atque firmas, & etiam si oporteat, de novo providemus.

* *MS.* prosecutionem.

Ubi autem aliquis casus emergeret, per quem appareret aliquem huic concilio adhærentem, gravatum per alterum ex contendentibus, a die tertia Maji, quoad Angelum Corarium, & a die 15. Julii quoad Petrum de Luna, anni videlicet millesimi quadringentesimi octavi, placet concilio, quod dictus dominus noster papa provideat, ut sibi justum esse videbitur. Item placet concilio, quod super facto archiepiscopi Januensis dominus noster provideat.

Item electiones, postulationes, ipsarum admissiones, confirmationes, mutationes, consecrationes clericorum, ordinationes, præsentationes, institutiones, collationes & privationes quasvis, provisiones et dispositiones quibusvis personis, huic sacro concilio et ejus determinationi adhærentibus, de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, de prælaturis, per electores, confirmatores, patronos, ordinarios, et quoscumque provisores, ad hoc potestatem et auctoritatem habentes, canonice factas, temporibus et locis subtractionis et neutralitatis, in quibus hujusmodi contendentibus obedientia præstabatur, dummodo alias canonice factæ sint, hoc sacro approbante concilio ratificamus et approbamus, et ratas habere volumus atque firmas, ac omnem suscipere roboris firmitatem, reservationibus non obstantibus quibusque: declarationibus tamen et decretis hoc capitulum concernentibus, in aliis sessionibus lectis, in suo robore permanentibus.

Item, ut unione et pace jam in Dei ecclesia per ipsius gratiam in capite confirmata, pax et tranquillitas subditorum perfectius procuretur, et litium anfractus, quarum dubii sunt eventus, consultius evitentur: hoc sacro approbante concilio decernimus et declaramus, quod omnes et singuli beneficia ecclesiastica, dignitates, personatus, vel officia curata, vel non curata, titulo ordinario assecuti, et possessionem pacifi-

ANNO CHRISTI 1409.

cam jam adepti, dum tamen canonice, & alias quam per privationem adhærentium huic sacro concilio & ejus determinationi, assecuti fuerint, beneficiis hujusmodi libere & pacifice gaudeant, nec jure, titulo, seu possessionibus suis, quomodolibet inquietentur, turbentur, seu graventur, etiam si specialiter vel generaliter beneficia prædicta sedi apostolicæ fuerint reservata.

Per præmissa vero, seu aliquod præmissorum, non intendimus derogare ordinationibus circa præmissos articulos factis in ultima congregatione prælatorum, & aliorum virorum ecclesiasticorum, facta Parisiis. Nec etiam ex præmissis, vel aliquo præmissorum volumus aliquod præjudicium generari venerabilibus fratribus nostris cardinalibus, aut alicui ipsorum huic sacro concilio & ejus determinationi nunc adhærentium, in beneficiis, & alias per ipsos & quemlibet ipsorum canonice possessis. Per hoc autem etiam non intendimus fieri aliquod præjudicium venerabili fratri nostro cardinali Albanensi, in jure quod habet in archidiaconatu ecclesiæ Lucionensis.

Item, sacro approbante concilio, decernimus fore procedendum contra obedientes & adhærentes pertinaciter, seu fautores Petri de Luna & Angeli Corarii, nuper de papatu * contendentibus & colludentibus, per hoc sacrum concilium de schismate & hæresi notoriis, per definitivam sententiam * condemnatis, modis quibus est contra credentes hæreticæ pravitatis, secundum sacros canones, procedendum.

* MS. contendentium & colludentium.
* MS. condemnatorum.

Item, sacro approbante concilio, decernimus * nos vel successorem nostrum ex certis magnis & arduis causis nos & hoc sacrum concilium moventibus, iterum generale concilium fore convocandum hinc ad triennium, videlicet anno quo dicetur, anno Domini millesimo quadringentesimo duodecimo, in mense Aprili, in civitate seu loco habili & decenti, qui locus declarabitur per annum ante tempus concilii, per nos vel per successorem nostrum.

* Deest per

Item, sacro approbante concilio, decernimus & declaramus, quod si cardinalis de Fliseo infra duos menses proximos personaliter ad nos venire, & obedientiam nobis præstare, & determinationi hujus sacri concilii adhærere voluerit, benigniter recipiatur, cum integritate status & honoris, atque beneficiorum quæ decimo quinto Junii anni millesimi quadringentesimi octavi obtinebat.

Item, omnes dispensationes factas per episcopos diœcesanos in partibus neutralibus, super defectu ætatis, causa assequendi & obtinendi beneficia, dignitates, prælaturas, item, omnes absolutiones & habilitationes in foro pœnitentiali, tam per contendentes, quam per ordinarios prædictos schismate pendente factas, super casibus sanctæ sedi apostolicæ reservatis, ex certa scientia, hoc sacro approbante concilio, ratificamus & approbamus.

Post prædicta archiepiscopus Pisanus in pulpito prædicto pronunciavit, quod dominus noster Alexander papa V. oculum misericordiæ & viscera compassionis & pietatis suæ convertens ad ecclesias desolatas, ruinosas, & in magna necessitate constitutas, liberaliter remittit & indulget omnia arreragia majora, minora servitia ab eis suæ cameræ apostolicæ debita de toto tempore præterito usque ad tempus suæ assumptionis.

Item, idem dominus noster notificavit omnibus per organum dicti domini archiepiscopi Pisani, quod non intendit amodo * ut antea reservare bona seu spolia prælatorum & aliorum moriendum prælatorum.

* Forte, in antea. H.

Item, quod non intendit reservare fructus medii temporis beneficiorum vacantium.

Item, supplicavit idem dominus archiepiscopus nomine totius concilii dominis cardinalibus, quod portionem competentem eisdem de arreragiis præteriti temporis vellent ecclesiis & viris ecclesiasticis remittere liberaliter, quemadmodum dominus noster fecerat in portione ipsum tangente: & petiit a concilio, an hoc placeret sibi, & quod expresse diceret, placet: dominus cardinalis Albanensis solus se opposuit.

Item, idem archiepiscopus pronunciavit proxime futuram sessionem fiendam ad diem Veneris sequentem, de mandato domini nostri papæ; & quod nullus interim recederet sine licentia papali. De istis omnibus hac die expeditis promotor seu procurator ecclesiæ petivit unum vel plura instrumenta confici per clericos cameræ & notarios concilii, ad perpetuam rei memoriam.

Item, in hac sessione dictum fuit, quod dominus noster provideret archiepiscopo Januensi super archiepiscopatu suo. Etiam placuit concilio, quod dominus cardinalis Albanensis prosequeretur jus quod habere prætendebat in archidiaconatu Lucionensi. Successive præfatus dominus noster papa sessionem fiendam, certis de causis animum suum moventibus, continuavit usque ad diem Mercurii septimam mensis Augusti tunc proxime sequentis.

SESSIO XXIII.

Die Mercurii septima Augusti adveniente, solemnitatibus & ceremoniis servatis circa officium Divinum, sanctissimus in Christo pater dominus noster, sacro approbante concilio, ordinavit, quod bona immobilia ecclesiæ Romanæ, seu aliarum ecclesiarum, nullatenus per ipsum vel alios prælatos alienentur, seu hypothecentur, usque ad proxime indictum concilium, in quo super hoc articulo maturius poterit deliberari.

Item, idem dominus noster, eodem approbante concilio, ordinat & mandat celebrari ante concilium generale concilia provincialia, per metropolitanos & synodos, ac eorum suffraganeos, secundum formam juris & concilii generalis: quia ex eorum omissione multa inconvenientia sequerentur.

Item, idem dominus noster, eodem approbante concilio, ordinat & mandat, celebrari capitula monachorum, magistrorum, & canonicorum regularium, secundum formam concilii generalis, & constitutiones felicis recordationis ..... & Benedicti XII. & quia limitatio provinciarum facta per Benedictum XII. non possit de præsenti, obstante temporis malitia, observari, ordinat dictus dominus noster, quoad dicta capitula celebranda, standum juri antiquo, durante impedimento prædicto; videlicet, ut provincia communis & vulgaris possit per se capitulum provinciale celebrare, ex quo commode cum alia non possit convenire: & deputabit dominus noster præsidentes & executores ad præmissa exequenda.

Item, idem dominus noster, eodem approbante concilio, disponit non facere translationes de

ANNO CHRISTI 1409.

de invitis, nisi parte vocata & audita, & de consensu majoris partis cardinalium, usque ad proxime indictum concilium, nisi ex causis justis & rationalibus.

Item, dominus noster, sacro approbante concilio, decernit, quod ex parte ipsius domini nostri cum cardinalium consilio deputabuntur nuncii solemnes, qui mittentur ad reges & principes, & certos fideles, ad publicandum & prosequendum auctoritate domini nostri papæ & sacri concilii acta in hoc concilio.

Item, dominus noster auctoritate Dei, apostolorum Petri & Pauli, & sua, concedit omnibus qui in hoc concilio interfuerunt, & ejus determinationi adhærentibus, absolutionem plenariam a pœna & culpa, semel tamen in vita; ita quod quilibet de prædictis infra duos menses, postquam ad ejus notitiam concessio hujusmodi pervenerit, possit dictum beneficium absolutionis assequi, in forma ecclesiæ. Similem concessionem facit dominus noster singulis supradictis in mortis articulo, intelligendo tam de dominis, quam de familiaribus.

Item, cum dominus noster papa cum consilio concilii intenderet reformare ecclesiam in capite & in membris, & jam multa per Dei gratiam sint expedita per ipsum dominum nostrum papam, & multa alia statum & favorem prælatorum, & aliorum inferiorum concernentia restent, quæ, propter regressum prælatorum & ambassiatorum, de præsenti expediri non possunt: propterea idem dominus noster, sacro requirente & approbante concilio, dictam reformationem suspendit & continuat usque ad proximum jam indictum concilium, & præsens concilium prorogat & continuat usque ad illum terminum, qui præfixus est omnibus ad concilium convocatis, redeundum ad proprias ædes, usque ad terminum præfixum supradictum.

NOTÆ SEVER. BINII.

Qua occasione hæc synodus indicta fuerit, refert Theodoricus a Niem. lib. 3. schismatis cap. 38. his verbis: *Cum autem dictus Petrus de Luna ad prædictum regnum Arragoniæ pervenisset, ubi vel novem de cardinalibus fuit, qui secum erant, ad diversa loca propinqua, quia tunc erat æstas. sub recreationis colore declinarunt ab ipso: quorum aliqui ad Liburum, alii ad portum Pisanorum, sed noviter ab eo segregatum, & dominio eorundem Januensium qualitercumque additum * accesserunt, causa cum eisdem cardinalibus, qui ab ipso Erroris fugerant.* * *Illuc accedentes, per plures dies insimul conversati fuerunt, sed tamen sine sine concilio, quia necdum habebant determinatum locum idoneum eis concessum, in quo simul convenire. atque generale concilium ex utraque obedientia convocare, pro facienda unione libere possent. Sed tandem dominus Balthasar, sancti Eustachii diaconus cardinalis, per eundem Bonifacium ad illum gradum assumptus, tunc & nunc fungens officio legationis in civitate Bononiensi & ejus comitatu pro Romana ecclesia, ac modernus papa Alexander tunc cardinalis, & dominus Joannes nepos dicti Innocentii, & per eum in cardinales creati, circa festum Assumptionis beatæ Mariæ virginis anni proxime præteriti, de Bononia, ubi tunc fuerunt, volentes eosdem alios cardinales tunc Pisis existentes visitare, ad Florentiam iter egerunt, & ibi honorabiliter recepti, obtinuerunt a Florentinis concedi civitatem Pisanam prædictam ad convenendum ibidem simul cum eisdem cardinalibus Gallicis, ad faciendum omnia quæ eis videbantur fore pro dicta unione subsequenda quamodolibet opportuna. Et sic ulterius dicta licentia obtenta, ad Pisas declinarunt, ubi tunc eorum confratres & dictos cardinales Gallicos congregatos invenerunt, in qua ad prosequendam dictam unionem generale concilium utrinsque obedientiæ tunc celebrandum convocarunt in festo Annunciationis beatæ Mariæ virginis tunc instantis proxime. Sed iste terminus ad alium brevem terminum postea subrogatus fuit, & duo ex eisdem cardinalibus obedientiæ nostræ iverunt ad civitatem Sevonensem profectum, in quo Erroris cum sua curia residebat, causa eum citandi sive vocandi, ut ad prædictum generale concilium accederet, ac ejus determinationi, si vellet, per se, vel per alium, seu alios, interesset: quod tamen profatus Erroris ad se venire non probat, immo per aliquos magnæ auctoritatis viros interpellatus & vocatus, ut ipsos audiret, illud pertinaciter facere non curabat. Sed ipsi missi cardinales facientes sollicitam diligentiam in commissis, & publicantes apud ecclesiam majorem Sevonensem, & in quibusdam aliis locis publicis, coram tabellionibus & testibus multis, causam quare illuc venerant ad citationem, quam eidem Erroris intimare volebant, publice legi fecerunt: cujus copiam etiam diversis portis in eadem civitate Sevonensi affixerunt, & affixam relinquentes, ad eorum confratres redierunt. Ipse autem Erroris dicebat, quod dictam citationem non curaret, adjiciens, quod prædicti cardinales generale concilium absque ejus licentia & voluntate convocare non poterant: in quo etiam vehementer erravit, ut peritis in jure notum est, quod etiam ratione probatur. Nam quod duo vel plures contendentes de papatu, & in diversis regionibus morantes, nisi concorditer in aliquo loco super hoc insimul convenirent, generale concilium celebrare possunt, non videtur. Ex quo infertur, quod cum quilibet eorum seorsum cum prælatis suæ obedientiæ celebraret concilium, hoc revera nullatenus dici posset generale, sed particulare concilium, aut conciliabulum; sicuti seorsum quilibet ipsorum, Erroris & Petrus de Luna, suum conciliabulum in valde remotis seu solitariis locis celebrarunt. Et pro hac parte sunt multa evidentissima rationes in jure, quæ hic non vendicant sibi locum: ea de causa illas præsentibus inserere non curavi, quamvis forte multis pacis ecclesiæ amoli, nec intelligere volentes, ut bene agant, contrarium asserere, ipsosque Erroris & Petrum in eorum erroribus defendere non formident.* Hæc de occasione indicti concilii Theodoricus adversæ partis fautor maximus. Gobellinus Paderbornensis officialis eadem brevius recensens, cardinalium querelas, & doarum universitatum consilia superaddens, ista ait: *Quarta die mensis Maji hujus anni, Gregorius papa existens in civitate Luca, & præsumens adversarium suum dolose secum agere, mandavit cardinalibus suis, ut sine licentia sui speciali Lucam exirent, & ne invicem in aliquo loco sine speciali ejus mandato convenirent, sub pœna periturii. Et si Lucam aliter exirent, ipso facto essent cardinalatus privati, similiter & beneficiis omnibus quæ haberent. Item, mandavit eis, ut tractatus aliquos haberent cum anticardinalibus aut oratoribus Gallicis. A quibus mandatis, & ab ipso papa Gregorio, tamquam male informato, ad eundem tamquam melius informandum, & ad Dominum nostrum Jesum Christum judicem venturum, & ad concilium generale, & ad futurum papam, septem cardinales in civitate Pisana, ad quam se transtulerant, 13. die mensis ejusdem appellaverunt. Inter hæc Ludisianus rex Siciliæ, seu Neapolitanus, filius Caroli de Pace, usurpavit sibi dominium urbis Romanæ, & multarum civitatum & castrorum patrimonii sancti Petri, & ad titulum Romani imperatoris visus est aspirare. Supradicti cardinales tandem miserunt epistolas suas regibus, archiepiscopis, episcopis, & principibus diversis, conquerendo de papa: & Gregorius papa simili modo contra cardinales litteras suas direxit eisdem: & quidam ex eis scripserunt, quomodo ipsi recessissent ab obedientia illius. Et deinde cardinales Petri de Luna, qui se Benedictum nominabat, derelinquentes eum, convenerunt cum cardinalibus Gregorii apud Liguriæ portum, videlicet Pisanum: & illi simul concordaverunt indicere concilium generale celebrandum in civitate Pisana, in festo Annunciationis beatæ Mariæ virginis tunc proxime venturo: & hæc deliberatio utrinsque collegii facta est 24. die mensis Junii. Cumque hæc deliberatio venit ad notitiam Gregorii & Benedicti, utrique generale concilium celebrandum indixit. Gregorius quidem ad festum Pentecostes tunc proxime futurum, in provincia Aquilejensi, vel in archiepiscopatu Ravennatensi, nullum certum locum assignando, & Benedictus apud Perpinianum civitatem Arragoniæ, ad festum omnium Sanctorum. Et cardinales in litteris suis, quas ad diversas miserunt provincias, declarabant puncta jurata per Gregorium in conclavi: inter quæ principale fuit, cedere papatui: & inserebant eisdem litteris quasdam conclusiones; in quibus universitates Bononiensis & Parisiensis studiorum confratres docebant, quarum prima fuit ipsa. Uterque de papatu contendens, ex debito pastoralis officii veri, vel prætensi, juri communi, vel circumscripto quolibet juramento, pœnæ schismate tam inveterato cum tanto populi scandalo, tenetur & debet cedere: ex quo propter dubia juris & facti super papatu aliter non potest commode dari unio & pax in ecclesia Dei, ut plus temporalem dignitatem, quam populi salutem & unitatem appetere videatur. Secunda conclusio: Longe fortius ad hoc astringitur concurrentibus tam solemnibus vinculis, promissionis, voti & juramenti. Tertia conclusio: Pœna pœnæ tali schismate, pertinaciter resistendo, non implendo quod voverit & juraverit, ad quod etiam absque voto & juramento tenetur, incurrit crimen nocivum, propter quod subjicitur provisioni concilii. Ultra hoc concluditur schismatis nutritor & fautor, cujus obstinatione & vetustate descenditur in hæresim, & fides læditur, cujus provisio spectat ad concilium. Quarta conclusio: Stante dubio, an hoc juramentum schismatis transeat; vel an tale sit delictum, e quo provisio spectat ad conci-*

* Deest colloquendi, aut aliquid simile.

* Ita Gregorium vocat.

ANNO CHRISTI 1409

concilium: hoc cognoscere in dubio idem pertinet. Quinta conclusio: Stante dubio papatus inextricabili propter dubium facti & juris, ne in subversionem fidei ecclesia sic maneat divisa perpetuo, cum tanto scandalo & animarum perditione, provisio spectat ad concilium & ecclesiam universalem, ut utrumque, eis non cedentibus, ponat a papatu ejicere. Sexta conclusio: Stantibus terminis, ut stant, & ambobus detrectantibus impiere quod juraverunt & voverunt, cum ex hoc nutriatur schisma manifestum, subditi possunt & debent ab eorum obedientia recedere; & etiam peccant, si se non subtrahunt, tanquam principaliter schisma facientes, vel saltem auxilium indirecte prebentes nutritoribus schismatis amiqui; ne sententias contendentium de papatu aliquatenus propter hoc valere vel alligare. Septima conclusio: Ex factis & dictis quæ supra ponuntur, quæ universo mundo notoria sunt, satis notorie patet, utrumque detrectare quod impiere debeat, & ad quod teneatur ex debito officii & juramenti, cum saltem potuerunt cedere per procuratores idoneos, vel uterque in manibus collegii sui, & A. dare pacem populo Christiano; maxime cum uterque de jure & forma juramenti arctetur, ad nihil de utilibus, necessariis, aut quomodolibet opportunis, omittendum. Cum etiam ab utriusque dependet pietate, solvere perplexitatem conditionum juramenti, si qua subsit: & quæ contra hæc excusationes allegantur, frivola sunt, & earum cognitio est concilii. Item, cardinales in prædictis litteris accusabant Gregorium, quomodo Saonem civitatem pro loco conventionis utriusque partis approbavit, & postea recusavit, allegans plures securitates ibi necessarias esse, quas tamen exprimere non voluit. Item, quod ipse potest consenserit in civitatem Pisanam, sed certum tempus exprimere recusaverit. Item, quod ipse multos creaverit cardinales contra formam juramenti. Hæc & alia plura in prædictis litteris continebantur.

Antonius cap. 5. §. 3. de eodem concilio ista ait, quæ sequuntur: Congregatione igitur facta pro concilio Pisis, tempore statuto de diversis regnis & nationibus advenientes numerati sunt multi prælati. Et relatione omnibus facta de scandalo, quod inferebant duo illi pontifices colludentes ad invicem, & nolentes unionem ecclesiæ quærere, prout promiserant; decretum est, ut oratores mitterentur ad utrumque, ut ad locum accederent; quorum operum benitatem dixisti, dicens controversiam fore de jure papatus inter se & Gregorium, & nihil ad eos spectare de re ipsa. Gregorius vero respondit, non ad eos pertinere congregare concilium, sed ad ipsum, ut pontificem Romanum, quod & celebrare volebat non Pisis, sed in alio loco, videlicet in foro Julii circa Aquilejam, ipsoque cardinales eum sequi debere ad locum, non ipsum eos: quia non decet a capite membra discedere, sed omnia membra caput sequi. Unde ipse Gregorius cum curia sua, ex parva, ad locum determinatum, & prælatis, principibus & communitatibus publicatum, accessit tempore statuto. Sed solum de obedientia sua prælati, quæ adhuc vigebat in regno profecti sunt, aliis potius ad Pisanum synodum vel congregationem accedentibus. Ibi breviter expediebant quæ visa sunt eis expedientia illi negotio. Cardinalis Ragusinus inter cæteros assistentes, ab uno ex familiaribus suis ab adversariis corrupto, veneno potionatus, vix mortem evasit, infirmatus gravitet, & ex illo veneni pestem vestutam dimisit ut serpens.

Ex concilio autem ipso redeuntibus Ariminum, in via paratæ fuerunt Gregorio insidiæ ad capiendum eum. Quidam ibi secreto insinuatis, in habitu transformato cum pancis aliis præcepit, non ut papa; aliusque secutus in apparatu papali, & comitiva non modica illum se fingens, captus est. Sed cognito eum non esse, dimissus est, non sine insultis. Sicque manus illorum evadens, in nomine Domini Ariminum cum suis reversus est. In tot autem adversis & persecutionibus tam constans & magnanimus fuit, ut nil videretur de his curare, sciens, quia secundum prophetiam, non est malum in civitate, scilicet mundi, quod non fecerit Dominus: de malo pœnæ intelligendo, aut etiam de malo culpæ, non agendo, sed permittendo. Sic fixus erat in iis quæ sibi conscientia dictabat, ut nullus posset eum a suo proposito revocare: sic modestus, ut probus videretur: sic sapientia deditus, ut a speculatione & disputationibus non cesset.

Congregati interea Pisis proceserunt in captu suo. Post legitimas enim modo suo citationes non comparentes, contra eos sententiam depositionis & privationis protulerunt, Gregorium & Benedictum, ut hæreticos & schismaticos: prohibentes Christicolis cunctis, ne quem eorum papam nominarent, aut tanquam Romano pontifici obedirent. His peractis, ad electionem alterius processerunt. Unde conclave ingressi cardinales utriusque partis, more consueto pertractantes rem ipsam, elegerunt in præsulem summum Petrum de Candia cardinalem Mediolanensem, ordinis Minorum, virum utique valde peritum in theologia speculativa: hunc nominarunt Alexandrum V. anno Domini 1409. qui anno uno sedem Petri tenuit, secundum communem opinionem; & Pisis, non multo post Pisforium accessit, ex quo diebus aliquibus transactis Bononiam se transtulit. Ad eum accedens Ludovicus dux Andegavia, filius alterius Ludovici qui cum Carolo tertio de regno contenderat, sed non prævaluit, veneratus est ut papam. Tandem migravit a sæculo, ut dicitur, toxicatus in clysterio. Hæc Antonius prædicto loco.

De eodem Azorius part. 2. lib. 5. cap. 17. ista: Decimum sextum generale concilium fuit Pisanum, indictum & congregatum a cardinalibus Gregorii XII. & Benedicti XIII. anno salutis 1409. ad schisma tollendum. Res sic gesta est, ut patet ex Blondo, lib. 10. decade 2. & sancto Antonino, parte 3. titulo 22. cap. 3. §. 2. Cardinales obedientiæ Gregorii XII. videntes negotium extirpandi schismatis paulatim ad nihilum redacti, & non solum Gregorium XII. sed etiam Benedictum XIII. concordiam recusare contra juramentum & fidem in ipsorum electionibus datam, Gregorium quoque contra juramentum & fidem alios cardinales absque ulla necessitate & ipsis invitis creare: hanc nacti occasionem, ab eo tunc Luca commorante recedentes, Pisas petiere. Quod cum plerique eorum qui Benedictum XIII. sequebantur, vidissent: hinc exemplo ipsum Benedictum deserentes, cæteris cardinalibus Gregorii qui Pisis erant, sese adjunxerunt, ibique indicto concilio generali, & cum maxima prælatorum frequentia inchoato, uterque pontifex ab iis damnatus est. Et utroque tanquam perjuro, schismatico, hæretico, collusore, & schismaticorum fautore, publico omnium decreto, Nonis Junii, anno Domini 1409. e pontificatu dejecto: in utriusque locum vicesimo post abrogationem die, tertium elegerunt Petrum Philaretum natione Græcum provincia Cretensis, instituti & ordinis fratrum Minorum, & sacra theologia doctorem eximium, presbyterum cardinalem basilicæ SS. apostolorum: & Alexandrum quintum vocarunt.

Interfuerunt in eo concilio cardinales 2. patriarchæ tres, archiepiscopi & episcopi 200. monasteriorum præfecti 280. theologi & legati principum Europæ.

Dubitatum est valde, an canonice & legitime esset concilium convocatum, eo quod sine ulla Romani pontificis auctoritate esset indictum. De ea re, teste sancto Antonino, loco citato, Laurentius Rodulphus Florentia triduo disputavit, & tandem concluſit, concilium esse legitimum. Joannes Gerson in libello, An papa exautorari possit: Hi Dei nutu, inquit, & Spiritus sancti, sicut credendum est, tacti fuerunt. Item, cum Alexander V. Bononiæ graviter ægrotasset, & cognovisset sibi mortem imminere, cardinales ad se venientes ad concordiam & pacem, & ad tuendam ecclesiæ dignitatem adhortatus, dixit, per eam mortem quam se continuo subituram putabat, se existimare & credere, quæ in concilio Pisano acta fuerunt, recte & integre, sine dolo malo facta fuisse. Insuper ipse Alexander V. in eo concilio creatus, in numero pontificum Romanorum reponitur, & qui multo post tempore secutus est eodem nomine Alexander VI. dictus est.

Antoninus loco citato dicit fuisse conciliabulum, quia absque Romani pontificis auctoritate fuit congregatum, & quia Gregorius XII. concilii convocationem non recusabat, sed solum restitit ne Pisis congregaretur, subjungit Azorius. Denique quidquid sit, concilium Pisanum congregatum est a cardinalibus tempore schismatis, quo duo pontifices erant dubii & incerti, & indictum est non ad rei fidei definiendas, sed ad schisma in ecclesia maxium abscindendum: quamvis revera sublatum non sit, sed potius auctum, quia Gregorius XII. & Benedictus XIII. pontificatum deponere noluerunt. Quando plures sunt dubii & incerti Romani pontifices, iis invitis cardinalium auctoritate concilium generale convocari, ejusque potestate omnes e pontificatu amoveri posse, hoc exemplo id parte secunda lib. 4. quæstione tertia probat, & ratione ista naturali; Quia cum non est certus pontifex, perinde est ac si pontifex nullus omnino esset; & sic cum ecclesia eligit. Cum ergo multi dubii & incerti pro pontificibus habentur, jure potest ecclesia novum creare pontificem, & præcipere, ut cæteri omnes pontificatu se abdicent: quod si fecerint, potest eos sententia lata pontificatu deficere, & omnibus fidelibus imperare, ne eos ullo modo pro pontificibus agnoscant, habeant, & revereantur.

Sed undenam, dicat aliquis, colligi potest tantum jurис & potestatis esse penes ecclesiam? Resp. Id ex Christi institutione per necessariam & evidentem rationem deduci; ne scilicet Christus suam ecclesiam deseruisse videatur. Alioquin enim multis dubiis & incertis pro pontificibus summis in ecclesia se gerentibus, sane innumeris calamitatibus & malis ipsa premeretur & vexaretur ecclesia. Hæc dictis locis Azorius.

Ob hanc rationem Hadrianus II. in epistola quæ lecta est & approbata in synodo octava generali, actione septima, scribit: Romanum pontificem de omnium ecclesiarum præsulibus judicasse legimus: de eo vero quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab orientalibus anathema dictum sit, sciendum tamen est quia fuerat super hæresi accusatus. Propter quam solum licitum est minoribus, majorum suorum moribus resistere: scilicet, quia nisi tali casu Christus ecclesiæ suæ concessisset potestatem & auctoritatem de hæresi sui pastoris cognoscendi & dijudicandi eam contra promissionem factam deseruisset, & pro pastore, & doctore ac duce, eamdem impio hosti ac corruptori commisisset.

ANNO CHRISTI 1409.

** AD CONCILIUM PISANUM

A Severino Binio Editum

ADDITIO

Ex tom. VI. Spicilegii Dacheriani.

G. C. *Edidit Lucas Dacherius, vir optimus juxta & eruditissimus, tomo VI. Spicilegii sui, acta concilii Pisani superioribus multo ampliora, ex Gemeticensi MS. iisque præmisit litteras cardinalium Pisis congregatorum, aliaque nonnulla ad idem concilium pertinentia: quæ minime hic prætermittenda duximus.*

CARDINALIUM BENEDICTI XIII.

Litteræ ad episcopos & alios de ejus obedientia

Eos convocant ad concilium Pisanum.

Miseratione Divina episcopi, presbyteri, diaconi, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, nunc in loco Liburnii diœcesis Pisanæ commorantes, una cum collegio reverendissimorum in Christo patrum dominorum in parte alia cardinalium nominatorum, pro nobis & aliis reverendissimis in Christo patribus dominis cardinalibus pro nunc absentibus, nobis adhærentibus, & adhærere volentibus in hac parte: Reverendis in Christo patribus archiepiscopo, &c. ejusque suffraganeis; ejusque archiepiscopi, & suffraganeorum prædictorum capitulis, necnon venerabilibus & circumspectis viris abbatibus provinciæ exemptis & non exemptis, cujuscumque religionis existant, salutem, & promptum habere affectum ad pacem & unitatem ecclesiæ procurandam.

Quantæ magnitudinis ampliorisque infectionis & facilioris incursus existat scelus schismaticæ pravitatis, & quantum sit exosum in Divinæ majestatis conspectu, ostendit pœna inflicta divinitus disponentibus se ad schisma acerbior, quos vivos cum suis omnibus hiatus terræ absorbuit, & in infernum detraxit viventes sine personarum delectu: quia cum tales inconsutilem Domini tunicam, per quam militans ecclesia figuratur, nituntur damnabili partitione dividere, quam Judæi & Gentiles milites Dei notitiam non habentes, Christum crucifigentes, & morti diræ tradentes, indivisam dimisere, ipsis notantur deteriores. Se enim proposito a Christi corpore & unionis caritate ultronee dividentes, spiritum sanctum a se abjiciunt, agnitam relinquunt veritatem, cupitæ gloriæ & honoris gratia falsas opiniones gignunt, defendunt pertinaciter, & in errores damnatissimos prolabuntur, clerum decipiunt, populosque seducunt, & demum innumeras animas eorum diabolica fraude deceptas secum ducunt ad barathrum catervatim, postremoque ex temporis diuturnitate in damnatas hæreses irrevocabiliter deducuntur. Adversus quos, Christi fideles tanto citius debent insurgere, quanto eorum excessus corporis ecclesiæ infectivos perpendunt Divinæ majestati evidentius displicere, fidei Christi, & omnium fidelium obviare saluti. Quæ hactenus provide attendentes & considerantes propensius, schisma, quod in Dei ecclesia fuit post mortem sanctæ memoriæ domini Gregorii XI. qui Romæ, prout Deo placuit, diem suum clausit extremum, suadente diabolo introductum, ipsiusque diuturnitatem pestiferam & nocivam, in fidei derogationem, animarum pericula multiplicia, multaque alia inconvenientia, quæ enarrare per singula longum esset, felicis recordationis domino Clemente VII. qui eidem successit Gregorio, viam universæ carnis ingresso, antequam ad electionem summi pontificis, nos, qui tunc cardinales eramus, procedere vellemus, pro unitate ecclesiæ facilius obtinenda, errore schismatis extirpato, promisimus, & invicem juravimus, quod si aliquis nostrum in summum assumeretur pontificem, prosequeretur unionem ecclesiæ per omnes vias rationabiles & accommodas, etiam usque ad renunciationem papatus inclusive, si cardinalibus qui tunc erant, vel eorum majori parti, pro bono ecclesiæ visum foret expedire, sine dilatione quacumque, prout in quadam cedula super hoc facta, manibus nostris, qui tunc cardinales eramus, subscripta, plenius continetur. Quæ cedula, seu ejus tenor, per dominum papam Benedictum XIII. tunc cardinalem de Luna vulgariter nuncupatum, jurata fuit & manu propria subscripta; ac demum, ea intentione quod præmissa adimpleret, electus, alias nullatenus eligendus, ut inter nos tunc publice dictum fuit, in summum pontificem, & Benedictus XIII. nuncupatus, dictam cedulam approbavit, & de novo juravit inviolabiter observare. Ortaque ex post inter ipsum Benedictum ex una parte, nos, ac nonnullos reges et principes nostræ obedientiæ ex altera, super prosecutione unionis controversia; ac declarato per nos quod nedum in vim dictæ cedulæ et juramenti præstiti ipse tenebatur per viam cessionis prosequi unionem ecclesiæ, illamque offerre, immo jure communi etiam ad hoc pro tanto vitando scandalo tenebatur. Fuitque ex hoc conditio, quæ in cedula inserta fuerat, purificata taliter, quod dominus prædictus fuit pure et simpliciter obligatus et adstrictus præcise ad prosequendum unionem ecclesiæ per viam cessionis. Et in illius controversiæ sedatione præfatus dominus, post dilationes multas, solemniter contenta in illa cedula ampliando et specificando, promisit per viam cessionis prosequi unionem ecclesiæ, et cedere papatui, adversario cedente, mortuo, vel ejecto, ut in instrumentis authenticis, ad diversas mundi partes directis, latius continetur.

Demum nonnullis effluxis annis, et unione non habita, defuncto in parte altera Bonifacio, nullaque facta diligentia de dando pacem ecclesiæ, ipso mortuo, per viam cessionis, sicut promissum & juratum fuerat, immo, ut asseritur, refutatum; & secundo [a] Tomasio defuncto, qui fuit a suis Innocentius appellatus: reverendissimi patres, qui in parte alia cardinales nominantur, cupientes finem imponere schismati, & per unionis habendæ vinculum animarum providere saluti, inter se promiserunt & ordinaverunt, quod si ipsorum aliquis secundum eos in papam esset assumptus, pro unione in Dei ecclesia facilius obtinenda, papatui & juri suo prætenso renunciaret, domino Benedicto [b] patre nostro cedente, dummodo nos vellemus cum suo prætenso collegio taliter convenire, quod ex nobis & ipsis sequeretur canonica electio unius indubitati pastoris. Et prædicta fuerunt per ipsos juramento vallata, & voto solemniter roborata, specialiter per Angelum Corario, qui tunc inter ipsos cardinalis Constantinopo-

(a) *Cod. Harlaeanus habet*, Cosmato.

(b) *Idem codex pari modo cedente.*

ANNO CHRISTI 1409.

nopolitanus nominabatur, & demum post assumptionem illius ad illud quem gerit statum, Gregorius nominatus, prædicta innovavit, voti & juramenti repetitis vinculis roboravit, & in publico quod tenuit consistorio renovavit, & se observaturum sub iisdem vinculis publice prædicavit. Brevique ex post consumpto dierum curriculo, omnia domino Benedicto præfato, nobis & quamplurimis principibus, & ad alias mundi partes varias, per suas litteras intimavit quæ præmissa sunt, & quæ censebantur ad extirpationem schismatis necessario & rationabiliter pertinere: quæ fuere per sæpe dictum dominum Benedictum approbata, ut in litteris ipsius plenius continetur. Multaque inter ipsum & Angelum prædictum hinc inde loca oblata, & finaliter propter difficultates, quas unus alteri ingerebat, petendo difficultates difficiles & insolitas, adeo quod haberi non poterant seu concedi, & variando a certa loca per ipsos oblata, etiam quia unus ipsorum loca maritima pro conventione petebat; alter vero omnia illa recusabat; & alias ex ipsorum variis intentionibus, effectum est, quod ad loci seu locorum concordiam nullatenus deventum est; compertumque quod ipsi duo contendentes viam mutuæ cessionis recipere videbantur in verbo, non tamen in opere & mentis intentione. Cumque per præmissas difficultates voluntarias, quas unus alteri, & alias ad invicem ingerebant, quantum in eis erat, viam cessionis redderent adeo difficilem, ut censeretur impossibilitati æquari, & sic pacis & unionis consummatio ponebatur in desperatione, & impediebatur absque spe aliqua extirpationis schismatis mortiferi, & a cunctis fidelibus detestandi.

a) Idem codex, circa.

Propter quæ, & multas, considerationes justas & rationabiles, immo verius necessarias, reverendissimi patres, qui in parte alia cardinales nominantur, seu eorum partes tres, ab ipso Angelo recesserunt, juxta Divina mandata, & de Luca ad civitatem Pisanam se transtulerunt, ad hoc ut liberius indemnitati ecclesiæ, & extirpationi schismatis, ac tantis erroribus, possent consulere, & ecclesiæ sic deformatæ calamitatibus subvenire, & animarum saluti. Nos autem videntes manifestum ex premissis præstari impedimentum extirpationi schismatis & negotio unionis, & considerantes, quod prætextu loci seu locorum, de quibus inter eos non erat concordia, unio tam necessaria non debet impediri seu etiam retardari, cum absque presentia corporali domini Benedicti, & dicti Angeli qui nominatur Gregorius, possit ordinari de præambulis ad hoc negotium necessariis, ad quæ ipsi duo numquam condescendere voluerunt, sed solum ad mutuam conventionem locorum, & etiam mutua cessio seu renunciatio fieri, & deinde ad electionem canonicam procedi: eidem D. Benedicto consulimus, quatenus adversario offerret se renunciaturum per procuratorem seu deputatum, ab ipso habentem ad hoc speciale mandatum & sufficientem potestatem, Angelo renunciante in propria persona, vel per procuratorem seu deputatum, ab eo habentem mandatum speciale, & parilem potestatem. Quæ diximus & consuluimus secundum Deum posse & debere fieri; alias schismatis perpetuatio & diuturnitas recusanti esset merito imputanda. Super quo responsum habere non potuimus, immo perpendimus ipsum ad hanc viam minime inclinari, postquam quatuor ex nobis ad locum Liburni de voluntate ipsius accesserunt ad finem, ut cum reverendissimis patribus in parte alia cardinalibus nominatis, qui ab Angelo recesserant, tractaretur & videretur de modis per quos ecclesia posset uniri, & schisma extirpari facilius, contumaciis, seu pertinaciis non obstantibus quibuscumque.

b) Idem codex contrariatem.

Cum quibus in dicto loco Liburni quatuor ex dominis alterius collegii personaliter convenerunt, et ipsis ad invicem tractantibus de his quæ poterant ad unionem dandam rationabiliter et necessario pertinere: dominus Benedictus præfatus a Portu Veneris recessit, nullo dato alio ordine super his quæ ad pacem ecclesiæ poterant pertinere, et versus Cataloniam direxit gressus suos, publicato post in loco Portus Veneris, quod in festo omnium Sanctorum, et in loco Perpiniani intendebat concilium convocare. Quod concilium si teneatur per eum, potius ad impedimentum unionis ecclesiæ, et eorum quæ inter nos et aliud collegium deliberata sunt, quam ad pacem ecclesiæ censetur pertinere: attento quod per concilium unius partis, nisi concurrat alterius partis concilium, unio haberi non possit, nec schisma utiliter extirpari.

Nos vero de recessu ipsius domini adeo repentino, et aliis prædictis quamplurimum admirati, et pro eo etiam quia ex dicto recessu cognovimus luculenter omnimodam indispositionem ad unionem habendam, maxime quia a nobis frequenter requisitus, ut convocaret concilium generale totius nostræ obedientiæ in loco habili et decenti, in quo posset etiam pars adversa convenire ad hoc, ut per deliberationem communem facilius et citius procedi posset ad extirpationem schismatis et unionem habendam, hoc facere prætermisit, et etiam recusavit, quamvis aliquando per instrumentum, aliquando per bullam, infra certum terminum hoc facere promisisset. Et perpendentes ex prædictis indispositionibus, tam ipsius domini Benedicti quam Angeli, unionem ecclesiæ patenter impediri, immo verius schisma perpetuari, nisi celeriter occurratur: convenimus in unum cum collegio partis alterius et nominatis cardinalibus, qui a dicto Angelo recesserant, quos reperimus bene dispositos ad extirpationem schismatis, et unionem in Dei Ecclesia procurandam. Et considerantes ad invicem, quod ex indispositionibus prædictis, contumaciis et pertinaciis antedictis, si staretur arbitrio duorum contendentium de papatu, numquam schisma extirparetur, immo quodammodo perpetuaretur in ævum; et etiam attendentes, quod schisma quos inquinat, æquat, et non solum qui schisma facit et fovet, sed etiam qui patitur et extirpare negligit, eodem involvitur crimine et delicto; considerato etiam, quod contendentes de papatu, non solum juramento et voto ac promissione multiplici, sed etiam jure Divino et canonico, et sub pœna damnationis æternæ si refugerint, tenentur et multipliciter sunt adstricti pacem dare ecclesiæ per viam cessionis, attenta schismatis diuturnitate et involutione, ac magna adhærentia quam utraque pars habere dignoscitur; quæ via etiam est ab omnibus Christi fidelibus approbata et necessaria reputata; et etiam considerato, quod ex indispositionibus prædictis quamplures se subtraxerunt et se neutrales fecerunt ab obedientia utriusque, multique se parant ad similem subtractionem

ANNO CHRISTI 1409.

ctionem seu neutralitatem faciendam; quodque si diffugia et dilationes contendentium ulterius attenderentur et expectarentur, qui se sic simul separant et dispergunt, maxima quasi ex proposito seu condicto locorum distantia, ut de eorum reductione in unum seu mutua conventione spes nulla de cætero habeatur, errores succrescerent, cum schisma mater errorum existat, et inveteratum transit in hæresim juxta Divinas et canonicas sanctiones; et sic ecclesia ad irreparabilis desolationis deduceretur opprobrium, in evidens et irreparabile periculum animarum. Considerato etiam, quod duobus contendentibus de papatu, qui de facili ad pacem reduci nequeunt, concilium generale, seu ecclesia congregata, judex est competens controversiæ prædictæ, quæ merito tangit fidem; et quod concilium est per cardinales, maximę in contumaciam, defectum, seu negligentiam contendentium, convocandum, cum ipsi duo contendentes, contra se et intentiones suas concilium nullomodo congregarent, ut experientia præteritorum docuit, et docet quæ occurrit in præsenti; cum etiam neutrales seu subtracti, de facili ad eorum convocationem non haberent convenire; et sequerentur alia pericula evidentia in impedimentum tam desideratæ unionis: habita ad invicem inter nos et collegium partis alterius deliberatione matura, et etiam cum multis prælatis, nobilibus, ac magnis * litteratis in theologica et canonica facultate et civili, sequentes gesta et exempla sanctorum alias virtuose in Romana ecclesia observata: deliberavimus, quod per nos in parte et obedientia nostra concilium seu ecclesia convocetur in certo loco et termino; et idem fiat per collegium seu cardinales nominatos alterius partis in eodem termino et loco; cum auxilio et benigno suffragio regum et principum utriusque obedientiæ, quibus nunc Romana et universalis ecclesia permaxime noscitur indigere, et qui, ut Deo devoti, dexteras suas ecclesiæ et nobis præbebunt adjutrices, et defensionis ac protectionis præbebunt auxilia, ut devotissimos Principes decet, et eorum convenit honestati, ad finem quod in dictis loco et termino convenientibus dicto domino Benedicto, et Angelo, qui Gregorius nominatur, quibus intimatur prædicta deliberatio, et requiruntur, ut congregationi opem et assensum ferant, et in eis conveniant, finisque imponatur schismati per viam mutuæ cessionis, electioque fiat per utrumque collegium in unum conveniens unici et indubitati pastoris. Quod si venerint et non renunciaverint cum effectu; vel alter renunciaverit, et alter recusaverit; vel ambo non venerint: provideatur per ecclesiam congregatam, attentis promissis juratis et voto firmatis, et alias fere a cunctis Christifidelibus approbatis, decernatur et declaretur, ut in præmissis necessarium fuerit, et etiam opportunum, taliter circa factum duorum contendentium, et necessitatem ecclesiæ imminentem, ut ipsorum vel alterius absentia, seu pertinacia et contradictione non obstantibus, schisma extirpetur, et per electionem unici et indubitati pastoris canonicam, unio perfecta in Dei ecclesia habeatur ad Dei servitium, gloriam, et honorem, fidei robur, salutem omnium fidelium, et ecclesiæ debitam reformationem.

* f. magistris.

Quocirca prædictam deliberationem [a] fidei et ecclesiæ, sic deliberate digestam, vobis et vestrum singulis intimamus et notificamus, precamur, et sub debito juramenti, quo ecclesiæ Romanæ tenemini, requirimus, quatenus, in quantum Deo placere cupitis, et defensioni fidei assistere, et pro unitatis vinculo procurando, velitis in termino vicesimæ quintæ diei mensis Martii proxime futuri (quem terminum ad hoc congruum eligimus; ad quem etiam terminum domini cardinales alterius partis nominati, prælatos, et alios suæ obedientiæ convocant) in civitate Pisana, cum domino Benedicto, si venire voluerit nobiscum, qui in dictis loco et termino personaliter Deo auxiliante erimus, ac prælatis et aliis nostræ obedientiæ, quos pari modo ad hoc specialiter convocamus, ac cum deputatis regum et principum, quorum benignum auxilium in hoc Dei negotio, fidei et ecclesiæ necessarium, et quamplurimum opportunum imploramus, convenire et comparere, ad fines et effectus prædictos, inspirante gratia Spiritus sancti prosequendos, et feliciter consummandos.

Quod si qui ex vobis, impedimentis causantibus, nequiveritis personaliter interesse, et ad dictos locum et terminum accedere, velitis pro Dei et ecclesiæ reverentia, et fidei necessitate, aliquos vestri nomine Deum timentes, scientia et rerum experientia illustratos destinare, suffultos speciali et sufficienti potestate ad effectus præmissos consequendos; taliter in præmissis vos habentes, quod de promptitudine servitii Divini, et defensione fidei ac subventione ecclesiæ, apud Deum [b] consequamini et apud homines laudem et gloriam sempiternam. Nec in hac parte et materia tam necessaria aliquo modo dubitetis, aut cujuscumque terrore concutiamini: quia cum nos et vos causam Dei, et extirpationem schismatis prosequamur, sub protectione Dei et ecclesiæ, de cujus congregatione agitur, et ad quam dominum Benedictum prædictum per alias nostras litteras provocamus, et intimari facimus ut concilio interfit, securi manebimus ab omni læsione processuum. Quod si aliqui processus contra nos et vos fierent occasione prædicta: nulli forent, et evidenter subjecti vitio nullitatis, tanquam impeditivi sacratissimæ unionis. Est enim nostra et collegii alterius partis præfati intentio, irrevocabileque propositum, quod cum his qui venerint ad dictos locum et terminum, provideatur fidei et ecclesiæ juxta effectus prædictos, aliorum qui non venerint absentia non obstante, prout alias factum fuit in generalibus conciliis, in quibus fuerunt per modum præmissum errores extirpati, fides exaltata, ecclesia reformata in vinculo pacis et unionis, extincto errore schismaticæ pravitatis.

Quia vero fidelibus non est tam de sollicita inventione quacumque fidendum, quam de instantia orationis humilis et devotæ sperandum: vestras caritates precamur, ac per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi exhortamur, quatenus per vos, et hoc idem procuretis fieri per fideles vestræ sollicitudini commissos, humiles preces fundantur ad Dominum, et devotis orationibus insistatur, ut ipse qui concordiam operatur in sublimibus suis, dignetur efficere, quod debita per hanc deliberationem sequatur provisio, celer, concors, et canonica, ut animarum salus et fidei necessitas exigit,

a) Cod. Harl. deliberationem necessaria fidei, &c.

b) Addit cod. Col. meritum.

ANNO CHRISTI 1409.

exigit, ac totius orbis utilitas desiderata expoſcit.

In quo nos omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, præſentes noſtras litteras fieri, & per notarium publicum infraſcriptum ſubſcribi & publicari mandavimus, ac noſtrorum trium priorum ſigillorum fecimus appenſione muniri.

Datum & actum in loco Liburni ſupradicto, in cloaſtro eccleſiæ dicti loci, nobis ibidem tunc Guidone Præneſtino, Nicolao Albanenſi, Petro Tuſculano, epiſcopis; Petro tit. S. Suſannæ presbytero, Amedeo ſanctæ Mariæ novæ, & Petro S. Angeli, diaconis, S. R. E. cardinalibus, congregatis, & perſonaliter conſtitutis; ac omnia & ſingula ſupraſcripta pro nobis, & aliis dominis cardinalibus abſentibus, nobis adhærentibus, & adhærere volentibus in hac parte, approbantibus & ratificantibus, & de præmiſſis, & de eorum ſingulis, unum & plura publica inſtrumenta nobis, & cuilibet noſtrum fieri petentibus. Sub anno a nativitate Domini MCCCCVIII. Indictione I. & die XIV. Menſis Julii, præſentibus RR. in Chriſto patribus DD. Dei gratia Simone patriarcha Alexandrino, adminiſtratore perpetuo eccleſiæ Carcaſſonenſis, Petro epiſcopo Meldenſi, ac venerabilibus & circumſpectis viris, magiſtris, Roberto de Queſnejo doctore, Joanne Franciſci licentiato in decretis, & Joanne Petri magiſtro in medicina, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

CARDINALIUM GREGORII XII.

Edita quoque hæ litteræ ab Ord. Raynaldo ad an. 1408, n. 18.

Litteræ ad epiſcopos, & alios de ejus obedientia.

Eos ad concilium Piſanum convocant.

MIſeratione Divina, &c. *ut in convocatione facta per dominos alterius partis cardinales.* Quanta ſollicitudinis cura Salvator noſter Jeſus Chriſtus unitatem apoſtolis commendaverit, quantoque nitore pulchritudinis unica ſancta mater eccleſia reſplenderet, ſacra docent eloquia, ex quibus poſtea ſanctæ emanarunt ſanctiones. Quamquam enim poſt reſurrectionem apoſtolis omnibus parem tribuerit poteſtatem, dicens: *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum ſanctum:* tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejus originem ab uno incipientem, ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique cæteri apoſtoli, quod Petrus erat, pari conſortio præditi honoris & poteſtatis: ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut eccleſia Chriſti una eſſe monſtretur. Quam unitatem, ut diſcipulis ſuaderet, & pacem, inquit: *Si duo ex vobis convenerint in terra, de omni re quamcumque petieritis, continget vobis a patre meo, qui in cœlis eſt. Ubicumque enim duo fuerint aut tres collecti in nomine meo, ego ſum cum eis.* Quam unam in canticis prædicat Spiritus ſanctus ex perſona Chriſti, dicens: *Una eſt columba mea, perfecta mea; una eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ.* Quod unitatis ſacramentum etiam docet apoſtolus, dicens: *Unum corpus & unus ſpiritus, una ſpes vocationis noſtræ, unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus.* Hinc ſancti patres alienum, profanum, hoſtem, patrem Deum non habentem judicant, qui universalis eccleſiæ non tenet unitatem: & fidem erga Deum manifeſtant non habere, qui velinti quoſdam artus dividi & membra lacerari permittunt eccleſiæ. Cum enim propter eccleſiam Chriſtus paſſus ſit, & Chriſti corpus ſit eccleſia: non videtur ab his fides exhiberi Chriſto, a quibus evacuatur paſſio ejus atque diſtrahitur. Epiſcopatus ergo ſumus, unus eſſe debet: & eccleſia una, quæ in multitudine latius incremento fœcunditatis extenditur. Et quomodo de fonte uno multi rivuli defluunt, & radii multi, ſed lumen unum; & rami arboris multi, ſed robur unum radice tenaci fundatum: ſic eccleſia, Domini luce perfuſa, per univerſum ſuos radios porrigit; unum tamen eſt quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur; ramos per univerſum orbem copia ubertatis extendit, profluentes largitur rivos; unum tamen caput, una origo, una mater eccleſia, una ſponſa Chriſti incorrupta & pudica, unam domum noſſe debet, unius cubiculi ſanctitatem ſancto pudore cuſtodire decet.

Sane (quod dolentes & ab intimis cordis contriti mœſtitia referimus, quod et vobis non arbitramur incognitum) eccleſia jam triginta annorum ſpatio crudelem patitur, et eſt paſſa ſciſſuram: diviſa eſt tunica Chriſti, quam, ut non ſcinderetur, Judæi in Chriſti paſſione ſortiti ſunt. Heu! proh dolor: obſcuratum eſt aurum, ſol obtenebratus eſt, muratus eſt color optimus, fons exſiccatus, rivuli arefacti ſunt, diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite platearum, in fabulam & ſibilum verſus eſt amictus varietatis ejus, odor unguentorum ejus in infamiæ pudorem, inavitas ejus in crudelem horrorem. Ut quid amplius immoramur? calamitates eccleſiæ atque diſpendia, poſtquam hoc maledictum viguit ſchiſma, manus non ſufficerent ad ſcribendum, lingua ad proferendum, aut memoria quantumcumque tenax ad retinendum. Nos autem caritatis fervore, officii noſtri debito, ut contra hanc peſtem de remedio provideremus opportuno, cum domino Gregorio tunc nobiſcum in minoribus exiſtente, poſt obitum felicis recordationis Innocentii Papæ VII. & alii tunc domini cardinales in conclavi exiſtentes, invicem promiſſionibus, juramentis, & votis nos adſtrinximus pro ſchiſmatis extirpatione principaliter quinque continentibus.

Primum, quod ſi quis noſtrum ad ſummi apoſtolatus apicem aſſumi contingeret, pro redintegratione unitatis Chriſtianorum renunciaret ſummi apoſtolatus dignitati & juri ſuo. Secundum, quod poſt aſſumptionem ſuam, approbaret publice votum & juramentum, & confirmaret domino Petro, qui ex altera parte ſe Benedictum appellat, regibus & principibus, & aliis univerſitatibus, patentibus litteris intimando, & offerendo ſe illud impleturum, & paratum ad cedendum. Tertium, quod de fratrum conſilio deſtinaret ambaſſiatores ad eum, qui pro Papa ſe ex altera parte gerit, ad prædicta intimanda & locum eligendum. Quartum, quod tractatu pendente nullum crearet cardinalem, niſi cauſa coæquandi numerum pro numero alterius partis, niſi ex defectu alterius partis ſteterit, quod unionis præfatæ concluſio non ſequatur infra annum a certo tempore determinato inchoandum. Quintum, quod omnia promiſſa, inchoata & inchoanda, mediatemus & proſequeremur, nihil de contingentibus, neceſſariis, utilibus, aut quomodolibet opportunis, omittendo.

Joan. 20.

* Hæreſis inauit Raynaldus, cardinalium papam ſibi ſubjicere volentium. Act. 18

Cant. C.

Epheſ. 4.

Poſt

ANNO CHRISTI 1409.

Post quæ dominus Gregorius præfatus ad apicem summi apostolatus assumptus, in quem nostra omnium reposita erat fides, propter præteritam ejus apparentem vitam, quod prædicta absque mora efficaciter adimpleret, post sui assumptionem pluribus astantibus omnia & singula prædicta publice approbavit, confirmavit, atque subscripsit, destinavitque ad eum, qui pro altera parte se pro Papa gerit, & ad reges & principes, civitates quamplures, & universitates utriusque obedientiæ, litteras patentes tam nostras quam suas, in quibus prædicta notificans, ea se profitebatur adimpleturum. Et sic ad quamplures reges & principes destinavit ambassiatores, hæc omnia viva voce confirmantes, & cum impleturum offerentes. Tandem destinatis ambassiatoribus & facta conclusione de loco civitatis Saonæ, a qua, postquam illam suis litteris approbavit pro loco decenti, captatis occasionibus recessit: & assumpta hinc inde ab utraque parte superflua disceptatione locorum, circa illa multipliciter variando, tempus anni, & plus, inaniter est consumptum: & cum multis varietatibus & ambagibus, quas narrare longum esset, nunquam ad loci concordiam est deventum, quamquam loca in medio fuerint oblata decentia & habilia, & cum securitatibus debitis; quæ modo ab uno, modo ab alio contendentium de Papatu, fuerunt occasionibus frivolis reprobata, nobis contradicentibus, & omnibus ambassiatoribus, & aliis pro hoc negotio degentibus in curia, & repugnante communi omnium opinione.

Postea a domino Gregorio civitate Pisana multipliciter pro loco habili commendata, ac loco prædicto a nobis de ejus voluntate postulato, & destinatis ambassiatoribus ad dictum Petrum, pro alia parte, Benedictum nuncupatum, & se Liburnum, qui locus est propinquus civitati Pisanæ prædictæ, ac ejusdem diœcesis, accedere promittente, paratis Florentinis ad locum civitatis Pisanæ utrique concedendum: præfatus dominus Gregorius numquam tempus determinare voluit, infra quod accedere vellet: nec etiam, cum diceret plures sibi necessarias securitates, eas exprimere voluit: cum tamen ambassiatores Florentinorum una nobiscum: & cum ambassiatoribus Venetorum, ac ambassiatoribus domini Petri de Luna, ex altera parte Benedicti nuncupati, super hoc instarent; ipsis ambassiatoribus Florentinis se ad ea quæ concernerent Florentinos circa securitates & alia, implere paratos offerentibus. Et tandem dominus Gregorius, quod dolentes referimus, per eum captatis occasionibus, a tractatu satis ignominiose recessit. Ex quibus ejus in prædictis non sincera neque bona voluntas manifestissime propalata extitit & ostensa. Et sic sumus tracti per inania verba spatio anni, & ultra, sub velamine difficultatum loci, qui nec ad cedendum erat de substantia requisitus, nec ex forma juramenti ad hunc actum destinatus: cum ubilibet cedere potuisset uterque per procuratorem idoneum, aut in manibus collegii sui, nobis & dominis cardinalibus ex altera parte, paratis ad omnia loca tam conventa quam oblata convenire, pro his quæ incumbebant implendis.

Et tandem ut nihil de contingentibus omitteretur, ad præcludendas vias unionis sanctæ, & claudendos aditus implementi juramenti & voti, ne quod boni agere nolebat, aliis via pararetur: nobis fecit tria mandata penalia evidenter injusta. Primum, ne sub pœna perjurii collocutionem aliquam haberemus per nos, vel per interpositam personam, cum ambassiatoribus domini Benedicti, nec cum ambassiatoribus serenissimi principis regis Franciæ: qui pro nulla alia causa quam unionis prosequendæ degebant in curia. Secundum, ne sub eadem pœna congregaremur insimul absque ejus licentia, cum tamen in factis ecclesiæ & fidei, conventiones & collocutiones ejusmodi approbentur; nec verbum Dei, ut unionis & pacis est, secundum apostolum sic debuerit aut potuerit alligari. Tertium, ne sub pœna privationis cardinalatus & beneficiorum, de Lucana civitate, in qua cum eo degebamus, exiremus. Et hæc omnia, ut clauderentur viæ prosecutionis unionis & pacis, nec aliquid de ea quoquo modo valeret attentari. Et demum clarissimis verbis voluntatem suam propalando aperuit, quam ante palliaverat, quod suæ intentionis non erat amplius, viam insequi cessionis, quam pluries in publico multis astantibus reprobavit, ut diabolicam: quæ tamen ante ab ipso extiterat approbata, jurata atque promissa, & a toto mundo recepta ut grata, sancta & justa; & per quam solam facilius poterat hujus pestiferi schismatis finis haberi, cum tamen se ab hac trahere non debuisset, exemplo Christi, qui de cælo in humana membra descendit, ut salutem humano generi daret et pacem. Novissime contra votum, et juramentum, antequam foret ab altera parte a tractatu recessum, nobis renitentibus prius, postea absentibus, in confusionem unionis, quatuor de facto creavit cardinales, in proposito non cedendi sibi applaudentes, et eum in hoc multipliciter confirmantes. Ex quibus a populo Christi cum gravissimo ejus scandalo de unione funditus extitit desperatum.

Nos autem per manus præfati domini Gregorii, et alterius qui se Benedictum appellat, saluti et unitati populi Christi amplius provideri non sperantes, cum et inter eos de collusione permaxime suspicaretur; & considerantes super hoc nihil in præsentia domini Gregorii agi posse, tum, quia reprobaverat viam cessionis, tum propter prædicta iniqua præcepta, tum propter notorias persecutiones ipsius Gregorii et suorum, persequentium omnes, nedum insequentes, sed et quoquo modo suadentes unionem, via jurata, et ut clarius loquamur, ut mortis et carcerationis injustæ periculum evidens evitaremus, prout in aliis nostris expressimus litteris, ut cum libertate in talibus debita, quam in civitate Lucana habere non valebamus, negotium præfatæ unionis, ut multipliciter eramus adstricti, prosequeremur, et circa illud cum quibus expediebat de opportuno remedio provideremus secundum Deum et canonica instituta, plus Deo quam homini parere volentes: discessimus a civitate Lucana, in qua pro tunc cum præfato domino Gregorio degebamus, et Pisas accessimus, deinde Liburnum, ut cum dominis cardinalibus ex altera parte tractaremus de modis et viis quibus populo Christi pax daretur et unio. Et habitis et consideratis maturis consiliis [a] universitatum, magistrorum studii Parisiensis et Bononiensis, quæ universitates maxime inclinabant in has conclusiones quarum plurimæ ad scripturam publicam et authenticam roboratam sigillis sunt redactæ.

Videlicet primo, quod uterque, et dominus Gregorius, et qui se ex altera parte pro papa ge-

a) al. apud Odaric. Universitates. maxime Bononiensis, inclinabant. H.

* f aliis via

ANNO CHRISTI 1409.

gerit, ex debito officii pastoralis veri vel prætensi, jure communi, circumscripto quomodolibet juramento et voto, stante schismate tam inveterato cum tanto populi scandalo, tenentur et debent cedere, ex quo propter dubia facti et juris super papatu aliter non potest commode dari unio et pax in ecclesia Dei, ne plus temporalem dignitatem quam populi salutem et unitatem, ac æternam vitam appetere videantur; et quia finis pastoralis officii est providere unitati gregis, paci et saluti animarum populi Christi. Secundo, quod longe fortius adstringuntur concurrentibus tam solemnibus vinculis, ut promissionis, voti, et juramenti. Tertio, quod papa, stante tali schismate, pertinaciter resistendo in complendo quod vovit et juravit, ad quod etiam absque voto et juramento tenetur, incurrit crimen notorium propter quod subjicitur provisioni concilii, et ultra hoc concluditur schismatis nutritor et fautor, cujus obstinatione et vetustate descenditur in hæresim, et fides læditur Deo et ecclesiæ debita, cujus etiam provisio spectat ad concilium. Quarto, quod etiam stante dubio an hoc * incrementum schismatis transeat in hæresim, vel an tale sit debitum, ex quo provisio spectet ad concilium, quod cognoscere in dubio ad idem pertinet. Quinto, quod stante dubio papatus inextricabili propter dubium facti et juris, ne in subversionem fidei ecclesia sic remaneat divisa perpetuo, cum tanto scandalo et animarum perditione, provisio spectat ad concilium et ecclesiam universalem, ut utrumque eis non cedentibus possit a papatu ejicere. Sexto, quod stantibus terminis, ut stant, et ambobus detrectantibus implere quod jurarunt et voverunt, cum ex hoc nutriant schisma manifestum, subditi possunt et debent ab eorum obedientia recedere et tenentur, cum ex eorum obedientia palbabiliter videant utrumque in suo malo nutriri proposito: et etiam peccant si non subtrahunt, tamquam principaliter schisma facientes, vel saltem indirecte auxilium præbentes nutritoribus schismatis antiquati, nec sententiis contendentium de papatu aliquatenus propter hoc valent alligari. Ultimo ex factis et dictis, quæ supra ponuntur, quæ universo mundo notoria sunt, satis notorie patet utrumque detrectare implere quod debebat, et ad quod tenetur ex debito officii et juramenti, cum saltem potuerint cedere per procuratores idoneos, vel uterque in manibus collegii sui, et sic dare pacem populo Christi; cum uterque de jure et forma juramenti arctetur ad nihil de utilibus, necessariis, aut quomodolibet opportunis omittendum; cum etiam ab utriusque pendeat potestate, solvere perplexitatem conditionum juramenti, si quæ subsit: et si quæ circa hoc excusationes allegentur, frivolæ sunt, et eorum cognitio est concilii.

Quibus visis, et pluribus habitis inter nos consiliis, firmavimus nos venire cum dominis alterius collegii, & Liburnum accedentibus nobis, qui locus est prope Pisanam civitatem ejusdem diœcesis, ac eis dominis cardinalibus ex altera parte in sufficienti numero nobiscum congregatis in unum, nos univimus propositum, ut modis omnibus justis & sanctis, & secundum canonicas sanctiones, populo Christi de unione & pace provideremus. Et considerantes quod ipsi de papatu contendentes, contra se minime concilium integrum congregarent, ut præteritorum experientia docuit & docet, & etiam præterita negligentia, & maxime quia dominus Gregorius negavit cessionis viam, & eam ut diabolicam reprobavit, ad quam tractandam etiam concilium denegasse videtur; attendentes etiam, quod uterque permaxime est de convocando concilio suspectus, ut aut nolit, aut nimium dilatet, aut etiam minus fideliter congreget, cum verbis & factis viam impediant ad schisma tollendum, ad cujus finem concilium congregatur; cum perpendat uterque se congregato concilio verisimiliter excludi, & uterque multifarie declaraverit se anhelare ut in papatu etiam cum divisione remaneat; item propter probabiles dubitationes de papatu tam ex facto & facti antiquitate, quam ex jure descendentes, & propter obedientias separatas, neuter quoad totam congregationem utriusque obedientiæ, quæ in tali casu tota est necessario congregauda, potest se ostendere papam indubitatum, nec in solida possessione pacifica papatus existit, sic ut eo modo quo oporteat valeat concilium totum congregare; nec uterque de facili ad hoc potest induci, ut congregent simul, tum propter eorum indispositionem ad hoc, quæ perpenditur ex retrofactis & dictis, tum propter nimiam eorum distantiam in re tantam celeritatem desiderante, tum quia saltem casu aliquo canones inferioribus concilii congregationem permittunt; nullus autem proportionabilior casus isto, tum quia ad congregationem concilii requiruntur per nos & per concilium requirentur, ut consentiant, & si consentiant, bene quidem, alias concilium procedere poterit, cum ab eorum potestate pendere non debeat, an de criminibus suis inquiratur, de quibus potest per concilium inquiri, nec ut perpetuo sic ecclesia lacerata remanere debeat, cum etiam neutrales seu subtracti, de facili ad eorum convocationem non venirent, & sequerentur pericula alia evidentia in impedimentum desideratæ unionis; & attendendo quod si diffugia & dilationes contendentium ulterius attenderentur, qui sic se ab invicem separant & disperguntur, maxima quasi ex proposito locorum distantia, ut de eorum convenientia in unum de cætero nulla spes habeatur, errores succrescunt, cum schisma mater errorum existat, & inveteratum transeat in hæresim juxta Divinas & canonicas sanctiones; & ecclesia ad irreparabilis desolationis deducereturopprobrium, in evidens & irrecuperabile periculum animarum *: habita inter nos duo collegia matura deliberatione, cum multis prælatis notabilibus, & magnis litteratis in theologia, canonica & civili facultate, sequentes exempla & gesta alias virtuose in ecclesia Romana servata, deliberavimus quod per nos in parte & obedientia nostra concilium seu ecclesia convocetur in certo loco & termino, & idem fiat per collegium seu dominos cardinales, ex altera parte in eodem termino cum auxilio & benigno suffragio regum & principum utriusque obedientiæ, quibus nunc Romana & universalis ecclesia permaxime dignoscitur indigere; & qui ut Deo devoti dexteras ecclesiæ & nobis præbebunt adjutrices, & defensionis, ac protectionis præbebunt auxilia, ut devotissimos principes decet, & eorum convenit honestati, ad finem, quod in dictis loco & tempore convenientibus, domino Gregorio, & domino Petro de Luna ex altera parte, Benedicto nominato, quibus dicta deliberatio intimatur, & requiruntur, ut dictæ congregationi opem ferant & assensum, & in eis conveniant, finisque imponatur schismati per viam mutuæ cessionis; ut jura-

ANNO CHRISTI 1409.

* Cod. Harlean. nutrimentum; & mox delictum pro debitum.

* Apud Odericum sequentia variant in manuscriptis. H.

ANNO CHRISTI 1409.

juraverunt, & electio fiat per utrumque collegium in unum convenientes unici & indubitati pastoris. Quod si venerint & non renunciaverint cum effectu, vel alter renunciaverit, vel ambo non venerint, provideatur per ecclesiam congregatis, attentis promissis juratis & voto confirmatis, alias fiere a cunctis fidelibus approbatis, decernatur & declaretur, ut in præmissis necessarium fuerit, & opportunum, taliter circa factum duorum contendentium, & necessitatem ecclesiæ imminentem, ut ipsorum vel alterius absentia seu pertinacia & contradictione non obstantibus, schisma extirpetur, & per electionem unici & indubitati pastoris canonicam, unio perfecta in Dei ecclesia habeatur, ad Dei servitium, gloriam, & honorem, et ecclesiæ debitam reformationem.

Quocirca prædictam deliberationem necessariam fidei et ecclesiæ sic deliberate digestam, vobis et vestrum singulis intimamus, et notificamus, precamurque, et sub debito juramenti et fidelitatis, quo ecclesiæ Romanæ tenemini, requirimus, quatenus, inquantum Deo placere cupuis, et defensioni fidei assistere, et unitatis vinculo procurando ecclesiæ Romanæ tenemini, velitis in termino Annunciationis B. Mariæ proxime futuro de mense Martii, quem terminum ad hoc congruum elegimus, ad quem terminum domini cardinales alterius partis, prælatos et alios obedientiæ suæ convocant, et ad civitatem Pisanam præfatam, et in ipsa cum domino Gregorio, si venire voluerit nobiscum, qui in dictis loco et termino personaliter, Deo auxiliante, erimus, ac prælatis aliis obedientiæ nostræ et partis, quos pari modo specialiter ad hoc convocamus; ac cum deputatis regum, et principum, quorum regum et principum benignum auxilium huic Dei negotio, fidei, et ecclesiæ necessarium, et quamplurimum opportunum, imploramus, convenire, et comparere ad fines et effectus prædictos, spirante gratia Spiritus sancti prosequendos, et feliciter consummandos.

Quod si qui ex vobis, impedimentis causantibus, nequiveritis personaliter interesse ad dictos locum, & terminum, pro Dei & ecclesiæ reverentia, & fidei necessitate, aliquos vestri nomine Deum timentes, scientia & experientia illustratos, destinare velitis, suffultos speciali & sufficienti potestate ad effectus præmissos consequendos, taliter in his vos habentes, quod de promptitudine servitii Divini, & defensione fidei, & subventione ecclesiæ, apud Deum meritum consequamini, & apud homines laudem & gloriam sempiternam. Nec in hac parte, & materia necessaria, aliquo modo dubitetis, aut cujuscumque terrore concutiamini: quia cum vos & nos causam fidei & extirpationem schismatis prosequamur, sub Dei & ecclesiæ, de cujus congregatione agitur, & ad quam etiam dominum Gregorium per alias nostras litteras specialiter provocamus & intimari facimus, ut concilio interfit, manebimus ab omni læsione processuum securi. Quod si aliqui processus contra vos & nos fierent occasione prædicta, nulli forent, & evidenter subjecti vitio nullitatis, tamquam impeditivi sacratissimæ unionis. Est enim nostra, & dominorum de collegio alterius partis, intentio, & irrevocabile propositum, quod cum iis qui veniunt ad dictum locum & terminum, provideatur fidei & ecclesiæ, juxta effectus prædictos aliorum, qui non veniunt absentia non obstante, prout alias factum fuit in generalibus conciliis, in quibus fuerunt per modum prædictum errores exirpati, fides exaltata, ecclesia reformata in vinculo pacis & unionis, extincto errore schismaticæ pravitatis.

Quia vero fidelibus non est tam de sollicita inventione quacumque fidendum, quam de instantia orationis humilis, & devotæ sperandum, vestras caritates precamur, ac per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi exhortamur, quatenus & per vos, & hoc idem fieri procuretis per fideles vestræ sollicitudini commissos, humiles preces fundantur ad Dominum, & devotis orationibus insistatur, ut ipse qui concordiam operatur in sublimibus suis, dignetur efficere quod debita per hanc deliberationem sequatur provisio celer, concors, & canonica; & animarum salus & necessitas exigit, & totius orbis utilitas desiderat & exposcit.

B Dat. in Castro seu loco Liburni sub trium priorum nostrorum appensione sigillorum vicesima quarta mensis Junii, prima Indictione, anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi MCCCCVIII.

Subjungit Raynaldus his litteris schedam sequentem, quæ nihil aliud videtur esse, quam eorumdem cardinalium appendix, sicut addita litteris. Eam tamen Dacherii exemplar, veluti earumdem litterarum partem repræsentat.

M*Iseratione Divina .... cardinales*, &c. Postquam hæc nostra deliberatio ad notitiam transivit utriusque de papatu contendentium: factæ sunt ab eis ordinationes de convocandis C obedientiis suis separatim, videlicet a domino Gregorio apud provinciam Ravennatem vel Aquilejensem in die Pentecostes; a domino, qui se Benedictum dicit, apud Perpinianum in Aragonia ad festum omnium Sanctorum; & secundo per dominum Gregorium alia bulla emanavit ad omnes Christi fideles, sub quarto Idus Julii, in qua declarat, quod sum fuit voluntatis, est, & ut in Deo sperat, erit, pure & fideliter servare formam & intentionem suorum juramentorum, voti, & promissionis, in conclavi factorum; atque nos convocat secum cum cardinalibus, quos de facto creavit, ad tractandum super negotio unionis. Quæ tam convocationes quam litteræ domini Gregorii, qualiter ad finem tendant unionis, litterarum series patenter D ostendit: tum quia ex convocationibus separatis, & ad loca diversa & remotissima, & diverso tempore congregandis, nullatenus sequi valet unio, nec aliquid concludi, cum talia ex utriusque pendeant pacto; & quia ut detur unio, convocatio exigitur utriusque obedientiæ simul & conventio totius universalis ecclesiæ secundum canonicas sanctiones, sanctorum patrum instituta, & consuetudinem hactenus in talibus observatam: nostra autem convocatio universalis est, & de utraque obedientia; ex qua consequi potest unio. Et si ambo de papatu contendentes bonæ forent voluntatis, ut ostendunt, nostræ potius consentirent congregationi, ut requiruntur, de tota ecclesia, quam & novas, & particulares facerent sic separatas: ex quibus nihil E aliud sequi potest quam schismatis confirmatio. Et ex hoc etiam detegitur fraus secundæ bullæ domini Gregorii. Cum enim nihil restet noviter tractari, sed sola restat executio voti & juramenti, quam agiliter potest expedire, procuratorem constituendo ad cedendum: ipse tamen conatur illam ad novos reducere tractatus & anfractus, ad primordialia reducendo principia, quasi materia non sit trita & notoria, & quasi

ANNO CHRISTI 1409.

satis per ipsum varietatibus & vacillationibus retro non fuerit intricata; tum quia ex suis tractatibus, altera parte sic in remotis partibus agente, nihil nisi schismatis confirmatio sequi potest; tum quia in quantum nos ad se convocat, hoc non agit propter aliud, nisi ut nos segreget a collegio alterius partis, ut sic convocatio universalis ecclesiæ, & utriusque obedientiæ, ex qua sola rebus sic stantibus dari potest unio, de manibus nostris auferatur, & sic schisma perpetuetur. Ex quibus ut supra narratis satis patet, qualiter retro fuerit bonæ intentionis, cum expresse viam renunciationis reprobaverit: qualiter etiam de præsenti sit, & verisimiliter in futurum erit. Nolite talia velut inania attendere, & quæ emanant in confusionem unionis: sed ad congregationem nostram iter præparate, ex qua cum adjutorio Jesu Christi pax & unitas dabitur in ecclesia sua sancta.

LITTERÆ CLAUSÆ MISSÆ domino Benedicto per cardinales partis suæ: una cum aliis litteris patentibus, de quibus infra, per quas ad concilium convocatur apud Pisas.

SAnctissime pater, & clementissime Domine, humili & supplici recommendatione præmissa. Etsi sanctitati vestræ celerius non fecimus nota, quæ per nos cum reverendissimis patribus in parte alia cardinalibus nominatis prosecuta, & cum magna ac digesta sinceritate deliberata fuere, communi assensu & concordi, operante, ut credimus, Spiritus sancti gratia, qui unitis in unum in suo nomine pie subvenit, & in ore etiam ponit absque alia præmeditatione solerti quæ agere debeant, quemque promere sermonem: vestra sanctitas in admirationem non debet adducere, seu ad aliud quod debito & honestati non congruat deputare: cum certum existat bonis operibus frequenter adversitates ingeri, non in reprobationis præsagium, sed potius in virtutis, constantiæ, & fortitudinis stabile fundamentum, quæ in hoc Dei negotio non defuere, sed latenter interfuere, & interdum sub fictis coloribus in scintillam aliquando prodiere: ob quas, etsi protractiones in concordandis virtuose conceptis affuerint, tamen illis animo constanti depulsis virtute Altissimi, res quæ gerebatur adeo serena effecta est, ut sua valeat tunc firmitate & immobili fortitudine vestræ sanctitati & cunctis fidelibus nunciari.

Et ut narrationis series a suo principio sumat exordium: convenientibus nuper tribus ex nobis & reverendiss. patre D. card. de [a] Chalento reverendis patribus Rotomagensi, Tolos. Tarraconensi, archiepiscopis, ac venerabili viro magistro generali ordinis fratrum Prædicatorum, per sanctitatem vestram deputatis, in Liburno, cum quatuor ex dominis alterius collegii cardinalibus, ut de expedientibus, & necessariis ad causam unionis procurandæ pertinentibus cura haberetur sollicita, cum alias tractatus pro extirpatione schismatis habitus, & diu per inanes altercationes inutiliter tractus, in evidenti foret ruptura, taliter quod piam habentibus mentem, & zelum caritate ardentem ad schismatis extirpationem, res ipsa in desperationem visa fuit excidisse. Ob quæ, necessitate id exposcente, & utilitate claro intuitu requirente, cum alias statu rerum considerato schisma extirpari non posset: de concordia & assensu omnium per sanctitatem vestram deputatorum, aperta fuit via concilii generalis utriusque obedientiæ in uno loco partium Italiæ, unoque termino congregandi, ad finem, ut in eodem termino & loco sanctitate vestra et Gregorio convenientibus, per viam mutuæ cessionis concordatæ, & multiplici firmitatis irrevocabilis vinculo roboratæ, præsente & approbante concilio finis imponeretur schismati pestifero & nocivo: alias provideret concilium, & ecclesia congregata, ut foret secundum Deum, ac Divinas et canonicas sanctiones providendum. Quæ via illico in suo ortu per dominos alterius partis cardinales approbata extitit, & cum magna mentis exultatione recepta, ac ab omnibus audientibus quamplurimum commendata. Per cujus viæ apertionem depulsa fuere quamplura aperta & mota, quæ sic convenienter ad unitatis procurandum vinculum non censebatur merito pertinere. Demum habita præmissorum certitudine, viam ipsam sanctitas vestra approbavit, & in procinctu recessus a Portu Veneris S. vestra per sacristam Magalonæ mandavit nobis, ut viam apertam generalis concilii prosequeremur animo constanti, ac indefesso labore. Et quamvis ante notitiam vestri recessus ad partes tam remotas, via concilii generalis utriusque partis & obedientiæ visa fuerit necessaria, vobis et Gregorio existentibus in propinquo: multo fortius & evidentiori necessitate complexa vobis ad invicem absentantibus, & ad loca tanta distantia separata transferentibus, non sine cordis lugubri lamentatione illorum, qui unitatem fidei et ecclesiæ gerunt in desiderio caritatis. Si enim vobis ad invicem in propinquo consistentibus pax ecclesiæ dari non potuit: quis sanæ mentis & sui compos existens æstimabit, sine via utriusque partis generalis concilii ecclesiam uniri posse, adeo longe terrarum spatio vobis existentibus separatis? Et propterea juxta nobis a sanctitate vestra injuncta mandata, et ob majorem imminentem necessitatem, prosecuti sumus cum dominis alterius collegii cardinalibus prædictam viam concilii utriusque obedientiæ: et finaliter post multa exacta dierum curricula concorditer convenimus, nomine etiam reverendissimorum patrum dominorum cardinalium pro nunc a præsenti civitate absentium, & nobiscum in hac parte concordantium, ac sincera caritate cum omnibus dominis cardinalibus alterius partis concordavimus, uno dumtaxat excepto, cujus tamen adventus parque concordia præstolatur in brevi, ut generale utriusque partis et obedientiæ concilium teneatur in hac civitate Pisana, per sanctitatem vestram, et Gregorium, alias electa et nominata in die Annunciationis Domini, quæ occurrit xxv. Martii proximi futuri, convocandum per nos in nostra parte, et per dominos cardinales alterius partis in sua, cum insinuatione præmissorum facienda per nos sanctitati vestræ, et alios dominos nominato Gregorio, nostra ex parte [b] S. V. cum umili supplicatione ipsorum ex parte (quoad Gregorium, a cujus obedientia et communione ob evidentes, necessarias, et justissimas causas recesserunt) requisitione solemni, ut præfato concilio feratis opem et assensum, vocando ex superabundanti et ad cautelam, ut pusillis et ignorantibus satisfiat per vestras litteras, et Gregorius per suas, ad locum et terminum antedictos, eos qui sanctitati vestræ et illi obediunt; ut sic vestra, et illius ac nostra, dominorum quoque alterius partis, vocationibus in unum concurrentibus, res ipsa efficia-

a) *Cod. Harlaan.* Chalanc

b) Sanctitatis Vestræ.

ANNO CHRISTI 1409.

efficiatur validior; licet alias per se existat valida et omni firmitate subnixa: tollaturque frivola quorumdam quærentium quæ sua sunt allegatio, qua alias contra modum vocationis concilii impertinenter uti vellent ad differendum vel impediendum tam gratum Deo servitium, fidei et animarum saluti tam necessarium, ac toti reipublicæ opportunum; cum communis sit omnium fidelium opinio, rei experientia comprobata, quod numquam Gregorius cum sanctitate vestra super convocatione utriusque partis concilii in loco et uno termino, concordaret; certumque existat, quod ad vestram et illius generalem vocationem, si fieret, non obedientes, subtracti et neutrales, nullatenus convenirent. Estque convenientius canonibus, verisque consonum opinionibus, et sanctorum patrum exemplis merito imitandum, duobus de papatu contendentibus, quorum neuter ab universali ecclesia pro vero pontifice habitus est seu receptus, et quorum obedientia per multorum subtractiones et neutralitates in dies diminuitur & aufertur, super quorum controversia Deo non grata, fidelibus nullatenus accepta, necessarium est utriusque partis concilium convocandum, quod per cardinales partis utriusque potius (in quibus, quantum ad membrorum coherentiam attinet, est reformatum unitatis vinculum, fidelibus omnibus gratum, & qui ad hoc solum agunt, ut quantum ad subjectionem et communionem capitis, inter fideles existat uniformis caritas) convocetur universalis ecclesia in concilium generale; quorum vocationi potius parebitur, quam per sanctitatem vestram et Gregorium, quorum auctoritas ad effectus contemptu plenos in dies deducitur, negligiturque taliter, quod ad vocationem vestram et ipsius, universalis qui quæritur non sequeretur profectus.

Sunt etiam alia fundamenta lucida et sufficienti ratione fulcita, per quæ hic modus vocationis justus est, canonicus, debita ac justa consideratione necessarius ac etiam opportunus: a quo, et concilio ipso generali, vestra et Gregorii non excluditur præsentia, sed modis omnibus præstolatur. Tollitque hæc consideratio omnem objectionis intentum, quæ adversus ipsum generale concilium, ejusque modum vocationis, a volentibus subterfugere allegari posset.

Ad hoc autem, istud generale convocatur concilium, ut in illo sanctitate vestra & Gregorio convenientibus, cessio mutua promissa juramentis, et votis roborata, et a cunctis Christifidelibus approbata, fiat: eaque facta, et dispositis, quæ videbuntur utiliter disponenda, per cardinales utriusque partis in unum deductos collegium, ad canonicam procedatur electionem unici, veri, et indubitati pastoris; hæcque peragantur quacumque querela alia et accusatione denunciationeque depulsis, et erga sanctitatem vestram et Gregorium omnis adhibeatur honorificentia debita, libertas et securitas tribuantur modis possibilibus, sufficientibus et honestis, et etiam omnibus ad ipsum concilium venientibus, in veniendo, stando et recedendo. Super quibus, cum Florentinis, quorum dominio subest Pisana civitas, certas habemus conclusiones et capitula, et sufficientibus promissionibus et cautelis debitis roborata. Quod si S. V. veniente, disposita præmissa adimplere, Gregorio in damnata pertinacia et proterva contumacia permanente, fidei, unitati ecclesiæ et veritati evangelicæ obviante, vel sanctitas vestra sic disposita non venerit tunc in alterius, vel utriusque contumaciam et defectum, provideatur per concilium et ecclesiam congregatam, ac ordinetur ut dictaverit spiritus sancti gratia, volunt et disponunt canonicæ sanctiones, doctorum dicta per ecclesiam approbatorum suadent, et ostendunt gesta sanctorum patrum pariter et exempla: Taliter ut defectibus, contumaciis, et contradictionibus, et aliis non obstantibus causis prætensis, extirpetur schisma, et unio in Dei ecclesia reducatur sub uno vero et indubitato pastore, modo præmisso, auxiliante Domino, eligendo.

Hæc est via, pater sancte, sic deliberata sincere, de voluntate sanctitatis vestræ prosecuta, Deo grata, auctoritatibus veteris et novi testamenti conveniens, gestis apostolorum, et sanctorum patrum, dictisque concordans, et a canonibus approbata, acceptaque prælatis, regibus et principibus, nobilibus, communitatibus, & omni clero & populo Christiano, ad quos de illa pervenit veridica relatio: omnisque lingua illam commendat, approbat et exaltat; per istam solum existimantes schisma extingui posse, unitatis vinculum inter Christicolas reduci. Qui in ista laborare neglexerit, & laborantibus in ea opem & auxilium præbere noluerit, juxta beatos Ambrosium, Augustinum, & Anselmum, in ecclesia non existit, foris est, et trunco arboris ramus præcisus. Qui vero contradixerit, & impedimenta præstiterit, schisma diligit, nutrit, et facit, unitatem odit, fidem violat, veritati evangelicæ contradicit, et multo fortius a gremio ecclesiæ alienus existit. Itaque, ut ait beatus Cyprianus, tanta est macula, quod nec sanguine abluitur, cum sit inexpiabilis et gravis adeo culpa discordiæ, ut nec passione purgetur etiam pro fide Christi suscepta.

Hæc, pater sancte, cum caritatis zelo vobis significamus, supplicantes etiam nomine reverendissimorum patrum dominorum cardinalium absentium, et nobiscum in hac parte convenientium, et nobiscum facientium duas partes collegii, quatenus ad præmissa, ac lamentabilem statum ecclesiæ, animarum evidentia periculo, errorum succrescentium multitudinem pestiferam, libertatis ecclesiasticæ detrimenta, velitis aciem mentis dirigere, & attendere, quod duæ partes vestræ obedientiæ, & ultra, irretractabiliter, quantum ex modo colligi potest, a vobis recesserunt, & se neutrales fecerunt, & in quo periculo sunt illæ modicæ terræ ecclesiæ vobis subjectæ, quas murus & arma non protegent, sed eis potius, ut formidamus, occasionem dabunt ruinæ & dispersionis lacrymis deplorandæ; & generali utriusque partis concilio, ut præmissum est, congregando, opem & assensum ferre, & in ipso convenire personaliter in loco & termino antedictis, cum dispositione præmissa incommutabili; quæ omnibus Christifidelibus illico innotescat, quod vestra sanctitas intendit in ipso concilio pro unionis bono renunciare papatui, Gregorio renunciante, mortuo, vel per judicium ecclesiæ dejecto & sententialiter condemnato. Et de vestra intentione ac proposito in præmissis supplicamus humiliter sanctitatem vestram, dignetur per ipsius litteras nos certiores efficere, per venerabilem virum magistrum Joannem Guiardi archipresbyterum Pictavensem præsentium exhibitorem, quem pro præmissis ad sanctitatem vestram

ANNO CHRISTI 1409.

stram direximus, deferendas: ad hoc ut habita vestræ intentionis a præmissis, ut speramus, minime deviatum, sed in omnibus assentientis, certitudine, valeamus circa vestra vestrorumque securitatem & libertatem in veniendo, stando, & redeundo, efficacius laborare, & de his congruo tempore vestram sanctitatem certificare, ac nos disponere ad serviendum sanctitati vestræ in accessu ad dictum concilium, & in ipso concilio, ut convenit & decens existit. Quamvis certum existat, quod accedente in præmissis vestra concordia, & firma dispositione, cessabit omne periculum, & inimicorum, si qui forent, feritas in mansuetudinem deducetur omnino, famosaque oblocutio in famam virtuosam merito convertetur; vobisque erit pax & securitas, inenarrabile quoad Deum præmium, hominum laus & gloria sempiterna. A quibus, & tam necessario debito, sub animæ et salutis æternæ imminente periculo, neque viarum discrimina mortisque periculum, possunt subterfugientem reddere in conspectu Altissimi & hominum judicio excusatum. Et si, quod absit, aliqua prætenderetur periculi causa, Dei timore postposito, et tam necessario contempto debito, cum adversus concordata, et in debitum deducta necessarium, nulla competat exceptio: possent, quæ incumbunt, per procuratorem et deputatum habentem ad præmissa omnia speciale et irrevocabile mandatum, executioni debitæ demandari, omni excusatione cessante.

Et supplicamus humiliter, quatenus sanctitas vestra nos dignetur habere excusatos, si in hoc festo omnium Sanctorum ad eamdem non accedimus sanctitatem, cum necessitas hic deliberatæ materiæ, Deo et hominibus gratæ, nostrum a præsenti civitate et consortio dominorum cardinalium partis alterius recessum non patiatur præsentialiter evenire: cum sequeretur ex hoc generalis concilii protractio, ne dicamus impedimentum, quod absit, in magnam Dei offensam, et scandalum, desolationemque omnium, qui per hanc viam sperant in brevi ecclesiam in pacis vinculo reformari; esseque separatio prædicta, et ad sanctitatem vestram accessio, adeo periculosa, ut cessantibus aliis periculis terra marique occurrentibus, satis notis, nedum homines, immo et lapides, si fas sit dicere, nostram insurgerent in ruinam. Nec videmus, pater sancte, qualiter particulare in Perpiniano tenendum concilium, in quo vix tertia pars obedientiæ vestræ conveniet, etiam si tota obedientia conveniret, possit ad extirpationem schismatis pertinere: cum ex particularibus conciliis in diversis terminis, et locis longa distantia separatis, celebrandis, etsi sequi valeat unionis impedimentum, non tamen extirpatio schismatis, quam evidenter inducit generalis concilii utriusque partis dispositio, ad quod tendimus, tendit et totus mundus. Hancque viam sumus de voluntate sanctitatis vestræ constanti animo prosecuti, quam etiam usque ad finem indesinenti animo prosequemur. Vestram sanctitatem dirigere dignetur Altissimus feliciter et longæve, cum prompto desiderio, et effectuali executione præmissorum pro pace ecclesiæ celeriter obtinenda.

Scriptum Pisis XXIV. Septembris, anno Domini MCCCCVIII.

Ad epistola finem subnotatum erat.

ANNO CHRISTI 1409.

HÆc littera suprascripta præsentata fuit Petro de Luna per magistrum Joannem Guiardi archipresbyterum Pictavensem ibi ea nominatum, ad hoc missum per dominos cardinales apud Perpinianum: cui dictus Petrus de Luna responsionem fecit per cedulam in forma quæ sequitur.

PETRI DE LUNA.

Responsio ad superiores cardinalium litteras.

Venerabilibus fratribus, Guidoni Prænestino, Nicolao Albanensi, Petro Tusculano, episcopis, Petro de Thureio presbytero, Amedeo de Saluciis, & Petro sancti Angeli, diaconis, S.R.E. cardinalibus, salutem & apostolicam benedictionem.

SPiritus sanctus ecclesiæ corpus vivificans, dirigens & gubernans, non solum unitatis & pacis, quin immo dicitur Spiritus veritatis. Sic itaque ecclesiæ prosequi convenit unitatem, ut cum pace veritas, juxta mandatum propheticum, diligatur. Sane die vicesima mensis Octobris litteras vestras datas Pisis XXIV. mensis Septembris proximo præteriti nos noveritis recepisse, inter cætera continentes, quod de voluntate & mandato nostro viam concilii prosequentes, cum anticardinalibus, qui sunt Pisis convenistis, & etiam accordastis per vos in civitate Pisana ad diem Annunciationis Dominicæ instantem convocaretur concilium, ut asseritis, generale: & quod hæc via per vos tres, Prænestinum, de Thureio, & S. Angeli, & dilectos filios Petrum Tolosanum, Antonium de Chaleato, cardinales, & bonæ memoriæ Joannem cardinalem Armaniaci, tunc archiepiscopum Rotomagensem, ac venerabilem fratrem nostrum Petrum archiepiscopum Tarraconensem, & dilectum filium Joannem de Podionucis magistrum generalem ordinis fratrum Prædicatorum, quos dudum Liburnum misimus, fuit concorditer aperta, & per nos demum approbata: quodque in procinctu nostri recessus de Portu Veneris, per dilectum filium Joannem Malerusi sacristam ecclesiæ Magalonensis vobis mandavimus, ut præfatam viam prosequeremini animo constanti ac indefesso labore; adjicientes nobis etiam supplicando, quod cum prædicta via sit Deo grata, & auctoritatibus veteris ac novi testamenti, patrumque exemplis ac sacris canonibus approbata, & propter alia, quæ non exprimentes allegatis, lucida fundamenta sufficienti ratione fulcita, per quam solum schisma extingui posse, ut scribitis, æstimatur, dignaremur præfato concilio ferre opem pariter & assensum, vocando, ut dicitis, ex superabundanti & ad cautelam illud in dictis loco & termino: ac personaliter ibidem conveniendo cum proposito in certis casibus renunciandi papatui in eodem.

Quibus visis, ad aliqua solum quæ facti sunt pro nunc duximus respondere, cum veritate facti seriem recitando: ut illi tres, qui ex vobis præmissis interfuistis, factum melius ad memoriam reducatis; & alii, immo etiam omnes Christi fideles, veritatis videant fundamentum, & quantum caute in tam arduo & periculosa nego-

ANNO CHRISTI 1409.

negotio eos oporteat ambulare. Scitis enim, cum satis notorium existat, nos pro executione sacræ & desideratissimæ unionis, & eorum quæ pro ejus felici consummatione scripta & oblata sunt, ad omnia loca concordata, ut usque ad fines nostræ obedientiæ cum magnis damnis & laboribus, summisque terræ & maris periculis accessisse; & demum ad loca inter Lucam & Portum Veneris constituta, & existentia in ipsius Angeli obedientia, & per ambassiatores Venetorum, & alios de obedientia dicti Angeli aperta, nos velle accedere, obtulisse.

Verum his omnibus per eumdem Angelum denegatis, & minime observatis, de Liburno pro nobis, & de Pisis pro ipso Angelo, per eum aperte & publice oblata, licet inæqualia, & nobis periculosa & incommoda loca, etiam contra aliquorum ex vobis opinionem, duximus acceptanda. Quæ omnia & multa alia præfatus Angelus, in suæ, & multarum animarum periculum, & contra suorum prætensorum cardinalium, multorumque magnorum de sua obedientia consilium, facere & adimplere publice recusavit. Cæterum omnem tractatum unionis, & quamcumque audientia, salvumque conductum, nostris nunciis & aliis denegavit. Propter quæ & alii multi ex suis prætensis cardinalibus, dictum Angelum in civitate Lucana deserentes, Pisis se personaliter transtulerunt, nos cum instantia deprecantes, ut ad eos appropinquare velimus, Liburnum accedendo.

Nos autem de vestro & aliorum venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium consilio, tunc ad dictum locum Liburni accedere decrevimus sine mora. Sed quia salvus conductus prius a Florentinis ob securitatem & victualia, & a domino Lucano propter transitum aliorum, qui per terram nos erant secuturi, necessarius videbatur: de nostro & aliorum prædictorum fratrum nostrorum consilio, vos tres prædictos, una cum quinque supra nominatis, ad antedictos prætensos præmisimus cardinales pro illorum consolatione, & ut pro huhujusmodi securitatibus habendis vestra circumspectio laboraret cum bulla nostra credentiali, sed ad communes instructiones vobis omnibus traditas communiter referente. Quæ quidem instructiones per te, dilecte fili cardinalis S. Angeli, principaliter formatæ, & demum concorditer approbatæ, nihil aliud in effectu continebant nec continent, nisi quod antefatos cardinales confortaretis in Domino, & informaretis de nostro bono proposito & brevi accessu ad Liburnum, audiretisque & sentiretis quas vias & modos pro unione ecclesiæ servare & prosequi intendebant, & de illis nos curaretis reddere certiores: ad hunc videlicet finem, ut cum prædictis fratribus communicato consilio, possemus procedere commodius in agendis. Visis igitur & recensitis prædictis instructionibus in forma authentica, continentibus præmissa tantummodo, & auditis depositionibus dictorum cardinalium, Tolosani, & de Chalento, & Tarraconensis, ac generalis Prædicatorum, publice & constanter asserentium, se nec vos tres ipsis præsentibus aliud quam sit in dictis instructionibus, nostra ex parte movisse seu aperuisse: hoc firmiter de vobis & ipsis credidimus & credimus, nec aliud credere verisimiliter debeamus, quod videlicet præter instructiones nostras attentaretis aliquid ex nostra parte nobis inconsultis prosequi, nec etiam aperire.

Scitis præterea, quod per dictos Florentinos & dominum Lucanum, non obstante multiplici nostra & vestra, ac dictorum prætensorum cardinalium aliorumque instantia, fuit vobis & nobis omnis salvus conductus & securitas denegata. Ob quam rem nos adire non valuimus Liburnum, nec vos Pisas: ex quo oportuit quatuor ex prætensis cardinalibus ad vos Liburnum se transferre. Postmodum vero per dilectum filium Simonem Salvatoris cum instructionibus per vos sibi datis, de prolocutis inter vos & dictos prætensos quatuor cardinales, nos & prædictos fratres nostros informare curastis. Quibus instructionibus perlectis, nihil de prædicta via nobis innotuit, nostro, ut asseritis, nomine prosecuta. Bene tamen ex vestra parte per dictas instructiones & alias, verbo & scripto manu tua, dilecte fili cardinalis santi Angeli, correctis fuimus nihilominus informati, quod dictis prætensis cardinalibus vobis separationem a nobis, & cum ipsis conventionem; & concilii convocationem sine nobis suadentibus, constanter in facie restitistis: per organum tuum, fili cardinalis sancti Angeli, expresse allegando, quod hæc secundum Deum & justitiam per vos fieri non poterant, nec debebant vos de his requirere; & quod ad nos tamquam ad caput, qui promissa conventa & concordata ad unguem servavimus, convocare concilium generale, et unionis negotium tractare, principaliter spectabat, prout hæc multis rationibus fundavistis.

Postremo non ignoratis quod præfati quinque ad nos redeuntes, qui in ultima die tractatus, quæ fuit die undecima Junii, propter eisdem imminentia pericula de Liburno recedentes, nostram præsentiam adierunt, vestrum trium et sui ex parte nobis referentes, quod ultima collatio inter vos, et sæpedictos prætensos quatuor cardinales, habita fuerat, quod ordinarentur certæ requisitiones dicto Angelo faciendæ: ante quarum quidem ordinationem, et aliam quamcumque receptam conclusionem, seu factam concordiam, ipsos, ut dictum est, recedere, et ad nos venire, eis gravi imminenti periculo, cogebantur. Qui ex parte vestra nobis instanter consuluerunt, ut dimissis illis partibus, nostram et nos sequentium personas in tuto, cujusvis moræ sublato dispendio, poneremus: cum per certas missas litteras vobis constaret, quod de nostra et eorum captione ibi mandatum venerat, unde posset grave in Dei ecclesia scandalum suscitari. Quibus pensatis satisque notorie divulgatis, de fratrum nostrorum concordi consilio, et eorum pulsanti instantia, ad locum tutum et securum cum nostris decrevimus nos transferre: volentes nihilo minus, ex quo in illis partibus ulterius adesse personaliter nequibamus, solemnes nuncios cum plena potestate ibidem dimittere, qui super agendis darent operam efficacem. Sed quemadmodum vobis et multis notum est, salvus conductus cum instantia postulatus, eis per gubernatorem Januæ, procurantibus ambassiatoribus carissimi in Christo filii nostri regis Franciæ illustris, in ipsis partibus tunc moram trahentibus, extitit denegatus: licet non credamus, hoc de dicti regis voluntate et constantia aliquatenus processisse. Propter quod nec eos dimittere, nec in illis partibus secure potuimus ulterius remanere. Tandem de dictorum fratrum nostrorum et notabilium prælatorum aliorum consilio, in nostri recessus procinctu generale concilium, brevi termino omnium Sanctorum instanti, in villa Perpiniani Elnensis diœcesis, utpote propinquiori inter loca secura, solemniter et pu-

ANNO CHRISTI 1409.

& publice duximus convocandum. His igitur omnibus consideratis, attenditis cum scribitis, quod per sacristam Magalonensem prædictum vobis in nostri recessus procinctu injunxerimus ut constanter prosequeremini dictam viam. Hæc enim & præfatus sacrista palam atque constanter, & instructiones sibi datæ, quæ de manu præfati Joannis cardinalis Armeniaci scriptæ manent, nihil continent super illo. Cæterum si forsan testes & scripta authentica superius allegata vobis non sufficiant: hoc saltem vobis & cuilibet intelligenti sufficiet evidenter, videlicet quod non est credibile, immo nec verisimile, quod nos cum nostro collegio, de nostro & aliorum fratrum consilio, cum tanto periculo recedentes, denegato vobis & nobis in Pisis & aliis partibus, ut dictum est, salvo conductu & securitate, & convocato per nos, ut dictum est, concilio generali, vobis in eodem nostri recessus procinctu, prout scribitis, per dictum sacristam mandaverimus, quod per vos concilium vocaretur: quod non valet quocumque verborum colore verificari. Et quibus cuilibet recte inspicienti constare potest, quod prædicta nostro nomine, & mandato, atque voluntate seu approbatione, ut vestra continet littera, non fecistis, nec facere potuistis.

De vobis igitur mirantur multi & magni, quid est quod vos quinque vel sex, ut dictum est, nobis & nostrum collegio inconsultis, quem papam & dominum vestrum scitis, quique pro unione ecclesiæ sanctæ Dei tot & tanta fecimus & obtulimus, & alia majora omni tempore parati sumus facere pro hujusmodi unione, & qui concilium generale non solum non denegamus, immo de fratrum nostrorum consilio convocamus, & in liminibus ipsius celebrationis existimus, & ad quem solum concilii generalis celebratio pertinet, ad similia procedere tentavistis. Quæ tamen si sancta, canonica, & juridica, sicut asseritis esse, demonstraveritis, non recusabimus. Tantum nos allicit tranquillitas populi Christiani. Super quibus cum nostro collegio in hoc sacro generali concilio de proximo in hac villa Perpiniani, loco utique celebri & insigni, idoneo per nos celebrando deliberare intendimus, & super allegatis & requisitis per vos pro unione utilibus, quod justum & canonicum visum fuerit, totis viribus prosequimur, & efficaciter cum suffragio Divinæ gratiæ exequemur.

Ad quod generale concilium vos in virtute sanctæ obedientiæ per nostras litteras convocavimus, & expresse harum serie convocamus: sperantes indubie, cum omnis pro vobis & aliis se exhibeat securitas, & illuc in allegato per vos tempore, si nobis utile visum fuerit, revertendi tempus adsit satis longum, quod in dicto generali concilio personaliter studebitis interesse. Et tunc lucida fundamenta, quæ habere prætenditis, licet illa non explicaveritis, poteritis declarare: quæ libenter audiemus; & benigne, in quantum rationabilia visa fuerint, admittemus. Præmissisque diligenter attentis, credere non valemus, vos nec quemquam nobis posse cum ratione consulere, ut convocato hic generali concilio, ad quod jam plurimi ex Hispaniarum, & aliqui Franciæ, Sabaudiæ, Provinciæ, atque Vasconiæ partibus, prælati atque notabiles personæ adsunt, quicquam innovare ante celebrationem concilii debeamus.

Ad id tamen quod tangitis, ut personaliter vel per procuratorem Pisas conveniamus, papatui, in certis casibus renunciaturi, & aliis in vestra littera contentis, solum pro nunc respondemus: nos firmam in Domino spem habere, quod ipso adjuvante, cujus recta sunt consilia, cum deliberatione dicti generalis concilii, talem, super his & aliis veram unionem concernentibus, recipiemus conclusionem, quod breviter, quantum in nobis erit, hoc detestabile, & proh dolor! nimium diuturnum schisma, tolletur de medio, & vera unio in Dei ecclesia subsequetur.

Datum Perpiniani Elnensis diœcesis, septimo Idus Novembris, pontificatus nostri anno decimo quinto.

Superioribus litteris subjuncta hæc erant in Dacheriano codice MS.

ITem sciendum, quod etiam fuerunt aliæ litteræ patentes ex parte cardinalium præsentatæ dicto Petro de Luna apud Perpinianum, per magistrum Guillelmum Saigneti judicem ordinarium Nemausensem, qui propter hoc ad eum ex parte cardinalium fuit missus. Quarum litterarum tenor hic statim ponitur: & in substantia idem continent, sicut litteræ clausæ ex parte eorumdem cardinalium per magistrum Joannem Guiardi præsentatæ, de quibus hic supra fit mentio secundo folio præcedenti. Et per istas patentes etiam dictus Petrus de Luna convocatur ad concilium Pisis congregandum. Et erant etiam aliæ patentes, per quas ad idem convocantur cardinales, qui erant cum eo quatuor, scilicet, Auxitanus, de Flisco, de Chalento, & etiam Gerundensis, qui tamen tempore præsentationis litterarum mortuus erat. Et dictus Guillelmus post præsentationem dictarum litterarum, & insinuationem, requisitionem, &c. sicut sibi erat injunctum, institit pro responsione habenda. Ad quod finaliter dictus Petrus de Luna respondit: Habuimus alias litteras clausas ex parte eorumdem cardinalium, super simili materia, licet posterioris datæ, sed primo nobis præsentatæ, quibus responsionem dedimus: ideo superfluum esset amplius respondere: dicens quod litteræ plura continent, quæ aliter se habent, & quod de omnibus, unionem ecclesiæ tangentibus, intendit deliberare in concilio suo generali apud Perpinianum celebrando, & sperat bonam conclusionem recipere, &c. Dicti autem cardinales requisiti pro responsione, dixerunt per os cardinalis Auxitanensis, quod idem cum dicto Petro de Luna respondebant in quantum eos tangebat. Et ita fuit relatum per dictum magistrum Guillelmum Saignetl, qui de omnibus attulit instrumentum ad longum.

FORMA SERVATA IN CELEBRATIONE concilii generalis apud Pisas, anno Domini M. CCCCIX. secundum morem curiæ computando, die XXV. Martii, quæ erat dies Annunciationis beatæ Mariæ. Tom. VI. Spicileg. pag. 267.

ET primo adveniente dicta die vicesima quinta mensis Martii, ad quam diem erat dictum concilium convocatum apud Pisas, fuit facta processio per cardinales & prælatos revestitos, ac alios qui ad dictum concilium convenerant, de S. Michaele, ubi est quædam abbatia monachorum, usque ad ecclesiam cathedralem, et ibi dominus cardinalis de Thureio fecit Missam, et unus de ordine Prædicatorum, vocatus frater Leonardus de Florentia, fecit sermonem.

Et

ANNO CHRISTI 1409.

Et fuit ista sessio continuata ad diem proxime sequentem.

SESSIO I.

Die igitur sequente, scilicet quæ fuit dies Martis, vicesima sexta Martii, fedit dictum concilium in dicta ecclesia cathedrali, & fuit una Missa solemnis celebrata per dominum cardinalem Vivariensem, in qua erant omnes cardinales, prælati, & alii qui ad concilium convenerant, ac etiam legati seu ambassiatores regum & dominorum, aliique procuratores, sedentes secundum sedes ordinatas bene & decenter per longum navis dictæ ecclesiæ cathedralis. Et post Missam dominus cardinalis Mediolanensis fecit sermonem: quo facto omnes cardinales, & alii prælati, episcopi, & abbates, in locis suis se revestierunt cappis & mitris albis.

Postea clerici ad hoc ordinati cantaverunt certas antiphonas, & dicebantur certæ orationes, & postea per diaconum dicebatur alta voce sub tono: *Orate*. Et tunc omnes flexis genibus & inclinato capite orabant sub silentio, quilibet in loco suo. Deinde post modicum spatium diaconus & subdiaconus incipiebant alta voce litaniam: & omnes respondebant prostrati in sede sua usque ad finem litaniæ. Qua finita unus ex cardinalibus episcopis dicebat certas orationes & proprias ad propositum unionis. Quibus completis, quidam cardinalis diaconus legebat unum evangelium alta voce: & omnes ad evangelium audiendum assurgebant. Quo lecto dictus episcopus cardinalis incipiebat hymnum, *Veni Creator*: & omnes prostrati simul perficiebant dictum hymnum, cantando. Quo finito, dictus episcopus cardinalis dicebat aliquas orationes, & manebant omnes prostrati, quilibet in loco suo. Postea dictus diaconus qui inchoaverat prius litaniam, hymno finito, alta voce in tono dicebat: *Erigite vos*: & sic omnes surgebant & sedebant quilibet in loco suo.

His factis pro procedendo in negotio primo illa die Martis, qua erat prima sessio, finitis dictis litaniis quidam legit de verbo ad verbum per cedulam, cap. *Fideli*, de sum. Trin. in Cle. & similiter cap. *in loco*, factum in concilio Toletano, quod habetur 5. q. 4. Postea etiam legit cedulam continentem quod hoc concilium tenere profitetur & credit omnia, quæ de summa Trinitate, & fide Catholica, & sacramentis ecclesiæ, hactenus ecclesia tenuit, & docuit atque docet; firmiter tenens omnem hæreticum vel schismaticum cum diabolo esse damnatum, nisi ante finem vitæ fuerit reconciliatus aut redintegratus ecclesiæ. Postea etiam legit cedulam, qualiter concilium ordinabat sessionem ad diem crastinam, scilicet Mercurii diem XXVII. Martii. Postea concilium illa die creavit officiarios, scilicet marescallos sedis apostolicæ duos, auditores cameræ duos, advocatos pro hac causa tres, promotores sive procuratores tres, notarios sex. Et omnes isti juraverunt sua officia fideliter exequi.

Postea advocatus proposuit, quod cum domini cardinales utriusque collegii se invicem unierint ad convocandum concilium generale contra Benedictum & Gregorium de papatu contendentes, qui ecclesiam tenent in schismate, nolentes cedere prout juraverunt, &c. ipsique ambo fuerunt citati & vocati, prout per instrumenta patebat: petebat quod hujusmodi litteræ vocationis legerentur, & ulterius procederetur in causa. Fuerunt igitur lectæ litteræ convocationis, & instrumenta de executione ipsarum. Postea advocatus requisivit, quod dicti duo ad valvas ecclesiæ vocarentur. Et ita factum fuit per duos dominos cardinales, quos concilium ad hæc commisit. Et cum rediissent, retulerunt quod nullus comparuit vel respondit: quare advocatus requisivit contumaciam. Concilium autem ordinavit adhuc eos esse vocandos, & ad hoc ordinavit diem crastinam pro secunda sessione.

SESSIO II.

Secunda sessio fuit die XVII. Martii, ubi post Missam celebratam omnes prælati quilibet loco suo se revestierant cappa & mitra alba, & cantatæ fuerunt litaniæ, orationes, evangelium, *Veni creator*, &c. sicut in alia die factum fuerat. His factis, concilium adhuc ordinavit cum primis aliquos advocatos, promotores, & notarios, qui sicut primi fecerunt juramentum, &c. Postea advocatus requisivit, quod dicti duo contendentes vocarentur ad valvas ecclesiæ: & ita fuit factum per duos cardinales ad hoc commissos, qui retulerunt quod nullus comparebat. Quare advocatus, sicut alias, petebat contumaciam dari contra eos. Et produxerunt promotores adhuc dictas litteras convocationis illorum duorum, sicut alia die factum erat, & instrumentum qualiter fuerant executæ. Concilium ordinavit adhuc dictos contendentes expectandos, & ad hoc pro tertia sessione ordinavit diem XXX. Martii: declarando quod si ex tali expectatione aliquis oriretur defectus in processu, illum volebat concilium supplere & supplebat, non intendens derogare potestati, jurisdictioni, & facultati competenti sibi, sed ad mitius agendum cum istis. Et promotores etiam de hoc fecerunt protestationem expressam, petendo semper de omnibus instrumentum.

SESSIO III.

Tertia sessio fuit die prædicta XXX. Martii, in qua post Missam & litan. sicut prius, advocatus institit, quod dicti duo contendentes reputarentur contumaces, & adjudicaretur contumacia contra eos: & requisivit quod domini cardinales Aquilejensis & Mediolanensis, qui executi fuerant litteram citationis contra Gregorium, de hoc facerent specialem relationem: & ita ex parte concilii fuit eis injunctum, & illico fecerunt. Postea iterum, sicut alias factum erat, dicti duo contendentes vocati fuerunt ad valvas ecclesiæ per duos dominos cardinales ad hoc ex parte concilii de sede sua missos ibi, qui retulerunt quod nullus comparuerat. Ideo fuit per concilium adjudicata contra eos contumacia per cedulam quam legit D. cardinalis Prænestinus, cujus cedulæ tenor est infra scriptus: per quam cedulam concilium ordinavit, quod domini cardinales absentes, qui etiam vocati fuerant, quorum erat unus cum Gregorio, & tres cum Benedicto, & non comparuerant adhuc, ex causa expectarentur. Et fuit præceptum quod cedula illa ad valvas ecclesiarum civitatis affigeretur, ne posset aliquis ignorantiam allegare: & ita fuit factum. Fuit etiam ordinata sessio ad diem XV. Aprilis, scilicet post festa septimanæ pœnalis, & Paschæ.

ANNO CHRISTI 1409.

Tenor autem dictæ cedulæ super contumacia dictorum contendentium est talis, ut sequitur.

SAncta synodus, seu hoc sanctum generale concilium, dominum Petrum de Luna, Benedictum XIII. nominatum, & dominum Angelum Corario, Gregorium XII. nuncupatum, de papatu contendentes, & quantum in eis est ecclesiam Dei notorie in schismate tenentes, legitime requisitos, vocatos, & provocatos in causa schismatis & fidei ad hoc præsens sanctum & generale concilium, & omnia in eo agenda, non venientes, seu legitime comparentes per se vel alios, nec termino statuto, satisfacientes, licet expectatos post terminum per duas sessiones, reputat, decernit, & declarat in causa schismatis & fidei contumaces, ponitque in contumaciam & defectum. Et ordinat in eorum contumaciam ad ulteriora debere procedi, & procedendum fore: ordinans sessionem aliam fieri die Lunæ post Dominicam in Albis, quæ erit xv. dies futuri mensis Aprilis. Ad quam diem ordinat præsens sanctum concilium, dominum cardinalem Tudertinum, domino Gregorio adhærentem, & dominos Joannem Sabinensem episcopum S. Adriani, & sanctæ Mariæ in via Lata, de Flischo & de Chalento vulgariter nuncupatos, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, domino Benedicto adhærentes, de benignitate expectandos fore cum intimatione. Quod, si prædicti duo contendentes, & præfati domini cardinales non comparuerint in dicto termino: ad ulteriora procederetur, eorum contumacia non obstante. Ordinat nihilo minus, præsentem ordinationem in valvis præsentis cathedralis ecclesiæ affigi publice, ne de premissis valeant ignorantiam allegare. Super quibus quidem reputatione, decreto, & declaratione, præfati causæ hujus ecclesiæ Dei deputati petierunt fieri unum & plura publica instrumenta, in processu causæ hujusmodi registranda. Datum die sabbati penultima mensis Martii, anno Domini millesimo quadringentesimo nono.

SESSIO IV.

Quarta sessio fuit die Lunæ, quæ fuit die xv. Aprilis. Et fuit celebrata Missa sancti Spiritus, & cantatæ litaniæ, more solito, sicut prius. In qua die episcopus Verdensis, & alii ambassiatores domini Ruperti de Bavaria in regem Romanorum electi * petierunt, & habuerunt audientiam, & ibidem proposuerunt certas dubitationes ad difficultandum congregationem concilii & agendorum in eo: & illa postea per certos articulos tradiderunt in scriptis, quorum tenor infra scribitur. Et eadem die duo contendentes iterum vocati fuerunt ad valvas ecclesiæ, ad quod missi fuerunt juniores duo cardinales, sicut in primis tribus sessionibus factum fuerat. Et etiam fuerant vocati, cardinalis Tudertinus, qui cum Gregorio remanserat; ac tres cardinales, qui cum Benedicto adhuc erant, scilicet Auxitanensis, de Chalento, & de Flischo. Et licet contra dictos duos contendentes jam fuisset decreta contumacia in alia sessione, scilicet tertia: tamen adhuc iterum fuerunt reputati contumaces ex abundanti. Et dicti quatuor cardinales adhuc fuerunt expectati de gratia, sicut in aliis sessionibus etiam dictum fuerat eos esse expectandos sub spe, etc.

* In aliis aliis supra editis, sanctæ sedis imperatoris electoris.

Et fuit dies assignata pro quinta sessione ad diem Mercurii, quæ fuit dies XXIV. Aprilis.

Tenor autem propositorum per ambassiatores dicti domini Ruperti sequitur, & est talis.

REverendissimi patres et domini, excellentissimi principis et domini, domini Ruperti Romanorum regis semper augusti, oratores exponunt coram vestris reverendissimis paternitatibus sincerissimam affectionem, quam semper habuit & hodie habet ad promovendum felicem statum, ac sacratissimam unionem sanctæ matris ecclesiæ, & possetenus laborandum ad remotionem istius pestiferi schismatis, ut sublatis universis animi passionibus, scrupulis, perplexitatibus, dubiis, difficultatibus, altercationibus, involutionibus, & erroribus quibuscumque, conscientiæ singulorum etiam ab utraque parte possint serenari, & subsequenter ut sincera, pura, integra, ac totalis unio Christi fidelium procurari valeat, & introduci, Domino concedente. Et quia omnibus & singulis circumstantiis hinc inde, ac processibus tam domini Gregorii, quam dominorum in Pisis existentium, maturis & frequentatis deliberationibus præhabitis, diligenter ponderatis, libratis & pensatis, regia majestas videre non poterat, quod ex concilio per dictum dominum Gregorium indicto, ex una, vel etiam ex congregatione per vestras reverendissimas paternitates in loco Pisarum facta seu fienda, parte ex altera, posset sequi sincera, pura, integra, & universalis unio Christianorum ex dubiis & motivis, quæ ex litteris factis & processibus utrinque habitis collecta sunt, atque luce clarius colligi possunt, inferius annotatis.

In primis, quia cum quærenti quando subtracta sit obedientia D. Gregorio per reverendissimos dominos, &c. respondetur, quod XI. Maji proxime præteriti, prout in litteris eorum sub data Liburni prima die Julii universis Christi fidelibus directis clarius continetur, in quibus inter cætera sic dicitur de verbo ad verbum: „ Die XI. mensis Maji proxime præteriti, omnem, quantum in nobis fuit, obedientiam „ juxta juris exigentiam abstraximus, & recessimus ab eodem: " dubium manifestum seu difficultas apertissima surgit ad oppositum. Nam dicti reverendissimi domini, in quibusdam litteris præfato serenissimo Romanorum regi per eos directis, sub data Pisis die XII. Maji, inter cætera expresse scribunt in hæc verba: „ Nec „ nostræ mentis est a fide veritateque nostris „ erga præfatum dominum nostrum (dummodo modis hactenus per eum retentis succisis, „ ipsum ad id quod tenetur effectualiter adimplere, dispositum videamus) modo aliquo „ deviare, sed tali eventu obedientiam & reverentiam debitam exhibere. " Pro isto etiam facit tenor appellationis per eosdem reverendissimos dominos die XIII. dicti mensis Maji contra dominum Gregorium interpositæ: in qua dicunt in hæc verba: „ Coram sanctitate vestra, beatissime pater, cum omni debita reverentia in his scriptis appellando proponunt „ humiles servitores vestri, &c. " Et infra in eadem dicunt sic: „ Quare, beatissime pater, cum „ omni obedientia, humilitate, & reverentia, &c. " Et infra: „ A vobis, pater beatissime, „ irrationabiliter, & secundum non rectam informationem decernente, ad vosmet secun-

„ dum

ANNO CHRISTI 1409.

„ dum rectam rationem & melius informatum." A Et infra: „ A vobis, pater sanctissime, ejus „ vicario ad Dominum nostrum Jesum Christum." Notarii etiam eorum in instrumento interpositè appellationis scribunt in hæc verba: „ Pontificatus vero sanctissimi in Christo „ patris & domini nostri, domini Gregorii, „ Divina providentia Papæ XII. &c."

Responsio

Non obstant quæ hic opponuntur, quia licet prima deliberatio de subtractione facta fuit die XI. Maji, tamen ex causa differebatur executio subtractionis, sicut in simili fit frequenter ex causa. Licet enim ex consilio apostoli redimere tempus, & aliqua tolerare alias non toleranda, quando diei mali sunt. Eph. v. c. XVII. q. ii. §. Sicut etiam fatis habetur ad Col. IV. *Redimentes*.

Ista & subsequentes erant in margine C.MS. & hinc forte abesse deberent, cum non fuerit concilii. Sed cum editæ fuerint a Dacherio, qui hoc optima fide admonuit, prætermitti a nobis non debuerunt.

Item, quia dicitur in præfatis litteris do- B minorum reverendissimorum patrum, datis Liburni prima die Julii, quod omnem, in quantum eis fuit, obedientiam juxta juris exigentiam abstraxerunt, ut superius est inductum *: quæstio surgit, sive dubium, quæ solemnitas in hujusmodi subtractione fuerit observata. Dicunt namque dicti domini in litteris regi Romanorum sub data XII. die mensis Maji directis, quod XI. die mensis ejusdem, hora XXII. recesserunt de Luca: & XXII. hora solum per duas horas erat ante noctem: non videtur quod aliquam solemnitatem adhibuerint, & maxime eis per viam & campos transeuntibus, & in motu existentibus, & in tam brevi tempore. Item, ipsi dominum Gregorium nunquam requisierunt, nec monuerunt, &c. nec consilium domini nostri regis Romanorum, & aliorum principum, & prælatorum obedientiæ nostræ, receperunt. Sed certe domini de collegio partis adversæ non sic fecerunt, qui cum semel subtraherent obedientiam Benedicto, ipsum de concilio regis Franciæ, & aliorum principum, maturis & digestis deliberationibus præhabitis, prius requirebant & monebant.

* al. indictum.

Responsio.

In notoriis non requiritur solemnitas, sed diligentia remedii: & antequam de Luca recederent, scilicet die XI. Maji, inter se deliberaverant de subtractione, non in itinere, ut hic improperat, cujus deliberationis executio adhuc pendebat, ut supra dictum est.

Item, cum dicti domini in suis litteris sub data prima Julii superius inductis dicunt in hæc verba: „ Requirimus & monemus, quatenus ab ipsius Gregorii obedientia penitus „ & omnino desistatis & recedatis, nec ei „ aut cameræ apostolicæ suo nomine de com„ munibus vel minutis servitiis, seu annatis „ beneficiorum, &c. aliquatenus respondeatis." Dubium surgit quo juris ordine, & qua justitia, hujusmodi requisitionem & monitionem facere potuerunt.

Responsio.

Dic ut supra, quia notorium, &c.

Item quæritur, vel dubitatur, numquid do- B minus Gregorius adhuc sit papa, & pro tali tenendus in obedientia nostra? Quod si sic, quare sibi non est obediendum in licitis & honestis? Et quare non ligant sententiæ suæ rationabiliter promulgatæ? Quod si non: quæritur quando, qua causa, & quomodo desierit esse papa, cum nondum cesserit, & ab ecclesia universali nondum condemnatus, nec a jure communi depositus sit, nec coram suo judice de crimine hæresis, vel alio notorie scandalizante convictus sit vel confessus; immo expresse negat, quæ sibi ab aliquibus objiciuntur & impinguntur.

Responsio.

Respondetur, quod quia ex actis & gestis notoriis ostendit se esse schismaticum, immo hæreticum, cessavit esse papa: & licet non possit eligi alter papa ante sententiam, tamen ante sententiam potest ab eo recedi. XVI. q. VII. cap. *Sane*. glos. in cap. *Sacerdotes*. II. q. VII. glos. in cap. *Cum non liceat*. de præscript. maxime in casu nostro, ubi qualitercumque obediendo sibi favetur in schismate, non obstante cap. *Rationi* VII. q. IV. quia ibi pro dubia suspicione recedebatur. Item obediendo in aliis non favebatur ibi hæresi vel crimini, hic secus, &c.

Item, dubium est, utrum obedientia sit subtrahenda ad faciendum unionem, cum non sint facienda mala ut bona eveniant.

Responsio.

Respondetur, quod subtrahere obedientiam non est malum, immo sanctum, bonum, & justum, in casu nostro, attentis circumstantiis & aliis attendendis.

Item, utrum obedientia fuerit subtrahenda ante sententiam latam, & ante causæ, propter quam fieri debebat, cognitionem.

Responsum est hic supra

Responsio.

Item, numquid tenemur lucrifacere animas aliorum cum maximo damno propriarum? cum tamen *nihil prodest homini*, &c. Mirabile, immo detestabile esset se damnare, ut alii redimantur; egredi domum ut alii ingrediantur; se dividere, ut alii uniantur; & se interficere, ut alii salutis optatæ compendium consequantur.

Responsum est hic supra.

Responsio.

Item, qua temeritate viri litterati & periti, C qui sunt vel saltem fuerunt de obedientia partis nostræ, audent dicere vel asserere, quod viri obedientes Gregorio sint schismatis fautores? cum tamen nihil innovaverint, sed in terminis primis remanserint, & obedientiam solitam continuaverint, ac per ecclesiam universalem de contrario nondum sint informati, nec ad contrarium inducti? Hæc dubia inducta respiciunt subtractionem obedientiæ per aliquos factam, & aliis suasam per eosdem.

Responsio.

Respondetur quod ex parte personæ cui obediebatur, negotium est mutatum notorie, &c.

Deinde surgunt dubia circa indictiones D concilii, & convocationes per dominum Gregorium, & etiam per reverendissimos dominos, &c. factas & promulgatas.

Et quia concilium domini Gregorii fuit indictum, prout ex bullis suis manifeste habetur, III. Non. Jul. & convocatio reverendiss. patrum, &c. fuit indicta die XXIV. mensis Junii, ut patet ex litteris eorumdem dominorum, quibus indicebant suam convocationem in Pisis: surgit dubium quare dicti domini scripserunt serenissimo domino nostro regi Romanorum litteras sub data Liburni XXVI. Julii continentes hæc verba: „ Deliberavimus autem convocare concilium „ generale ex utraque parte: cujus rei atque „ nostri propositi intimationem determinato „ loco, ubi optandissima congregatio hujusmo„ di fieri debeat, & oratorem nostrum præci„ puum mittemus in brevi ad majestatem ve„ stram." In quibus litteris videtur locum pro convocatione die XXVI. Julii nondum fuisse determinatum. Quomodo ergo die XXIV. mensis Junii immediate præcedentis, plusquam per mensem ante, ad illum locum poterant indicere convocationem fiendam? Præterea est testimonium magnorum dicentium, quod per totum mensem Augusti proxime præteriti nondum fuerunt certi de loco Pisarum

Responsio. Respondetur, quod locus erat determinatus per eos die XXIV. Junii, sed non incommutabiliter si forte locus aptior occurriset, vel de loco Pisarum impedimentum aliquod supervenisset. Ideo nihil est hic quod obstet.

ANNO CHRISTI 1409.

Item, si die XXIV. Junii convocationem suam indixerunt, quare in partibus Rheni non remotissime distantibus de mense Octobris primo publicaverunt per quemdam nuncium, qui habuit litteras credentiales dictorum dominorum sub data prima die Septembris.

Responsio. Respondetur, quod magis a loco Pisarum distantibus fuit citius intimandum, quam propinquioribus, qui de istis alias poterant esse certi, & quibus minor dilatio, seu minus spatium temporis sufficiebat ante diem concilii.

Item, Gregorius qui secundum eos concilium suum posterius indixit in partibus Alemanniæ, & præsertim Rheni, per duos menses suum concilium prius publicavit, quam domini supradicti.

Responsio. Respondetur, quod ex hoc arguitur ipsius Gregorii fervor & studium ad impediendum concilium generale Pisanum, & executionem viæ cessionis, quam juraverat, quæ ibi poterat habere effectum: sed non in concilio particulari obedientiæ suæ potuisset habere effectum suum.

Item, in litteris dictorum DD. pro convocatione & congregatione fienda in Pisis, cavetur, quod hujusmodi convocatio facta sit per dominos de utroque collegio ad invicem unitos. Nam in principio earumdem litterarum dicitur in hæc verba: „ Miseratione Divina „ episcopi, presbyteri, & diaconi cardinales „ sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, nunc in loco Liburni Pisanæ diœcesis commorantes, „ una cum collegio reverendissimorum in Christo patrum & dominorum in altera parte „ cardinalium. " Et infra versus medium dicitur sic: „ Habitis inter nos consiliis firmavimus nos unire cum dominis alterius collegii. " Et post pauca: „ In unum nos unjvimus propositum. " Sed circa hoc oritur dubium: nam non videtur verisimile, quod ambo collegia convocaverint, vel convocationem indixerint ante suam consœderationem: sed consœderatio primo facta est penultima Junii, ut patet ex tenore instrumenti desuper confecti, per quatuor vel quinque dies post indictionem convocationis.

Responsio. Respondetur, quod tunc primo fuit deliberatio eorum intimata coram notariis ad conficienda instrumenta pro tempore futuro. Item fuit primo per ipsos cardinales facta subtractio, sed ..... scilicet non obediendo in his quæ essent contra bonum unionis; sed postea fecerunt alia vice subtractionem talem, videntes eius obstinationem firmatam. Distingue ergo tempora, & non est aliqua contrarietas.

Item, nonne convocatio concilii pertinet ad papam dispositum ad convocandum, & qui, quantum in se est, concilium indixit & convocavit? Et respondent aliqui quod hoc sit verum de papa indubitato. Sed quomodo papatum Gregorii revocant in dubium, cum tamen in instrumento conclavis sic dicatur: *Et intendentes ad remedia fortiora, non quid juris pro parte eorum justitia suadeat*: quod jus verissimum est, & plena veritate fulcitum.

Responsio. Respondetur, quod convocatio ipsius Gregorii erat impedire concilium generale, ut est notum: & ideo in ejus defectu, in casu tam necessario, cardinales habebant hoc facere, etiamsi indubitatus papa esset; immo in defectum eorum clerus Romanus potuisset convocare. Notant Ostiensis, & Joannes Andreas in cap. *licet*, de elect.

A Item, si dubitant de papatu Gregorii, quare simili ratione non dubitant de suo cardinalatu? Quod si dubitant, videtur quod ex simili dubio non habent se intromittere de electione summi pontificis contra practicam quam habent præ manibus.

Responsio Respondetur, quod dubium de papatu surgit ex nova causa superveniente in causa Gregorii, quia factus schismaticus vel hæreticus; & hoc non concernit cardinalatum præcedentem.

Item, pari ratione habebunt dubitare de papatu Innocentii VII. & Bonifacii IX. & fortasse Urbani VI. & sic videntur in eamdem opinionem cum Gallicis, quia a principio diviserunt B ecclesiam, incidere: & in dando Gregorio & aliis in summos pontifices, totam obedientiam nostram videntur decepisse, si fas est dicere. Præterea in litteris quas scripserunt Romanorum regi post assumptionem Gregorii sub datis Romæ x. Decembris, dicunt in hæc verba: „ Post solemnes de futuri pontificis electione tra„ ctatus, illo Divinitus inspirante, qui cuncta „ perpetua ratione gubernat, vota nostra in „ reverendissimum in Christo patrem & domi„ num ex nostro collegio, dominum Angelum „ tit. sancti Marci presbyterum cardinalem, „ confratremque nostrum, ad culmen dignita„ tis apostolicæ, post Divinæ gratiæ munera, „ universis ejus exigentibus meritis, nec im„ merito ascensurum, nemine discrepante di„ reximus, iptumque confratrem nostrum die „ ultima Novembris in dominum nostrum elegi„ mus atque patrem, &c. " In quibus verbis non prætendunt eum elegisse in papam dubitatum: si enim de suo papatu dubitaverunt, quare eum elegerunt, & ut talem toti nostræ obedientiæ promulgarunt?

Responsum est hic supra. Responsio.

Item, dubium est, utrum dominus Gregorius in convocatione facta in loco Pisarum teneatur comparere: & si non venerit, an possit judicari: dubium autem surgit ex hoc, quia major pars prælatorum in Pisis existentium est D de parte sibi adversa, quæ partem nostram semper reputavit schismaticam & prædicavit. Alii autem fere omnes subtraxerunt domino Gregorio obedientiam, & fecerunt se partem contra eum, accusaverunt eum, & crimina manifeste imposuerunt ante sententiam latam: modo non videtur, quod adversarii sint competentes judices vel conjudices; nec videtur quod quis ad vocationem talium teneatur comparere.

Responsio. Respondetur, quod neutrales & subtracti, sunt magis habiles & idonei ad cognoscendum de isto casu schismatis & divisionis de papatu, & ad introducendam unionem in ecclesia Dei, quam illi qui firmiter obediunt alteri, & ejus partem sustineor & procurant. Ideo hoc non impedit E quin vocatus comparere teneatur, ex quo vocatio alias est debite facta: nec possunt dici adversarii vel inimici, quia ex culpa ipsorum vocatorum procedit hæc subtractio, & criminis impositio juxta c. *Si de rebus* XXIII. q. VII. nec est diffidendum de determinatione quæ fiet per concilium generale, XXIV. q. 1.

Item, convocatio concilii videtur habere vim citationis: quia quæ in ea aguntur, jurisdictionis sunt. Dubium igitur remanet, quare dicti domini suam convocationem die feriato indixerunt, scilicet ipso die sancti Joannis Baptistæ; & ad diem feriatum convocarunt, scilicet ad festum Annunciationis proxime præteritum: cum talis convocatio, si saltem vim habeat citationis, nulla sit ipso jure.

Re-

Responsio. Respondetur, quod natura negotii, scilicet concilii congregandi, talis est, quod primo fit processio & preces ad Deum, & hoc in die feriata convenienter fit, & ita etiam de facto fuerat hic servatum, nec concilium fedit illa die feriata. In c. *venient* de accusatio ibi facta fuit ad diem Resurrectionis Dominicæ. Idem habetur in c. fi. de dilati., & in cap. *tam ex litteris*, de integr. resti. §. fi. unde dies erat assignata hic ad se præsentandum, non ad procedendum, vel respondendum, quare, &c. notat Host. in sum. de feri. §. fi. in prin. Immo quod plus est, citatio fuit facta ad respondendum in c., *Cum dilecti*, de dolo & contum. & valuit, quia intelligitur semper. Alioquin, &c. Item licet alii judices hoc facere non possint, tamen id licet de judice supremo.

ANNO CHRISTI 1409.

Item, dubium est an convocatio concilii possit fieri ab illo, vel illis, qui nullam habet, vel habent auctoritatem super convocandum, & præsertim super concilium, cujus ipsi cardinales non sunt superiores: nec videntur habere aliquam auctoritatem super ipsum, nec ordinariam, nec delegatam.

Responsio. Respondetur, quod ubi concilium est convocandum, sicut in casu nostro, & papa unicus non vult, negligit, aut non potest, quia forte furiosus, vel alias, convocare concilium: non est dubium, quin cardinales hoc possint, quod facile potest ostendi de jure. Nec est de substantia concilii, quod convocans habeat auctoritatem super concilium, ut est notum: sicut archiepiscopus vocat concilium, & tamen concilium est super eum, quia de eo appellatur ad concilium: c. *multis*, XVII. di. Cle. 1. in h. de sent. excomm. §. de casu, c. *β forte*. lxv. di. Sic duæ partes capituli vocant capitulum, notat Innocentius c. 1. de no. & tamen capitulum est supra, &c.

Item, videtur quod convocatio ad Pisas facta per reverend. patres, ipso jure non mereatur dici concilium: eo quod concilium debet esse liberum, sed, istud est restrictum & limitatum. Unde dicitur in litteris convocationis in hæc verba, fere post medium vel circa: „ Finisque imponatur schismati per „ viam mutuæ cessionis, &c. " Et infra: „ Est „ enim nostra & dominorum de collegio al„ terius partis intentio & irrevocabile propo„ situm, quod cum his, qui venerint ad di„ ctum locum & terminum, provideatur fidei „ & ecclesiæ juxta effectus prædictos. " Numquid volunt ipsi imponere legem Spiritui sancto? Numquid non sunt dabiles aliæ viæ rationabiles pro habendo unionem ecclesiæ sanctæ, &c.

Responsio. Respondetur, quod ex quo via cessionis erat jurata & erat bona & conveniens, non erat melius agendum, quam quod procuraretur ejus effectus & executio celeriter; & hæc intentio erat bona & sancta. Nec hoc imponit legem concilio, quin libere deliberet quid agendum, sive per hanc viam, sive per aliam.

Item, in casu, quo dictus dominus Gregorius veniret Pisas, & vellet renunciare, non veniente Benedicto: dubium est, an deberet renunciare, cum postea posset contingere, quod Benedictus manere vellet in sua possessione; quia posset dicere: Ego jam sum unicus, & nullum habeo contendentem de pari, cur vultis me privare vel compellere ad cedendum? Et istud veniret ad ignominiam & verecundiam partis nostræ: & maxime quia dicitur, quod domini de parte adversa nondum subtraxerunt obedientiam suo domino.

Responsio. Respondetur, quod petebatur executio mutuæ cessionis, sicut juratum fuerat, non particularis cessionis.

Item, si Benedictus non veniret, vel nollet renunciare: videtur, quod Gregorius non obligetur ad renunciandum, prout colligi potest ex tenore instrumenti conclavis.

Responsio. Respondetur, quod de hoc nihil ad propositum, quia de hoc nec ad hoc agebatur.

ANNO CHRISTI 1409.

Item, terminus ad conveniendum assignatus videtur esse nimis brevis quoad omnes nostræ obedientiæ partes: quia plurimi fideles nostræ partis tantum distant, quod modo humano non possent prælati vel alii eorum nomine ad locum Pisarum devenire. Si ergo non venient, non sunt tamen contumaciter absentes, & per consequens congregatio hic facta non meretur dici concilium generale. Hæc circa convocationem & convocationis indictionem dubia occurrebant.

Responsio. Respondetur, quod voluntaria est hæc impugnatio, quia attenta celeritate & necessitate causæ, & ad evitanda majora pericula, quæ quotidie instant, terminus erat assignandus, quantumcumque brevior bono modo & commode poterat assignari: nec respondendum quod est nimis brevis.

Demum dubitatur circa dominorum unius collegii cum dominis alterius unionem, utrumne alterum istorum collegiorum sit verum, & alterum prætensum. Præterea quomodo, & quo jure potuit unum habilitare, reliquum absolvere, dispensare, famæ restituere, in cardinales creare, utrum istud pertineat ad cardinales, &c. Plura alia multa possent induci dubia, quæ brevitatis gratia sunt prætermissa.

Responsio. Respondetur, quod ambo collegia simul unita sunt, & unire se invicem potuerunt pro necessitate prosecutionis unionis ecclesiæ. In quo casu etiam cum excommunicatis & schismaticis communicare liceret. XI. q. III. *antecessor*. & c. se. Nec requiritur habilitatio, vel cardinalatus creatio, quia etiam electores possunt ad eligendum secum assumere aliquos, qui jus eligendi non habent. Nec in cardinales potest aliquid objici circa c. *licet* de elect. & Cle. *Romani*. Item ex verbis juramenti facti in conclavi, quando Gregorius fuit electus Romæ, patet quod ambo collegia poterant simul convenire, &c. Et sic talis modus quoad primos cardinales fuit satis auctorizatus.

Verum est, reverendissimi patres, quod non obstantibus præmissis & pluribus aliis, serenissimus princeps & dominus noster dominus Rupertus Romanorum rex, acerbissimo cordis dolore tactus intrinsecus, corpore & rebus vellet, prout semper voluit, quod istud miserabile discidium & detestandum schisma auferretur penitus de ecclesia sancta Dei, sic quod fieret sincera, pura, integra & universalis fidelium unio & concordia. Et quia consilio & convocatione prælibatis timet, ut præmittitur, id fieri non posse: fretus magnorum principum, dominorum, & sapientium consilio, commisit nobis suis ambassiatoribus quatenus dominum Gregorium, & reverendissimas paternitates vestras, ad conveniendum pro certo tempore * congruenti in uno loco certo partibus congruo, in quo dominus Gregorius faceret id, ad quod voto & juramento se adstrinxit, pro parte regiæ suæ majestatis inclinaremus & induceremus: ut sic omnibus dubiis, perplexitatibus, scrupulis & difficultatibus, ac novis divisionibus, præcipue in parte nostra, sublatis & exclusis, sincera & pura ac universalis unio sequeretur in ecclesia Dei. Adjiciendo, quod sive dominus Gregorius in dictis termino & loco compareret, & debitum suum faceret, sive non, nihilo minus ad effectum intentum, scilicet ad electionem unici summi pastoris procederetur: quia ex tunc appareret quod dominus Gregorius nollet facere debitum suum; & vellet majestas regia deinceps cum eis laborare, & eis assistere totis viribus & conatibus, corpore & rebus. Et pro illo, nomi-

* *al.* certo termino temporis.

ANNO CHRISTI 1409.

nomine dicti serenissimi regis supplicamus, instamus, petimus & pulsamus, exhortando vos reverendiss. dominos, & omnes & singulos prælatos, patres ac dominos in ista congregatione simul considentes, sive existentes, quatenus propter sanguinem Jesu Christi & amorem intemeratæ virginis Mariæ, & totius curiæ cælestis, & propter salutem plurimarum animarum procurandam, & infinita pericula spiritualia & temporalia excludenda, ad id ipsum velitis adhuc hodie inclinari. Numquid pro una anima lucranda expediret rem magnam facere: multo magis incomparabiliter ad lucrandum plures animas, ad cavendum injurias & strages, ad præveniendum destructiones, destitutiones, & desolationes ecclesiarum, monasteriorum & cœnobiorum, ac pro universali, integra atque pura unione facienda, & procuranda brevi mora, cum assignatione alterius loci bene commodi, nullatenus esset deneganda.

Ego magister Conradus de Susato sacræ theologiæ professor præsentavi die XVI. Aprilis, millesimo quadringentesimo nono, præsentem cedulam, dubia per episcopum Verdensem expressa continentem.

SESSIO V.

Quinta sessio fuit facta die XXIV. Aprilis. Et post Missam & litanias, dicti duo contendentes iterum vocati fuerunt ad valvas ecclesiæ per duos dominos cardinales, sicut in aliis sessionibus factum fuerat. Et quia non comparebant, requisivit advocatus, quod eorum contumacia non obstante procederetur ulterius: & ita fuit ordinatum. Et illico per eumdem advocatum propositi fuerunt articuli continentes petitionem contra dictos duos contendentes, quorum articulorum tenor hic scribitur infra de verbo ad verbum. Et requisivit advocatus, quod deputarentur per concilium aliqui examinatores seu commissarii ad examinandos testes super notorietate propositorum contra eos. Et ita fuit ordinatum. Quodque in proxima futura sessione daretur eis auctoritate concilii commissio ad testes examinandos. Et assignabatur terminus pro alia sessione ad diem Martis, quæ erat dies ultima Aprilis. Et interim per provincias eligerentur & nominarentur de qualibet natione aliqui, quibus auctoritate concilii dicta sessione daretur commissio ad actum examinationis supradictum.

SEQUUNTUR ARTICULI PROPOSITI contra duos de papatu contendentes, lecti & publicati in concilio generali apud Pisas, anno Domini MCCCCIX. die XXIV. Aprilis.

COram hac sancta & universali synodo hic præsentialiter Spiritus sancti gratia congregata, pro parte procuratoris, promotoris, instigatoris, seu sollicitatoris, deputatorum ad causam prosequendam pro extirpatione hujus detestandi & inveterati schismatis, & unione & redintegratione sanctæ matris ecclesiæ, contra & adversus DD. Petrum de Luna, a nonnullis Benedictum XIII. appellatum; & Angelum Corario, ab aliis vocatum Gregorium XII. de papatu damnabiliter & temerarie contra omne fas contendentes, & quantum in eis est, ecclesiam dividentes, ad hanc præsentem sanctam synodum legitime vocatos, & per eamdem contumaces reputatos, & quemlibet eorum, proponitur, & pro plena informatione omnium in hac præsenti synodo residentium subjungetur plena narratio omnium, & quorumcumque gestorum per quemlibet prædictorum duorum contendentium sub forma infrascripta.

I. Et ut ab exordio schismatis vera & notoria describatur narratio deputati ad facta infrascripta colligenda & causas, dant & exhibent huic sancto concilio, quæ in sequentibus describuntur, tanquam vera, manifesta, & notoria.

Post mortem felicis recordationis domini Gregorii XI. qui Romæ obiit, anno Domini MCCCLXXVIII. & die 26. mensis Martii, reverendissimi in Christo patres domini cardinales, tunc Romæ existentes, metu, ut ajebant, Romanorum, petentium eligi Romanum seu Italicum, elegerunt dominum Bartholomæum, quondam Barienſem archiepiscopum, qui fuit Urbanus VI. nominatus. Idemque domini cardinales reputantes hoc non obstante Romanam vacare ecclesiam: ex post elegerunt dominum Robertum de Gebennis basilicæ duodecim apostolorum presbyterum cardinalem, qui sic electus, fuit Clemens VII. appellatus. Quanta ex istis electionibus & ordinationibus inde secutis insurrexerit in Dei ecclesia divisio, in quantum turbo inde exortus concusserit clerum, & populum involverit Christianum: cum notoria existant, & rei evidentia manifestat, illa prosequi supervacuum reputatur. Sicque invaluit ambitio, ut tempore Urbani, Clementis, & Bonifacii, aliqua reperta non fuit dispositio, per quam schisma extirparetur, ut unitas in Dei ecclesia reduci valeret. Quod advertentes domini cardinales, qui Clementi jam defuncto adhæserant, & volentes futuris impedimentis & ambitionibus viam præcludere: post conclavis ingressum, antequam ad electionem procederent, ad invicem promiserunt & juraverunt, firmaveruntque, quod si eorum aliquis in papam eligeretur, prosequeretur extirpationem schismatis, & unitatis vinculum in Dei ecclesia reducendum, per omnes vias rationabiles & accomodas, per quas citius & brevius posset haberi unio, etiam usque ad renunciationem papatus inclusive, si majori parti cardinalium eorum, qui tunc erant pro bono unionis, videretur expediens facere, ut hæc in quadam cedula super præmissis facta, subscripta manibus ipsorum dominorum cardinalium, plenius continetur. Et singulariter fuere prædicta jurata per dominum Petrum de Luna, tunc diaconum cardinalem S. Mariæ in Cosmedin. Et ex post ipse dominus Petrus de Luna fuit electus in summum pontificem ab ipsis dominis cardinalibus ea confidentia & intentione, ut nunc inter eos dictum fuit, quod præmissa observaret, alias nullatenus eum elegissent. Qui sic electus, & Benedictus XIII. nuncupatus, iterata vice juravit prædicta inviolabiliter observare ad requisitionem dominorum cardinalium prædictorum. Et tunc illico ipse dominus Benedictus, ad varias mundi partes verbo & scripto mandavit & notificavit, quod erat omnino dispositus renunciare pro bono unionis, adversario pariter renunciante, sed infra paucos dies sic opinionem mutavit, quod de via cessionis verbum audire nolebat, illosque exosos habebat

Variat hic Odoricus, & aliqua interponit.

ANNO CHRISTI 1409.

bat qui de illa mentionem faciebant: & tales eos publice reputabat.

II. Post vero ipsius domini Benedicti assumptionem, domini cardinales varia tenuerunt concilia super modo uniendi ecclesiam. Et dum ipsa concilia inchoarent, fuit eis dictum per unum dominum ex parte ipsius domini Benedicti, quod de via cessionis non loquerentur: per quæ satis evidenter apparuit, quod ipse dominus Benedictus viam cessionis per ipsum juratam prosequi non intendebat, sed potius illam declinare. Nam ex post, quia aliqui domini cardinales aperte loquebantur de via cessionis, fuerunt in periculo captionis & incarcerationis: taliter quod interdum aliqui comminationum metu subito, & a consiliis & a Missa recedebant, non petita licentia, nec fine expectato; aliqui metu territi, silentium imponebant ori suo, alii etiam subito a civitate Avenionensi recedebant; capi timentes & incarcerari. Nam illi reputabantur sibi inimici & adversarii, qui de unione prosequenda loquebantur per viam mutuæ cessionis.

III. Deinde infra annum assumptionis domini Benedicti, serenissimus princeps dominus Carolus rex Francorum, ad ipsum dominum Benedictum illustres principes Bituricensem & Burgundiæ, patruos, & Aurelianensem fratrem, duces, cum notabili comitiva prælatorum, magistrorum in theologia, in jure canonico & civili, & aliorum virorum insignium destinavit ad requisitionem ipsius domini Benedicti, qui per suos postulaverat nuncios, ut rex mitteret ad eum tales, & sic solemnes nuncios, cum quibus posset deliberare de facto unionis ecclesiæ, ut cum ipso rege. Qui cum magna sinceritate, humilitate, ac devotione, exhortati fuerunt dominum Benedictum ad prosecutionem unionis ecclesiæ, offerentes pro parte regis & sua, ac totius regni Francorum, consilia, auxilia, & favores; requirentes ab ipso domino Benedicto ut dignaretur regem & eos certificare de via, per quam extirpationem schismatis intendebat prosequi. Et quia dominus Benedictus aliud noluit specifice aperire, quam viam compromissi, quam justitiæ appellabat, ac conventionem partium in certo loco faciendam, quæ fuere coram judicio dominorum cardinalium, ipsorum dominorum ducum, prælatorum, & aliorum notabilium virorum, dilatoria & inania reputata, ac ad unionem in Dei ecclesia reducendam nullatenus pertinentia: præfati domini duces pro parte regis et sua, et prælatorum regni, proposuerunt, quod via mutuæ cessionis ipsius domini Benedicti, et sui adversarii, erat illa per quam schisma extirpari poterat, attenta diuturnitate schismatis, magna partis utriusque adhærentia, ac difficultatibus tam facti quam juris in causa schismatis occurrentibus. Et alias, multiplicibus mediis et rationibus luce clarioribus ostenderunt, viam cessionis necessariam existere, supplicantes ut vellet eam acceptare, offerre, et prosequi: maxime quia idem dominus Benedictus per antea regi per suos nuncios mandaverat, quod ipse omnem viam sibi aperiendam rationabilem acceptaret, et nullam penitus refutaret, quæ posset ad extirpationem schismatis pertinere. Et etiam quia ipse dominus Benedictus, existens legatus tempore Clementis in Francia, dixerat aliquibus ex dominis ducibus antedictis, et quibusdam aliis viris notabilibus, quod erat necessarium et expediens, ut per viam mutuæ cessionis finis schismati imponeretur. Domini etiam cardinales iteratis & humilibus supplicationibus instantias fecerunt permaximas, ut ipse dominus Benedictus prædictam viam cessionis acceptaret, offerret, & prosequeretur. Et ultra, quia videbant supplicationibus & rationibus non posse proficere, in vim cedulæ in conclavi juratæ dixerunt, quod erat omnino expediens pro bono unionis, ut ipse dominus Benedictus per viam cessionis mutuæ prosequeretur pacem ecclesiæ, & schismatis extirpationem: & in vim prædictæ cedulæ juratæ ipsum solemniter requisierunt, ut per viam cessionis pacem ecclesiæ prosequi vellet, quod facere expresse denegavit, asserens eam esse perniciosam & non bonam, &c.

IV. Ex post serenissimi principes, reges, Franciæ, Angliæ, & Castellæ suos simul nuncios solemnes destinaverunt ad ipsum dominum Benedictum in Avenione residentem, supplicantes instantius pro via cessionis per eum acceptanda & prosequenda; pro quo similem instantiam facere intendebant domino Bonifacio, qui tunc Romæ residebat. Quam viam cessionis publice impugnari fecit & reprobari in præsentia dominorum cardinalium, & nunciorum prædictorum, per dominum Bonifacium de Manatis. Et aliud dominus Benedictus responsum non dedit, sed dixit, quod per suos nuncios regibus antedictis suam infra breve notificaret intentionem: quod facere ex post omnino prætermisit, & supplicationes dominorum cardinalium audire super hoc recusavit. Et licet nuncii prædictorum regum ad dominum Bonifacium Romæ accesserint, tamen dominus Benedictus premisit suos nuncios ad dominum Bonifacium, videlicet episcopum Tirasonensem valde sibi familiarem & domesticum, & quosdam alios, qui secreta & familiaria habuerant cum dicto domino Bonifacio & suis consilia & colloquia, ante adventum nunciorum regum prædictorum; & nuncii dictorum regum similes supplicationes eidem fecerunt de via cessionis acceptanda, & in effectu eadem dominus Bonifacius respondit, quæ dixerat dominus Benedictus, et eodem præmeditato sermone, nullo alio subsecuto effectu, comprehenderuntque evidenter & notorie nuncii antedicti, et publice dixerunt, quod in domino Benedicto & Bonifacio nulla erat dispositio ad viam cessionis, vel aliam, per quam pax in Dei ecclesia haberi posset, sed potius inter ipsos erat collusio et concordia, ut manerent in eorum damnatis cathedris & honoribus concupitis, post terga ponentes quidquid de fide, ecclesia et salute fidelium * forer in eorum vita futurum. Et maxime collusio antedicta evidenter colligitur, quia per antea ipsi duo contendentes miserant sibi ad invicem nuncios, et litteras absque conscientia dominorum cardinalium, quoad illa quæ erant tractaturi et prosecuturi. Et nunciis suis, quos ad dominum Bonifacium destinaverat, in mandatis dedit, ut domino Bonifacio reverentiam papalem exhiberent, idemque fecerunt nuncii domini Bonifacii domino Benedicto publice & notorie &c.

V. Post hæc illustrissimus princeps dominus rex Romanorum et Bohemiæ suos solemnes nuncios, inter quos fuit principalis reverendus pater dominus episcopus Cameracensis, ad dominum Benedictum tunc in Avinione residentem destinavit. Et in publico consistorio præsentibus dominis cardinalibus, prælatis, clericis et laicis in copiosa multitudine, proposuerunt ex parte

* fidelium juraverunt.

ANNO CHRISTI 1409.

parte dicti domini regis mala quæ ex diuturnitate schismatis obvenerunt, toti Christianitati, et difficultates occurrentes in istius pestiferi schismatis extirpatione: quodque ipsi regi, et suo consilio videbatur utilis et necessaria via mutuæ cessionis, et pro illa acceptanda et prosequenda supplicabat instantius, intendens similem instantiam facere D. Bonifacio Romæ residenti. Cujus supplicationibus idem D. Benedictus nullatenus voluit assentire; et in eodem publico consistorio viam cessionis expresse refutando, publice dixit et notorie omnibus audientibus, quod de hac via cessionis prosequenda alias fuerat requisitus, sed illam non acceptaverat, nec intendebat in futurum acceptare, quia crederet peccare mortaliter, si illam acceptaret, et prosequeretur. Hæc autem assertio sive dogmatizatio publice sic facta audientes commovit quamplurimum, quia cum via cessionis mutuæ pro unione in Dei ecclesia reducenda, sit justa et sancta, auctoritatibus novi et veteris testamenti conveniens, determinationi ecclesiæ, sacris canonibus, et sanctorum patrum dictis et exemplis, sitque summæ caritatis et perfectionis, et omnibus Christifidelibus approbata, ac necessaria in hoc casu reputata, non videbant audientes a quo fonte posset procedere ista assertio, nisi solum ex dominandi cupiditate, quæ frequenter, juxta B. Augustinum, opiniones gignit legi et fidei contrarias. Et quid importet hæc assertio sic publice et notorie prædicata, istius sancti concilii est deliberare et decernere, prout fidei, ecclesiæ unitati, et saluti fidelium noscitur expedire.

VI. His peractis ostenderunt domini cardinales frequenter D. Benedicto claris et evidentibus rationibus, quod sua via compromissi, cui nimis pertinaciter inhærebat, non erat bona et conveniens ad unitatem ecclesiæ procurandam, nec juridica, quia cum compromissum reprobetur a jure, cum de titulo beneficii ecclesiastici cujuscumque agitur, multo fortius cum agitur de titulo papali, et habenda ecclesiæ unitate, illaque via non erat conscientiarum serenativa, immo potius maculam inferens, et adversarius illam merito poterat rationabiliter refutare, supplicantes ut illi nollet inhærere, sed potius viæ mutuæ cessionis per eum juratæ, et fere ab omnibus Christifidelibus approbatæ. Quæ facere expresse denegavit, subjungens idem D. Benedictus, in præsentia DD. cardinalium tunc in sua præsentia existentium, quod frustra sibi fiebat mentio de via cessionis, quia ipse numquam illam offeret, seu prosequeretur, etiamsi adversarius renunciare vellet, numquamque sederet inter cardinales in eorum scamno: ostendens per hoc evidenter, quod nullatenus renunciare intendebat pro bono unionis, sed potius teneret illum statum quamdiu viveret in humanis. Nam pluries frequenter dixit publice et asseruit, quod cedula per eum jurata ad viam cessionis quæ bona non erat, nullatenus obligabat, nec illam intendebat aliquo modo acceptare, etiamsi totus mundus hoc sibi consuleret, posito etiam quod omnes sibi obedientes a sua recederent obedientia. Et si hæc ad impedimentum unionis ecclesiæ, juramenti liciti transgressionem, notorium scandalum, pertinaciam & contumaciam notoriam evidenter pertineant, videant zelum Dei habentes, decernat & judicet hoc sanctum & universale concilium.

VII. Ulterius, quia multi reges & principes, prælati & alii disponebant se subtrahere ab obedientia ipsius domini Benedicti, quia perpendebant evidenter & notorie ipsum indispositum, pertinacem & contumacem ad unionem ecclesiæ prosequendam; domini cardinales pro evitatione tantorum scandalorum eidem supplicaverunt, ut viam cessionis offerret & prosequeretur, vel saltem consentiret & offerret, ut per omnem viam rationabilem & juridicam finis schismati imponeretur. Et quod via cessionis esset ultima, si per alias unio haberi non posset, vel conveniret cum adversario in certo loco, & ibi ageretur de viis debitis & necessariis. Quæ omnia facere expresse & publice & frequenter denegavit, non curans, ut tunc publice & frequenter dixit, de subtractione quacumque quæ sibi fieret, etiam si totus mundus se subtraheret, quia beatus Petrus, ut dicebat, non habuerat in sua obedientia Franciam, nec alias partes de quarum subtractione timebatur: subdens etiam publice in verbis suis, quod plus merebatur cessionem non acceptando, quam posset demereri alias uno mense: & quod si cogeretur ad cessionem, dimitteret ecclesiam in tali statu, ut post suam mortem longo temporis spatio reparari non posset. Facta vero sibi ex post in regno Franciæ generali subtractione, domini cardinales eidem supplicarunt, ut pro evitatione tantorum periculorum, cum & regnum Castellæ ad similem subtractionem faciendam se disponeret, & nonnullæ aliæ nationes, ut ex post fecerunt, vellet offerre viam cessionis, quia ipsi domini cardinales offerebant se interpositurus & laboraturos ut subtractiones factæ revocarentur, & aliæ non fierent. Ipse dominus Benedictus præmissa facere recusavit, & expresse denegavit. Et, quod longe deterius existit, tunc publice in ecclesiæ prædicatorum Avinionensium prædicari fecit per suum confessorem magistrum Vincentinum, quod ipse numquam acceptaret viam cessionis, pro quacumque subtractione sibi facta vel facienda, immo potius pateretur mortem, sibi hac de causa inferretur, quam cessionem offerret. Si ista bene sonent, & impedimentum pacis & unionis ecclesiæ importent, & notorium ecclesiæ scandalum cum pertinacia & contumacia notoria, videat & judicet hoc sanctum & universale concilium.

VIII. Subtractione ipsi domino Benedicto facta durante, ipse tunc suos defectus aliqualiter agnoscens, obtulit saltem in verbo cum instrumento publico, quod fere ad omnes reges & principes suæ partis direxit, viam cessionis (quæ tunc sibi visa est justa, licet per prius affereret illam peccatum mortale continere) adversario volente pariter cedere, mortuo, vel ejecto. Promisit etiam in eodem instrumento, quod ad congregationem, synodum vel concilium, quod inde contingeret teneri & celebrari pro unione ecclesiæ, ipse dominus Benedictus accederet. Et propter hanc oblationem & alias considerationes restituta sibi fuit obedientia, quia credebatur quod illa quæ verbo obtulerat, facto haberet adimplere. Et in restitutione obedientiæ inter ipsum dominum Benedictum, & dominos cardinales fuerunt initæ certæ conventiones sub instrumentis publicis, inter quas una fuit, quod promisit seu intendebat ipse dominus Benedictus convocare & tenere concilium suæ obedientiæ super bono regimine ecclesiæ & unione ecclesiæ prosequenda; & licet de hac fuisset facta specialis mentio in castro Raynaldi, & Ponte Sorgæ diœcesis Avenionensis, in instrumentis ibidem confectis; tamen dominus Benedictus conatus

ANNO CHRISTI 1409.

fuit ex post, ut notarii instrumenta in formam publicam redigerent, illo articulo de convocando concilio prætermisso, contra veritatem rei gestæ. Et quia camerarius domini Albanensis, qui fuerat unus de rogatis notariis, hoc facere recusavit, ne crimen falsi incurreret, fuit per dominum Benedictum sub arresto tentus in curia per annum & ultra, & factæ sibi graves comminationes incarcerationis, & quod igni traderetur, nisi hoc faceret. Sed in illo fuit firma constantia, adeo quod minis & terroribus ad hoc induci non potuit. Et per hoc patuit evidenter, quod dominus Benedictus servare nolebat promissa de via concilii convocandi, & minus prosequi pacem ecclesiæ per viam cessionis, de qua facta sibi restitutione etiam verbum audire nolebat. *

* al. noluit.

IX. Exactis ex post aliquorum temporum intervallis, dominus Benedictus suos destinavit nuncios ad dominum Bonifacium; & licet notificaverit dominis cardinalibus, quod mittebat pro facto unionis, ut dicebat, tamen ad quid mittebat, & quæ debeant ibidem tractare, seu prosequi, ipsis dominis cardinalibus omnino occultum tenuit, prout & alias semper erat facere assuetus, quando ad dominum Bonifacium nuncios destinabat. Et prædicti nuncii, ut ex post dictum fuit, ipsum dominum Bonifacium requisierunt de via conventionis ipsius, & domini Benedicti in uno loco de via compromissi, quam justitiæ appellabant, & quibusdam aliis. Et licet tunc in domino Bonifacio non fuit reperta dispositio ad unitatem ecclesiæ prosequendam: tamen ipso domino Bonifacio tunc infra breves dies defuncto, adhuc nunciis Benedicti Romæ existentibus, domini cardinales qui domino Bonifacio adhæserant, ipsos requiri fecerunt, quod si a domino Benedicto habebant mandatum seu potestatem de via cessionis offerenda, hoc eis notificarent: quia eo casu ipsi domini cardinales erant dispositi ab electione cessare, & negotio unionis intendere: & si de hoc mandatum non habebant, quod mitterent super hoc ad dominum Benedictum, & ipsi erant dispositi expectare responsum. Qui quidem nuncii responderunt, quod nullum habebant mandatum de via cessionis offerenda: & per hoc non intendebant mittere ad dominum Benedictum, quia via cessionis non erat bona.

X. Subsequenter mortuo dicto domino Bonifacio, præfati reverendissimi domini cardinales in conclavi existentes, inter quos erat D. Cosmatus tunc cardinalis Bononiensis appellatus, postea assumptus in Innocentium VII. antequam ad electionem procederent, ordinaverunt certa, quæ tunc videbantur utilia pro unione ecclesiæ procuranda & facienda, prout in instrumento super hoc confecto latius continetur. Et quia electo post præmissa per ipsos dominos cardinales, qui tunc Romæ residebant, D. Innocentio prædicto, satis infra breve apparuit evidentia facti, quod illa quæ fuerant per ipsos dominos cardinales prævisa & ordinata pro bono unionis, non fuerant ad pacem introducendam sufficientia, malitia pertinata hominum: propterea infra breve tempus defuncto D. Innocentio præfato antequam ipsi DD. cardinales ad electionem vellent procedere, in conclavi existentes inter se magno zelo disposuerunt ad sortia manus ponere: ideo statuerunt & ad invicem promiserunt, & convenerunt, juraverunt, & solemniter se voto adstrinxerunt, quod si eorum aliquis in papam assumeretur pro unione in Dei ecclesia reducenda, & schismatis extirpatione, renunciaret papatui, & juri quod sibi posset competere in illo, dum tamen Benedictus pariter renunciaret vel moreretur: dummodo DD. cardinales, qui domino Benedicto adhæserant, vellent sic convenire cum dominis cardinalibus Romæ existentibus, quod sequeretur electio unius veri & indubitati pastoris & summi pontificis, ut in instrumentis super hoc confectis plenius continetur. Et specialiter prædicta juravit dominus Angelus Corario, tunc cardinalis Constantinopolitanus vulgariter nuncupatus, & postea in papam ab ipsis dominis cardinalibus electus: qui interrogatus per bonæ memoriæ dominum Florentium, priorem doctorum dominorum cardinalium, ut consentiret electioni de ipso factæ, dixit consentire, & non velle contradicere voluntati Divinæ, tantum ut daret unionem & pacem ecclesiæ. Et post Gregorius nominatus, prædicta de novo juravit & voto firmavit, & instrumenta super hoc iterato manu propria sub nomine Gregorii subscripsit, ut in ipsis instrumentis plenius continetur. Misitque litteras suas, sub media bulla bullatas fere ad omnes principes, & notabiles communitates, universitatesque studiorum præmissa continentes, & quod vellet ea observare inviolabiliter. Et post sui coronationem in consistorio generali, de novo prædicta omnia & singula promisit, vovit & juravit, præsente multitudine cleri, & populi copiosa, increpando prædecessores suos, quod tantum neglexerant in dando unionem & pacem ecclesiæ. De quibus fuit velut Angelus Dei multipliciter commendatus, & fuisset per amplius si perseveraffet in inceptis juratis & voto toties repetito firmatis.

XI. Item ipse dominus Gregorius per suas litteras & nuncios, prædicta per eum jurata, & voto firmata, notificavit domino Benedicto in Massilia residentis, requirens eum, ut prædictis vellet annuere. Quod fecit tandem, attractus & quodammodo invitus, nec sic simpliciter ut dominus Gregorius, licet per dominos cardinales & nuncios domini Gregorii fuisset sæpius solemniter requisitus, ut simpliciter consentiret, ut fecerat & faciebat dominus Gregorius. Immo voluit partem sibi servare in electione futura, quod non fecerat Gregorius, dum dixit in suis litteris: dummodo Gregorio domini cardinales adhærentes velint nobiscum & fratribus nostris taliter convenire, quod sequatur canonica electio; prout in litteris dicti domini Benedicti, responsivis litteris dicti domini Gregorii, & eidem missis, latius continetur. Ita quod ex modo agendi, loquendi, & circumstantiis evidentibus deprehendebatur, quod dominus Benedictus viæ cessionis assentiebat in verbo, non autem in re & effectu. Et de hoc erat oblocutio & fama Massiliæ inter dominos cardinales, & alios quamplures tunc Massiliæ residentes.

XII. Et per antea audito de bona voluntate D. Gregorii, quam habere videbatur ad ecclesiæ unionem, magnificus dominus Malatesta de Malatestis de Pesauro, etiam propriis expensis ad serenissimum dominum regem Franciæ, & ad dictum dominum Benedictum, tanquam fervens zelator hujus sacratissimæ unionis, accedere se obtulit. Qui pro parte domini Gregorii, occasione ipsa, ut ad urbem propterea se transferret, fuit requisitus. Qui postquam cum honorabili comitiva Romam ad exequendum oblata & requisita applicuerat, supervenientibus nepotibus domini Gregorii, scilicet domi-

ANNO CHRISTI 1409.

no Antonio tunc episcopo Montonensi, * & Paulo Corario, idem dominus Gregorius per suos nepotes jam dictos, ut creditur, seductus, & in reprobum sensum datus, variare & evidenter a promissis retrocedere incepit. Nam juxta consilium omnium dominorum cardinalium suorum noluit mittere dictum Malatestam ad legationem prædictam, sed dictum dominum Antonium, cui arcana suæ mentis, (ut creditur, & post facto constitit) aperuit, associatis sibi bonæ memoriæ domino Guillelmo tunc episcopo Tudertino, & domino Antonio de Buscro utriusque juris doctore, ad famam tantum, quia ipsi nesciebant secreta, ut ex post dixerunt publice prædicti domini episcopus & Antonius. Immo nec domini cardinales aliquid sciverunt de secretis quæ portavit dominus Antonius ejus nepos, cui dedit unam bullam clausam, cujus continentiam præfati domini cardinales ignoraverunt: quibus per aliam suam bullam de conveniendo de loco habili & decenti mandatum dedit. Per quos oratores tandem conclusum fuit de loco Saonæ cum dicto domino Benedicto & suo collegio, qui & præfatum dominum Gregorium in vim dicti mandati obligarunt, ut in certis terminis declaratis, cum suo collegio deberet ire Saonam: cum certis etiam modificationibus, prout in instrumento super hoc confecto continetur.

* al. Mochonensi.

XIII. Item, quod dictus D. Gregorius cum de dicta concordia loci Saonæ notitiam habuisset, ipsam concordiam commendavit, approbavit, & ratificavit, & coram suis dominis cardinalibus & aliis notabilibus personis sæpius affirmavit, quod locus ille sibi placebat, commendando nepotem prædictum, & increpando DD. cardinales qui illum suspectum habuerant dum mittebat; confortando et sollicitando eosdem dominos cardinales, pro accessu ad dictum locum. Cum quibus dominis cardinalibus in diversis consiliis deliberavit, quod si galeas habere non posset, dispositus erat ire in una barchalina, * seu pedes si aliter transire non posset: assentientibus et ad hoc confortantibus etiam dictis dominis cardinalibus. Scripsitque bullas suas serenissimo domino regi Francorum, sollicitando per suos oratores ut ea quæ ipsum tangebant, secundum dictæ conventionis capitula celeri executioni mandaret: ac per fratrem Joannem Dominici, dominum gubernatorem et regentem Januensem, requisivit pro celeri expeditione et executione eorum quæ ad ipsos spectabant. Quæ omnia ex relatione dicti fratris Joannis Dominici per dictum dominum gubernatorem et regentem Januensem fuere integraliter subsecuta. Et similiter communitati Saonæ regratiando de prompta devotione et executione eorum quæ ad ipsos pertinebant, illos hortando in Domino ad ulteriorem prosecutionem, per suas bullas conscripsit, et ab oratoribus et syndicis dictorum communitatum Januæ et Saonæ in Roma existentibus, juxta continentiam conventionis prædictæ, juramentum fidelitatis recepit. Redeuntemque dictum dominum Antonium nepotem suum, pro bonis gestis et meritis in legatione prædicta, in camerarium promovit. Deinde autem idem dominus Gregorius variare et evidenter retrocedere a promissis tam solemniter firmatis et ratificatis incepit, allegans aliquas frivolas excusationes et causas impedimenti: videlicet galearum defectus et inopiam pecuniarum. Nam dum ab oratoribus domini Benedicti in Roma esset requisitus de accessu ad Saonam sine galeis: finaliter respondit, se nullo modo velle ire Saonam sine galeis. Similem etiam responsionem fecit oratoribus serenissimi Francorum regis. Etiam requisiverunt DD. cardinales tunc Romæ existentes, ut attenta indispositione domini Gregorii ad unionem, se declararent, an vellent Saonam accedere juxta promissa: eos etiam rogantes, ut si interim dominus Gregorius decederet, non procederent ad electionem futuri præsidentis. Qui de mandato domini Gregorii responderunt, quod ipsi facerent debitum eorum. Quoad secundum quæsitum responderunt etiam de suo mandato, quod ipsi non poterant obligare absentes, sed instarent cum D. Gregorio, ut super hoc constitutionem faceret validam. Quam constitutionem facere promisit, ut apparet per instrumentum publicum, manu domini Francisci de Montepolitiano. Sed tamen postea recusavit, ut scilicet etiam post mortem suam, quantum in se foret, sicut in vita, unionem impediret. Et licet galeæ, quas etiam a domino gubernatore Januæ in Janua dictus nepos suus requisiverat, & capitaneum, videlicet dominum Joannem Ultramarinum, sibi exhibitæ & oblatæ fuissent per oratores serenissimi regis Franciæ, etiam cum juramentis capitanei & patronorum, ac etiam obsidum datione de filiis & nepotibus prædictorum, & alia qualibet securitate: illas tamen recusavit, quamvis galeæ prædictæ oblatæ sibi fuerint armatæ, vel tantum corpora galearum cum fulcimentis omnibus, ut si confidere noluisset de hominibus Januæ, armare potuisset de suis, licet prius acceptasset dicta corpora galearum. Et similiter ire per terram omnimode recusavit, non obstante quod per consilia jurisperitorum extiterit eidem D. Gregorio consultum, quod per terram transire tenebatur, si non habebat galeas.

* al. Tarchella.

De pecuniis autem, quas multas exegit a clero magnæ partis suæ obedientiæ, occasione unius caritativi subsidii per ipsum impositi, ut iret Saonam causa prosequendi unionem, ut in suis bullis desuper confectis plenius continetur, pro expensis necessariis extitit sufficienter provisum: licet inter nepotes & consanguineos suos, non in facto unionis, ut in bullis suis narrabat, easdem distribuerit. Nec etiam idem dominus Gregorius voluit constituere procuratorem ad renunciandum, & Saonam transmittere: licet promisisset idem dominus Gregorius per instrumentum publicum in certos casum & eventum, quod si ire non posset aut nollet ad dictum locum Saonæ, idoneum mitteret procuratorem infra dictum terminum, cum pleno & sufficienti mandato & potestate ad faciendum ea quæ ipse facturus esset, si personaliter adesset, secundum juramentum & votum emissum, & secundum formam contractus facti in conclavi Romæ.

XIV. Item, quod licet dictus dominus Gregorius, maxime ad importunam instantiam dominorum cardinalium, qui conabantur Saonam appropinquare, versus Senas accedere dixisset: tamen dum in civitate Viterbii resideret, totis conatibus quæsivit se Perusium transferre, qua via se elongabat ab accessu Saonæ, nisi cardinales se in hoc sibi efficacius opposuissent: quorum quasi devictus instantia, versus Senas suos gressus direxit. Et cum ibidem resideret, & instaretur quod iret Saonam, dixit, per Lombardiam ad terras marchionis Montisferrati velle transire, & ibi morari & tractare de alio loco:

ANNO CHRISTI 1409.

co: & clare dicebat nolle ire Saonam, quæ via totaliter erat indisposita, & impossibilis videbatur, tam propter hiemem, quam guerras tunc instantes. Et hæc omnia ex mala intentione ad impediendum prosecutionem & conclusionem sacratissimæ unionis fieri evidenter apparebant. Sperabat enim ad aliquem locum declinare per viam illam, in quo fortiorem se reputasset. Et dominis cardinalibus totaliter inhibuisset, ut amplius non loquerentur de materia unionis, sicut in Luca postea fecit: sed resistentibus dominis cardinalibus propter indispositionem prædictam, & quia ipse dominus Gregorius quærebat se divertere ad loca ubi potentior esset pro recedendo totaliter a prosecutione unionis prædictæ, ut supra dictum est, eumdem pro majori parte sequi excusantes, dum eum requirerent ut eos permitteret ire Saonam, & debitum eorum facere, secundum quod promiserant, etiam de suo mandato negavit expresse. Et replicato per cardinales ut vellet se supponere juri, & stare consilio universitatis Bononiensis, Parisiensis, Senensis, vel Romanæ curiæ, an cardinales tenerentur Saonam accedere, etiam eo nolente recusavit, dicens: „ Ego sum papa, „ nec habeo me alicujus subjicere consilio, im„ mo ego sum supra jus, & meæ sententiæ de„ betis vos conformare in totum: " in hoc dominos cardinales ne debitum suum facerent quantum poterat prohibendo. Tractarunt demum præfati domini cardinales, ut ad locum Petræ sanctæ, dominii Lucani, unus ipsorum, scilicet dominus Gregorius, se transferret, quem locum de Petrasancta per prius per suos oratores obtulerat domino Benedicto moranti in Saona, videlicet per protonotarium de Utino, scilicet magistrum Jacobinum Physicum, abbatem de Pratalia, & dominum Franciscum Justinianum de Venetiis; & dominus Benedictus ad Portum Veneris appropinquaret: ex quo de loco Saonæ omnis erat penitus spes sublata, ut mutua vicinitate possent facilius concordare, & materiam unionis juxta eorum vota & promissa perficere. Idem tamen Gregorius tot difficultates posuit, quod pro tunc nullatenus voluit acceptare Petramsanctam, asserens eum locum non sibi securum, licet securissimus sibi esset, ut Lucana civitas: nam eiusdem domini & dominii erat, videlicet dominii Lucani. Qui etiam pro securitate sua voluit sibi domino Gregorio dare in obsidem unicum filium suum: & etiam ipse dominus Lucanus homagium se ei præstiturum offerebat, ac etiam roccam Petræsanctæ ponere volebat in manibus magnifici dominici Berardi de Camerino, vassalli Romanæ ecclesiæ, & tunc stipendiarii domini Gregorii, de quo permaxime confidebat. Quæ omnia negavit, velut ille qui nullam voluntatem habebat ecclesiam uniendi: non obstante quod Lucam iverit sine aliqua dictarum securitatum, quæ utique sibi necessariæ non erant, attenta illius magnifici domini Lucani probata fidelitate.

XV. Tandem loca de Petrasancta, ut præmittitur, prius oblato, & postea recusato, intercedentibus oratoribus Venetis, et devictus precibus et instantia dominorum cardinalium, inclinatus est Gregorius in Lucam. Et ut dominis cardinalibus terrorem incuteret, nec ipsum ita pro unione sollicitarent, voluit habere promissionem expressam a domino Lucano, ut libere posset in dominos cardinales animadvertere: qui tantam affectionem ad unionem habebant, quod mortem non timuerunt, immo tali promissioni consenserunt, quam aliter Dominus Lucanus nullo modo facere dispositus erat. Quem accessum ipse dominus Gregorius male libenter fecit, adeo quod oportuit ipsos dictos dominos cardinales sibi de eorum propria pecunia mutuare tria millia florenorum: de quibus adhuc eis non est plenarie satisfactum, licet ipse alunde haberet pecuniam necessariam pro accessu ad Lucam. Et dominus Benedictus, instantibus etiam suis dominis cardinalibus, ad locum Portus Veneris, ad finem quod ipsis existentibus in locis propinquis, convenientibus, possent concordare de loco mutuæ conventionis pro mutua cessione facienda, et danda ecclesiæ pace. Et licet tunc plures nuncii, et iteratis vicibus, missi fuerint per dominum Benedictum ad dominum Gregorium, et e contra: numquam tamen domini cardinales partis utriusque scire potuerunt ad quæ prosequenda mittebantur, immo semper fuit eis ipsa materia occultata. Et ulterius dominus Benedictus continue in civitatibus Senarum et Lucanæ, tenuit quosdam suos servitores, et familiares et speciales, magistrum Simonem Salvatoris decretorum doctorem, fratrem Avenionensem ordinis Prædicatorum, et quosdam alios, qui absque conscientia dominorum cardinalium, de nocte et secretis horis familiaria et secreta colloquia habebant cum domino Gregorio et ejus nepotibus, pluries et frequenter. Et vice versa idem dominus Gregorius tenebat cum dicto domino Benedicto quemdam Michaelem de Pisis suum secretarium in Portu Veneris, qui etiam cum dicto domino Benedicto, et suis, sua secreta consilia tenebat et habebat. Ex quibus velut evidentibus indiciis, insurrexit in Luca et Portu Veneris fama et communis reputatio, prout hodie peramplius est, quod inter dominos Gregorium et benedictum, erat mutua collusio: quia circa loca ad invicem, sic difficultarent hoc negotium electionis locorum et concordiæ, quod nunquam ad mutuam cessionem devenirent. Et evidentius patebat fere omnibus in dictis locis existentibus ipsorum collusio, quia circa loca ad invicem nominata, tantas ipsi duo contendentes de papatu adhibebant difficultates, circa securitates et munitiones castrorum eis tradendas, superfluas, et adeo difficiles, quod poterant impossibilitati æquari: et sic difficultaverunt ad invicem istud negotium electionis locorum, quod nulla inter eos fuit concordia de loco in quo haberent convenire pro mutua cessione facienda. Nolentes ipsi duo de papatu contendentes sequi consilia suorum cardinalium, immo penitus illa voluntarie et sine causa refutabant. Et tamen domini cardinales cum domino Gregorio instarent, ut vellet de loco aliquo concordare, respondit: „ Frustra fieret ta„ lis concordia loci, quia ego scio, quod do„ minus Benedictus nullo modo est dispositus „ cedere. " Unde autem talis notitia venerit, non apparet nisi ex mutua collusione.

XVI. Præterea ut evidentius apparet de ipsorum dominorum contendentium de papatu collusione: est veritas notoria, quod quando domino Benedicto fiebat mentio, quod si dominus Gregorius non faceret debitum suum juxta vota per ipsum præstita, multi sibi adhærentes subtraherent sibi obedientiam, hoc sibi displicebat, et dissuadebat hoc fieri. Nam egregiis et notabilibus viris dominis Mafio de Albitis militi, et Laurentio de Rodolph. decre-

al. Alvitis
al. Rodolphi.

ANNO CHRISTI 1409.

decretorum doctori, & Nicolao de Usano, civibus & oratoribus Florentinis, ad ipsum dominum Benedictum pro causa unionis profectis in Portum Veneris, expresse dixit non debere fieri subtractionem domino Gregorio. Necnon & certos suos nuncios diu tenuit in civitate Florentina, priorem scilicet sancti Maximini in Provincia, & Joannem de Burgo, ad finem ut procurarent, prout & fecerunt, posse tenus, ut per insigne commune Florentiæ nulla fieret subtractio, vel alia novitas, domino Gregorio contumaci, & omnino indisposito ad pacem ecclesiæ. Pari modo dum facta extitit mentio domino Gregorio & suis nunciis, quod si dominus Benedictus non faceret debitum suum circa pacem ecclesiæ, sibi adhærentes subtraherent obedientiam: dominus Gregorius, & sui nuncii hoc dissuadebant fieri, dicentes, quod hoc non bene fieret. Et sic fovebant & nutriebant notorie schisma verbo & facto, & impedimenta præstabant paci & unitati ecclesiæ procurandæ: habentes quidem facies diversas; quia quilibet appetebat & appetit habere papatum in solidum, sed causas habent ad invicem colligatas, ut de vanitate conveniant. Et convenerunt in idipsum, videlicet ad difficultandum sic istam materiam voluntarie & sine causa: ut nunquam perveniatur ad mutuam cessionem, nec ad pacem ecclesiæ & schismatis extirpationem. Et ulterius ipsi duo contendentes de papatu pati noluerunt, immo inhibuerunt dominis cardinalibus, ut de pace ecclesiæ non tractarent, sed totus tractatus reliqueretur ipsis duobus; quia ipsi ad invicem essent bene concordes, prout & fuerunt ac sunt, ad impediendum pacem ecclesiæ, & procurandum schismatis prorogationem ac perpetuationem.

XVII. Existentibus autem præfatis DD. Gregorio & Benedicto in Luca & Portu Veneris, post multas oblationes & recusationes locorum factas hinc inde, ut negotium dilataretur: tandem fuit oblatus locus in Liburno per oratores D. B. cum communi æqualitate dominii, & roccarum & oppidi, a mutatione pecuniarum, licet finalis destructio unionis fuisset, si ipsi habuissent totale dominium loci conventionis. Et licet dominus Gregorius omnem tractatum rumpere illico voluisset: tandem devictus instantia cardinalium, dixit se velle mittere ad videndum locum, & si habilis erat, acceptaret. Legatosque per hoc elegit reverendissimos patres quondam dominum Florentinum, dominum Militensem, magnificum dominum Malatesta de Malatestis de Pensauro, Paulum Corario ejus nepotem, & Bartholomæum de Zamisbonis *, cardinalibusque dixit, ut invenirent pecuniam pro ejus accessu. Petiit enim per organum magnifici domini Malatestæ de Pensauro a cardinalibus, pro eundo de Luca ad Liburnum, triginta millia Florenorum. Et est una parva dieta, licet cardinales obtulerint sibi duorum millia * Florenorum. Videte ergo quomodo suam discooperuit voluntatem. Tamen cum cardinales modum darent, ut haberent pecunias necessarias pro accessu: finaliter ad videndum noluit mittere ad dictum locum, eumque inhabilem recusavit pro suæ libito voluntatis. Qua recusatione, sicut præmittitur, facta, apertum & notum fuit per egregios viros veræ unionis amatores nuncios & oratores Venetorum, a quibus ipse Gregorius traxit originem, ut acceptarentur, pro ipsis duobus contendentibus & suis, loca de Carreria pro domino Gregorio, & de Avensa pro domino Benedicto, ad invicem vicina, & consistentia in obedientia domini Gregorii. Et licet nuncii domini Benedicti verbo & non in effectu in hoc consentirent: tamen D. Gregorius illa expresse refutavit, sine quacumque rationabili causa. Immo nec mittere voluit ad videndum eumdem locum de Carreria si habilis erat, sed solum pro libito voluntatis eum recusavit; licet dictus locus de Carreria existit & existat magis habilis & idoneus, quam sit locus de Avensa; & dominus Lucanus omnimodam securitatem, necnon & fortalitium in Carreria constitutum, eidem domino Gregorio offerret, * & contra illa, quæ alias obtulerat, cum per prius obtulisset omnia loca obedientiæ suæ. Et hoc fecit contra concilium & voluntatem dominorum cardinalium tunc in Luca existentium, & etiam contra concilium oratorum, principum notabilium, & communitatum tunc ibidem præsentium, in magnam sui infamiam: quia evidenter cunctis apparebat quod ipse dominus Gregorius nullatenus curabat de pace ecclesiæ, nec schismatis extirpatione.

XVIII. Videntes autem domini cardinales in Portu Veneris existentes, negotium pacis in rupturam venire: ipsi, seu eorum major pars, supplicaverunt domino Benedicto, & consuluerunt, ut non teneret tot galeas nec gentes armigeras in tanto numero, ne occasione hujusmodi, tractatus pacis posset impediri; & quod vellet condescendere ad aliquem locum eligendum in terra consistentem, & aliqualiter a mari remotum, quia dominus Gregorius refutabat loca maritima. Ipse tamen D. Benedictus præmissa nullatenus facere voluit; immo frequenter & publice respondit, quod nullo modo pro hac causa dimitteret loca maritima: & frustra sibi dicebatur seu consulebatur contrarium, quia ipse volebat unum pedem tenere in aqua, & alium in terra, & quod nullo modo dimitteret galeas aut gentes armigeras, immo potius numerum augmentaret & augeret; & pro his tenendis seu agendis impigneraret, seu alienaret omnia bona & proprietates Romanæ ecclesiæ quando sibi videretur, prout & fecit in magnum detrimentum Romanæ ecclesiæ, castra particularia ecclesiæ Avenionensis, ad summam quadragiata millia ducatorum, sine causa & voluntarie. Per quæ evidenter et notorie ostendebat, quod in verbo, et non in re et effectu, quærebat unionem, et quod nullo modo volebat renunciare, sed manere in illo statu quamdiu viveret in humanis, et sic difficultare negotium, ut nunquam via cessionis in verbo concordata posset habere effectum. Et de hoc erat communis vox et opinio famosque pubblica in Portu Veneris, et fere inter omnes curiam ipsius domini Benedicti sequentes.

XIX. Item, pari modo D. Gregorius alienavit multa bona ecclesiæ Romanæ mobilia pretiosa, ut mitras pretiosas, libros, et alia nobilia jocalia; necnon et terras notabiles, ut Romam, Perusium, Beneventum, Tudertum, et alias in Marchia, et alibi existentes, et provincias maritimas et Campaniæ, pro certa pecuniarum summa; ad ditandum suos fratres, nepotes, et alios agnatos suos, etiam de patrimonio Jesu Christi, etiam ad procurandum sibi fautores in schismate, illos saltem quibus hæc alienabat.

XX. Item, quod idem dominus Gregorius, loquentes sibi vel aliis, ubi ad ejus notitiam veniebat, de suo debito, videlicet renunciatione et aliis

* al. Samebenis.

* al. ducatorum.

* Forte, & cætera illa. H.

ANNO CHRISTI 1409.

& aliis fiendis per eum ad unionem ecclesiæ, odio habuit, illosque carceri mancipavit, & alias fecit multipliciter molestari, & inter alios magistrum Michelinum de Novaria scriptorem litterarum apostolicarum, procuratorem ordinis Carmelitarum, qui in quodam sermone dictum dominum Gregorium exhortatus, ut servaret vota & juramenta sua in conclavi emissa pro unione habenda; & unum familiarem domini cardinalis Laudensis, qui ante palatium in Senis clamabat, ad Saonam, ad Saonam.

XXI. Demum domini cardinales, seu eorum major pars, ne tantum Dei negotium veniret in rupturam, consuluerunt & supplicaverunt domino Benedicto, ut pro loco mutuæ cessionis offerret civitatem Pisanam, alias per ipsum oblatam cum publico instrumento, & quam dominus Gregorius non poterat recusare, cum alias ipsam obtulisset. Et quod vellet ipse dominus Benedictus contentari de communibus & sufficientibus securitatibus: & quod non peteret ita exactas, ut solitus erat petere, cum per hoc daret causam rupturæ. Ipse respondit, quod nullatenus dictam civitatem Pisanam offerret, vel sibi oblatam acceptaret, reputans valde temerarium hoc sibi consulere. Dixit etiam, quod semper intendebat petere securitates alias per ipsum postulatas, & de aliis, quæ essent minores nullatenus contentaretur, quidquid sibi diceretur vel consuleretur. Per quæ evidenter colligitur, & tunc omnibus apparebat, quod viam cessionis nullatenus intendebat prosequi; sed sic eam difficultare, ut numquam posset habere locum, & de hoc erat communis vox, fama & reputatio.

XXII. Consequenter domini cardinales in Portu Veneris existentes, seu eorum major pars, videntes quod inter dominum Gregorium & dominum Benedictum nulla erat concordia super loco mutuæ conventionis, nec in futurum sperabatur esse, quia quod unus ipsorum offerebat, alter voluntarie refutabat: ne tam necessarium fidei & animarum saluti negotium, in desperationem & totalem rupturam deveniret, supplicaverunt & consuluerunt domino Benedicto, quatenus offerret se renunciaturum per procuratorem habentem ad hoc speciale & irrevocabile mandatum, domino Gregorio renunciante in persona propria, vel per procuratorem habentem similem potestatem. Ostenderuntque ipsi domini cardinales, seu eorum major pars, ipsi D. Benedicto, quod hoc tenebatur facere de necessitate salutis, & se morti exponere pro extirpatione schismatis, & unione in Dei ecclesia reducenda. A quo præfati domini cardinales nullum responsum habere potuerunt: sed perpenderunt satis evidenter ex indiciis & modis, quod hoc facere nullatenus intendebat, prout & rei probavit eventus, & præsens testatur experientia. Et in eadem opinione fuit dominus Gregorius, qui cum semel in publico diceret, quod numquam per procuratorem renunciaret, licet sibi contrarium per dominos cardinales consuleretur, quibus per antea se obtulerat per procuratorem renunciaturum, ut supradictum est: fuit sua responsio negativa per archiepiscopum Tarraconensem nuncium domini Benedicti, tunc in sua presentia constitutum, publice laudata, & multipliciter commendata. Ex quibus evidenter & notorie constitit, quod nec per se, nec per procuratorem, ipsi contendentes renunciare volebant, sed potius ecclesiam in schismate & divisione tenerent, quamdiu vitam ducerent in humanis. Et in hoc apparuit eorum colluso & concordia: maxime quia idem archiepiscopus Tarraconensis, specialis familiaris domini Benedicti, multa colloquia secreta habuit, rejectis sociis suis, cum domino Gregorio, & ejus nepote tunc camerario, & aliis suis secretariis. Ex quibus insurrexit vehemens suspicio in Luca & fama communis, quod inter ipsos duos contendentes de papatu erat colluso, & damnata concordia; & quod sic difficultarent hoc negotium, ut numquam in diebus suis ad mutuam cessionem deveniretur.

XXIII. Item, dominus Gregorius in Luca existens obtulit domino Benedicto locum Pisarum divisum flumine, ita quod unus staret cum suis ab una parte civitatis, alter ab alia. Quem locum immensissime commendavit, & inter alia dixit, quod iste locus a natura omnia necessaria pro tali conventione habet, adeo quod ad hoc fabricatus penitus videbatur. Et hanc similem oblationem voluit per cardinales fieri: quod & factum fuit in Portu Veneris per organum comitis Campaniæ, dominorum cardinalium oratorem. A qua oblatione resiluit, dicens, ante conclusionem hujus oblationis velle a Florentinis aliqua pacta & securitates: quas, si essent rationabiles, Florentini se obtulerunt facere, dummodo eis declararentur. Quam declarationem nullo modo facere voluit, nec etiam tempus, infra quod deberet Pisas venire, unquam voluit declarare: immo ex post facto venire Pisas penitus recusavit.

XXIV. Subsequenter dominus Gregorius in Luca existens, nunciis domini Benedicti ibidem existentibus, qui in verbo potius, quam in effectu loci concordiam prosequi videbantur, & nunciis serenissimi regis Francorum, qui re & effectu unionis materiam promovebant, denegavit salvum conductum prorogare, & de novo concedere: denegans eisdem suam præsentiam & omnem audientiam, nedum super via cessionis, immo super aliis unionem tangentibus, recessum indicendo, & mandando eisdem nunciis ut a dicta civitate Lucana recederent. Dixit etiam idem dominus Gregorius publice & frequenter, quod via cessionis erat mala & injusta ac diabolica, & quod eam de cætero prosequi nullo modo intendebat, contra juramenta & vota per ipsum præstita notorie, veniendo magnum scandalum ecclesiæ, cum pertinacia & contumacia notoria, a quibus diverti non potuit, etiam luce clarioribus responsionibus sibi factis: concordans in his cum domino Benedicto, qui eodem cupiditatis instinctu asseruit, & publice prædicavit, quod si viam cessionis prosequeretur pro unione habenda, crederet peccare mortaliter, ut in præcedentibus est descriptum. Quæ quantum erroris, etiam fidei oppositi, juxta multorum assertionem contineat, decernat & judicet hoc sanctum concilium in Dei nomine aggregatum.

XXV. De præmissis non contentus dominus Gregorius, ut majora & evidentiora extirpationi schismatis præstaret impedimenta, & ut haberet cupiditatis suæ & errorum suorum fautores ac defensores, contra juramentum & vota præstita, & in bullis suis scripta, etiam contra concilium dominorum cardinalium, & ipsis absentibus, quatuor de facto, cum de jure non posset, in cardinales promovit, suæ cupiditatis & errorum suorum fautores, ac unionis ecclesiæ notorios impeditores. Adhuc tractatu unionis pendente, oratoribus videlicet domini Benedicti in Luca existentibus, & oratore dominorum cardinalium de mandato domini Gregorii existente

in

ANNO CHRISTI 1409.

in Portu Veneris pro concordia loci, & contradicentibus omnibus cardinalibus, talem profanationem fecit. Et ideo contradicebant, quia de jure communi non poterat, cum talis profanatio esset notorie destructio unionis ecclesiæ. Et mala malis addens, ac pejora pejoribus, ac pacis ecclesiæ evidentiora impedimenta, dominis cardinalibus tunc in Luca existentibus paulo ante prohibuit & interdixit sub magnis pœnis, privationis videlicet dignitatum & beneficiorum, ac perjurii, quas ipso facto voluit incurrere, ne exirent civitate Lucana, nec per se, nec per medias personas participarent cum nunciis dicti domini Benedicti, & domini regis Franciæ, & ne auderent se insimul congregare. Quæ duo ultima mandata clare contra unionem erant; nam nisi tractaretur cum oratoribus domini Benedicti, non poterat unio procurari; & sic contra juramenta sua & cardinalium: nec etiam unio tractari poterat sine cardinalium congregatione. Et hoc revocare noluit: nec alias extirpationi schismatis intendere, quantumcumque fuit monitus & requisitus per dominos cardinales, & quamplures alios viros notabiles. Et quia domini cardinales tunc in Luca existentes, non obstantibus præmissis, intendebant & laborabant ut finis imponeretur schismati per viam cessionis juratæ, & voto firmatæ etiam per eos & eorum quemlibet, pro qua consequenda jurarunt nihil omittere de contingentibus, utilibus, necessariis, aut quomolibet opportunis; nec ab his retrahi poterant minis vel terroribus: D. Gregorius deliberavit cum suis, aliquos ex ipsis dominis cardinalibus capere & carceri mancipare, & aliquos tractare durius. Quod & fecisset certa die in suo domo & palatio adunatis in magno numero armigeris, nisi per dominum Lucanum, & ejus providentiam fuisset caute & honeste obviatum.

XXVI. Videntes autem tunc domini cardinales in Luca existentes domini Gregorii pertinaciam, contumaciam, & dispositionem notoriam, nedum in via cessionis juratæ, voto firmatæ, & in verbo cum domino Benedicto concordatæ, immo & ad omnem aliam viam per quam haberi posset unio; & quod ipsi D. Gregorio, absque gravi offensa Dei & schismatis perpetuatione, ac fautorio multorum eorum detrimento fidei, & notorio ac evidenti periculo animarum ac ecclesiæ desolatione irreparabili, non poterant adhærere, nec vota, nec juramenta per ipsos præstita observare: ipsi DD. cardinales tunc in Luca existentes, seu eorum duæ partes, & finaliter omnes, uno dumtaxat excepto, ab ipso D. Gregorio recesserunt, & ad hanc civitatem Pisanam, velut ad locum tutum se transtulerunt, cum firma intentione & proposito, ut se conjungerent cum DD. cardinalibus, qui D. Benedicto adhærebant, ad finem ut ipsis simul unitis, utilius & liberius possent extirpationi schismatis intendere, prout vigore instrumenti in conclavi celebrati obligabantur, & tenebantur, & secundum multorum valentium doctorum consilia per ipsos DD. cardinales habita in Senis, de mandato expresso dicti D. G. expresse tunc dicentis, quod contentabatur quod haberent consilia, & secundum consilia procederent: impedimentis, pertinaciis, & indispositionibus notoriis dominorum Gregorii & Benedicti non obstantibus, cum evidenter foret notorium, quod si attenderetur ipsorum dominorum Gregorii & Benedicti voluntas, numquam ipsis viventibus extirparetur schisma, sed potius perpetuaretur, & Christi caractere insigniti, erroribus involverentur ex eorum factis, dictis & damnatis persuasionibus a cunctis Christi fidelibus detestandis.

XXVII. Molestus autem gerens dominus Gregorius recessum dominorum cardinalium, & de statu suo dubitans, per suos armigeros insequi fecit bonæ memoriæ cardinalem Leodiensem, quamplurimum affectatum ad unionis procurandum bonum, dato dictis suis armigeris mandato crudeli, ut ipsum quondam dictum dominum cardinalem ad D. Gregorium vivum reducerent, vel incisum per frusta. Ecce mandatum pontificis adeo crudele, ut videretur impius Menelaus contra Oniam sacerdotem sanctum ab inferis rediisse, cuncta dissipans & civitatem inficiens bonorum sanguine cruento. Sed Altissimus, qui bonis assistit & malis conciliis obviare consuevit, sic protexit ipsum quondam dictum dominum cardinalem, ut in sicariorum manus non incideret, sed a Domino protectus, ad locum Libræfactæ Pisani districtus, salvus & incolumis perveniret. Deinde die sequenti tam ipse bonæ memoriæ cardinalis Leodiensis, quam alii domini cardinales qui de Luca recesserant, ad hanc civitatem Pisanam se personaliter contulerunt. Exposita tamen extitit domus ipsius quondam domini cardinalis in Luca existens prædæ rapaci, & bona mobilia ibi reperta fuerunt violenter ad domum tunc camerarii & nepotis domini Gregorii apportata. Et idem creditur quod fuisset factum de aliis dominis cardinalibus, nisi per dictum dominum Lucanum extitisset obviatum.

XXVIII. Ex quo vero domini cardinales in civitatem Pisanam convenerunt, voluerunt adhuc laborare ut dominus Gregorius debitum suum faceret, & veritatem agnosceret, ac ad unitatem ecclesiæ procurandam procederet juxta vota & juramenta per ipsum præstita. Et de his fecerunt ipsum requiri & exhortari, primo per eorum litteras, secundo per dominum cardinalem Burdegalensem, tertio per duos notabiles episcopos, videlicet Varmiensem & Lubucensem *, qui licet exhortationibus piis, humilibus supplicationibus, & rationibus luce clarioribus institerint, ut ipse D. Gregorius pertinacia deposita veritatem agnosceret, vota & juramenta servaret, & ulterius paci & unitati ecclesiæ se obicem non poneret in suæ animæ detrimentum, & ecclesiæ scandalum, offerendo eidem quod in casu quo promissa faceret, ipsi domini cardinales omnem honorificentiam & adhærentiam debitam præstarent & exhiberent. Requirentes eundem, ut ad civitatem Pisanam veniret, ad quam venire debebat, quia ipsam obtulit, & in sublimibus commendavit, quam etiam offerri fecit per ipsos dominos cardinales, & promitti quod ad ipsam irent, ut supra plenius tractatum est, vel si venire nollet, per procuratorem renunciaret. ipse tamen dominus Gregorius, velut in cor durum datus, acquiescere noluit, omnia contemnens, & in sua solita permanens pertinacia, impedimentis & erroribus antedictis.

XXIX. Demum quatuor ex dictis dominis cardinalibus, qui ad Pisanam se transtulerant civitatem, cum quatuor ex DD. cardinalibus qui domino Benedicto adhærebant, in Liburno diœcesis Pisani, de voluntate D. Benedicti & totius ipsorum collegii convenerunt ad tractandum de unione ecclesiæ celeriter procuranda. Et quia dominus Benedictus de tribus suis cardina-

* al. Barinonensem & Lubricensem.

ANNO CHRISTI 1409.

dinalibus ad hoc deputatis confidentiam non habebat juxta suæ considerationis intentum: adjunxit eisdem quatuor suos familiares, videlicet Rotomagensem quondam, Tolosanum & Tarraconensem archiepiscopos, ac magistrum generalem ordinis Prædicatorum. Et his omnibus existentibus in Liburno, post aliqua colloquia, aperta fuit inter eos via concilii generalis utriusque partis & obedientiæ in uno loco partium Italiæ convocandi, ad finem, quod ibidem duo de papatu contendentes renunciarent juxta concordata juramento & voto firmata; alias in eorum contumaciam provideret concilium & ecclesia congregata, ut foret secundum Deum Divinas & canonicas sanctiones providendum. Quæ via sic aperta, velut necessaria & canonica, accepta & grata fuit omnibus dom. cardinalibus partis utriusque ibidem existentibus, & aliis per dominum Benedictum, ut præmittitur, deputatis, qui dominum Benedictum de hac via concilii sic aperta certificaverunt, & ex post retulerunt, quod ipse dominus Benedictus erat contentus de via concilii sic aperta. Et idem retulit in Liburno magister Simon Salvator decretorum doctor, ipsius domini Benedicti familiaris, ad hoc destinatus. Et ex post antequam D. Benedictus a Portu Veneris recederet, scripsit litteras credentiales dominis Præneslino, de Thureio, & sancti Angeli, in Liburno existentibus, per sacristam Magalonæ, qui in vim credentiæ ipsis exposuit, quod dominus Benedictus erat recesturus ad partes Cataloniæ; & quod erat contentus ipse dominus Benedictus, quod ipsi domini cardinales prosequerentur viam motam generalis concilii utriusque partis & obedientiæ; & quod ipse dominus Benedictus erat dispositus dimittere aliquos de suis ad istam materiam prosequendam una cum ipsis dominis cardinalibus prædictis, dummodo a Gubernatore Januæ posset pro illis salvum conductum habere.

XXX. Concluso vero tractatu de via generalis concilii in Liburno inter dictos cardinales prædictos utriusque partis, & alios deputatos per dominum Benedictum: subito dominus cardinalis de Chalento, tres archiepiscopi prædicti, & generalis ordinis Prædicatorum, e Liburno recesserunt. Et ad Portum Veneris accedentes retulerunt domino Benedicto, quæ gesta fuerant: & eidem consulueruut domini cardinales tunc in Portu Veneris existentes, & alii prælati sui consiliarii & familiares, ut omnino sequeretur & amplecteretur viam concilii generalis utriusque partis, de quo apertum fuit in Liburno inter cardinales partis utriusque. Quorum sprevit concilium, & mutata voluntate deliberavit ad Perpinianum accedere: & volens viam generalis concilii utriusque partis impedire, ibidem publicavit, quod in festo omnium Sanctorum in loco Perpiniani teneret concilium suæ obedientiæ. Dominus etiam Gregorius in Luca audiens & per D. Benedictum certificatus, quod DD. cardinales concluserant de via concilii utriusque partis: etiam deliberavit e Luca recedere. Et volens pariter viam concilii generalis utriusque partis impedire, ibidem publicavit, quod teneret concilium suæ obedientiæ & partis in festo Pentecostes futuro in provincia Aquilejensi, vel exarchatu Ravennatensi. Per quæ concilia sic divisa, & in locis adeo remotis ac diversis terminis, etsi impediri posset pax ecclesiæ juxta intentionem ipsorum duorum contendentium de papatu, qui una collusione ac concordia damnata in hanc vanitatem conveniebant: nullo tamen modo poterat schisma extirpari, sed potius nutriri & foveri in magnum ecclesiæ detrimentum, & periculum animarum.

XXXI. Et post dominus Benedictus de mense Junii proxime præteriti recessit a Portu Veneris, suos gressus dirigens ad regem Aragonum, & ad locum Perpiniani applicuit, nullo alio dato ordine ad schismatis extirpationem, immo tractatu pacis rupto, & prosecutione unionis ecclesiæ omnino deserta, in dicto loco Perpiniani de mense Septembris proximi præteriti promovit de facto quinque in cardinales, suos familiares, opinionum suarum & viarum in impedimentum unionis tendentium sequaces, & pertinaces defensores. Et pari modo dominus Gregorius de Luca recedens, & de unione ecclesiæ nullo modo curans, novem de facto in cardinales promovit. Et hæc per ipsos facta sunt collusione mutua, & concordia damnata, ut evidenter ostendunt eorum facta & dicta in impedimentum unionis concurrentia: per hoc credentes plures habere sequaces & defensores, & facilius viam generalis concilii utriusque partis impedire.

XXXII. Et post dominus Benedictus, cum fuit in Perpiniano, antequam suum inchoaret particulare concilium in impedimentum unionis, & ut suum concilium particulare majoris videretur auctoritatis, tres alios suos familiares in patriarchas promovit, & tales, qui contra suam voluntatem veritatem dicere non auderent: & demum per plures dies tenuit suum particulare concilium, in quo interfuerunt fere quadraginta prælati, archiepiscopi, episcopi, abbates. Et ibidem legi fecit secundum se suæ assumptionis modum, & quæ fecerat pro unione habenda: sed non fuerunt ibi descripti seu recitati sui defectus, & impedimenta per eum paci ecclesiæ præstita, nec alia, quæ in præcedentibus sunt veridica narratione descripta. Et ex post, ut fertur, dici fecit per concilium suum particulare, quod ipse erat verus papa, ac quod fecerat debitum suum in unione ecclesiæ procuranda, & quod ipse semper fuerat catholicus absque labe hæresis & schismaticæ pravitatis. Fecit etiam publice dici & prædicari in Perpiniano, quod concilium in hac civitate Pisana convocatum teneri non poterat, nec convocari sine ipso; & quod ad ipsum in solidum pertinebat convocatio concilii generalis; contra veritatem juris, volens per hoc impedire hoc concilium generale utriusque partis, quod prælati Arragoniæ & Castellæ ad ipsum concilium non venirent. Et si ista ad impedimenta unionis ecclesiæ, & schismatis nutrimentum pertineant, deliberet & decernat hoc sanctum concilium.

XXXIII. Et licet per præmissa velut ex evidentibus & certis indiciis, ac præsumptionibus violentis, famaque communi & vulgata, appareat notorie de eorum collusione & damnata concordia ad viam mutuæ cessionis per eos juratæ, & omnem aliam per quam posset haberi unio & schisma extirpari: tamen ultra præmissa in Roma, Senis, & Luca, & Portu Veneris, inter curias ipsas sequentes fuit, & est communis fama & opinio, & aliqui notabiles viri dicunt se vidisse litteras & cedulas, continentes, quod inter dominos Gregorium & Benedictum est, & fuit confœderatio, concordia, & collusio juramento firmata, quod ad hoc ut ipsi evita-

ANNO CHRISTI 1409.

evitare & repellere valeant viam mutuæ cessionis, ipsi seipsos & suos dicunt se tractare debere materiam unionis, & non concilio dominorum cardinalium, principum, seu aliorum quorumcumque qui de suo consilio & opinione non essent, quia ad ipsos, ut asserunt, & non ad alios, præcise spectat prosequi unionem, nisi in quantum alii per eos essent requisiti, & quod ipsi loca electa pro pace danda ecclesiæ possunt mutare pro eorum libito voluntatis; & dicere contrarium, est ecclesiæ, ut ajunt, contradicere, & pacem impedire. Tenent etiam mutua concordia, quod melius est ecclesiam stare in divisione, ut est, quam si cogerentur ad viam mutuæ cessionis. Tenent etiam & concordes existunt, quod si simul haberent in uno loco convenire, tractarent de reductione unius ad alterum de via compromissi & successionis, ut sic manerent, dum viverent, & uno defuncto superiles unicus papa remaneret. Et istud asseritur plus placere contendentibus ipsis, ut asserunt viri notabiles, qui præmissa audiverunt, & aliquas scripturas ipsorum contendentium viderunt & legerunt.

XXXIV. Postquam autem D. Benedictus recessit a Portu Veneris ad partes Cataloniæ dirigens gressus suos, disposuit D. Greg. a Luca recedere, & sic se ab invicem elongare, ut unus ad Occidentem, & alter ad Orientem viderentur intuitum dirigere, omnino deserto unionis negotio, & in desperationem posito. DD. card. partis utriusque in majori numero hinc inde in Liburno convenientes, quia adhuc non habebant alium locum accommodum pro conventione, & materia concilii utriusque partis & obedientiæ ibidem apertam velut necessariam prosequentes, præviderunt fore utile & necessarium ut ipsum concilium generale partis utriusque convocaretur, ut prius deliberaverant, ad vicesimam quintam diem proximi præteriti mensis Martii, cum continuatione dierum sequentium in hac civitate Pisana. Quæ civitas alias per ambos de papatu contendentes ad consummandum pacis & unitatis vinculum fuerat electa, oblata & nominata, & idonea ac conveniens reputata: sic quod per dominos cardinales, qui D. Gregorio adhæserant, in eorum parte convocarentur domini cardinales absentes, prælati, principes, & alii qui forent convocandi; & pariter per alios dominos cardinales in sua parte ad prædictum locum & diem. Quod & factum extitit per ipsorum patentes litteras de communi & concordi ipsorum consensu, in forma canonica & juridica. Actum fuit etiam & conclusum, quod pari modo per ipsorum dominorum cardinalium litteras, præmissa omnia intimarentur DD. Benedicto & Gregorio. & requirerentur ut vocationi ipsius concilii præstarent consensum & opem, & ex superabundanti vocarent ad prædictos locum & diem una cum DD. card. sibi obedientibus, & quod ipsi contendentes de papatu, vocarentur & provocarentur ad dictum concilium renunciare, ut promissum, juratum & voto firmatum & concordatum fuerat, per se, vel procuratores suos, ad hoc sufficiens, speciale & irrevocabile mandatum habentes, cum intimatione quod alias in ipsorum contumaciam, contradictionem vel recusationem, provideret concilium, & ecclesia congregata, eorum vel alterius ipsorum absentia non obstante, prout foret secundum Deum, Divinas & canonicas sanctiones, providendum, & alias fuit in Romana ecclesia sancte & virtuosissime observatum. Quæ omnia fuerunt per patentes litteras dictorum dominorum cardinalium domino Benedicto intimata in persona sua propria in loco Perpiniani. Et solemniter fuit vocatus & provocatus ad hoc prius concilium, etiam in causa schismatis & fidei: ut constat litteris ipsius domini Benedicti, & publicis & authenticis instrumentis. Et nihilo minus præfati domini cardinales in vim cedulæ in conclavi juratæ, de novo ipsum dominum Benedictum requisiverunt per suas litteras, ut renunciaret, quia hoc reputabant & reputant pro bono unionis expedire. Ut autem præmissa omnia notificarentur domino Gregorio, duo domini cardinales, videlicet domini Aquilejensis & Mediolanensis vulgariter nuncupati, de voluntate & mandato ac assensu aliorum dominorum cardinalium, ad civitatem Senarum, in qua residebat dominus Gregorius, accesserunt. Et quia ibidem domini Gregorii non potuerunt habere præsentiam, ipso impediente, nec ipsum personaliter ad prius concilium provocare, nec alia facere, quæ ordinata fuere, licet ibidem cum Senensibus sollicitam facerent diligentiam, per plures videlicet octo dies, ut præsentiam ipsius domini Gregorii habere possent: litteras patentes provocationis ipsius ad concilium, in causa fidei & schismatis alias præmissa plenarie continentes, publice ac patenter sub publico testimonio, in præsentia multorum clericorum & laicorum poni fecerunt, & dimiserunt in principali altari cathedralis ecclesiæ civitatis Senarum, & in valvis ecclesiæ sancti Christophori ejusdem civitatis Senarum, sub testimonio publico & multorum præsentia, affixerunt taliter, quod de illis dominus Gregorius non posset ignorantiam allegare: prout isti sacro concilio est per instrumentum facta fides, immo ad ejus notitiam pervenerunt, et haberi debent de jure, perinde ac si sibi personaliter intimatæ fuissent.

XXXV. Et post dominus Gregorius per varios nuncios et alios conatus est impedire hoc sanctum concilium in impedimentum unionis ecclesiæ: procurando ut domini cardinales, qui sibi adhæserant, mutarent locum et diem ordinatum, et convenirent cum ipso domino Gregorio in alio loco et termino. Et quia domini cardinales evidenter perpenderunt, quod istud petebatur ad impedimentum unionis ecclesiæ, et ut impediretur hoc sanctum et universale concilium utriusque partis in hac civitate Pisana congregatum, cum in hoc tractatu nulla fieret mentio de D. Benedicto et parte, quæ sibi adhæsit, sine quibus schisma extirpari non potest, nec unio haberi: propterea præfati domini cardinales, constantes in inceptis permanserunt, nec voluerunt, sicut nec debuerunt, tam evidenti malitiæ et notorio impedimento unionis aliquatenus consentire: ut etiam evidentibus responsionibus dicti domini cardinales nunciis hoc tractantibus luce clarius ostenderunt.

XXXVI. Et ulterius dominus Gregorius nedum viam concilii generalis, sed omnem prosecutionem unionis impedire volens, notificavit per suas litteras, quas ad varias mundi partes direxit: quod dominos cardinales qui sibi adhæserant, et qui unionem ecclesiæ prosequebantur, privaverat dignitatibus et beneficiis, et contra prælatos et officiarios sequentes dominos cardinales, et eis in unione prosequenda adhærentes, processit ad privationem dignitatum, beneficiorum, officiorumque, nulliter et de facto,

ANNO CHRISTI 1409.

ao, cum de jure hoc facere non posset in impedimentis unionis. Et pari modo dominus Benedictus volens impedire omnem prosecutionem unionis ecclesiæ, fecit de facto cæteros processus contra dominos cardinales, prælatos, reges, et principes, et alios qui se a sua obedientia subtraherent. Et ut viam concilii generalis impediret, citari fecit coram se in Perpiniano compariturus cæteros prælatos, universitatem studii Parisiensis, et nonnullos magistros et doctores, et alios viros litteratos, responsuros super certis articulis in impedimentum unionis et concilii generalis, cum ipsi citati constanter prosequantur viam concilii generalis et schismatis extirpationem. Intendentes per hoc præfati DD. Gregorius et Benedictus, persecutores unionis ecclesiæ et concilii generalis utriusque partis terrere et avertere a prosecutione unionis et pacis ecclesiæ ac viæ concilii generalis utriusque partis, in eorum animarum detrimentum, et ecclesiæ grave et notorium scandalum.

XXXVII. Ultra præmissa, verbis et litteris præfati DD. Gregorius et Benedictus conati sunt impugnare hoc sanctum et universale concilium, et ejus vocationem, dicendo et asserendo, quod hoc universale concilium non poterat se intromittere, vel cognoscere, seu aliquid definire de causa ipsorum, et schismatis extirpatione, et sic per consequens nec de aliis erroribus, quibus ipsi notorie, quantum in eis est, corpus ecclesiæ commaculant. Et hoc est satis evidens et notorium, ac etiam evidens existit et certum, quod ipsi, licet solemniter et ex superabundanti cautela, requisiti, noluerunt huic sancto concilio assensum ferre & opem, nec ad ipsum venire concilium, ut fuerant solemniter vocati, & etiam provocati, renunciaturi pro unionis bono, & juramento & voto multipliciter sunt adstricti, ut manifestum existit & notorium. Per quæ evidentius constat de eorum notoria contumacia hæresim in hoc casu importante, & summam damnationem secundum canones in eos dictante, incorrigibilitate & damnata pertinacia adeo evidenti & notoria, ut adversus illam admittenda non sit excusatio.

XXXVIII. Quare pro parte dicti procuratoris, promotoris, seu sollicitatoris, petitur, postulatur, & requiritur, per hanc sanctam & universalem synodum, & ejus sententiam, decerni & pronunciari: primo unionem & conjunctionem factam de duobus collegiis in unicum collegium, fuisse & esse legitimam & canonicam, ipsamque auctoritate præfatæ synodi roborari pro bono tam sancti & pii negotii, ac validam & rationabilem declarari pro bono & evidenti necessitate sanctissimæ unionis: ac etiam hanc sanctam synodum per dominos cardinales utriusque collegii ad tantum bonum simul legitime unitos & congregatos, rite & debite convocatam, ac etiam congregatam, & tempore congruo, in loco tuto, habili & idoneo, securo & libero, & ad eam velut repræsentantem universalem Dei ecclesiam, cognitionem hujus causæ, ac etiam decisionem, pertinere & spectare. Decerni etiam & declarari, omnia & singula superius enarrata, fuisse & esse notoria, & super eis etiam tanquam notoriis procedendum: & exinde memoratos contendentes, & eorum quemlibet, toti populo Christiano denunciari, & ostendi debere omni dignitate & honore, etiam papali, se reddidisse indignos, velut notorios schismaticos, notorios fautores, & schismatis nutrito-

res, pertinaces hæreticos, & notoriis criminibus enormibus, perjurii, & violationis voti irretitos, etiam notorie scandalizantes cum incorrigibilitate, contumacia & pertinacia evidentibus & manifestis; ipsosque propter præmissas iniquitates, ne regnent vel imperent, seu præsint, a Deo & sacris canonibus, fore abjectos, privatos, ac ab ecclesia præcisos, suis ligatos peccatis; & nihilo minus sententiando privari, abjici & præcidi: & insuper eisdem & cuilibet eorum inhiberi, ne aliquis eorum pro summo pontifice gerere se præsumat. Omnes & quoscumque Christianos ab eorum obedientia, non obstante quocumque fidelitatis juramento, aut alio vinculo adstrictos, perpetuo absolutos declarari. Inhibendo etiam cunctis Christi fidelibus, ut dictis contendentibus, seu eorum alteri, tamquam papæ seu summo pontifici obediant, pareant, vel intendant, nec consilium, auxilium, vel favorem præstent, aut eos recipiant, vel receptent, etiam sub pœnis excommunicationis, & aliis a sanctis patribus & canonibus inflictis, promulgatis, & ordinatis. Et si parere contempserint ordinationi & sententiæ hujus sacri concilii, decernendum fore & decerni, ipsos, & eorum fautores, defensores & adhærentes, etiam per potestates sæculares compescendos fore & compesci, juxta sacrorum canonum dispositiones & Divina mandata.

Et pari modo petitur, postulatur, & requiritur, decerni, & declarari, omnes & singulos processus ac sententias, per dictos contendentes, & eorum quemlibet factos, latos, & fulminatos; ac privationes ordinum, dignitatum, beneficiorum, & officiorum, ac graduum quorumcumque, & qualiacumque, ac quomodocumque nuncupentur, sed nominentur, contra dominos cardinales, & eis adhærentes, ac eos sequentes, ac etiam contra dominos reges & principes, prælatos et alios ecclesiasticos et sæculares cujuscumque conditionis et status, ac etiam contra universitates, Parisiensem, Bononiensem, et alias universitates seu communitates, ac singulares personas, cum hæc omnia in odium prosecutionis et unionis, et impedimentum ejusdem, appareant esse facta, fuisse et esse nullos, et cassos et irritos, ac nullius vigoris vel momenti; et quatenus de facto processerunt, annullandos, cassandos et irritandos, ac annullari, cassari, et irritari debere. Et nihilo minus etiam promotiones vel potius profanationes cardinalium, velut in impedimentum unionis attentatas, et quæcumque alia, quomodocumque, et qualitercumque per eos, vel eorum alterum, gesta vel facta sub colore pontificalis officii in impedimentum unionis, fuisse et esse nullas, cassas, irritas et inanes; et quatenus de facto processerunt, annullari, cassari, et irritari per hanc sanctam et universalem synodum debere. Et consecutive omnes sententias excommunicationis, inhabilitationis, vel alicujus alterius pœnæ, per eos vel eorum aliquem latas in adhærentes, neutrales, seu eis obedientiam subtrahentes, auctoritate præsentis concilii nullas declarari. Et insuper omnem supplere defectum, si quis forsan intervenerit in presenti processu ex solemnitate juris omissa.

Et ad informandum plenius hanc sanctam synodum, si prædicta omnia omnibus notoria non existant: licet omnia et singula prædicta sint vera, manifesta et notoria, ita quod aliquali tergiversatione celari non possint, nec indigeant clamore alicuius accusatoris: tamen procurator

ANNO CHRISTI 1409.

seu promotor præfatus dat, exhibet, producit articulos præsentes, & contenta in eisdem narrative & dispositive. Et de quolibet ac conjunctim & divisim, & in quantum videatur huic sanctæ universali synodo, offert se probaturum in eis contenta, vel ea quæ ei sufficient, seu sufficere videbuntur, ad suum propositum consequendum in toto vel in parte, & non aliter, nec alio modo. De quo solemniter protestatur, vestrum benignum auxilium humiliter implorando.

Et prædicta omnia & singula dictus procurator, seu promotor dat, exhibet, & producit omni meliori modo, via, forma, & causa, quibus potest & debet: salvo jure sibi corrigendi, addendi, detrahendi, &c.

SESSIO VI.

Sexta sessio fuit die ultima Aprilis: & ibi statim post Missam, & litanias proposuit episcopus Salisberiensis de Anglia, qui tempore medio cum multis aliis dominis Anglicis applicuerat Pisas, exhortans in effectu totum concilium ad procedendum in negotio secundum bonam justitiam & æquitatem; dicens se cum aliis habere sufficiens mandatum, ex parte regis Angliæ & regni ad tractandum & prosequendum cum aliis, & tenendum seu accordandum quidquid ibidem ordinaretur in facto ecclesiæ, seu unionis, &c. Et quia nondum ex parte dictorum Anglicorum, nec parte illorum de Alemania, fuerant nominati per eos eligendi ad examinandum testes, de quibus dictum est in sesione præcedenti; ideo fuit dies continuata ad diem sabbati proximam, quæ erit dies quarta Maji; in qua, sicut dictum fuit per advocatum ex parte concilii in hoc negotio ordinatum, dominus Petrus de Ancorano, utriusque juris doctor Bononiensis, debebat dare responsiones ad proposita alias in quarta sessione per episcopum Verdensem, & alios ambassiatores regis Ruperti, de quibus ibi dicitur. „ Et fiet etiam commissio nominandis ad examinandum testes (de quibus est supradictum:) „ Et ulterius in negotio procedetur prout fuerit rationis." Fuit etiam illico protestatum per dictum advocatum ad instantiam promotorum & procuratorum ad hoc totum negotium prosequendum, ex parte concilii ordinatorum, de prosequendo tempore & loco contra dictum episcopum Verdensem, & alios ambassiatores dicti Ruperti (de quibus supra) qui non expectato responso illicentiati recesserunt; quodque ipse & alii qui cum eo sic recesserant, et debebant concilio interesse, incurrerant pœnas juris contra sic recedentes vel non venientes latas a jure, &c.

SESSIO VII

Septima sessio fuit die sabbati quarta Maji; & ibidem post Missam & litanias, doctor Bononiensis, vocatus dominus Petrus de Ancorano, dedit responsiones ad proposita alias per oratores & nuncios D. Ruperti, &c. de quibus supra facta est mentio in quarta sessione. Postea fuerunt lecta nomina electorum pro qualibet patria ad recipiendum testes & instrumenta, ad probandum notorietatem propositorum in quinta sessione contra istos duos contendentes: illico fuit eis auctoritate concilii data commissio, de qua promotores petierunt instrumentum. Fuit etiam dictum, quod expediebat auctoritate totius concilii mittere ad regem Ladislaum Siciliæ, ad exhortandum eum, quod non impediret concilium, et quod cessaret ab impedimentis, quodque teneret & servaret ibi deliberanda, etc. Et ab omnibus fuit dictum: placet. Et fuit dies continuata ad procedendum ulterius in hoc negotio ad diem Veneris, quæ erit dies decima Maji.

SESSIO VIII.

Octava sessio fuit dicta die Veneris decima die Maji, & post Missam et litanias, fuit potestas data in alia sessione ad examinandum et recipiendum testes et instrumenta, continuata ad octo dies, videlicet, ad diem Veneris, decimam octavam diem Maji. Ibidem etiam ad instantiam promotorum et procuratorum, etc. fuit determinatum, unionem amborum collegiorum card. propter bonum unionis eccl. et pro necessitate prosequendi hoc tam pium negotium alias factam, fuisse bene, rite, et debite factam: eamque synodus roboravit et confirmavit, et declaravit, quod per eos potuit concilium ecclesiæ universalis congregari ad providendum isti negotio, et quod hoc præsens concilium est sufficienter repræsentativum totius ecclesiæ catholicæ, in loco tuto, idoneo et securo, et tempore congruo congregatum; quodque hoc præsens concilium habet potestatem cognoscendi de hoc toto negotio, etc. et decidendi, tanquam quod non habet alium quoad hoc superiorem in terris. Et hæc omnia fuerunt illico per dictum concilium accordata, pronunciata, et conclusa per os domini patriarchæ, prout in cedula super hoc facta et lecta continetur, cujus scriptus est tenor infra.

Item, fuit auctoritate concilii dictum et declaratum, licet pro tunc non pronunciatum in scriptis, quod a tempore quo isti contendentes recusarunt adimplere juramanta sua et vota de via cessionis per eos præstita, licuit ab eis subtrahere obedientiam, ab eo tempore, quo viam cessionis prosequi omiserant, etc. et quod pro nunc erat ab omnibus obedientia eis et eorum cuilibet subtrahenda; et quod processus, inhabilitationes, & censuræ, latæ per eos, aut eorum alterum, in præjudicium prosecutionis unionis, erant irritæ & cassæ, &c. sed quia de hoc non erat littera seu pronunciatio dictata, fuit hoc sic dimissum usque ad aliam sessionem, quæ fuit assignata ad decimam septimam diem mensis Maji proximam. Tenor autem dictæ cedulæ in hac sessione pronunciatæ sequitur, & est talis.

Sancta synodus, habita plena & matura deliberatione decernit, pronunciat, & declarat, unionem & conjunctionem factam de duobus collegiis S. R. ecclesiæ cardinalium, fuisse & esse legitimam & canonicam; ipsamque sua auctoritate roborat, approbat, & confirmat, pro bono tam sancti et pii negotii, ac evidenti et imminenti necessitate universalis ecclesiæ catholicæ, extirpatione schismatis, ac unione et redintegratione ipsius ecclesiæ: ac etiam hanc sanctam synodum per DD. cardinales utriusque collegii, ad tantum bonum simul unitos et congregatos, tempore congruo, et in loco tuto, habili, idoneo, securo et libero; rite, debite, et canonice convocatam. Declarat insuper, pronunciat, et decernit, per Dei gratiam hic esse generale concilium repræsentativum totius ec-

ANNO CHRISTI 1409.

ecclesiæ universalis catholicæ, rite, juste, & rationabiliter fundatum & congregatum: & ad hoc generale concilium, tanquam ad unicum superiorem & judicem in terris pertinere hujusmodi causæ, & omnium propositorum contra DD. Benedictum & Gregorium nominatos, contendentes, seu, ut asseritur, colludentes, cognitionem, examinationem, decisionem, & omnimodam determinationem omnium singulorum ad dictam causam pertinentium, quoquo modo deprendentium, incidentium, seu emergentium ex præmissis.

Item, sancta synodus habita matura ac plena deliberatione ex causis præmissis, pro secunda dilatione ad producendum testes statuit terminum ab hodie ad octo dies: quæ erit decima septima præsentis mensis Maji, & ad illum diem assignant proximam sessionem.

SESSIO IX.

Nona sessio fuit die Veneris XVII. Maji, in qua post Missam et litanias fuit ex parte concilii dictum et declaratum, quod ordo sedendi in concilio per quoscumque prælatos sive ambassiatores aliquorum, non faceret præjudicium ecclesiis, vel personis seu eorum dignitatibus aut prærogativis; quodque de hoc nullus de cætero contra alium posset se juvare in aliquo, tam in proprietate, quam saisina seu possessione, vel quasi.

Item, per os domini Patriarchæ Alexandriæ de mandato synodi fuit pronunciatum in scriptis, super illis tribus de quibus in proxima sessione dictum fuerat, sed pro tunc non pronunciatum, videlicet: Quod licuit, etc. ut in præcedenti sessione dictum fuit; Et quod subtractio obedientiæ ex nunc in antea curreret; et quod processus contra hoc facti non tenerent, etc. ut ibi dictum est. Et ulterius in eadem sententia pronunciatum fuit et declaratum, quod domini cardinales, et alii prælati, producti in testimonium in hac causa, poterunt esse conjudices, ac etiam testes. Tenor autem hujus cedulæ est infra scriptus.

Item, in eadem synodo commissio alias data examinatoribus testium fuit continuata ad Mercurii proximam, quæ erit dies vicesima secunda Maji: quæ dies etiam fuit pro proxima sessione assignata. Et fuit data auctoritate concilii potestas dictis examinatoribus addendi articulos alios novos, vel declarandi jam datos, etc. prout * videntur expedire pro causa. Tenor autem dictæ pronunciationis factæ in prædicta sessione sequitur, et est talis.

* Forte, viderint. H.

Sancta et universalis synodus hic in Christi nomine congregata, declarat, pronunciat, et decernit, ex justis et rationabilibus causis a Petro de Luna, qui Benedictus decimus tertius, et Angelo Corario, qui Gregorius XII. dicebantur, improbe contendentes de papatu, et ab ipsorum cujuslibet obedientia licuisse recedere libere et impune: videlicet a præfato Benedicto, ex eo tempore quo viam cessionis per eum juratam solemniter, realiter prosequi, et eamdem effectualiter adimplere, damnabiliter omisit; et a præfato Gregorio, ex eo tempore quo viam cessionis per eum juratam et solemni voto firmatam et promissam, realiter prosequi, et effectualiter adimplere, damnabiliter prætermisit.

Insuper eadem sancta synodus ex causis, quibus supra, pronunciat, statuit, ordinat, et decernit, præfatis contendentibus de papatu, et ipsorum cuilibet, qui canonice requisiti vocatique in præsenti causa schismatis et fidei, fuerant declarati legitime contumaces, fore a cunctis Christi fidelibus omnimodam obedientiam subtrahendam, et ex nunc in antea ab omnibus pro subtracta haberi, et ita observandam decernit, pronunciat, atque mandat.

Processus autem et sententias, condemnationes, privationes, inhabilitationes, et censuras quascumque, per ipsos contendentes, aut ipsorum alterum, in præjudicium unionis ecclesiæ, aut prosecutionis ejusdem contra subtractos, aut in posterum subtrahentes, factos, aut in posterum fiendos, hæc sancta synodus decernit et declarat cassos existere, et nullius esse roboris vel momenti: et eosdem cassat et annullat, quatenus de facto processerunt, aut in futurum procederent.

Item, eadem sancta synodus in favorem fidei, et pro schismatis extirpatione, ac lacerata ecclesia unienda et pacificanda, decernit, pronunciat, et declarat, omnes cujuscumque status, etiamsi cardinalatus præfulgeant dignitate, qui in casu præsenti sunt, et esse possunt judices seu conjudices in concilio, etiam esse posse legitimos testes, eorumque tam sententiis quam testimoniis fidem esse indubiam adhibendam.

Item, cum propter diversitatem et prolixitatem articulorum in præsenti causa productorum, posset testium examinatio dispendiose protelari: propterea sancta synodus decernit, pronunciat, et declarat, quod domini commissarii, seu examinatores, ad hoc per sanctam synodum deputati, possunt dictos articulos declarare, specificare, et in eis addere, detrahere, mutare, ac etiam novos articulos de novo recipere, et super eis testes examinare, interrogatoria facere, prout utilitati et ecceleration i causæ viderint expedire, et mittere etiam extra locum concilii, maxime Florentiam, ad recipiendum et examinandum alios testes. Et ex prædictis causa cognita et deliberata, dat, statuit, et decernit tertiam dilationem ad probandum, et testes producendum, et ad ulteriora procedendum, prout eidem sanctæ synodo videbitur expedire, diem Mercurii proximam, quæ erit vicesima secunda hujus mensis; ad quam diem statuit et ordinat proximam sessionem.

SESSIO X.

Decima sessio fuit die Mercurii vicesima secunda Maji. Et primo post Missam et litanias fuit petitum, quod Benedictus et Gregorius de papatu contendentes, quibus alias data fuerat dilatio ad audiendum jurare testes; et dicendum contra eos si quid dicere vellent, nunc antequam fieret publicatio, vocarentur ad valvas: et si non comparerent, decernerentur, quoad hoc contumaces, et in eorum contumaciam ulterius procederetur ad publicationem testium, etc. Et ita fuit factum. Postea illico decretum fuit, publicationem esse faciendam: et illico fuit incepta perhunc modum, quod unus de notariis legebat articulos, et unus de examinatoribus, scilicet archiepiscopus Pisanus ad hoc deputatus, lecto articulo dicebat, contenta in hoc articulo probantur notoria per tot testes, nominando in genere eorum dignita-

ANNO CHRISTI 1409.

tes, sed non personas: & quia illa die non potuit perfici istud, iste actus continuatus fuit ad diem sequentem, quæ pro alia sessione fuit assignata.

SESSIO XI.

Undecima sessio fuit die Jovis tertia Maji; in qua post Missam & litanias continuatus fuit actus hesterna die inchoatus: & post articulorum lecturam completam, secundum formam alia die inchoatam, petitum fuit & requisitum, quod per concilium decerneretur publicationem testium esse factam, & esse ulterius procedendum in causa, prout concilio videretur; super quo si placeret, daretur dilatio ad diem Sabbati proximam ad respondendum super istis, & deliberandum tempore medio, quid dicendum. Et ita fuit accordatum, & ad aliam diem Sabbati, quæ erit dies vicesimaquinta hujus mensis Maji, fuit sessio assignata. Et ulterius illico fuit requisitum, quod de novo ad valvas ecclesiæ illa dies assignaretur duobus de papatu contendentibus, ad audiendum ordinationem concilii de modo ulterius procedendi, & audiendum decerni publicationem testium debite esse factam, & debere haberi pro facta, nisi dicant, vel aliquis pro ipsis causam quare, &c. Et ita in omnibus fuit accordatum.

SESSIO XII.

Duodecima sessio fuit die sabbati vicesima quinta Maji, quæ fuit vigilia Pentecostes, & post Missam & litanias fuit requisitum per advocatum, quod dicti duo contendentes ad valvas vocarentur: & ita fuit factum per duos cardinales more solito. Et quia non comparuerunt, nec aliquis pro eis, fuerunt reputati contumaces, & in eorum contumaciam dictum fuit publicationem testium haberi pro facta, & ulterius procedendum. Et illico fuit per os domini Patriarchæ Alexandriæ pronunciatum auctoritate concilii, videlicet quod attenta notorietate eorum de quibus agitur, visis attestationibus, receptis & publicatis, crimina & excessus & alia necessaria ad decisionem causæ fuerunt & sunt notoria, & pro talibus reputabat, decernens ulterius tanquam super notorio esse procedendum. Postea fuit petitum & requisitum ex abundanti, quod adhuc prorogaretur potestas alias data commissariis ad examinandum testes, de qua supra, usque ad tempus latæ sententiæ ad finem, quod si aliquæ litteræ producerentur, quæ facerent ad causam, vel si fierent adhuc alii novi articuli super illis, testes possent recipi: & ita fuit accordatum.

Item, etiam petitum fuit & accordatum, quod pro bono causæ si cardinalibus videretur esse mittendum ad D. Lucanum & ad Senenses, pro aliquibus quæ ad hanc causam essent expedientia, ipsi cardinales ad hoc sine alia congregatione possent nomine concilii ibidem mittere, & ad hoc eligere personas sicut voluerint.

Item, ad procedendum ulterius fuit dies & sessio assignata ad diem Mercurii post festum Pentecostes, quæ erit vicesima nona Maji, videlicet ad deliberandum de die assignanda dictis contendentibus ad audiendam sententiam diffinitivam, & de citando eos ad illam diem ad sententiam audiendam. Tenor vero pronunciationis factæ, de qua in hac præcedenti sessione fit mentio, talis est.

Sancta synodus attenta eorum de quibus agitur notorietate, de qua per factorum evidentiam, depositionem testium, & alia documenta legitime constat, habita super his deliberatione matura pronunciat & declarat, dolista, crimina & excessus, & alia ad decisionem necessaria, in petitione præsentis causa deducta contra dictos Benedictum & Gregorium de papatu contendentes, per promotores seu procuratores per hanc sanctam synodum deputatos, fuisse & esse notoria, & tanquam super notoriis fuisse & esse ad ulteriora procedendum, & tanquam in causa in qua imminet scandalum, & periculum notorium est in mora.

SESSIO XIII.

Tertiadecima sessio fuit die Mercurii vicesima nona Maji, quæ fuit in septimana Pentecostes: in qua post Missam & litanias, magister Petrus * Placoul pro universitate Parisiensi dixit, & declaravit, opinionem universitatis esse, istos duos contendentes debere reputari schismaticos, & antiquati schismatis nutritores, & hæreticos pertinaces, firmans auctoritatem concilii ad decidendam hanc causam, & declarandum eos esse ab ecclesia præcisos, & abjectos, & eos quantum opus est abjiciendos & ejiciendos, &c. sumens thema suum: *Congregabuntur filii Juda & Jerusalem, & ponent sibi caput unum, &c.* Postea immediate unus episcopus Italicus, dictus Novariensis, legit quamdam cedulam facientem mentionem, qualiter secundum ordinationem dominorum cardinalium, per dominum cardinalem Mediolanensem fuerunt simul congregati omnes magistri in theologia, & licentiati, ac baccalaurei formati, qui ad dictum concilium de multis partibus & universitatibus convenerant, & inter eos fuerat habita plena deliberatio super ista materia, & postea in eamdem opinionem convenerant, & concordes fuerant; videlicet, quod dictos ambos contendentes schismaticos tenent, & hæreticos, pertinaces, &c. ut supra, & omnium & singulorum nomina recitavit, quorum multi sunt episcopi & prælati, & faciebant omnes numerum centum & trium.

* Placoul.

Osee 1. c.

Item, postea dixit, quod in eadem opinione fuit universitas Florentina, in qua fuerunt centum & viginti magistri subscripti. Idem etiam deliberavit universitas Bononiensis, quæ de hoc misit litteras. Idem universitates sive studia Aurelianensis, & Andegavensis, & Tolosana per suos ambassiatores præsentes ibidem.

Postea advocatus petiit, quod ad procedendum ulterius in hac causa, assignaretur dies Mercurii proxima peremptorie istis contendentibus, ad audiendum sententiam diffinitivam in hac causa, & quod de hoc cedula affigeretur in valvis ecclesiæ, quod ad hoc agendum assignaretur sessio ad diem Mercurii, quæ erit dies quinta mensis Junii.

Ulterius dixit, quod si placeret tempore medio, scilicet die sabbati proxima, fieret una sessio, in qua fieret relatio de testibus quibusdam examinatis post relationem alias factam, qui scilicet fuerunt examinati super quibusdam novis articulis de novo additis & traditis, & etiam super antiquis juxta ordinationem alias in proxime præcedenti sessione factam; & ad faciendum etiam, si sit opus, pleniorem relationem

ANNO CHRISTI 1409.

nem quam alias facta fuit super examinatione testium alias receptorum, ad serenandum conscientias aliquorum, si visum fuerit expedire. Et ita fuit per concilium accordatum; & sessiones istas ordinavit, scilicet unam ad diem sabbati, quæ erit prima dies Junii; & aliam ad diem Mercurii sequentem, quæ erit quinta dies Junii.

SESSIO XIV.

Quartadecima sessio fuit die sabbati prima die Junii, in qua post Missam & litanias, examinatores sive commissarii, ad examinandum testes alias dati, fecerunt per os D. archiepiscopi Pisani, unius ex eis, recitari numerum testium, qui de veritate contentorum in articulis deponebant, designando eorum dignitates & titulos, non propria nomina, recitando summarie effectum articuli non ad longum, & postea subjungendo: Iste articulus probatur per tot testes de veritate, quorum testium tot sunt cardinales, tot talis status &c. sicut in simili super notorietate fuit factum in decima & undecima sessione, quando testes fuerunt recitati, qui de notorio deponebant. Et fuit hoc factum ad pacificandum aliquos qui volebant scire, si per testes probarentur esse vera illa, quæ dictis contendentibus opponebantur: quia interdum dicuntur aliqua notoria, quæ tamen non probantur esse vera. Et hoc facto subjunxit dictus archiepiscopus, quod si aliquis vellet videre depositionem testium, ut magis probaret veritatem illorum quæ dicebantur, reperiret die Lunæ & Martis proxima apud Carmelitas, qui dictas depositiones ostenderent cuicumque videre volenti, sed non expediebat aliter publicare.

SESSIO XV.

Quinta decima sessio fuerat ordinata ad audiendum jus ad diem Mercurii quinta die Junii, quæ fuit vigilia Sacramenti, & illa die fuit hujusmodi sessio. Et prius per advocatum, nomine procuratorum & promotorum in hac causa, fuit requisitum, quod ad valvas ecclesiæ vocarentur duo contendentes, qui ad hanc diem vocati fuerant & citati, prout ex relatione, & per instrumentum apparet: & sic fuit factum per duos cardinales more solito, nulluſque comparuit. Postea dictus advocatus requisivit contumaciam contra eos, & quod ulterius procederetur ad sententiam proferendam, sicut alias fuerat ad hoc dies hæc assignata; fuit responsum, placet. Postea surrexit patriarcha Alexandriæ, qui de consensu synodi sibi dato protulit nomine totius synodi sententiam diffinitivam, per quam declaratur, ac diffinitur, quod objecta contra dictos contendentes sunt & fuerunt notoria; & quod ex his sunt schismatici, & antiquati schismatis nutritores & fautores; quod etiam sunt hæretici, & a fide devii, & ex hoc ab ecclesia præcisi, & adeo ne præsint dejecti & abjecti, & sic declarat dicta synodus; & nihilo minus eos privat & dejicit ab omni honore & dignitate etiam papali. Et ultra hoc decernit, processus per eos factos, aut eorum alterum, contra aliquos cardinales, sententias, censuras, aut privationes, esse irritas & inanes, easque cassat ad cautelam & irritat. Et ulterius decernit sancta synodus, promotiones seu ordinationes, immo profanationes cardinalium, per dictos contendentes, & eorum utrumque factas, videlicet per Petrum de Luna a die xv. Junii, & per Angelum Corario a die tertia Maji, anni millesimi quadringentesimi octavi, esse irritas & inanes; & quantum opus est, cassat & irritat &c. prout in forma quæ est hic infra scripta continetur. De quibus omnibus promotores petierunt instrumentum.

Postea etiam ex parte concilii fuit lecta una cedula, per quam concilium ordinat, quod ordo sedendi in isto concilio tentus & habitus, per quoscumque sit, non possit cuiquam facere præjudicium, nec etiam commodum, aut prærogativam afferre &c. sicut fuerat etiam factum in nona sessione.

Postea etiam dixit dictus patriarcha Alexandriæ, quod a multis petebatur ordinari & decidi, quid dicendum aut tenendum esset de promotionibus factis per istos contendentes, quoad alias dignitates quam cardinalatus; & similiter de processibus per eos factis contra alios, quam contra cardinales, quibus omnibus in forma sententiæ nulla facta est mentio: super quo, si placeret, ordinaretur una sessio ad diem Lunæ proximam, quæ erit die decima Junii, in qua decerneretur super istis & interim deliberaretur plenius super hoc quid dicendum: & sic fuit ab omnibus accordatum & ad dictam diem fuit propter hoc sessio ordinata. Fuit etiam petitum, quod in sententia prædicta diffinitiva omnes se deberent subscribere, quando esset posita in forma; & sic fuit accordatum, & etiam postea factum. Et illico etiam prohibitum fuit omnibus, ne de villa decederent, quousque prædicta omnia essent completa. Et his factis & dictis statim cœperunt clerici qui litanias dixerant, cantare, *Te Deum*, alta voce, & hymno perfecto omnes recesserunt de ecclesia. Tenor autem pronunciationis sententiæ diffinitivæ contra prædictos contendentes sequitur, & est talis.

Christi nomine invocato, sancta & universalis synodus universalem ecclesiam repræsentans, & ad quam cognitio & decisio hujus causæ noscitur pertinere, Spiritus sancti gratia in hac majori ecclesia Pisana congregata, ibique pro tribunali sedens, visis & diligenter inspectis omnibus & singulis productis, probatis & agitatis in præsenti causa unionis ecclesiæ, fidei, & schismatis contra Petrum de Luna, Benedictum XIII. & Angelum de Corario, Gregorium duodecimum olim nuncupatos, quæ in præsenti processu hujus causæ plenius continetur, ac quibuscumque aliis ipsam sanctam synodum ad infra scriptam diffinitionem moventibus & inducentibus, habita prius inter seipsos, & demum cum copiosa multitudine magistrorum in sacra theologia, ac utriusque juris doctorum, pluries & pluries diligenti collatione, & tandem deliberatione matura, omnesque pariter in hanc sententiam reperiens unanimiter concordare omni modo, via & jure, quibus magis & melius potest in prædictorum contendentium, seu verius colludentium de papatu, & cujusque eorum contumaciam: in his scriptis pronunciat, decernit, deffinit & declarat omnia & singula crimina, excessus, & alia cuncta necessaria ad infra scriptam decisionem præsentis causæ deducta per providos viros magistros Henricum de Monteleone, Joannem Descrivanis, & Bertholdum de Wilduughen * promotores, instigatores & sollicitatores, seu procuratores deputatos ad prosequendum præsentem causam, pro hujus detestandi & inveterati schismatis extirpatione, & unione atque redintegratione sanctæ matris ecclesiæ, contra & adversus prælibatos Petrum de Luna, Benedi-

Extat in actis supra editis. Sed cum discrepent ab iis multæ hujus sessionis, iterum hic edenda fuit.

* Wildin & Voledergheu.

ANNO CHRISTI 1409.

nedictum decimum tertium, & Angelum Corario, Gregorium duodecimum (de papatu damnabiliter contendentes) ab aliquibus nuncupatos in petitione coram ipsa sacra & universali synodo præsentata & exhibita, fuisse vera & esse, atque notoria, ipsosque Angelum Corario, & Petrum de Luna de papatu, ut præfertur, contendentes, & eorum utrumque fuisse & esse notorios schismaticos, & antiqui schismatis nutritores, defensores, fautores, approbatores, manutentores, pertinaces, necnon notorios hæreticos, & a fide devios, notoriisque criminibus enormibus perjurii & violationis voti irretitos, universalem ecclesiam sanctam Dei notorie scandalizantes, cum incorrigibilitate, contumacia & pertinacia notoriis, evidentibus & manifestis. Et ex his & aliis se reddidisse omni honore & dignitate, etiam papali indignos, ipsosque & eorum utrumque propter præmissas iniquitates, crimina & excessus ne regnent, vel imperent, aut præsint, a Deo & sacris canonibus fore ipso facto abjectos & privatos, ac etiam ab ecclesia præcisos, & nihilo minus Petrum & Angelum, & eorum utrumque, per hanc sententiam diffinitivam in his scriptis privat, abjicit & præcidit; inhibendo eisdem ne eorum aliquis pro summo pontifice gerere se præsumat, ecclesiamque vacare Romanam ad cautelam insuper decernendo.

Et insuper omnes & quoscumque Christicolas, etiam si imperiali, regali, vel alia quali-
C libet præfulgeant dignitate, declarat ab eorum & cujuslibet eorum obedientia non obstante quocumque fidelitatis juramento, aut alio quocumque vinculo, quo illis vel eorum alteri tenerentur adstricti, fore perpetuo absolutos, inhibendo eisdem Christi fidelibus ne prædictis de papatu contendentibus, seu eorum alteri quomodolibet obediant, pareant, vel intendant, aut consilium, auxilium, vel favorem ipsis præstent, aut eos recipiant, vel receptent, sub pœnis excommunicationis, & aliis a sanctis patribus & sacris canonibus inflictis, promulgatis & ordinatis. Quodque si parere contempserint huic ordinationi & sententiæ, ipsos & eorum fautores, defensores, adhærentes & sequaces, etiam
D per sæculares potestates fore compescendos, & compesci debere juxta præcepta Divina & sacrorum canonum dispositiones, eadem sancta synodus pronunciat & diffinit.

Ac insuper omnes & singulos processus, & sententias excommunicationis, inhabilitationis, vel alterius censuræ & pœnæ, privationes quoque ordinum & dignitatum, etiam cardinalatus beneficiorum & officiorum, ac graduum quorumcumque, qualiacumque sint, & quomodocumque nuncupentur, seu nominentur, contra dominos card. per dictos Petrum de Luna & Angelum Corario factos, actos & fulminatos, fuisse & esse nullos, cassos & irritos, nullas, cassas & irritas, ac nullius roboris, efficaciæ
E vel momenti, & quatenus de facto processerunt, eatenus annullandos, cassandos & irritandos, annullandas, cassandas & irritandas; sicque & etiam ad cautelam quatenus expediat omni modo & jure quo melius potest annullat, cassat & irritat.

Et insuper promotiones, immo verius profanationes quorumcumque ad cardinalatum per dictos contendentes de papatu & eorum utrumque attentatas, videlicet per dictum Angelum a die tertia Maji, & per Petrum ante dictum, a die XV. Junii anni proximi præteriti millesimi
A quadragentesimi octavi, fuisse & esse nullas, cassas, irritas, & inanes, & quatenus de facto processerunt, de facto annullandas, cassandas & irritandas, & sic etiam ad cautelam quatenus expediat omni modo & jure quibus melius potest, præfata sancta synodus per hanc sententiam diffinitivam cassat, irritat & annullat.

Ad providendum autem adversus processus, constitutiones, & sententias in præjudicium unionis, & alias per Petrum de Luna & Angelum Corario olim contendentes de papatu seu colludentes præfatos, factas & latas contra reges & principes, patriarchas quoque, archiepiscopos, episcopos, ac alios ecclesiæ prælatos, universitates studiorum, communitates, ac sin-
B gulares personas ecclesiasticas & sæculares, & circa promotiones olim per ipsos contendentes factas ad dignitates quascumque; & ulterius ad procedendum super aliis bonum universalis ecclesiæ tangentibus, sancta synodus statuit diem Lunæ proximam pro sessione futura, quæ erit decima mensis præsentis Junii.

SESSIO XVI.

Sextadecima sessio fuit die Lunæ decima Junii, sicut fuerat in proxima sessione ordinatum. Et ibi fuit dominus cardinalis de Chalento, qui Petrum de Luna dimiserat & ab eo recesserat, & ad concilium venerat. Et in ista sessio-
C ne primo fuit per os domini archiepiscopi Pisani lecta una cedula, in qua omnes & singuli cardinales erant subscripti, continens in effectum formam cujusdam promissionis, quam fecerunt omnes prædicti & singuli cardinales ad satisfaciendum multis, qui requirebant & petebant, quod reformarentur usurpationes, quæ erant in ecclesiam introductæ in præjudicium libertatis ecclesiasticæ &c. per quam cedulam omnes & singuli prædicti cardinales promittunt, videlicet quilibet eorum, si eum contingat ad papatum assumi, quod intendet reformationi ecclesiæ tam in capite, quam in membris; et si eum contingat assumi ad papatum, erga eum instabunt & procurabant fideliter & bona fide,
D quod circa dictam reformationem intendat, nec permittat, quantum in eo erit, quod hoc concilium dissolvatur, quousque super hoc provisum extiterit. Et ideo placet eis quod adhuc concilium continuetur &c. ut in forma cedulæ, cujus tenor est infra.

Postea venit advocatus per concilium alias deputatus, qui petiit & requisivit, quod cum alias in proxima præcedente sessione fuerit sententia lata diffinitiva contra duos contendentes &c. & parum esset, si non demandaretur executioni, quod placeret dare & ordinare commissarios ad publicandum dictam sententiam, & executioni demandandum ubique, vel in diversis mundi partibus ubi oportebit: ad quos
E nominandos, si placet, ordinet concilium, quod collegium dominorum cardinalium eos tales, sicut voluerit, ad hoc idoneos possit & valeat nominare. Et ita fuit accordatum.

Item, petiit & requisivit, quod cum Angelus Corario olim ab aliquibus nominatus Gregorius XII. sedem suam nitatur tenere in patriarchatu Aquilejensi, & populum illius patriæ ad se allicere, ac ab obedientia D. patriarchæ Aquilejensis faventis huic concilio retrahere, placeat huic concilio mandare dominis illius patriæ, ac vassallis ecclesiæ, quod dicto patriarchæ Aquilejensi pareant & intendant, & dicto

An-

ANNO CHRISTI 1409.

Angelo, seu Gregorio nullatenus obediant, &c. Et ita fuit ab omnibus accordatum.

Postea fuit dictum & publicatum, quod si placeret, continuaretur hoc concilium, & alia sessio ordinaretur, ad providendum & ordinandum circa illa de quibus in proxima sessione dictum fuerat, videlicet de promotionibus & processibus, &c. & generaliter ad providendum circa illa, quæ agenda restant, ad quod, si placeret, ordinaretur sessio ad diem Jovis proximam, quæ erit decimatertia Junii. Et ita fuit accordatum. Tenor autem cedulæ continens juramentum dominorum cardinalium, de qua supra, sequitur, & est talis.

„ Nos omnes & singuli episcopi, presbyteri „ & diaconi, cardinales, congregati in civitate „ Pisana pro schismatis extirpatione, unitate „ & bono statu in Dei ecclesia reducendis, pro„ mittimus in verbo veritatis Deo, sanctæ Ro„ manæ ecclesiæ, & sanctæ synodo hic in Chri„ sti nomine congregatæ, quod si quis nostrum „ in summum Romanum pontificem eligetur, „ præsens concilium continuabit, nec dissolvet „ aut dissolvi permittet, quantum in eo erit, „ usquequo per ipsum, cum consilio ejusdem „ concilii, sit facta debita, rationabilis, & suf„ ficiens reformatio universalis ecclesiæ & sta„ tus ejus, tam in capite quam in membris. „ Promittimus etiam, quod si aliquem de do„ minis cardinalibus absentibus, vel extra no„ strum collegium, assumi contingat in papam, „ pure, veraciter & bona fide, antequam pro„ cedamus ad publicationem electionis illius, „ procurabimus toto posse habere ab eo pro„ missionem, ac sufficientem securitatem, quod „ servabit & adimplebit omnia, & singula su„ pradicta: & interim lata sententia contra „ contendentes de papatu, super eorum deje„ ctione sumus contenti, & ratum habemus, „ quod sede vacante continuetur concilium, & „ quod in eo, quantum commode fieri poterit, „ in dicta reformatione procedatur; & quod „ super hoc in proxima sessione alia sessio in„ dicatur. "

SESSIO XVII.

Septimadecima sessio fuit die Jovis decimatertia Junii anno prædicto, in qua post Missam & litanias venit capitaneus, & potestas, ac vicarius villæ Pisanæ. Et tunc advocatus ascendit pulpitum, & dixit alta voce, quod quia instabat tempus intrandi conclave ad eligendum papam, & juxta constitutionem Gregorii decimi, quæ incipit, *Ubi majus*, quæ est de elect. lib. VI. domini temporales loci ubi est papa eligendus, debent facere certa juramenta, ut in prima constitutione continetur: ideo ad hoc veniebant prædicti officiarii, qui pro parte dominorum Florentinorum, qui habent dominium civitatis Pisanæ, parati erant facere debita juramenta, & fecerunt. Postea subjunxit, quod etiam secundum tenorem dictæ constitutionis sunt preces ad Deum porrigendæ pro habendo papam, &c. Ideo si placeret, in crastino fieret processio generalis de ecclesia sancti Martini usque ad ecclesiam cathedralem: & ita fuit accordatum. Postea domini patriarchæ, Alexandrinus, Jerosolymitanus, & alius de Bohemia, dictus Antiochenus, ascenderunt pulpitum: & ibi legit patriarcha Alexandrinus cedulam continentem qualiter synodus ordinabat, quod pro hac vice ambo collegia cardinalium procederent ad electionem papæ, non obstante quod aliqui eorum sunt promoti in una obedientia, alii in alia, seu ab alio papa; & quod potest esse dubium qui sint cardinales vel non. Per hoc tamen, ut dicit cedula, non intendit synodus sive concilium aliquid de novo ordinare vel immutare circa modum & potestatem eligendi papam, quæ spectat ad dominos cardinales. Cujus quidem cedulæ tenor infra scribitur.

Item, legit aliam cedulam continentem in effectum, quod concilium ordinat, processus & sententias, inhabilitationes, privationes, immo etiam constitutiones papales, per istos contendentes, contra quascumque personas cujuscumque status, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, universitates, collegia, reges, principes, &c. videlicet per Angelum Corario dictum Gregorium duodecimum, a die tertia Maji, anni domini millesimi quadringentesimi octavi, & a Petro de Luna, quicumque fuerit, factos seu factas in præjudicium unionis ecclesiæ, esse nullos, sive nullas, & tales processus sive sententias annullat & cassat, &c. ut in forma cedulæ quæ hic infra scribitur.

Item etiam continebat hæc cædula, quod concilium ordinabat non esse standum de cætero aliquibus bullis vel litteris, quæ ab aliquo dictorum duorum contendentium dicantur emanasse, quæ illis quibus dirigebantur alias prius non fuerint præsentatæ, vel aliis ostensæ, sic quod sufficienter tollatur suspicio, quod dictæ litteræ sub antidata, vel alias in fraudem, factæ fuerint, nisi isto concilio sedente, exhibeantur & ostendantur in dicto concilio per illos qui eas habent, &c. ut in forma cedulæ, cujus tenor infrascribitur.

Item postea in dicta sessione supervenerunt ambassiatores regis Arragoniæ, scilicet tres milites & unus doctor, & supplicaverunt pro audientia: quæ fuit accordata, dum tamen nihil scandalorum dicerent in præjudicium seu diffamationem hujus concilii generalis, &c. & in effectum proposuit ille doctor, quod rex Arragonum audiverat hanc congregationem esse factam pro facto ecclesiæ seu unionis; ideo ipse affectans bonum unionis recommendabat huic congregationi factum hujusmodi. Secundo dixit, quod rex Arragoniæ non vellet pro aliquo interesse particulari dare impedimentum unioni ecclesiæ sive pro favore Petri de Luna sive pro quocumque alio. Tertio quod Petrus de Luna, una cum concilio, quod tenuerat apud Perpinianum, ordinaverat aliqua, quæ ad factum unionis habendæ possunt, ut creditur, proficere, super quo miserat ambassiatores suos, qui illa habent dicere, ideo ex parte regis Arragoniæ supplicabat quod ipsi super istis audirentur, supplicans, quod in hoc facto nihil innovaretur vel fieret de novo, quousque fuissent auditi. Quarto subjunxit, quod dictus rex non fuerat aliqualiter informatus de illis quæ in hoc concilio facta erant: ideo de præsenti illa non poterat approbare, sed paratus erat informationes recipere, & per Dei gratiam taliter in facto ecclesiæ semper faceret, quod omnes deberent contentari, nec ab aliquo posset reprehendi: de hoc tamen petiit instrumentum.

Postea hoc facto, dictum fuit singulis prælatis, qualiter domini cardinales consulebant debere responderi istis ambassiatoribus per hunc modum: videlicet quod concilium primo regratiaretur regi Arragonum de affectione quam habet

ANNO CHRISTI 1409.

bet ad bonum unionis. Secundo, quod darentur A libenter aliqui deputati notabiles, qui per cardinales possent nominari & deputari: & isti ees informarent ad plenum de actis in hoc concilio, ut etiam ipsi de his possent regem suum informare: & sperabatur quod de omnibus manerent bene contenti. Tertio, quod placebat concilio audire illos nuncios Petri de Luna, dum tamen docerent de littera vel mandato; & ad hoc etiam aliqui ex parte concilii deputarentur, qui eos audirent, cum alias fieri non poterat bono modo, sedente concilio, quia hora erat tarda, & ista erat ultima sessio ante introitum conclavis; ideo alter fieri non poterat, quod daret concilium potestatem cardinalibus eos nominandi. Et ab omnibus fuit responsum, quod B placeret ita responderi. Postea ergo advocatus ascendit pulpitum, & dictam responsionem dedit ex parte concilii dictis ambassiatoribus regis Arragonum ibidem præsentibus: & sic recessimus illa die.

Tenor autem primæ cedulæ, de qua in ista sessione fit mentio, sequitur & est talis.

„ Quia hoc pestiferi schismatis tempore, domini cardinales in hoc sacro concilio existentes, quidam fuerunt a diversis olim contendentibus de papatu creati, & nunc Deo dirigente procedendum est ad electionem unici & indubitati papæ: hoc sacrum concilium universalem ecclesiam repræsentans, vult, consentit, disponit & ordinat, quod ipsi a C diversis creati ad electionem prædictam procedant, si & in quantum opus est, hac vice auctoritate hujus concilii: nec per hoc potestati dominorum cardinalium circa electionem Romani pontificis intendit in aliquo derogare, vel aliquid innovare. Hortatur tamen prædictos cardinales, quod ipsi cum caritate ad electionem unius pastoris procedant, sic unanimiter, quod de quacumque discordia scintilla notari non debeant. "

Secunda cedula.

„ Omnes & singulos processus, sententias excommunicationis, suspensionis, interdicti, maledictionis, seu alterius cujuscumque censuræ, pœnæ; constitutiones papales; inhabilitationes, privationes ordinum, dignitatum, beneficiorum, officiorum & graduum quorumcumque, tam ecclesiasticorum quam sæcularium, contra prosequentes unionem sanctæ matris ecclesiæ, videlicet tam contra principes, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, & alios viros ecclesiasticos, cujuscumque ordinis vel status existant, quam contra singulares personas, cujuscumque conditionis, ordinis, vel status existant, etiam si imperiali, vel regali, vel alia præmineant potestate; necnon relaxationes, absolutiones juramentorum, fidelitatis, confœderationis, E & homagiorum, ac etiam contra civitates, universitates studiorum, collegia ecclesiastica vel sæcularia, communitates villarum, castrorum, terrarum, seu districtuum, ac singulares personas, per Petrum de Luna a quocumque tempore, & per Angelum Corario a die 3. Maji, anni Domini millesimi quadringentesimi octavi, de papatu olim contendentes, immo verius colludentes, factas & illatas, & de ipsorum, seu alterius eorum mandato: hæc sancta synodus decernit, declaratque, nullos seu nullas fuisse & esse, & quatenus de facto processerunt, cassat & annullat, vultque esse nullius roboris vel momenti, pro infectis haberi.

„ Item, si aliquæ bullæ, seu litteræ, sub eorum seu alterius eorum titulis, seu nominibus, expeditæ reperiantur, seu exhibeantur a dictis diebus; videlicet a dicto Petro de Luna a quocumque tempore, & per Angelum Corario die tertia Maji vel ante, contra prosequentes unionem supradictam: si illæ non sunt ante dictos dies præsentatæ, vel exhibitæ sub testimonio sufficienti capitulis vel ecclesiis, seu prælatis, aut aliis quibus dirigantur, seu scribuntur, consimili modo sint nullæ, & nullius roboris vel momenti, & pro infectis habeantur. "

Die Veneris decimaquarta Junii, quæ erat crastinum præcedentis sessionis, sicut in eadem sessione fuerat deliberatum, facta fuit processio generalis omnium prælatorum revestitorum, ab ecclesia S. Martini usque ad ecclesiam cathedralem, cum cantu litaniarum & antiphonarum. Et in dicta ecclesia cathedrali fuit celebrata Missa solemnis de sancto Spiritu per unum dominum cardinalem.

Eadem autem die post prandium venerunt nuncii Petri de Luna apud sanctum Martinum, & intraverunt locum ubi erant aliqui domini cardinales ordinati ad audiendum eos: & cum difficultate intraverunt propter assistentiam populi & servitorum ac famulorum, qui deridendo contra eos proclamabant & sibilabant. Ibi tamen postquam ingressi fuerunt, ostio clauso, fuit eis denunciata & intimata sententia lata contra dictos contendentes de papatu, de qua supra in quintadecima sessione.

Item, etiam capitaneus villæ Pisarum erat ibidem, qui intimavit eis, quod jam fecerant juramenta de custodiendo conclave, & de multis aliis juxta formam c. *ubi majus*, de elect. l. VI. inter quæ erant tria capitula, quæ principaliter concernebant; quod non permitteret dictus capitaneus, quod aliquid fieret in præjudicium, scandalum, vel vituperium, seu impedimentum procedendi ad electionem unius papæ. Et ista tria D capitula dictis nunciis intimavit explicite, eis denuncians, quod quidquid facerent, aut dicerent, tamen caverent sibi, quod contra ista nullatenus attentarent. Ipsi autem dixerunt, quod volebant habere copiam dictorum capitulorum, & super hoc deliberare antequam aliquid proponerent; & hanc copiam habuerunt, & sic pro tunc recesserunt. Et die sequenti, licentia non petita abierunt, & sic nihil proposuerunt, videntes esse dispositionem negotiorum ad aliud, quam illud quod forsitan prætendere aut dicere volebant pro dicto Petro de Luna.

Die autem sabbati immediate sequente, quæ fuit dies quintadecima Junii, omnes cardinales de sero intraverunt conclave, quod fuerat præparatum in domo archiepiscopali civitatis Pisanæ, & ad electionem papæ processerunt, videlicet die Mercurii, quæ fuit dies vicesima sexta Junii, et elegerunt dominum * cardinalem Mediolanensem, ordinis fratrum Minorum, qui vocatus est Alexander quintus.

* al. Petrum de Candia.

SESSIO XVIII.

Octavadecima sessio fuit postquam dictus dominus Alexander papa electus erat: ipso ibidem præsidente die Lunæ prima Julii, in qua post Missam et litanias, per dominum cardinalem de Chalento fuit lecta et publicata una cedula, omnium et singulorum cardinalium manibus sub-

ANNO CHRISTI 1409.

subscripta, per quam publicabant omnibus et nunciabant se elegisse in papam concorditer dominum cardinalem Mediolanensem, et in eum consensisse, et ideo se in dicta cedula omnes subscripsisse.

Die autem Dominica immediate sequente, quæ fuit die septima Julii, dictus dominus papa Alexander fuit coronatus in ecclesia cathedrali, ubi fuit celebrata missa solemnis. Et illa die fuerunt multa solemnia, ut puta de fespis combustis, dicendo, *Sic transit gloria mundi* de epistola, et evangelio in Missa Græce, Hebraice, et Latine: de impositione tiaræ, cum qua papa revestitus equitat per villam, et omnes prælati revestiti cum equis de panno albo coopertis: de lege Judæorum, quæ papæ per Judæos præsentatur: et de similibus. Quæ omnia fuerunt debite et solemniter expedita.

SESSIO XIX.

Nonadecima sessio fuit die Mercurii decima Julii, in qua post Missam et litanias consuetas, unus ex parte Florentinorum ascendens pulpitum proposuit, offerendo obedientiam papæ, laudando electionem ejus, &c. et ad idem statim etiam idem dixit unus ex parte communitatis Senensis. Hoc facto cardinalis de Chalento legit per cedulam, quomodo papa revocabat omnes processus et sententias, ac censuras latas durante schismate per aliquem contendentium de papatu, decernens nullum de cætero debere reputari ligatum dictis sententiis, et ad cautelam omnes absolvit, etc.

Item, legit unum alium articulum, per quem papa approbat et ratificat ex certa scientia, sacro concilio approbante, omnes dispensationes super matrimoniis, et super etiam casibus concernentibus conscientiam, aut forum pœnitenziale, factas per aliquem dictorum contendentium, quoad sibi obedientes, etiam in partibus neutralibus aut subtractis. Et de istis lectis tenor sive copia scribitur infra.

Et postea idem dominus cardinalis dixit, quod quia papa habebat intentionem laborandi ad reformationem ecclesiæ in capite et in membris, sicut alias obtulit, ipse ordinavit certos cardinales, tam episcopos, quam presbyteros et diaconos, usque ad numerum octo cardinalium, quibus commisit, quod cum deputandis ex parte prælatorum, et aliorum de diversis mundi partibus, haberent videre de illis, quæ viderentur reformanda, circa quod hortabatur diligenter intendere. Et ad concludendum super avisatis seu avisandis, assignabatur sessio ad diem Lunæ proximam, quæ erit dies XV. Julii. Tenor autem cedulæ lectæ in hac sessione sequitur, et est talis.

„ IN nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, „ Patris, Filii, et Spiritus sancti, Amen. „ Nos Alexander Divina providentia papa quin- „ tus, considerantes quod tam per Petrum de Lu- „ na, Benedictum decimum tertium, et Angelum „ Corario, Gregorium duodecimum, a nonnullis „ nominatos, nuper de papatu contendentes, „ quam per dominos quondam archiepiscopum „ Barrensem, Urbanum sextum, Perrinum * „ Thomacellum, Bonifacium IX. Cosmatum de „ Thomacellis, Innocentium septimum, et Ro- „ bertum de Gebennis, Clementem septimum, „ nuncupatos, dictorum nuper contendentium „ prædecessores, durante præsente schismate et „ occasione ejusdem, nonnulli processus, senten- „ tias excommunicationis, privationis, irregularitatis, inhabilitationis, suspensionis et interdicti, ac alias censuras ecclesiasticas in se „ continentes, in et contra diversas personas, „ regna, jurisdictiones, communitates, universitates, collegia, loca, districtus, et territoria, fuerint et sint hinc inde facti et promulgati; ac propter antiquationem dicti schismatis, et etiam quia multi notabiles doctores „ utriusque juris, et magistri in sacra pagina, „ scripserunt pro et contra, ac publice et solemniter determinaverunt, in dubium vertatur „ a multis, quis a tempore dicti schismatis fuerit Romanus pontifex, seu quis veri vicarii „ Jesu Christi fungeretur officio: ad exonerationem conscientiarum utriusque obedientiæ, „ quæ jam per Dei gratiam ad unum ovile redactæ sunt, omnes et singulos ejusmodi processus et sententias, qui vel quæ occasione et „ prætextu schismatis, ac adhærentiæ utriusque „ partis, seu viæ neutralitatis assumptæ vel introductæ, hinc inde, ut præmittitur, lati, „ decreti, seu fulminati fuerint, quos omnes „ et singulos hic pro expressis haberi volumus, „ hoc sacro approbante concilio, ex certa nostra scientia tollimus & abolemus, ac pro „ sublatis & abolitis in perpetuum haberi volumus, neminem præfatis sententiis aut processibus esse ligatum vel involutum declarantes. Et nihilo minus ex abundanti, & ad „ cautelam, si & quatenus indigeant, quoscumque sub dictis processibus comprehensos, „ a dictis sententiis & censuris absolvimus, & „ pro absolutis haberi decernimus & declaramus, etiam super irregularitatibus, si quas „ propter præmissa, vel occasione præmissorum, contraxerint, dispensantes.

„ Item, omnes & singulas dispensationes factas per contendentes, vel eorum alterum, „ seu eorum prædecessores, super matrimoniis „ & aliis casibus, quæ forum conscientiæ respiciunt, eorum durante obedientia, etiam in „ partibus neutralibus vel subtractis, ex certa „ nostra scientia ratificamus & approbamus."

SESSIO XX.

Vicesima sessio, quæ erat assignata ad diem Lunæ prædictam, scilicet diem quintamdecimam Julii, non fuit illa die, sed per papam ex causa fuit continuata ad diem Mercurii XXIV. Julii: & propter adventum regis Ludovici, iterum fuit continuata ad diem Sabbati inde sequentem, quæ fuit dies XXVII. Julii. Et in hac sessione interfuit rex Siciliæ Ludovicus, in qua post Missam & Litanias per os domini cardinalis de Chalento ex parte domini papæ pronunciata fuerunt in scriptis ea, quæ sequuntur, habita prius per aliquos dies deliberatione per provincias, & prælatos ad partem: tenor autem dictæ pronunciationis est infra scriptus.

Item, postea dominus archiepiscopus Pisanus in præsentia papæ præsidentis in concilio alta voce dixit, quod a parte domini nostri papæ, qui præsens erat, dictus dominus noster compatiens statui ecclesiarum & paupertati, plene & libere revocabat reservationes factas de spoliis defunctorum prælatorum. Item, revocabat reservationes fructuum obvenientium sede vacante, quos fructus aliqui sui prædecessores reservaverant. Item, revocabat reservationes procurationum episcopalium & aliorum prælatorum ad quos spectant, nec illas vult habere. Item di-

* *Ex Odorico & aliis* Petrum.

ANNO CHRISTI 1409.

xit, quod dictus dominus noster papa plenarie A & liberaliter quittabat & remittebat omnia arreragia, quæ per ecclesiasticos, prælatos & alios beneficiatos ratione vacantium, seu annatarum, vel alias, cameræ apostolicæ debebantur de toto tempore transacto usque ad diem suæ assumptionis.

Item, postea idem archiepiscopus proposuit, quod quia dominis cardinalibus, seu collegio cardinalium, quod solet recipere medietatem dictorum vacantium, quoad prælaturas; etiam ad causam hujus medietatis debebantur multa arreragia, expediens videbatur supplicare dicto collegio, quod omnia arreragia sibi debita remittere vellent, sicut papa requirens, quod prælati responderent si hoc eis placeret, omnes B responderunt, placet. Et statim dictus archiepiscopus se inclinans dixit alta voce: Vobis dominis meis cardinalibus pro parte omnium supplicatur quatenus ista arreragia remittere dignemini: & licet nihil respondissent pro hora, tamen dictus archiepiscopus statim iterum dixit alta voce omnibus: Videatis si sit expediens, quod omnia ista sint remissa & quittata, & super hoc respondeatis si placet. Omnes statim clamaverunt, Placet, Placet. Et statim dictus archiepiscopus nomine omnium de istis petiit instrumentum. Verum est quod satis sciebatur per ante, quod quasi omnibus cardinalibus satis placebat, excepto cardinale Albanensi, qui sæpius dixerat, quod nunquam C remitteret, & ipse etiam in dicta sessione existens clamabat, quod sibi non placebat. Et ad idem erat cardinalis Neapolitanus, cui etiam non placebat. Et pro aliis concernentibus reformationem ecclesiæ expediendis fuit adhuc una sessio ordinata ad diem Veneris, quæ erit dies secunda Augusti.

Dicta vero die Sabbati vicesima septima Julii, anno prædicto millesimo quadragesimo nono, præsidente ibidem domino Alexandro papa V. per os domini cardinalis de Chalento pronunciata fuerunt in scriptis ea omnia quæ sequuntur in forma:

„ SAnctissimus dominus noster Alexander pa- D „ pa V. sacro approbante concilio, omnes „ & singulas electiones, postulationes, promo- „ tiones, confirmationes, collationes, quas- „ cumque provisiones, quibusvis personis hodie „ pacifice possidentibus, & huic sacro concilio, „ & ejus determinationibus adhærentibus, de „ quibuscumque prælaturis, dignitatibus & be- „ neficiis ecclesiasticis, curatis vel non curatis; „ consecrationesque episcoporum, & ordinatio- „ nes clericorum, per ipsos contendentes de „ papatu, aut eorum alterum, seu eorum præ- „ decessores, aut eorum mandato vel auctori- „ tate, temporibus & locis, in quibus eisdem „ realiter & libere præstabatur obedientia, dum E „ tamen ante sententiam & alias canonice fa- „ ctæ sint, & publice & pacifice tempore sen- „ tentiæ, & in præjudicium unionis, aut pro- „ secutionis ejusdem, vel huic concilio adhæ- „ rentium factæ non fuerint; ex certa nostra „ scientia, ac motu proprio, sacro etiam appro- „ bante concilio, ratificamus & approbamus, „ ac ratas haberi volumus atque firmas, & „ etiam si oporteat de novo providemus. Ubi „ autem aliquis casus emergeret, per quem ap- „ pareret aliquem adhærentem huic concilio gra- „ vatum per aliquem ex contendentibus, a die „ tertia Maji quoad Angelum Corario, & a „ decimaquinta Junii quoad Petrum de Luna, „ anni millesimi quadringentesimi octavi; pla- „ cet concilio, quod dominus noster provideat „ secundum quod sibi justum videbitur.

„ Item, placet concilio, quod super facto ar- „ chiepiscopi Januensis dominus noster provi- „ deat. Item, electiones, postulationes, ipsarum „ admissiones, confirmationes, mutationes, „ consecrationes, clericorum ordinationes, col- „ lationes, præsentationes, institutiones, per- „ mutationes, privationes, & quasvis provisio- „ nes & dispositiones quibusvis personis, huic „ sacro concilio & ejus determinationibus ad- „ hærentibus, de quibuscumque beneficiis ec- „ clesiasticis & prælaturis per electores, con- „ firmatores, patronos, ordinarios, & quos- „ cumque provisores ad hoc habentes potesta- „ tem, & auctoritatem canonice factas, tem- „ poribus & locis subtractionis & neutralitatis, „ in quibus hujusmodi contendentibus obedien- „ tia non præstabatur, dummodo alias cano- „ nice factæ sint, hoc sacro approbante con- „ cilio ratificamus & approbamus, & ratas „ manere volumus, atque firmas, ac omnem „ suscipere roboris firmitatem, reservationibus „ non obstantibus quibuscumque; declarationi- „ bus tamen & decretis hoc capitulum concer- „ nentibus in aliis sessionibus lectis, in suo „ robore permanentibus.

„ Item, ut unione & pace jam in Dei eccle- „ sia per ipsius gratiam in capite confirmata, „ pax & tranquillitas subditorum perfectius „ procuretur, & litium antractus, quorum du- „ bii sunt eventus, consultius evitentur; hoc „ sacro approbante concilio decernimus & de- „ claramus, quod omnes & singuli beneficia ec- „ clesiastica, dignitates, personatus, vel offi- „ cia curata, titulo ordinario assecuti, & pos- „ sessionem pacificam jam adepti, dum tamen „ canonice & alias, quam per privationem ad- „ hærentium huic sacro concilio & ejus deter- „ minationi assecuti fuerint, beneficiis hujusmo- „ di libere & pacifice gaudeant, nec in jure „ titulo seu possessione suis hujusmodi quomo- „ dolibet inquietentur, turbentur seu graven- „ tur, etiamsi specialiter vel generaliter benefi- „ cia prædicta sedi apostolicæ fuerint reservata.

„ Per præmissa vero, seu aliquod præmis- „ sorum, non intendimus derogare ordinatio- „ nibus circa præmissos articulos factis in ulti- „ ma congregatione prælatorum & aliorum ec- „ clesiasticorum facta Parisiis. Nec etiam ex „ præmissis vel aliquo præmissorum volumus „ aliquod præjudicium generari venerabilibus „ fratribus nostris cardinalibus, vel alicui ipso- „ rum huic sacro concilio, & ejus determinationi „ nunc adhærentium, in beneficiis alias per ipsos „ & quemlibet ipsorum possessis canonice.

„ Item, per hoc non intendimus fieri aliquod „ præjudicium fratri nostro Albanensi cardinali in „ jure quod habet in archidiaconatu Lucionensi,

„ Item, sacro approbante concilio decernimus „ fore procedendum contra obedientes & adhæ- „ rentes pertinaciter, seu fautores Petri de Lu- „ na, & Angeli Corario, nuper de papatu „ contendentium & colludentium, per hoc sa- „ crum concilium de schismate & hæresi noto- „ riis per diffinitivam sententiam condemnato- „ rum, modis quibus est secundum sacros ca- „ nones contra contendentes & fautores hæ- „ reticæ pravitatis procedendum.

„ Item, sacro approbante concilio decernimus, „ nos vel successorem nostrum ex certis, ma-

gnis

ANNO CHRISTI 1409.

„ gnis & ardeis causis nos & hoc sacrum concilium moventibus, iterum generale concilium ecclesiæ fore convocandum, hinc ad triennium: videlicet an. quo dicetur D. millesimo quadringentesimo duodecimo in mense Aprilis, in civitate seu loco habili & decenti, qui locus declarabitur per annum ante tempus concilii per nos vel successorem nostrum convocationem facientem.

„ Item, sacro approbante concilio decernimus & declaramus, quod si cardinalis de Flisco infra duos menses proximos personaliter ad nos venire, & obedientiam nobis præstare, & determinationi hujus sacri concilii adhærere voluerit, benigne recipiatur cum integritate status & honoris, atque beneficiorum, quæ decimo quinto Junii millesimi quadringentesimi octavi obtinebat.

„ Item, omnes dispensationes factas per episcopos diœcesanos in partibus neutralibus, cum defectum ætatis patientibus causa assequendi & obtinendi beneficia, dignitates aut prælaturas.

„ Item, & omnes absolutiones & habilitationes in foro pœnitentiali, tam per contendentes, quam dictos ordinarios pendente schismate factas super casibus sanctæ sedi apostolicæ reservatis, ex certa nostra scientia sacro approbante concilio ratificamus & approbamus. "

SESSIO XXI.

Vicesimaprima sessio, quæ erat assignata ad diem secundam Augusti, fuit continuata ad septimam Augusti; in qua post Missam & litanias fuit lecta cedula continens aliqua expedientia pro bono regimine ecclesiastico; cujus tenor infra scribitur. Et dedit papa plenam indulgentiam omnibus, qui interfuerunt concilio prædicto generali, & ejus determinationi adhærent, sic quod quilibet infra duos menses a tempore, quo ad ejus notitiam devenerit, possit dictam absolutionem exequi: & etiam voluit quod quilibet prædictorum hac indulgentia uti possit in mortis articulo. Et hoc totum etiam extendit ad familiares & servitores illorum, qui in dicto concilio fuerunt, &c. Et dedit omnibus licentiam recedendi; & concilium continuavit usque ad aliud concilium infra triennium convocandum, prout in dicta cedula continetur, cujus tenor est infra scriptus: & sic finis.

Ipsa die septima Augusti præsidente domino papa Alexandro V. in dicto concilio generali Pisano pronunciata fuerunt ea quæ sequuntur, anno videlicet Dom. MCDIX.

„ SAnctissimus dominus noster sacro approbante concilio ordinavit, quod bona immobilia ecclesiæ Romanæ, seu aliarum ecclesiarum nullatenus per ipsum, vel alios prælatos alienentur seu hypothecentur usque ad proxime indictum concilium, in quo super hoc articulo maturius poterit deliberari.

„ Item, dominus noster eodem approbante concilio ordinat & mandat celebrare concilia provincialia per metropolitanos, & synodos per eorum suffraganeos, secundum formam juris & concilii generalis, quia ex eorum omissione multa sequuntur inconvenientia.

„ Item, dominus noster eodem approbante concilio ordinat & mandat celebrari capitula monachorum nigrorum, & canonicorum regularium secundum formam concilii generalis, & constitutiones Honorii tertii, felicis recordationis, & Benedicti duodecimi. Et quia limitatio provinciarum facta per Benedictum duodecimum non posset obstante temporis malitia observari, ordinat dominus noster quoad dicta capitula celebranda standum juri antiquo durante impedimento prædicto: videlicet ut provincia communis & vulgaris possit per se provinciale concilium celebrare, ex quo commode non potest cum alia convenire: & deputabit dominus noster præsidentes & executores ad præmissa exequenda.

„ Item, dominus noster misericordia motus liberaliter remittit, prout alias fecit, omnia arreragia majora, & minuta servitia suæ cameræ apostolicæ, de toto tempore antiquo debita, sibi dumtaxat competentia; etiamsi qui propter defectum solutionis hujusmodi arreragiorum, sententiam excommunicationis incurrerint: eos auctoritate apostolica absolvit; & si aliqui propter causam prædictam, irregularitatem incurrerint, cum eis misericorditer dispensat, & ad communionem sacramentorum & suorum ordinum restituit; mandatque litteras & instrumenta tradi & confici omnibus petentibus de remissione prædicta.

„ Item, dominus noster sacro approbante concilio disponit non facere translationes de invitis, nisi parte audita & vocata, & de consensu majoris partis cardinalium, nisi ex causis justis & rationabilibus.

„ Item, dominus noster sacro approbante concilio decernit, quod per dictum dominum nostrum cum cardinalium consilio deputentur nuncii solemnes, & mittantur ad reges & principes cunctos fideles, ad publicandum & prosequendum, auctoritate domini nostri papæ & sacri concilii, acta in isto sacro concilio.

„ Item, dominus noster auctoritate Dei & apostolorum Petri & Pauli, atque sua, concedit omnibus qui in hoc sacro concilio interfuerunt, & ejus determinationi adhærent, absolutionem plenariam a culpa & pœna semel tantum.

„ Item, quod quilibet de prædictis infra duos menses postquam ad ejus notitiam hujusmodi concessio pervenerit, possit dictum beneficium absolutionis assequi in forma ecclesiæ. "

Postquam articulus iste per reverendissimum in Christo patrem dominum cardinalem de Chalento in pleno concilio lectus fuit, dominus noster papa Alexander V. voluit, quod extenderetur dictus articulus in mortis articulo, & sic est duplex: voluit etiam, quod servitores illorum qui ad dictum concilium venerant, & illis inveniendo & stando in loco concilii servierant, præfatam indulgentiam perciperent.

Item, dominus noster sanctissimus cum consilio concilii intendit reformare ecclesiam in capite & in membris. Et quia jam multa per Dei gratiam sunt expedita, quæ * ipsum dominum nostrum, & favorem prælatorum, aliorumque inferiorum concernunt, restentque alia, quæ propter recessum prælatorum & ambassiatorum de præsenti expediri non possunt, propterea dominus noster sacro requirente & approbante concilio dictam reformationem suspendit, & con-

* per al. statum & favorem

ANNO CHRISTI 1409.

continuat usque ad proxime indictum concilium, & præsens concilium prorogat & continuat usque ad illum terminum, qui præfixus est ad concilium jam dictum. Et interim dat licentiam omnibus ad concilium convocatis ad proprios lares redeundi usque ad tempus præfixum, ut supra.

Et sic finis.

Præsentes autem in dicto concilio, aut qui ad idem miserunt, inferius sunt subscripti.

Sequuntur prælati, ambassiatores & procuratores; seu eorum nomina, qui in hoc sacro concilio Pisano comparuerunt & fuerunt: quod concilium tentum & celebratum fuit an. MCDIX. computando secundum morem curiæ Romanæ, & incepit die xxv. Martii.

Et primo reverendissimi in Christo patres & domini domini sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales.

Episcopi cardinales.

Reverendissimus in Christo pater & dominus, dominus Guido episcopus Prænestinus.
R. in Chr. P. & D. D. Henricus episc. Tusculanus, dictus Neapolitanus.
R. in Chr. P. & D. D. Nicolaus episc. Albanensis.
R. in Chr. P. & D. D. Joannes episc. Ostiensis, dictus Vivariensis, S. R. E. vicecancellarius.
R. in Chr. P. & D. D. Antonius episc. Prænestinus, dictus Aquilegiensis.
R. in Chr. P. & D. D. Petrus episc. Tusculanus, dictus de Podio.

Presbyteri cardinales.

R. in Chr. P. & D. D. Petrus tit. S. Susannæ, dictus de Thureio.
R. in Chr. P. & D. D. Angelus tit. S. Potentianæ, dictus Laudensis.
R. in Chr. P. & D. D. Petrus tit. S. Praxedis, dictus de Hispania.
R. in Chr. P. & D. Conradus tit. S. Chrysogoni, dictus Militensis.
R. in Chr. P. & D. D. Franciscus tit. sanctorum Quatuor Coronatorum, dictus Burdigalensis.
R. in Chr. P. & D. D. Jordanus tit. S. Martini in Montibus, dictus de Ursinis.
R. in Chr. P. & D. D. Joannes tit. sanctæ Crucis in Jerusalem, dictus Ravennatensis.
R. in Chr. P. & D. D. Petrus tit. duodecim apostolorum, dictus Mediolanensis.

Diaconi Cardinales

R. in Chr. P. & D. D. Amedeus S. Mariæ novæ, dictus de Saluciis, sacri collegii camerarius.
R. in Chr. P. & D. D. Raynaldus S. Viti in Macello, dictus de Brancaciis.
R. in Christo P. & D. D. Radulphus S. Nicolai in carcere Tulliano, dictus Barensis.
R. in Chr. P. & D. D. Balthasar S. Eustachii, dictus S. Eustachii.
R. in Chr. P. et D. D. Odo S. Georgii ad velum aureum, dictus de Columna

A R. in Chr. P. & D. D. Ludovicus S. Agathæ, dictus de Barro.
R. in Chr. P. & D. D. Petrus S. Angeli, dictus Romanus.
R. in Chr. P. & D. D. Petrus Blavi, dictus etiam S. Angeli.
Sequuntur ambassiatores regum, & primo illustrissimi domini Romanorum & Bohemiæ regis.
R. in Chr. P. & D. D. Wenceslaus patriarcha Antiochensis.
R. in Chr. P. D. D. Simon episcopus Misnensis.
Magnificus Baro D. Bonecius Cosmoi * miles. * al. Cosmich.

Ambassiatores domini Francorum regis.

R. in Chr. P. D. D. Simon patriarcha Alexandrinus.
R. P. D. Petrus episcopus Meldensis.
R. P. D. Ægidius episcopus Constantiensis.
Venerabilis vir D. Guillelmus Bonstraterii, legum doctor.
Venerabilis vir D. Joffredus de Perusia, cretorum doctor.

Ambassiatores domini Anglicorum regis, & omnium ipsius regni prælatorum, & capitulorum ecclesiarum, ac totius ecclesiæ Anglicanæ.

R. P. D. Robertus episcopus Salisberiensis.
C R. P. D. Henricus Mencuensis.
V. vir D. Thomas abbas Monasterii B. Mariæ Jorevallensis ordinis S. Benedicti.
D. Thomas prior Cantuariensis ordinis S. Benedicti.
D. Comes Sucfolchiæ.
D. Joannes Colme miles.
D. Ricardus Canyngston legum doctor, canonicus & officialis Eboracensis.

Ambassiatores regis Ludovici.

R. P. D. Joannes episc. Vapicensis, *seu* Vapincensis.
D. Guillelmus de Rupibus, miles & cambellanus.
D. Joannes de Genoardis legum doctor, consiliarius.
Magister Lucas de Castilione, secretarius.

Ambassiatores regis Poloniæ.

R. P. D. Petrus episcopus Cracoviensis.

Ambassiatores regis Cypri.

R. in Chr. pater & dominus, dominus cardinalis S. Angeli

Ambassiatores ducis Brabantiæ.

E V. vir D. Joannes abbas monasterii de Gembloux, ordinis S. Benedicti.
V. P. D. abbas monasterii de Villari, ordinis Cisterciensis.
V. P. D. abbas monasterii de Tungerloe, ordinis Præmonstratensis.
V. vir D. Petrus Guidonis legum doctor, cancellarius.
V. vir D. Joannes de Terouhont, licentiatus in legibus.
V. vir D. Godefridus de Orchenis, licentiatus in legibus.

Ambas-

ANNO CHRISTI 1409.

Ambassiatores domini ducis Carestii Austrensis. A

Sacræ Theologiæ magister Franciscus, ordinis Prædicatorum.

Magister Petrus de Vingar vicecancellarius universitatis studii Viennensis, magister in artibus.

Ambassiatores domini ducis Stephani Bavariæ.

V. P. D. Joannes, abbas monasterii S. Gislenii in Cella, ordinis S. Benedicti, Cameracensis diœcesis, sacræ theologiæ professor

D. Thomas de Fraxino, miles.

D. Thomas de Reynghestliette, licentiatus in legibus, ecclesiasticus S. Petri Luthosensis, Cameracensis diœcesis.

Ambassiatores dominorum Henrici & Gontherii fratrum comitis de Watsemburg

V. vir dominus Joannes de Goch. præpositus ecclesiæ S. Sebastiani.

Ambassiatores ducis Clevensis.

R. in Chr. P. & D.D. Guido, miseratione Divina episc. card. Prænestinus.

V. D. Petrus Scalpipe canonicus Zauttensis, Coloniensis diœcesis.

Ambassiatores domini Georgii Beuzon, domini Crouit

V. P. Frater Pantheleon de Zuelis, ordinis Minorum, consiliarius.

Ambassiatores domini Blandrata

R. P. D. Joannes *seu* Johannotus episcopus Novariensis.

Ambassiatores domini Caroli ducis Lotharingiæ & Marchionensis

D. Henricus Tronle licentiatus in decretis, decanus ecclesiæ B. Mariæ in Ivodio, consiliarius

D. Gerselus de Waldertringa, pastor in Sinis, Treverensis diœcesis, cappellanus.

Ambassiatores domini ducis Mazoniæ senioris.

V. vir D. Paulus præpositus ecclesiæ S. Mariæ extra muros Placentiæ, ordinis Præmonstratensis.

Ambassiatores domini Judoci marchionis Brandeburgensis & Moraviæ, archicancellarii sacri Rom. imp.

R. P. D. Joannes episcopus Lubecensis.

V. vir D. Theodericus præpositus Tangermontensis, in decretis licentiatus.

Ambassiatores domini Friderici comitis Mortemburg, & in Sternberg.

D. Wlricus in Urstin ecclesiæ rector, & D. Judocus in Ferostomin ecclesiæ rector, dicti domini comitis secretarii.

Ambassiatores dominorum Friderici & Willelmi Germanorum Lantgravi, Thuringiæ, marchionum Misnensium

V. vir Nicolaus Lubiche, decanus ecclesiæ B. Mariæ Eossordensis, dictorum marchionum secretarius.

Ambassiatores R. P. archiepiscopi Coloniensis.

Magnificus vir Joffridus de..... præpositus Maguntinensis, & thesaurarius ecclesiæ Coloniensis comes.

Magnificus vir D. Theodericus de Murse præpositus Uriennensis, & archidiaconus ecclesiæ Coloniensis, comes.

D. Joannes de Huepe, subdiaconus ecclesiæ Coloniensis.

D. Hemericus Westrihelz, utriusque juris doctor, sacri palatii Auditor, decanus ecclesiæ S. Andreæ Coloniensis.

D. Hugo de Hernoist, miles.

B D. Christianus de Gipr. legum doctor, scholasticus ecclesiæ S. Geronis Coloniensis.

D. Henricus de Cirp. legum doctor, canonicus ecclesiæ S. Cassii Biconiensis, Coloniensis diœcesis.

D. Baldelinus de Diclie canonicus ecclesiæ S. Andreæ Coloniensis.

Ambassiatores domini archiepiscopi Maguntini.

D. Joann. Kempen, præpositus S. Bartholomæi Frankfordensis, Maguntinensis diœcesis

D. Conradus Curos decanus B. Mariæ ad gradus Maguntini.

D. Henricus Herenselle, decretorum doctor.

D. Weyso, præpositus Jetheburgensis.

C D. Philippus Prælath. canonicus Maguntinensis

Ambassiatores R. P. domini archiepiscopi Salzeburgensis.

V. vir D. Fridericus Deys, decretorum doctor, decanus Padeburnensis.

Ambassiatores R. P. domini patriarchæ Aquilejensis.

R. P. D. Joannes episc. in universali ecclesia

Nobilis vir Franciscilinus de Panthera.

D. Andreas de Monticul, licentiatus in legibus.

Ambassiatores magistri ordinis de Prussia.

Procurator generalis S. Joannis Jerusalem

D Ambassiatores R.P.D. Joannis electi Leodiensis

Sacræ theologiæ professor magister Girardus Rondelli, magister in theologia.

V. vir D. Lambertus de Stipite, decretorum doctor.

V. vir D. Ægidius de Jomalintue, in utroque jure licentiatus.

V. vir D. Andreas Sudemian licentiatus in legibus.

V. vir D. Paulus de Clotingerii, in utroque jure licentiatus.

Sequuntur patriarchæ præsentes.

R. P. D. Simon, patriarcha Alexandrinus.

E R. P. D. Wenceslaus, patriarcha Antiochenus.

R. P. D. Hugo de Robertis, patriarcha Jerosolymitanus.

R. P. D. Franciscus Laudo, patriarcha Gradensis.

Protonotarii

D. Arragonensis de Malespinis.

D. Dominicus de Flisco.

Archiepiscopi præsentes

Reverendi patres domini

Franciscus Narbonensis, camerarius, Phi-

ANNO CHRISTI 1409.

Philippus Lugdunensis.
Petrus Bituricensis.
Nicolaus [a] .....
Amelius Turonensis.
Pileus Jannensis.
Vitalis Tolosanus.
Alamanus Pisanus.
Bertrandus Arborensis.
Joannes Viennensis.

[a] *addit*, Sipontinus. H.

Episcopi præsentes.

Reverendi patres domini
Petrus Meldensis.
Guillelmus Lexoviensis.
....., Albingaunensis.
Dominicus Albiensis.
Gentilis Neocastrensis.
Helias Aniciensis.
Bertrandus Apamianus.
Julianus Marsicanensis.
Nicolaus Bosanensis.
Benedictus Vintimiliensis.
Guillelmus Uticensis.
Lanfrancus Bethlemitensis.
Petrus Belvacensis.
Ludovicus Wlturanus.
Petrus Famaugustan.
Guillelmus Vestanens.
Jacobus Florentin.
Ægidius Nemausensis.
Petrus Lomberiensis.
N. Nazareth.
Alvanus Ovetensis.
Petrus Cracoviensis.
Nicolaus Antonius Lucerinens.
Petrus Cameracensis
Antonius Calenen.
Raimundo Petragoricensis.
Jo. Lubecensis.
Franciscus Oscensis.
Blasius Sulcitan.
Gregorius Landemerien.
Guillelmus *olim* ep. Carleolen.
Simon Cassinensis.
Matthæus Pistoriensis.
Guillelmus Ebroicensis.
Walterus Bonon.
Jo. Forojuliensis.
Guillelmus Mirapicensis.
Jacobus Æduensis.
Paulus Cernens.
..... Aretinensis.
Tristanus Trecorensis.
Paulus Massiliensis.
Jacobus Comaculensis.
N. Sistaricensis.
Brandia Placentin.
Philippus Saonensis.
Jo. Vapincens.
Leonardus Fermanens.
Bertrandus Dignensis.
Stephanus Dolensis.
Bartholomæus Alariensis.
Petrus Faventinus.
Martinus Atrebatensis.
Alexius Bobiensis.
Jacobus Laudensis.
..... Santonensis.
Joannes in universali eccles.
Bertrandus Tutelensis.
Ægidius Forojuliensis.
Ægidius Constantiensis.

A Joannes Novariensis.
Imbertus Agionensis.
Franciscus Cicen.
Joannes Vicariensis.
Gundenis elect. Sconiginens.

V. vir D. Leonardus administrator ecclesiæ Chiensis.

V. pater magister Nicolaus ordinis Minorum, administrator ecclesiæ Tregestin.

Sequuntur abbates præsentes monasteriorum infra scriptorum.

V. P. D. Bernardus abbas monasterii S. Mariæ Vallis-umbrosæ Fesulan. diœcesis.

B V. P. D. Jo. abbas Cisterciensis pro se & toto suo ordine.

V. P. D. abbas Camaldulensis.

D. Jo. abbas S. M. de Agario, ordinis Camaldulensis.

D. Andreas abbas monasterii Casæ-Dei, ord. S. Ben. Claromontensis diœcesis.

D. A. S. Mariæ de Fraboro, ord. S. Benedicti Flor. diœcesis.

D. Guido ab. Ss. Sergii & Bacchi, ord. S. Bened. prope Andegavum.

D. Simon ab. Gemmeticensis, ordinis S. Bened. Rotomag. diœcesis.

D. ab. S. Salvatoris de Septimo, ordinis Cisterciensis Florentin. diœcesis.

C D. Petrus ab. Grandimontensis

D. Guillelmus ab de Nucariis ordinis S. Benedicti, diœcesis Turonensis.

D. Guido abbas Grassensis, ordinis S. Benedicti, diœcesis Carcassonensis.

D. ab. de Thironio ordinis S. Benedicti Carnotensis diœcesis

D. Jo. ab. Pontiniaci, Cisterciensis ordinis.

D. I. abbas S. Justinæ de Padua, ordinis S. Benedicti

D. Jo. abbas Gringniano de Prato, ordinis Vallis-umbrosæ Pistoriensis diœcesis.

D. Bernardus abbas S. Michaelis de Podiobonzi, ordinis S. Benedicti Florent. diœc.

D. P..... ab. Camporum bonorum, ordinis

D Cisterciensis Vivariensis diœc.

D. Marcus ab. S. Salvii de Florentia, ordinis Vallis-umbrosæ.

D Balthasar ab. S. Michaelis de Pasignano ordinis Vallis umbrosæ Floren. diœc

D. Jo. ab. S. Petri super Divam, ord. S. Bened. Sagiensis diœcesis.

D ab. S. Michaelis de Fusculis de Pistorio, ord. Vallis umbrosæ.

D. Philippus ab. Anianæ, ord. S. Bened. Magalonensis diœcesis.

D. Antonius abb. S. Michaelis de Batgepiisano, Camaldulensis ordinis

D. Stephanus ab. Crudacii, ord. S. Bened. Vivariensis diœc.

E D. P..... ab. S. Maxentii, ord. S. Benedicti.

D. P. ... ab. monasterii S. Augustini Lemovicensis, ord. S. Bened. nominatus pro clero Lemovicensis diœc.

D. Franciscus ab. monast. S. Mariæ de Parciana ord. Vallis-umbrosæ Pistoriensis diœc.

D. Guillelmus ab. de Gimondo, Cisterc. ord.

D. Paulus ab. S. Anastasiæ de Amandulo, [b] Pistoriensis diœcesis.

[b] *al* Promon. H.

D. abbas S. Martini ad Pinum, ord.....

D. Stephanus abb. de Caritate, ord. Cisterc.

D. Ægidius ab. S. Eligii Noviomensis diœc. ordinis sancti Benedicti.

D. P...

ANNO CHRISTI 1409.

D. P..... abbas S. Victoris Massiliensis,
D. Antonius ab. S. Pauli de Rosnello, ord Vallis-umbrosæ, Fesulanensis diœc.
D. Jo. Celanensis, ord. ....
D. Jo. ab. S. Crispini majoris Suessionensis.
D. Guillelmus ab. de Cormeliis, ord. S. Bened. Lexoviensis diœcesis.
D. Franciscus ab. de Upolis, ord. Vallis-umbrosæ Florent. diœcesis.
D. Guispardus ab. S. Trinitatis, de Floren. ord. Vallis-umbrosæ.
D. Franciscus ab. S. Genovefæ Parisiens. ord. S. Augustini.
D. Ricardus ab. monast. S. Pavacii de Floren. ord. Vallis-umbrosæ.
D. Sebastianus ab. S. Salvatoris Camaldulensis. B
D. Nicolaus ab. S. Mariæ de Florentia.
D. Joan. S. Gisseni in Cella, ord. S. Bened.
D. ab. S. Dominici Pisan. ord.....
D. Jo. ab. S. Baronti, ord. S. Benedicti, Pistoriens. diœc.
D. Laurên. ab. S. Petri de Ceveo, ord. Camaldul.
D. Philippus ab. Cassiani, ord. S. Bened. Witeranensis diœcesis.
D. Gregorius ab. S. Salvatoris de Salvamunda, ord. Camaldulensis.
D. Joan. ab. S. Petri de Muchero, ord. Vallis-umbrosæ, Florent. diœcesis.
D. Jacobus ab. S. Stephani de Cencono, ord. Camaldulensis.
D. P. ab. Montis S. Michaelis in Periculo maris, ord. S. Benedicti, Abrincens. diœc. C
D. Mamilianus ab. S. Fadiacii de Pisis, ord. Camaldulensis.
D. Salvator ab. S. Ægidii, ord. S. Bened. Nemausens. diœc.
D. Radulphus ab. omnium Sanctorum Andegavis, ord. S. Augustini.
D. Ruffinus ab. S. Laurentii extra muros Novariensis.
D. Andreas abb. Galliaci, ord. S. Benedicti
D. abbas de Gemblous, ord. S. Bened. Cameracens. diœc.
D. ab. de Villari, ord. Cisterc.
D. Andreas ab. S. Bartholomæi Anglari, ord. Camaldul.
D. P. ab. Vezeliacensis, ord. S. Bened. Eduens. diœc.
D. D..... ab. Molismentis, ord. S. Bened. Lingonensis diœc.
D. Bartholomæus ab. S. Bartholomæi de S. Jucunda, ord. Camald.
D. D..... ab XII. apostolorum, ord.....
D. Jacobus ab S. Donati de Senis, ord. Vallis-umbrosæ.
D. Bartholomæus ab. S. Fidelis Puppio, ord. Vallis-umbrosæ, Aretin. diœc.
D. Landulphus ab. Saganen.
D. Matthæus ab. Claræ-vallis, ord. Cisterciensis, sacræ theologiæ professor.
D. Mezilaus ab monast. Curcens. ord. S. Benedicti Cracoviens. diœc. E

Generales ordinum.

R. P. Sacræ theologiæ magister Thomas de Fimo, ord. Prædicatorum magister, generalis dicti ord. partis Citramontanæ, pro se & toto suo ordine cum infra scriptis magistris.
Magistro Simone de Pisis, regente Florentiæ.
Magistro Michaele de Florentia, vicario nationis Tusciæ.
Magist. Jacobo de Pisis.
Magist. Leonardo de Florentia.
Magist. V. Verturo Florentino, priore Florentino.

A Magistro Andrea de Florentia.
Magist. Joanne de provincia Poloniæ, regente Cracoviæ.
Magist. Ardisono de Padua, priore Paduano, & vicario generali provinciæ S. Dominici.
R. P F. Antonius de Ponto, minister generalis ordinis Minorum partis Citramontanæ, pro se & nomine suo, una cum infra scriptis magistris in theologia videlicet:
Mag. Francisco de Crepa, ministro provinciæ Mediolanensis.
Mag. Joanne de Bononia, ministro provinciæ Bononiæ.
Mag. Matthæo de Palma, ministro provinciæ Romanæ.
Mag. Vitale Volentini, de provincia Provinciæ B
Mag. Joanne Joannis de Florentia.
Mag. Nicolao de Tergesto.
Mag. Bartholomæo de Bononia.
Mag. Langalecto de Placentia.
R. P. F. Matthæus de Bononia sacræ theologiæ professor, generalis ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli partis Citramontanæ, pro se & suo ordine, una cum infra scriptis magistris in theologia, videlicet:
Mag. Andrea de Luca, procuratore dicti ordinis.
Mag. Joanne de Florentia, vicario generali in provincia Tusciæ.
Mag. Bartholomæo de Florentia, syndico universitatis Bononiæ.
R. P. Sacræ theologiæ magister Joannes Grassi, generalis ordinis Carmelitarum partis Ultramontanæ, una cum magistro Raymundo procuratore generali dicti ordinis.
R. P. Sacræ theologiæ magister Nicolaus de Caissia generalis ordinis fratrum Heremitarum partis Citramontanæ, pro se & toto suo ordine, una cum infra scriptis magistris in theologia, videlicet.
Mag. Boecio de Tolentino, procuratore dicti ord.
Mag. Simone de Florentia, regente Florentiæ.
Mag. Bartholomæo de Pisis, regente Pisis.
Mag. Gabriele de Spoleto, regente Bononiæ.
Mag. Jacobo de Gucisa provinciali provinciæ vallis Spoleti.
D R. P. Sacræ theologiæ magister Antonius de Bononia, generalis ordinis B. Mariæ servorum, partis Citramontanæ, pro se & ordine suo una cum infra scriptis magistris
Mag. Antonio de Alexandria.
Mag. Urbano de Bononia.
Mag. Antonio de Passcingaro.
R. P. Sacræ theologiæ professor magister Petrus de Vena, generalis fratrum Eremitarum S. Augustini, partis Ultramontanæ, una cum fratre Raimundo de Crosio.

Ministri ordinum.

V. F. Alanus David, minister provincialis ordinis Minorum provinciæ Turoniæ, nomine suæ provinciæ, & ut nominatus inter electos pro dicta provincia. E

Præceptores præsentes præceptoriarum infra scriptarum.

Nobilis vir D. Jacobus de Algis miles, præceptor domus sive præceptoriæ hospitalis S. Joannis Jerusalem de Florentia, & procurator generalis dicti ordinis, nomine suo, & ut locum tenens D. Nicolai de Ursinis, militis prôris Venetiarum, locum tenentis domus hospitalis dicti ordinis.
Religiosus vir F. Joannes, præceptor domus S. Antonii de Rinverso, & cellerarius generalis mona-

ANNO CHRISTI 1409.

ANNO CHRISTI 1409.

monasterii Viennensis, pro se, & præceptoribus suæ dictæ præceptoriæ subjectis.

Religiosus vir F. Guillelmus de Unone, præceptor præceptoriæ sive domus de eleemosynario, ord. S. Antonii Bisuntinensis diœcesis, suo nomine & suæ præceptoriæ.

Priores & procuratores generales ordinum præsentes.

R. vir F. Onesimus, prior generalis totius ordinis Camaldulensis, pro se, & quadraginta uno abbatibus, & septuaginta prioribus dicti ordinis.

Religiosus vir F. Nicolaus de Balnibus, prior generalis S. Sepulchri Dominici.

R. vir D. Galterus Crassi prior eccl. & conventus Rhodi, ordinis S. Joannis Jerusalem, decretorum doctor.

R. vir F. Petrus procurator generalis ordinis B. Mariæ Teuthonicorum, nomine suo ac procuratorio nomine magistri generalis dicti ordinis.

Sequuntur priores prioratuum tam conventualium quam aliorum, & tam ultra quam citramontanorum.

Religiosus vir D. Radulphus, prior prioratus S. Joannis in Monte.

R. vir F. Joannes prior prioratus S. Fabiani Pistriensis diœcesis.

R. vir F. Jo. de Griffomonte, prior Vallis viridis prope Parisios.

R. vir F. Joannes Tuelli prior prioratus Fontis-nostræ-Dominæ, ordinis Carthusiensis, Soessionensis diœcesis.

R. vir F. Dominicus prior prioratus S. Bartholomæi prope Januam. Omnes tres eorum propriis nominibus, & pro toto ordine Carthusiensium in regno Franciæ existentium.

R. vir F. Guillelmus de Soisset, prior prioratus conventualis S. Arnulphi de Crispeio, Silvanectensis diœcesis.

R. vir F. Franciscus prior monasterii de Popina, ord. Camaldul.

R. vir F. Jo. prior prioratus S. Mariæ de Serra.

R. vir F..... prior prioratus de Sarmasia.

R. vir F..... prior prioratus convent. de Boudolena.

R. vir F. Petrus Mouraudi, prior prioratus B. Mariæ de Cluterio, Dinensis diœcesis.

R. vir F..... prior prioratus de Podio Caprensi.

R. vir F..... prior prioratus conventualis de Boulonia.

R. vir F. Petrus prior Tueris, Viennensis diœcesis.

R. vir F. Petrus Dacres, prior prioratus Abbatis-villæ, Ambianensis diœcesis.

R. vir F. Antonius de Restis, præpositus domus Pervercelinæ Mediolani.

Ambassiatores universitatum studiorum generalium, primo studii Parisiensis.

Venerabiles & circumspecti viri, magistri, Dominicus Parvi, & Petrus Plaoul, in theologia magistri.

Robertus de Quesneyo, Petrus de Provine, decretorum doctores.

Joannes Petri in medicina magister.

Eustachius de Foquembergue, in artibus magister, & licentiatus in decretis.

Poncius Simoneti, in artibus magister, & licentiatus in theologia.

Guillelmus Carpentarii, in artibus magister, & baccalaureus formatus in theologia.

Arnoldus Wiwit, in artibus magister, & licentiatus in theologia.

A Joannes Brouilleti, dictus Francisci, in artibus magister, & licentiatus in decretis.

Universitas studii Bononiensis.

Universitas studii [a] Exoniensis.

Universitas studii Tolosæ, pro qua erat præsens V. vir magister Joannes Garsis ordinis fratrum Minorum, in sacra theologia professor, dictæ universitatis procurator & ambassiator.

Universitas studii Andegavensis.

V. vir D. Guillelmus Maligeneris, utriusque juris doctor.

V. vir D. Nicolaus de Melleio, legum doctor, dictæ universitatis ambassiator.

Universitas studii Viennensis.

B Universitas studii Cracoviensis.

Sacræ theologiæ magister Franciscus ordinis Prædicatorum.

V. vir magister Petrus de Lingier, vicecancellarius dictæ universitatis.

Universitas studii Montis-pessulani.

V. vir D. Leonardus Alamandi, licentiatus in decretis.

Universitas Cantabrigiæ.

Universitas studii Pragensis.

Universitas studii Coloniensis.

Sequuntur archiepiscopi qui miserunt ambassiatores & procuratores.

Reverendi patres, domini

Archiepiscopus Coloniensis.

C Archiepiscopus Maguntinensis.

Thomas Aquensis.

Artaudus Arelatensis.

Archiepiscopus Ebredunensis.

Archiepiscopus Turritanus.

Ludovicus Rotomagensis.

Guido Remensis.

Theobaldus Bisuntinensis.

Hebrardus Salzburgensis.

Gunthiernus Magdeburgensis.

Archiep. Cantuariensis de Anglia.

Archiep. Eboracensis de Anglia.

Sequuntur episcopi qui miserunt suos ambassiatores & procuratores.

Reverendi patres, domini

D Petrus Parisiensis.

Aymo Gratianopolitanus.

Hugo Lemmovicensis.

Guillelmus Regensis.

Leonardus Grassensis.

Joannes Vencienſis.

Joannes Glandatensis.

Joannes Aptensis.

Joannes Tholonensis.

Wlricus Lamecensis.

Leonardus Carn.

Engelmarus Viennensis.

Bertrandus Montisalbani.

Joannes Ratizponensis.

Joannes [b] S. Pauli.

Stephanus Vabrensis.

Conradus Olomucensis.

Henricus Nannetensis.

Gatianus Corisopitensis.

Guillelmus Ruthenensis.

Joannes Castrensis.

Guido Leonensis.

Joannes Malleacensis.

Germanus Lucionensis.

Joannes Laudunensis.

Joannes Bajocensis.

..... Abrincensis.

Joannes Sagiensis.

Re-

[a] Pro, Oxoniensis. H.

[b] Pro, S. Pauli H.

ANNO CHRISTI 1409.

Reverendi patres, domini Philippus Noviomensis.
Bertrandus Biterrensis.
Acardus Conseranensis.
Hardovinus Andegavens.
Victor [a] Suffionensis.
Martinus Tornacensis.
Joannes Ambianensis.
Carolus Cathalaunensis.
Matthæus Marinensis.
Adam Cenomanensis.
Martinus Carnotensis.
Wlricus Brixinensis.
Lanceslaus Uratislaviensis.
Joannes electus Leodiensis.
Franciscus Tenealbanensis.
Henricus Tullensis.
Fredericus Trajectensis.
Milo Eduensis.
Henricus Electensis.
Petrus Papiensis.
Petrus Terdonensis.
Bartholus Alexandrinus.
Petrus Pacensis.
Antonius Trojensis.
Gonsalvus Lamacensis.
Joannes Briocensis.
Michael Antissiodorensis.
Stephanus Trecensis.
Petrus Matisconensis.
Radulphus Metensis.
Robertus Nivernensis
Georgius Patavienſis.
Jacobus [b] Plotensis.
Arnoldus Culmensis.
Joannes Pomezaniensis.
Henricus Warmiensis.
Henricus Sambiensis.
Henricus Claromontensis.
Philibertus Cabilonensis.
Girardus Pictavensis.
Udalricus Neubergensis.
Walterus Merseburgensis.
Bartholomæus Vintimiliensis.
Joannes Virdunensis.
Petrus Auraiensis.
..... Ploicensis.
..... Bangorensis.
..... Asaphensis.
..... Vigorniensis.
..... Lichefeldensis.
..... Conventrensis.
..... Herefordensis.
..... Boffensis.
..... Eliensis.
..... Wintoniensis.
..... Londoniensis.
..... Bathoniensis.

[a] Pro, Suessionens. H.

[b] Pro, Florensis. H.

Sequuntur abbates qui miserunt procuratores cum plena potestate.

Ven. P. D. Gerentonus, abbas monasterii S. Antonii Viennensis, ordinis S. Augustini.
V. P. D. Raymundus, abbas monasterii Cluniacensis, pro se & toto suo ordine.
V. P. D. Estoldus, ab. Fiscanensis, ord. S. Benedicti, doctor decretorum.
V. P. D. Elias, ab. monast. Burgidolensis, ord. S. Benedicti, Bituricensis diœc.
V. P. D. Guillelmus, abbas monasterii de Lezato, ordinis S. Bened. Rivensis diœc.
D. Joannes, abbas monast. S. Cypriani extra muros Pictavenses, ord. S. Benedicti.
D. Aymericus, ab. monast. S. Benedicti de extra Quinciacæ prope Pictav. ord. S. Benedicti.

A D. Pe. ab. monast. S. Crucis, ord. S. August. Pictavensis diœc.
D. Joannes, ab. monast. Montis majoris, ord. S. Ben. Arelatensis diœc.
D. Bertrandus, ab. monast. S. Hilarii, ord. S. Benedicti, Carcassonensis diœc.
D. Jacobus, ab. monast. B. Mariæ de Quadraginta, ord. S. August. Narbonensis diœc.
D. Joannes, ab. monasterii Fontis-frigidi, ord. Cisterciensis.
D. Bern.... ab. monast. S. Justi de Ulteris, ord. Camaldulensis.
D. Leo, ab. monast. S. Petri de Tenolio, Præmonst. ord. Laudunensis diœc.
D. Michael, ab. monast. montis S. Eligii, ord.
B S. Aug. Atrebat. diœc.
D. Philippus, ab. monast. S. Taurini, ord. S. Bened. Ebroicensis diœc.
D. Gervasius, ab. monast. de Bello-loco, ord. S. Aug. Cenomanensis diœc.
D. Jo. ab. monast. de Ybreio, ord. S. Bened. Ebroic. diœc.
D. Guillelmus, ab. monast. S. Petri de Caltura, ord. S. Bened. Cenomanen. diœc.
D. Joannes, ab. monast. S. Vincentii, ord. S. Benedicti, Cenoman. diœc.
D. Jo. ab. monast. de Vadacio, ord. S. Augustini diœc. Cenomanensis.
D. Jo. abb. monast. S. Georgii de Nemore, ord. S. August. Cenoman. diœc.
C D. Jo. ab. monast. S. Carilephi, ord. S. Bened. Cenoman. diœc.
D. Petrus, ab. monast. de Vadoalneti, ord. S. Bened. Cenoman. diœc.
D. Jo. ab. monast. de Pelicia, ord. S. Bened. Cenoman. diœc.
D. Simon, ab. monast. de Ebronio, ord. S. Bened. Cenoman. diœc.
D. Prior & conventus monast. de Lonlaye, abb. ipsius monast. in remotis agente, ord. & diœc. prædictorum.
D. Guillelmus, ab. monast. S. Andreæ Aviniensis, ord. S. Bened.
D. Jo. abbas monast. Præmonstratensis.
D. Jo. ab. monast. S. Petri ad montes, ord.
D S. Bened. Catalaunensis diœc.
D. Guillelmus, ab. monast. omnium Sanctorum in Insula, ord. S. Aug.
D. Joannes, ab. monast. S. Memmii in suburbio Catalaunensi, ord. S. Aug.
D. Guido, ab. monast. de Usarchia, ord. S. Bened. Lemovicensis diœc.
D. Petrus, ab. monast. S. Mariæ S. Eusechii de Cellis, ord. S. Aug. Bituricensis diœc.
D. Jo. ab. monast. de Virsione, ord. S. Bened. Bituricensis diœc.
D. Guillelmus, ab. monast. de Casalibenedicto, ord. S. Bened. Bituricensis diœc.
D. Jo. ab. monast. S. Gildasii ord. S. Bened. Bituric. diœc.
E D. Guillelmus, ab. monast. Fontiscombaudi, ord. S. Bened. Bituricens. diœc.
D. Jo. ab. monast. S. Genulphi ord. & diœcesis prædictorum.
D. Gacianus, ab. monast. B. Mariæ de Exolduno, ord. & diœc. prædictorum.
D. Jacobus, ab. S. Petri Villæ de nato, ord. S. Bened. Vabrens. diœc.
D. Prior & conventus monast. de Millebeco, ord. S. Bened. Bitur. diœc.
D. Aymericus, ab. monast. S. Ambrosii, ord. S. Aug. Bituric. diœc.
D. Robertus, ab. monast. Miseraiensis, ord. S. Aug.

August. Bitur. diœc.

ANNO CHRISTI 1409.

D. Raimundus, ab. monast. Conchensis, ord. S. Benedicti, Ruthenensis diœc.

D. Aymericus, ab. monast. Psalmodiensis, ord. S. Bened. Nemausensis diœces.

D. Germundus, ab. monast. S. Trin. de Maloleone, ord. S. Aug. Malleacensis diœc.

D. Petrus, ab. monast. Cendratensis, ord. S. Bened. Nemausensis diœc.

D. Jo. ab. monast. S. Laudi de S. Laudo, ord. S. August. Constantiensis diœc.

D. Jo. ab. monast. B. Mariæ de Argliis, ord. S. Aug. Lucionens. diœc.

D. Guillelmus, ab. monast. B. Mariæ de Hambeja, ord. S. Bened. Constantiensis diœc.

D. Petrus, ab. monast. B. Mariæ loci-Dei in Jardo, ord. Præmonstratensis.

D. Michael, ab. monast. S. Salvatoris Vice-comitis, ord. S. Bened. Constant. diœc.

D. Poncius, ab. monast. de Nobiliaco, ord. S. Bened. Pictavensis diœc.

D. Stephanus, ab. monast. S. Mariæ de Montisburgo, ord. S. Bened. Constantiens. diœc.

D..... ab. monast. de Bello-fonte, ord. S. Bened. Malleacensis diœc.

D. Jo. ab. monast. S. Joannis Angeliacensis, ord. S. Bened. Xanctonensis diœc.

D. Nicolaus, ab. monast. S. Leodegarii, ord. S. Bened. Xanctonensis diœc.

D. Michael, ab. monast. Villæ-magnæ, ord. S. Bened. Biterrensis diœc.

D. Ademarus, ab. monast. Caroffensis, ord. S. Bened. Pictav. diœc.

D. Raimundus, ab. monast. Jocundensis, ord. Bened. Electensis diœc.

D. Guillelmus, ab. monast. B. Mariæ de Becco-Helluini, ord. S. Bened. Rotomagensis diœc.

D. Arnaudus, ab. monast. de Joncellis, ord. S. Bened. Biterrensis diœc.

D. Joan. ab. monast. de S. Asiano, ord. S. Bened. S. Poncii, Thomeriacensis diœc.

D. Matthæus, ab. monast. sæcularis ecclesiæ S. Affrodisii, Bitterrens. diœc.

D. Bernardus, ab. monast. S. Tiberii, ord. S. Bened. Agathensis diœc.

D. Jacobus, ab. monast. S. Mauri supra Ligerim, ord. S. Bened. Andegavensis diœc.

D. Guido, ab. monast. S. Mariæ Ungiaci, ord. S. Aug. Eduensis diœc.

D. Theobaldus, ab. monast. S. Albini Andegav. ord. S. Bened.

D. Jo. ab. S. Petri de Burgolio, ord. S. Bened. Andegav. diœc.

D. I. ab. monast. S. Martini Ruri-Curtensis, alias de Bosco, ord. S. August. Belvacensis diœc.

D. Simon ab. monast. S. Nicolai prope Andegavum, ord. S. Bened.

D. Reginaldus, ab. monast. S. Vitoni Virdunensis, ord. S. Bened.

D. Radulphus, ab. B. Mariæ de Rota, ord. S. Aug. Andegav. diœc.

D..... ab. monast. Stabulensis, ord. S. Bened. Leodiensis diœc.

D..... ab. monast. Gemblacensis.

D. Petrus, ab. monast. B. Joannis Evang. Mellinensis, ord. S. Aug. Andegav. diœc.

D..... ab. monast. S. Trudonis, ord. S. B. Leodien. diœc.

D. ab. monast. S. Umberti, ord. S. Bened. Leodien. diœc.

D..... ab. monast. Uliderbatensis, ord. S. Bened. Leod. diœc.

D.... ab. monast. Alnensis Cist. ord. Leod. diœc.

A D. Guillelmus de Cadonio, prior monast. B. Mariæ de Cassiano, Biterrensis diœc. de monast. S. Ruffi prope Valentiam immediate dependentis.

D..... ab. Villariensis.

D..... ab. Vallis S. Lamberti, ord. Cisterciensis, Leodiensis diœc.

D..... ab. monast. Vallis-Dei, ord. Cisterc. Leodien. diœc.

D..... ab. monast. Magni-Prati, ord. Cisterc. Leodiensis diœc.

D..... ab. monast. Floreffiensis, ord. Præmonstrat. Leod. diœc.

D..... ab. monast. S. Gerardi de Bronio, S. Bened. Leodiensis diœc.

B D..... ab. monast. Walchiodorensis & Hasteriensis, ord. S. Bened. Leod. diœc.

D..... ab. monast. Florinensis, ord. S. Bened. Leod. diœc.

D. Renerus, ab. monast. S. Jacobi, Leod. diœc. ord. S. Bened.

D. Henricus, ab. monast. S. Laurentii extra muros, Leod. ord. S. Bened.

D. Jo. ab. monast. 12. Apostolorum Belli-reditus Leod. ord. Præmonstrat.

D. Guillelmus, ab. monast. S. Eligii in Pulcromonte prope Leodium, ord. S. August.

D..... ab. monast. Averbodiensis, ord. Præmonstr. Leod. diœc.

D. ab. monast. Parcensis, Præmonst. ord. Leod. diœc.

C D..... ab. monast. Leffiensis, ord. Præm. Leod. diœc.

D..... ab. monast. Helicmensis, ord. Præmonstr. Leod. diœc.

D. ... ab. monast. Novi-Monasterii, ord. S. Aug.

D..... ab. monast. Florensis, ord. S. Aug. Leodiensis diœc.

D..... ab. monast. Malonienfis ord. S. Aug. Leod. diœc.

D. Joannes ab. monast. sanctorum Floræ & Lucillæ, Aretinensis, ord. S. Bened.

D. Antonius, ab. monast. S. Janualis & Copolonensis, ord..... Aretinensis diœc

D. Jo. ab. monast. de Campuano, ord. Camald. Aretinensis diœc.

D. D..... ab. monast. S. Andreæ de Sexto, ord. .... Januensis diœc.

D..... ab. monast. S. Benigni ord.... Januens. diœc.

D..... ab. monast. S. Mariæ de Pervallo, ord.... Januens. diœc.

D..... ab. monast. S. Bartholomæi de Fossato, ord.... Januens. diœc.

D... .. ab. monast. de Massayo.

D..... ab. monast. de Vernussia.

D... .. ab. monast. de Maressiis.

D..... ab. monast. S. Sulpicii.

D.... ab. monast. beatissimæ Trinitatis de Viadocino, ord. S. Bened. Carnot. diœc. ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.

E D..... ab. monast. S. Mariæ de Jubino, ord..... Januensis diœc.

D..... ab. monast. S. Andreæ de Bonx. ord. .... Januensis diœc.

D. Bernardus, ab. monast. S. Polycarpi, ord S. Bened. Narbon. diœc.

D. Joannes, ab. monast. S. Trinitatis de Exaquio, ord. S. Bened. Constantiensis diœc

D.... ab. monast. S. Honorati.

D..... ab. monast. de Crossio.

D..... ab. monast. de Toroneto.

D.... ab. monast. de Salvarie

D.....

ANNO CHRISTI 1409

D. . . . ab. monast. S. Salvatoris Lodovæ ordin. S. Bened.

Sequuntur domini abbates de Anglia qui miserunt ambassiatores, sive procuratores.

D. . . . ab. monast. S. Augustini extra muros Cantuariensis.
D. . . . ab. monast. de Faveshan.
D. . . . ab. monast. de Bello.
D. . . . ab. monast. de Waidenve.
D. . . . ab. monast. de Colehefte.
D. . . . ab. monast. de Hida.
D. . . . ab monast. de Vervelle.
D. . . . ab. monast. de Cartheryz.
D. . . . ab. monast. de Abindonia.
D. . . . ab. monast. de Desherbonne.
D. . . . ab. monast. de Miletone.
D. . . . ab. monast. de Perne.
D. . . . ab. monast. de Abbatissinteye.
D. . . . ab. monast. de Malmesbery.
D. . . . ab. monast. de Tanestolie.
D. . . . ab. monast. de Evershan.
D. . . . ab. monast. de Gloucestre.
D. . . . ab. monast. de Barchere.
D. . . . ab. monast. de Vincecombe.
D. . . . ab. monast. de Altescoe.
D. . . . ab. monast. de Temesbesbury.
D. . . . ab. monast. de Glasconia.
D. . . . ab. monast. de Monchaileth.
D. . . . ab. monast. S. Albani.
D. . . . ab. monast. de Eushan.
D. . . . ab. monast. de Ramesey.
D. . . . ab. monast. de Burgo S. Petri.
D. . . . ab. monast. de Coruland.
D. . . . ab. monast. de Bardenay.
D. . . . ab. monast. de Cestria.
D. . . . ab. monast. de Sallopia.
D. . . . ab. monast. Burtonensis.
D. . . . ab. monast. Ternei.
D. . . . ab. monast. de Burgo S. Edmundi.

Omnes supradicti sunt ordinis S. Benedicti.

D. . . . ab. monast. de Wernerley.
D. . . . ab. monast. de Fornesta.
D. . . . ab. monast. de Fontanis.
D. . . . ab. monast. de Riavalle.
D. . . . ab. monast. de Bellaloenda.
D. . . . ab. monast. de Mesla.
D. . . . ab. monast. de Viscallis.
D. . . . ab. monast. de Orelay.
D. . . . ab. monast. de Nonconenrio.
D. . . . ab. monast. de Holinculcani.
D. . . . ab. monast. de Caldria.
D. . . . ab. monast. de Rethford.
D. . . . ab. monast. de Ruppe.
D. . . . ab. monast. de Buelsced.
D. . . . ab. monast. de Tirefordia.
D. . . . ab. monast. de Cumba.
D. . . . ab. monast. de Salbro.
D. . . . ab. monast. de Scoloay.
D. . . . ab. monast. de Parcoludo.
D. . . . ab. monast. de Strata florida.
D. . . . ab. monast. de Haylio.
D. . . . ab. monast. de Walledregia.
D. . . . ab. monast. de Turbineret.
D. . . . ab. monast. de Regali loco.
D. . . . ab. monast. de Turtenna.
D. . . . ab. monast. de Doze.
D. . . . ab. monast. de Villisdenni.
D. . . . ab. monast. Hiltensis.
D. . . . ab. monast. de Blande.
D. . . . ab. monast. de Selitished.
D. . . . ab. monast. de Lilyshellis.
D. . . . ab. monast. de Gracia.
D. . . . ab. monast. Walborum.
D. . . ab. monast. de Lacres.
D. . . ab. monast. Halnensis.

Omnes supradicti sunt ordinis Cistercientis.

D. . . . ab. monast. de Walchen.
D. . . . ab. monast. de Loyceserie.
D. . . . ab. monast. Corutensis.
D. . . . ab. monast. Nortensis.
D. . . . ab. monast. de Ostency.
D. . . . ab. monast. S. Jacobi Norhthantonne
D. . . . ab. monast. de Darle.
D. . . . ab. monast. de Roboetoe.
D. . . . ab. monast. de Oscy.

Priores prioratuum, monasteriorum, & ecclesiarum infra scriptarum, in regno Angliæ.

Prior monast. de Davoyo.
Prior monast. Hertensis.
Prior monast. ecclesiæ Rossensis.
Prior monast. de Lubben.
Prior monast. de Bosgrohovv.
Prior monast. ecclesiæ Wintoniensis.
Prior monast. S. Neoty.
Prior monast. de Walingford.
Prior monast. de Daventre.
Prior monast. Conventrensis
Prior monast. de Bonore.
Prior monast. ecclesiæ Eliensis.
Prior monast. Norwicensis.
Prior monast. S. Nicolai Exonensis.
Prior monast. de Barnestahele.
Prior monast. Wigorniensis.
Prior monast. de Lethest.
Prior monast. de Maluerne magna.
Prior monast. ecclesiæ Bathoniensis.
Prior monast. de Spaldoag.
Prior monast. de Terford.
Prior monast. de Caossale.
Prior monast. de Bronholme.
Prior monast. de Fetlome.
Prior monast. de Suapris.
Prior monast. de Waymadham.
Prior monast. de Bymahan.

Omnes prædicti sunt ordinis S. Benedicti.

Sequuntur capitula ecclesiarum quæ miserunt procuratores.

Tolensis.	Rotomagensis.
Ambianensis.	Bituricensis.
Narbonensis.	Eduensis.
Noviomensis.	Constantiensis.
Aquensis	Aretinensis.
Arelatensis.	Bononiensis.
Ebredunensis	Biterrensis
Violensis.	Novariensis.
Regensis.	Andegavensis
Focalquerii.	Mirapicensis.
Grassensis.	Tullensis.
Pimatensis	Matisconensis.
Vencienſis.	Metensis.
Dignensis.	Cabilonensis
Tholonensis.	Lingonensis.
Forojuliensis.	Claromontensis
Aptensis.	Wintoniensis.
Sistariensis.	Dunelmensis.
Massiliensis.	Laudunensis.
Vapicensis.	Viennensis.
Nauvatensis.	Cathalaunensis.
Lomberiensis.	Anicienſis.
Nivernensis.	Magalonensis.
S. Petri de Boneva,	Vigintimiliensis
Carcassonensis.	Virdunensis.
Conseranensis.	Vivariensis.
Tarviensis.	Avraicensis.
Januensis.	Beati Martini Tur
Dolensis.	Condomensis.

S Flo-

ANNO CHRISTI 1409.

Albiensis.
Elestensis.
Uticensis.
Cenomatensis.
Tornacensis.
Pragensis.
Atrebatensis
Carnotensis.
Tutelensis.
Vabrensis.
Ruthenensis.
Mimatensis.
Nemausensis.
Leodiensis.
Floriensis.
Silvanectensis.
Parisiensis.
Senonensis.
Saonensis.
Agathensis.
Cameracensis.
S. Flori.
Exoniensis.
Sarezburiensis.
Eliensis.
Bathonensis & Vellens.
Roffensis.
Herefordensis.
Cistriensis.
Licheseldensis.
Cornensis.
Wigornensis.
Lincolniensis.
Londoniensis.
Norvicensis.
Menevensis.
Bangorensis.
Asaphensis.
Culmensis.
Pomezianensis.
Warmiensis.
Sambiensis.

Sequuntur procuratores civitatum & diœcesum, quas miserunt ad id sacrum concilium.

Cleri civitatis & diœcesis Ambianensis.
Cleri civitatis & diœcesis Suessionensis.
Cleri civitatis & diœcesis Bononiensis
Cleri civitatis & diœcesis Januensis.
Cleri civitatis & diœcesis Leodiensis.
Cleri civitatis & diœcesis Silvanectensis.
Cleri civitatis & diœcesis Novariensis.
Cleri civitatis & diœcesis Wratislaviensis.

Sequuntur provinciæ, quæ miserunt procuratores.

Rotomagensis
Turonensis
Remensis.
Senonensis
Lugdunensis.
Ebredunensis
Arelatensis
Aquensis.
Mediolanensis.
Ravennatensis
Burdegalensis
Pisanensis.
Cantuariensis.
Eboracensis.

A Sequuntur communitates quæ miserunt ambassiatores.

Communitas Januensis.
Communitas Florentinorum.

G. C. OBSERVATIO.
in superiorem indicem eorum qui concilio interfuerunt.

B EOrum qui huic concilio interfuerunt catalogum alium profert Raynaldus, breviorem quidem, sed ex quo partim observari, partim etiam emendari nonnulla in superiore possunt.

Inter cardinales episcopos, qui hic vocatur Henricus Tusculanus, illic dicitur Sabinensis. Utriusque tituli causas intelligo. Henricus Minutulus, Neapolitanus archiepiscopus (unde & cardinalis Neapolitanus vocatus) a Gregorio XII. cardinalis Tusculanus creatus est: Petrus quoque de Podio, ejusdem tituli cardinalis dictus est a Petro de Luna. Qui cum ambo Pisano concilio interessent, ambo C Tusculanis insulis insignes: ne controversiæ hac, pacis, cui studebatur, concilia interverteret, Henricus cessit, & ad Sabinensem sedem tum vacuam transit. Melius autem vocatur Sabinensis, tum ob causam, quam mox attigi: tum quia Petrus de Podio ibidem vocatur Tusculanus.

Inter cond. episc. Ostiensis Joan. vocatur, male in Raynaldi catalogo dictus Antonius: ut ex Ottoniorum episcoporum catalogo constat. Alia hic sunt in quibus discrepant duo isti indices, sed manifesto vitio Romani, aut ejus exscriptoris. Cujusmodi errata in hac observatione prætermitto.

D Cardinalibus presbyteris addit Romanus catalogus Antonium S. Praxedis, dictum Tudertinum, & Ludovicum de Baro: sed falso hunc posteriorem, cum tempore concilii esset diaconus cardinalis S. Agathæ, & vero in superiori indice hunc locum obtineat. neque cardinalis presbyter duodecim apostolorum, nisi ab Alexandro V. post concilium creatus sit. Eum Romanus recenset inter regni Francorum legatos.

Addit quoque, qui hic desiderantur, legatos regni Portugallia, & omnium ecclesiasticorum & prælatorum totius regni, Joannem episcopum Ulyssiponensem, episcopum Lamecensem, mag. Laurentium provincialem ordinis S. Augustini, magistrum ordinis Minorum, eumdemque regi a confessionibus.

Ex eodem discimus interfuisse Philibertum e Noylaco E magistrum Rhodiorum equitum cum religiosis equitibus sexdecim.

Hic archiepiscopi præsentes enumerantur tantum decem, illic duodecim: adduntur que Franciscus Smyrnensis, & Joannes Ulyssiponensis: additur & nomen Siponiensi, Nicolaus, quod hinc expunctum. Hic episcopi tantum sexaginta sex enumerantur; illic non nominantur quidem illi, sed octogiata fuisse narratur. Hic procuratores absentium episcoporum 86. illic 102. Hic procuratores capitulorum, 100. illic 109.

Finis Tomi Vigesimi Sexti.

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del *P. D. Filippo Rosa Lanzi* Inquisitor Generale del Santo Offizio di *Venezia* nel libro intitolato: *Sacrorum Conciliorum &c Auctore P. Philippo Labbeo Soc. Jesu, curante Nicolao Coleti, & Joanne Dominico Mansi &c.* Non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator *di Venezia*, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Data li 20. Dicembre 1767.

(Sebastian Zustinian Riform.
(Alvise Valaresso Riform.
(Francesco Morosini 2. Cav. Proc. Riform.

Registrato in Libro a Carte 335. al Num. 2304.

Davidde Marchesini Segr.